
BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
12
1 G
13

Ex [illegible]
Sanctorum [illegible]
[illegible]

A. M. D. G.

LOGICA

Institutionibus præuijs

QVAESTIONIBVS CONTEXTA

Auctore

P. RAPHAELE AVERSA

A SANSEVERINO

Clericorum Regularium Minorum

Sacræ Theol. Professore.

Superiorum *permissu.*

Romæ Apud Iacobum Mascardum

MDCXXIII.

Ad usum P. [illegible] Joan: [illegible] a S. Philippo

Bibl: [illegible]



ILLVSTRISSIMO PRINCIPI

OCTAVIO RODVLFIO

S. R. E. CARDINALI,

Tituli Sanctæ Agnetis in Agone.

RAPHAEL AVERSA

Clericorum Minorum.



QVAM prçclarè nobis accidit (Cardinalis amplissime) talem nancisci Patronum. O qualem Tutelarem totus ordo noster inuenit, quando te Titularem nostrę Agnetis agonale templum accepit! Esto igitur & tu meorum studiorum in hoc initio meorũ operum & Titulus & Tutela. Multùm tibi debemus omnes quotquot in hoc ordine sumus: tanta statim beneuolentia & cura nostrum ordinem amplexus es, tanta promptitudine sub tuo patrocinio suscepisti, tot beneficijs & gratijs cumulasti. Cogites, velim, omnium manus in meis manibus hoc qualecunque communis deuotionis & obseruantiæ pignus offerre. Nec mirum; quando omnium nostrum tibi corda vinxisti. Plus tibi debet hoc nostrum Collegium; dùm hanc Ecclesiam, relictis etiam amplioribus quę vacabant, in tui Cardinalatus titulum elegisti. Et vix elegeras: cùm splendidissimis lucis tuæ radijs illustrasti: cùm festiuis solemnitatibus, apparatibus, opibus, magno populorum & Principum concursu, mirificè decorasti. Ego igitur qui hìc nostra Theologica studia rego, hìc meas lucubrationes assiduo labore peregi, totius huius Collegij nomine hoc tibi tributum soluo. Plurimùm tàndem ego proprijs rationibus tibi adstrictus debeo, quem magna ex parte tui splendoris participem effecisti, insignis tuæ pietatis operarium habuisti, quem tanta humanitate aspexisti, appellasti, suscepisti. Nimis ergo parum est, quod tibi pro tàm magnis & meis & communibus debitis reddo. Sed si parum: primum. Diutiùs differre nec poteram nec debebam. Quàm gloriosum mihi nunc est, aliquid


quantumuis minimum in tui obſequium exhibere; quando ſacræ & humanæ Maieſtatis culmina ad exaltationem tui nominis conſpirarunt: Pontifex, Imperator, Reges, Principes. Imperator te Cardinalem poſtulat, Pontifex creat, Rex Catholicus, poſt Arianenſem, ampliſſimo Agrigentino Epiſcopatu donat. Principes tàm Eccleſiaſtici, quàm Ciuiles ſumma beneuolentia proſequuntur, tuaſq. virtutes commēdare non deſinunt. Confluit in vnum Orbis è quatuor Mundi plagis: ab Occidente Hiſpania, ab Oriente Sicilia, à Septemptrione Germania, ab Auſtro Roma. Splendet in domo tua quicquid decoris & gloriæ humana Reſpublica profert. Longum eſſet hìc attexere clariſſimas Maiorum tuorum imagines, virorum virtute dignitateq. præſtantium, quibus Rodulfia gens antiqua & continuata ſerie ſplendet. Venio ad præſentes. Sonant in domo tua pacifica arma: Alexander frater tuus, Marchio Baſilicenſis, vir egregius, nuper cum Pontificis fratre in expeditione Telinenſi caſtra regebat, modò Ferrarienſis militiæ imperia tenet. Lucent in domo tua litteræ: Nicolaus alius frater tuus, vir doctiſſimus, in hoc Chriſtianæ ſapientiæ capite Apoſtolici Palatij magiſterium ſumma cum laude gerit. Spirat & aulæ fauor: Ludouicus etiam frater tuus, vir induſtrius, intimus iam Gregorij XV. Pontificis Maximi cubicularius, in Romana curia cum magno aulæ plauſu verſatur. Sed quid dico in domo tua? In te vno hæc omnia vigent. Tu in Firmanæ Ciuitatis regimine pacis arma tenebas. Tu litterarum & ſtudiorum eximius cultor & fautor. Tu in aula, non ſequens aulam, ſed ab aula vocatus, promotus, euectus. Quanto igitur iure hunc tibi librum dedico: Logicam, ideſt arma veritatis, litterariæ militiæ rudimenta: Logicam, ideſt ianuam ſcientiarum, & diſciplinarum omnium diſciplinam: Logicam, ideſt Sapientiæ aulam. Nè repellas quod tibi tanto iure debetur. Patere hac etiam parte radios tuæ lucis effundi. Et Opus cum Auctore, Collegium hoc cum toto Ordine, foue, & protege, vt cœpiſti. Tibiq. & domui tuæ & nobis diutiſſimè vale.

LECTO-

LECTORI AVCTOR.



PERNES fortasse (Generose Lector) post tot volumina nouum Opus, post tot Heroes nouum hominem. Indignaberis imo, non adhuc libris conscribendis finem imponi. Quousque tandem eadem huc illucquè transcribi, & toties repetita reuolui? Nihil iam amplius noui posse proferri, nisi noua Auctorum nomina, copiosissimo iam Scriptorum choro, an̄ itiene magis priuata, quàm vtilitate publica, gestientium aggregari. Sed remitte quæso aliquantum seueritatem animi, aures pacatas exhibe: & attende, si fortè vel iustificare vel saltem excusare me potero. Vide non esse adhuc humani ingenij vim exhaustam, non esse adhuc profunda rerum abdita penitus explorata, non esse adhuc veritatem sæpè è nostris veluti fugitiuam obtutibus comprehensam. Vide si in rebus adeò dubijs & perplexis, supersit adhuc quod verisimilius & probabilius inquiratur, supersint rationes quibus verisimiliora magis magisquè firmentur, supersint defensiones quibus aduersis partibus & ictibus resistatur. Vide si adhuc possint obscura clariùs, ardua faciliùs, occulta manifestiùs, non modico studiosorum emolumento, proponi & explanari. Vide præcipuè, si adhuc post tot secula, post tot ingenia, post tot opera, non sit optimus & exquisitus rebus ordo præfixus: dico qualem ipsarum rerum natura, non qualem certi alicuius Auctoris expositio texit. Quid igitur ex his? Promitto ne rerum nouitatem, doctrinæ claritatem, ordinis sinceritatem? Iactare nolo. Certè veritatis studium in rebus, claritatis in doctrina, sinceritatis in ordine, toto conatu profiteor. Et præsertim in ipsa Logica quam præ manibus habemus, nonne vides apud Aristotelem in operibus quę extant, quàm abruptum initium ab æquiuocis & vniuocis, vt ferè corpus sine capite dixeris. Nec satis integrum caput Logica à Porphyrio accepit per explicationem illarum quinque rerum quas in sua Isagoge præmisit. Cæteri deinceps vt plurimum expositionis viam gradientes, & ex occasione quæstiones inserentes, eandem Logicæ structuram amplexi sunt. Sed certè nihil iustiùs est in scientijs disponendis, quàm certum sibi proponere & assumere obiectum: tale inquam quod ad humanum ingenium excolendum, & ad debitam scientiarum distinctionem, & adęquatam rerum omnium scibilium comprehensionem, aptius & opportunius videatur: eoquè sibi præfixo & designato, de ipso obiecto per se directèquè tractare, & consequenter de alijs omnibus quę ad illud pertinere reduciuè noscuntur. Maximaquè ratione, hoc est in Logica debitum, quę est scientiarum prima, & aliarum ianua, ac velut exemplar. Hoc ergo mihi in animo est nunc efficere, & similiter, si Deus concesserit, in Philosophia perficere, doctrinamquè tradere maiori facilitate breuitateque qua possim. Quod felicissimè nobisquè vtilissimè pręstitit Angelicus Doctor in Sacra Theologia: idem fortasse in Philosophia præstiturus, si tamdiu vixisset. Heroicos autem viros, sicut assequi velle, prorsus temerarium esset, ita imitari velle non est impudentię arguendum, sed quam maximè laudandum. Plura demum de mei instituti & ordinis ratione hìc adijcere deberem: nisi in prima Logicę quęstione de ipsius Logicę instituto, & in alijs tractatibus, vbi opus est, de eorum ratione, & postremò in vltima quęstione de ordine tam huius quàm aliarum scientiarum in vniuersum, plenè differerem. Accipe tu amice Lector ea beneuolentia & studiositate has meas Lucubrationes, qua ego promptitudine tuiquè profectus desiderio eas elaboraui. Stude & Vale.



✠ 3 IOAN-

IOANNES DE GVEVARA

Præpositus Generalis Cleric. Regul. Minorum.

Logica, Institutionibus præuijs Quæstionibus contexta, Auctore P. Raphaele Auersa nostræ Religionis Clericorum Regularium Minorum, Sacræ Theologiæ Professore. Cum à duobus eiusdem nostræ Religionis Theologis, quibus id commisimus, approbata fuerit, facultatem concedimus, vt Typis mandetur: dummodo à cæteris quibus hoc munus incumbit, similiter approbetur. Datum Romæ, in ædibus nostris S. Laurentij in Lucina, die 10. Nouembris, 1622.

Ioannes de Gueuara Præpos. Gener.

Imprimatur, si placet Reuerendissimo Patri Magistro Sacri Palatij Apostolici.

A. Episc. Hierac. Vicesg.

Ex commissione Reuerendiss. P. Nicolai Rodulfij Sacr. Pal. Apost. Mag. Logicam hanc, Institutionibus præuijs, quæstionibus contextam à R. P. Raphaele Auersa Clericorum Regul. Minorum Theologo elaboratam, percurri, in qua nihil occurrit à Fidei veritatibus, à sana doctrina alienum, nihil bonis moribus repugnans: Imò arduas quæstiones complectens accurate pertractatas, ac mira tùm subtilitate, tùm facilitate persolutas mihi satis Auctoris ingenium commendat: quare librum doctis viris iucundum, & studiosis perutilem, dignum censeo, qui Typis illustretur.

Domnus Placidus Filingerius Clericus Regularis.

Imprimatur, Fr. Dominicus Paulacius Magister, & Socius Reuerendiss. P. Fr. Nicolai Rodulfij Ordinis Prædic. Sacr. Pal. Apost. Mag.

INDEX

INDEX INSTITVTIONVM.

PRAEFATIO.

TRACTATVS I.

TRACTATVS II.

TRACTATVS III.

✠ 4 Cap. 8.

TRACTATVS IV.

Finis Indicis Inſtitutionum.

INDEX

INDEX QVAESTIONVM AC SECTIONVM.

QVAESTIO I.

QVAESTIO II.

QVAESTIO III.

QVAESTIO IV.

QVAESTIO V.

Sect. 2.

QVAESTIO IX.

QVAESTIO X.

QVAE-

QVAE-

QVAESTIO XXI.

QVAESTIO XXII.

QVAESTIO XXIII.

QVAESTIO XXIV.

QVAESTIO XXV.

Sect. 8.

QVAESTIO XXVI.

QVAESTIO XXVII.

QVAESTIO XXVIII.

QVAESTIO XXIX.

QVAESTIO XXX.

Finis Indicis Quæstionum & Sectionum.

LOGICAE INSTITVTIONES.

AVCTORE

P. RAPHAELE AVERSÂ A SANSEVERINO,

Clericorum Regul. Minorum.

PRAEFATIO.

DE RATIONE ET OBIECTO HARVM INSTITVTIONVM.

Institutiones sũt breuisquadam Logica.



NSTITVTIONES hę Logica quædã sunt, parua & breuis. Vbi non immeritò dixerim, Logicam bis proponi atque describi: priùs quidem summarijs Institutionibus comprehensam: postea plenis Quæstionibus diffusam. Hoc ergo Præuium Opusculum, ex ipsis visceribus Logicæ collectum atque depromptum, doctrinam logicam breui complexu præmittit Aliud Opus erit ipsa Logica per suas Quæstiones extensa. Hinc præsens Opusculum plures appellationes, idem tamen sonantes, sortitum est. Nam dicuntur Summulæ, Introductiones, Institutiones: Summulæ, quia in breuem summam redigunt quæ deinde erunt fusiùs pertractanda. Introductiones, quia humanum ducunt ingeniũ ad profundiores quęstiones interiùs perlustrandas. Institutiones demũ, quia ad ipsammet Logicã capessendã nouos Tyrones instruunt & disponunt.

Meritò præmittuntur.

Optimis autem & conuenientissimis rationibus factum est, vt Studiosorum mentes ad Logicam perdiscendam hæ Institutiones præuiæ præpararent. Est etenim Logica, cùm tota in interna consideratione versetur, ab externis sensibus, rebusquè exterius cõsuetis, adeò abstracta, atque remota; vt rerum nouitate & obscuritate facilè animus primo intuitu terreretur, ab inceptoquè proposito resiliret. Ideò Summulæ præcurrunt, in quibus quædam faciliora Logicæ prælibando, incipiat ingenium assuescere, resquè has sibi aliquantum familiares redditas libentiùs animosiùsquè arripiat.

Deinde, cùm Logica sit superiorum ianua facultatum, ad illam communiter accedunt homines, grauioribus & acrioribus disputationibus insueti, in quibus tot opinionum perplexitate, argumentorum subtilitate, rationum copia hinc inde differitur. Vnde viderentur sibi statim, tanta mole opprimi & confundi. Quis ergo non videat, quanti solatij & iuuaminis futurum erat, priùs aliquam doctrinæ partem, remisso disputationis impetu, per modum potius narrationis exponi? vt quasi in plana commodaquè via, etiam rudes & inexperti pergere non horrerent, sequè paulatim ad maiora & altiora introduci gauderent: donec tandem etiam inter disputationum æstus, & contentionum fluctus, se saluos in tuendis opinionibus, & validos in repellendis, imo & oppugnandis aduersis, fore confidant.

Postremo, cùm Logica pari ferè necessitate, qua ad cæteras disciplinas etiam ad se ipsam perfectè assequendam quodammodo requiratur: quia nimirum & ipsa arte sciendi ad sciendas res logicas indigemus, & ea quæ in progressu ad finem vsque Logicæ pertrahemus, apta sunt ad prima quoque exordia deseruire: ideò fieri oportebat, vt quasi Logica Logicam præueniret; &, si cæteris scientijs famulatur, pariter se ipsam ipsa iuuaret. Atqui fieri non poterat, vt tota toti Logicæ anteiret. Perutiliter ergo & prorsus laudabiliter excogitatum est, vt breuior quædam Logica pleniori Logicæ præluceret. Hisque Institutionibus instruerētur ingenia sciētiæ cupida ad perfectè assequendam Logicam in quæstionibus sequuturam.

Cæterùm expedit, quædam in his Institutionibus prolixiùs tradere, & quædam non oportet attingere. Illa nimirùm pleniùs trademus, quæ magis necessaria erunt ad ipsammet Logicam capessendam, & quæ hic ita semel poterunt expediri, vt ampliùs repeti non oporteat. Alia verò quæ minùs necessaria in his initijs videbuntur, ad proprios tractatus ex integro differemus.

Habent idem obiectum Logica, cognitionē intellectiuam.

Totum autem harum Institutionum obiectum, idem prorsus, quod ipsius Logicæ constituēdum est. Quælibet enim scientifica facultas habere debet aliquam rem certam & determinatam, de qua tractet, quæ dicitur materia & obiectum vniuscuiusque scientiæ. Et præsertim, quia extant variæ operationes, quæ ab homine rectè aut prauè exerceri possunt, ac solent: ideò ad hoc vt quælibet operatio ritè & ordinatè, absque errore atque defectu fiat, debuit institui aliqua peculiaris ars atque scientia, quæ hominem ad talem operationem rectè exercendam dirigeret, quæ leges & præcepta traderet rectè operandi, quæ etiam instrumenta conficiat siue disponat, quibus homo operationem suam dirigere debeat. Ita, quoniam actio, v. g. canendi, potest benè aut malè fieri: ars quædam peculiaris instituenda fuit, quæ hominem edoceret, quo pacto benè canere posset; regulas traderet, quibus obseruatis actio canendi benè & suauiter, ac sine errore fieret; instrumenta etiam quædam apta conficeret ad actionem canendi dirigendam, notas scilicet atque figuras certo modo dispositas. Quæ ars appellata est Musica.

Inter operationes autem humanas, præcipuum locum tenet, & præclarissima est, Cognitio nostra intellectiua. Hæc intellectus nostri operatio pluribus defectibus & erroribus obnoxia est: multa enim sunt quæ penitus ignorantur: & circa ea quæ menti occurrunt, sæpissimè intellectus aberrat: vel apprehendendo res aliter ac sunt, concipiendo v. g. Angelum tanquam corporeum: vel iudicando esse verum, quod in re falsum est, aut esse falsum, quod in re verum est: vel tandem ex vna re cognita, aut putata, malè inferendo aliam. Hinc ergo instituenda omnino fuit certa quædam facultas, quæ cognitionem nostram dirigeret, quæ intellectum à defectibus & erroribus liberaret, quæ regulas & instrumenta traderet rectè cognoscendi. Hanc facultatem appellamus Logicam, cuius proprium munus est, cognitionem intellectiuam dirigere vt rectè exerceatur, præcauere nè in cognoscendo erremus, regulas præcepta & instrumenta tradere, quibus omnem intellectus nostri cognitionem dirigere sciamus & valeamus.

Obiectum ergo Logicæ, harumque Institutionum, est cognitio nostra intellectiua, inquantum dirigibilis est. Hoc obiectū in omni huius facultatis tractatu consideratur, ad hoc omnia reducuntur quæ in Logica pertractantur. Et similiter finis ob quem hæc scientia instituta est, est rectitudo & perfectio cognitionis intellectiuæ, ad quem vniuersa Logica ordinatur.



TRACTA-

TRACTATVS PRIMVS.

De Cognitione intellectiua eiusquè directione in communi.

INstitutiones has eadem ferè ordinis ratione contexere cogitamus, qua postea totam ipsam Logicam. Nisi quòd Logicam per Quæstiones & Sectiones, Institutiones has per Tractatus & Capita diuidemus, quod magis præsenti stylo congruere iudicamus. Et quoniam cognitio intellectiua plures continet actus: hoc primo Tractatu totam ipsam in cõmuni consideramus: deinde alios tractatus, pro numero & distinctione actuum eius, apto ordine subnectemus.

CAPVT PRIMVM.

De Cognitione intellectiua, eiusq. triplici actu; Apprehensione, Iudicio, & Discursu.

Cognitionis ratio. & obiectum. COgnitio hæc in communi est actus potentiæ intellectiuæ, quo nobis repræsentatur obiectum: dum nempè mẽte aliquid cogitamus, illiusquè notitiam habemus. Versari autem potest nostra intellectiua cognitio circa omnes prorsus res, nulla excepta: imo etiam circa negationes rerum & circa non entia: atque circa obiecta quædam, quæ cùm re ipsa non sint excogitantur à nobis, ab ipsoquè intellectu suamet cognitione finguntur, & propterea dicuntur entia rationis. Habet ipsa cognitio, quando perfecta est, rectitudinem & veritatem, quam assequi intendimus. Habet, quando deficit, inrectitudinem, aut etiam falsitatem, quam modò repellere studemus. Habet in communi dirigibilitatem, idest aptitudinem & capacitatem rectitudinis, in qua fundatur hęc scientia directiua.

Præcipuè considerandum est, tres esse actus & velut gradus huius nostræ cognitionis. Primus actus dicitur Apprehẽsio simplex. Secundus Iudicium. Tertius Discursus.

Apprehẽsio. Simplex apprehensio est, dum intellectus simplici modo cognoscit & concipit aliquid, non iudicando an illud sit, vel non sit, non quicquam affirmando aut negando. Vt cùm simpliciter menti repræsentatur, Homo, Angelus, antequam affirmemus vel negemus quicquam de homine, dicendo homo est albus, homo non est lapis, vel quid aliud simile. Illa inquam ita simplex apprehensio, est primus actus intellectiuæ cognitionis, est prima operatio nostri intellectus. Quæ sic breuiter explicatur: est cognitio qua aliquid simpliciter concipitur absque determinato iudicio.

Iudicium Iudicium est, dum intellectus apprehensa aliqua re, determinatè iudicat aliquid de illa affirmando vel negando. Vt cùm iudicat & affirmat, homo est animal: vel cùm iudicat & negat, homo nõ est lapis. Si iudicium exercetur affirmãdo, dicitur affirmatio, atq. etiam cõpositio. Si negando dicitur negatio atq. etiã diuisio. Vnde cõmuni vsu loquendi hęc operatio intellectus appellatur absolutè compositio & diuisio, ad differentiam apprehensionis quæ dicitur simplex, idest carens compositione & diuisione. Hæc est itaque secunda operatio intellectus: quæ est cognitio qua intellectus aliquid determinatè iudicat, affirmat, aut negat.

Discursus Discursus demum est, dum intellectus, cognita aliqua veritate, ex illa deuenit in cognitionẽ alterius veritatis, inferẽdo vnum ex alio. Vt cùm intellectus præcognoscit hanc veritatem, omne totum esse maius sua parte, simulquè cognoscit brachium esse partem hominis: & exinde infert & dicit, ergo homo est maior brachio, atque ita deuenit in cognitionẽ huius determinatę veritatis. Ideòquè hic actus cognitionis appellatur discursus, quasi quo intellectus ex vno in aliud excurrat. Atque hæc est tertia nostri intel-

lectus operatio: quę est cognitio qua intellectus vnum ex alio infert.

Hi tres cognitionis actus dirigendi erunt.

Hos omnes tres actus nostræ cognitionis, Logica adęquatè sibi dirigendos assumit. Quilibet enim eorũ à debita rectitudine deficere pôt, imperfectè apprehẽdẽdo, falsè iudicando, prauè discurrendo. Primũ itaq. actum Logica dirigit, tradendo modum, quo res ritè & perfectè apprehendamus. Secundũ dirigit, edocendo quo pacto verè iudicandum sit, quid affirmandũ, quid negandũ. Tertium tandẽ dirigit, tradendo regulas & præcepta, quibus vnũ ex alio rectè debeamus inferre.

CAPVT II.

De Instrumentis directiuis cognitionis.

Plura extant instrumẽta cognitionis directiua.

Sicut aliæ artes suorum operum directrices habent certa quædam & proportionata instrumenta ad rectè efficienda sua opera: Ita Logica habet etiam sua quędã instrumẽta directiua cognitionis, quæ propterea appellantur etiam modi sciendi, modi rectè cognoscendi. His instrumẽtis Logica vtitur ad tradendas certas regulas & præcepta, quibus perficiat directionem cognitionis quam intendit. Cùm autem distincti sint tres actus intellectiuæ cognitionis: plura etiam instrumenta sunt, quę vel certæ alicui & peculiari cognitioni affixa sunt, vel communiter ad omnem cognitionis actum adæquatè deseruiunt.

Definitio, Diuisio, Argumẽtatio, & Enunciatio.

Solent aũt tria præcipuè instrumenta Logicæ designari, Definitio, Diuisio, & Argumentatio. Omnino tamen addenda est etiam Enũciatio, tanquam condistinctum & vtilissimum instrumentum. Definitio est, qua explicatur natura & essentia rei: vt cùm explicamus essentiam hominis, dicendo homo est animal rationale. Diuisio est, qua aliquod totũ diuiditur & distribuitur in suas partes: vt cùm dicimus, animal aliud est rationale aliud irrationale. Enunciatio est, qua aliquid affirmatur aut negatur de aliquo, homo est albus, homo non est lapis. Argumentatio est, qua ex vna vel pluribus enunciationibus infertur alia: vt cum dicimus, Sol lucet, ergo dies est, & similia. Hæc sunt idonea instrumenta quibus Logica vtitur, tradẽdo suas regulas & pręcepta, ad dirigendam nostram cognitionem.

Definitio & diuisio sunt instrumẽta cõmunia, enunciatio & argumẽtatio propria.

Ex his instrumentis, argumentatio est proximum & aptissimum instrumentum ad dirigendum discursum, quæ erat tertia operatio intellectus. Ita enim satis apertè constat ex natura ipsa discursus & ratione argumentationis. Similiter dici debet enunciatio proximum & aptissimũ instrumentum ad dirigendum iudicium, quæ erat secunda operatio intellectus. Nã per viam enunciationis Logica tradit regulas & præcepta propria ad directionẽ iudicij: & ita se habet enunciatio ad secundam, sicut argumentatio ad tertiam operationem. Definitio autem & diuisio non tàm videntur propriè alicui certæ operationi affigi, sed potius communiter & adæquatè ad omnes tres operationes deseruire. Vnde sunt quædam communia instrumenta. Nam definitio per se iuuat ad explicitam apprehensionem rei, ad rectam etiam & veram affirmationem, ad legitimũ etiam & conuenientem discursum. Imo Arist. in sua Logica, nõ nisi in 2. Poster. lib. per ordinem ad demõstrationem quæ perficit excellentissimum discursum, de definitione tractauit. Similiter diuisio iuuat ad distinctè apprehendẽdas res, ad rectè affirmandum vel negandum, & tandem ad rectè discurrendum. Neque simplex apprehensio, cùm sit infimus gradus nostræ cognitionis, ita indigebat alio suo peculiari instrumento, in quo fundarentur propriæ regulæ & præcepta directionis, sicut enunciatio conuenit secundæ, & argumẽtatio tertiæ operationi.

Additur Methodus.

Præter hæc, Instrumentum etiam quoddam est, Methodus siue ordo, quo res omnes in cognoscendo rectè disponantur, vt suis quæque locis collocentur. Verùm quia hæc est quædam conditio generalis totius directionis, quæ per ante dicta instrumenta perficienda est, nõ tàm est nouum instrumentum prorsus cõdistinctum à reliquis, quàm potius est complementum quoddam ipsorummet instrumentorum.

Iuxta hæc igitur, de argumentatione simul cum discursu, de enunciatione simul cum iudicio agendum erit; de definitione aũt & diuisione hoc loco cõmuni agendum est: de Methodo verò in finem Logicæ reseruamus.

CA-

CAPVT TERTIVM.

De Definitione.

Definitio ita appellatur ex metaphora sumpta à terminis, seu finibus agrorum, vt notauit Quintil.lib.7.cap.4. ex eo quòd per definitionem certis quibusdam finibus terminatur & circunscribitur. Vnde Arist. sæpè definitionem appellat terminum.

Definitionis ratio. Definitio igitur est oratio explicās naturam & essentiam rei. Ita ferè Arist. 2. Post. cap.10. Dicitur oratio: quia essentia rei non potest vna tantùm voce, seu dictione plenè explicari: sed debent plures ad minus duæ dictiones in rei explicatione coniungi, & ita definitio debet esse oratio. Quælibet enim rės habet rationem aliquam qua cum alijs rebus conueniat, & aliam rationem qua ab ijs discernatur. Et hæ duæ rationes per definitionem explicandæ sunt: quod vnico vocabulo præstari non potest. Vt in hac ipsa definitione definitionis quam modò tradimus, ponitur particula oratio, qua definitio cum alijs orationibus conuenit: ponitur item explicans naturam & essentiam rei, quod soli definitioni proprium est; atque ita definitio ab omnibus alijs orationibus differens redditur. Potest autem sumi definitio, vel pro oratione perfecta, idest pro integra enunciatione includendo etiam ipsum definitum & completam affirmationem: vt cum dicimus homo est animal rationale. Vel sumi potest pro ratione imperfecta & diminuta, idest pro solis illis particulis quę affirmantur de definito: vt in exemplo posito se habent animal rationale: quo pacto dici solet definitio prædicatur de definito, conuertitur cum definito, & similia.

Definitio nominis & rei. Deinde duplex est definitio, alia nominis, alia rei. Definitio nominis est; quæ explicat vim & significationem nominis: vt si definiatur hoc nomen Homo, dicendo: est nomen significatiuum animalis rationalis. Sub nomine autem hìc nunc intelligitur non solùm nomen propriè dictum, sed etiam verbum, & omne vocabulum. Hæc autem solet appellari definitio quid nominis. Definitio rei est, quæ explicat naturam & essentiam rei significatæ per nomen: vt dicendo homo est animal rationale. Et hæc dicitur definitio quid rei. Quia tamē, cùm definitur, se habet vt res quædam, nempè vt res definita: ideò de nominis definitione non oportet distinctè loqui: sed absolutè de rei definitione satis est loqui.

Definitio causalis, descriptiua, & essentialis. Rursus ergo definitio multiplex est. Alia est causalis, quæ explicat rem per suas causas; vt homo est quoddam animal ordinatum ad æternam beatitudinē, quæ definitio est per causam finalem, idest per finem ad quem creatus est homo. Alia est descriptiua, quæ absolutè solet appellari descriptio: & est quæ explicat rem, nō per prædicata verè essentialia, sed per quasdam proprietates enascētes ab essentia rei: vt homo est animal risibile: risibilitas enim non est per se de essentia hominis, sed manat ab essentia, & distinguit hominē ab alijs rebus, quia est propria hominis. Alia præcipuè est definitio essentialis, quæ absolutè vocari solet Definitio: & est quæ veram essentiam & naturam rei per prædicata essentialia, siue per partes essentiales ipsius rei manifestat; vt homo est animal rationale.

Definitio essentialis, metaphysica, et physica. Hæc autem definitio essentialis duplex est: alia enim traditur per genus & differentiam: alia per materiam & formam. Primo modo definimus hominem, dicēdo est animal rationale. Secundo modo, dicendo est compositum constans ex corpore organico & anima rationali. Postea autem explicabimus magis genus & differentiam, quæ magis spectat ad Logicā. Nunc satis est dicere, per genus explicari conuenientiam rei definitæ cum alijs rebus consimilibus; per differentiam explicari discrimen, vel ab omnibus prorsus rebus, vel saltem ab ijs, cum quibus ipsa res conueniebat ratione generis: quod totum clarè patet in definitione tradita hominis, animal rationale. Et similiter per materiā indicatur conueniētia vnius compositi cum alijs similibus; per formam indicatur ratio propria ac distinctiua ab alijs compositis. Ad cognoscendum autem quæ definitio ex genere & differētia, quæ verò ex materia & forma cōstet,

hæc regula potest obseruari. Quando prædicata quæ ponuntur in definitione, possunt singula per se de definito prædicari; definitio erit ex genere & differentia: sic dicimus homo est animal, est rationalis. Quando verò partes per se prædicari non possunt, definitio erit ex materia & forma: sic dici non potest, homo est corpus organicum, est anima rationalis. Definitio quæ constat ex genere & differentia, dicitur Metaphysica: quæ ex materia & forma, dicitur definitio Physica.

Definitionis, Cæterùm ad rectè construendam definitionem, plures conditiones recenseri solent. Sed sufficiet tres afferre, quæ omnibus dictis definitionibus sunt communes.

Prima conditio. Prima est, vt definitio sit clarior definito. Cùm enim definitio ponatur ad explicandam essentiam rei, quam priùs confusè & indistinctè in re quæ definitur cōcipiebamus, debet omnino esse clarior definito. Non enim potest ignotum per æquè ignotum & obscurum manifestari. Ad hanc conditionem spectat, quod docuit Arist. lib. 6. Topic. cap. 2. loc. 17. & alibi, definitionē debere tradi per priora & notiora: quia ex notis debent manifestari ignota.

Secunda conditio. Secunda conditio est, vt conuertatur cum definito: ita vt de quocunque dicitur definitio, dicatur etiam definitum; & de quocunque dicitur definitum, dicatur definitio. Vnde non benè definiret, qui diceret homo est animal terrestre: quia hæc definitio dicitur de alijs animalibus quæ non sunt homo. Item non benè definiret, qui diceret homo est animal currens: quia multi sunt homines, qui non currunt.

Tertia conditio. Tertia conditio est, vt definitio non sit diminuta, nec contineat aliquid superfluum. Hæc diceretur definitio diminuta; homo est substantia rationalis: quia addi deberet, substantia corporea sensitiua, quæ idem est quod animal. Item diminuta definitio esset; homo est constās ex anima rationali: quia debet addi & corpore. E contra definitio contineret aliquid superfluum; si diceretur, homo est animal rationale bipes: hæc enim vltima particula esset superflua. Hæ sunt præcipuæ conditiones bonæ definitionis, ad quas reduci possunt aliæ quæ congeri solent, sed in eundem sensum redeunt.

CAPVT QVARTVM.

De Diuisione.

Diuisionis ratio. Diuisio est oratio, qua totum aliquod in suas partes mentaliter distribuitur. Totum quod diuiditur, dicitur diuisum: partes in quas diuiditur, dicuntur membra diuidentia. Sed quia multiplex est diuisio, meliùs omnino ipsius diuisionis ratio innotescet, afferendo & explicando varios diuisionis modos.

Diuisio nominis, & rei. Alia est diuisio nominis, alia rei. Diuisio nominis est, quando nomen aliquod siue verbum, siue oratio, in varias quas habere pōt significationes distribuitur. Quæ diuisio multùm deseruit, in disputando, ad inueniendam dicti veritatem, ad rectè iudicandum & discurrendum. Vnde in qualibet scientia huius diuisionis est frequentissimus vsus.

Diuisio physica, et metaphysica, integralis, vniuersalis, & accidentalis. Diuisio rei est, qua res aliqua habens partes, distribuitur in suas partes. Quæ rursus multiplex est, iuxta diuersos modos totius & partium. Diuiditur totum in suas partes physicas, scilicet materiam & formam, vt cùm dicimus, hominis alia pars est corpus, alia anima. Et hæc dicitur diuisio physica. Diuiditur totum in partes metaphysicas, quæ sunt genus & differentia: vt cùm dicimus hominis alia pars est animal, alia rationale. Et hæc dicitur diuisio metaphysica. Diuiditur item totum in suas partes integrātes: vt cùm in homine consideramus caput, brachia, &c. & in aqua multas guttas. Et vbi partes sunt eiusdem rationis inter se, vt in aqua: dicuntur partes similares & homogeneæ. Vbi sunt diuersæ rationis, vt in homine: dicuntur partes dissimilares & æterogeneæ. Diuiditur totum vniuersale in sua inferiora: vt substantia in spiritum & corpus: animal in rationale & irrationale. Diuiditur item subiectum per sua accidentia: vt homines alij sunt albi, alij nigri. Et è conuerso accidens per sua subiecta: vt alborum aliud est nix, aliud cygnus, &c. Potest demum aliquod subiectum diuidi quodammodo per accidentia quæ illi vni insunt: vt cùm

in

in pomo distinctè consideramus odorem, colorem, saporem, &c.

Diuisionis. Prima cõditio. Cęterùm assignandæ modò sunt conditiones ad bonam diuisionem requisitæ.

Prima est, vt membrum diuidens adęquatè contineatur sub toto diuiso. Itaque non potest diuidi totum in partem aliquam quam non continet: vt si diuideretur substantia spiritualis in intellectiuã & non intellectiuam; nam substantia non intellectiua non continetur sub genere substantiæ spiritualis. Similiter non benè diuideretur homo in rem albam & nigram; quia non omnis res alba aut nigra est homo. Sed benè diuiditur homo in hominem album & nigrum: quia hæ partes adæquatè continentur sub toto diuiso.

Secunda conditio. Secunda conditio est, vt non diuidatur totum in partes, quas remotè continet: sed quantùm fieri potest diuidatur in partes proximas. Vnde non benè diuideretur substantia immediatè in hominem, leonem, lapidem, &c. sed immediatè diuidi debet in spiritualem & corpoream.

Tertia cõditio. Tertia conditio est, vt vnum membrum diuidens non includatur in alio. Itaque non benè diuideretur substantia in substantiam corpoream & animatam: quia substantia animata includitur in genere substantiæ corporeæ. Sed debet diuidi substãtia in corpoream & incorpoream, vel animatam & inanimatam.

Quarta conditio. Quarta conditio est, vt totum diuisum contineat aliquid aliud vltra partem quamlibet per se sumptam. Vnde non benè diuideretur homo in risibilem & doctum: quia homo conuertitur cum risibili, & non continet alios homines non risibiles. Benè tamen diuiditur homo in doctum & indoctum. Benè etiam diuiditur in suas partes essentiales animal & rationale: quia continet aliquid vltra rationale, scilicet animal. Itaque non dicemus, homo alius est animal, alius rationalis: sed hominis quædam pars est animal, & quædam rationale.

Quinta conditio. Quinta conditio est, vt totum diuisum non contineat aliquid aliud vltra omnia membra diuidentia. Quocirca non benè diuideretur animal in rõnale & aquatile & terrestre: quia continet præterea animal volatile seu aëreum. Vt ergo diuisio sit adæquata & non diminuta, debet cõplecti omnes partes, omnia membra, quæ continentur in toto diuiso. Atque hæ sunt præcipuę conditiones bonæ diuisionis, ad quas reduci possunt si quæ aliæ inueniantur.

CAPVT QVINTVM.

De Ente rationis, quod per cognitionem fit, eiusquè directioni inseruit.

PRæter dicta instrumenta cognitionis directiua, ad cognitionem intellectiuam, eiusquè directionem spectat etiã ens quod dicitur rationis, fitquè ab intellectu per cognitionem, & aliquo modo deseruit ad ipsius cognitionis directionem.

Ens ergo rationis intelligitur illud, quod non est verè & realiter in rebus, sed est in mente per cogitationẽ & operationem intellectus: & ideò dicitur ens rationis, quasi ens mentis, ens intellectus. Et præcipuè dupliciter sumi potest iuxta frequentiorem loquendi modum. Vno modo pro denominatione desumpta ab ipsis actibus intellectus, & attributa rebus, quæ intellectui repræsentantur. Dum enim intellectus cognoscit aliquid, id vtique dicetur cognitum: dum intellectus apprehendit aliquid, id dicitur apprehensum: dum intellectus affirmat vnum de alio, illud dicitur prędicatum, aliud subiectum: dum infert vnum ex alio, illud dicitur consequens, aliud antecedens. Alio modo sumitur pro obiecto aliquo quod excogitatur & fingitur ab intellectu, cùm reuera non sit: vt cùm mente cogitamus Chimeram siue Hircoceruum, tanquam animal compactum ex natura hirci & cerui: cùm cogitamus in pariete viso tanquam relationẽ & respectum ad oculum videntem, cùm reuera non sit talis relatio: cogitamus cæcitatem in oculo quasi formam quandam positiuam. *Ens ratio nis explicatur.*

Ens rationis primo modo dictum, fit distributiuè per omnes tres operationes intellectus. Aliquod fit per primam, vt esse apprehensum. Aliquod per secundã, vt esse prædicatum & subiectum. Aliquod *Per quem actum cognitio nis fiat.*

per tertiam, vt esse antecedens & consequens. Ens rationis secundo modo dictum, omnino debet esse in prima operatione: sed potest consequenter esse in alijs duabus. Circa idem enim obiectum possunt exerceri omnes tres operationes: ita tamen quod non possit exerceri secūda aut tertia sine prima. Et similiter non potest dari denominatio prædicati, & subiecti, antecedentis & consequentis in aliquo obiecto, quin antecedat denominatio apprehensi: sed hæ sunt distinctæ denominationes, prouenientes ex ipsis distinctis actibus intellectus.

Rursus coniungendo vtrunque modum entis rationis, fieri potest, vt intellectus per reflexionem cogitando obiectum esse à se apprehensum, &c. concipiat has denominationes tanquā relationes quasdam in ipso obiecto, quæ tamen reuera non sunt quicquā formaliter in ipso obiecto: & sic fingat relationem apprehensi, relationem prædicati, & sic de alijs huiusmodi denominationibus. Hoc ens rationis proprijssimè dicitur secunda intētio; quia primo loco intellectus exercet suos actus circa obiectum in se, secundo loco per reflexionem recogitat de illis denominationibus conuenientibus obiecto ratione primorum actuum; & ideò appellatur secunda intentio. Et hinc vlterius quandocunque intellectus præsupposita prima aliqua cognitione, seu apprehensione, postea per aliam repetitam cognitionem, seu apprehensionem, cogitat & effingit aliquam formam rationis, quæ scilicet in re non est; tale ens rationis appellatur secunda intentio, appellatur etiam ens rationis logicum.

Quomodo cognitionis directioni inseruiat. Hoc ens rationis specialiter est, quod aliquo modo inseruit Logicæ ad directionem nostræ cognitionis. Et præcipuè inseruit; quia cūm Logica in tradenda sua doctrina opus habeat sæpè nominare illa circa quæ versantur actus nostræ cognitionis, vtitur talibus nominibus secundarum intentionum. Appellat prædicatum subiectum, antecedens consequens, item genus speciem, abstractum concretum, & alia quæ passim occurrent.

CAPVT SEXTVM.

De Vocibus, quæ mentis conceptus exprimunt, & Cognitionis directioni inseruiunt.

NOtum est, cognitioni nostræ internæ proximè correspondere sermonem vocalem, quo mentis nostræ conceptus manifestamus. Itaque voces maximè pertinent ad nostram cognitionem, & ad eius directionem in Logica conferunt.

Vox definitur. Vox in communi definitur: Sonus animalis ore prolatus per naturalia instrumenta. Sonus enim competit omnibus corporibus, vt patet. At non omnis sonus est vox; sed solùm qui ab animali efficitur, & qui ore profertur, per naturalia quædam instrumenta formatus. Competit autem non solùm homini, sed etiā brutis. Sermo tamen est proprius homini.

Vox significatiua, et non significatiua. Deinde vox duplex est: alia est significatiua, alia nō significatiua. Voces non significatiuæ sunt, quæ non indicant certam aliquam rem, vt Blitiri, & aliæ quæ humano arbitrio à quouis fingi possunt. Voces significatiuæ sunt, quæ rem aliquam indicant & demonstrant, aptęq. sunt rem aliquam notificare audienti. Signum enim est, quod non solùm secundùm se perspicitur, sed denotat aliquid aliud; & ita significare est denotare & notificare aliquid præter ipsum signum. Huiusmodi voces significatiuæ sunt illæ quibus animi nostri conceptus exprimimus.

Vox significatiua naturaliter & ad placitū. Et rursus vox significatiua, duplex est: alia significatiua naturaliter: alia significatiua ad placitum. Naturaliter significant quædam voces, quæ non certa aliqua impositione hominum, sed naturali instinctu aliquid demonstrant: sic gemitus naturaliter significat dolorem, risus, lætitiam. Ad placitum significant voces articulatæ, quibus in humanis colloquijs vtimur: vt Homo, Angelus; Curro, Lego; & aliæ innumeræ. Dicuntur significare ad placitum: quia non ex natura rei determinatæ & institutæ erant tales voces ad tales res; sed libera hominum impositione & institutione factum est, vt

talis

talis res tali voce significaretur, vt talis vox talem rem significaret. Vnde apud diuersas nationes extant adeò diuersæ voces ad easdem res significandas: & è conuerso sæpè eædem voces apud diuersas nationes diuersas res significant.

Præterea sicut distincti sunt tres actus intellectiuæ cognitionis: ita etiam extant voces proportionatæ, quæ ijsdem actibus correspondent: & aliæ exprimunt simplices conceptus primæ operationis: aliæ determinata iudicia secundæ: aliæ illationes tertiæ operationis: & hæ omnes voces dicuntur substitui loco conceptuum.

Voces scriptæ. Insuper voces omnes non solùm ore proferuntur, sed etiam litteris conscribuntur. Vnde extat non solùm sermo vocalis, qui profertur & transit, sed etiã scriptura quæ permanet. Et ita scriptura apta est significare non solùm præsentibus, sed etiam absentibus; & non solùm eo tempore quo fit, sed etiam toto tempore sequenti. Et pari modo litteræ, quæ scribuntur, sunt ad placitum institutæ: ideòquè etiam apud diuersas nationes, variæ sunt characterùm figuræ, quibus res scripto consignantur.

Voces deseruiunt ad cognitionem dirigendã. Postremò voces omnes valde deseruiunt ad directionem nostræ cognitionis: non solùm quia per voces traditur, & communicatur doctrina logica de directione: quod commune est omnibus alijs scientijs & humanis colloquijs. Sed specialiter, quia cùm voces exprimant mentis conceptus, & quodammodo gerant vicem actuum interiorum intellectus; suntquè nobis exteriùs notæ, atque sensibiles: pleraque quæ Logica docere intendit de ipsis conceptibus & mentis actibus, proximè & immediatè docet de ipsis vocibus; vt in progressu constabit. quod non modicam facilitatem, & commoditatem affert in dirigenda nostra cognitione.



CAPVT SEPTIMVM.
De Rebus omnibus intellectui proponendis ad dirigendam cognitionem.

Res omnes vtiliter per Logicam intellectui proponuntur. QVoniam cognitio omnis versatur circa res quæ cognoscuntur: commodum valde est & vtile ad directionem nostræ cognitionis, hìc in Logica breuiter intellectui proponere & sub certis capitibus distinguere res omnes cognoscibiles: hinc enim maximè iuuabitur intellectus, ad rectè procedendum in sua cognitione circa ipsas res. Item quoniam Logica instituta est tanquam introductio ad alias scientias: valde etiam confert ad maiorem ipsarum scientiarum facilitatem, præuiam quandam rerum notitiam prælibare, de quibus postea exactè & exquisitè est in alijs scientijs pertractandum.

Hæc autem distincta enarratio rerum per se iuuat ad dirigendam omnem intellectus cognitionem, omnesquè tres operationes: & ideò in hoc primo tractatu collocandam censemus. Iuuat ad apprehendendum: vt nempè distinctè & explicitè varias res secundùm proprias rationes concipere valeamus. Iuuat ad iudicandum: vt rectè & verè vnum de alio prædicare sciamus: & vt verum à falso discernere edíscamus. Iuuat ad discurrendum: vt probè vnum ex alio inferre dignoscamus. Quod totum satis est ipsa experientia exploratum.

Atquè duplex in Logica tractatus extat ad res omnes intellectui proponendas. Primus est, quo ad communia quædam capita res omnes reducuntur. Secundus est, quo per speciales quasdam classes res omnes distribuuntur. Primus est, qui dicitur Tractatus Vniuersalium, seu Prædicabilium. Secundus est, qui dicitur Tractatus Prædicamentorum.

CAPVT OCTAVVM.
De Vniuersali & Singulari.

Res omnes sunt RES omnes aut vniuersales sunt, aut singulares. Vniuersale est, quod est

Vniuersales & singulares. est commune multis, prædicatur de multis: vt homo dicitur de Petro, & Paulo, alijsquè singulis hominibus: substantia dicitur de Angelis & de corporibus. Singulare est quod non communicatur pluribus non diuiditur in plura: vt hic homo Petrus, hic equus, hic lapis, & sic de alijs. Vniuersalia non sunt reipsa à singularibus discreta & separata: sed sunt in ipsis singularibus inclusa. Per considerationem tamen intellectus à singularibus abstrahuntur. Quicquid ergo est, est realiter singulare: attamen in ipsis singularibus consideratur natura vniuersalis. Et ita vniuersale dicitur fieri ab intellectu. Fit autem sic. Cùm pleraque inueniantur inter se conuenientia & consimilia, v. g. Petrus Paulus & alii quique homines sunt consimiles inter se. Hinc intellectus concipit absolutè id in quo tales vel tales res assimilantur, concipit naturam humanam, quæ denotatur hoc nomine homo: in quo conceptu non determinat hunc vel illum hominem: & hic conceptus est æquè communis omnibus & singulis hominibus: concipitur posse determinari & contrahi ad singulos quosque homines, dicendo hic homo, ille homo, &c. concipitur posse verè prædicari & affirmari de Petro Paulo & alijs omnibus. Huiusmodi ergo conceptus hominis sic sumptus, est vniuersalis, est prædicabilis de pluribus, nempè de omnibus singularibus hominibus. Hoc ergo modo dantur vniuersalia & singularia: non quasi separata sint aut discreta: sed quia omnes res sunt singulares, sed per considerationem intellectus possunt sumi in vniuersali.

Vniuersale explicatur. Itaque vniuersale dicit naturam, dicit vnitatem, & dicit aptitudinem essendi in multis. Natura est realis, & per se supponitur, nec fit ab intellectu. Vnitas non supponitur in ipsis rebus quæ potius distinctæ & diuisæ sunt; sed fit ab intellectu abstrahente naturam eamquè concipiente sine differentijs, seu conditionibus eam determinantibus ad hoc & illud singulare. Aptitudo potest sumi realiter, quatenus valet dicere, realiter posse esse quodlibet singulare cum sua natura: fit autem per rationem, dum cogitatur aptitudo, quasi superueniens naturæ vni, tanquam potentia quædam & capacitas qua ipsa natura possit diuidi in plura.

Singulare explicatur. Singulare autem & indiuiduum dicit suam naturam, & dicit differentiam propriam, qua intelligitur constitui hæc natura, ipsumquè indiuiduum cum sua determinata natura intelligitur distingui ab omnibus alijs indiuiduis, fieriquè incōmunicabile pluribus. Vnde in omni singulari est hæc differentia propria agnoscenda, quæ solet hæcceitas appellari. Non tamen putari debet distingui ab ipsa natura indiuidui, nisi per hoc quòd dicit explicitè & determinatè conceptū talis naturæ.

Vniuersalia sunt quinque. Cæterùm plura vniuersalia & prædicabilia cum Porphyr. in sua Isagoge distinguuntur: quæ omnia ex Aristotele etiam sumpta sunt: nempè hæc quinque, Genus, Species, Differentia, Proprium, & Accidens: & singula modò distinctè & breuiter explicanda sunt: in qua explicatione summariè & dilucidè doctrinam ipsam Porphyrij colligemus.

CAPVT NONVM.

De Genere.

Generis nomē tripliciter accipitur. Generis nomen tripliciter accipitur, quæ dici solet triplex acceptio generis, & sumitur ex Aristot. 5. Metaph. cap. 28. Primò dicitur genus collectio multorum aliquo modo se habentium ad vnum: quia nempè trahant originem ab illo, & ad se inuicem aliquo modo se habeant. Iuxta hanc acceptionem dicitur Romanorum genus, ex habitudine vnius, scilicet Romuli, & ex habitudine ipsius multitudinis Romanorum inter se per cognationem, quam ab illo vno trahunt. Vnde etiam hoc genus, idest hæc Romanorum collectio, differt ab alijs generibus, quæ nō habent talem habitudinem ad Romulum & in se per descendentiam ab illo. Non est autem necesse vt tota collectio descendat ab illo vno per generationem: non enim omnes Romani geniti fuerunt à Romulo, sicut omnes homines ab Adamo, & oēs Israelitæ à Iac. Sed sufficit aliqua alia depēdentia: quo pacto omnes Romani cœperunt à Romulo tanquam eorum capite,

qui

qui & ciuitatem extruxit & populum congregauit.

Secundò dicitur genus, quod est generationis principium. Et sumitur vel ab eo, qui quempiam genuit, vel à loco, in quo quis genitus est. Sic dicimus Orestem habere genus à Tantalo progenitore, & Platonem esse Atheniensem genere. Et priùs quidem videtur appellatum fuisse genus, ipsum principium, deinde etiam collectio ac multitudo ab illo ducens originem.

Tertiò dicitur genus, quod continet sub se species. Quod fortasse appellatum est genus propter similitudinem cum genere in alijs duabus acceptionibus. Nam hoc genus est quodammodo principium specierum, & continet in se earum collectionem. Addi præterea solet alia quarta acceptio, ex Aristotele eodem illo loco, qua genus dicatur materia, ex qua fit aliquid, & dicitur genus physicum. Sic statua fit ex ære vel lapide: & hoc sensu dicuntur ab Aristotele corpora cœlestia differre genere à rebus inferioribus, differre scilicet materia.

Genus est quod prædicatur inquid de speciebus. In præsenti ergo tractatu sumitur genus in tertia acceptione; & hoc modo passim sumitur apud Philosophos. Et sic describitur. Genus est quod de pluribus & differentibus specie prædicatur in quid. sic animal v. g. prædicatur de homine, leone, equo, & alijs speciebus. Dum dicitur genus prædicari de pluribus, differt ab indiuiduo, quod dicitur de vno solo, & conuenit cum alijs vniuersalibus & prædicabilibus. Dum dicitur de pluribus speciebus, differt à specie, quæ dicitur tantùm de pluribus indiuiduis. Differt etiam à proprio, quod quantùm est de se prædicari potest de vna tantùm specie & indiuiduis eius. Dum dicitur prędicari in quid, differt à differentia, & ab accidenti, ac etiam à proprio; quę omnia prędicantur in quale. Si enim quæratur quid est homo; respondemus est animal: si aut qualis est, vel quale animal est homo; respondemus est rationalis, est animal rationale, est albus, est risibilis. Itaque prædicari in quid, est prædicari per modum nominis substantiui: in quale, est prædicari per modum nominis adiectiui.

CAPVT DECIMVM.

De Specie.

Speciei nomen dupliciter accipitur. Speciei nomen dupliciter præcipuè sumitur. Primò pro forma seu pulchritudine corporis; quo sensu dicitur species alicuius digna imperio; & in Psalm. dictum est, *Specie tua & pulchritudine tua*. Secundò propriè sumitur, quæ est sub genere, & quæ dicitur de indiuiduis. In hoc sensu Philosophi sumunt speciem, & modò de illa tractamus. Duplicem autem respectum habet species, vnum ad genus cui subijcitur; alium ad indiuidua, de quibus prædicatur. Primo modo dicitur species subijcibilis. Secundo modo dicitur species prędicabilis.

Species subijcitur generi. Species quatenus subijcibilis describitur, quę ponitur sub genere, & de qua genus prędicatur in quid. Quæ descriptio manifesta manet ex dictis de genere. Debet autem intelligi, species est quę ponitur sub genere proximè & immediatè: quia alioqui etiam indiuidua ponuntur sub genere, & de indiuiduis quoque genus prędicatur, Petrus est animal, est substantia; sed indiuidua subijciuntur generi mediante specie, quę mediat inter genus & indiuidua; species autem immediatè & proximè subijcitur.

Prædicatur de indiuiduis. Species quatenus prędicabilis definitur, quę de pluribus & differentibus numero prędicatur in quid. Dum dicitur prędicari de pluribus in quid, conuenit cum genere, differt ab alijs tribus prędicabilibus. Dum dicitur prędicari de differentibus numero, differt à genere; nam quę differunt numero sunt indiuidua: species ergo prędicatur de indiuiduis, genus de speciebus. Et intelligi etiam debet, speciem prędicari proximè & immediatè de indiuiduis: imò prędicari adęquatè de solis indiuiduis; alioqui etiam genus prędicatur in quid de indiuiduis, sed non adęquatè & proximè.

Species infima & subalterna. Deinde species duplex est: alia dicitur infima & specialissima; alia dicitur subalterna. Sic etiam genus duplex est: aliud dicitur supremum & generalissimum; aliud dicitur subalternum. Nam

datur

datur series & ordo prędicatorum essentialium, quorum vnum in recta linea sub alio collocatur. Inter hæc vnum debet esse primum & supremum: aliud debet esse vltimum & infimum: alia sunt intermedia. Illud quod est supremum, dicitur genus generalissimum. Illud prædicatum quod est infimum, dicitur species specialissima. Alia quæ sunt intermedia dicuntur genera subalterna, species subalternæ. Genus generalissimum est tantùm genus, & non est species, quia non habet supra se aliud genus, cui tanquam species subijcibilis subdatur. Species specialissima est tantùm species, & non est genus, quia non habet sub se alias species, de quibus per modum generis prædicetur: & tàm respectu suorum indiuiduorum, quàm respectu generis superioris dicitur species; respectu indiuiduorum species prædicabilis, respectu generis superioris species subiicibilis. At prædicata intermedia ita se habent, quòd eorum quodlibet simul est species & genus: est species respectu alterius generis superioris, est genus respectu aliarum specierum inferiorum. Itaque non est species prædicabilis, sed tantum subijcibilis; & quatenus est quid prædicabile est genus, non est species. Igitur sola species infima & specialissima, est simul species subiicibilis & prædicabilis; & secundùm vtrunque respectum appellatur species. Exemplum sit in Prædicamento substantiæ. Substantia est genus generalissimum; homo est species specialissima; corpus, viuens, animal, sunt prædicata intermedia & subalterna, quæ vno respectu dicuntur genera, alio species.

CAPVT VNDECIMVM.

De Differentia.

Differentia, communis, propria, et propriissima.

Differentia absolutè loquendo est id quo vnum differt ab alio. Vnde triplex est differentia, Communis, Propria, & Propriissima. Differentia communis est, qua vnum per accidens aliquod separabile differt ab alio; aut etiam a se ipso: sicut differt Socrates sedens à Platone stante, aut etiam à se i pso stante. Differentia propria est accidens inseparabile quo differt vnum ab alio: vt cæcitas, seu cæsitas oculorum, & nasi curuitas, & cicatrix ex vulnere relicta. Differentia propriissima est, qua vnum ab alio essentialiter & specificè differt: vt homo differt à bruto per rationale. Omnis ergo differentia facit diuersum; sed communis & propria facit alterum, aut alteratum, hoc est diuersum accidentaliter; propriissima facit aliud, hoc est diuersum essentialiter. Alio modo diuidi potest differentia ab initio, in separabilē & inseparabilem. Separabilis est differentia communis. Inseparabilis rursus duplex est: vel accidentalis, & hæc est propria; vel essentialis, & hæc est propriissima. Aut potius prius diuidatur differentia in accidentalem & essentialem: accidentalis vel est communis, vel propria; essentialis est propriissima. Sola autem differentia essentialis & propriissima est, quæ hoc loco intelligitur, quæ sub nomine differentię inter prædicabilia computatur, quæ generi & speciei coniungitur, & de qua nunc loquimur.

Differentia diuidunt genus, & constituunt species.

Duplicem autem respectum habet differentia; vnum ad genus; alium ad speciem. Per respectum ad genus dicitur diuisiua, per respectum ad speciem dicitur constitutiua. Nam genus per differentias diuiditur in species, & species per differentias constituuntur sub genere. Sic animal per rationale & irrationale diuiditur in hominem & brutum; homo constituitur per rationale, brutum per irrationale. Non potest autem eadem differentia esse diuisiua & constitutiua respectu eiusdem. Sed benè potest eadem natura habere quasdam differentias diuisiuas, & quandam constitutiuam: Sic animal pro differentia constitutiua sensitiuum, pro differentiis diuisiuis habet rationale & irrationale. Et quidem omnia genera subalterna, & species intermediæ, habent differentias diuisiuas, per quas diuiduntur in alias species inferiores, & constitutiuas per quas constituuntur sub genere superiori. Genus autem generalissimum habet solùm differentias diuisiuas, non autem constitutiuam sub genere superiori. Et è conuerso species specialissima habet differētiam constitutiuā sub suo genere, nō habet diuisiuas, per quas in alias inferiores species diuidatur.

Qua-

Differentia est quam species addit generi. Quatuor modis Porphyr. differentiam definiuit secundùm varias considerationes. Prima definitio est: differentia est qua species abundant à genere, idest quā species addunt supra genus. Nā vnaquæq. species constat ex genere & differentia, v. g. homo ex animali & rationali. Hoc ergo modo definitur differentia quatenus constitutiua speciei. Secūda definitio est: *Prædicatur in quale de speciebus.* Differentia est quæ de pluribus & differentibus specie prędicatur in quale quid, idest prædicatur per modū nominis adiectiui, vt iam antea explicauimus. Debet autem hic intelligi prædicatur essentialiter, ad discrimen proprij & accidentis. Et ita differentia distinguitur ab omnibus alijs prædicabilibus. Itaq. hoc modo differentia definitur quatenus vniuersale quoddam & prædicabile est, per comparationem ad inferiora, de quibus dicitur, quę sunt eadem ipsa inferiora generis seu speciei quam constituit. Debetq. hoc modo distingui duplex differentia: vna generica, quæ constituit naturam genericam, alia specifica quæ cōstituit naturā specificam infimam. Illa prædicatur de pluribus speciebus; vt sensitiuum constituit animal; & dicitur de omnibus speciebus animalis. Alia dicitur de solis indiuiduis: vt rationale constituit hominem, & dicitur de singulis hominibus. Definitio Porphyr. spectat ad solam differentiam genericam. Adæquatè ergo differentia essentialis in tota sua latitudine debet definiri: est quæ prędicatur de pluribus essentialiter in quale.

Diuidit quæ sub eodem genere sunt. Tertia definitio est: Differentia est id quod aptum est diuidere ea quæ sub eodem genere sunt. Sic rationale & irrationale diuidunt hominē & brutum, quæ sunt species contentæ sub eodem genere animalis. Clariùs potest sic differentia definiri quatenus diuisiua generis: est id quod diuidit genus in species. Quarta *Est qua differunt à se singula.* demum definitio est: Differentia est qua differunt à se singula. Sic explicatur propriè differentia secundùm nomen ipsum, & officium differentiæ. Sed quia hoc cōpetit omni differentiæ etiam communi & propriæ: addit Porph. differentiam esse quæ pertinet ad esse rei, & est pars essentialis eius. Clariùs & magis accommodatè dici potest: differentia est qua essentialiter differunt à se singula.

CAPUT XII.

De Proprio & Accidente.

Proprij nomen duobus præcipuè modis sumitur. Primò, vt opponitur improprio; sicut homo pictus dicitur impropriè & metaphoricè homo, & prata dicuntur ridere: homo autem viuus dicitur propriè & verè homo, propriè ridere. Secūndò sumitur, vt opponitur communi: sic proprium dicitur, quod propriè & determinatè alicui conuenit. Et hoc rursus sumitur dupliciter, ex Aristotele primo Topicorum cap. 3. Vel pro essentia propria rei, vel pro accidente aliquo proprio rei. In hoc vltimo sensu nunc sumitur proprium, ac si dicatur accidens proprium. *Proprij nomen dupliciter dicitur.*

Proprium sic sumptū diuiditur à Porphyrio in quatuor membra; & diuisio sumpta est ex Aristot. 5. Topic. capite 1. Primum proprium est, quod conuenit soli alicui speciei, sed non omnibus contentis sub tali specie; vt homini esse musicum aut grammaticum. Secundum est, quod conuenit omnibus cōtentis sub specie, sed non ipsi soli speciei: vt homini habere pedes. Tertium est, quod conuenit omni & soli, sed non semper; vt homini canescere in senectute. Quamuis autem hoc non videatur soli homini conuenire; aliqua enim bruta canescunt, vt de equis narrat Aristot. lib. 5. de Generat. Animal. cap. 5. Tamen dici solet non oportere in exemplis reperiri omnimodam veritatem; & sufficit, quòd canities maximè conuenit homini, & manifestiùs quàm cæteris animalibus, vt ibidem docet Aristot. qui etiam sect. 10. Problem. 52. Supponit, inter omnia animantia hominem canescere. Sed afferri potest exēplum actualiter discurrēdi quod soli homini conuenit, cum ad vsum peruenit rationis. Quartū deniq. proprium est, quod conuenit omni soli & semper; sicut risibilitas homini; etsi enim homo nō semper actu rideat; semper tñ habet aptitudinem ad ridendū, quę est risibilitas. Et hoc proprium dicitur maximè propriū quod & cōuertitur cū re, cuius est propriū: omnis hō est risibilis, & omne risibile est homo. *Proprium quatuor modis sumitur.*

Acci-

Accidens dupliciter sumitur. Accidens quoque dupliciter sumi potest, ex Diuo Thoma quæstione vnica de Spiritual. creatur. artic. 11. in fine corp. Primò, prout distinguitur contra substantiam: & hoc dicitur accidens prædicamentale, sub quo continentur nouem prædicamenta accidentium. Secundò, prout dicit quicquid est extra essentiam rei: ita vt etiã si vna substantia adsit alteri extra essentiam eius, dicatur eius accidens. Hoc accidens rursus vel sumitur in tota sua latitudine: & sic complectitur etiam proprium. Vel sumitur distinguendo accidens proprium & commune, & per accidens absolutè dictum intelligendo accidens commune distinctum à proprio. Et hoc modo nunc sumitur, dum distinctè nominantur proprium & accidens, ac si dicantur accidens proprium & commune.

Accidens definitur. Accidens sic sumptum definitur à Porphyrio quod adest & abest præter subiecti corruptionem, idest aduenit subiecto, ab eoq. recedit, seu remouetur, incorrupto permanente ipso subiecto. Adhuc autẽ distinguitur duplex accidẽs: separabile vt sedere, & similia: & inseparabile, vt nigrum coruo, & album cygno. Quãuis autem huiusmodi accidens non separetur realiter à subiecto: tamen saltem cogitatione seiungitur, quia possumus intelligere coruum cum albedine sine præiudicio essentiæ corui. Et hoc sufficit ad saluandam definitionem traditam.

Rursus definitur accidens, quod potest inesse & non inesse eidem: quæ definitio est Arist. 1. Top. cap. 4, & ferè cum præcedenti coincidit. Postremò definitur etiam accidens per negationem, quod neque est genus, neque differentia, neque species, neque proprium, sed semper existit in subiecto.

CAPVT XIII.

De Prædicamentis in communi.

Prædicamentum est rerum series. Prædicamentum est series quædam & coordinatio rerum sub certo genere, descendendo per varia genera & species. Itaque prædicamentum in summo & supremo loco dicit genus quoddã, quod propterea appellatur generalissimum. Deinde hoc genus diuiditur in alia proxima inferiora genera: & hæc rursus in alia genera sibi subdita, vsque ad species specialissimas, quibus tandem indiuidua continentur. Et ita contexitur recta linea & series prædicamenti per genera & species: & veluti à latere cogitantur differentiæ, quæ diuidunt genera & constituunt species: Adiunguntur etiam accidentia, & præsertim propria. Solæ autem res creatæ in prædicamentis disponuntur: & solæ res completæ directè in illis collocantur; partes autem etiam reductiuè trahuntur per inclusionem in toto.

Prædicamẽta decem sunt. Et in vniuersum decem prædicamenta distinguuntur, Substantia, Quantitas, Relatio, Qualitas, Actio, Passio, Vbi, Situs, Quando, Habere. Quæ omnia breuiter explicanda sunt, colligendo præsertim & adducendo ea quæ Arist. de iis singulis docet.

CAPVT XIV.

De Prædicamento Substantiæ.

Substãtia ratio. Substantia est, quæ per se existit, & non in alio tanquam in subiecto. Est quæ substat accidentibus tanquam subiectum eorum. Duplex est substantia: *Substãtia prima & secunda.* Prima & Secunda. Prima substantia est, quæ nec in subiecto est, nec de subiecto dicitur, idest non prædicatur de aliquo tanquam superius de inferiori: est ergo substantia singularis; vt hic homo, hic equus. Secunda substantia est, quæ non inest subiecto, sed de subiecto dicitur tanquam superius de inferiori, hæc est substantia vniuersalis, genus aut species; vt homo, animal. Itaque omnia alia quæ sunt, pertinent ad primas substantias. Nam accidentia sunt in illis tanquam in subiecto: & secundæ substantiæ dicuntur de illis. Vnde ablatis primis substantiis, sequeretur omnia alia auferri & aboleri. Et cùm prima substantia omnibus substet, omnia substineat, maximè omnium substantia dicitur. Inter secundas verò substantias magis dicetur substantia, species, quàm genus, quia propinquiùs accedit

dit ad primam substantiam.

Prima substãtiæ affectio. Deinde assignat Aristoteles in suo Prædicamento sex affectiones & proprietates substantiæ. Prima est, non esse in subiecto. Quæ communis est etiam secundæ substantiæ: nam hæc ita dicitur de subiecto, quod non insit illi ad instar accidentis; sed essentialiter prædicatur de prima substantia. Vnde communis est etiam differentiis substantiarum, quæ verè in se substantiales sunt, tamen non erant ex substantiis antea assignatis: ac etiam non sunt in subiecto accidentaliter, sed dicuntur essentialiter de substantiis quas constituunt. Similiter se habent aliæ partes substantiales, quæ sunt quidem in toto, non tamen vt in subiecto, sed tanquam constitutiuæ totius.

Secunda. Secunda proprietas est, quæ determinatè conuenit secundæ substantiæ, vniuocè prædicari secundum idem nomen & eandem rationem de primis substanciis. Quod competit etiam differentiis substãtialibus, vt patet.

Tertia. Tertia proprietas est, quæ peculiariter conuenit primæ substantiæ, significare hoc aliquid: ad cuius differentiam, ait Aristot. secundam substantiam significare quale quid. Vbi hæc non sumuntur in eodem sensu, quo antea dicebatur quædã vniuersalia prædicari in quid, quædam in quale. Sed significare hoc aliquid, est significare hoc determinatum & singulare per se existens: significare quale quid, est significare naturam indifferẽtem & communem pluribus.

Quarta. Quarta affectio omnis substantiæ est, non habere contrarium. Neque enim vna substantia est contraria alteri, neque accidens est contrarium substantiæ. Hoc tamen non est proprium substantiæ, sed commune est etiam quantitati.

Quinta. Quinta affectio substantiæ est, non suscipere magis & minus. Sic Petrus non est magis homo quàm Paulus: neque idem Petrus modò est magis, modò minus homo; sicut potest esse magis aut minus albus. Vnde hoc non destruit quod antea dicebatur, primam esse magis substantiam, quàm secundam.

Sexta. Sexta propriissima affectio substantiæ est, posse suscipere contraria, non quidẽ simul, sed successiuè: eadem enim aqua modò est frigida modò calida: & sic de alijs. Et hæc proprietas non conuenit aliis rebus à substantia. Licèt enim eadem opinio vel propositio affirmans, v.g. Petrum sedere, videatur posse mutari de vera in falsam: tamen id non fit per mutationem ipsius opinionis in se, recipiendo contraria, sed per mutationem ipsius rei & obiecti.

CAPVT XV.

De Prædicamento Quantitatis.

Quãtitas continua, & discreta, permanens, & successiua. Quantitas alia est continua, alia discreta. Continua est, cuius partes sunt inter se coniunctæ & copulatæ. Discreta est, cuius partes sunt diuisæ & solutæ. Rursus vtraque quantitas duplex est. Alia est permanens, cuius partes simul coexistunt. Alia successiua, cuius partes succedunt vna post aliam. Quantitas continua permanens, alia est linea, idest longitudo sola: alia superficies, idest longitudo cum latitudine: alia corpus, idest longitudo & latitudo cum profunditate. Addit etiam Aristot. locum. Quantitas continua successiua est tempus. Addit etiam Arist. motum. Quantitas discreta permanẽs est numerus. Successiua ab Aristotele assignatur vocalis oratio, quæ constat syllabis pro suis partibus.

Quantitatis tres affectiones. Deinde tres proprietates & affectiones quantitatis Arist. assignat. Prima est non habere contrarium. Licèt enim magnum & paruum, multum & paucum videantur contraria; tamen hæc potius sunt relatiua, quia dicuntur per comparationem vnius ad alterum. Secunda est, non suscipere magis & minus. Vna enim linea non dicitur magis linea quàm alia, nec vnus numerus quàm alius, nec vnum tempus quàm aliud. Dicetur tamen vna quantitas maior quàm alia; & ita dicetur suscipere maius & minus; quod spectat ad sequentem proprietatem. Tertia proprietas quantitatis est, æquale & inæquale dici. Nam vna quantitas dicitur æqualis aut inæqualis alteri. Et hoc videtur proprium soli quantitati, quia in aliis rebus dicitur potius simile & dissimile.

CAPVT XVI.

De Prædicamento Relationis.

Relationis ratio. Relatio est secundùm quam vnum dicitur seu refertur ad aliud: & illa quæ sic dicuntur seu referuntur, dicuntur relata, dicuntur ad aliquid. Quæ dupliciter explicat Aristot. Vno modo in principio capitis, de mente Veterum. Ad aliquid dicuntur, quæ hæc ipsa quæ sunt dicuntur esse aliorum, vel quomodolibet ad alterum: hoc est quæ explicantur per ordinem & respectum ad aliud. Ait autem quomodolibet, idest per quemcunque nominis casum: siue dicendo duplum est dimidij duplum: siue simile est alicui simile: siue maius est minore maius. Alio modo explicat circa finem capitis, magis ex propria sententia: Ad aliquid sunt, quorum totum esse est ad aliud se habere. Et differt hæc explicatio à priori: quia prius dicebantur relatiua dici ad aliud: modò dicuntur esse ad aliud. Vnde factum est, vt apud alios distinguantur relatiua secundùm dici & secundum esse.

Relationis prima affectio. Iuxta priorem explicationem, quatuor relatiuorum affectiones & proprietates Arist. assignat. Prima est habere contrarium. Nam virtus & vitium, scientia & ignorantia, idest error, sunt contraria: & magis propriè similitudo & dissimilitudo, æqualitas & inæqualitas.

Secunda. Secunda est suscipere magis & minus. Nam vnũ dicitur magis aut minus simile, magis, aut minus æquale alteri. Hæ autem duæ affectiones non conueniunt omni relationi. Nam duplum non dicitur magis aut minus duplum: & pater v. g. aut filius non habet contrarium. Neque conueniunt soli relationi: imo maximè qualitates suscipiunt magis & minus, & fundant contrarietatem.

Tertia. Tertia proprietas solis & omnibus relatiuis conueniens, est dici ad conuertentiam: idest quod vnum dicatur mutuò per ordinem ad aliud. Vt si dicimus, dominus serui dominus; dicere etiam valeat, seruus domini seruus: scientia scibilis scientia, scibile scientiæ scibile. Itaque interdum conuertentia fit per eundem nominis casum, vt in primo exemplo: interdum per diuersum, vt in secundo. Oportet autem conuenienter assignare relatiua, ad hoc vt dicantur ad conuertentiam. Si enim quis diceret, seruus hominis seruus; non potest conuertere, homo serui homo. Vnde interdum ad hanc conuenientem assignationem oportebit noua nomina componere. V.g. ala est auis ala, temo est nauigij temo: sed vt fiat conuertentia oportet dicere; temo est rei temonatæ temo; res temonata est temone temonata.

Quarta. Quarta proprietas est, relatiua esse simul natura: illa autem dicuntur simul natura, quæ ita se habent, vt mutuò ablato vno auferatur & aliud. Sic si non extat pater, nec extat filius sub ratione filij: si non datur duplum, nec datur dimidium. Hoc tamen non est commune omnibus relatiuis. Nam ablato quidem scibili & sensibili, aufertur scientia & sensus: sed non è conuerso ablata scientia & sensu aufertur scibile & sensibile.

Quinta. Quinta proprietas, quam Arist. peculiariter attribuit relatiuis secundo modo explicatis, est, vt si determinatè & in particulari cognoscitur vnum, cognoscatur & aliud. Si quis cognoscit duplum, cognoscet etiam dimidium cuius est duplum. Hoc autem non est necessarium in aliis omnibus relatiuis: nam cognoscere quis potest & videre caput aut pedem, & ignorare cuius sit.

CAPVT XVII.

De Prædicamento Qualitatis.

Qualitatis ratio, & quatuor species. Qualitas est secundũ quam subiectũ dicitur quale. Habet quatuor species, quarum quælibet habet duas partes seu duo nomina. Prima species est habitus & dispositio. Habitus dicitur qui est difficile mobilis à subiecto, vt scientiæ & virtutes. Dispositio dicitur, quæ est facilè mobilis à subiecto, vt ægritudo & sanitas. Secunda species est potentia & impotentia. Potentia est virtus & facultas aliquid exercendi: impotentia verò est virtus debilis & imbecilla: vt durum habet potentiam non facilè secari, molle habet huius impotentiam, idest habet debilitatem resistendi. Tertia species est passi-

passibilis qualitas & passio. Passibilis qualitas est quæ dicit affectionem spectātem ad sensum, & permanet in subiecto, vt calor & frigus, dulcedo & amaritudo, albedo & nigredo. Passio autem est quæ facilè transit, vt rubor ortus ex verecundia, pallor ortus ex timore. Quarta species est figura & forma; vt rectum & curuum, triangulum & quadrangulum, & similia.

Tres affectiones. Deinde tres qualitatis affectiones & proprietates Aristot. assignat. Prima est, habere contrarium: vna enim qualitas est contraria alteri, vt calor & frigus, albedo & nigredo. Non tamē omnis qualitas habet contrarium: rubrum enim v. g. & pallidum non habet aliquid cōtrarium. Secunda est, suscipere magis & minus: datur enim magis album & minus albū, & sic in alijs. Sed nō sic in omnibus qualitatibus: non enim datur magis aut minus triangulum. Ac etiam hæ affectiones non sunt propriæ solius qualitatis. Tertia magis propria affectio qualitatis est similitudo & dissimilitudo: quia propriè secundùm qualitatem vnum dicitur simile aut dissimile alteri.

CAPVT XVIII.

De reliquis sex Prædicamentis.

DE his alijs Prædicamentis breuissimè loquitur Arist. Actio est secundùm quam aliquid dicitur agere, vt calefacere & frigefacere. *Actio.* Passio est secundū quam aliquid dicitur pati, vt calefieri & frigefieri. *Passio.* Habent contrarietatem: vt patet in ijsdem exemplis. Suscipiunt magis & minus: datur enim calefacere & calefieri magis & minus. Vbi deinde denotat, vbi res sit, vt in domo in foro. *Vbi.* Situs quomodo res sit in loco, vt iacere, sedere. *Situs.* Quando denotat quando res sit, vt heri, superiori anno. *Quando.* Habere denotat quæ spectat ad corporis vestes & ornamenta, vt calceatum esse, armatum esse. *Habere.*

TRACTATVS SECVNDVS.

De Simplici Apprehensione eiusque Directione.

ACcedimus ad directionem singularum operationum nostri intellectus in speciali. Et omnino incipiendū est à simplici Apprehensione, quæ est prima operatio.

CAPVT PRIMVM.

Quid sit Simplex Apprehensio & quomodo directione indigeat.

Simplex apprehensio explicatur. SVfficienter iam, & quantùm præsenti instituto satis est, constare potest ex præcedenti Tractatu, quid sit simplex apprehensio, esse scilicet conceptum mentis internum, quo obiectum aliquod simpliciter intellectui repræsentatur, sine determinata affirmatione aut negatione. Potest autem intellectus hoc modo simpliciter apprehendere etiā integras propositiones, solùm nempe percipiendo earum sensum & significatum, non determinando an veræ aut falsæ sint. Ideoquè simplex apprehensio dicitur peculiariter versari circa quid est rei, nō circa an est, & iudicium dicitur versari circa an est; quia per simplicem apprehensionem tantùm concipimus quid significetur, quid dicatur; per iudicium autem determinamus an ita sit, vel non sit.

Consistit in conceptu non vltimato vocum et vltimato rerum. Deinde in simplici apprehensione distinguitur duplex conceptus. Vnus dicitur conceptus non vltimatus: alius conceptus vltimatus. Primus est conceptus vocis: secundus est conceptus rei significatæ per vocem. Audita enim aliqua voce, v.g. lapis; intellectui obijcitur & repræsentatur ipsum vocabulum; atque res signi-

significata per tale vocabulum. Si autem aliquis audiat vocem cuius significatum ignoret, tamen concipiet vocem, non autem rem aliquam significatam. Conceptus ergo ipsius vocis dicitur conceptus non vltimatus, quia nimirum non in illo sistit vltimò intellectus. Conceptus rei dicitur conceptus vltimatus, quia in illo sistit vltimò intellectus. Vnde quando sunt plures voces idem significantes, quæ dicuntur synonimæ; sunt diuersi conceptus non vltimati in mente, vnus vltimatus. Quando è conuerso est vna habens plures significationes, & diuersa significata, quæ dicuntur voces æquiuocæ; tunc est vnus conceptus non vltimatus, diuersi conceptus vltimati.

Hec. suā rectitudinē & defectus oppositos.

Simplex ergo apprehensio, præsertim in conceptibus vltimatis, debet esse perfecta, & habere suā rectitudinem: porrò à debita perfectione deficere. Hic est recta & perfecta, cū intellectus clarè & explicitè rē apprehendit: cū per se & distinctè concipit & apprehendit ea quæ in se distincta sunt: cū quęrēres verā alicuius rei essē iā inuenire, rē ipsa attingimus & assequimur ipsam propriā talis rei essentiā. Deficit autē intellectus à perfecta apprehensione rerū: dum obscurè & implicitè rem aliquā apprehendit, non per se cōsiderando oēs & singulas partes & gradus essentiales eius: item dum indistinctè & confusè concipit, vt vnū quid ea quæ distinguenda sunt; vt cū apprehendit v. g. pomū, non distinguendo substantiā & accidentia, & inter accidentia quantitatem colorē saporem & alia: deficit tandē, cū quærens inuenire alicuius rei essentiā, accipit aliquas rationes repugnātes ipsi rei aut inter se; vt cúm apprehendit Angelum tanquam corporeum & similia.

Indiget directione.

Indiget ergo simplex apprehēsio sua directione per Logicā, vt intellectus rectos & perfectos rerū conceptus efformet. Ferè tamen sufficienter dirigitur per cōes tractatus directiuos cognitionis. Cum enim hic sit primus et infimus cognitionis gradus: satis dirigitur per communem ipsam doctrinam directiuam cognitionis absolutè, per communia illa instrumenta definitionē & diuisionē, per distinctā enarrationē rerum quæ intellectui proponuntur. Sic enim intellectus perficitur, vt clarè res concipiat, & distinctè, singulas sū proprias & essentiales rationes. Adhuc autem pleraq. in hoc tractatu colligenda & explicanda sunt de simplicibus terminis, quæ etiā iuuant ad directionem ipsius apprehensionis: sed magis necessaria sunt, magisq. deseruiunt ad directionem vlterioris cognitionis in alijs duabus operationibus, nēpè ad construēdas enunciationes & syllogismos. Sed cōuenienter in hoc tractatu simplicis apprehensionis, quia reuera in illa immediatè consistunt, inserenda sunt.

CAPVT II.
De Simplicibus Terminis.

Meritò hic agitur de terminis.

PRimæ ac minimæ partes & veluti elementa, ex quibus omnis logica cōpositio cōstruitur, & quæ in primo intellectiuæ cognitionis ortu in simplici apprehensione exurgunt, appellantur termini. At verò Fons. lib. 1. suarū Instit. c. 18. reprehendit Dialecticorū consuetudinē, qui ab initio sub vocabulo termini nomina & verba pertractant. Commoda tamē & vtilis est atque seruanda, Dialecticorū consuetudo, vtentium ab initio vocabulo termini. Hoc enim est vocabulum cōe & accommodatum omnibus simplicibus partibus, ex quibus logicæ compositiones incipiunt. Et dicitur terminus quasi finis seu extremū quo compositio logica constituitur & terminatur. Itaq. quamuis Arist. 1. Prior. c. 1. Terminum appellauerit specialiter per ordinē ad propositionem & syllogismum: tamen magis amplè & adæquatè significatio & vsus terminorum ad omnem compositionem logicam extenditur. Et hac ratione meritò iam ab initio appellantur termini.

Terminus explicatur.

Terminus ergo ex Arist. definitur: extremū in quod resoluitur seu ex quo cōponitur propositio: vt hæc propositio, homo est animal, Petrus currit, cōponitur ex his extremis, homo & animal, Petrus & currit: & hæc extrema sunt termini. Componit autem terminus propositionē, vel per modum subiecti, vel per modum prædicati: Subiectum est homo, Petrus; Prædicatum est animal, currit. Magis aūt amplè & adæquatè terminus definiri poterit: extremum seu pars simplex, ex qua logica compositio constat. Extant verò plures

plures terminorum distinctiones quas ad vsum logicarum compositionũ necesse est probè callere & in mente reponere.

CAPVT III.

De Varietate Terminorum.

Terminus, mentalis, vocalis, & scriptus.

PRimò, diuiditur terminus in mentalem vocalem & scriptum. Terminus mentalis est, qui mente apprehenditur & concipitur. Vocalis est, qui voce profertur ad aliquid significandũ. Scriptus est, qui litteris & certis characteribus consignatur. Et quidẽ omnis logica compositio, omnisq. eius pars põt his tribus modis accipi & exerceri, mẽte, voce & scripto. Per se aũt & proximè ad cognitionẽ se habent termini mẽtales. Ad maiorẽ tamen facilitatẽ & commoditatem cõsuetum est loqui de terminis vocalibus.

Incomplexus & cõplexus.

Secundò, diuiditur terminus in incomplexum & cõplexum. Terminus cõplexus est in quo plures dictiones coniunguntur quarũ cuilibet peculiaris conceptus correspondet in mente, quæ etiã ab inuicem separatæ significant idẽ quod coniunctæ significabãt. Vt quidã terminus cõplexus est homo iustus: hæ enim duæ partes, homo & iustus, per se & sigillatim, quantũuis separatæ, habẽt semper eandẽ suam significationem, & denotant peculiares cõceptus in mente. Itaq. in sermone vocali terminus cõplexus est, cuius partes per se sumptæ & separatæ, significant idem quod coniunctæ significabant. Terminus aũt incõplexus est, cuius partes per se ac separatæ non significant: vt hic terminus homo. Insuper terminus incomplexus est, cuius partes separatæ non significant idem quod coniunctæ significabant, esto significent aliud quid: vt hic terminus Respublica: non enim correspondẽt peculiares cõceptus in mente partibus talis termini, dum cõiunctæ sunt, sed dum separantur, alij diuersi conceptus illis correspondent. Ex alia parte; quando vnum solum vocabulum æquivaleret pluribus vocabulis, diceretur adhuc terminus complexus: quia si resoluatur, eius partes per se ac separatæ significabunt: vt hic terminus nemo; qui idem significat quod nullus homo, quæ sunt duæ partes per se significantes. Cæterùm terminus complexus appellatur etiam oratio. Terminus incõplexus absolute appellatur terminus. Prius ergo nunc agimus de termino incomplexo; postea agemus de termino complexo, qui est oratio.

Categorematicus, & syncategorematicus.

Tertiò, diuiditur terminus incõplexus in categorematicum & syncategorematicum, quasi dicamus in significatiuum & consignificatiuum. Terminus categorematicus est is qui ita est de se significatiuus, vt absque vllo addito possit esse extremum, idest vel prædicatum vel subiectum propositionis: vt homo, animal. Terminus syncategorematicus est is, qui non hoc modo per se significat: sed tantũ adiunctus subiecto vel prædicato, illud modificat, & aliter atque aliter disponit. Talia sunt signa vniuersalia & particularia; quæ certo quodam modo modificant, extendunt aut contrahunt subiectũ vel prædicatum: omnis, nullus, solus, aliquis, & similes. Item prępositiones; præ, abs: coniunctiones; vt, si, vel, &c. Insuper aduerbia; doctè, sapienter, maximè. Quæ immeritò Tolet. lib. 1. c. 12. noluit appellare terminos syncategorematicos, addens quoddam tertium genus termini mixti. Nã reuera aduerbia non possunt per se sine addito esse prædicatum aut subiectum in propositione: ergo sunt termini syncategorematici. Demũ inter terminos syncategorematicos recẽsendi sunt casus obliqui nominis: vt Petri, Petro, &c. quia non subijciuntur nec prædicantur nisi cũ addito, Paulus est seruus Petri. Ac etiam si dicatur, hic liber est Petri: adhuc non per se significatur ipse Petrus, sicut si diceretur est Petrus. Sed potius per se significatur quidam respectus dominij quẽ Petrus habet. Vnde ea propositio sic resoluetur Petrus est dominus huius libri, hic liber possidetur à Petro, alioue simili mõ.

Nomẽ & verbum.

Quartò præterea terminus categorematicus diuiditur in nomen & verbũ: de quibus, quoniam latiorem explicationem exposcunt separatim agendum sequitur. Interdum tamen nomina sumuntur pro omnibus vocibus significatiuis: & similiter interdum verba ita amplè sumuntur. Sed quando verba & nomina distinguuntur, sumuntur pro certis quibusdam vocibus significatiuis: de quibus proinde distinctè agendum est.

CAPVT QVARTVM.

De Nomine.

Nomē definitur. NOmen definitur ab Aristotele lib. 1. de Interpret. cap. 2. Est vox significatiua ad placitum sine tempore, cuius nulla pars separata significat. Dicitur vox significatiua, ad differētiā vocis nō significatiuę. Dicitur ad placitū, ad differentiam vocis significatiuę naturaliter. Dicitur cuius nulla pars separata significat ad differētiā orationis & termini cōplexi. Dicitur sine tempore ad differentiam verbi. Vnde priores particulæ iam satis explicatæ manent ex dictis. Hæc alia particula de nouo nunc explicanda est.

Quomodo nomen significet sine tēpore. Animaduertendum ergo est, aliud esse significare tempus, aliud connotare tempus, aliud significare cum tempore. Non dicitur nomen non significare tempus: quinimo verè pleraque nomina significāt tempus: vt dies, hora, annus, & hæc ipsa vox tempus. Non dicitur nomen non connotare tempus: quinimo quædam nomina verè connotant tempus, idest significant quasdam actiones, quæ certo & determinato tempore fieri solent: vt prādium, cęna. Dicitur nomen non significare cum tempore: Quoniam illæ voces significant cum tempore, quæ significant aliquam actionem prout tempore determinato exercetur: & possunt per varias differentias temporis inflecti & declinari: huiusmodi sunt verba, ambulo, loquor, & alia. In hoc ergo sensu nomen dicitur non significare cum tempore, vt distinguatur à verbo. Nomina enim non hoc modo se habent, vt per varias flexiones & declinationes significent actionem, prout vna vel alia differentia temporis exercetur.

Nomen finitum & infinitū. Addi præterea solent ex eodem Aristotele duæ aliæ particulæ ad complendam definitionem nominis scilicet vt sit vox finita & recta. Finita quidem ad excludendas voces infinitas, quæ nihil determinatè significant. Hoc modo voces infinitæ dicuntur, quando præponitur particula negatiua alicui voci determinatæ: vt non homo, non lapis: hæ voces non significant aliquid determinatum. Ideò Aristoteles ait non esse nomina absolutè loquendo: sed posse appellari nomina infinita. Hinc plerique addunt, si præponatur negatio nominibus vniuersalissimis quæ dicuntur transcendentia, tales voces non fore infinitas, sed absolutè ex hac parte posse dici nomina, vt non ens: quia hæc vox non dicitur indeterminatè de omnibus; imo de nullo ente dicitur.

Nomen in recto & in obliquo. Additur etiam recta ad excludendos casus obliquos, qui non dicuntur nomina, sed casus nominis: ita vt per nomen intelligatur nomen in recto; vt homo, non autem hominis vel homini. Et ita docuit Aristoteles. Extenditur etiam hæc particula ad excludendas alias partes orationis, quæ sunt præpositiones, aduerbia, & similes: quoniam non sunt voces rectæ sicut nomina. Hoc autem totum potest saltem implicitè considerari in prima illa definitione nominis. Si cùm dicebatur nomen est vox significatiua, intelligatur per se significatiua, ad differentiam vocis consignificatiuæ, seu termini syncategorematici: & significatiua determinatè, ad differentiam vocis infinitæ.

Alio modo nomen definitur. Sub vocabulo autem termini & sub distinctionibus traditis de termino, sic pōrest nomen definiri ex dictis: est terminus incomplexus categorematicus determinatè significans sine tempore. Atque omnis hæc definitio nominis conuenit omnibus nominibus, non solùm substantiuis, vt Deus, homo: sed etiam adiectiuis, vt sapiens, albus; illis etiam quæ dicuntur adiectiua substantiuata, vt album dulce. Conuenit etiam in rigore illis quæ dicuntur pronomina, eo quod ponuntur loco nominum, siue pro nominibus proprijs & personalibus: vt ego, tu, ille. Insuper adiectiuis, quæ ab his pronominibus deriuantur: vt meus, tuus, & similia. Omnes enim definitionis particulæ his omnibus conueniunt: & hæc omnia possunt & solent per se poni in propositionibus tanquam termini categorematici, vel per modum subiecti, vel per modum prædicati; & non sunt vtique verba.

CAPVT QVINTVM.

De Verbo.

Verbum definitur. Verbum similiter definitur ab Aristotele 1. de Interpret. cap. 3. Vox significatiua ad placitum cum tempore, cuius nulla pars separatim significat, & semper eorum, quæ de alio prædicantur est nota. Hæc definitio quoad priores particulas iam sufficienter explicata manet ex dictis circa definitionẽ nominis. Vltima verò particula, & semper eorum quæ de alio prædicantur est nota, hunc habet sensum: vt scilicet verbum semper sit signum alicuius quod de alio prædicatur, siue vt ipsum verbum semper de aliquo prædicetur loco sui significati vt cũ dicimus, Petrus studet, ly studet per se prædicatur de Petro; significans actum studendi in Petro. Vnde excluduntur verba quæ non sunt indicatiui modi, quæ saltem non semper possunt prædicari: vt ama, lege; amare, legere.

Verbum præsens. Subiungit deinde Aristot. verbum significare cum tempore, non quocunque sed præsenti. Vnde excluduntur verba aliorum temporum: vt amaui, amabo, &c. quæ potius dicuntur casus verbi. Reddi potest ratio cur hæc alia tempora excludantur: quia si quis dicat Petrus studebat, intantum hæc propositio verificatur, inquantum aliquando verum fuit dicere Petrus studet: & ita habet veritatem per reductionem ad tempus præsens.

Verbum finitum. Addit denique Aristot. verba infinita non esse appellanda absolutè verba: vt non amo, non lego, & similia. Vbi obseruandum est particulam negatiuam, non, dupliciter posse se habere; vno modo vt se teneat ex parte copulæ in propositione, & reddat hunc sensum, ego non sum legens: & hoc modo non dicetur esse propositio de verbo infinito, sed dicetur propositio negatiua de verbo finito. Alio modo vt se teneat ex parte prædicati, & reddat hunc sensum, ego sum non legens. Et sic verba infinita non dicuntur esse simpliciter verba, sicut antea de nominibus Arist. dixerat.

Quocirca verbum ita magis explicitè & exactè definietur: est vox significatiua ad placitum definitè & cum tempore præsenti, cuius, &c. Vtendo autem nomine termini, ita verbum definietur: est terminus incomplexus categorematicus significans definitè cum tempore præsenti, atque semper de altero prædicatur.

De verbo sum. Hinc colligi debet, verbum sum posse sumi dupliciter. Primò prout significet idem atque existo; vt cum dicimus, ego sum, Petrus est. Secundò prout est copula prædicati & subiecti: vt cùm dicimus Petrus est homo, homo est animal. In priori sensu est verbum, & terminus categorematicus: si quidem per se prædicatur & significat, sicut cætera verba. Imo appellatur verbum substantiuum, & alia omnia dicuntur verba adiectiua. In posteriori verò sensu, non est verbum, sed copula, & terminus syncategorematicus. Nam in hoc sensu non potest prædicari sine addito; vt quando dicimus homo est animal: & retenta eadem significatione particulæ est, subtrahamus ly animal, nulla prædicatio fieret: sed oportet addere quid homo est. Et dum absolutè affirmamus homo est, pro homo existit, non est eadem significatio particulæ est, quæ erat in alia propositione, vbi addebatur aliud prædicatum.

De Participio quomodo sit verbum. Postremò videndum est, an participium, vt amans, legens, pertineat ad nomen vel ad verbum. Et quidem Dialectici ferè communiter illud ab vtroque excludunt. Sed potius dicendum videtur posse ad vtrunque spectare. Itaque participiũ potest sumi dupliciter. Vel quãdo reuera habet participij vim: vt cùm dico Petrus currens mouetur. Et tunc, dum participium est temporis præsentis, vt in exemplo posito, pertinet ad verbum. Si enim resoluatur, dicetur Petrus qui currit; vbi ly currit per se prædicatur de Petro, quæ prædicatio implicitè includitur, quando dicitur Petrus currens. Quod si participium non pertineat ad tẽpus præsens, idem erit iudicium de illo ac de alijs verbi casibus. Si autem participium sumatur per modũ nominis quod ad omne tempus referri possit, pertinebit ad nomen: vt si dicamus, Petrus est amans, fuit, erit, erat amans, &c. Sicut etiam si dicatur, est, erit, erat sapiens, doctus.

CAPVT SEXTVM.

De quibusdam alijs distinctionibus Terminorum.

SVpersunt quædam aliæ distinctiones terminorum, quæ principaliter nomini adaptantur: sed suo modo possunt etiam ad verba, & ex parte ad alios quoque terminos extendi.

Terminus concretus & abstractus. Primò, diuiditur terminus in concretum & abstractum. Termini concreti sũt, homo, album: abstracti, humanitas, albedo. Nomen abstractum significat formam per se sumptam. Concretum significat formam vt existentem in re, siue significat id quod habet formam. Itaque hæc distinctio propriè conuenit nominibus. Sed verba habent quendam modum termini concreti.

Absolutus & cõnotatiuus. Secundò, diuiditur terminus, seu nomen, in absolutum & connotatiuum. Nomen connotatiuum est, quod significat formam tanquam adiacentem, & quasi inhærentem subiecto: vt album, vestitum, ligneum, aureum. Nomen absolutum est, quod significat rem ad modum per se stantis: vt homo, animal, lapis. Itaque omnia nomina connotatiua sunt concreta, sed non omnia concreta sunt connotatiua. At omnia nomina abstracta sunt absoluta; sed non omnia absoluta sunt abstracta. Nam omne nomen connotatiuum denotat formam vt in subiecto, & ita est concretum. Sed nomina concreta, quædam denotant formam per modum adiacentis, & hæc sunt connotatiua: quædam denotant rem per modum per se stantis, modo scilicet substantiuo: & hæc sunt absoluta. Omne autem nomen abstractum denotat formam per modum per se stantis, & ita est absolutum: sed quædam nomina absoluta denotant formam per se, & sunt abstracta: quædam substantiuo modo denotant rem habentem formam, & sunt concreta.

Denominatiuus, & denominans. Tertiò, diuiditur terminus in denominatiuum & denominantem. Denominatiuus est, qui ab altero deriuatur. Denominans est à quo alius deriuatur. Itaque nomina denominatiua sunt, iustus, sapiens: denominantia, iustitia, sapientia. Insuper denominatiua sunt, dealbatus, candidatus; & respectu horum denominantia sunt, albus, candidus.

Communis & singularis. Quartò, diuiditur terminus in communem, qui cõuenit & communicatur pluribus; & singularem, qui est vni solùm indiuiduo proprius. Et terminus communis diuiditur in transcendentem, & non transcendentem, & supertrascendẽtem. Transcendens est, qui vnicuique rei conuenit: vt sunt hæc sex nomina, Res, Ens, Aliquid, Vnum, Verum, Bonum. Non transcendens est, qui non conuenit omnibus rebus: vt substantia, accidens, corpus, quantitas. Supertranscẽdens est, qui conuenit non tantùm veris rebus, sed etiam negationibus & entibus rationis, vt cogitabile, intelligibile.

Cõmunis, vniuocus, æquiuocus, & analogus. Quintò, diuiditur rursus terminus cõmunis, in vniuocum, æquiuocum, & analogum. Vniuocus est qui significat naturam seu rationẽ communem pluribus, de quibus dicitur: vt homo significat naturam humanam communem Petro & Paulo & cæteris hominibus. Aequiuocus est qui potest significare plura, sed non dicit vnum conceptum ijs cõmunem. Vt nomẽ Populus, dicitur de quadam arbore, & dicitur de multitudine hominum, non significans certam naturam vtrique parti communem: & nomen Gallus dicitur de gallo homine, & de gallo aue. Similiter verbum Volo, significat velle & volare: Lego significat legere & legare. Analogus est, qui plura significat diuersa quidem, tamen habentia inter se aliquam habitudinem, vel per modum ordinis & dependentiæ, vel per modum proportionis & assimilationis. Vt nomen sanum dicitur de homine, qui habet sanitatem, dicitur etiam de cibo eo quòd cõseruat, de colore eo quod indicat sanitatem: & verbum Rideo propriè dicitur de homine ridente, & per proportionem ac metaphoram dicitur de prato florente.

Singularis, collectiuus, determinatus, & vagus. Sextò, diuiditur terminus singularis, in collectiuum, qui plura significat per modum vnius; vt ciuitas, classis: in determinatum, qui determinatè significat aliquid vnum; vt Petrus: in vagum, qui significat aliquid vnum, non tamen determinatè, sed vagè; vt quidam homo: & demum in terminum singularem ex suppositione; qui, licèt ex se posset pluribus

ribus conuenire, tamen facta aliqua suppositione vni tantùm conuenit, vt Francisci filius, si supponamus Franciscum habere vnum tantum filium.

Positiuus & negatiuus. Septimò, diuiditur terminus in positiuum & negatiuum. Positiuus est, qui significat aliquam veram rem, aut etiam aliquid fictum ad instar rerum; vt homo, lapis; chimera hircoceruus; item amo, video. Negatiuus est, qui significat negationem alicuius rei: vt non homo, non ens, non chimera, non amo. Hæc autem negatio si fit in subiecto capaci illius formæ quæ negatur, dicetur priuatio; & ille terminus dicetur priuatiuus; vt cæcitas dicetur de oculo qui est capax visus, & tenebræ de aere, qui est capax lucis. Alioqui negatio si non fit in subiecto capaci formę negatæ, dicetur pura negatio, & terminus purè negatiuus, vt non homo, non videns in lapide.

Prima & secunda intentionis. Octauò demum diuiditur terminus, in terminum primæ intentionis vel impositionis, & secundæ intentionis. Terminus primæ intentionis est, qui significat rem prout est in se ipsa à parte rei: vt homo, agere, pati. Terminus secundæ intentionis est, qui significat rem prout est in intellectu, siue qui significat quasdam affectiones quæ non conueniunt rebus, prout sunt in se ipsis, sed prout à nostro intellectu concipiuntur: vt subiectum, prædicatum, genus, prædicari, subijci.

CAPVT SEPTIMVM.

De quibusdam Comparationibus Terminorum.

POssunt termini inter se comparari, & varij termini varijs modis comparantur: vnde etiam resultant diuersi gradus & ordines terminorum.

Termini inter se impertinentes. Primò. Quidam termini dicuntur inter se impertinentes, eo quòd non habeât nec certam aliquam repugnantiam, neque connexionem inter se; & possunt ambo eidem rei conuenire, possunt etiam vnus sine alio reperiri: vt sunt diues & sapiens, doctus & albus, ambulare & amare: quorum terminorum vnus ad alium nihil pertinet.

Termini repugnantes. Secunda comparatio terminorum est per repugnantiam & oppositionem inter se, ita vt simul esse non possint: vt homo & equus, album & nigrum. Potest autem hæc repugnantia & oppositio cótingere multis modis. Primò enim aliqui termini dicuntur disparati, qui significant diuersas naturas seu formas incompossibiles: vt homo & leo, ridere & rugire. Secundò aliqui dicuntur contrarij, qui ab eodem subiecto mutuò se expellunt: vt calidum & frigidum, album & nigrum, amare & odisse. Tertiò aliqui sunt priuatiui, quorum vnus dicit formam, alter carentiam eius formæ in subiecto capaci: vt visus & cæcitas, lumen & tenebræ, illuminari & obtenebrari. Quartò alij opponuntur contradictoriè, quorum vnus significat formam, alter negationem talis formæ, vel sine subiecto; vel in subiecto incapaci: vt homo & non homo, viuens & non viuens, curro & non curro in lapide. Quintò alij opponuntur relatiuè, qui nempè dicunt respectum & ordinem inter se: vt pater & filius, dominus & seruus, videre & videri.

Termini se comitantes. Tertia comparatio terminorum est per coniunctionem & connexionem quandã inter se: vt se habent homo & animal, homo & risibilis. Horum quidam se habent vt superius & inferius: sic animal & homo, moueri & currere. Et hi termini sunt ita connexi, vt vbicunque est terminus inferior sit etiam superior; sed non è conuerso. Sic vbicunque est homo, est animal; & omnis qui currit mouetur: sed non vbicunque est animal, est homo; non omnis qui mouetur currit. Quidam autem termini se habent vt æquales, qui inter se conuertuntur, & mutuò valet dicere, vbicunque est vnus, esse & alterum. Sic se habent homo & risibilis, animal & sensitiuum.

Termini, diuersi, diuersiuoci, multiuoci. Quarta demum comparatio terminorũ obseruari solet quoad significationẽ. Et aliqui dicuntur diuersi: aliqui diuersiuoci: aliqui multiuoci. Termini multiuoci appellantur etiam synonimi: & sunt quãdo plura vocabula eandem significationẽ habent, eandem rem significant: vt ensis & gladius, desidero appeto cupio. Diuersiuoci sunt, quando plures voces significant res diuersas, tamen cum aliqua affinitate & similitudine vocabuli: vt

accliuis & decliuis, ascendo & descendo. Diuersi demum sunt, quando & significata & vocabula diuersa sunt absque vlla similitudine ipsius vocabuli: vt homo leo equus, amo lego ambulo.

CAPVT VIII.

De significatione & suppositione Terminorum.

Significatio & suppositio sunt ferè idē.

Tota vis terminorum in significatione consistit: circa quam plures distinctiones & variationes occurrũt, quas hoc loco diligenter adnotare oportet, quando ad directionem logicam, & pręcipuè ad rectum syllogismorum vsum valde deseruiunt. Significatio autem dicitur etiam suppositio: licèt aliquo modo differant, sumendo suppositionem pro omni acceptione & vsu termini, significationem autem solùm pro acceptione termini ad denotādā rē significatā, vt ex sequenti explicatione constabit.

Suppositio materialis & formalis.

Suppositio est acceptio termini, vel pro se, vel pro suo significato. Vt, dicendo homo est animal: ille terminus, homo, accipitur pro re, quam significare intendimus per illud nomen: & sic terminus accipitur pro suo significato; & hæc ipsa est significatio termini, quæ propriè refertur ad rem. At, dicendo homo est nomen, amo est verbum: non accipitur homo pro re quam significat, sed pro se, hoc est pro ipsa voce. Vnde duplex distinguitur suppositio. Vna dicitur materialis: & est quando terminus accipitur pro se ipso. Alia dicitur formalis; & est quando terminus accipitur pro re significata. Quia enim, vt dixit Arist. in principio Elench. res ipsas per se afferre in disputatione nō possumus, ideò nominibus quasi rerum notis & signis vtimur. Vnde dici debet terminus supponi pro re significata, idest poni loco illius. Dialecticorum tamen vsu factum est, vt potius actiuo modo dicantur termini supponere pro rebus. Et quia vlterius ipsa vocabula hoc peculiare habent, quod de ijs loquuturi possumus ipsamet in disputatione afferre, dum illa proferimus: hinc distincta est alia suppositio quæ dicta est materialis.

Rursus quia sicut alias res significamus per voces, ita etiam quasdam voces possumus significare per alias voces: & hæc erit etiam suppositio formalis. Videlicet cum dicimus nomē est vox significatiua sine tempore: si dicere intendimus, hanc vocem nomen esse significatiuam sine tempore, erit suppositio materialis. Si autem dicere intendimus, quodlibet vocabulum quod appellatur nomen, esse vocem significatiuam sine tempore; exercetur suppositio formalis; quoniam hęc ipsa vocabula significantur per ly nomen, & hæc vox nomen habet pro sua re significata oēs voces quæ dicuntur nomina. Clariùs patebit hæc suppositio formalis, dicendo verbum est vox significatiua cum tempore, imo dicendo verbum est verbum. Hoc enim verificatur de verbis significatis, nempè amo, lego & cæteris: alioqui ipsa vox verbum non significat cum tempore, non est verbum, sed est nomen. Itaque secundum suppositionem materialem falsum est dicere verbum est verbum; sed dici debet verbum est nomen. Similiter secũdum suppositionem formalem verum est dicere aduerbium est terminus syncategorematicus; sed secundum suppositionem materialem non est terminus syncategorematicus, imo est nomen. Et sic in alijs similibus. Deinceps ergo loquendũ est de suppositione formali.

Suppositio formalis, propria et metaphorica.

Suppositio formalis est duplex. Altera propria, quando accipitur terminus pro re quā propriè significat. Altera impropria et metaphorica, quādo accipitur pro re ad quam per metaphoram translatus est: vt cùm sumitur leo pro viro forti, agnus pro innocente.

Suppositio propria, absoluta simplex & personalis.

Suppositio propria triplex est, absoluta, simplex, & personalis. Potest enim idem terminus habere significatum aliquod immediatum & aliquod mediatum, & huiusmodi pręsertim sunt termini communes: homo immediatè significat naturam humanam & conceptum communem omnibus hominibus, mediatè significat homines singulares. Quando igitur nomen homo accipitur pro toto suo significato, tàm mediato quàm immediato, tàm pro singulis hominibus quàm pro homine in cōmuni: dicitur suppositio absoluta: vt dicendo homo est animal: hoc

hoc enim prædicatum verificatur de homine in cōi, & de singulis in particulari. Quando autem accipitur pro solo significato immediato, idest solùm pro natura in cōi sumpta; dicitur supponere suppositione simplici: vt dicendo homo est species: hoc enim non verificatur de singularibus hominibus, sed tantùm de homine sumpto in vniuersali. Quando demum accipitur pro solo significato mediato, idest pro hominibus particularibus, dicitur supponere suppositione personali, vt dicendo homo currit: hoc enim nō verificatur de homine in communi, sed tantùm de aliquo homine in particulari.

Suppositio personalis, discreta & communis. Suppositio personalis tandē duplex est, discreta & communis. Discreta est, quando significatur aliqua res certa & determinata; vt Petrus studet: hic homo currit. Communis est quando accipitur quidem nomen commune pro suis inferioribus in particulari, non tamen determinatè. Et hoc potest contingere quatuor modis.

Suppositio cōmunis, distributiua. Primò, potest nomen supponere pro omnibus suis significatis distributiuè sumptis, ita vt cuilibet in particulari conueniat prædicatum: & hoc fit præcipuè, cū additur signū vniuersale omnis, vt omnis homo scire desiderat. Et hæc dicitur suppositio distributiua. Et hæc rursus potest esse duplex vel pro singulis inferioribus indiuiduis, vt in supradicta propositione: & dicitur suppositio distributiua pro singulis generum. Vel pro singulis inferioribus speciebus: vt cùm dicitur, omne animal fuit in arca Noe: & hæc dicitur pro generibus singulorum.

Copulata Secundò, potest supponere nomen pro omnibus suis significatis collectiuè sumptis, ita vt nō conueniat prædicatū singulis significatis per se sūptis, sed omnibus simul acceptis: vt omnes Apostoli sunt duodecim: neque enim cuilibet Apostolo particulari conuenit esse duodecim. Et hæc est suppositio copulata.

Determinata. Tertiò, pōt supponere nomen pro aliquo significato particulari, non quidem certo, sed vagè sumpto: vt aliquis homo currit, idest vel hic vel ille; vt si de quolibet postea in particulari dicatur hic & ille & alius homo currit, necessariò aliqua istarum erit vera, si illa prior fuit vera. Et hęc dicitur suppositio determinata.

Confusa. Quartò, potest supponere nomen pro suis significatis disiunctim acceptis: vt dicendo ad equitandum requiritur equus; hoc nomen equus, non supponit pro aliquo equo particulari: sed neque si singulis equis ea propositio applicatur, dicendo hic equus est necessarius, ille est necessarius, & sic de singulis; aliqua istarū particularium erit vera. Sed solùm verum erit, quod aliquis equus erit necessarius. Et hæc dicitur suppositio cōfusa.

CAPVT NONVM.

De quibusdam variationibus significationis & suppositionis.

Terminorum. Potest deinde significatio & suppositio terminorum quibusdam modis variari per quasdam additiones aut conditiones: quæ variationes hoc etiam loco recensendæ sunt. Et præcipuè septem huiusmodi variationes assignantur. Restrictio, Diminutio, Alienatio, Appellatio, Status, Ampliatio, Distractio.

Restrictio. Restringitur significatio & suppositio alicuius termini, quando illi additur alia vox contrahens terminum ad pauciora significata: vt si dicatur, omnes homines saluabuntur, terminus omnes homines potest restringi, si ei addatur hæc vox iusti, omnes homines iusti saluabuntur. Hęc autem additio potest esse; vel nominis adiectiui, vt in exemplo adducto: vel nominis substantiui, vt Apostolus Paulus est doctor gentium; vel casus obliqui, vt vmbra Diui Petri sanabat infirmos: vel per additionē alicuius propositionis, vt omnis homo qui est iustus saluabitur; vbi ly qui est iustus, appellatur copula restrictionis. Et multis alijs modis potest hęc restrictio fieri.

Diminutio. Restrictioni similis est diminutio, qua diminuitur integra termini significatio, vt Aethiops est albus secundum dentes.

Alienatio. Alienatio est translatio termini à propria ad impropriam & metaphoricam significationem per aliquam additionem: vt dicendo homo pictus, ly pictus transfert ly homo ad impropriā significationē.

Appellatio. Appellatio est applicatio significationis vnius vocabuli ad aliud: vt dicendo

do Alexander est magnus Logicus, ly magnus applicatur illi nomini Logicus, & dicitur appellans, Logicus verò dicitur appellatus. Hæc appellatio potest similiter esse ex parte subiecti: vt Alexander Magnus, est Logicus. Notandum autem est, non benè sequi, quando terminus appellat prædicatum, debere etiam appellare subiectum, vel è contra. Non enim valet, Alexander est magnus Logicus, ergo Alexander Magnus est Logicus. Neque valet, Alexander magnus est Logicus, ergo est magnus Logicus. Item neque valet, Petrus est magnus Logicus, ergo est magnus, & est Logicus.

Status. Aliæ tres proprietates cōueniunt terminis quatenus referuntur ad mensuram temporis, illisquè proueniunt ex coniūctione cum verbo. Nam quando terminus refertur tātùm ad illud tempus quod verbo significatur, dicitur status termini: vt dicendo Petrus sedens, vel qui sedet disputat, qui sedebat disputabat, qui sedebit disputabit: in his enim exemplis ad illud solum tempus refertur subiectū, Petrus qui sedet, qui sedebat, qui sedebit, ad quod refertur verbum principale, disputat, disputabat, disputabit.

Ampliatio. Deinde potest subiectum referri, non solùm ad illud tempus quod verbo principali importatur, sed ad illud & ad aliud etiam tempus: vt omnes iusti saluabuntur, nomen iusti non solùm supponit pro ijs qui erunt iusti, quasi ad solum tempus futurum referatur, ad quod refertur verbum saluabuntur: sed supponit etiam pro ijs, qui in tempore præsenti sunt iusti. Et hæc dicitur Ampliatio.

Distractio Denique potest subiectum referri ad tempus omnino diuersum à tempore significato per verbum principale: vt cæci vident, ly vident, denotat tempus præsens, ly cæci nullo modo: non enim sensus est ij qui nūc sunt cæci vident: sed solùm qui fuerunt cæci; quare ly cæci refertur solummodò ad tempus præteritum, ad tēpus omnino diuersum à tempore verbi Et hęc dicitur Distractio.

* * *

CAPVT DECIMVM.

De Termino complexo, & de Oratione.

HActenus de Terminis simplicibus & incomplexis secundùm se tractatum est. Restat, vt de termino complexo, qui ex eis componitur, aliqua dicamus.

Terminus complexus definitur. Terminus itaq. complexus est is, cuius aliqua pars separata significat. Quam definitionem iam explicauimus cap. 3. Nūc ad maiorem explicationem addendum: partes quæ terminum complexum componunt, debere aliqua constructione grammatica inter se coniungi, vt vnum aliquem sensum conficiant. Nam si plures termini incomplexi absque vlla connexione coadunentur, non dicentur constituere terminum complexum; vt dicendo, Homo, Angelus, Petrus Antonius. Requiritur ergo, vt accipiantur aliquæ dictiones per modum vnius, quę ita inter se congruant, vt vnum certum sensum reddant; vt homo iustus, filius Francisci, Petrus currens, & similia.

Potestquè terminus complexus constitui: vel ex terminis categorematicis, vt homo iustus: vel ex syncategorematicis, vt omni tempore: vel ex vno categorematico & alio syncategorematico, vt omnis homo. Pleraque alia quæ de terminis incomplexis diximus, complexis etiam applicari possunt; vt consideranti patebit.

Oratio definitur. Oratio ita definitur ab Aristotele. Est vox significatiua ad placitū cuius aliqua pars separata est significatiua. Quæ definitio non indiget noua explicatione. Hoc tamen notauerim, ideò dici, vox & non voces, quia plures voces debent sumi per modum vnius, vt dictum est de termino complexo. Hæc autem particula vox, non solùm potest significare vocem siue dictionem ore prolatam, sed etiam mente conceptam, vt comprehendatur oratio mentalis, in conceptibus non vltimatis.

Orō perfecta & imperfecta. Diuiditur autem oratio in perfectam & imperfectam. Perfecta est, quæ integrum sensum continet, Deus est bonus, Anto-

Antonius studet. Imperfecta est, quæ non continet integrum sensum, vt Angelus Domini, omnis homo, & aliæ similes. Perfectarum orationum, aliæ sunt optatiuæ, vtinam placerem Deo: aliæ interrogatiuæ, vt quodnam est obiectum Logicæ? quid est homo? aliæ deprecatiuæ, vt parce mihi Domine: alia imperatiuæ, vt ama Deum: aliæ vocatiuæ, vt ò homines ingrati: aliæ demum sunt enunciatiuæ, vt Petrus currit, Antonius amat Franciscum, Paulus est doctus, quæ veritatem aut falsitatem continent. Potest autem esse aliqua oratio, quæ ex pluribus partialibus orationibus constituatur; qualis est syllogismus, & propositio coniuncta, vt homo iustus facit opera bona & consequetur vitam æternam.

Discrimẽ orationis à termino complexo.

Ex his colligitur, quod discrimen sit inter orationem & terminum complexum. Nam dicitur oratio integra propositio: terminus autem complexus est is, ex quo componitur propositio. Vnde supradicta propositio, homo iustus facit opera bona, dicitur oratio & non terminus complexus, sed constituitur ex terminis complexis, qui termini cõplexi sunt etiam orationes. Itaque omnis terminus complexus est oratio, vt etiam supra diximus cap. 3. Non tamen omnis oratio est terminus complexus. Igitur terminus dicetur is, cuius aliqua pars separata significat, & constituit propositionem. Oratio autem dicetur, cuius pars separata significat, siue constituat propositionem, siue sit ipsa propositio.

TRACTATVS TERTIVS.

De Iudicio eiusquè directione per Enunciationem.

Secunda intellectus nostri operatio vno simplici nomine appellatur Iudicium. Per coniunctionem etiam duplicis nominis appellatur Compositio & Diuisio: quia cùm duas partes habeat, affirmationem & negationem, prima dicitur compositio, secunda diuisio. Illi etiam conuenit nomen enunciationis, intelligendo enunciationem mentalem. Sed enunciatio vocalis est, quæ manifestat internum mentis iudicium. Et quia notior est, ideò sub nomine enunciationis directio iudicij perficienda est.

CAPVT PRIMVM.

Quid sit Iudicium:

Et quomodo per Enunciationem dirigi debeat.

Iudicium explicatur.

Iudicium est actus nostri intellectus, quo determinatè cognoscimus rem esse aut non esse, affirmando aut negando. Exercetur hic actus, dum intellectus affirmat, v. g. homo est animal, homo non est lapis, & sic de alijs rebus omnibus. Itaque iudicium fertur circa connexionẽ aut separationem duorum extremorum. Et in illo inuenitur id de quo fit affirmatio aut negatio, id quod affirmatur aut negatur, & coniunctio, siue separatio vtriusque. Et necessariò iudicium in intellectu præsupponit simplicem apprehẽsionem ipsorum extremorum, ac etiam ipsius habitudinis eorum inter se. Et ideò dum aliquis profert integram aliquam enunciationem, debet is qui audit percipere integrum significatum totius enũciationis, ad hoc vt affirmare possit aut negare.

Potest esse verum aut falsum.

Habet iudicium pro sua insigni perfectione veritatem. Et iudicium est verum, dum intellectus ita iudicat sicut reuera est, coniungit affirmando ea quæ re ipsa coniuncta sunt, separat negando ea quæ re ipsa separata sunt. Verum iudicium est,

est, quo intellectus affirmat hō est animal, homo non est lapis. Hinc veritati opposita est falsitas. Et iudicium est falsum, dum intellectus iudicat & putat aliter quàm est, coniungit quæ re ipsa separata sunt, aut separat quæ coniuncta. Tunc dicitur intellectus falli ac decipi. Si v.g. affirmet quis homo est lapis, neget dicendo homo non est animal.

Dirigitur per enunciationē. Hinc indiget iudicium directione logica, vt veram rerum notitiam assequamur, vt intellectus non decipiatur, & erret. Plerunque autem ad hunc finem discursu & argumentatione vtimur, quia ex notis ignota, & ex veris alia vera dignoscimus. Sed hoc modo iam transimus ad tertiam operationem, eiusquè directionem. Habet autem secunda operatio aliam suam propriam directionem per varias regulas & præcepta, quæ circa enunciationem traduntur. Vnde non immeritò enunciatio dicetur se habere tanquàm instrumētum huius directionis. Et si quidem consideretur enunciatio mētalis: quæcunque de enunciatione dicūtur, per se & directè de ipso mentis iudicio procedunt. Maioris tamen commoditatis & facilitatis gratia sumitur enunciatio vocalis; & tota doctrina quæ de illa traditur, facillimè de ipso mentis iudicio intelligetur.

CAPVT SECVNDVM.

Quid sit Enunciatio.

Et ex quibus partibus componatur.

Enunciatio dicitur esse propositio. Sed propositionis nomen præcipuè habet per ordinem ad syllogismum: solet tamen etiam absolutè hoc nomine appellari. Ideò hic potius vtimur nomine enunciationis, interdum verò nomine etiam propositionis.

Enunciatio definitur. Enunciatio definiri debet ex Aristotele 1. Periherm. capite 4. Enunciatio est oratio perfecta, quæ verum vel falsum significat. Dicitur oratio ad excludendum nomen & verbum & alios omnes terminos simplices. Dicitur perfecta, ad excludēdos terminos complexos & orationes imperfectas. Dicitur denique quæ verum aut falsum significat, ad excludendas orationes perfectas non enunciatiuas: propriè enim oratio enunciatiua determinatè significat verum vel falsum: vt Deus est bonus, est enunciatio vera, Angelus est corporeus, est enunciatio falsa.

Enunciatio cōstat ex subiecto & prædicato & copula. Enunciatio componitur ex terminis categorematicis, prædicato & subiecto. Prædicatum est illud quod de alio affirmatur, vel negatur. Subiectum est illud de quo aliud affirmatur, vel negatur. Si autem hi termini sint nomen & verbum, vt Petrus amat; ad completam enunciationem constituendam nihil aliud requiritur, vt patet. Si autem sint plura nomina; omnino necessarium est, explicitè poni copulam est, vt homo est animal. Sed etiam quando ex parte prædicati ponitur verbum; implicitè continetur copula præter subiectum & prædicatum. Vnde Petrus amat potest resolui Petrus est amans. Enunciatio quæ expressè continet copulam distinctam à prædicato, dicitur de tertio adiacente, quæ verò formatur per verbum sine distinctione copulæ & prædicati, dicitur de secundo adiacente.

Ex terminis etiam syncategorematicis. Sunt & aliæ partes, quæ licèt necessariæ non sint: possunt tamen etiam intervenire ad constituendam enunciationem. Huiusmodi sunt termini complexi, termini item syncategorematici; qui adiunguntur prædicato vel subiecto. Et ex parte copulæ præcipuè se tenet particula negatiua non, quæ constituit propositionem negatiuam. Ex parte subiecti se tenent signa vniuersalia & particularia. Quæ quatuor præcipuè sunt. Nam aliud est signum vniuersale affirmatiuum, omnis, quilibet. Aliud est signum vniuersale negatiuum, nullus. Aliud est signum particulare determinans certam rem, & demonstrans aliquid determinatum, hic, iste, ille: & specialiter vocatur signum singulare. Non additur signum particulare negatiuum: quoniam si dicatur non aliquis, idem valet ac nullus: sed non aliter potest formari enūciatio particularis negatiua, nisi coniungendo negationem cum copula.

Potest idē terminus Aduertendum est insuper, eundem terminum posse esse prædicatū & subiectum

esse subiectum & prædicatum. ctum in aliqua enunciatione, vt Petrus est Petrus. Hæc dicitur enunciatio identica: quia idem prædicatur de se ipso. Addendũ est etiã posse prædicari, non solùm terminum superiorem de inferiori, homo est animal; differentiam de specie, homo est rationalis; accidens de subiecto, homo est albus: sed etiam è conuerso terminum inferiorem de superiori, quoddam animal est homo; speciem de differentia, rationale est homo; & subiectum de accidenti, aliquod album est homo. In priori statu & forma appellatur enunciatio & prædicatio directa & naturalis: in posteriori appellatur indirecta & innaturalis.

Cæterùm ex his omnibus, quæ enunciationem constituunt, termini dicuntur materia: copula connectens terminos dicitur forma enunciationis. Signa vniuersalia & particularia dicuntur constituere quantitatem enunciationis. Affirmatio autem & negatio ac etiam veritas & falsitas, dicuntur pertinere ad qualitatem.

CAPVT TERTIVM.

De Quantitate, & Qualitate Enunciationis.

Enunciationis quãtitas per signa vniuersalia & particularia. QVantitas Enunciationis est quædam affectio eius resultans ex signis vniuersalibus aut particularibus affixis subiecto ipsius enunciationis. Si subiecto addatur signum vniuersale, efficitur propositio vniuersalis, omnis homo currit, nullus homo currit. Si addatur signum particulare, efficitur enunciatio particularis indeterminata, aliquis homo currit. Si addatur signum singulare, idest certum & determinatum, efficitur enunciatio singularis & determinata hic homo currit. Vnde dicitur etiam enunciatio singularis, Petrus currit, Paulus loquitur. Quod si subiecto de se quidem communi nullum apponatur signum, dicendo homo currit, enunciatio vocatur indefinita. Atque iuxta hos quatuor gradus quantitatis in enunciatione, distinguuntur quatuor enunciationis genera, Vniuersalis, Particularis, Singularis, & indefinita.

Enunciationis qualitas essentialis per affirmationem et negationem. Qualitas enunciationis duplex est. Prima dicitur essentialis, & consistit in ratione affirmationis & negationis. Et sanè quælibet enunciatio debet esse affirmatiua vel negatiua. Vnde duplex distinguitur enunciatio, nempè affirmatiua & negatiua. Aduertendum tamen est, tunc propositionẽ esse negatiuã, cũ negatio afficit copulã, vt homo nõ est lapis. Quãdo verò negatio afficit aliquẽ terminũ, vt homo est nõ lapis: talis enunciatio non est negatiua, sed est affirmatiua de prædicato negatiuo & infinito, nisi fortè alia negatio addatur ex parte copulæ, vt homo non est non lapis. Illud autem signum vniuersale negatiuum, nullus, quamuis coniungatur cum subiecto, nullus homo est lapis: tamen reuera afficit copulam; & ideò reddit propositionem negatiuam. Dum enim dicitur nullus homo est lapis, sensus est, hic homo non est lapis, ille non est lapis, & sic de omnibus & singulis. Et similiter quandò prædicatum est aliquod verbum, vt Petrus currit, si fiat enunciatio negatiua, negatio afficiet copulam: idemque erit dicere Petrus non currit, ac Petrus non est currens. Quòd si diceretur Petrus est non currens, enunciatio erit affirmatiua de prædicato negatiuo.

Qualitas accidentalis, veritas & falsitas. Alia qualitas enunciationis est, quæ dicitur accidentalis, & in veritate ac falsitate consistit. Enunciatio vera est, quæ enunciat rem sicut in se est. Falsa, est quæ enunciat aliter ac in se est. Illa correspondet iudicio mentali vero: alia iudicio mentali falso. Et omnis enunciatio est aut vera aut falsa.

CAPVT IV.

De quibusdam diuisionibus & Speciebus Enunciationis.

Enunciatio simplex & cõposita. PRæcipua enunciationis diuisio est in simplicem & compositam. Simplex est, quæ simpliciter vnũ de alio affirmat, aut negat; vt Petrus est iustus, homo est animal rationale, homo impius non saluabitur. Composita est quæ ex pluribus simplicibus simul iunctis constat: vt Petrus est sapiens & est iustus; si sol lucet dies

dies est, & aliæ similes. Propositio simplex appellatur categorica. Composita appellatur coniuncta, hypotetica & coniúctioue vna, quo loquendi modo Arist. vtitur. Prius itaque nobis de simplici agendum est postea de composita.

Enunciatio simplex, absoluta & modalis,

Ad hoc igitur vt enunciatio simplex vlteriùs diuidatur, notandum est, prædicatum quod in enunciatione affirmatur vel negatur de subiecto pluribus modis se habere posse. Aut enim necessariò conuenit ipsi subiecto, ita vt impossibile sit non conuenire: vt homo est animal, impossibile enim est hominem non esse animal. Aut conuenit contingenter, idest ita vt possit conuenire vel non conuenire; vt homo est iustus, potest enim homo esse iustus, & potest non esse iustus. His duobus modis conueniendi necessariò & contingenter, communis est modus conueniendi possibiliter: siue enim prædicatum conueniat necessariò siue contingenter, potest dici conuenire possibiliter, idest prædicatum posse conuenire subiecto. Aut denique prædicatum est impossibile, vt conueniat subiecto: vt esse lapidem homini, homo enim non potest esse lapis. Itaque alia enunciatio est in materia possibili, alia impossibili; alia in materia necessaria, alia contingenti.

Si igitur in aliqua enunciatione absolutè dicatur prædicatum de subiecto, non explicando modum, quo illi conueniat, vel necessariò vel contingenter, &c. vt homo est animal, homo est iustus; appellatur propositio absoluta, siue de inesse. Si autem explicetur etiam ille modus conueniendi, dicendo necesse est hominem esse animal, contingens est hominē esse iustum, appellatur enunciatio modalis. Prius ergo agendum modò est de enunciationibus absolutis, postea de modalibus.

Enunciatio absoluta de materia necessaria, si sit affirmatiua, dicetur etiam necessaria, & non solùm vera: vt homo est animal, quia reuera necesse est hominem esse animal. Si sit negatiua, vt homo non est animal; dicetur falsa & impossibilis, quia est impossibile hominem non esse animal. Item si enunciatio de materia impossibili sit affirmatiua, vt homo est lapis; dicetur etiam falsa & impossibilis, quia impossibile est hominē esse lapidem. Si verò sit negatiua, vt homo non est lapis; dicetur necessaria, quia necesse est hominem non esse lapidem. Enunciatio autem ex materia contingenti, siue sit affirmatiua siue negatiua, semper est contingens; quia contingens est hominem esse iustum, aut non esse iustum. De enunciatione in materia possibili, si sit in materia necessaria, idem dicendum ac de enunciatione necessaria: si sit in materia contingenti, idem ac de enunciatione contingenti.

CAPVT V.

De Enunciationibus absolutis: Et primò de earum Oppositione.

QVantum ad constructionem enunciationis absolutæ, & alias affectiones eius in se, nihil superest peculiare dicendum præter ea quæ de enunciatione communiter dicta sunt. Solùm explicandæ supersunt quædam aliæ affectiones per comparationem ipsarum enũciationum absolutarum inter se. Et tribus præcipuè modis comparari possunt. Primò per oppositionem. Secundò per æquipollentiam, quando habent eundem valorem atque significationem. Tertiò per conuersionem, quando vna potest conuerti in aliam.

De oppositione. Triplici ex capite enũciationes possunt opponi. Primò ratione terminorum, secundò ratione quantitatis, tertiò ratione qualitatis. Ratione terminorum illæ enunciationes sunt oppositæ, quæ opposita prædicata de eodē subiecto affirmant: vt hic nomo est albus, hic homo est niger. Quare tot varijs modis poterunt enunciationes in hoc genere opponi, quot sunt variæ oppositiones terminorum, de quibus diximus tractatu præcedenti cap. 7. Sed omisso hoc genere oppositionis, quo non multùm Logica vtitur.

Enunciationes subalternæ.

Enunciationes ex eodem prædicato & subiecto constantes opponuntur ratione quantitatis, quando vna est vniuersalis, alia particularis, & sub particulari deinceps etiam singularem intelligimus. Et

hoc

hoc modo enunciationes comparantur, etiam si vtraque sit affirmatiua, aut vtraque negatiua. Et hæc tunc dicitur subalternatio enunciationum; & tales enunciationes dicuntur subalternæ: atque enunciatio vniuersalis dicitur subalternans, particularis dicitur subalternata. Ita se habent, omnis homo currit, aliquis homo currit: nullus homo currit, aliquis homo non currit.

Contraria & subcõtraria. Ratione qualitatis essentialis opponũtur enunciationes, quando vna est affirmatiua, alia negatiua. Et quando ambæ sunt vniuersales, dicitur oppositio contraria: vt omnis homo currit, nullus homo currit. Quando ambæ sunt particulares, dicitur oppositio subcontraria: vt aliquis homo currit, aliquis homo non currit.

Contradictoria. Coniungendo demum hanc vtranque oppositionem, possunt enunciationes opponi ratione quantitatis, & qualitatis simul, quando vna est vniuersalis, altera particularis; vna affirmatiua, altera negatiua: vt omnis homo currit, aliquis homo non currit: nullus homo currit, aliquis homo currit. Et hæc dicitur oppositio contradictoria.

Vnde quatuor gradus oppositionis habentur; & quatuor gradus enunciationũ. Alia enim enũciatio est vniuersalis affirmatiua, alia vniuersalis negatiua, alia particularis affirmatiua, alia particularis negatiua. Vniuersalis affirmatiua, & vniuersalis negatiua sunt contrariæ. Particularis affirmatiua & particularis negatiua sunt subcontrariæ. Vniuersalis affirmatiua & particularis affirmatiua, itemquè vniuersalis negatiua & particularis negatiua, sunt subalternæ. Vniuersalis denique affirmatiua & particularis negatiua, item vniuersalis negatiua & particularis affirmatiua sunt contradictoriæ.

Earũ veritas & falsitas. Demum alia oppositio est ratione qualitatis accidentalis, qua vna enunciatio vera & altera falsa opponuntur: quæ veritas aut falsitas in qualibet ex positis enunciationibus inuenitur. Ad maiorem tamen notitiam huius rei, videndum est, quo pacto enunciationes dictis modis oppositæ possint esse simul veræ vel falsæ.

Enunciationes contradictoriæ nunquã possunt esse simul veræ, aut simul falsæ: sed necessariò vna debet esse vera, altera falsa. Contrariæ nunquam possunt esse simul veræ: possunt tamen esse simul falsæ in materia contingenti; vt omnis homo currit, nullus homo currit. Sed in materia necessaria semper affirmatina est vera, negatiua falsa. In materia impossibili semper negatiua est vera, affirmatiua falsa. Subcõtrariæ nõ possunt esse simul falsæ: possunt tñ esse simul veræ in materia contingenti; vt aliquis homo currit, aliquis homo non currit. In materia necessaria sẽper affirmatiua est vera, aliquis homo est animal: negatiua est falsa, aliquis homo non est animal. In materia impossibili semper negatiua est vera. aliquis homo non est lapis: affirmatiua falsa, aliquis homo est lapis: Tandem enunciationes subalternæ in materia necessaria semper sunt simul veræ; omnis homo est animal, aliquis homo est animal. In materia impossibili semper erunt ambę falsæ; oĩs homo est lapis, aliquis hõ est lapis. In materia contingenti, hæc est regula certa; quandocunq. est vera vniuersalis, est etiam vera particularis: non tamen semper quando est vera particularis, est vera vniuersalis.

CAPVT VI.

De Aequipollentia & Conuersione enunciationum absolutarum.

Aequipollentia. Dicuntur enunciationes æquipollentes siue æquiualentes, quæ habent eundem valorem & eandem significationem: cùm tamen materialiter diuersæ videantur. Hæc æquipollentia potest primò exerceri ratione terminorum, quando nempè termini sunt synonimi, eãdem significationem habentes; sic hæ sunt enunciationes æquipollentes, gladius vulnerat, ensis ferit. Secundò, ratione quantitatis: quo pacto vna vniuersalis æquipollet omnibus particularibus siue singularibus simul sumptis: v. g. omnis oculus videt, oculus dexter videt, & oculus sinister videt. Tertiò denique ratione quantitatis & qualitatis simul: quo pacto ex varia positione signorum determinancium quantitatem & particulæ negatiuæ non, enunciationes efficiuntur æquipollentes: vt nullus homo est iustus, non

non aliquis homo est iustus. Sunt autem tres præcipuè regulæ ad cognoscendam hanc æquipollentiam: Pro quibus præmonendum est: signum vniuersale, si ei anteponatur negatio fieri particulare, vt non omnis erit signum particulare: item si signo particulari anteponatur negatio, id fieri vniuersale, vt non aliquis est signũ vniuersale: hoc verò non est intelligendum de signo singulari determinato.

Prima regula. Prima igitur regula est. Quando sunt duæ enunciationes contradictoria, si alicui illarum anteponatur negatio, illa fit æquipollens suæ contradictoriæ, v.g. non omnis homo currit æquipollet cum aliquis homo non currit: non aliquis homo non currit æquipollet cum omnis homo currit. *Secunda regula.* Secunda regula. In enunciationibus contrarijs & subcontrarijs, si alicui illarum addatur negatio post subiectum, efficietur alteri æquipollens. Sic oĩs homo nõ currit æquipollet cũ nullus hõ currit: & nullus hõ non currit æquipollet cũ oĩs homo currit. *Tertia regula.* Tertia regula. In enũciationibus subalternis, si vni illarum adiungantur duæ negationes, vna ante & altera post subiectum, efficitur alteri æquipollens. Sic non omnis homo non currit æquipollet cum aliquis homo currit: & non aliquis homo non currit æquipollet cum omnis homo currit. Similiter non nullus homo non est iustus, æquipollet cum aliquis homo non currit. Vt verò hæc enunciatio negatiua subalternata fiat æquipollens suę subalternanti, vel dici potest non aliquis homo non nõ currit: vel quia coniunctio duarum negationum valet pro ablatione negationis, satius erit dicere non aliquis homo currit.

Conuersionis Conuersio est commutatio terminorũ enunciationis, qua prędicatum fiat subiectum, & subiectum prædicatum, seruata eadem forma siue qualitate essentiali, debet enim affirmatiua cõuerti in affirmatiuam, & negatiua in negatiuam: seruata item eadem veritate, debet enim vera conuerti in veram. Prior enunciatio quę conuertitur, dicitur conuersa; posterior in quam conuertitur dicitur conuertens. Potest autem hæc conuersio fieri tribus præcipuè modis.

Primus modus. Primò, quando non fit alia mutatio, nisi prædicati in subiectum & subiecti in prædicatum; seruata non solùm eadem qualitate, sed etiam quantitate. Et hæc dicitur conuersio simplex, conuersio in terminis. Hoc modo potest verè conuerti particularis affirmatiua, aliquis homo est animal, aliquod animal est homo: & vniuersalis negatiua, nullus homo est lapis, nullus lapis est homo. Non potest verè conuerti vniuersalis affirmatiua: cùm enim verum sit dicere omnis homo est animal, verum non est omne animal est homo. Nec particularis negatiua, aliquod animal non est homo, aliquis homo non est animal. Potest tamen conuerti singularis negatiua, Petrus non est Paulus, Paulus non est Petrus.

Secundus modus. Secundò, potest fieri cõuersio per mutationem non solùm terminorum, sed ẽt quantitatis. Et hæc dicitur conuersio per accidens. Hoc modo potest conuerti vniuersalis affirmatiua in particularem affirmatiuam: omnis homo est animal, aliquod animal est homo. Item vniuersalis negatiua in particularem negatiuam, nullus homo est lapis, aliquis lapis non est homo. Non benè autem conuertuntur particulares in vniuersales: cùm enim verum sit dicere, aliquis homo est animal, verum non est omne animal est homo: item aliquod animal non est homo, nullus homo est animal.

Tertius modus. Tertiò, potest taliter conuersio fieri, vt seruata eadem qualitate & quantitate, termini inuicem commutentur, & ex finitis fiant infiniti. Et hæc dicitur conuersio per contrapositionem. Hoc modo potest conuerti vniuersalis affirmatiua, omnis homo est animal, omne non animal est non homò: & particularis negatiua, aliquis homo non est albus; aliquod non album non est non homo. Cæterùm harum cõuersionum rationem latiùs reddit Arist. in libris Prior. Plures etiã aliæ conuersiones possent afferri: sed has quæ magis consuetæ sunt sufficiat explicasse.

CAPVT SEPTIMVM. *De Enunciationibus modalibus.*

Enunciatio modalis explicatur. Enunciatio modalis est quæ explicat modum quo prædicatum conuenit vel non conuenit subiecto. Cùm igitur modus conueniendi sit quatruplex, nempè possibilis, impossibilis, necessarius, &

con-

contingens: quatuor sunt quoque genera enunciationum modalium.

Potest autem hic conueniendi modus duabus formulis explicari. Vna est per aliquod aduerbium, dicẽdo homo necessariò est animal, contingenter est iustus. Alia est, dicendo hominem esse animal est necessarium, impossibile est hominem esse animal. In qua forma dicendi, ly hominem esse animal, hominẽ esse lapidem, à Dialecticis vocatur Dictũ: ly verò, est necessarium, est impossibile, appellatur Modus. Vnde propositio modalis constat ex dicto & modo. Dictũ se habet vt subiectũ, modus vt prædicatum. Nam de dicto affirmatur aut negatur modus. Quãdo enim dicitur necesse est hominem esse animal; de hoc dicto affirmatur modus necessitatis.

Enunciationis modalis qualitas. Sed quãuis enũciationes modales possint constare ex modo contingenti, necessario, possibili, & impossibili: tamẽ quælibet enunciatio modalis, si est vera, est necessaria: si est falsa, est impossibilis. Vnde hęc dicetur necessaria, contingens est hominem esse album, quia ita est vera vt non possit esse falsa. E contra falsa & impossibilis est hæc, contingens est, siue possibile est hominem esse lapidem, quia impossibile est vt contingat hominem esse lapidem. Ex quo etiam patet ad veritatem enunciationis modalis, non debere per se attẽdi veritas ipsius dicti in se, sed potius an modus verè affirmetur vel negetur de dicto. Quare hæc est vera, impossibile est hominem esse lapidem: & hæc est falsa contingens est hominem esse animal, quia falsum est id esse cõtingens. Et sic euidenter constabit in alijs omnibus.

Deinde quantum attinet ad affirmationem & negationem harum enunciationũ modalium: non est attendendum, si dictũ per se sit affirmatiuum, vel negatiuum, sed si modus affirmetur vel negetur de dicto. Itaque hæc est affirmatiua, necesse est hominem non esse lapidem, licèt dictum sit negatiuum: & hæc est negatiua, necesse non est hominem esse doctum, licèt dictum sit affirmatiuum.

Enunciationis modalis quãtitas. Denique quoad quantitatem: duplex quantitas in eis considerari potest. Vna ex parte dicti, si sit vniuersale vel particulare, necesse est omnem hominem esse animal, aliquem hominem esse animal. Alia ex parte modi. Vbi ex quatuor modis assignatis, duo dicuntur vniuersales, scilicet necessarium, & impossibile: & duo particulares, possibile, & contingẽs. Dicuntur illi vniuersales secundùm tempus: quia nimirũ modus necessarius ponit rem pro omni tẽpore: modus impossibilis tollit rem pro omni tempore. Contingens autem non omni tempore, rem ponit aut tollit: & similiter possibile. At verò cuicunque ex his modis adiungatur negatio: si est vniuersalis, efficitur particularis: si est particularis, efficitur vniuersalis. Vnde hi erunt modi vniuersales, non contingere & non possibile: hi verò particulares, non necessarium, non impossibile.

CAPVT VIII.
De Oppositione, Aequipollentia, & Conuersione modalium.

Pauca quædam & breuiter de hac re attingemus, quæ magis necessaria & vtilia videntur: relicta etiam omnino enunciatione modali ex contingenti, quę vix certam aliquam regulam cum alijs seruare posset.

Oppositio modaliũ ex parte modi. De Oppositione igitur, necessarium & impossibile sunt modi contrarij, & efficiunt enunciationes contrarias: quare hę sunt contrariæ, necesse est hominem esse iustum, impossibile est hominem esse iustum. Modi verò subcontrarij sunt, possibile & possibile non: quare hæ sunt subcontrariæ, possibile est hominem esse iustum, possibile est hominem non esse iustum. Itaque hic modus quem dicimus possibile non, constituit negationem ex parte dicti. Modi subalterni sunt necesse & possibile: item impossibile & possibile non: & hæ sunt subalternæ, necesse est hominẽ esse animal, possibile est hominem esse animal: itẽ impossibile est hominem esse lapidem, possibile est hominem non esse lapidem. Modi denique contradictorii sunt, necesse & possibile non: impossibile & possibile. Vnde hæ sunt contradictoriæ, necesse est hominem esse animal, possibile est hominem non esse animal: item impossibile est hominem esse animal, possi-

bile est hominem esse animal. Possunt etiam enunciationes modales fieri contradictoriæ per appositionem negationis ex parte modi; vt possibile est hominem esse animal, possibile non est hominem esse animal: & sic per singulos alios modos. Quantùm verò attinet ad veritatem & falsitatem omnium harum oppositarum enunciationum, eædem regulæ valent, quas de veritate & falsitate in oppositione enunciationum absolutarum tradidimus.

Oppositio ex parte dicti. Demum potest considerari aliqua oppositio quæ oritur ex oppositione dicti; quando scilicet dictum vnius enũciationis modalis est oppositum cum dicto alterius: vt necesse est omnem hominem esse iustum, necesse est nullum hominem esse iustum. Atque hæc oppositio, si cum oppositione modorum coniungatur, miras habet varietates. Sed quia res esset magis molesta, quàm vtilis, consultò illam latiùs prosequi omittimus. Satis erit aduertere, non semper eandem oppositionem reperiri inter integras enunciationes modales, quæ inter ipsa dicta reperitur. Non enim hæ modales sunt cõtrariæ, possibile est omnem hominem esse iustum, possibile est nullum hominem esse iustum: siquidem ambæ sunt veræ, cùm tamen dicta contraria sint, & non possint esse simul vera.

Aequipollentia modalium. De æquipollentia modalium dicendũ est: Quando sunt duæ contradictoriæ ex parte modi, vt impossibile est, hominem esse iustum, possibile est hominem esse iustum: si alicui modo addatur negatio, vt non est possibile hominem esse iustum, vel non est impossibile hominem esse iustum; sic fiet vna enunciatio æquipollens alteri quæ erat contradictoria. Item quãdo sunt duo dicta contradictoria, si de altera illorum affirmetur, nec esse de altero impossibile, fient enunciationes æquipollentes: vt necesse est hominem esse iustum, impossibile est hominem non esse iustum. Alias regulas quæ assignari possunt, facilè est colligere & considerare ex dictis.

Conuersio modaliũ. Conuersio denique enũciationum modalium consistit in conuersione terminorum dicti, ita vt prædicatum fiat subiectũ, & subiectũ fiat prædicatum. Possunt autẽ conuerti simpliciter enunciationes, in quibus dictum est vniuersale negatiuum: vt necesse est nullum hominem esse lapidem, nullum lapidem esse hominẽ, & in quibus dictũ est particulare affirmatiuũ: vt necesse est aliquem hominem esse animal, aliquod animal esse hominem. In enunciationibus verò ex necessariò, aut ex possibili, in quibus dictum fuerit vniuersale affirmatiuum, fiet conuersio per accidens: vt necesse est omnem hominẽ esse animal, aliquod animal esse hominẽ. Neque hæc conuersio habet locum in modalibus ex impossibili.

CAPVT NONVM.

De Enunciationibus coniunctis, siue hypoteticis.

Enũciatio coniũcta explicatur. Enunciatio cõiuncta est, quæ ex pluribus simplicibus simul iunctis constat. Debent autem ipsæ enunciationes simplices aliquo nexu iungi inter se, ad hoc vt dicantur constituere vnam coniunctam. Et hic nexus erit copula aliqua aduerbialis, sicut in ipsa enunciatione simplici datur copula verbalis.

Multiplex esse potest huiusmodi copula & coniunctio aduerbialis, vnde plura genera enunciationis coniunctæ efficiuntur. Alia est copulatiua, qualis est particula, Et, atque, & similes æquiualentes: Deus est bonus et est iustus, Petrus loquitur ac Paulus audit. Alia est disiunctiua, qualis est particula, vel, aut, siue, & omnis alia similis: Petrus vel est bonus vel malus, aut Petrus aut Paulus currit. Alia est illatiua, quæ denotat vnum sequi & inferri ex alio. Et hæc rursus multiplex est. Alia est conditionalis: si Sol lucet dies est. Alia est causalis: quia Sol lucet dies est. Alia demum dicitur rationalis: Petrus currit, ergo mouetur. Itaque coniunctio copulatiua cõstituit enunciationẽ coniunctã copulatiuã, disiunctiua disiunctiuã, illatiua illatiuã: & in hoc genere conditionalis conditionalem, causalis causalem, rationalis rationalẽ. Omnes tamẽ has enunciationes illatiuas, alij solent appellare conditionales. Sed clarior est modus loquendi quo nos loquimur. Enunciatio etiam conditionalis est, quæ propriè dicitur hypotetica, idest ex hypo-

hypotesi aliquid enuncians: & per extẽsionẽ vocabuli factum est, vt omnis enunciatio coniuncta dicatur hypotetica.

Omnes enunciationes coniunctæ habent suam qualitatẽ essentialem affirmationis aut negationis. Non quidem ex eo quod enunciationes simplices quibus cõstant, sint affirmatiuæ aut negatiuæ: sed eo quòd copula aduerbialis affirmetur vel negetur. Tunc autem hæc copula negatur, cùm in principio totius enũciationis coniunctæ apponitur negatio: vt non Petrus currit & loquitur: non si Sol lucet dies est. Itaque hæ sunt affirmatiuæ, Petrus non currit & non studet: si Sol non lucet dies non est. Et idem obseruandum est in reliquis. Quantitatem verò enunciationes coniunctæ nullam habent propriam, sed ea solùm attendenda est ex quantitate simplicium. Quare nec habẽt propriam oppositionem ratione quantitatis, habent tamen propriam oppositionem contradictoriam, quæ ex propria affirmatione & negatione ipsarũ nascitur.

Copulatiua. Vt iam de ijs enunciationibus sigillatim agamus, incipiendum ab enũciatione copulatiua. Hæc potest constare ex duabus vel pluribus simplicibus. Ad eius autem veritatẽ requiritur, vt quælibet simplex vera sit; quare si vna tantùm sit falsa, ipsa enunciatio copulatiua erit falsa. Itaque hæc est falsa, homo est animal & est rationalis, & est risibilis, & est lapis. Deinde tunc enunciatio copulatiua est necessaria, cùm omnes eius partes sunt necessariæ: tunc est contingens, cùm vel vna solùm simplex est contingens: tunc deniq. impossibilis, quando vel aliqua simplex est per se impossibilis, vel plures simplices sunt inter se repugnãtes, ita vt sit impossibile illas esse simul veras. Ad enunciationes copulatiuas reducuntur eæ quę dicuntur aduersatiuæ; vt Petrus est prudens, sed tamen est fortis. Item aliæ quæ dicuntur comparatiuæ; vt sicut Petrus est doctus, ita et est Paulus. & aliæ similes.

Disiũctiua. Enunciatio disiunctiua potest similiter ex pluribus & pluribus simplicibus constare. Ad eius veritatem requiritur, vt aliqua vna ex simplicibus verificetur, etiam si reliquæ omnes falsæ sint. Itaque hæc est vera, Petrus vel est lapis, vel est equus, vel est homo. Et si nulla ex simplicibus vera sit, tota disiunctiua est falsa. Sed difficultas est, num quando omnes simplices sunt veræ, ipsa disiunctiua sit vera, vt Petrus vel est homo, vel est rationalis. Et veteres quidem Auctores talem disiunctiuam falsam existimarunt: Recentiores autem pleriq. veram existimant. Sed Arist. 10. Met. cap. 4. significauit esse vanam & ridiculam. Et sanè in rigore disiunctionis videtur falsa: quia disiũctio veluti excludit & negat coniunctionem omnium partium. At ex intento loquentium potest esse vera: quando nẽpè aliquis intendit nec negare nec affirmare coniunctionem partium, sed solum velu i vagè affirmare veritatẽ alicuius partis. Deinde illa disiũctiua dicetur necessaria, quæ constat ex partibus contradictorijs, aut talibus quæ ad contradictorias possunt reduci: vt vel omnis homo mouetur, vel aliquis non mouetur: Petrus vel mouetur vel quiescit. Item illa cuius altera pars est necessaria: vt Petrus vel est homo vel est Angelus. Impossibilis dicetur, cuius omnes partes sunt impossibiles: vt homo vel est lignum vel est lapis. Contingens demum erit, cuius aliqua pars est cõtingens: vt homo vel currit vel est lapis.

Illatiua. Enunciatio illatiua cùm sit ea in qua vnum ex alio infertur continet plures simplices quarum vna infertur ex alia. Illa quæ infertur, dicitur consequens. Illa ex qua hæc infertur, dicitur antecedens. Ad veritatem totius illatiuæ requiritur, vt benè vnum ex alio deducatur.

Conditionalis. Et hoc in primis valet in enunciatione conditionali, ad cuius veritatẽ nullo modo obest, si partes eius sint falsæ dummodo benè vna ex alia consequatur. Nam secundùm Dialecticos propria veritas conditionalis consistit in consequutione. Itaque hæc est vera, si homo habet alas potest volare: hæc autem est falsa, si Petrus est albus est doctus, quia non benè hoc ex illo sequitur, etiam si re ipsa verum sit Petrum esse album & esse doctũ. Vnde est illud commune proloquium, conditionalis nihil ponit in esse, quia non ponit veritatem enunciationum simplicium, ex quibus componitur. Ad enunciationem conditionalẽ plures aliæ reducuntur, quæ eundem sensum reddunt.

Rationalis & causalis. Enunciatio rationalis præter bonitatem consequentiæ requirit etiam veritatem simplicium Vnde hæc est falsa, homo habet alas, ergo potest volare. Enunciatio autem causalis præter hæc, requirit vt in antecedenti sit vera causa consequentis · vt quia ibi est ignis est fumus, causa enim fumi est ignis: hæc autem, esset falsa, quia ibi est fumus est ignis: quamuis verum esset dicere, ibi est fumus, ergo ibi est ignis: rationalis enim non requirit, vt antecedens sit causa consequentis in essendo, & in hoc differt à causali.

Cæterùm omnes illatiuæ enunciationes, quando consequens infertur necessariò ex antecedenti, dicuntur necessariæ: quando verò non prorsus necessariò, sed probabiliter, dicuntur probabiles. Vnde hæc est necessaria, si Petrus est homo est animal: hæc probabilis, si Petrus est cum iustis conuersatus, est iustus. Itaque etiam in enunciatione conditionali asserimus posse dari probabilem consequentiam. Et falsum putamus, quod multi dicunt, omnem enunciationem conditionalem vel esse necessariam vel impossibilem.

CAPVT X.

De quibusdam Enunciationibus exponibilibus.

Enunciatio exponibilis explicatur. SVnt quædam enunciationes, quæ licèt in se simplices videantur: tamen implicitè continent plures simplices enunciationes, quarè ad coniunctas reuocari possunt: quoniam si resoluantur, plures simplices in eis inuenientur; quæ resolutio dicitur expositio: vnde exponibiles appellatæ sunt. Et præcipuè tria sunt earum genera: aliæ sunt exceptiuæ: aliæ exclusiuæ: aliæ reduplicatiuæ.

Exclusiua. Exclusiuæ sunt, quæ continent signum aliquod exclusiuum, solùm, tantùm. Itaque hæc est exclusiua, homo tantùm currit. Cùm enim prædicatum aliquod possit pluribus & possit vni tantùm rei conuenire, dum in aliqua enunciatione explicatur prædicatum illi soli subiecto conuenire, excluduntur aliæ res à participatione illius prædicati; ita vt significetur soli illi subiecto conuenire illud prædicatum, & non alijs rebus. Hæc autem exclusio explicatur dicendo, homo tantum est rationalis. Quæ hoc modo resoluitur, homo est rationalis, & nulla alia res est rationalis. Itaque illa vna exclusiua resoluitur per has duas simplices. Similiter potest in aliqua enunciatione explicari, prædicatum ita conuenire subiecto, vt nullum aliud prædicatum illi conueniat: vt homo est tãtùm animal rationale. Quæ hoc modo per simplices exponitur; homo est animal rationale, & non est aliud quam animal rationale. Et hoc modo excluduntur alia prædicata ab illo subiecto: sicut priori modo excludebantur alia subiecta à participatione illius prædicati.

Habemus igitur propositionem esse exclusiuam, tum ex parte subiecti, tum ex parte prædicati: & quomodocunque sit, eas per duas simplices exponentes, quas veluti implicitè continebat, resoluimus. Sæpè tamen ambiguum, est an signum exclusiuum se teneat ex parte prædicati, an ex parte subiecti, vt homo tantùm currit, potest habere hunc sensum, homo currit, & nihil aliud facit, & sic exclusio est ex parte prædicati: potest etiam habere alium sensum, homo currit, & nulla alia res currit, & sic exclusio est ex parte subiecti. Et tunc vt veritas propositionis cognoscatur, distinguenda est. Quando autem signo exclusiuo additur negatio, vt non tantùm homo currit; sensus est, homo currit, & aliquis alius currit. Petrus non currit tantùm, idest Petrus currit & aliquid aliud facit.

Exceptiua. Enunciationes exceptiuæ sunt, quæ continent signum aliquod exceptiuum, qualis est particula præter. Itaque hæc est exceptiua, omne animal præter hominem est brutum. Quæ exponitur & resoluitur hoc modo, omne animal quod non est homo est brutum, & homo non est brutum. Et ideò dicitur exceptiua, quia excipit hominem à participatione illius prædicati. Vnde hæ enunciationes exceptiuæ differunt ab exclusiuis penes diuersum explicandi modum. Aduertendum est autem, sæpè particulam præter idem valere atque

atque vltra, vt omnes homines præter Aristotelem sunt Philosophi, hoc est vltra Aristotelem: & tunc sensus est, Aristoteles est Philosophus, & omnes etiam alij homines sunt Philosophi. Si autem ita exponeretur, omnes homines, excepto Aristotele, sunt Philosophi, tunc particula præter habet vim exceptionis & constituit propositionem exceptiuam.

Reduplicatiua. Enunciationes reduplicatiuæ, quarum frequens in scientijs vsus est, sunt quæ continent aliquam particulam reduplicatiuam, qualis est, quatenus, homo quatenus rationalis est risibilis. Et denotat rationem per quam prædicatum conuenit subiecto. Cùm enim eadem res habeat in se plures rationes, potest prædicatum aliquod ipsi conuenire propter vnam rationem, & non propter aliam. Vt ignis habet calorem & siccitatem; calefacere autem conuenit igni, non ratione siccitatis, sed caloris. Reduplicatio igitur determinat rationem, per quam prædicatum conuenit subiecto: ignis quatenus calidus calefacit; & falsum esset dicere, quatenus siccus calefacit. Igitur propositio reduplicatiua ita exponitur, ignis calefacit, & hoc conuenit ei ratione caloris. Potest autem reduplicari etiam idem subiectum, homo quatenus homo est rationalis; & sensus est, rationalitatem conuenire homini qua homo est. Vnde hæc esset falsa, homo quatenus homo est albus, quoniam de ratione humanitatis non est albedo. Itaque hinc frequenter dicitur, propositionem aliquam esse veram, vel reduplicatiuè, vel specificatiuè. Hæc enim, homo est rationalis, dicitur vera reduplicatiuè, quia rationalitas conuenit homini qua homo est: hæc autem, homo est albus, dicitur vera tantùm specificatiuè, quia albedo non conuenit homini cum illa reduplicatione qua homo est.

Alia quæ de his enunciationibus exponibilibus dici possent, omittimus, eo quòd minimè necessaria sint. De omnibus item coniunctis quibus addi potest modus, ita vt efficiantur modales, plura dici possunt, quæ similiter necessaria non sunt, & ex dictis iam colligi possunt.

TRACTATVS QVARTVS.

De Discursu, eiusquè directione per Argumentationem.

HIc est præcipuus & vltimus qui superest tractatus de directione tertiæ operationis intellectus, circa quam maxima pars Logicæ Aristotelis versatur, & quæ maiores habet difficultates, de qua proinde etiam à nobis fusiùs hoc loco agendum est: quia hæc pars est quæ magis desideratur & iuuat ad directionem logicam.

CAPVT PRIMVM.

Quid sit Discursus: & quomodo Argumentatione dirigatur.

Discursus explicatur. DIscursus est actus quidam intellectiuæ cognitionis, quo vnum ex alio infertur. Dum nimirum intellectus post cognitam aliquam propositionem, ex illa infert aliam: & sic ex vi assensus præstiti illi propositioni antecedenti, vel pluribus propositionibus, deducitur in cognitionem & assensum alterius conclusionis consequentis: & assensus huius conclusionis ex vi alterius præuiæ cognitionis circa antecedens, est propriè discursus. Itaque discursus est etiam essentialiter iudicium, & in hoc conuenit cũ secunda operatione. Tamen in hoc differunt, quòd in secunda operatione simpliciter iudicatur prædicatum conuenire aut non conuenire subiecto. At in tertia

operatione hoc iudicatur per illationem ex alio antecedēti iudicio. Et hinc discursus dicitur ex notis ad ignota procedere.

Potest esse rectus, aut indirectus.

Potest intellectus discurrens errare, cum ex propositione aliqua cognita, non benè sed malè aliam infert: vnde sæpè deceptio oritur, qñ putabimus verā esse illam conclusionem, quam ex veris propositionibus deducere videmur: & potest esse talis conclusio falsa, quando non bona, sed praua & vitiosa illatio fuerit: vt si quis ita discurrat, homo mouetur, ergo currit: vbi potest esse antecedens verum & consequens falsum.

Argumētatione dirigitur.

Propterea discursus maximè directione indiget, nè in inferendo erremus. Tradendusquè est modus, quo vnum ex alio rectè inferatur; quo modo probè cognito & obseruato, discursus noster rectè procedet. Peculiare ergo instrumentum ad hanc directionem peragendam traditur Argumentatio: quæ id propriè habet vt rectè dirigat actum illum, quo intellectus ex cognito antecedenti infert conclusionem: argumentatione namque semper vtimur, vt benè vnum ex alio inferamus.

CAPVT SECVNDVM.

De Argumentatione in communi: & de regulis generalibus eius.

Argumentatio explicatur.

Argumentatio est oratio in qua vnum ex alio infertur. Quæ definitio satis manifesta manet ex dictis. Et hinc constat, tres esse partes argumentationem componentes: nempè id quod infertur, & dicitur consequens: id ex quo infertur, & dicitur antecedens: & particulam illatiuam, quæ dicitur nota illationis, qualis est particula ergo. Ipsa autem formalis illatio siue sequela dicitur consequentia. Id quod infertur, & id ex quo infertur debet esse integra enunciatio: quare argumentatio necessariò continet plures enunciationes. Ipsæ enūciationes dicuntur materia proxima. Et quia enunciationes constant ex terminis, termini dicuntur materia remota.

Eius materia & forma.

In ipsis autem enunciationibus & terminis debet considerari quædam dispositio siue coordinatio, vt scilicet talis terminus sit in hac propositione subiectum, in altera prædicatum, vel semper sit prædicatum, vel semper subiectum. Hæc dispositio, siue collocatio terminorum, dicitur forma argumentationis. Itaque in hac argumentatione, omnis homo est animal, omne risibile est homo, ergo omne risibile est animal: termini siue materia sunt homo risibile & animal; forma autem est ea collocatio terminorum, qua homo est subiectum in prima, prædicatum in secunda propositione, risibile subiectum in secunda & tertia, animal prædicatum in prima & tertia. Rursus ad formam pertinet, qualitas & quantitas propositionum, quòd nempè sint affirmatiuæ & vniuersales. Hæc autem forma potest cuicunque alteri materiæ applicari, idest in alijs terminis exerceri: quia quicunque alij tres termini possunt eodē modo disponi. Et tunc dicetur esse eadem forma, licet materia sit diuersa; vt omnis leo est substantia, omnis equus est leo, ergo omnis equus est substantia.

Illationis bonitas.

Deinde quia de ipsis terminis & enunciationibus secūdùm se iam satis egimus in prioribus tractatibus, tractandum modò magis superest de illatione, quæ præcipuè in argumentatione attenditur. Sciēdum est itaque illationem siue consequētiam esse bonam, ex eo quòd benè vnum ex alio sequatur siue inferatur, quamuis propositiones falsæ sint. Vnde hæc est bona consequentia, homo est equus, ergo est hinnibilis. Et potest consequentia esse, vel necessaria, vel probabilis. Necessaria est, cum consequens necessariò sequitur ex antecedenti, vt in exemplo posito. Probabilis est quando consequēs tantùm probabiliter & nō necessariò sequitur, vt Petrus diligenter studet, ergo doctus euadet. Sunt autem generales quędam regulæ, ad quamlibet argumentationem deseruientes, assignandæ, quibus declaratur quidnam possit in bona consequentia ex alio inferri.

Bona illationis. Prima regula.

Prima regula est. Verum infertur ex vero & ex falso: vt Petrus est homo, ergo est rationalis: Petrus est equus, ergo est animal. Quāuis enim antecedens falsum sit, tamen ex eo benè sequitur consequens verum: quia ex eo quòd dicatur esse equus benè sequitur esse animal: ita

vt

vt qui concederet antecedens cogeretur ratione consequentiæ concedere etiam consequens.

Secunda regula. Secunda regula est. Falsum infertur solùm ex falso. Falsum inferri ex falso, patet: equus est homo, ergo est rationalis. Nunquam autem falsum inferri ex vero in bona consequentia, patet: quia nunquam fieri potest, vt aliquis admisso antecedenti vero, concederet ratione illationis consequens falsum. Vnde optimè è conuerso ex falsitate consequentis, infertur etiam antecedens esse falsum. Benè etiam infertur contradictorium antecedentis ex contradictorio cõsequentis: quia eadem est ratio, vt patet. Ex his duabus regulis constat verissimum esse quod dici solet: Ex vero non nisi verum, falsum non nisi ex falso, ex falso verum & falsum.

Tertia regula. Tertia regula est. Consequens necessarium infertur, tum ex antecedenti necessario, tum ex impossibili, tum ex contingenti: vt Petrum esse animal est necessarium. Potest inferri ex eo, quia Petrus est homo, quod est necessarium: ex eo quod dicatur esse equus, quod est impossibile: & ex eo quod currat, quod est contingens. Vnde dici solet, necessarium sequi ex quolibet.

Quarta regula. Quarta regula. Impossibile solùm sequitur ex impossibili. Non enim potest sequi ex necessariò, nec ex contingenti. Quare quandocũque consequens est impossibile, & consequentia bona, planè infertur antecedens esse impossibile.

Quinta regula. Quinta regula. Contingens infertur, tum ex impossibili, tum ex contingenti: vt homo currit, ergo mouetur; homo volat ergo mouetur. Non potest autem contingens inferri ex necessario. Quia ex necessario non sequitur nisi necessarium: ex impossibili autẽ sequitur quodlibet: ex contingenti contingens & necessarium.

Sexta regula. Sexta regula. Ex quocunque sequitur antecedens, sequitur etiam consequens; vt cùm dicimus Petrus est animal, ergo est substantia, illud antecedens potest inferri ex alio antecedenti, Petrus est homo, ergo est animal: ex hoc igitur etiam antecedenti, Petrus est homo, benè sequitur illud prius consequens, ergo est substantia.

Septima regula. Septima regula. Quicquid sequitur ex consequenti, sequitur etiam ex antecedenti: vt Petrus est homo, ergo est animal: ex eo quod est animal infertur quod sit sensitiuus: quare etiam ex eo quòd est homo sequitur hoc idem.

CAPVT III.

Quotuplex sit Argumentatio.

Consequẽtia, et Argumentatio. Cvm in quolibet consequenti includantur duo termini subiectum & prædicatum. Vno modo fit illatio assumendo aliquem alium terminum ab ijs distinctum: v. g. homo est rationalis, ergo homo est risibilis. Talis terminus distinctus appellatur argumentum, quo probatur conclusio. Alio modo potest inferri consequens, nullo alio posito termino distincto: vt cùm inferimus propositionem conuertentem ex conuersa, aliquis homo est animal, ergo aliquod animal est homo: item cum inferimus vnam æquipollentem ex alia, subalternatam ex subalternante.

Argumentatio potest vno modo amplè sumi vt vtrũque genus complectatur. Alio modo presse sumitur pro ea, quæ procedit ex medio distincto: & aliæ illationes appellantur potius meræ consequentiæ.

Argumẽtatio materialis et formalis. Deinde diuiditur argumentatio in materialem & formalem. Materialis est, quæ concludit ex vi materiæ, siue ex vi connexionis materialis, quam habent termini inter se. Formalis est, quæ concludit ex vi formæ, hoc est ex vi dispositionis & collocationis terminorum, in qua dicebamus consistere formam argumentationis. V.g. hæc argumentatio, Petrus est homo, ergo est rationalis, benè concludit: benè namque infertur ex eo quòd est homo est rationalis, quia homo & rationale necessariò cõiunguntur. Et sic dicitur concludere ex vi materiæ. Si autem hæc eadem forma argumentandi exerceatur in alia materia, potest esse vt non benè concludat: vt si dicas, Petrus est homo, ergo est hinnibilis. Similiter benè concluditur ex vi materiæ, omne secundum sequitur primum, omne ter-

tertium sequitur secundum, ergo omne tertium sequitur primum. At si hæc eadem forma alteri materiæ applicetur, nõ benè concludet, omnis iustus fugit impium, omnis impius fugit Deũ, ergo omnis iustus fugit Deum.

Hæc autem argumentatio omne animal est viuens, omnis homo est animal, ergo omnis homo est viuens, est formalis & concludit ex vi formæ: quæ eadem forma, in quacunque alia materia exerceatur & in alijs terminis, semper consequentia erit optima. Vnde si dicatur, omnis lapis est animal, omnis homo est lapis, ergo omnis homo est animal: consequentia erit bona: quia quãuis propositiones sint falsæ, tamen ex illis benè infertur illud consequens ratione formæ, scilicet ratione talis dispositionis & collocationis terminorum; quæ dispositio cùm apta fuerit, semper aptè concludet. Et quidem argumentationes illæ quas diximus appellari potius consequentias aptè concludunt ex vi formæ: quia si v. g. hæc forma conuersionis, nullus homo est lapis, ergo nullus lapis est homo, applicetur cuicunque alteri materiæ semper benè concludet. Vnde hæc erit bona consequentia, nullus homo est animal, ergo nullum animal est homo: & idem est de alijs. Argumentatio autem propriè dicta potest esse formalis & materialis. Omnisquè illatio formalis est necessaria: materialis potest esse necessaria vel probabilis iuxta connexionem vel necessariam vel probabiliter existimatam inter ipsos terminos.

Argumẽtationis species, Syllogismus. Entymema. Inductio. Exemplũ

Demum argumentatio propriè dicta diuiditur in quatuor species, syllogismũ, Enthymema, Inductionem, & Exemplum. Exemplum est cum argumentum petitur ab exemplo. Petrus in diuitijs felicitatem non inuenit, ergo neque Paulus inueniet. Inductio est à singularibus ad propositionem vniuersalem: homo est sensitiuus, leo est sensitiuus, & sic de singulis animalibus, ergo omne animal est sensitiuum. Entymema est, quod ex duabus enunciationibus constat hoc modo: homo est rationalis, ergo est risibilis. Syllogismus est cum ex duabus propositionibus certo modo dispositis infertur conclusio; omnis homo est animal, Petrus est homo, ergo est animal. Atque omnis syllogismus ex vi formæ concludit, cæteræ argumentationes, vt plurimùm ex vi materiæ. Iam nunc specialiter de syllogismo agendum est: quoniam aliæ argumentationis species ad syllogismum reduci debent, & ex illo vim sumunt.

CAPVT QVARTVM.

De Syllogismo.

Syllogismus definitur.

Syllogismus, præcipua argumentationis species, ita definitur ab Aristotele 1. Prior. cap. 1. Est oratio, in qua quibusdam positis, aliud quid ab ijs quæ posita sunt ex necessitate accidit. Et sensus est, syllogismum esse orationem continentem plures propositiones, ex quibus apto modo dispositis, aliqua distincta conclusio necessariò sequitur & infertur. Illæ autem propositiones debent esse duæ, quæ dicuntur præmissæ, & illa quæ infertur dicitur conclusio.

Ex quo intelligitur, quæ sit materia syllogismi, & quæ forma. Materia enim proxima sunt ipsæ propositiones, materia remota sunt propositionum termini. Forma autem est certa illa dispositio terminorum ac propositionum modo requisito ad inferendam conclusionem.

Colligitur etiam ex hac definitione, consequentiam siue illationẽ syllogismi secundùm se esse necessariam, & non posse dici tantùm probabilem. Item colligitur, syllogismũ cõcludere ex vi formæ. Ad hoc tñ, vt quis cõcedere teneatur cõclusionem, non sufficit bona forma syllogismi, si præmissæ negentur. Sed quãdocunque quis concesserit præmissas, si ex eis in bona consequentia cõclusio deducatur, non poterit negare conclusionem. Et hoc denotatur per illam particulam definitionis, quibusdam positis: vbi propterea aliqui magis explicãt, quibusdam positis & concessis.

Differt ab omni alia argumentatione.

Itaque per hanc definitionem differt in primis syllogismus ab omni alia consequentia quæ non erat tam propriè argumentatio; quia cum conclusio syllogismi debeat esse propositio distincta à præmissis, oportet dari argumentum siue medium terminum distinctum ab ijs ter-

terminis qui in conclusione ponuntur. Differt item syllogismus ab omnibus alijs argumentationis speciebus, enthymemate, exemplo, & inductione: quia de nulla harum argumentationum dici potest, quod quibusdã propositionibus certa forma dispositis, aliud consequens necessariò deducatur. Non enim in ijs habentur plures propositiones ita dispositę, vt ex vi formæ consequens necessariò inferatur.

CAPVT V.

De materia Syllogismi.

Patet ex dictis, materiam proximam syllogismi esse debere tres propositiones, nempè duas præmissas & vnam conclusionem. Et magis propriè nomen propositionis cõuenit ipsis præmissis, quæ proponuntur ad inferendam conclusionẽ, præponuntur conclusioni, tamen per extensionem vocabuli, & conclusio & omnis enunciatio appellari solet etiam propositio.

Materia proxima sunt propositiones

Propositiones, ex quibus syllogismus componitur, possunt esse coniunctæ & hypoteticæ: & hæ constituunt syllogismũ hypoteticum. Possunt esse modales: & hæ constituunt syllogismum modalem. Possunt esse simplices & absolutæ: & hæ constituunt syllogismum qui dicitur categoricus. Et de hoc specialiter modò loquemur.

Remota sunt termini.

Patet etiam ex dictis materiam remotam syllogismi esse terminos. Modò videndum superest, quot & qui esse debeat termini ex quibus propositiones syllogismi constent. Et dicendum est debere esse tres, ita vt nec pauciores nec plures esse possint. Nam in conclusione debent esse duo termini subiectum & prædicatum. In præmissis debet esse alius terminus distinctus, qui dicitur argumentum, ex quo probatur conclusio. Et in vna præmissa coniungitur cum hoc argumento vnus illorum terminorum, qui postea in conclusione ponuntur, in alia præmissa alius. Et ita quælibet ex tribus propositionibus differt à quolibet alio per vnũ terminum: & quilibet terminus bis ponitur in syllogismo. Itaque in præmissis duo termini coniunguntur cum tertio, quod est argumentum, & in conclusione illi duo termini coniunguntur inter se. Et hæc est vis syllogismi, quod ex coniunctione seu habitudine duorum cum tertio, infertur coniunctio & habitudo eorum inter se. V. g. homo est animal, Petrus est homo; ergo Petrus est animal.

Extrema & mediũ

Ex his autem tribus terminis, illi duo qui in conclusione ponuntur, & qui in præmissis coniunguntur cum tertio, dicuntur extrema; & vnus dicitur maius extremum, seu maior extremitas: alius dicitur minus extremum, seu minor extremitas. Ille autem tertius terminus qui ponitur tantùm in præmissis & non in conclusione dicitur medium, medius terminus. Quoniã veluti extrema coniungũtur priùs cum medio, vt per illum coniungantur inter se. Et ex duabus præmissis, vna dicitur maior, altera minor: vna dicitur maior, in qua ponitur maius extremum: altera minor, in qua ponitur minus extremum.

Postremò aduertendum est medium terminum posse esse vel communem, vel singularem. Si est singularis, efficit syllogismum, qui dicitur expositorius. Si communis, efficit syllogismum qui absolutè appellatur syllogismus categoricus. Item terminos posse poni vel in recto, homo est animal, vel in obliquo, Regnum est à Deo, & hic dicitur syllogismus ex obliquis. De syllogismo ergo expositorio, & ex obliquis, postea separatim agemus: modò loquemur specialiter de eo, qui absolutè dicitur syllogismus.

CAPVT SEXTVM.

De forma Syllogismi.

De tribus figuris, & de diuersis figurarum modis.

Forma cõsistit in figura & modo.

Forma syllogismi duo dicit. Vnum est apta dispositio & ordinatio terminorum inter se, extremorum cum medio. Et hæc dicitur figura syllogismi: quæ ita definitur, est apta collocatio terminorum cũ medio, in præmissis secundùm debitam subiectionem & prędicationem,

ad

ad aliquid concludendum. Apta autem collocatio est, vt in vna præmissa coniũgatur vnum extremum cum medio, in altera præmissa alterum extremum cum eodem medio, in conclusione coniungãtur ipsa extrema sine repetitione medij.

Figuræ sunt tres.

Deinde hæc dispositio terminorum triplex esse potest: vnde tres figuræ distinguuntur. Prima est, quando medium vni extremo subijcitur & de altero prædicatur. Secunda est, quando medium de vtroque extremo prædicatur. Tertia est, quando medium vtrique extremo subijcitur. At verò in prima illa dispositione videtur distingui si medium subijciatur maiori extremo, & prædicetur de minori: aut è conuerso subijciatur minori & prædicetur de maiori extremo. Quando medium subijcitur maiori, & prædicatur de minori extremo, est prima figura si è conuerso subijciatur minori & prædicetur de maiori, videbitur alia figura distincta. Et ita refertur ex sententia Galeni quarta figura. Verum hæc à Peripateticis non recipitur. Et nos putamus non debere à prima distingui: quia quandocunque vnum extremum prædicatur, & alterum subijcitur, respectu medij, illud quod prædicatur dici debet maius, & quod subijcitur minus extremum: & ita non potest dari illa distinctio. De qua re suo loco in Logica plenius discurremus.

Modi sũt sexdecim

Aliud in quo præter figuram consistit forma syllogismi, est dispositio præmissarum secundum quantitatem & qualitatem essentialem; hoc est secundùm vniuersalitatem & particularitatem, affirmationem & negationem. Hic dicitur modus syllogismi. Non quilibet autem modus in qualibet figura concludit. Sed certæ regulæ assignandæ sunt, qui modi in qua figura cõcludãt. Vnde aliqui modi dicuntur apti & vtiles, aliqui inepti inualidi & inutiles. Atque in vniuersum sexdecim distincti modi in qualibet figura esse possunt. Quod patet sic. Vel vtraque præmissa est vniuersalis: & hic est vnus modus. Vel vtraque particularis: & hic est alius modus. Vel maior vniuersalis & minor particularis: vel maior particularis & minor vniuersalis: & hi sunt duo alij modi. Et ita habentur quatuor modi ex parte quantitatis. Deinde horum quilibet quatruplex esse potest ex parte qualitatis. Aut enim ambæ præmissæ sunt affirmatiuæ; aut ambæ negatiuæ: aut maior affirmatiua & minor negatiua: aut maior negatiua & minor affirmatiua. Vnde habentur sexdecim distincti modi.

Modi vtiles in singulis figuris.

Iam vt designentur qui modi in qua figura concludant, & vt faciliter memoria retineri possint: quatuor versus à Dialecticis miro artificio elaborati extant, qui decem & nouem vocabula continent: & singula vocabula singulos modos signant. Versus & vocabula hæc sunt.

Barbara. Celarẽt. Darij. Ferio. Baraliptõ.
Celãtes. Dabitis. Fapesmo. Frisesomorũ.
Cesare. Camestres. Festino. Barocco.
Darapti.
Felapton. Disamis. Datisi. Bocardo.
Ferison.

Harum dictionum qualibet tres syllabas cum tribus vocalibus continet. In ijs autem, in quibus plures continentur primæ tantùm tres considerandæ sunt: reliquæ ad solam versus ac commoditatem appositæ sunt. Hæ tres vocales, tres syllogismi propositiones denotant: prima maiorem; secunda minorem: tertia conclusionem. Hæ autem vocales non sunt nisi, A, E, I, O. A denotat propositionem vniuersalem affirmatiuam. E vniuersalem negatiuam. I particularem affirmatiuam. O particularẽ negatiuam. Itaque illius modi cuius prima vocalis est A, maior debet esse vniuersalis affirmatiua: cuius fuerit E, debet esse vniuersalis negatiua: & sic de reliquis. Vnde Barbara habet omnes tres vniuersales affirmatiuas; Celarent maiorem & conclusionem vniuersalem negatiuam, minorem vniuersalem affirmatiuam; & sic in reliquis modis.

Cæterùm non omnes hi modi benè concludunt in singulis figuris. Sed alij in prima, nempè primi nouem, Barbara, celarent, &c. Alij in secunda, nempè sequentes quatuor, Cesare, Camestres, Festino, Borocco. Alij in tertia, nempè sex vltimi. Ex illis autem sexdecim structuris modorũ quas antea numerauimus, aliquæ in nulla figura deseruiunt, aliquæ in vna tantùm, aliquæ in pluribus. Et ideò mutato numero decem & nouem modi

modi vtiles pro omnibus figuris in vniuersum efficiuntur; in prima nouem tantùm, in secunda quatuor, in tertia sex.

CAPVT VII.

De Regulis generalibus ad omnes figuras.

VT ex propria radice pateat, quinam ex illis sexdecim modis vtiles, quinam verò inutiles, & quanam ratione in singulis figuris existant, quædam regulæ tradendæ & obseruandæ sunt.

Prima regula. Prima regula est ad excludendas propositiones indefinitas, has non debere in syllogismis collocari. Et quidem in illis modis nominatæ non sunt, sed penitus prætermissæ propositiones indefinitæ. Interdum tamen ponitur aliqua indefinita pro particulari vel vniuersali. & tunc vtique benè pro illa deseruit.

Secunda regula. Secunda regula. Ex duabus præmissis particularibus, siue affirmatiuis, siue negatiuis, nihil sequitur. Vnde nullus vtilis modus extat, qui ex huiusmodi particularibus procedat. Per hanc regulam excluduntur quatuor ex illis sexdecim modis: vnus qui constat ex particularibus affirmatiuis, alius qui ex negatiuis, alius qui ex maiori affirmatiua & minori negatiua, alius qui ex maiori negatiua & minori affirmatiua.

Tertia regula. Tertia regula. Ex duabus præmissis negatiuis nihil vi formæ benè concluditur. Per hanc regulam similiter excluduntur quatuor ex illis sexdecim modis: duo qui constent ex ambabus negatiuis, vel vniuersalibus, vel particularibus; & alij duo qui ex vna vniuersali & altera particulari. Quia autem is qui constat ex duabus particularibus negatiuis per vtranque hanc regulam excluditur: septé modi sunt qui per has duas regulas excluduntur. Reliqui nouem vtiles sunt. Sed quinam illorum in qua figura concludant, in sequentibus constabit. Modò supersunt aliæ regulæ obseruandæ pro ipsis modis vtilibus vt benè concludant.

Quarta regula. Quarta regula est. Termini nondebent mutari aut variari per aliquam additionem vel detractionem, dum singuli termini secundo loco repetuntur. V, g. si quis dicat omne animal rationale est homo, debet in minori repetere totum illum terminum complexum: alioqui si solùm diceret, omne sensitiuum est animal, inferret omne sensitiuum est homo, quod est falsissimum: quamuis præmissæ veræ sint, & syllogismus videatur in Barbara. Item si quis pro maiori assumat, Petrus amat Paulum, vbi per resolutionem propositionis prędicatum est amâs Paulum: deberet postea id totum repetere, & non posset repeti solùm Paulus. Ideò etiam non benè concluditur, omnis homo differt à leone, omne rugibile differt ab homine, ergo omne rugibile differt à leone: quia in maiori subiectum est ly homo, in minori autem additur differt ab homine. Itaq. quando aliquis terminus variatur: tunc in rigore efficiuntur quatuor termini: & ideò non fit aptus syllogismus ex vi formæ concludens.

Quinta regula. Quinta regula. Omnes & singuli termini debent retinere eandem suppositionem & significationem. Et ad hanc rem valde deseruiunt ea quæ circa significationem & suppositionem terminorum diximus tractatu 2. Itaque hic non erit bonus syllogismus, omnis agnus est brutum, omnis innocens est agnus, ergo omnis innocens est brutum: quia agnus in maiori supponit propriè, in minori metaphoricè; & ita variatur suppositio. Itē omnis populus est arbor, omnis ciuitas est populus, ergo omnis ciuitas est arbor: quia populus accipitur secundùm diuersam significationem. Vnde licèt materialiter sint tres termini, tamen formaliter sunt quatuor termini.

Sexta regula. Sexta regula, de suppositione medij termini. Medium debet distributiuè supponere in aliqua præmissa: vt dicendo omnis homo est animal, Petrus est homo, &c. ly homo distribuitur in maiori: item dicendo aliquod animal non est homo, ly homo verè distribuitur: quia sensus est, neque est hic neque ille neque vllus homo, & sic homo accipitur pro omnibus & singulis. Itaque dupliciter fit hæc distributio: terminus qui est subiectum propositionis distribuitur per appositionem alicuius signi vniuersalis, omnis, nullus: qui est prædicatum distribuitur per propositionem negatiuam, non per affirmatiuam. Debet autem medium distri-

distribui iuxta exigentiam extremorum. Cùm enim duplex sit distributio, vna pro generibus singulorum, altera pro singulis generum: interdum prima sufficit: interdum secunda requiritur. Vt benè dici potest, omne animal fuit in arca Noe, equus est animal, ergo &c. quia cum equus sumatur pro specie, sufficit animal distribui pro generibus siue speciebus. Non autem benè diceretur, hic equus est animal, ergo hic equus fuit in arca Noe: quia cum hic equus sit indiuiduum, animal debuisset distribui pro omnibus & singulis indiuiduis, quo sensu maior esset falsa. Insuper hinc oritur regula valde notanda in Diuinis. Cùm enim essentia Diuina quamuis singularis sit realiter communis tribus personis, potest suo modo sumi distributiuè, & debet sic sumi iuxta exigentiam terminorum. Vnde si quis dicat omnis essentia Diuina est Pater, Filius est essentia Diuina, ergo Filius est Pater: non benè concludit: quia essentia Diuina cùm sit communis tribus personis, deberet sic distribui: omnis persona quæ est essentia Diuina est Pater: & hæc propositio falsa est, & ita non mirum si infert falsam conclusionem. Et alia similia obseruari possunt. Itaque medium debet distribui iuxta exigentiam extremorum.

Septima regula. Septima regula, pro distributione extremorum. Extremum, quod non distribuitur in sua præmissa, non est distribuendum in conclusione. Si ergo dicatur, omnis homo est animal, omnis homo est substantia, ergo omnis substantia est animal: non benè concluditur, quia ly substantia distribuitur in conclusione, & non in præmissis. Nec est aptus syllogizandi modus, cùm ex præmissis veris inferatur conclusio falsa.

Octaua regula. Octaua regula pro ipsa conclusione. Quandocunque altera præmissarum fuerit particularis vel negatiua, conclusio non potest esse nisi particularis aut negatiua: & sic conclusio dicitur semper sequi debiliorem partem. Potest autem ex vtraque præmissa vniuersali inferri conclusio particularis: vt patet in Baralipton, & Darapti. Imo quandocunque infertur conclusio vniuersalis, potest etiã inferri particularis, quia sub vniuersali subalternantur omnes particulares. Non potest tamen ex vtraq. præmissa affirmatiua inferri conclusio negatiua.

Postremò dupliciter intelligi possunt coniungi extrema in conclusione. Vno modo, vt maius extremum prædicetur, & minus subijciatur: hæc dicitur conclusio directa. Alio modo, vt maius extremum subijciatur & minus prædicetur: hæc dicitur conclusio indirecta. Quinam verò modi directè aut indirectè concludant, iam videbimus.

CAPVT VIII.

De prima figura eiusquè modis.

Prima figura explicatur. Prima figura est, vt dicebamus, in qua medium vni extremo subijcitur & de altero prædicatur. Hinc dicitur medium subijci in maiori & prædicari in minori. Illudquè extremum quod de medio prædicatur dicitur maius extremum: quod subijcitur dicitur minus. Quando autem illud ipsum extremum quod prædicatur de medio, est etiam prædicatum in conclusione, directè concluditur: quando è conuerso, indirectè concluditur.

Hi quatuor modi directè concludentes. Hæc figura habet quatuor modos directè concludentes, nempè Barbara, Celarent, Darij, Ferio. Ad excludendos autem alios modos inutiles duæ regulę deseruiunt. Prima est. Ex maiore particulari nihil, ex ui formæ directè concluditur, sed omninò maior debet esse vniuersalis. Secunda est. Ex minore negatiua nihil directè concluditur, sed omnino minor debet esse affirmatiua. Et ratio est: quia si maior esset particularis, non distribueretur medius terminus qui est in illa subiectum. Et, si minor esset negatiua, tunc maius extremum quod non erat distributum in maiori affirmatiua, in qua erat prædicatum, distribueretur in conclusione negatiua, in qua etiam prædicatur. Itaque quatuor modi vtiles relinquuntur.

Barbara. Primus est, qui ex vtraque vniuersali affirmatiua infert vniuersalem affirmatiuam. Et hic est Barbara: omnis homo est animal, omne risibile est homo, ergo omne risibile est animal.

Celarent. Secundus est, qui ex maiori vniuersali negatiua & minori vniuersali affirmatiua

infert

infert vniuersalem negatiuam. Et hic est Celarent: Nullus homo est lapis, omne risibile est homo, ergo nullum risibile est lapis.

Darij. Tertius est, qui ex maiori vniuersali affirmatiua & minori particulari affirmatiua infert particularem affirmatiuam. Et hic est Darij: Omnis homo est rationalis, aliquod animal est homo, ergo aliquod animal est rationale.

Ferio. Quartus est, qui ex maiori vniuersali negatiua & minori particulari affirmatiua infert particularem negatiuam. Et hic est Ferio: nullus homo est lapis, aliqua substantia est homo, ergo aliqua substantia non est lapis. Cæterùm in his modis, vbi ponitur propositio particularis, benè etiam poni potest singularis determinata: vt nullus homo est lapis, hæc substantia est homo, siue Petrus est homo, ergo non est lapis.

Hēt quinque indirectè concludentes Baral ptō Celantes, Dabitis, Fapesmo, Fisesomorum. Habet deinde prima figura quinque alios modos indirectè concludentes, Baralipton, Celantes, Dabitis, Fapesmo, Frisesomorum. Primi tres omnino conueniunt in præmissis cum primis tribus directis, differunt in conclusione per conuersionem terminorum: & præterea Baralipton differt à Barbara per quantitatem conclusionis: & ita concludit: Omnis homo est animal, omne risibile est homo, ergo aliquod animal est risibile. Fapesmo verò continet maiorē vniuersalem affirmatiuam, & minorem vniuersalem negatiuam, infertquè conclusionem particularem negatiuam. Denique Frisesomorum ex maiori particulari affirmatiua & minori vniuersali negatiua concludit particularem negatiuam: Aliquod animal est homo, nullus lapis est animal, ergo aliquis homo non est lapis.

CAPVT IX.

De secunda figura eiusque modis.

Secunda figura explicatur. SEcunda figura est, vt dicebamus, in qua medium de vtroque extremo prædicatur in præmissis. Ex duobus autem extremis, illud dicetur maius extremum, quod ponitur in prima præmissa; illud minus, quod ponitur in secunda; sicut prima præmissa dicetur maior, secunda minor. Vnde quando huiusmodi maius extremum prædicabitur in conclusione, dicetur conclusio directa: si subijciatur, dicetur conclusio indirecta.

Hēt quatuor modos directè conclu dentes. Duæ sunt regulæ, quibus ab hac figura modi inutiles excluduntur. Prima est: ex duabus affirmatiuis in secunda figura non benè concluditur. Et ratio est; quia cum medium in vtraque præmissa prædicetur, si vtraque sit affirmatiua, in neutra distribuitur. Secunda est: ex maiori particulari nihil directè concluditur. Et ratio est; quia si maior sit particularis, maius extremum in illa non distribuitur, & posteà distribueretur in conclusione, negatiua in qua esset prædicatum.

Itaque quatuor modi vtiles in hac figura relinquuntur, Cesare, Camestres, Festino Barocco: qui omnes directè concludunt.

Cesare. Primus ex maiori vniuersali negatiua, & minori vniuersali affirmatiua, infert conclusionem vniuersalem negatiuam: Nullus homo est equus, omne hinnibile est equus, ergo nullus equus est homo.

Camestres Secundus ex maiori vniuersali affirmatiua, & minori vniuersali negatiua infert vniuersalem negatiuam: Omne hinnibile est equus, nullus homo est equus, ergo nullus homo est hinnibilis.

Festino. Tertius ex maiori vniuersali negatiua, & minori particulari affirmatiua infert particularem negatiuam: Nullus equus est homo, aliquod animal est homo, ergo aliquod animal non est equus.

Barocco. Quartus ex maiori vniuersali affirmatiua & minori particulari negatiua, infert particularem negatiuam: Omnis homo est rationalis, aliquod animal non est rationale, ergo aliquod animal non est homo.

Habet & indirectè concludētes. Deinde addendum est, hanc figuram habere etiam totidem modos indirectè concludentes. Quia videlicet in Cesare & Camestres, cum eadem dispositione

sitione & ordine præmissarum potest cõuerti conclusio, & tunc minus extremum prædicatur de maiori. In Festino autem & Barocco possunt permutari præmissæ, vt quæ erat minor fiat maior, & quæ erat maior fiat minor; atque conclusio remaneat immutata; tunc dicetur indirecta, quia eius subiectum erit maius extremum.

Postremò præter hos omnes modos, alios in hac figura modos vtiles assignabimus cap. 16.

CAPVT DECIMVM.

De tertia figura eiusquè modis.

Tertia figura explicatur. Tertia figura est, in qua medium vtriq. extremo in præmissis subijcitur. Et maius extremum ac maior propositio est quæ primo loco ponitur: minus extremum & minor propositio, quæ secundo loco.

Habet sex modos. Habet duas regulas ad excludendos modos inutiles. Prima est: Ex minori negatiua in tertia figura nihil directè cõcluditur. Et ratio est: quia si minor sit negatiua, maior debet esse affirmatiua & conclusio negatiua: vnde maius extremum quod in vtraque prædicatur non distribuitur in conclusione. Secunda regula est de conclusione. In tertia figura non infertur conclusio vniuersalis, etsi ambæ præmissæ sint vniuersales. Et ratio est: quia in conclusione vniuersali distribueretur minus extremum, quod est subiectum: at non erat distributum in præmissis, quia prædicabatur in minori, quæ semper est affirmatiua ex regula præcedenti.

Habet hæc figura sex modos vtiles, Darapti, Felapton, Disamis, Datisi, Bocardo, Ferison.

Darapti. Primus ex duabus vniuersalibus affirmatiuis infert particularem affirmatiuam: Omnis homo est rationalis, omnis homo est animal, ergo aliquod animal est rationale.

Felapton. Secundus ex maiori vniuersali negatiua, & minori vniuersali affirmatiua, infert particularem negatiuam: Nullus homo est equus, omnis homo est animal ergo aliquod animal non est equus.

Disamis. Tertius ex maiori particulari affirmatiua, & minori vniuersali affirmatiua, infert particularem affirmatiuam: Aliquod animal est rationale, omne animal est viuens, ergo aliquid viuens est rationale.

Datisi. Quartus modus, ex maiori vniuersali affirmatiua, & minori particulari affirmatiua, infert particularem affirmatiuã: Omne animal est sensitiuum, aliquod animal est rationale, ergo aliquod rationale est sensitiuum.

Bocardo. Quintus modus, ex maiori particulari negatiua, & minori vniuersali affirmatiua, infert particularem negatiuam: Aliquod animal non est rationale, omne animal est sensitiuum, ergo aliquod sensitiuum non est rationale.

Ferison. Sextus denique & vltimus modus, ex maiori vniuersali negatiua, & minori particulari affirmatiua, infert particularem negatiuam: Nullus homo est equus, aliquis homo est animal, ergo aliquod animal non est equus.

Habet & indirectè concludẽtes. Horum etiam modorũ, primi tres possunt immutatis præmissis indirectè concludere per conuersionem conclusionis. In reliquis tribus, si præmissæ transponantur, conclusio quæ erat directa, efficitur indirecta. Sicut dictum est de modis secundæ figuræ.

CAPVT XI.

De Distinctione Syllogismorum, perfectorum & imperfectorum.

Syllogismi perfecti euidẽter per se cõcludũt. Aliqui ex assignatis syllogismorum modi sunt, qui adeò euidenter cõcludunt, vt statim perspicuè appareat cõclusionem benè sequi ex præmissis, & qui præmissas admiserit, illico sibi conclusionem etiam esse concedendam agnoscat. Hi dicuntur syllogismi perfecti ex Aristotele primo Priorum capite primo, eo quòd nulla alia re vel arte opus sit ad ostendendum tales syllogismos benè concludere. Tales sunt quatuor modi primæ figuræ directè concludentes, Barbara, Celarent, Darij, Ferio. Qui ideò ex se euidenter primo intuitu concludunt: quia immediatè fundantur in duobus

duobus primis principijs naturali lumine claris. Primum est: Quicquid vniuersaliter affirmatur de aliquo, debet etiam affirmari de omnibus ijs de quibus hoc affirmatur: v. g. substantia affirmatur vniuersaliter de animali, affirmatur etiam de quocunque alio subiecto, de quo ipsum animal prædicatur. Et hoc est illud principium, quod ab Aristotele appellatur, Dici de omni. Et in hoc fundantur Barbara & Darij. Secundum principium est: Quicquid negatur vniuersaliter de aliqua re, debet etiam negari de quocunque alio subiecto de quo eadem res affirmatur: v.g. lapis vniuersaliter negatur de animali; debet etiã negari de omni re, de qua ipsum animal affirmatur: si enim conueniret alicui rei, quæ est animal, iam aliquod animal esset lapis, & hoc principium appellatur Dici de nullo. Et in eo fundantur Celarent & Ferio.

Imperfecti indigent probatione. Omnes alij modi præter hos quatuor, non ita euidenter concludunt, sed indigent aliqua alia probatione & arte, ad hoc vt bona eorum illatio fiat manifesta & ex præmissis cogat ad assensum conclusionis. Et hi syllogismi dicuntur imperfecti. Triplici autem via potest probari bonitas illationis in his syllogismis. Prima est per reductionem ad primos quatuor modos perfectos, quæ reductio fit per conuersionem propositionum. Et hæc dicitur probatio ostensiua. Ideò autem probantur syllogismi imperfecti hoc modo: quia per easdẽ propositiones potest formari syllogismus perfectus cum sua conclusione, & ex hoc ipso potest inferri conclusio syllogismi imperfecti, per aliquam conuersionem. Et ita demonstratur, benè etiam ex illis præmissis illatam fuisse conclusionem syllogismi imperfecti. Secunda via est per deductionem ad impossibile, si probemus ex eo quod concedantur præmissæ & negetur conclusio sequi aliquod impossibile. Tertia est per expositionem, mediante scilicet syllogismo qui dicitur expositorius.

CAPVT XII.

De reductione Syllogismorum imperfectorum ad perfectos.

Reductionis regula. AD hanc reductionem perficiendam, reuocandæ primò sunt in memoriam illæ duæ conuersiones propositionum, quas explicauimus tractatu præcedenti capite sexto, conuersio simpliciter, & conuersio per accidens. Simpliciter conuertitur propositio vniuersalis negatiua, & particularis affirmatiua: per accidens vniuersalis affirmatiua in particularem affirmatiuam. Addi modò debet conuersio, idest transpositio duarum propositionum inter se, qua maior fiat minor, & minor fiat maior; quæ erat secundo loco, ponatur primo, & quæ erat primo ponatur secundo.

Aduertendum est secundò, quatuor illos modos perfectos ab his quatuor consonantibus incipere, B, C, D, F. Et similiter omnes alios syllogismos ab iisdem litteris incipere. Quod totum vtili artificio factum est. Nam omnes modi incipientes à littera B, reducuntur ad Barbara; incipientes à C, ad Celarent: à D, ad Darii; ab F, ad Ferio.

Sciendum tertio ex aliis consonantibus in medio illarum dictionum quæ denotant imperfectos syllogismos, indicari quæ propositio & quomodo conuertenda sit. Et quatuor sunt hæ litteræ, hanc significationem habentes, S, P, M, C. S, significat conuersionem simpliciter: P, per accidens: M, per transpositionem propositionum: C, autem denotat aliud conuersionis genus per deductionem ad impossibile. Quando igitur in prima syllaba post vocalem sequitur S, vel P; maior propositio conuertenda est simpliciter, vel per accidens: similiter quando in secunda vel tertia syllaba, conuertenda est minor propositio, vel conclusio. M, autem quocunque loco inueniatur, semper denotat transponendas esse præmissas. C, demum in medio dictionis sita denotat cõuersionem per impossibile.

Qui syllo Iuxta has regulas, facillimum est, syllogismos

gismi ad quos reducuntur. logismos imperfectos reducere ad perfectos. Baralipton reducitur ad Barbara conuertendo conclusionem per accidens. Celantes ad Celarent, Dabitis ad Darij, conuertendo conclusionem simpliciter. Fapesmo reducitur ad Ferio conuertendo maiorem per accidens, minorē simpliciter & transponendo præmissas. Sit hic syllogismus in Fapesmo: Omnis homo est animal, nullus equus est homo, ergo aliquod animal non est equus. Conuertetur hoc modo: Nullus homo est equus, aliquod animal est homo, ergo aliquod animal non est equus. Et hic est syllogismus in Ferio. Frisesomorum reducitur, conuertendo tàm maiorem quam minorem simpliciter & transponendo præmissas.

Ex modis deinde secundæ figuræ, Cesare reducitur ad Celarent per simplicem maioris conuersionem. Camestres per simplicem conuersionem maioris & conclusionis & transpositionem præmissarum. Festino ad Ferio per simplicem conuersionem maioris. De Barocco mox dicemus. Ex modis demum tertiæ figuræ, Darapti reducitur ad Darij conuertendo minorem per accidens. Disamis ad Darij conuertendo minorem & conclusionem simpliciter, & transponendo præmissas. Datisi conuertendo minorem simpliciter. Ferison ad Ferio similiter conuertendo simpliciter minorem. Bocardo autem, sicut & Barocco, reducuntur ad Barbara, non quidem ostensiuè conuertendo propositiones, sed deducendo ad impossibile: quo pacto & alij quoque modo probari possunt, de qua re agemus cap. sequ.

Reductionis vis. Modus autem vtendi hac reductione ad conuincendum quemcunque, hic est. Si quis v. g. in exemplo illo posito in Fapesmo, post concessas præmissas negaret conclusionem: sic procedendum est: Omnis homo est animal, vt concedis, ergo aliquod animal est homo. Rursus nullus equus est homo, vt cōcedis, ergo nullus homo est equus: ex his duabus præmissis infertur in Ferio, ergo aliquod animal non est equus, quę erat prima cōclusio. Et ita conuincitur benè etiam ex illis primis præmissis illatam fuisse illam conclusionem.

CAPVT XIV.

De Probatione imperfectorum Syllogismorum per deductionem ad impossibile.

Deductio ad impossibile quę fiat. Deductio ad impossibile fit hoc modo: Assumamus contradictoriā eius conclusionis quam quis negauit, & alterā ex pręmissis quas concedebat: & ex his duabus inferamus in aliquo ex quatuor modis perfectis contradictoriam vel cōtrariam alteri præmissæ quę remanebat. Sit hic syllogismus in Barocco: omnis homo est animal, aliquod viuens non est animal, ergo aliquod viuens non est homo. Si quis concessis præmissis neget cōclusionem: assumamus contradictoriam omne viuens est homo, quoniam si vna contradictoria est falsa, altera est vera: assumamus quoque illam maiorē concessam omnis homo est animal. Tunc fiet talis syllogismus: Omnis homo est animal, omne viuens est homo, ergo omne viuēs est animal: qui syllogismus est in Barbara. At hęc conclusio est contradictoria illi minori quæ concessa erat, aliquod viuens non est animal. Igitur ille contradictionis conuincitur, & ad impossibile deducitur. Sic ostenditur primā illā illationem in Barocco, bonam & necessariam fuisse. Similiter probare possumus modum cōcludendi in Bocardo, hoc mō. Sit hic syllogismus: aliquis homo nō est equus, omnis homo est animal, ergo aliquod animal non est equus. Si conclusio negetur; assumatur contradictoria, omne animal est equus; assumatur etiā minor propositio concessa, omnis homo est animal; & concludatur in Barbara, omnis homo est equus, quæ est contradictoria maioris propositionis concessæ.

Oēs modi imperfecti probantur hoc modo per perfectos. Probari et possunt per deductionē ad impossibile oēs alij modi, tum secūdę, tū tertiæ figurę, tum modi indirecti primæ figuræ. Modi secundæ figurę reducuntur ad impossibile, assumendo contradictoriam conclusionis pro minori, & eandem maiorem prius concessam, & inferendo contradictoriam vel contrariam minoris. Modi tertiæ figuræ reducuntur, assumpta contradictoria conclusionis

conclusionis pro maiori cum eadem minori priùs concessa, & inferenda oppositam maioris. Modi verò indirecti primæ figuræ reducuntur assumendo contradictoriam conclusionis pro maiori, & quæ erat maior fiat minor, & inferatur conclusio opposita minori concessæ per conuersionem etiam terminorum. V. g. sit syllogismus in Baralipton: Omne animal est substantia, omnis homo est animal, ergo aliqua substantia est homo. Reducatur sic: Nulla substantia est homo, omne animal est substantia, ergo nullum animal est homo, ergo rursus nullus homo est animal, quæ est contraria illius, omnis homo est animal. In Celantes tamen contradictoria conclusionis sumenda est pro minori, & minor pro maiori, & inferenda est contradictoria primæ maiori concessæ.

Cæterùm hoc modo non reducuntur syllogismi imperfecti ad eosdem modos perfectos, ad quos reducebantur per viã ostensiuam & conuersionem propositionum. Sed potius ad oppositos: affirmatiui ad negatiuos, negatiui ad affirmatiuos. Pro qua re alia regula extat per quatuor dictiones vno versu comprehensas.

Nesciebatis. Odiebã. Letare. Romanis.

Prima continet quinque syllabas & vocales, denotantes quinque modos indirectos primæ figuræ. Secunda quatuor pro quatuor modis secundæ. Aliæ duæ continent sex vocales pro sex modis tertiæ figuræ. Et in singulis prima vocalis denotat primum modum, secunda secundum, & sic de reliquis. Suntquè in iis dictionibus quatuor vocales, A, E, I, O. Omnis modus qui denotatur per A, reducitur ad Barbara. Omnis qui per E, ad Celarent. Qui per I, ad Darij. Qui per O, ad Ferio. Itaque Baralipton reducitur ad Celarent, Celantes ad Darij. Et sic de reliquis.

CAPUT XIV.

De Syllogismo expositorio.

Syllogismus expositorius

QVæ hactenus dicta sunt, procedunt de iis syllogismis, quorum medius terminus est terminus communis. Aliud genus syllogismi est, cuius medium sit terminus singularis. Et dicitur syllogismus expositorius, eo quòd sit adeò perspicuus & euidens, vt rẽ veluti ante oculos exponere videatur, cũ versetur in rebus singularibus, quę nobis notissimę sũt. *constat ex medio singulari.*

Possuntquè syllogismi expositorij in singulis figuris confici. Possunt etiam constare, vel ex omnibus propositionibus singularibus, vel ex quibusdam vniuersalibus, aut particularibus. Possunt non solùm directè, sed etiam indirectè concludere. Possunt quoque ex præmissis singularibus inferre conclusionem particularẽ, quando nimirũ terminus, qui subijcietur in conclusione erit terminus aliquis communis.

Ex ambabus præmissis singularibus, quatuor modi in qualibet figura efformari possunt. Vnus ex ambabus affirmatiuis. Alius ex negatiuis. Alius ex maiori affirmatiua & minori negatiua. Alius ex minori negatiua & maiori affirmatiua. Qui constat ex ambabus negatiuis in omni figura est inutilis & ineptus.

In prima figura duo sunt apti & vtiles. Primus ex ambabus affirmatiuis: Hic homo est iustus, Petrus est hic homo, ergo Petrus est iustus. Et potest concludere indirectè aliquis iustus est Petrus. Secundus ex maiori negatiua & minori affirmatiua: Hic homo non est iustus, Petrus est hic homo, ergo Petrus non est iustus. Alius modus ex maiori affirmatiua non benè concludit: Hic homo est iustus, Petrus non est hic homo, ergo non est iustus, quia ly iustus distribuitur in conclusione & non in maiori. Potest autem indirectè concludere, aliquis iustus non est Petrus. *Modi expositorij in prima figura.*



In secunda figura omnes tres modi benè concludunt. Primus: Tullius est Cicero, hic homo est Cicero, ergo est Tullius. Secundus: hic homo est Aristoteles, Plato non est Aristoteles, ergo non est hic homo. Tertius: Socrates non est Plato, hic homo est Plato, ergo non est Socrates. Et hi omnes modi possunt etiam indirectè concludere. *In secunda figura*

In tertia figura duo sunt modi vtiles. Primus: Hic homo est iustus, hic homo est Petrus, ergo Petrus est iustus. Et potest etiam indirectè concludere. Secundus, qui procedit ex maiori negatiua: *In tertia figura.*

d Petrus

Petrus non currit, Petrus est animal, ergo aliquod animal non currit. Alius modus ex minori negatiua est inutilis, quia maius extremum distribueretur in conclusione, & non in præmissis. Benè tamen potest indirectè concludere.

Alij modi ex præmissis vniuersalibus et particularibus. Deinde ex præmissis vniuersalibus & particularibus alij varij modi cõfici possunt, existente adhuc medio termino singulari. In prima figura maior omnino debet esse singularis: quoniam cum medius terminus subiiciatur in maiori, dum est singularis, omnino efficit propositionem singularem. Et quia rursus hæc figura non benè concludit ex minori negatiua: quatuor erunt modi vtiles. Primus ex maiori vniuersali affirmatiua. Secundus ex negatiua. Tertius ex minori particulari affirmatiua. Quarta ex negatiua. Qui correspondent quatuor modis perfectis antea assignatis, mutata solùm maiori propositione. Exemplum primi modi sit: Aristoteles est philosophus, omnis princeps Peripateticorum est Aristoteles, ergo omnis princeps Peripateticorum est philosophus: & sic facillimè disponentur alij modi. Pariter in hac figura agnoscendi sunt alij modi indirectè concludentes, facta solùm mutatione maioris. Vt in exemplo posito potest indirectè concludi, tanquam in Baralipton, aliquis philosophus est princeps Peripateticorum: & sic etiam in reliquis modis.

In tertia figura, cùm medium sit in vtraquè præmissa subiectum, & sit singulare, iam omnino præmissæ sunt singulares. Et ita non dantur alij modi expositorij præter illos antea designatos.

In secunda autem figura, constituendi inprimis sunt quatuor modi correspondentes illis quatuor modis notis, non alia facta variatione nisi medij singularis. Sic in Cæsare: Nullus peccator est Christus, omnis redemptor est Christus, ergo nullus redemptor est peccator: & sic in aliis tribus. Possuntquè hi modi etiam indirectè concludere: duo primi per conuersionem conclusionis: alii duo per transpositionem præmissarum: vt cap. 9. dicebamus.

Deinde constituendi sunt alii quatuor modi affirmatiuè procedentes. Nam syllogismus expositorius in secunda figura benè concludit ex ambabus affirmatiuis, quia non indiget distributione medij, dum medium est singulare. Primus ergo modus constat ex vniuersalibus: Omnis redemptor est Christus, omnis filius Virginis est Christus, ergo omnis filius Virginis est redemptor. Imo hic modus potest etiam indirectè concludere, non solùm particularem sed vniuersalem affirmatiuam, omnis redemptor est filius Virginis. Secundus constat ex particularibus. Aliquis iustus est Christus, aliquis homo est Christus, ergo aliquis homo est iustus: & hic modus potest etiam indirectè concludere. Tertius constat ex maiori vniuersali & minori particulari. Quartus ex maiori particulari & minori vniuersali. Et vterque potest etiam indirectè concludere. Imo quartus modus potest directè inferre conclusionem vniuersalem, licèt contineat præmissam particularem: Aliquis homo est Christus, omnis redemptor est Christus, ergo omnis redemptor est homo. Et in tertio modo idem potest concludi indirectè.

Alij modi ex una præmissa singulari, & altera vniuersali vel particulari. Insuper cõstituendi sunt alij modi procedentes ex vna præmissa singulari, & altera vniuersali vel particulari. Et quidem iuxta omnes quatuor modos notos huius figuræ, potest esse maior singularis, & altera præmissa immutata. Vt in Cæsare: Petrus non est philosophus, omnis sapiens est philosophus, ergo nullus sapiens est Petrus. Et sic in aliis. Possunt etiam esse alij duo modi: vnus ex minori singulari affirmatiua & maiori vniuersali negatiua: alter ex minori singulari negatiua & maiori vniuersali affirmatiua. Alij autem duo in maiori particulari, non benè concluderent, nisi indirectè. Itaque habentur sex modi directè concludentes negatiuè. Præter hos habentur etiam alij quatuor modi affirmatiuè concludentes iuxta illos quatuor suprà assignatos. Si maior sit singularis, vnus modus erit ex minori vniuersali, alius ex particulari. Si minor sit singularis, alius modus erit ex maiori vniuersali, alius ex particulari. Et omnes benè concludunt. Hi sunt decem modi distincti à supradictis, & inter se. Qui possunt euidenter probari, tum ostensiuè per reductionem ad alios modos

dos primæ figuræ, tum per deductionem ad impossibile: vt facilè est considerare. Possunt etiam concludere indirectè iuxta ea quæ dicta sunt circa alios superiores modos.

CAPVT XV.
De vi & efficacia Syllogismi expositorij.

Syllogismus expositorius fundatur in duobus principijs.

HAbent Syllogismi expositorij suam vim & efficaciam concludendi ex duobus principijs euidentibus, in quibus fundantur. Vnum est: Quæ sunt eadem vni tertio singulari, sunt idem inter se. Alterum est: Illa quæ ita se habent ad quoddam tertium, vt vnum sit idem cum illo, aliud diuersum, sunt etiam diuersa inter se. In priori principio fundantur syllogismi affirmatiui: in posteriori negatiui. Et in hac re debet intelligi esse idem aut diuersum penès prędicationem: quæ enim affirmantur, dicuntur esse idem: quæ negantur, diuersa. Et illa maximè propriè dicuntur esse idem cum tertio, quæ de illo prædicantur. Et hoc modo se habent extrema cum medio in tertia figura. Vnde in hac figura præstantissimi sunt syllogismi expositorii. Et de ijs in hac sola figura meminit Arist. 1. Prior. cap. 7.

Debet habere medium terminũ incommunicabilem.

Cæterùm in hac re valdè notandum est, medium terminum singularem debere esse incommunicabilem, idest non communem pluribus distinctis, siue oppositis: alioqui non valet dicere, quæ sunt eadem ipsi, esse eadem inter se: nec potest esse aptum medium in syllogismo expositorio. Hoc est maximè obseruatione dignum propter essentiam diuinã, quæ licèt sit vna singularis, tamen est communis pluribus personis inter se realiter distinctis & relatiuè oppositis. Vnde dicere non valet, Pater & Filius sunt idem cum essentia, ergo sunt idem inter se. Nec essentia diuina potest esse medium in syllogismo expositorio. Vnde non valet hic syllogismus: Pater est Deus, Filius est Deus, ergo Filius est Pater; siue si dicatur, hic Deus est Pater, hic Deus est Filius, ergo Filius est Pater. Et sic de aliis similibus. Atque non solùm in Diuinis, sed etiam in rebus creatis, si Deus eandem numero albedinem poneret in duobus hominibus: non benè posset inferri, Petrus est hoc album, Paulus est hoc album, ergo Paulus est Petrus.

Cõcludit etiam in Diuinis.

Hinc patet tantam esse vim & efficaciam huiusmodi syllogismi: vt si in recta forma & cum debitis regulis disponatur, non minùs in terminis diuinis, quàm in aliis quibuscunque, locum habeat & euidenter concludat. Quamuis aliqui Theologi dixerint, formam syllogisticam non procedere in terminis diuinis, Sed non aduerterunt, non esse formam, sed vitium formæ, illud quod in Diuinis non procedit. Et sicut in aliis rebus se habent termini vniuersales & communes; ita se habent in Diuinis termini essentiales, qui sunt communes tribus personis. Et ita debent distribui pro ipsis personis. Et apponi ipsis possunt signa vniuersalia & particularia: non quidem dicendo, omnis Deus, aliquis Deus, omnis vel aliqua essentia diuina: sed omnis vel aliquis qui est Deus, qui est essentia diuina, idest omnis, vel aliqua persona diuina.

Habet vim probandi alios syllogismos.

Postremò habent syllogismi expositorii vim comprobandi alios syllogismos. specialiter syllogismos tertiæ figuræ: de qua re tractat Aristoteles 1. Priorum capite septimo. Nam ex medio communi quod est subiectum in præmissis, potest fieri medium singulare, & sub præmissis vniuersalibus aut particularibus possunt sumi singulares, & ex iis possunt inferri eædē conclusiones. Exemplum sit in Darapti. Omnis homo est animal: oĩs homo est viuens, ergo aliquid viuẽs est animal. Dici etiam poterit: homo est animal, hic homo est viuens, ergo aliquod viuens est animal. Similiter sub præmissis particularibus & negatiuis. Nam pariter præmissa particularis quando supponit determinatè, debet verificari in aliquo singulari. Exemplum sit in Ferison: Nullum animal est lapis, aliquod animal est homo, ergo aliquis homo non est lapis. Dici etiam poterit: Hoc animal non est lapis, hoc animal est homo, ergo aliquis homo non est lapis. Possunt etiam hoc pacto probari syllogismi primæ figuræ, illi tamen qui particulariter concludunt, in quibus etiam po-

test maior fieri singularis determinando medium commune ad aliquod singulare. Sed in secunda figura hæc probatio non habet locum, in qua medium semper prædicatur.

Et conuersiones propositionũ. Habent quoque vim syllogismi expositorij probandi conuersiones propositionum, per deductionem ad impossibile, vt tractat Aristoteles primo Priorum capite secundo. Si v.g. quis concedat, nullus lapis est homo, & neget conuertentem, nullus homo est lapis: assumatur contradictoria, aliquis homo est lapis: debet verificari de aliquo singulari, qui vocetur Petrus: tunc dicatur, Petrus est homo, Petrus est lapis, ergo aliquis lapis est homo, quæ est contradictoria primæ propositionis. Et sic euidenter probari possunt aliæ conuersiones.

CAPVT XVI.

De alio genere syllogismi ex medio communi, & extremis singularibus.

Hoc genus syllogismi distinguitur ab alijs. PRimum genus syllogismi erat, quod constabat ex medio alijsque terminis communibus. Aliud genus erat, quod constabat ex medio singulari, & alijs terminis siue singularibus siue communibus: & dictus est syllogismus expositorius. At præter hæc aliud genus superest, constans ex medio termino communi, & extremis singularibus: quod vtique ex parte medij differt ab expositorio: ex parte extremorum differt à primo genere syllogismi. Et potest fieri, vt vel vtrunque extremum sit singulare, vel vnum sit commune & vnum singulare. Et quidem in omnibus figuris & iuxta varios figurarum modos possunt tales syllogismi efformari.

Valet in prima figura. In prima autẽ figura, si minus extremũ erit singulare, efficiet etiam minorem propositionem singularem, atque conclusionem si directa sit. Omnis homo est animal; Petrus est homo, ergo est animal: vel negatiuè, Nullus homo est lapis, Petrus est homo, ergo non est lapis. Maius autem extremum singulare efficiet conclusionem indirectam singularem: Omnis redemptor est Christus, omnis innocens est redemptor, vel hic homo est redemptor, ergo Christus est redemptor, Christus est hic homo.

Sed præcipuè in secunda. In secunda præcipuè figura hæc forma syllogismi debet ostendi. In qua cùm extrema subijciantur, efficiunt propositiones singulares. Et possunt ambo extrema esse singularia, atque adeò præmissæ. Et sic habentur duo modi. Primus ex maiori affirmatiua & minori negatiua: Petrus est iustus, hic homo non est iustus, ergo non est Petrus. Secundus ex maiori negatiua: Paulus non currit, hic homo currit, ergo hic non est Paulus. Et vterque potest indirectè concludere per conuersionem conclusionis. Possunt item extrema esse, vnum commune, aliud singulare: & sic vna præmissa singularis, altera vniuersalis vel particularis. Et si maius extremum sit singulare, atque adeò maior propositio: poterit esse minor vel vniuersalis affirmatiua, vel vniuersalis negatiua, vel particularis negatiua: qui erunt quatuor modi differẽtes à quatuor notis solùm per maiorem singularem. Si autem minor extremitas & propositio sit singularis, quià in secunda figura non potest esse maior particularis, erunt duo alij modi, in quibus erit etiam conclusio singularis. Et in his etiam sex modis poterit indirectè concludi, vel per conuersionem conclusionis, vel per transpositionem præmissarum iuxta ea quæ antea diximus.

Etiam in tertia. In tertia demum figura, si extrema sint singularia non efficiunt præmissas singulares, quia non subijciuntur, sed prædicantur in præmissis: minus tamen extremum efficiet conclusionem singularem, si directè concluditur; maius extremum si indirectè.

CAPVT XVII.

De Syllogismo ex terminis obliquis.

Hoc genus syllogismi debet reduci ad rectum. POssunt in dictis omnibus syllogismis, & solent interdum disponi aliqui termini in obliquo: v.g. Omnis potestas est à Deo, Regnum est potestas, ergo est à Deo. De hoc genere syllogismi ex obliquis plurimas regulas tradũt aliqui

qui. Sed breuiter hæc res expediri potest. Cùm in nulla propositione possit esse subiectum aut prædicatum terminus aliquis per se sumptus, & casus obliquus nominis sit terminus syncategorematicus, non potest per se esse subiectum aut prædicatum; sed tantùm erit veluti pars subiecti aut prædicati: & necessario ibi inueniri debet aliquis terminus directus qui per se subijciatur aut prædicetur. Et certè sic in exemplo posito, cùm dicitur potestas est à Deo, prædicatum non est solùm ly à Deo: non enim hoc est quod affirmatur à Deo: sed prædicatum est, esse à Deo, siue proueniens à Deo. Et particula, est, non se habet in illa propositione vt mera copula, sed vt verbum. Itaque huiusmodi syllogismi ex obliquis reducuntur ad rectos. Aliquæ tamen regulæ sunt, quibus interdum idem nomen quod positum est in obliquo, postea possit repeti in recto: vel è conuerso quòd positum est in recto possit repeti in obliquo; vt in Darij: Omni calori contrarium est frigus, quędam qualitas est calor, ergo cuidam qualitati contrarium est frigus: & sic in alijs similibus. Verùm omnes tales syllogismi intantùm ex vi formę benè concludunt, inquantùm possunt confici in terminis semper rectis. Sic in exemplo posito: Omnis calor habet contrarium frigus, quædam qualitas est calor, ergo quædam qualitas habet contrarium frigus.

CAPVT XVIII.

De Syllogismo modali & hypotetico.

Syllogismus modalis in omnibus figuris & modis.

Syllogismus modalis est qui cõstat ex vtraque pręmissa modali, vel vna modali & altera absoluta, infertquè conclusionem modalem: vt necesse est omnem hominem esse animal, necesse est, omne rationale esse hominem, vel omnis homo est rationalis, ergo necesse est omne rationale esse animal. Potest confici in omnibus tribus figuris. Exemplum positum est in prima figura. In secunda figura formatur sic syllogismus; Necesse est nullum lapidem esse animal, necesse est omnem hominem esse animal, vel omnis homo est animal, ergo necesse est nullum hominem esse lapidem. In tertia figura: Necesse est omnem hominem esse animal, necesse est omnem hominem esse substantiam, vel omnis homo est substantia, ergo necesse est aliquam substantiam esse animal. Possunt quoque modales syllogismi confici in singulis figurarum modis, variando dicta ipsarum propositionum modalium iuxta quantitatem & qualitatem propositionum in ipsis modis absolutis.

Possunt confici non solùm per modum de necessario, sed etiam per alios modos de contingenti, de possibili, de impossibili. Possunt confici permiscendo simul plures modos, coniungendo vnam præmissam de necessario aliam de contingenti &c. Possunt confici non solùm per modales affirmatiuas, sed etiam negatiuas negatione se tenente ex parte modi. Vnde patet maximam varietatem in syllogismis modalibus suboriri. Agit de ijs prolixè Aristoteles libro primò Priorum. Verùm laboriosum magis esset quàm vtile in hac re immorari. Et sufficienter ex iam dictis cum ipso lumine rationis, discerni poterit, quinam modales syllogismi rectè concludant.

Syllogismus hypoteticus.

Syllogismus hypoteticus dicitur, qui ex pluribus vel aliqua propositione coniuncta, quæ dicitur etiam hypotetica constat. Et multiplex est, iuxta plura genera propositionis coniunctæ. Et breuiter trademus quasdam regulas proprias huius generis, spectata vi & significatione propria talium propositionum.

Ex propositione conditionali.

Ex propositione conditionali dupliciter potest confici syllogismus. Primò à positione antecedentis ad positionem consequentis; si sol lucet, dies est, sed sol lucet, ergo dies est. Secundò à destructione consequentis ad destructionem antecedentis: Dies non est, ergo sol non lucet. Non enim valet à destructione antecedentis ad destructionem consequentis; vt notauit optimè Augustinus de Doctrina Christiana capite 33. Non enim valet: si est orator est homo, sed non est orator, ergo non est homo: sicut valeret, sed non est homo, ergo non est orator.

Ex copulatiua.

Ex propositione copulatiua: si affirmatiua

matiua sit, potest inferri quæcunque pars per se: tamen is non tàm erit syllogismus, quàm potius consequentia veluti eiusdem propositionis ex se ipsa. Petrus currit & studet, ergo currit, ergo studet. Si autem sumatur propositio copulatiua negatiua: potest inferri ex affirmatioue vnius partis negatio alterius: Non Petrus currit & studet, sed currit, ergo non studet.

Ex disiunctiua. Ex propositione disiunctiua, benè infertur à destructione vnius partis ad positionem alterius, Petrus vel currit vel studet, sed non currit, ergo studet. In sententia etiam asserente non posse vtranque partem esse simul verã, valebit inferre à positione vnius partis ad destructionem alterius.

Illatio ex propositione causali. Ex propositione causali potest inferri: Quia homo est rationalis est risibilis, ergo rationalitas est causa risibilitatis. Sed hic non est propriè syllogismus.

Et in rationali. Propositio demum rationalis in omni illatione reperitur, nec constituit peculiare genus syllogismi.

CAPVT XIX.

De diuisione Discursus & Syllogismi in scientificum & opinatiuum.

Svmitur hæc diuisio ex parte materiæ, de qua est discursus & syllogismus; siue ex parte assensus circa præmissas & cõclusiones, per quẽ exercetur discursus. Et est præcipua diuisio discursus & syllogismi, quæ in Logica consideratur & traditur.

Discursus scientificus, & syllogismus demonstratiuus. Alius ergo discursus & syllogismus est ex præmissis certis & necessarijs circa conclusionem certam & necessariam; ita vt intellectus sine vlla dubitatione cum formidine illis omnibus assentiatur, & ipsæ res non possint aliter se habere. Hic dicitur discursus & syllogismus sciẽtificus & demonstratiuus: ac proprijs nominibus, ipse discursus appellatur scientia, syllogismus appellatur demonstratio. Et rursus diuiditur duplex scientia & demonstratio. Alia quæ procedit à causa ad effectum: vt omne rationale est risibile, homo est rationalis, ergo est risibilis: nam rationalitas est causa risibilitatis in homine. Alia est quæ procedit per medium quod non est causa conclusionis, siue procedit è conuerso ab effectu ad causam: vt si dicatur: omne risibile est rationale, homo est risibilis, ergo est rationalis. Prior dicitur scientia & demõstratio propter quid, & à priori. Posterior dicitur scientia & demonstratio quia & à posteriori.

Discursus opinatiuus, & syllogismus dialecticus. Alius discursus & syllogismus est ex præmissis probabilibus vel contingentibus circa conclusionem probabilem vel contingentem; ita vt intellectus assentiatur quidem, sed cum aliqua formidine & incertitudine: vel res ipsæ possint aliter se habere. Huiusmodi discursus dicitur opinatiuus, & syllogismus dicitur dialecticus & topicus. Ad hoc autem vt discursus aliquis & syllogismus pertineat ad hoc genus, deficiens à certitudine & necessitate scientiæ ac demonstrationis, sufficit si vel vna præmissa sit probabilis aut contingens, etiam si altera sit certa & necessaria. Nam cõclusio nõ erit certa & necessaria. Et in hoc sensu maximè dicitur conclusio semper sequi debiliorem partem. Cæterùm hæc tota incertitudo & cõtingentia se tenet ex parte materiæ, non autem ex parte formæ ex tali syllogismo: sed semper dicere valebit, ipsam formalem consequentiam & illationem esse euidentem & necessariam. Et per hanc necessitatem definiebatur syllogismus in communi, etiam dialecticum comprehendens, oratio in qua ex necessitate sequebatur conclusio ex præmissis.

CAPVT XX.

De fallacijs Syllogismi, & Syllogismo sophistico.


Fallacia, detegẽda et cauendæ sunt. Ad prudentem artificem pertinet, non solùm regulas edocere quibus opus suæ artis benè perfici possit; sed etiam aduertere & explorare defectus, præcipuè occultos, qui circa illud contingere possunt, ne aliquando subrepant, & opus vitient. Circa syllogismum possunt huiusmodi defectus occurrere, ita vt rectus & efficax appareat, re ipsa autem sit vitiosus & fallax: qui errorẽ & deceptionem

nem non veram rerũ notitiam quã intendimus nobis ingereret. Talis autem vitiosus & fallax syllogismus dicitur sophisticus & apparens, quo ad alios decipiendos vtuntur ij, qui propterea Sophistæ appellati sunt, sapientes apparere cupientes.

Fallacia ex parte materiæ. Duplex igitur erroris genus in syllogismo contingere potest. Primum ex parte materiæ: cùm aliqua propositio falsa assumitur, quæ appareat vera: appareat necessaria aut probabilis: cùm sit impossibilis & improbabilis. Vt, si quis dicat omnes lineæ ductæ ab eodem puncto ad idem punctum sunt æquales: id enim verum est de solis lineis rectis, falsum autem de vna recta & alia curua, vel de pluribus curuis quæ possunt etiam esse inæquales. Vnde si quis probare tentet, quasdam duas lineas, sumendo diametrum & semicircumferentiam circuli, aut semicircunferentiã vnius circuli maioris & alterius minoris, esse ęquales, & assumat eam propositionem omnes lineæ ductæ ab eodem puncto ad idem punctum sunt æquales, sed hæ duæ lineæ sunt ab eodem puncto ad idem punctum, ergo sunt æquales; conficit vitiosum & fallacem syllogismum. Hic propriè appellatur pseudographus syllogismus. Ad dignoscendum & præcauendum huiusmodi errorem, vnum præceptum sufficit, vt diligenter inspiciatur sensus & veritas præmissarum; & explicentur atque distinguantur, quando sunt apparentes vel ambiguæ.

Fallacia ex parte formæ. Secundum genus erroris est ex parte formæ: si videlicet syllogismus non rectè in figura & modo procedat: si interdum varietur suppositio & significatio terminorum, sub qua latenter plures quàm tres termini introducuntur. De qua re prolixè satis nonnulli agunt. Sed nos sufficere arbitramur doctrinam & regulas iam traditas de forma syllogismi in figura & modo: ex illis enim benè perspectis, non difficile erit deprehendere quãcunq. fallaciam & vitiũ syllogismi, vt ita omni errore submoto, verã quantum fieri possit rerum notitiam assequamur.

INSTITVTIONVM FINIS.



LOGICA
Quæstionibus contexta.

AVCTORE
P. RAPHAELE AVERSA A SANSEVERINO
Clericorum Regul. Minorum.

PRAEFATIO.


AXIMA sanè est in omnium animis insita à natura cognoscendi sciendiquè cupiditas: quę eò deinceps ardentius prouocatur, & feruet; quò aliqua rerum notitia per ingenua studia cœperit degustari. Sapienter dictum est ab Aristot. initio Metaph. *Omnes homines natura scire desiderant*. Eleganter dictum est à Cicer. lib. 5. de Finib. *Tantus est innatus in omnibus cognitionis amor & scientiæ; vt nemo dubitare possit, quin ad eas res hominum natura nullo emolumento inuitata rapiatur*. Attamen ad veram rerum notitiam assequendam, & solidam scientiam comparandam, diligenti industria, & solerti studio indigemus. Imò sępè in cognoscendo possumus à recto veritatis tramite deuiare, & in contrarios errores incurrere. Idcirco meritò ars & scientia quędam peculiaris adinuenta fuit, quę nos, & scire, & cętera cognoscere doceret; omniq; falsitate repulsa, ad veritatem quam in omnibus scientijs intendimus, prouehere posset.

Hęc est Logica, cui id adęquatè proponitur, vt viam tradat, ac methodum, cęteras scientias sine errore addiscendi, & in vniuersum res omnes ritè cognoscendi. Hinc de Dialectica loquēs August. lib. 2. de Ordine cap. 13. cùm disciplinam disciplinarum eam vocasset, subiungit: *Hæc docet docere, hæc docet discere, hæc scit scire; sola scientes facere, non solùm vult, sed etiam potest*. Idem confirmat Boet. lib. 1. in Topi. Cicer. dicens: *Ratio, nisi vià quadam processeris, sępè in multos necesse est labatur errores. quod nè passim fieret, visum est antiquis Philosophiæ ducibus, vt ipsarum ratiocinationum, quibus aliquid inquirendum esset, naturam penitus discuterent: vt his purgatis atque compositis in speculatione veritatis vterentur*. Et Arist. multis in locis testatur, antiquos Philosophos ob imperitiam Logicę in errores plurimos corruisse 4. Met. 8., 1. Physic. 10. & 22., & alibi.



Hinc factum est, vt ante alias scientias Logica perdiscatur, quatenus hac arte sciendi & cognoscendi præmuniti, in illis deinceps, & veritatem assequamur, & ab erroribus reddamur immunes. Idq. pręcepit Arist. 2. Met. 15. appellans Logicam modum sciendi, & volens ante omnes alias scientias hoc sciendi modò nos instructos esse debere, vt recto veritatis tramite dirigamur. Idem sua expositione confirmant D. Thom. Auerr. Alex. Albert. Magn. & alij in eundem locum.

In Logica autem tradenda, sicut & in cæteris philosophicis disciplinis, à multis iam sęculis penè omnes Arist. ducem sequuntur. Et nos illius auctoritati plurimùm deferemus. Qui prę cœteris antiquis, Philosophiam & Logicam clarius edocuit, rectius ordinauit. Et pręcipuè artis syllogisticę, quę est pręcipua pars Logicę, ipse Arist. se fuisse asserit inuentorem 2. Elench. in fine: *De syllogismis*

autem omnino nihil habuimus prius aliud quicquam quod diceremus. Vnde meritò pro huius artis inuentione multam sibi gratiam exposcit: *Reliquum erit omnium vestrum, vel eorum qui audierint hoc opus, omissa quidem artis venia dignari, inuenta autem multa prosequi gratia*. Hisquè verbis vniuersę suę Logicę finem imponit.

Verum est tamen, non habere nos ex Arist. integram Logicę methodi; sed hos tantum libros. Librum Prędicamentorum, quem ad cõmunem directionem totius cognitionis intellectiuæ referri putamus, in quo omnia rerum genera breuiter enarrrantur. Duos libros Periermenias, hoc est de Interpretatione, in quibus prima & secunda intellectus operatio dirigitur. Duos libros priores resolutorios, in quibus de syllogismo eiusquè forma in communi differitur: duos libros posteriores resolutorios, in quibus de syllogismo demonstratiuo: octo libros Topic. in quibus de dialectico syllogismo: & duos Elench. in quibus de sophistico syllogismo tractatur. Qui omnes libri ad tertiæ operationis directionem ordinantur.

Libros Arist. enumerat Diogenes Laertius in vita eius: qui in vniuersum sunt penè quadringenti, quorum tamen non nisi centum & viginti ad nos peruenerunt. Inter alios autem libros, quos Laertius recenset, & nos non habemus, multi sunt qui ad Logicam pertinerent: aliqui sunt de Syllogismo, de Definitionib., de Diuisibilibus, de Speciebus, & Generibus, de Proprijs, & alij similes. Non ergo Arist. incuriæ, sed temporum iniurię, tribuendum est, si Logicam ipsius veluti truncatam habemus. Addidit Porphyrius ad Logicę complementum suum libellum, de Genere, Specie, Differentia, Proprio, & Accidente, quorum cognitio ad perfectam Logicae tractationem, & doctrinę Arist intelligentiam, prę sertim eius quę continetur in libro Prædicamentorum necessaria erat.

Igitur nos ad completam Logicę structuram, iuxta ordinem cognitionis intellectiuę, de cuius directione Logica tractat, in omnibus procedemus, & ad suum quemque locum libros Arist. & librum Porphy. reducemus. Hanc autem tractandi seriem seruabimus: prius de rebus tractandis generales quęstiones proponemus, deinde singulas quęstiones in sectiones diuidentes, ad quæsita magis particularia descendemus: quæstionis & sectionis nominibus, ad imitationem libri problematum Arist. licèt conuerso ordine, vsurpatis.

QVÆSTIO PRIMA.

De Logica secundùm se.

IN principio cuiusque scientię maximè opportunum est, dignoscere rationem & conditionem ipsius scientię, & quod habeat obiectum, & de quibus rebus tractare debeat: vt deinceps, seipsa cognita, suoq. obiecto prefixo, ad ea, quę sibi sunt tractanda ordinatè procedat.

SECTIO PRIMA.

De Nominibus Logicæ & Dialecticæ.

Nomina huius facultatis.

IN primis nomen ipsius scientię explicandũ occurrit. Solet hęc scientia quam aggredimur pluribus nominibus appellari. Plato appellauit artem differendi. Cicero scientiam veri & falsi disceptatricem, diiudicatricem. D. Aug. disciplinarum omnium disciplinam. Sed duo sunt simplicia nomina, quibus communi vsu ab omnibus hęc scientia appellatur, Logica, & Dialectica. Quare hęc duo breuiter explicabimus.

Logica est nomen grecum, deriuatum à voce gręca logos. Quę vox, licèt alias habeat significationes, tamen quantum ad nostrum attinet institutum, duo pręcipuè significare potest, scilicet rationem,

nem, & sermonem: vt notauit Aug. lib. 83. qq. q. 63. Vnde Logica, & ratiocinalis, & sermocinalis exponi potest.

Nomē Logica vnde sumatur, & quid significet. Scot. initio Prędic. explicat logos in Etymologia Logicę sumi tantùm pro ratione, non pro sermone: dicens, Logicam exponendam esse, ratiocinalem, non verò sermocinalem. Quia sic videretur significari, Logicam versari circa sermonem, & circa voces: quasi voces essent obiectum Logicę; quod postea probabimus esse falsum. E contra alij multi, pręsertim antiqui expositores Arist. Logicam interpretantur scientiam sermocinalem, à logos sumpto pro sermone.

Sumitur à ratione, & significat scientiam ratiocinalē. Sed dicendum est, vtroque modo posse Logicę nomen exponi. Primò à logos sumpto pro ratione. Ita explicauit Isidor. lib. 2. Etymolog. cap. 22. & nō solùm Scot. locis cit. Sed D. Tho. initio Perier. & Poster. & alij multi. Dupliciter autem sumi potest ratio in hac explicatione: vno modo pro ipso intellectu: alio modo pro speciali actu intellectus qui est discurrere. Sic vno modo Logica dicetur ratiocinalis, ex eo quòd versetur circa operationes & actus rationis siue intellectus. Ita explicat D. Tho. locis cit. Alio modo, ex eo quòd specialiter versatur circa discursum, sumendo denominationem a principaliori Logicę parte. Et in hoc sensu Logica à multis explicari solet, ratiocinalis & ars ratiocinandi. Ratiocinari enim propriè significat discurrere: vnde syllogismus gręcè dicitur latinè ratiocinatio.

Sumitur etiam à sermone, & significat scientiam sermocinalē. Secundò Logica potest etiam optimè explicari sermocinalis, & ars sermocinandi, à nomine logos quatenus significante sermonem. Pro qua re notandum est, has voces logos & sermo, non solùm significare propriè loquutionem vocalem, & verba quę ore proferimus: sed etiam non minus propriè significare conceptum ipsius intellectus, quem exprimimus per loquutionem externam. Colligitur ex Arist. in Prędicam. quantit. cùm dicit logon, latinè orationem, esse speciem quantitatis; & subiungit: *Dico autem cum voce orationem factam*: Vtique supponens, quę propriè potuisse sumi illud nomen pro conceptu mentali: & ideo explicare voluit, orationem vocalem esse speciem quantitatis, vt ibi notant Porphyr. Ammon, & alij interpretes. Imo S. Thom. 1. part. quęst. 34. art. 1. & alij Theologi, dum tractant de nomine Verbi Diuini, docent, primò & principaliter conceptum mentis internum significari his nominibus, verbum, sermo, logos. Et idem habetur ex doctrina Sanctorum Patrum. Cùm igitur logos & sermo in omni proprietate significet sermonem mentalem, poterit optimè, & in omni rigore, Logica exponi sermocinalis ab ipso sermone mentali, in eodem sensu quo dicebatur ratiocinalis. Et non sequitur quod inferebatur: si Logica dicatur sermocinalis, denotari versari circa voces, & habere pro obiecto sermonem vocalem.

Adhuc tamen notanda est distinctio sermonis mentalis, quam ex August. & Damasc. desumptam tradit D. Tho. loc. cit. sermo mentalis potest sumi, tum pro conceptione ipsarum rerum, tum pro conceptione ipsarum vocum, quā S. Tho. vocat imaginem vocis, & S. Aug. dixit, tunc esse hunc sermonem internum, cùm imagines sonorum verbi, siue vocis, cogitatione voluuntur. Et hęc distinctio coincidit cum distinctione illa cōceptus vltimati & non vltimati. Logica igitur tractat per se de sermone mentali, prout dicit conceptum rerum. Et hinc pręcipuè suam significationem accipit.

Melius Logica dicitur ratiocinalis. Verum est etiam, nomen sermonis habere aliquam ambiguitatem, cùm possit sermoni, tum mentali, tum vocali applicari: Imo manifestius & communius significat sermonem vocalem, vt notauit S. Tho. ibidem. Quare cùm Logica dicitur sermocinalis, potest remanere ambiguum, à quo sermone denominetur, & posset promptius cogitari de sermone vocali. Ideo pręferenda est alia interpretatio, vt dicamus Logicam esse scientiam ratiocinalem.

Nomen Dialectica significat artem disserēdi. Dialectica deinde est etiam nomen gręcum, deriuatum à verbo, dialegome, quod significat disserere, & disputare. Quare Dialectica idem est, quod ars disserendi & disputandi, siue vt dixit August. lib. 1. cont. Crescon. cap. 14. ars disputatoria. Itaque propriè significat eam partem Logicę, in qua de discursu & syllogismo probabili tractatur; quę est pars topica. Quia tunc propriè disputa-

Specialiter significat partem topicam.

musicùm proposita aliqua quęstione, afferuntur pro vtraque parte probabilia argumenta; siue ex vna parte argumenta, ex alia responsiones. Alioqui quando inuenta fuerit euidens demonstratio, non datur amplius disputandi locus. Hinc dixit Arist. 1. Rethor. cap. 1. Dialecticam, sicut & Rethoricam, versari circa contraria: similiter Alexand. 1. Top. cap. 1. explicauit, disserere & disputare exerceri per interrogationem & responsionem; cùm scilicet vnus interrogat de aliqua quęstione, & alius respondet: qui autem interrogat, paratus esse debet ad oppugnandum quicquid respondens dixerit. quod totum contingit in materia probabili. Atque hoc modo disputandi per interrogationem maximè vtebantur antiqui. Vnde Arist. 1. Elench. cap. 11. dixit, doctrinam demonstratiuam non esse interrogatiuam: Dialecticam autem esse interrogatiuam. Non solùm autem datur actus exterior sermonis vocalis, quo probabiliter disputamus; sed pręcipuè datur actus mentalis, quo probabiliter discurrimus: & ab hoc potissimùm Dialectica denominatur.

Generaliter etiam significat totam facultatē.

Attamen iam nunc Dialecticę nomen toti Logicę attribuitur. Et quidem non absque ratione. Nam disserere, licèt frequenter significet probabiliter disputare, tamen aliquando absolutè significat sermone vti, vel etiam ignota ex notis manifestare; quacunque via id fiat, & siue probabili, siue certa & euidenti argumentatione: vt probat Fons. 2. Met. cap. 3. q. 1. sect. 2. ex Plat. Arist. & Cicer. Iuxta hanc igitur significationem potest iure optimo tota hęc facultas appellari Dialectica: quia tota tractat de sermone scilicet mentali, & tradit omnia instrumenta cognoscendi & differendi. Adhuc tamen vsus retinuit, vt per syllogismum dialecticum intelligatur solùm ille qui ex probabilibus procedit, ad differentiam demonstrationis.

Arist. nūquā vsus est nomine Logica pro hac facultate.

Cæterùm specialis controuersia est inter Auctores pręsertim recentiores, quid apud Arist. significent hęc nomina, Logicę, & Dialecticę. Et in primis nusquam apparet, Arist. totam hanc facultatem appellasse Logicam. Imo neque hoc nomen, Logica, substantiuè prolatum apud ipsum reperitur. Vnde Boet. notauit lib. 1. in Top. Cicer. com. 2. hanc facultatem à veteribus Peripateticis hoc nomen Logicæ accepisse. Solùm his loquendi modis quandoque vtitur Aristot. Logicè speculari 3. Phys. 40. Logicè considerare 8. Phys. 70. Logicus syllogismus 1. Rethor. cap. 1. alijsuè similibus alibi. Multi ergo asserunt, semper apud Arist. Logicè speculari & c. idem valere, ac probabiliter. Quare in hoc sensu Logica idem valet ac Topica. Sed quamuis sæpè Aristot. hanc significationem intendat: vt multis in locis, & specialiter duobus primis modò allegatis, exponunt Auer. Simplic. D. Tho. & alij. Tamen eo loco 1. Rethor. per syllogismum Logicum videtur intellexisse demonstratiuum: vt ibi exponunt Petrus Victorius & Marcus Antonius Maioragius. Quare non semper eandem habet significationem ille loquendi modus apud Aristot. quamuis sæpius significet probabilem discursum.

Interdum vsus videtur nomine Dialectica pro tota hac facultate.

De nomine, Dialectica, facilè constat, Arist. ferè semper per Dialecticam intelligere solam partem topicam, vt patet 1. Topic., 1. Elech., 3. Met., & alibi passim. Hinc multi existimant, nunquam in alio sensu Arist. esse hoc nomine vsum, & nunquam per Dialecticam totam Logicam accepisse: & ita defendit Nicolaus Gruchius in peculiari libello de Nominibus Logicę & Dialecticæ. Concedendum tamen videtur, aliquando Arist. per Dialecticam intellexisse totam Logicam. Nam 2. Rethor. cap. 1. ait: ***De quolibet syllogismo, Dialecticam, vel vniuersam, vel partem eius quandam considerare***: at certè Topica non tractat de quolibet syllogismo, sed tantùm de probabili. Igitur Arist. per Dialecticam non intellexit solam Topicam, sed vniuersam facultatem. Et de hac dixit, Dialecticam, vel vniuersam, vel partem eius, idest illam partem quæ agit de argumentatione, scilicet à libris Prior. vsq; ad finem, considerare adæquatè de syllogismo. Rursus infra in eodem cap. ait Arist. Dialecticam tractare, tàm de vero syllogismo, quàm de syllogismo apparenti & sophistico. Vbi per syllogismum verum potest intelligi, tàm demonstratiuus, quam probabilis: & præcipuè constat, non in parte topica, sed in elenchis tractari de syllogis-

mo

mo sophistico. Ergo Arist. nomine Dialecticæ non intellexit solam Topicam.

Iterum eodem lib. cap. 2. Aristot. ait: *Rethoricam esse quasi propaginem Dialecticæ & eius negotij quod est circa mores:* idest scientiæ moralis, nimirum quia Rethorica vtitur argumentis ad persuadēdum; & tàm à Dialectica, quàm à morali scientia accipit quæ sibi deseruiunt; præcipuè ex Dialectica formam, ex morali materiam. Postea cap. 4. repetit Aristot. *Nam quod iam diximus verum est, Rethoricam scilicet ex resolutiua scientia, & ex ciuili quæ de moribus est, compositam esse.* Vbi sine dubio idem intellexit per scientiam resolutiuam, quod antea per Dialecticā: sed scientia resolutiua planè est illa pars Logicæ, quæ dicitur græcè analitica, latinè resolutoria, quæ cōtinet libros priores ac posteriores resolutorios. ergo per Dialecticam, non solam Topicam intellexit, sed etiam partem analiticam comprehendit. Et ita in his locis Arist. exponunt Pet. Vict. & Marc. Anton. Maiorag. Primum etiam locum ita exponit Fons. 2. Met. c. 3. q. 1. sect. 2. & lib. 1. Instit. c. 2.

Nec obstare debet, quod Arist. eodem loco 1. Rethor. cap. 1. dixit, Dialecticam versari circa contraria, quod nos supra diximus cōuenire parti probabiliter disserendi. Nam vel diuersimodè idem nomen Dialecticæ accepit. Vel adhuc totam Logicam sic nominauit: eique attribuit illud quod ratione partis ei conuenit. Sicut vna quædam pars Logicæ est quæ agit de prædicamentis. ita etsi nomen Dialecticæ sumatur pro tota facultate, in qua sola pars Topica tradit modum probabiliter disserendi circa contraria: tamen absolutè de ipsa Dialectica dicere potuit Arist. versari circa contraria, idest tradere modum probabiliter disputandi circa contraria.

Est alius locus Arist. 1. Met. tex. 8. vbi nomine Dialecticę videtur intellexisse artem definiendi, non autem Topicam: vt ibi exponunt S. Tho. Auerr. & alij.

SECTIO SECVNDA.

An Logica sit: & quotuplex sit.

IN primis refert Cicero libr. 1. Accademic. qq. ad Varr. quosdam antiquos, Amafanium & Rabirium, nullam definiēdi, diuidendi, argumentandi, aut quouis modo disserendi, artem agnouisse aut approbasse; qui nulla arte adhibita de solis rebus ante oculos positis vulgari sermone disceptabant. Quare hi Logicam penitus auferebant. Et fundamentum esse poterat, quia circa operationes naturales non potest dari ars & scientia directiua: vt docuit ipse Arist. 6. Ethic. cap. 4. *Neque enim eorum est ars quæ sunt secundùm naturam*: sed cognitio nostri intellectus, & disceptatio de rebus, est vtique operatio naturalis: ex naturali enim nostra virtute depromitur: ergo nulla Logica quæ sit directiua talis operationis esse potest.

Notissimum tamen est, dari facultatem hanc, quam Logicam & Dialecticam nominamus, directiuam nostræ cognitionis. Et quidem talem facultatem esse possibilem, à priori probatur; quia operationes & cognitiones nostri intellectus, possunt deficere & à recto tramite declinare, vt compertissimum est: ergo possibile est tradere aliquas regulas, & pręcepta, aliqua item instrumenta sciendi, quibus nostra cognitio dirigatur. Quod totum clarè etiam constat ex dictis in Inst. & ex dicendis deinceps. Constat etiam exemplo aliarum artium, quæ optimè potuerunt institui ad dirigendas alias nostras operationes, vt rectè fiant. Huiusmodi autem doctrina de directione nostræ cognitionis est Logica. Deinde de facto ac re ipsam talem facultatem dari, experientia ipsa est clarissimum, ex tot auctoribus, & libris, ex tot qui docent, & qui addiscunt Logicam, & ex omnium notitia. *Logica extat.*

Quæri autem posset, quando nam Logica esse ceperit, & à quo primùm inuenta fuerit. Et quidem Arist. in fine Elench. sibimet huius artis, præcipuè quoad syllogismorum structuram, inuentionem adscribit. Et saltem Logica in formam vnius facultatis tam exactè reducta, in ipso Aristot. & ab ipso sic incepisse, & instituta esse videtur. At putandum omnino est, longè ante, & apud alios antiquiores sapientes, saltem per partes, Logicam pręfuisse, vt testatur Laertius in vita Zenonis. Imo & ab initio apud homines, saltem in mente, & voce, licèt non scripto, artem Logicæ extitisse, & iam à primis *Quando inceperit, & à quo fuerit inuenta.*

hominibus tradi cepisse. Aliqui autem propter hoc Arist. iactantiæ & mendacij accusare non dubitarunt. Sed equum est credere, Arist. non plusquam illud quod dicebamus, sibi arrogare voluisse.

Fundamentum verò antea oppositum facilè soluitur. Operationes naturales, alias esse quæ non nisi certo modo exerceri possunt, nec contingit benè aut malè fieri; vt actio illuminandi à sole, videndi per oculos, & similes. Alias esse quæ varijs modis fieri & exerceri possunt, & vel benè vel malè. Circa priores non potest dari ars directiua: & hoc tantùm docuit Arist. ibi, & patet ex textu. Circa posteriores optimè potest dari: & tales operationes dici possunt, non solùm naturales, sed etiam artificiales, idest capaces artis & directionis. Et huiusmodi planè sunt operationes nostri intellectus: quarum proinde optimè datur Logica directiua.

Non solùm datur Logica naturalis, sed etiam artificialis.

Secundò vlterius, vt constet magis quænam Logica detur, & quam tradituri simus. Diuidi solet Logica in naturalem & artificialem. Ita Auerr. 1. Prior. cap. 1. & 6. Auicen. cap. 2 suæ Logicæ, & alij communiter, & apertè colligitur ex Arist. 1. Rethor. cap. 1. & 1. Elench. cap. 11. Logica naturalis est ipsemet intellectus, quo apprehendimus, iudicamus, discurrimus; seu ipsum lumen naturale, quod nobis dictat quomodo discurrendum sit, qui discursus sit bonus, &c. Et in hoc sensu videtur loquutus Arist. aut denique ipsemet actus intellectus ex vi solius luminis naturalis procedens. Hæc enim omnia homo habet ex sua natura, qua rationalis est. Logica artificialis est quædam ars siue scientia, qua intellectus instruitur ad benè exercendas suas cognitiones & operationes, & qua ipsæ operationes diriguntur. Hæc est Logica, quam probauimus esse possibilem, & de facto dari, & quam modò tradere instituimus.

Logica artificialis datur tribus modis.

Tertiò rursus potest per Logicam artificialem intelligi, tum ipsa doctrina quæ à scriptoribus traditur, vel voce explicatur, aut mente reuoluitur: tum etiam actus ipse intellectus, quo artificialiter cognoscimus & scimus doctrinam logicam: tum etiam habitus, qui in intellectu gignitur & relinquitur per tales actus, qui habitus est qualitas deinceps inclinans, & promptum reddens intellectum, ad faciliter similes actus repetendos. Vnde veluti triplex Logica artificialis distingui potest. Prima dici potest obiectiua: quoniam est obiectum quod ab intellectu cognoscitur. Secunda dicetur actualis: quoniam consistit in actibus intellectus. Tertia dicetur habitualis: quoniam consistit in habitu qui acquiritur. Supponimus autem nunc, dari & acquiri huiusmodi habitus. Itaque datur Logica artificialis omnibus his modis. Nostrum autem munus est, tradere doctrinam logicam, quæ spectat ad primum modum. Vnde studiosi per proprios actus Logicam actualem, & ex actuali habitualem, sibi debeant comparare.

Alia est Logica vniuersalis, alia particularis.

Quartò alio modo diuiditur Logica artificialis in vniuersalem & particularem. Hanc diuisionem tradit Auerr. 2. Met. c. 3. Logica vniuersalis est, qua intellectus adæquatè instruitur, quomodo in qualibet scientia, & circa omnem materiam, absque errore procedere debeat, & quomodo in vniuersum benè exercere valeat suas operationes, quomodo discurrendum sit, &c. Logica verò particularis est, qua in peculiari aliqua scientia, & certa materia, instruitur intellectus, qualiter procedere debeat, si quid proprium pro tali scientia & materia disponendum occurrat. Nunc igitur Logicam vniuersalem tradere intendimus: ad quam spectat tradere præcepta generalia & communia scientijs, per absolutam directionem cognitionis. Pertinebit autem ad singulares ipsas scientias, præmittere, si quæ peculiaria de ipsarum procedendi modo supersint. Et ita seruauit Arist. in princ. Physi. in princ. de Part. animal. & alibi. Et iuxta hoc videtur Arist. ibi de Part. distinguere duos habitus in omni facultate: Vnum qui sit scientia de ipsis rebus: Alterum quem vocat peritiam de modo procedendi in tali scientia: Et hæc peritia erit Logica particularis suæ scientiæ. Plerunq; tamen non erit amplius necessaria alia instructio particularis circa particularem scientiam vltra Logicam vniuersalem.

Datur Logica docens & vtens.

Quintò præcipuè Logica diuiditur in Docentem & Vtentem. Quæ diuisio cômuniter approbatur. Et à Græcis auctoribus

ribus videtur sub alijs terminis tradita, in Logicam auulsam à rebus & coniunctam rebus: Vt Philop. in præfat. super lib. Prior. in fine refert ex Plat. Non defuerunt tamen qui hanc diuisionem repulerint. Ita Iustus Verax init. suæ Logicæ, Grucchius lib. de Nomin. Log. & Dial. & quidam alii. Et ex parte Fons. qui 2. Met. cap. 3. qu. 1. sect. 6. ait, totam quidem Logicam esse docentem, sed solam partem Topicam esse vtentem: Quare in hac sola parte hanc distinctionem agnoscit. Fauet S. Tho. 4. Met. lect. 4. Vbi significat, non dari Logicam vtentem in parte demonstratiua. Maior dissensio inter eos qui hanc diuisionem recipiunt, est de modo illam explicandi.

Sed absolutè dicendum est, rectè diuidi & assignari Logicam docentem & vtentem: debereque hanc diuisionem pro tota Logica accipi. Ita sumitur ex S. Thom. Opusc. 70. q. 6. art. 1. Scot. q. 1. Prædicab. Alberto & alijs antiquis. Ita etiam defendunt Iauell. tract. 2. Logicæ c. 6. Conimbr. q. 1. Tolet. & Sot. q. 2. Proem. & alij Recent. Thomistæ, Masius, Sances, Petronius, & alij, qui conantur exponere illum alium locum S. Tho. Et breuiter sic est res explicanda. Logica docens est ipsa doctrina logica, siue cognitio directionis operationum intellectus, definitionis argumentationis, & c. antequam actu definiamus, vel dirigamus aliquam operationem, per applicationem communium regularum. Logica vtens est, cùm actu exercemus operationes intellectus, cùm actu definimus, & c. iuxta regulas & præcepta tradita, ac prius cognita. Itaque cùm absolutè cogitamus, definitio tradenda est per genus & differentiam, syllogismus debet constare ex tribus terminis ita dispositis; non adhuc rem aliquam specialem definiendo aut demonstrando: tunc habemus Logicam docentem. Cùm verò actu definimus aliquam rem per genus & differentiam, homo est animal rationale, aut conficimus aliquem syllogismum: tunc habemus Logicam vtentem. Vnde hæc distinctio, non in sola Logica reperitur, sed in omni etiam alia arte & scientia directiua: vt consideranti patebit.

Non solùm in parte

Hinc manifestè probatur, hanc diuisionem esse toti Logicæ communem, & non soli Topicæ propriam, nam tam in parte demonstratiua, & definitiua, datur doctrina de demonstratione & definitione conficienda, & præterea vsus demonstrandi, ac definiendi: sicut datur in parte Topica de probabili syllogismo. Nec benè ait Fons. actum quo demonstramus, & est vsus doctrinæ demõstratiuę, pertinere ad illam scientiam in cuius materia demonstramus, videlicet Physicam, aut aliam, non autem pertinere ad Logicam: & ideo non dari Logicam vtentem. Nam certè ita se habet vsus demonstrandi ad doctrinam demonstratiuam Logicam, sicut vsus probabiliter disserendi ad Topicam. Et in ipsis materijs singularum scientiarum exercemus, tùm artem demonstratiuam, tùm definitiuam, tùm disputatiuam, & omnem partem Logicæ. Imo sicut in alijs scientijs, ita etiam in ipsa Logica, vtimur eadem arte Logica, definiẽdo, argumentando, & c. in propria materia. Singuli autem actus, pertinent quidem ex parte materiæ ad illam sciẽtiam in qua versantur, videlicet Physicam aut aliam: tamen valet dicere, quòd regulantur & diriguntur per Logicam, quantum ad formam & modum, vt rectè fiant. Vnde simul in vsu ipso & exercitio spectant suo modo ad Logicam. Potest tandem hæc diuisio, non solùm actuali, sed etiam habituali Logicæ adaptari: vt mox videbimus.

topicæ, sed in tota facultate.

Quomodo distinguãtur Logica docẽs & vtens.

Sextò præsertim dubitatur, quonam modo Logica docens & vtens distinguãtur. Aliqui significant, tàm habitus, quàm actus Logicæ docentis & vtentis, esse realiter & essentialiter distinctos. Alij è contra, neque actus, neque habitus esse distinctos. Aliqui, esse distinctos realiter, non essentialiter. Alij, esse distinctos formaliter & essentialiter, non realiter. Commune fundamentum est, quia par ratio distinguendi & multiplicandi esse videtur de actibus & habitibus. Peculiaria verò fundamenta sunt, vel ex varijs principijs, vel ex vario loquendi modo: vt colligi potest ex dicendis. Sed communior sententia asserit, actus quidem Logicæ docentis & vtentis esse distinctos: eundem verò esse habitum. Ita vt plurimum sentiunt Auctores antea relati.

Actus realiter &

Dicendum ergo breuiter est, distinguẽdo de actibus, & habitibus, actus Logicæ

essentialiter distinguuntur.

gicæ docentis & vtentis, idest actum qui est doctrina Logicæ, & actum qui est vsus Logicæ, esse realiter & essentialiter distinctos. Ita sequitur ex dictis. Et patet facilè. Alius planè actus est, quo intellectus cogitat, syllogismus debet in tali forma construi, & alius quo in certa aliqua materia conficit syllogismum. Sunt enim actus separabiles, habent diuersum obiectum, & ita se habet, sicut alij diuersi actus qui solent esse distincti. Imò vlterius possunt hi actus esse diuersæ operationes intellectus: vt in exemplo posito, prior actus est secunda operatio, posterior est tertia operatio: & sic possunt afferri plurima exempla.

Vnus & idem est habitus Logicæ docentis & vtentis.

Hinc inferendum est, his actibus correspondere quidem suos habitus pari modo distinctos. Nam vnus habitus est, quo quis instructus manet quomodo sit formandus syllogismus: & alius habitus est, quo format syllogismum in tali materia, siue physica, siue mathematica, siue alia quacunq; Vnde habitus sciētiæ Physicę, similiter Mathematicæ, vtriq; distinctus est ab habitu Logicę. Ita tamen, quòd vnus & idem actus in materia v. g. physica, qui dicitur actus Logicæ vtentis, idest vsus Logicę, correspondet simul duplici habitui, nempe habitui Physicę & habitui Logicæ. Diuerso tamen modo: videlicet Physicæ elicitiuè, & Logicæ regulatiuè ac directiuè. Quia nimirū talis actus elicitur ab habitu Physicę, dirigitur & regulatur ab habitu Logicæ.

Ex hoc vlterius inferendum est; propriè loquendo, non ipsum habitum Physicę, sed eundem solum habitum Logicæ, esse appellandum Logicam habitualem vtentem respectu talis actus. Nam habitus vtens idem sonat quod habitus regulans & dirigens, siue quo intellectus per modum regulę vtitur. Non ergo ipse habitus Physicę, qui elicit suum actum in tali materia dicetur vtens; sed tantùm dicetur eliciens. Habitus autem Logicæ, qui aptus est regulare omnes similes actus in quacunq; materia, dicetur Logica vtens.

Ita patet, eundem ipsum habitum Logicæ esse dicendum Logicæ docentis & vtentis, secundùm duas scilicet rationes, & per respectum ad diuersos actus. Nam per respectum ad actum docentem, dicetur Logica docens: & per respectum ad vsum illius doctrinæ, Logica vtens. Diuerso autem modo respicit vtrumq; actū. Nam primum actum elicit, sicut quilibet alius habitus suum proprium actum: secundū actū regulat & dirigit. Quare respectu primi dicetur habitus elicitiuus, respectu secundi directiuus & regulatiuus. Quod totum non est proprium & singulare ipsi Logicæ: quinimò est commune omni arti, & omni habitui practico ac directiuo alterius operationis. Habet enim suum actum cognitionis elicitum, proximum, & velut intrinsecum: habet & alium actum regulatum, ac veluti remotum, & extrinsecum. Hoc tamen peculiare Logica habet, quòd hic alius actus qui regulatur, est etiam actus cognitionis, quæ videlicet per aliam antecedentem cognitionem dirigitur, & habet alium suum peculiarem habitum intellectualem sui elicitiuum. Ita ergo idem habitus Logicæ, sicut & quilibet alius habitus practicus, est simul docens & vtens. Et ex his facillimè solui potest quęcunque difficultas in contrarium afferatur.

Denique concludamus, à nobis nunc tradendam esse Logicam docentem, qua deinde vti possimus ad operationes cęteras intellectus rectè exercendas, & ad omnes alias scientias addiscendas.

SECTIO TERTIA.

Vtrum Logica sit vtilis & conueniens.

AD quęstionem an Logica sit, pertinet disputare an sit vtilis & conueniens, an etiam necessaria. Hoc enim opportunū est inquiri in illis rebus quę ad aliquem finem ordinantur: sicut supponimus Logicam ordinari ad directionem nostrę cognitionis. Itaque loquimur de Logica artificiali docente, quæ scilicet continet doctrinam de directione nostrę cognitionis.

Fuerunt quidam antiqui, vt habetur apud Senec. epist. 90. qui Logicam tanquam inconuenientem & perniciosam vituperabāt. Imo Tertull. lib. de Pręscrip. hæret. cap. 7. & D. Hieron. in cap. vltim. Nahum, & in Psal. 104. & 143. Logicam tanquam perniciosam damnasse videntur, dicen-

dicentes, Dialecticam fuisse illam, ex qua fallacia argumenta ad alios decipiẽdos, suosq; errores suggerendos, Hæretici deprompserint. Ac per hoc de ipso Arist. tanquam Dialecticæ auctore malè loquuntur. Præterea Hæretici Donatistæ, vt refert August. lib. 3. contra litt. Petiliani cap. 16. & lib. 1. cont. Crescon. gram. cap. 13. obijciebant ipsi August. Dialecticam, tanquam artem mentiendi, & Christianæ veritati incongruam: ideoquè illum tanquam hominem dialecticum fugiendum cauendumq; iactabant. Hæretici etiam nostri temporis, non solùm in vniuersum nostrarum artium & Theologiæ Scholasticæ studium damnant, sed specialiter studium & vsum Logicæ, vt refert Roffens. art. 1. contr. Luther.

Referuntur deinde Epicurei & Cirenaici, Logicam tanquam vanam & inutilem contempsisse; vt habetur apud Hieron. lib. 1. Apolog. cont. Ruff. non multùm ante finem, & Senecam epist. 90. Et de ipso Epicuro testatur Cicero in lib. de Finibus. Plato etiam in Parmenide refert, Logicam à quibusdam fuisse inutilem iudicatam.

Logica est vtilis & cõueniẽs. Certum tamen est, Logicam non solùm non esse perniciosam, sed esse valde vtilem & conuenientem. Ita omnes prudentes & pij libenter agnoscunt. Et præsertim ad sacram doctrinam probè intelligendam, & Fidem ipsam tuendam, multùm conferre Logicam, eruditè multis SS. PP. testimonijs confirmant Titelman. in Apolog. pro Dialect. & Louaniens. in proemialibus Logicæ, & quidam alii qui de eadem re scripserunt.

Ad intelligentiam scripturarum. Et primò ad intelligentiam scripturarum plurimum conferre Logicam, testatur Aug. lib. 2. de Doctr. Christ. cap. 31. Rupert. Abb. lib. 7. de operib. Spiritus sancti cap. 13. qui asserit, non minus esse necessarium nosse, quid sit genus, species, &c. ad intelligentiam scripturæ, quàm ad prædicam. Aristot. & infra subiungit scripturam in formandis syllogismis esse efficacissimam. imo addit scripturam statim in primo exordio vsam fuisse syllogismo: illaquè prima verba, In principio creauit Deus &c. esse maiorem syllogismi.

Ad defensionem fidei. Secundò Logicam multùm iuuare ad fidem catholicam contra infideles & hæreticos comprobandam, pluribus posset ostendi. Sed sufficiat hanc ex August. cõfirmationem afferre. D. Aug. lib. 1. cont. Crescon. a cap. 13. de se ipso refert, Hæreticos refugisse cum eo disputare, eius Dialectica & arte disputandi perterritos. Tanta erat Logicæ vis ad conuincendos eorum errores, & veritates catholicas ostendendas. Præsertim quia per hãc artem August. solebat ex falsis Hæreticorum articulis, alias falsas & apud illos etiam absurdas conclusiones inferre: vnde cogebantur tandem à prioribus illis falsis assertionibus resilire. Sic Aug. cap. 20. in defensionem suæ Logicæ loquebatur: ***Neminem in disputando ad conclusionem falsam consequenter impelli, nisi prius consenserit falsis: At per hoc qui cauet nè se loquente consequantur falsa quæ non vult, volens falsa caueat quæ præcedunt.*** Adducit præterea Aug. cap. 14. & latè probat, Apostolum Paulum fuisse insignem Dialecticum, & Dialectica vsum. Et cap. 17. ac 18. idem docet ac probat de Christo Domino, qui ad conuincendos Iudæos, argumentis & Dialectica vtebatur. Ita conatur Aug. ibi confundere eos Hæreticos, qui imprudenter Dialecticam criminabantur, & quasi artem decipiendi Aug. obijciebant.

Ad hæreticos repellendos. Tertiò valet etiam Dialectica ad euertenda ac dissoluenda Hæreticorum argumenta, quæ non sunt nisi sophistica & vitiosa, quorum vsus familiaris est Hæreticis ad alios capiendos. Vnde Aug. ibidem per artem Dialecticæ detegere studuit fallacias Hæreticorum in suis argumentis, easquè destruere. Ex ipso demum vsu Ecclesiæ, & diuturna ac probata tot sæculorum consuetudine, satis exploratum est, Logicam esse Christianæ Reipublicæ valde vtilem & conuenientem.

Ad directionem nostræ cognitionis. Quartò deinde vtilem esse Dialecticam in vniuersum ad directionem nostræ cognitionis, & ad cæteras scientias comparandas, docuit præclarè Arist. 1. Top. cap. 2. ***Dialecticam esse vtilem, ad exercitationes, ad colloquia, & ad eas quæ secundùm Philosophiam sunt disciplinas.*** Et egregiè Cicero lib. 2. Tuscul. qq. de Dialectica loquens: ***Ex qua cùm summa vtilitas existat ad res ponderandas, tum maximè ingenua delectatio.*** Patet etiam ex existimatione omnium aliorum sapientum. Et euidenti

denti ratione: quia sine dubio ad rectè operandũ & procedẽdum, maximè iuuat, prius prænoscere & scire qualiter sit rectè operandum & procedendum: vt homo taliter instructus hac arte vtatur. Ad rectè ergo discurrendum, & sic ad alias intellectus operationes exercendas, omnesquè alias scientias addiscendas, maximè vtilis est Logica.

Ad scientias addiscẽdas. Quintò id totum distinctè explicatur & confirmatur de varijs scientijs & disciplinis. Non solùm ad sacram Theologiam, & ad Philosophiam, siue Moralem, siue Physicam, siue Metaphysicam, admodum confert Logica: imo est quodammodo necessaria, vt sect. sequenti videbimus: sed etiam ad quasdam alias facultates de quibus dubitari posset, eo quòd soleant addisci non præmissa Logica.

Etiam ad Rethoricam. Est valde vtilis ad Rethoricam: vt patet ex Arist. 1. Reth. cap. 2. dicente, ad Rethoricam debere nos habere facultatem ratiocinandi: imo vocauit Rethoricam propaginem Dialecticæ. Et cap. 4. ait, Rethoricam componi ex Dialectica, & ex ea deducere argumentandi normam. Et Cicero libro de Claris oratoribus testatus est, ad eloquentiam conducere Dialecticam. Itaque in rigore prius esset addiscenda Dialectica quàm Rethorica. Ideo autem oppositum frequentius obseruatur: quia iàm Rethorica ferè non traditur scientificè: & quia maiorem cum Grammatica similitudinem habet, cùm vtraque tractet de modo loquendi: & quia Rethorica sic tradi solita, est multò facilior quàm Logica. Adhuc tamen ob ipsius Logicæ vtilitatem, multa quæ iam cognita ex Logica supponi deberent, in ipsa arte Rethorica traduntur: quæ rursus per Logicam maximè in suo gradu perficitur.

Etiam ad facultatẽ Iuris. Est etiam valde vtilis Logica ad facultatem Iuris, quæ annexa est Philosophiæ morali, Hinc Cicero libro de Claris oratoribus Seruium Sulpitium vniuersis Iuris consultis illius temporis anteponit, eo quòd Dialecticæ peritus esset. vnde de eo inquit: *Nunquam ad tantam Iuris peritiam peruenisset, nisi Dialecticam didicisset.* apertè declarans Dialecticæ vtilitatem ad tantam legis peritiam. Tradit etiam Sotus q. 1. proemiali, Iuris studiosos olim consueuisse non adire studium Iuris sine Dialectica. Ideo autem de facto id non seruatur, quia Iuris facultas, eo modo quo hoc tempore traditur, potius est fides humana quàm scientia: vt notauit Sot. q. cit. in vlt. prob. 2 conclus. Scientia enim est, cùm per propriam causam & rationem rem cognoscimus: fides verò humana est, cùm aliquid credimus ob auctoritatem hominis dicentis. Atque ita hoc modo facultas Iuris in auctoritate Iuris peritorum fundatur. Est autem hæc valde imperfecta notitia: & eos qui ita rem cognoscunt, comparat Arist. 1. Met. cap. 1. rebus inanimatis, quæ faciunt absque cognitione: qua comparatione vtitur etiam Alb. Mag. in Porphyr. Quòd si quis veras rationes & causas legum inquirere vellet, vt reuera in multis inuenire posset: ad id maximè Logica indigeret.

Et ad mathematicas disciplinas. Vtilis est demum Logica & ad scientias Mathematicas: licèt Plato Geometriam ante omnes scientias præmittendam vellet, imò in eius gymnasio scribendum iussérat, nemo huc accedat, nisi Geometra. Nam scientiæ mathematicæ etiam vtuntur regulis & præceptis Logicæ. Plato autem non integram Geometriam, sed tantùm quædam faciliora, & quasdam demonstrationes magis euidentes, ante Logicam præmittebat, vt Doctores notãt. Sed neque aliqua saltem inchoata notitia Logicæ tunc deerat. Non est tamen negandum, minus requiri Logicam ad Mathematicã quàm ad Philosophiam: quia in hac non sunt res adeo euidentes.

Etiã pars sophistica Logicæ est vtilis & cõueniẽs. Cœterùm Hieron. & Tertull. antea allegati, tantùm damnare voluerunt artem sophisticam, quatenus ea multi Hæretici abutentes, insidiosis fallacijs suas hęreses adstruere conabantur; non autem Logicam, quatenus docet verum disserendi modum: vt aduertit Pamelius in annotat. super eum locum Tertull. & refert fuisse etiã animaduersum à Macereo & Clemente Alexand. lib. 1. Stromatum. Sed neque ars sophistica reprobanda est: quinimo & ipsa est valde vtilis ad Hæreticos confutandos: quia ars sophistica non traditur, vt ea nos vtamur; sed vt dum alij contra nos ea vti voluerint, fallacia argumẽta dissoluere promptè sciamus. Et ad hunc finem Aristot. ipse libros Elench. conscripsit, docens modum dissoluen-

soluendi argumenta sophistica, & aliàs sæpè sophistarum fallacias reprehendit, & 1. Rethor. cap. 1. notauit: *Oportet vt contraria persuadere possimus, nõ vt vtraq. faciamus: nam mala facienda non sunt. Sed ne nos lateant quomodo se habeant, & vt cùm alij non iustè vtantur, orationẽ soluere possimus*. Non ergo Arist. est de hac re culpandus, sed valde laudandus.

SECTIO QVARTA.

An & quo pacto Logica sit necessaria.

ALiqui auctores, concedentes Logicam esse vtilem, noluerunt asserere esse etiam necessariam. Alij sunt qui ex opposito docent esse simpliciter necessariam ad alias scientias addiscendas. Ita loquitur Sotus q. 1. proem. referens etiã Albert. cap. 3. in Porphy. Sed hi auctores non satis explicarunt, quid intelligerent per necessitatem simpliciter. Eodem autem modo loquuntur Sanc. q. 2. proem. & Petron q. 1. art. 2. Communior loquendi modus est, Logicam non esse necessariam simpliciter, sed secundùm quid: non esse necessariam absolutè, sed ex suppositione si aliæ scientiæ debeant perfectè acquiri: non esse necessariam ad quolibet modo acquirendas, sed ad perfectè acquirendas alias scientias. Ita Fons. 2. Met. cap. 3. q. 4. sect. 2. Iauel. tract. 1. cap. 4. Conimbr. & alij recentiores. Et idem in re voluerunt alij qui absolutè dixerunt Logicam esse necessariam.

Duplex distinguitur necessitas. Itaque pro resolutione duplex est necessitas distinguenda. Prima vocatur necessitas simpliciter, & absolutè, & ad esse rei. Secunda vocatur secundùm quid, & ex suppositione, & ad benè esse. Prima necessitas est, quando prorsus sine tali medio res haberi non potest: *Vt respirare, & alimentum animali necesarium est: impossibile enim est absque his animal esse*. Arist. 5. Met. cap. 5. Secunda necessitas est, quando sine tali medio potest quidem aliqua res haberi, sed non ita perfectè & benè: vt certa temperies aëris, & certa ciborum qualitas, potest esse necessaria, ad diutius & salubrius viuendum.

Dico 1. Logica artificialis præuia non est simpliciter & absolutè necessaria ad directionem nostræ cognitionis, & acquisitionem aliarum sciẽtiarum. Patet manifestè, quia planè sine alia arte Logicæ, & antequam addiscatur, & ab ijs qui eam nunquam didicere, possunt & solent elici plerique actus cognitionis recti & veri, in omnibus & singulis operationibus, in apprehendendo scilicet, & iudicando, & discurrendo. Et præsertim multi sæpè optimi discursus sine præuia arte Logica efficiuntur: quamuis discursus sit difficilior operatio, & quæ maiori indiget directione. Multæ enim illationes & consequentiæ sunt per se statim adeo manifestæ & euidentes, vt omnino intellectum rapiant ad assensum. Et hoc totum potest contingere in materia cuiuslibet scientiæ: dum alicui Logicæ artificialis experti, proponitur aliqua clara demonstratio geometrica, is statim præbet assensum, & habet euidentiam talis rei: & sic in alijs similibus rebus & scientijs. Possunt ergo haberi aliqui actus recti cognitionis, & actus scientifici variarum scientiarum, sine præuia Logica artificiali: sed sufficit lumen ipsum rationis cum euidentia rei, quæ dicebatur Logica naturalis. *Logica nõ est simpliciter necessaria.*

Neque valebit dicere, hominem sine Logica posse quidem elicere aliquem bonum & euidentem discursum: tamen non posse ipsi constare, eum discursum esse reuera talem, & præsertim esse propriè scientificum secundùm omnes conditiones requisitas ad scientiam rigorosè dictam. Nam ad hoc oportet illi notas esse conditiones boni discursus in figura & modo, & conditiones proprias scientiæ: quam notitiam sine Logica habere non potest. Hoc inquam nihil obstat: quia poterit facilè homo certò & clarè cognoscere, suum discursum esse bonum, se in illo non decipi & errare. Hoc enim constat in rebus claris & euidentibus. Non sciet autem homo sine Logica, talem discursum esse in tali figura & modo, esse scientificum, quia procedit ex propositionibus primis immediatis & cum alijs conditionibus ab Arist. assignatis. Imo fieri potest, vt ne significationem quidem horum nominum quis percipiat, nec ipsa nomina vnquam audierit. Sed id non est necessarium ad hoc, vt reuera habeat ipsum discursum euidentem & scientificum,

tificum, in quo re ipsa inueniuntur debitæ conditiones, quæ a peritioribus distinctè & explicitè cognoscuntur.

Est necessaria secundùm quid.

Dico 2. Logica dici debet secundùm quid necessaria, siue necessaria ad perfectam & integram directionem nostræ cognitionis, & adeptionem aliarum scientiarum. Hæc conclusio habetur apertè ex D Aug. lib. 3. cōtra Accademicos cap. 17. & lib. 2. de Ordine cap. 13. & lib. 2. de Doctr. Christ. cap. 31. & sequentibus, quibus & alijs in locis multa de Logicę necessitate docet. Item ex Platone qui lib. 7. de Repub docuit, ad omnes artes & scientias necessariam esse Dialecticam, etiam ad ipsam summi boni contemplationem. Præcipuè ex Arist. qui multis in locis multa de necessitate Logicæ docet 2. Met 15. & alibi; sępè etiam asserit, antiquos Philosophos ob ignorantiam Dialecticæ in multos incidisse errores, errasse ob ignorantiam artis definiendi 1. Met. 8. ob ignorantiam artis diuidendi sæpè in æquiuoco laborasse 1. Phys. cap. 3. & sequentibus, & ob ignorantiam artis argumentandi sępè deceptos esse 1. Phys. tex. 10. & 22. Præterea Cicero de Epicuro refert, in graues lapsum fuisse errores ob contemptum Logicę, & Seneca refert, Epicureos & Cirenaicos demum coactos Logica vsos fuisse, illam tamen à Philosophia naturali, vel morali, nōn distinxisse. Huc etiam pertinet, quod Stoici Logicæ artis eximij professores dicebant, vt refert Laertius in vita Zenonis Cittici, sapientem in oratione sua sine Logica nō futurum sine lapsu. Refert etiam Laertius, eosdem Stoicos Philosophiam in tres partes diuisisse, in Moralem, Naturalem, & Rationalem quæ est Logica. Totamquè Philosophiam comparabant ciuitati optimè constitutæ. Philosophiā naturalem ciuibus, moralem legibus, Rationalem mœnibus: vt refert Fons. 2. Met. c. 3. q. 3. sect. 3. Atque per hanc similitudinem Stoici Logicę necessitatem ad alias Philosophiæ partes indicabant: & sub Philosophia naturali, tàm Metaphysicam, quàm Physicam intelligebant. Denique Galen. lib. 1. Simplic. medicam. et alibi Logicæ necessitatem expressit.

Probatur deinde assertio ratione: quia sæpè in cognoscendo decipimur et erramus, præcipuè in discurrendo. Frequenter enim multi vitiosi syllogismi, ob nimiam apparentiam, deceptionem causant. Quare propter humani ingenij imbecillitatem, & addiscendi difficultatem, impossibile esset non sæpe errare: igitur necessaria fuit aliqua ars, tradens rectum cognoscendi, & discurrendi modum; necessaria inquam ad perfectam & integram directionem nostræ cognitionis, & adeptionem scientiarum: quæ dicebatur necessitas secundùm quid, & ex suppositione, & ad benè esse. Hac ratione necessariæ sunt aliæ artes ad alias operationes, in quibus error cōtingere potest, dirigendas: ergo maximè necessaria fuit ars logica ad dirigendas operationes intellectus, in quibus multi errores in scientijs acquirendis passim cōtigunt. Et præsertim ad illas Philosophiæ partes quæ in rebus difficilioribus & obscurioribus versantur, ac procedunt modo scientifico & disputatorio. Vnde certè nullus solet, & non nisi temerè posset quis, Philosophiam aggredi, Physicam, aut Metaphysicam, non præmissa Logica.

Est etiam ad se ipsam necessaria.

Dico 3. Logica est etiam quodammodo ad se ipsam necessaria. Est sanè hoc peculiare in Logica: quoniam vt quisque eandem ipsam Logicam addiscat, exercet vtique operationes sui intellectus, & cognoscendo addiscit. Si ergo ad perfectam directionem nostræ cognitionis aliarumq; scientiarum adeptionem, est necessaria Logica, est etiam ad se ipsam necessaria: & sicut dirigit alias cognitiones & scientias, ita etiam dirigit suas cognitiones & se ipsam. Et sicut in alijs scietijs seruantur regulæ & præcepta Logicæ, ita etiā seruātur in ipsa Logica. Sed ex alia parte hoc videtur difficile, quia nō potest idē esse necessariū ad se ipsum, quasi quid a se distinctum. Si autem quædam distincta Logica, seu ars directiua, necessaria ad ipsam Logicam distinguatur; dabitur processus in infinitum, & nunquam inuenietur prima Logica.

Vna pars ad aliā.

Ideo explicatur & suadetur conclusio dupliciter. Primò quia Logica habet plures partes, sic benè potest vna pars esse necessaria ad aliam. Itaque prima pars Logicæ, in qua agemus in communi de directione nostræ cognitionis, est necessaria ad sequentes. Secūda, in qua agemus de directione primæ operationis, erit

erit necessaria ad alias duas. Tertia demum, in qua de secunda operatione, erit necessaria ad quartam, in qua de tertia operatione. Et rursus intra singulas has partes sunt plures partes, vna necessaria ad aliam. videlicet in prima parte, tractatus Vniuersalium est necessarius ad tractatum Prædicamentorum, & sic etiam de alijs minutioribus partibus.

Imo vlterius etiam partes posteriores sunt necessariæ ad partes priores, & sic mutuò vna pars alteram iuuat. Nam in tradenda priori parte, vtimur etiam operatione quæ dirigenda est in posteriori parte. Sic in prima parte exercemus vtique omnes tres operationes postea dirigendas: & in tractatu primæ operationis oportet formare enunciationes & argumentationes: & in tractatu secundæ similiter oportet formare argumentationes. Imo, cùm Logica sit scientia, vt sect. sequent. videbimus: etiam priores Logicæ partes habent rationem scientiæ: occurrunt etiam variæ opiniones. Itaque ex tunc exercere oportet actus scientię, & opinionis, de quorum directione in speciali agitur in postrema parte Logicæ. Sed hinc redit difficultas insinuata, quòd si prima pars est necessaria ad secundam, & è conuerso secunda ad primam: quælibet erit necessaria ad se ipsam. Imo additur circulus qui videtur inutilis & vitiosus, & manifesta implicantia, ac intoleranda confusio. Ideo ad hæc omnia satisfaciet sequens explicatio.

Et eadem ad se ipsam.

Secundò explicatur & suadetur conclusio: quia vna & eadem pars Logicæ, ipsaq; tota Logica, potest dupliciter tradi: vno modo exactè & perfectè: alio modo ruditer & imperfectè. Eadem ergo pars Logicæ, prius imperfectè tradita, benè potest esse, & reuera est necessaria, ad se ipsam perfectè tradendam. Sic etiam posterior pars imperfectè tradita, est necessaria ad priorem perfectè tradendam. Et tota demum Logica imperfectè tradita, est necessaria ad se ipsam perfectè tradendam. Ita planè de facto videmus, vt antequam tota Logica perfectè tradatur, prėmittātur institutiones, quę sunt breuis quędam & imperfecta Logica: & sunt ita necessarię ad perfectam Logicam, sicut ipsa Logica ad alias scientias. Imo eædem solæ institutiones possent magna ex parte sufficere ad alias etiam scientias addiscendas. sed tamen non sunt penitus sufficientes: sed plenior Logica præterquiritur, præsertim ad res Philosophicas in Physica, & Metaphysica, ac deinde etiam ad res Theologicas in sacra doctrina inquirendas, & addiscendas.

Cæterùm ad primam & imperfectam partem Logicæ, non est rursus antecedenter alia ars Logicæ necessaria: sed sufficit Logica naturalis, idest lumen rationis, cum fide adhibenda Magistris, vt per illam intellectus iuuetur, & progrediatur vlterius, vsque tandem ad perfectum Logicæ complementum. Et per hoc satis dissoluta manet omnis difficultas & ratio dubitandi quæ afferebatur.

Et Logica per Logicam inuenta fuit.

Postremò etiam ad se ipsam inueniendam fuit quodammodo Logica necessaria, & Logica per Logicam inuenienda fuit. Primò quidem ex virtute luminis rationis, & Logicæ naturalis, experientia aliqua fieri cepta est de modis benè aut malè procedendi in cognitione intellectiua. Sic Arist. 1. Met. cap. 1. hanc seriem artis inueniendæ per experientiam explicauit: *Per experientiam ars & scientia hominibus efficitur: fit autem ars, cùm è multis experimentalibus conceptibus, vna de similibus vniuersalis opinio fiat.* Hanc quibusdam placuit vocare Logicam experimentalem. Hinc in formam artis redigi ceperunt aliquæ regulæ & præcepta de modo benè procedendi in nostra cognitione: exinde alia plura, & ex his rursus plura, temporis decursu, & sapientum successione, ac studiosorum exercitatione, inuenta & excogitata sunt, donec Logica ad hunc præsentem statum prouecta sit. Ita notauit Alb. Mag. initio Prædicab. *Logica modus à natura incipit: perficitur autem arte, vsu, & exercitio.* Hoc modo cæteræ artes & scientiæ inuētæ sunt. De qua re præclarè Arist. 2. Elench. cap. vlt. explicans, quantùm præclarius & difficilius fuerit, principium inuenire, quàm ex principio ad vlteriora procedere, & inuentis addere. *Eorum quæ inueniuntur, omnium quæ quidem ab alijs sumpta sunt, prius elaborata, paulatim incrementum sumunt ab illis qui postmodum accipiunt. Quæ autem ab initio comperiuntur, paruum in primis sumere solent incrementum: attamen vtilius addere multò eo quod postea ab*

alijs sit acremento. Maximum enim fortasse principium omnium, & difficillimum; eo autem comperto, facile est adycere coaptareque reliquum.

SECTIO QVINTA.

Quid sit Logica: An sit scientia.

INuestigare nunc debemus quidditatem & naturam Logicæ. De qua satis iam constat, Logicam essentialiter esse notitiam intellectualem, siue actualem, siue habitualem. Distinguit autem Arist. 6. Ethic. cap. 3. sex genera notitiæ intellectualis, præcipuè loquens de habitibus: Intellectum, Scientiam, Sapientiam, Prudentiam, Artem, & Opinionem ac existimationem. Primas quinque docet esse virtutes, idest, qua falli non possunt: opinionem non esse virtutem, quia potest ex suo genere falli. Cum opinione complectitur etiam suspicionem, & fidem humanam. Videndum est itaque, sub quonam horum generum Logica essentialiter contineatur. Propter quod hæc nomina explicanda sunt.

Notitia intellectualis genera distinguuntur.

Intellectus. Intellectus hic sumitur, non pro ipsa potentia intellectiua, sed pro illa notitia, qua versatur circa prima principia per se nota, quibus intellectus absque discursu ex sola terminorum apprehensione necessariò assentitur: vt omne totum est maius sua parte: non potest idem simul esse & non esse.

Scientia. Scientia quādoq. vulgari modo sumitur pro quacunq. notitia, & cognitione: sed propriè hic sumitur de mente Arist. pro notitia discursiua certa & euidenti, de conclusione ex præmissis certis & euidentibus demonstrata.

Sapientia. Sapientia est notitia rerum præstantissimarum, & maximè vniuersalium. Vnde Metaphysica dicitur propriè sapientia primo Metaphys. cap. 1. Atque si intellectus & scientia adęquatè sumantur, etiam prout versantur circa res præstātissimas: sic sapientia est vel intellectus vel scientia, quia vtroque modo haberi potest. Sic dixit Arist. 6. Ethic. c. 7. Sapientiam esse intellectum & scientiam. Vt autem sapientia ab illis distinguatur, debent intellectus & scientia sumi prout versantur circa res inferiores præstantissimis.

Prudentia. Prudentia est notitia directiua actionum humanarum singularium in genere moris, idest, quoad bonitatem & honestatem moralem, vt rectè & laudabiliter fiant.

Ars. Ars interdum amplissimè sumitur pro omni notitia intellectiua: sic sumi videtur 2. Ethic. cap. vlt. Interdum pro omni notitia practica & operatiua ac directiua in genere artis: sic sumi videtur 1. Metaphys. cap. 1. Propriissimè sumitur pro notitia practica de operationibus singularibus & indiuiduis; earumque directiua quoad rectitudinem & bonam dispositionem artificialem: sic sumpta est in Ethicis.

Opinio. Opinio demum est notitia, quæ habetur de rebus contingentibus & non necessarijs, seu quæ est probabilis & obscura, non certa & euidens.

His suppositis, variæ sententiæ de ratione Logicæ extant.

Variæ sententiæ referuntur. Prima sententia est, Logicam ad nullum ex his generibus pertinere: sed esse aliud quoddam genus notitiæ, quam vocant notitiam instrumentalem, habitum instrumentalem, facultatem instrumentorum, aut modum sciendi. Ita latè contendit Zabar. lib. 1. de Nat. Logicæ. Ita etiam Balduinus quæst. 7. Petrus Niger quæst. 11. sui Clyp. Aegid. initio Poster. Vallius 2. par. Prolog. quæst. 4. cap. 15. Zimara in Tabula verbo Absurdū est, & quidam alij occasione illorum verborum Arist. 2. Met. 15. vbi videtur Logicam appellasse modum sciendi, & à scientia distinxisse. Referuntur quidam alij Expositores antiqui pro eadem sententia: qui tamen solùm dixerunt, Logicam esse instrumentum, & modum sciendi: non tamen negarunt esse scientiam aut artem.

Secunda sententia est, Logicam esse opinionem. Ita Themist. 1. Poster. cap. 24. & Lemosius lib. 1. Paradox. Dialect. errore 2. qui tamen specialiter de Dialectica pro parte topica loquuti sunt. Et in eodem sensu aliqui Dialecticam vocant facultatem, ex Arist. 1. Rethor. cap. 2. quæ potest circa contraria probabiliter versari.

Tertia sententia est, Logicam propriè esse artem. Ita Apollinaris 1. Poster. quæst. 2. art. 2. Flamin. Nobilius quæst. penult. Logicæ, Monlorius quæst. Prior. Mirandul.

Mirandul. in proem Inst. in Logicam, & in Comment. sect. 1. circa finem, & alibi, Nunnes in lib. de Constr. Dialect. Rodulph Agricola lib. 2. de Inuent. Dialect. cap. 2. Scaliger. lib. 1. de Subtilit. exerc. 1. num. 3. Vasquez 1. 2. disput. 85. num. 6.

Quarta magis communis sententia est, Logicam esse verè & propriè scientiam. Ita Auic. cap. 1. suæ Log. Alb. tract. 1. Prædicab. cap. 1. Boet. editio. 1. in Porphy. D. Thom. 4. Met. lect. 4. Scot. q. 1. Prædicab. Iauell. tract. 1. cap. 2. Aegid. initio Prior. Soc. Tolet. Conimbr. Didac. à Iesu, Ruuius, Murcia, Masius, Sances, Petron. & alij recentiores communiter in Proemialibus Logicæ, Soncin. 6. Met. q. 6. Fons. 2. Met. cap. 3. quæst. 1. sect. 7. Suarez disp. 1. Met. sect. 4. nu. 26. & alij vt plurimum. Sed S. Thom. Scot. & alij ex his, explicant, solam Logicam docentem esse scientiam: vtentem verò non esse scientiam, sed potius esse artem. E contra aliqui explicant, Logicam vtentem esse scientiam, non quidem distinctam ab alijs scientijs, sed esse varias ipsas scientias: docentem autem, quæ propriè est Logica ab alijs scientijs distincta, non esse scientiam. Ita Zab. lib. cit. & ait hanc esse Græcorū sententiā.

Pro vera resolutione huius rei omnino distinguendæ sunt diuersæ partes Logicæ, idest quantum ad diuersas propositiones quas docet & continet. Nam non potest vnum & idem genus notitiæ omnibus & singulis partibus attribui? Sed diuersa genera notitiæ in tota Logica admiscentur, & exercentur.

Logica in aliqua sui parte est notitia quæ dicitur intellectus.

Dico primò, Logica in aliqua sui parte est essentialiter intellectus. De hac re mentionem non faciunt Auctores. Sed probatur conclusio manifestè: quia Logica continet quædam principia ex terminis nota, & per se statim euidentia, eaque tradit in ordine ad directionem nostræ cognitionis: v. g. vt perfectè apprehendatur res, debet explicitè cognosci essentia rei: tunc enunciatio vera est, quando enunciat rem sicuti est: syllogismus in Barbara benè concludit: & alia sunt huiusmodi plurima. Sic etiam in scientia morali sunt sua prima principia per se nota: & in alijs scientijs. Imò hoc est necessarium ad resolutionem scientiæ in sua prima principia. Sed certè notitia suorum principiorum in Logica est essentialiter Logica, non minus quàm notitia, quæ habetur de conclusionibus logicis, quæ ex ijs principijs deducuntur. Omnis enim huiusmodi notitia est essentialiter directiua nostræ cognitionis. Ergo verè aliqua pars Logicæ est essentialiter de illo genere notitiæ, quæ dicitur intellectus. Imò hæc est potissima & nobilissima pars Logicæ, quia hoc genus notitiæ excedit etiam ipsam scientiam.

In magna parte est opinio.

Dico secundò, Logica in magna sui parte est essentialiter opinio. Hæc conclusio nō intelligitur aut verificatur specialiter de parte topica. Nam hanc optimè posse esse scientiam, postea videbimus: sed intelligitur & verificatur in quolibet tractatu Logicæ. Nam compertissimum est, ea quæ fusius & acrius in Logica pertractantur, esse illa quæ in quæstionem ac disputationem veniunt, quæ auctoritatibus ac rationibus probabilibus transfiguntur, & varijs opinionibus in partes contrarias resoluuntur; nec habetur certitudo, & euidentia veritatis, sicut ad scientiam requiritur. Ergo in his omnibus Logica est opinio, non scientia. Vbi non negamus, tales res posse quidem ex natura sua sciri & euidenter cognosci, si inuenirentur media demonstratiua: sed dicimus de facto à nobis non solere sciri; & ita apud nos Logicam quoad talem partem esse opinionem. Imo de eadem propositione poterit in vno intellectu esse scientia, in alio opinio; si vnus nempè assequatur & percipiat certam demostrationem, & non alius.

In quodā sensu appellari potest ars.

Dico tertiò, Logica in quodam sensu potest appellari ars; & ex parte est propriè ars: principaliter tamen non est in rigore ars quæ à scientia condistinguitur. Conclusio tres habet partes. Prima pars patet ex communi & recepto vsu loquentium, etiam sapientum. Passim enim appellari solet ars Logicæ, imo vna ex septem artibus liberalibus computatur. Idque explicatur optimè à S. Thoma Opusc. 70. quæst. 5. art. 1. Sensus autem, in quo Logica appellatur ars, est, non solùm sumendo artem in illa significatione pro omni intellectuali notitia; sed prin-

sed principaliter in alia significatione magis propria pro notitia regulatiua, & directiua operis: Logicam verò esse directiuam operationis, & propriè esse practicam, ostendemus magis sect. sequenti. Ita patet, artem in hac significatione sumptam non distingui ab omni scientia, sed solùm à scientia speculatiua, & potius importare scientiam practicam.

In aliqua parte est propriè ars. Secunda pars conclusionis ostenditur: quia ars propriè dicta, quæ à scientia con distinguitur, est quæ versatur circa singularia, & habet pro obiecto suo ipsa singularia. Sed potest vtique dari notitia directiua, determinata & appplicata ad aliquam singularem operationem intellectus dirigendam, hic & nunc cum singulis circumstantijs exercendam: sicut talis notitia datur in alijs operationibus regulandis & dirigendis, scilicet non solùm in vniuersali, sed etiam in singulari: Et præsertim in genere moris datur notitia directiua humanorum actuum quoad bonitatem moralem, non solùm considerando illos in vniuersali, sed etiam in singulari; vnde in tali genere assignatur prudentia distincta à scientia. Ergo talis notitia directiua est propriè ars. Sed hæc notitia continetur vtique sub genere notitiæ logicæ. Nam notitia logica in genere & adæquatè est notitia directiua operationum intellectus. Sicut notitia moralis est quoddam genus continens sub se scientiam circa actus humanos in vniuersali, & prudentiam circa actus humanos in singulari. Et sicut circa alias operationes dirigendas similia genera notitiæ directiuæ inueniuntur. Ergo hoc modo Logica ex parte est verè & propriè ars.

Principaliter non est ars. Tertia demum pars ostenditur: quia principaliter Logica versatur circa operationes intellectus adæquatè, & abstrahendo ab hac & illa singulari operatione, & tradendo doctrinam communem, quæ ad singulas operationes in indiuiduo applicari possit. Et hoc modo Logica à nobis nunc tradenda est. Sumendo ergo artem propriè & in rigore, prout versatur determinatè circa singularia, & sic distinguitur à sciẽtia propriè dicta: sic planè Logica non est propriè ars. Alio modo à quibusdam sumitur ars pro notitia directiua operum exteriorum, aut etiam eorum quæ permanent post operationẽ: & sic clarissimum est, Logicam non esse hoc modo artem: cùm dirigat operationes internas & immanentes intellectus.

Est propriè scientia. Dico 4. Logica est verè & propriè scientia, scilicet quantum ad illas veritates & conclusiones vniuersales quas certò & euidenter probat. Hæc conclusio est de mente Auctorum quartæ sententiæ, & est principaliter intenta in hac resolutione. Probatur 1 Omnis notitia discursiua certa & euidens de conclusione vniuersali ex præmissis euidentibus, est verè & propriè scientia: sed Logica in multis veritatibus quas docet, est huiusmodi; probat enim certò & euidenter suas conclusiones: ergo est verè & propriè scientia. Maior supponitur ex breui explicatione tradita scientiæ, & ex proprio tractatu ipsius scientiæ. Minor est etiam clara: quia ad Logicam pertinet, non solùm absolutè docere suas conclusiones, tradere suas regulas & præcepta: sed pertinet etiam, illas euidenter probare, & efficaciter demonstrare: sicut hoc pertinet ad alias scientias circa suas conclusiones. Et reuera quamplurimæ sunt huiusmodi demonstrationes, & euidentes probationes in Logica. Sic Logica demonstrat omnes modos imperfectos primæ, & modos secundæ, ac tertiæ figuræ, benè concludere, per reductionem ad modos perfectos primæ figuræ. demonstrat definitionem debere esse clariorem definito: omnis oratio explicans essentiam rei debet esse clarior ipsa re: sed definitio est oratio explicans essentiam definiti: ergo debet esse clarior definito. Et sic passim demonstrat alias huiusmodi suas assertiones, circa omnes operationes nostri intellectus, & omnia instrumenta directiua cognitionis: ergo Logica est verè & propiè scientia.

Secundò si vlterius scientia magis rigorosè & perfectè sumatur, pro ea quæ procedit ex causa per quam res est: quoniam scire est cognoscere rem per causam. Sic etiam Logica pleraſque suas conclusiones demonstrat per causas à priori, imo per definitionem per quam confici debet potissima demonstratio. Vt in exemplo posito: oratio explicans essentiam rei est definitio definitionis; & ratio illius proprietatis, vt definitio sit clarior

rior definito: aut dici potest demonstratio procedens ex causa finali; quoniã ex eo quod definitio ordinatur ad explicitam notitiam definiti, debet esse clarior definito. Et aliæ sunt plures huiusmodi demonstrationes in Logica. Nihilq. aliud deest Logicæ ad veram scientiæ rationem, vt magis ex obiectionum solutione constabit. Ergo omnino Logica est scientia.

In omni suo tractatu est scientia. Tertiò Logica habet hoc modo rationem scientiæ in omni suo tractatu, etiam in parte topica, & sophistica. Nam tractat quidem Logica de syllogismo probabili & vitioso: tamen efficaciter probat & euidenter demonstrat suas conclusiones de tali subiecto. Verbi gratia, certò & euidenter demonstrat, quòd syllogismus Dialecticus infert conclusionem probabilem: omnis syllogismus qui procedit ex præmissis probabilibus infert conclusionem probabilem: sed syllogismus dialecticus procedit ex præmissis probabilibus: ergo &c. Similiter Logica demonstrat, syllogismum sophisticum esse fallacem: omnis syllogismus qui apparet bonus & reuera non est, est fallax: sed syllogismus sophisticus &c. Demonstrat etiam alias regulas spectantes ad conficiendum syllogismum dialecticum, & dissoluendum sophisticum. Itaq. doctrina quã tradit Logica de syllogismo probabili, & vitioso, nõ est probabilis aut vitiosa, sed certa & euidẽs: est ergo verè & propriè scientifica: & pars topica est scientia, & pars sophistica est sciẽtia. Similiter etiam doctrina quã tradit Logica de directione primæ, & secundæ operationis, est scientifica; quamuis ipsa secunda aut prima operatio non sit sciẽtia. Nõ ergo peculiariter Logica est scientia in eo solo tractatu quo agit de scientia & demonstratione, sed indifferenter in omni alio suo tractatu.

Logica vtens, in parte demonstratiua est scientia, non in alijs. Quartò hæc omnia procedũt, vt patet, de Logica docente. Sed etiã Logica vtens in aliqua parte est sciẽtia, videlicet peculiariter in parte quæ exercet vsũ scientiæ & demonstrationis; non autem quantum ad vsum aliarum partiũ & tractationum Logicæ. Patet quia Logica vtens actualis est ipse vsus Logicæ: sed vsus partis demonstratiuæ, vtique est demonstrare & scire: & quandocunq. in alia quauis scientia intellectus demonstrat aliquam conclusionem & exercet actum scientiæ, hic actus demonstrandi & sciendi est vsus Logicæ: ergo Logica vtens quantum ad istam partem planè est ipsa actualis scientia & demonstratio quæ exercetur. In alijs autem partibus vsus Logicæ erit, apprehendere in prima, iudicare in secunda operatione, ac etiam probabiliter discurrere in tertia operatione: sed hi omnes actus non habent rationem scientiæ, vt est clarissimum: ergo Logica vtens quantum ad has partes non est scientia. Quod dicitur de actibus, pertinet etiam ad habitum: habitus enim dicitur scientia, qui gignit actum scientiæ. Item habitus dicitur Logica vtens, per respectum ad actum quem dirigit & regulat. Quando ergo habitus Logicæ regulando & dirigendo gignit actum scientiæ, est scientia; alioqui non est scientia. Itaque Logica vtens in parte demonstratiua est scientia, in alijs partibus non est scientia: sed vel est notitia apprehensiua, vel iudicatiua, vel discursiua probabilis. Atque in hoc consistit discrimen partis demonstratiuæ à parte topica aliisquè partibus Logicæ; quòd pars demonstratiua, non solùm quatenus docens, sed etiam vtens, est verè scientia: at omnis alia pars solùm quatenus docens, non autem quatenus vtens, est scientia.

Cęterùm, quia quando absolutè nominatur Logica, pręcipuè intelligitur de illis veritatibus quas Logica euidenter & demonstratiuè probat: ideo absolutè loquendo dici solet, Logica est scientia, & ita deinceps loquemur. Poterit etiam simul dici notitia instrumentalis, facultas instrumentalis, instrumentum, & modus sciendi: quoniam est talis sciẽtia, quæ deseruit ad directionẽ cognitionis, & acquisitionẽ aliarum scientiarum. Vnde non benè dicebant illi, qui hac via Logicã excludebant ex illa diuisione Arist. Nã omninò debet in illa diuisione, & præcipuè sub genere scientiæ, Logica cõprehendi. Nõ est aũt dicenda sapientia, quia nõ agit de rebus præstantissimis & vniuersalissimis; nec prudẽtia, quia non dirigit actiones in genere moris. Logica tamẽ vtẽs, in Metaphys. verè est sapientia, & in rebus moralibus est prudentia.

In contrariũ obijcitur 1. ad probãdum

Quomodo Arist. vocauerit Logicam modum sciendi.

Logicam non esse scientiam, dictum illud Arist. 2 Met. tex. 15. *Absurdum est, simul scientiam & modum sciendi quærere.* Vbi per modum sciendi intellexit Logicam, iuxta communem expositionem: ergo cùm Arist. distinguat modum sciendi à scientia, Logica non est scientia.

Resp. 1. Aliqui per modum sciendi intelligunt, non Logicam vniuersalem, sed particularem instructionem præmittendam in singulis scientijs de suo modo procedendi. 2. Intelligendo Ar. de modo sciendi vniuersali: vtiq. non dixit Logicam esse modũ sciendi: sed prius debere quæri modum sciẽdi, qui quidem modus quæritur à Logica, traditur in Logica. Vnde non sequitur, Aristot. vocasse in recto Logicã modum sciendi, ad differentiam scientiæ. 3. Etiam si ipsa Logica in recto vocata sit modus sciendi: non sequitur non esse scientiam: quia est modus quidem sciendi ad alias scientias, & nõ debet simul cum ijs misceri, sed potius præmitti: simul aũt in se ipsa potest esse scientia. Et in ipsa non est absurdũ, sed necessarium, simul quæri scientiam & modum sciendi, siue scientiam de modo sciendi.

Quomodo vocauerit facultatem.

Objicies 2. idem Arist. 1. Rethor. cap. 4. apertè ait: *Si quis autem Rethoricam, aut Dialecticam, non vt facultates, sed vt scientias, instituere ac docere conatur, is naturam earum hoc transitu interimere videtur:* Itaque Dialectica non est scientia, sed facultas: sicut Rethorica non est scientia, sed facultas.

Resp. Arist. loqui de Dialectica quoad partem topicam. Et sensum esse: si quis traderet Dialecticam, non vt potestatem & facultatem quæ versari possit circa contraria, sed vt scientiam qua tantùm in aliqua re determinata vti debeamus, vel vnam tantùm partem confirmare possimus, is naturam Dialecticæ destrueret: Non ergo negauit ipsam Dialecticam in se esse scientiam. Sic etiam asserendum est, Rethoricam, si quando probet suas conclusiones, suas regulas & præcepta, per demonstrationes euidentes, esse pariter in se ipsa scientiam.

Quomodo Logica versetur circa determinatum obiectum.

Objicies 3. Scientia debet versari circa obiectum aliquod certum ac determinatum sibique proprium; vt docet Arist. 4. Met. cap. 1. & alibi: sed Logica non tractat de re aliqua determinata, sed de omnibus rebus; vt expresè docet idem Aristot. 4. Meta. text. 5. & in princip. Reth. ergo non est scientia.

Resp. Logicam proximè & immediatè versari circa suum obiectum determinatum ac certum, nempè circa cognitionem intellectiuam: sed quia ipsa cognitio extenditur ad omnes res, Logica mediatè & remote versatur circa omnes res: & quantum ad vsum exercetur circa omnes res. quod nullo modo est contra rationem scientiæ.

Quomodo versetur circa operationes dirigendas & sit verè scientia.

Objicies 4. Rationem fundamentalem oppositæ sententiæ. Scientia debet esse propter se ipsam, & non propter aliam operationem: debet esse de rebus necessarijs, & non de operationibus quas in nostra potestate situm est exercere: alioqui etiam Moralis, Medicina, Aedificatoria, & similes essent scientiæ, vt arguit Zabarella: ergo Logica non est scientia.

Respon. Hoc argumentum tendere ad probandum, nullam esse scientiam practicam. At in proprio tractatu scientiæ ostendemus, non requiri, vt scientia sit propter se & speculatiua: & aliam esse scientiam speculatiuam, aliam practicam. Itemquè scientiam posse esse de rebus, quæ in singulari non necessariò sed contingenter existunt, habet tamen suas veritates essentiales simpliciter necessarias præscindendo ab existentia. Et ita planè se habent operationes nostri intellectus, sicut etiam aliæ res naturales, quæ in sua existentia corruptibiles sunt: & sic certè omnes aliæ scientiæ similes, dum demonstrant veritates necessarias de operationibus quas considerant, sunt veræ scientiæ.

Objicies 5. Omnis scientia est speculatiua aut practica: omnis scientia debet habere suum obiectum reale. Sed Logica nec est speculatiua nec practica: & habet pro obiecto suo ens rationis: ergo.

Resp. Esse speculatiuam aut practicam, ostendemus sect. sequenti: habere obiectum reale, quæst. sequenti.

Quomodo Logica vtens, in parte sit scientia.

Objicies 6. ad probandum Logicam vtentem in nulla parte esse scientiam Logica vtens tantùm habet construere instrumentum sciendi, non autem demonstrare. Rursus non semper vtitur demonstratione, quia vtitur etiam alijs instrumentis: scientia autem semper vtitur demon-

demonstratione. Et saltem ipsa Logica vtens non habet obiectum determinatum, sed vagatur per omnia.

Resp. Logicam vtentem habere construere instrumenta: quando autem instrumentum est demonstratio, tunc verè demonstrat, & ipse actus demonstrandi est vsus Logicæ: est ergo vera scientia. Et pars demonstratiua Logicæ semper vtitur demonstratione, licèt non aliæ partes: vnde hæc pars in ipso vsu est scientia, non aliæ partes. Vagatur per omnia, & ideo non est vna quædam determinata ac certa scientia in ipso vsu: sed distribuitur per omnes scientias in quibus vsus Logicę exercetur.

Quomodo non tota Logica vtens sit scientia.

Obijcies 7. ad probandum totam Logicam vtentem esse scientiam. Dictum antea erat eundem esse habitum Logicæ vtentis atque docentis: dictum modò est Logicam docentem esse scientiam. Sed non potest idem habitus esse scientia & non esse scientia: ergo.

Resp. eundem habitum esse scientiam respectu quorundam actuum, & non esse respectu aliorum: idest respicere quosdam actus scientificos, & quosdam non scientificos. Maximè quia quosdam respicit elicitiuè, quosdam solùm regulatiuè. Sic idem habitus Logicæ elicit actus scientificos, dum docet: regulat & dirigit actus non scientificos, dum eo vtimur ad exercendos alios actus qui non sunt demonstratiui. Neque hoc est difficile aut singulare in hoc habitu. quinimo omnis habitus practicus respicit hoc modo diuersos actus: & præter actus intellectuales quos elicit; dirigit ac regulat actus etiam voluntatis, & aliarum quoque potentiarum.

SECTIO SEXTA.
Vtrum Logica sit scientia speculatiua vel practica.

Diuiditur scientia ab Aristot. 6. Met. cap. 1. in speculatiuam & practicam. Ad inspiciendam ergo magis Logicæ rationem, maximè confert examinare, an sit speculatiua vel practica. De hac autem diuisione scientiæ latè in proprio tractatu agemus. Nunc satis est breuiter adnotare, scientiam practicam esse illam, quæ considerat obiectum aliquod operabile, siue operationem quæ à nobis exerceri potest, & considerat modo operabili, idest dirigẽdo ad operandum, tradendo regulas & præcepta operandi. ita dicitur ordinari, non per se ad cognoscendum, sed potius ad operandum: & habere pro suo fine vltimo & principali ipsum opus. Sicut Medicina considerat quomodo efficiat sanitatem, & ordinatur ad efficiendam sanitatem, nec sistit in cognitione & consideratione sui obiecti. E contra scientiam speculatiuam esse illam, quæ vel considerat obiectum non operabile à nobis; vt cum consideramus Cælos, elementa, & similia: vel si considerat obiectum aliquod operabile, non considerat modo operabili, idest dirigendo ad opus; vt cum consideramus quæ sit natura & essentia motus localis. Ita scientia speculatiua finaliter ordinatur ad cognitionem sui obiecti, & habet pro suo fine veritatem cognoscendam. Sic dixit Arist. 2. Met. tex. 3. *Speculatiuæ finis veritas: practicæ autem opus.* Et 1. Met. cap. 2. & alibi sæpè hoc idem expressit.

Ratio speculatiui & practici explicatur.

Variæ sententiæ referuntur.

Prima sententia de ratione Logicæ est, Logicam non esse speculatiuam nec practicam, sed inseruire speculatiuis & practicis, esseque adminiculantem vtrisque. Ita indicat Zabarell. lib. 1. de Natura Logicæ, & defendit Petrus Niger qu 14. sui Clypei. Et aliqui attribuunt alijs Auctoribus, qui Logicam vocarunt instrumentum aliarum scientiarum. Masius autem q. 1.1. proem. ait, Logicam vtentem nec esse speculatiuam nec practicam, sed esse hoc modo instrumentum.

Secunda sententia est aliorum è contra dicentium, Logicam esse simul speculatiuã & practicam Ita Louaniens.q. 15. in Porphyr. Tolet. & Sot. q. 4. proemiali, Ruuius q. 5. Petr. Hurtad. disp. 2. sect. 2. & disp. 9. n. 2. Suar. disp. 44. Met. in fine & alij, Aliqui tamen explicant, Logicam simpliciter & absolutè esse speculatiuam, secundùm quid esse practicam. Fauet etiam huic sententiæ S Tho. 1.2 q. 57. art. 3. ad 3., & 2.2. q. 47. art. 2. ad 3. vbi facultatem directiuam operum rationis vocat artem speculatiuam.

Tertia sententia est eorum qui absolu-

tè dicunt, Logicam esse speculatiuam. Ita supponit Scot. in Prolog. sent. q. 4. & defendunt Capreol. ibi q. 2. art. 1. in probat. 4. concl. Herueus quodl. 1. qu. 3. Soncin. 6. Met. q. 2. Iauell. q. 7. Anton. Andr. q. 3. Zerbius q. 4. Tataret. q. 2. Prædicab. Masius loco cit. loquens de Logica docente, Sanc. etiam q. 16. & Petron. q. 2. art. 2. qui volunt, etiam Logicam vtentem esse speculatiuam, licèt dixissent non esse scientiam sed artem.

Quarta demum sententia asserit, Logicam absolutè & simpliciter esse practicā. Ita Ocham & Greg. in Prol. q. 5. Gabr. q. 10. Aureol. in quæst an Theologia sit practica vel speculatiua art. 2. Iandun. 6. Met q. 5 Fons. 2 Met. c. 3. q. 2. sect. 4. Scaliger Exercit. 307 num. 23 Gratia Dei q 1. Prædicab. Paul. Venet. initio suæ Log. & Mirandul. Conimbr. q. 3 proemiali, & alij plures. Et in re eadem videtur sententia eorum qui dixerunt, Logicam esse artē, esse instrumentum: & aliorum qui dixerunt, Logicam ordinari ad operationes dirigendas, habere pro fine operationes exercēdas, sicut planè loquutus est S. Tho. in Pr. ol. Post. & 1. Met. Lect. 1. & 3. & Opusc. 70. q 5. ar. 1. ad 2. Ammon. in Porphyr. pag. 15. colum. 4. Caiet. in princip. Prædicam. & alij passim. Imo vix aliquis inuenietur, qui de natura Logicæ loquutus sit, & hoc in re non dixerit. Nihilquè videtur magis vulgare & frequens apud Auctores, quàm Logicam esse directiuā, esse vtilem, esse necessariam, deseruire, & ordinari, ad dirigendas operationes nostri intellectus, ad alias scientias addiscendas: etiam si plerique nomen practicæ illi denegauerint.

Logica omnino est vel speculatiua vel practica.

Dico 1. Logica omnino est vel speculatiua vel practica; & non potest dici nec speculatiua nec practica.

Probatur primò ex Arist. qui 3. de Anima cap. 10. adæquatè diuidit intellectum in speculatiuum, & practicum. Et 6. Met. tex. 1. *Omnis intellectus, aut actiuus, aut factiuus, aut speculatiuus est*, Per actiuum & factiuum intelligens practicum: & planè hæc diuisio cadit super cognitionem intellectiuam. Non ergo dici potest Logica nec esse speculatiua nec practica.

Secundò scientia apud omnes adæquatè diuiditur in speculatiuam & practicam: sed Logica est scientia, vt probatum est: ergo non potest vtramque rationem excludere. Sicut omne animal necessariò est aut rationale aut irrationale: & sic in alijs diuisionibus adæquatis. Sed etiam ij qui negant Logicam esse scientiam, saltem admittunt esse scientiam latiori quadam acceptione scientiæ. At etiā scientia sic amplè sumpta, imo absolutè cognitio iudicatiua intellectus, tàm in secunda, quàm in tertia operatione, adæquatè hoc modo diuiditur; vt suo loco dicemus. Ergo omnino Logica est vel speculatiua vel practica.

Tertiò idem manifesta ratione probatur: quia quælibet scientia vel cōsiderat obiectū operabile, vel non operabile; vel modo operabili, vel non modo operabili: itē vel ordinatur, vel non ordinatur ad opus: vel sistit, vel non sistit in sola consideratione veritatis. Et non solùm scientia propriè dicta, sed omnis alia similis facultas intellectualis, vnam vel alterā partem huius contradictionis debet participare. Sed has duas partes contradictorias intelligimus nominibus scientię speculatiuę & practicæ. Ergo omnino Logica, sicut omnis alia scientia, est vel speculatiua vel practica. Et in speciali ipsa Logica; vtique vel considerat obiectum operabile, modo operabili, tendens ad operandum: & sic est practica. vel obiectum non operabile, siue non modo operabili, sed sistens in cognitione sui obiecti, non tendens ad illud efficiendum: & sic est speculatiua.

Non est simul simpliciter speculatiua et practica.

Dico 2. Logica non est adæquatè & principaliter speculatiua simul & practica. Dico adæquatè & principaliter, quia inadęquatè & minus principaliter potest esse, vt nos dicemus. Fundamentum huius conclusionis sumitur clarè ex dictis: speculatiuū enim & practicum reducuntur ad oppositionē contradictoriam: ergo nō possunt eidem scientiæ conuenire. Et certè fieri non potest, vt vna eademq. scientia habeat pro obiecto suo adæquato & principali, rem operabilem, & non operabilem: siue consideret modo operabili, & non modo operabili: ordinetur, & nō ordinetur ad opus. Quod confirmatur magis, asserēdo & reijciendo modos, quibus putari potest hæc duo posse cōiungi.

Primò indicat Vasquez, eandem scientiam posse esse speculatiuam &

pra-

practicam, si ex natura sua quidē sit operatiua, & directiua operis; sic enim est practica:Tamē nolit quis illa vti ad operandum, sed tantum eam velit addiscere & mente tenere, solùm ad sciendum, non ad operandum, quod sanè in qualibet arte contingere potest:sic erit simul speculatiua. Ita ergo potest se habere Logica. Sed hoc non benè dicitur: quia propriè loquendo scientia non dicitur practica aut speculatiua, ex voluntario & extrinseco fine sciētis, sed ex naturali & intrinseco fine ipsius scientiæ: vt suo loco de scientia speculatiua & practica ostendemus. Sic, si quis addiscat aliquam artem, non intendens illa vti, & per illam operari: adhuc illa dicetur omnino ars, & cognitio practica; non autem speculatiua. Si ergo Logica ex natura sua est practica & operatiua, non dicetur speculatiua ex accidentario & extrinseco fine scientis.

Secundò aliqui indicant, Logicam esse speculatiuam & practicā simul intrinsecè, quia est quidem de obiecto operabili, est etiam operatiua & directiua operis: tamen non traditur modo operabili, sed potius per modum speculationis. Hoc etiā non benè dicitur. Tū quia hoc ipsum repugnat, esse operatiuā & directiuam operis quod habet pro obiecto, & non tradi modo operabili. Tū quia si reuera est directiua operis, illius scilicet operis quod habet pro obiecto: hoc sufficit vt sit omnino practica, & non speculatiua. Nā iā intrinsecè ordinatur ad operandum, & non sistit in contēplatione veritatis: & in tantū requiritur, vt consideret obiectum modo operabili, in quantum conducit ad operandū, & ad hoc vt sit operatiua: si ergo est & dicitur operatiua, etiā si nō cōsideret obiectū modo operabili, iam est prorsus practica, & non speculatiua: quia speculatiua nō est operatiua sui obiecti, & idem sonat practica quod operatiua sui obiecti. Tum demum falsum est, Logicam non tradi modo operabili, vt infra constabit.

Tertiò aliqui explicant, Logicā esse speculatiuā & practicā: quia est quidem de obiecto operabili, & modo operabili, & est operatiua ordinata ad operandum: & hinc est practica. tamen hoc obiectum operabile est opus rationis; est cognitio intellectiua, quæ sistit in ipso intellectu, & tandē habet pro fine vltimo veritatē: & hinc videtur esse speculatiua. Hoc etiā non benè dicitur. Quia attendi nō debet, quod nā & quale sit opus dirigibile, per notitiam practicam: sed satis est quòd sit opus dirigibile, cuius notitia est directiua. Nam per hoc constituitur absolutè & simpliciter practica, ita vt non sit speculatiua, vt infra constabit magis.

Dico 3. Logica est simpliciter siue principaliter practica. *Est simpliciter practica.*

Probatur primò planè ex Aristot. qui 1. Prior. sect. 2. in principio, reddens rationem suæ tractationis de syllogismo ait: *Non enim solùm fortasse oportet generationē considerare syllogismorum, verùm & faciendi potentiam habere.* Et sect. 3. in princ. rursū ait: *Si enim syllogismorum generationē specularemur, & inueniendi potestatem haberemus, amplius autem factos resolueremus in prædictas figuras; finem habere posse quod à pincipio propositū.* Vbi planè docere voluit, Logicā tractare de syllogismo, tradendo doctrinā & artem de illo conficiendo, ad finē conficiendi. Et id sine dubio debet intelligi de alijs partibus Logicæ: ergo Logica est absolutè practica. Idem indicat 1. Top. c. 9. vt ad 1. Obie. exponemus. Insu per 6. Met. c. 1. & lib. 11. Sum. 3. c. 1. docet, scientias practicas esse, quæ sunt de rebus quarū operandi principium est in ipso sciente: & distinguens scientias speculatiuas, tres tantū assignat, Meta. Phys. & Mathem. Sed Logica est de rebus quarum in nobis est operādi principiū, & nō vtiq. cōtinetur inter eas sciētias speculatiuas: ergo simpliciter est sciētia practica.

Probatur 2. manifesta ratione. Logica est de obiecto operabili; & licèt non conueniant Auct. in modo assignandi obiectū Logicæ: tamen conueniunt in assignando obiecto operabili, siue ipsas operationes intellectus, siue modū sciendi, siue aliud; & præsertim satis constat, per se respicere & attingere operationes nostri intellectus. Tractat itē modo operabili. Nam vtiq. Logica tradit regulas omnes & præcepta rectè cognoscendi, bènè discurrendi, verè iudicandi, & perfectè apprehendendi. His regulis & præceptis libri Ar. de Interpr. & sequen. conferti sunt, & vix quicquā aliud continent: similiter Logica tradita est ab alijs auctoribus. Rursus Lo- *Habet omnes conditiones sciētia practica.*

gica eſt reuera operatiua, regulatiua, ac directiua. Nam per Logicam vtique benè exercemus operationes intellectuales. Logica inſeruit, & dirigit intellectũ, regulat cognitionẽ. Sic intrinſecè & per ſe ordinatur ad hoc vt operationes rectè fiant, vt benè diſcurramus, probos ſyllogiſmos conficiamus, & c. neque certè ſiſtit in hoc vt tantùm cognoſcamus ſyllogiſmos & c. atque ad hunc ipſum finẽ de facto Logica traditur, & addiſcitur, & paſſim ad hunc finẽ deſeruit. Et tandẽ in omnibus ita ſe habet Logica circa operationes noſtri intellectus, ſicut qualibet ſcientia practica & ars ad alias operationes: ergo oĩno logica eſt dicẽda practica.

Et inſtituta eſt vt eſſet practica.

Tertiò corroboratùr magis. Poſſibilis vtiq. erat facultas quædã, quæ per ſe intẽderet dirigere operationes noſtri intellectus, & ad hunc finem ordinaretur, quæ modo practico & operabili traderet regulas & præcepta huius directionis. Debuit etiam de facto hæc facultas inſtitui. Si enim ad dirigendas alias operationes, etiã quę multò minus referũt, conueniẽter ſunt facultates directiuæ & artes hoc modo inſtitutæ: quantò magis ad dirigendas hoc modo operationes intellectus debuit ſua facultas inſtitui, quæ verè eſſet practica: ſed de facto nulla alia talis facultas eſt niſi Logica: ergo verè Logica eſt huiuſmodi. Et vlterius petendũ eſt, quonã alio modo potuiſſet cõſtitui talis facultas ita vt eſſet verè practica, .i. vt cõſideraret operationes modo operabili vt eas dirigeret? vel quidnã de facto omittat Logica eorũ quæ poſſent modo practico & operabili edoceri? nihil ſanè illi deeſſe inuenies. Quinimo ideo prorſus Logica dicitũ tã vtilis & neceſſaria ad cæteras ſciẽtias: ideo traditur ante alias ſciẽtias: ideo diuiditur in docentem & vtentẽ: appellatur ianua ſcientiarũ, ars artiũ, & diſciplina diſciplinarũ: quia per ſe inſtituta eſt & ordinata ad dirigendã noſtram cognitionẽ in acquiſitione aliarũ ſcientiarũ. Et alioqui cognitio ſpeculatiua de operationib. noſtri intellectus, ſiue de ente rationis, aut de quouis alio, quod dicatur obiectũ Logicę, debet potius pertinere ad Philoſ. naturalẽ vel Metaphyſ. Nec conſtituere poterat hanc peculiarẽ ſcientiã diſtinctã, eamq. prædictis alijs ſciẽtijs præmittere.

Comparatur ſciẽtia morali.

Quartò præterea comprobatur ex paritate ſcientiæ moralis: hæc enim tractat de actibus voluntatis, ſiue de actibus humanis, ſub genere moris; & eſt verè practica: probans tamen ſuas cõcluſiones per rationes & cauſas. Ita planè Ariſt. 2. Eth. c. 2. *Quoniam præſens tractatio non eſt ſpeculationis cauſa, quemadmodum aliæ. Non enim fit vt cognoſcamus quid ſit virtus, ſed vt boni efficiamur, alioqui nulla eſſet vtilitas: neceſſe eſt, vt de actionibus quomodo agendæ ſint, cõſideremus*, Et lib 1. Moral. Eudem. c. 3. idẽ præclarè docet, & magis explicat, debere adhuc ſcientiã moralẽ rationes reddere, & cauſas quærere, eorum quæ docet. Sed ita ſe habet Logica ad actus intellectus quatenus dirigibiles ſub rectitudine cognitionis, ſicut ſcientia moralis ad actus humanos quatenus dirigibiles ſub rectitudine moris. Ergo ſimiliter Logica ſimpliciter & abſolutè non eſt ſpeculatiua, ſed practica.

Logica ſimul eſt ſecũdum quid ſpeculatiua.

Dico 4. Logica ſimul eſt ſecundùm quid & minus principaliter in aliqua ſui parte ſpeculatiua. Explicatur & probatur concluſio: quia Logica non ita nudè & purè tradit ea quæ proximè dirigunt ad operandùm per modum regulæ & præcepti: ſed pleraq. etiam conſiderat de natura & conditionibus noſtræ cognitionis, & alijs ad eam ſpectantibus: præſertim latè conſiderat prædicabilia, & prædicamenta. Hæc autem conſideratio formaliter & intrinſecè ſpeculatiua eſt: à Logica tamen aſſumitur etiam in ordine ad directionem intentam: quia ſaltem remotè & per connexionem, vel neceſſaria eſt, vel multùm confert ad eundem finem. Spectat etiam ad maiorem ornatum & complementum huius ſcientiæ: quæ non debet tradi ita rudi & infimo modo, ſicut ſolent aliæ artes ab opificibus addiſci: ſed debet omnino tradi altiori & nobiliori modo; vt etiam aliqua per modum ſpeculationis admiſceat. Ita egregiè de ſcientia morali notauit, & exemplo Medicinę comprobauit Ariſt. 1. Ethic. c. 13. *Perſpicuum eſt, ciuilem, quæ ad animam ſpectant, quodammodo cognoſcere oportere: quemadmodum oculum & totum corpus eum qui curaturus eſt. Atque eò magis, quò ciuilis facultas honorabilior melior q. Medicina eſt. Elegantes quoq. medici multa circa cognitionem corporis pertractant. Contemplandum igitur etiam ciuili homini de anima*

anima est atque id boris causa, & quantum satis est ad ea quæ hic quæruntur. Paria prorsus de ipsa Logica intelligi ac putari debent. Sicut ergo dicemus scientiam moralem; ac similiter Medicinam, esse simpliciter practicam, secundùm quid speculatiuam: talem dicemus esse & Logicã. Nec incongruum est, vnam scientiã totalẽ, in pluribus suis partibus, quæstionibus, & propositionibus, coniungere ea quæ verè & intrinsecè practica sunt, & alia quædam quæ in se quidem & intrinsecè speculatiua sunt, extrinsecè tamẽ ab ipsa scientia etiã referuntur ad suũ opus & finẽ principaliter intentum. Et licèt in rigore ea quæ sunt speculationis, ad alias potius scientias pertinerent: sic quæ Moralis speculatur de anima, & Medicina de corpore, sunt Philosophiæ naturalis: & quæ Logica speculatur de cognitione intellectus, de rebus cognoscibilibus, & alia; sunt in rigore eiusdem Philosophiæ & Metaphysicæ. Tamen nõ incongruè huiusmodi scientiæ practicæ hæc sibi assumunt: quia ad suos fines maximè conferunt, & sine detrimento aliarum scientiarum hæc ad se transferunt. Imo specialiliter in Logica hæ ipsæ tractationes valde vtiles sunt ad acquisitionem & directionem ipsiusmet Philosophiæ.

Logica vtens quomodo sit speculatiua vel practica.

Postremò de Logica vtẽte dicendum est. si sumatur actualiter, idest pro actibus regulatis per doctrinã Logicæ, pro vsu actuali ipsius doctrinæ: Sic ex hac parte non habet rationem notitię practicæ, sed habet potius rationẽ praxis: notitia enim practica est illa, quæ regulat & dirigit; praxis aũt est operatio quæ dirigitur & regulatur. Sed manifestũ est, ipsum actuale vsum Logicæ esse operationem quæ dirigitur & regulatur: ergo ex hac parte habet potius rationẽ praxis, nõ aũt notitiæ practicæ. In se aũt & absolutè loquendo põt esse, vel notitia speculatiua, vel practica. Nã Logica dirigit omnẽ aliã cognitionem, siue speculatiuam, siue practicã. Si ergo cognitio quæ per vsum Logicæ dirigitur, sistat in contẽplatione alicuius veritatis, est speculatiua: si sit vlterius directiua alterius operationis, est practica. quod tñc nõ habet formaliter ex eo quòd est Logica vtẽs, idest ex eo quòd regulatur per Logicã: sed ex eo quòd est in suo genere talis, vt sit effectiua & directiua alterius operis. Si autem sumatur Logica vtens habitualiter: sic vtiq. est maximè regulatiua ac directiua, atq. adeo practica: directiua aũt notitiæ tàm speculatiuæ quàm practicæ. Et ita vtriusque generis actus gignens.

Arist. explicatur.

In contrariũ obijcitur 1. Arist. 1. Topic. c 9. & c. 12. distinxisse videtur alia problemata speculatiua; alia practica, alia logica illis vtrisq. inseruientia: ergo ex Arist. Logica nec est speculatiua nec practica: sed famulatur vtrique. Simile quid affert ex Platon. D. Aug. lib. 8. de Ciu. c. 4.

Resp. Ar. in 2. loco distinxisse propositiones naturales, morales, & rationales; Sic enim ipse apertè loquitur. Vnde sequitur propositiones rationales idest logicas, nec esse naturales, nec morales. quod vltrò concedimus. At dantur vtiq. aliæ sciẽtiæ practicæ, quæ nõ sunt morales. Primo aũt loco distinxit alia problemata spectãtia ad electionẽ & fugã, vt an voluptas eligẽda sit vel nõ: Alia spectantia ad veritatẽ & scientiã tantùm, vt an mũdus sit æternus: Alia adminiculãtia illis; quia pleraque sunt quæ non per se quærimus, sed aliorum gratia, vt per ea aliud quidpiã cognoscamus. Per quæ, vt exponit Alexand. intellexit problemata logica. Sed certè Arist. per illa prima intellexit similiter problemata moralia, vt patet ex ipsis verbis & exemplis: tantùm ergo negauit, problemata logica esse moralia. Imo, cũ dixerit esse adminiculãtia, & non esse gratia sui, sed propter aliud; indicauit simpliciter esse practica. Simili prorsus modo loquutus est ibi D. August. solùm vlterius indicat, Logicã magis referri ad vsum sciẽtiæ speculatiuæ, quæ maximè sibi perfectionẽ vendicat veritatis: & ideo quodãmodo reduci ad speculatiuã.

Logica, etiã quatenus dirigens cognitionẽ speculatiuam, est practica.

Obijcies 2 Logica respicit omnem nostrã cognitionẽ, tam speculatiuam, quàm practicam: ergo est simul speculatiua & practica. Nã quamuis sit directiua ipsius cognitionis: tamen quatenus est directiua cognitionis speculatiuæ, finaliter tandẽ ordinatur ad cognitionem veritatis; cùm veritas sit finis ipsius cognitionis speculatiuæ quæ dirigitur.

Resp. Logicã, etiam quatenus respicit cognitionẽ speculatiuã, esse practicã: quia illã respicit tanquam operationẽ dirigibilẽ, & respicit practicè regulãdo ac dirigen-

rigēdo. Vnde ipsa notitia speculatiua, ipsaq. speculatio, est verè praxis, idest operatio dirigibilis. Sicut è contra scientia animastica, quæ etiā agit de omni nostra cognitione, tàm practica, quàm speculatiua, est simpliciter speculatiua, & non practica; quia considerat speculatiuo modo. Nec refert, quòd cognitio speculatiua, quę dirigitur per Logicā, sistit in contemplatione veritatis. Nā ipsa Logica non sistit in contemplatione veritatis de ipso suo obiecto, sed ordinatur ad illud efficiendū: atq. adeo non est propter se ipsā & gratia sui, sed propter aliam operationem. In quo cōsistit ratio scientię practicæ. Illa aūt cognitio est speculatiua, quæ sistit in contemplatione veritatis de suomet obiecto quod cōsiderat, & sic est gratia sui, & propter se ipsam. Logica ergo ex hac parte non est speculatiua, sed practica: inseruit tamen speculatiuæ tanquam eius directiua.

An sit practica actiua vel factiua. Obijcies 3. Diogen. Laert. in vita Arist. refert, Arist. diuisisse Philosophiā in practicam & contemplatiuam, atque ad contemplatiuā Physicam Logicamq. referri. Ipse etiā Arist. 6. Met. 1. diuidit scientiam practicā, in actiuā quæ est moralis, & factiuā quæ versatur circa opera exteriora. Vnde Logica non est actiua nec factiua: ergo non est practica, sed speculatiua.

Resp. Diogen. ipsum voluisse eo modo Arist. Philosophiā diuidere. Sed Logicam retulit ad contemplationē; non quia ipsa sit contēplatiua, sed quia contemplatiuæ deseruit. Vnde ibidē ait, Logicā esse exactissimū instrumentum. Practicam aūt ibi accepit pro Philosophia morali, que vtiq. distinguitur à Logica. Deinde diuisio illa scientiæ practicæ in actiuā & factiuā, non benè & adæquatè illo modo explicatur, vt patet. Sed vel per scietiā factiuā debet intelligi omnis scientia directiua quoad rectitudinē artificialē à morali distinctā: & sic Logica est factiua. Vel per actiuam intelligi debet omnis scientia directiua actuū internorum: sic Logica est actiua. Sed quonam potius modo debeat illa diuisio explicari, in proprio tractatu de scientia practica dicemus.

Quomodo consideret suū obiectum modo practico. Obijcies 4. illa scientia quæ considerat naturā & proprietates sui obiecti, ac procedit definiendo, diuidēdo, & causas inquirēdo, ac resoluendo res in sua principia, est speculatiua, non practica: quia hoc est procedere modo speculatiuo: sed Logica procedit illo modo: ergo est speculatiua, non practica.

Resp. Illā scientiā quæ ita considerat suum obiectū, & ita procedit, vt reddat hominē aptum & promptū ad rectè efficiendum & exercendum tale obiectum, esse practicam, & non speculatiuam: idest esse operatiuam, & non merè cognoscitiuā: esse propter opus, & nō sistere in notitia veritatis. Manifestū est aūt, Logicā esse huiusmodi. Itaq. si talis est consideratio de natura & proprietatibus obiecti, procedēs definiēdo &c. vt sit verè regulatiua ac directiua operis; adhuc est practica, & non speculatiua. Considerare ergo naturā & proprietates obiecti, & procedere illo modo, est cōmune scientiæ speculatiuæ & practicæ. Nā illud est de ratione scientiæ in communi, & scientia practica verè participat rationem scientiæ, vt modò supponimus, & in proprio tractatu videbimus.

Notitia directiua operationum intellectus est verè practica. Obijcies 5. Et hoc est fundamentum Scoti, quo vtitur etiam Sotus, & quidam alij. Esto Logica sit directiua cognitionis intellectiuæ: tamen de ratione scientiæ practicæ est, vt sit directiua alicuius operationis extra intellectū; quoniam praxis est operatio alterius potentiæ ab intellectu, & ex Arist. intellectus extensione fit practicus. Ergo Logica non est propriè practica.

Resp. Hoc argumentum inducere controuersiam de nomine. Itaq. vt constet de re quā intendimus: dum dicimus Logicā esse practicam, intelligimus esse directiuā operationis quā considerat, eo pacto quo omnis alia scientia practica se habet ad suum obiectum operabile. Sed quantum ad modum loquendi, suo etiam loco de scientia practica ostendemus, non requiri ad rationem ac denominationē scientiæ practicæ, & praxis, illam conditionem; & intellectum satis extendi, dum tendit, non solùm ad cognoscendum, sed etiam ad efficiendum opus quod considerat, etiam si sit opus eiusdem intellectus, vt per hoc verè dicatur practicus.

Quomodo Logica sit practica simpliciter. Obijcies 6. Logica, prout de facto traditur, multò plura, & in lōgè maiori parte sui, tractat per modum speculationis; siue quæ in se intrinsecè sunt obiectum

potius

ter, et speculatiua secūdùm quid. potius speculationis, ea ratione qua conclus. 4. dicebamus, illā esse speculatiuā secūdùm quid: & multò pauciora, ac in valde minori parte Logicæ, sunt illa quæ traduntur practicè tanquam regulæ & præcepta operandi. Ergo potius dici debebit, speculatiua simpliciter, practica secundùm quid.

Resp. admittendum sanè esse, longè maiorem esse de facto partem Logicæ intrinsecè speculatiuam, quàm practicā: quinimo quæ practica sunt, ferè in Institutionibus præmittuntur: & quæ deinde in Logica disputantur, sunt maiori ex parte speculatiua: perficiunt tamen notitiam præhabitam in Institutionib. At verò, scientiā esse simpliciter, aut secundùm quid practicam, aut speculatiuam; non desumitur ex pluribus aut paucioribus, ex maiori aut minori parte: sed ex principali intento & fine atque obiecto scientiæ. Quia ergo Logica est de obiecto operabili; & per se intendit directionem eius: & illa tantùm speculationis vsurpare debet; nè è suo ordine egrediatur, quæ deseruiunt ad directionem operationis quam intendit, & adhuc illa considerat ob finem suæ directionis: Ideò illam appellamus simpliciter & principaliter practicam: secundùm quid & minus principaliter speculatiuam. Vnde si ex Logica auferrētur illa quæ in se sunt speculationis, & remanerent tantùm quæ sunt merè practica; verè adhuc Logica permaneret ab alijs scientijs distincta, ad illas necessaria, illisquè præmittenda: Si è contra auferrentur quæ practica sunt, relictis illis quæ sunt potius speculationis, verè non remaneret Logica à cæteris scientijs condistincta.

SECTIO SEPTIMA.

Quæ sit vltima ratio constitutiua Logicæ: & de alijs conditionibus eius.

QVia Logica in ratione scientiæ practicæ conuenit adhuc cum omnibus scientijs practicis, assignanda tandem superest vltima & propria ratio constitutiua ipsius Logicæ, qua ab omnibus alijs scientijs distinguatur. Hæc autem ratio non aliter assignanda est, quam per ordinem ad suum proprium & peculiare obiectum. De obiecto autem Logicæ separatim quæst. sequenti agemus. Et quidē plures varijquè sunt modi apud Auctores, assignandi obiectum Logicæ. Sed satis certum & exploratum est, aliquid spectans ad intellectum esse obiectum Logicæ, & Logicam esse directiuam operationum intellectus, siue cognitionis intellectiuæ. Sic ergo insistendo doctrinæ traditæ, potest optimè vltima ratio constitutiua Logicæ assignari, per respectum directionis ad cognitionem intellectiuam. Vnde sic benè poterit Logica definiri: est scientia directiua cognitionis intellectiuæ. Vel, si complecti velimus omnem modum Logicæ, & non solùm illum quo est verè scientia: dici debebit: Logica est intellectualis notitia directiua cognitionis intellectiuæ. *Logica vltimò constituitur, ac definitur.* Sic differt Logica ab omni alia scientia, quæ non versatur circa cognitionem intellectiuam: differt etiam à scientia animastica speculatiua, quæ etiam tractat de eadem cognitione: quoniam Logica est directiua, scientia animastica est speculatiua eiusdem cognitionis; siue quia Logica considerat cognitionem quatenus dirigibilem, vt quæst. sequenti videbimus.

Logica est vna. Deinde aliæ quædam cōditiones sunt, quæ vel de qualibet scientia, vel in speciali de Logica quæruntur. Primò de qualibet scientia quæritur; quomodo sit vna. Logica est vtique vna scientia totalis, habens autem multas partes, imo tot quot conclusiones docet: sed quia vnum est obiectum adæquatum eius, in ordine ad quod omnia considerat, & omnes partes habent inter se connexionem & habitudinem, quæ non debebant in plures scientias totales diuidi: sic Logica adæquatè & totaliter est vna scientia. Saltem vna per aggregationem & ordinem artificialem: sicut est vna domus, vna nauis, ex tot tanquè varijs partibus constructa. In ipsa autem vna Logica concludi tanquam partes, Rethoricam, & Poeticam, defendere & explicare conatur Zabar. lib. 2. de Natura Log. ob quasdam auctoritates Simplicii Ammon. & Auerr. Sed frustra: quia hoc & est præter communem sensum aliorū cùm ab omnibus hæ tanquam distinctæ facul-

facultates soleant reputari. Et in re est falsum: quia Rethorica, & Poetica, per se tractāt de loquutione externa, & vtūtur quidem Logica: at non per hoc sunt partes Logicæ docentis. Quandoque tamen Logicæ nomen sumitur generaliter, pro omni facultate quæ versatur circa sermonem, includendo etiam sermonem vocalem. Sed sic Logica non est vna scientia, sed est nomen generale ad plures scientias totales. Et complectitur tàm Grammaticam, quàm Rethoricam, & Poeticam, aliamuè similem facultatem.

Ratio huius vnitatis. Aliqui præterea rationem vnitatis Logicæ assignare conantur penes abstractionem à materia, supponentes scientiā constitui vnam, & distingui ab alijs, per certam quandam abstractionem sui obiecti à materia sibi propriam. Ita dicunt Logicam esse vnam, quia abstrahit ab omni materia, cùm tractet de operibus rationis. Verùm hæc ratio, nec est necessaria, nec idonea. Nam ad summum scientiæ speculatiuæ sunt, quæ dicuntur sumere vnitatem & distinctionem ex abstractione à materia, videlicet Metaphysica, Physica, & Mathematica. Et de his res est etiam difficilis: vt in tractatu de scientia videbimus. Non ergo debet ex huiusmodi abstractione vnitas Logicæ designari. Imo illa abstractio quæ Logicæ assignatur, per se attribuitur Metaphysicæ: illa ergo non est propria ratio Logicæ vnitatis. Sufficitquè illa ratio designandi vnitatem Logicæ, quam tradidimus.

Modus huius vnitatis. Grauis autē controuersia est inter Auctores, specialiter de scientia habituali, tàm de Logica, quàm de qualibet alia scientia, an sit vna simplex qualitas habitualis, vel potius sit collectio quædam & veluti congeries plurimorum habituum, iuxta multitudinem conclusionum quæ in scientia traduntur. Sed de hac difficultate, quoniam omnibus scientijs communis est, & propriè ad habitus refertur, suo loco disputabimus.

An Logica sit pars vel instrumentum Philosophiæ. Secundò in speciali de Logica quæritur, An Logica sit pars vel instrumentum Philosophiæ. Alex. & Philop. in præfat. in lib. Prior. Ammo. præfat. in Porphyr. S. Thom. Opusc. 70. quæst. 5. art. 1. ad 2. & alij volunt, Logicam non esse dicendam partem, sed potius instrumentum Philosophiæ. Fauet D. Damasc. in sua Dialectica cap. 3. Ex alia parte Auic. cap. 1. suæ Log. Alb. tract. 1. Prædicab. Cic. lib. 1. de Finibus, & Plato, vt refert idē Philop. Logicam appellant partem Philosophiæ.

Hæc controuersia potius est de nomine, quàm de re, quomodo videlicet accipiendum sit nomen Philosophiæ. Plures ergo huius nominis acceptiones distinguendæ sunt. Vno modo sumitur Philosophia pro cognitione rei per causam: quam Philosophiæ definitionem Damasc. cap. 4. Dialect. & Ammon. in præfat. in Porphyr. ex veteribus referunt. Sumitur etiam hæc definitio & acceptio Philosophiæ ex Platone in Thæteto, & Aristot. 1. Met. cap. 2. & lib. 6. cap. 1. & lib. 11. summa 3. cap. 1. In hac acceptione Logica dicenda est pars Philosophiæ. Siquidem procedit per demōstrationes, probando suas conclusiones ex causis, vt patet ex antea dictis.

Celebris etiam est illa diuisio Philosophiæ, in Moralem, Naturalem, & Rationalem. Philosophia moralis continet Ethicam, Politicam, & Oeconomicam. Naturalis continet Physicam, Metaphysicam, & Mathematicam. Rationalis diuiditur à D. Thoma in principio Post. in Logicam, Rethoricam, & Poesim.

Ea autem Philosophiæ diuisio in triplicem partem antiquissima & receptissima est. Ipsam referunt, explicant, & cōmendant, Plato apud Alcinoum cap. 3. & apud Euseb. Cæsariens. lib. 11. de Præpar. Euang. cap. 1. Cic. lib. 1. de Orat. Ammon. præfat. in Porphyr. colum. 6. S. August. lib. 8. de Ciuit. cap. 4. & lib. 11. cap. 25. Origen. hom. 1. in Cantic. Philo Iudæus in lib. de Agricult. Stoici etiam apud Laer. in vita Zenonis, & apud Plut. lib. de Placit. cap. 1. Qui censentur fuisse eius diuisionis auctores: quamuis illam tribuant Platoni: Isidor. libr. 2. Etymolog. cap. 24. August. & Euseb. loco cit. Euseb. tamen vult, illam diuisionē fuisse multò antiquiorē ante Platonē, Sed tamen postea à Plat. ad perfectionem fuisse reductam. Et refert etiam ipsum Arist. lib. 7. de Philosoph. (qui librī nunc non extant) eam diuisionem approbasse & tribuisse Platoni: & hæc eius verba refert: *Vniuersam Philosophiam Plato in*

in Physicam, Ciuilem, & Loricam partitus est. Iuxta hanc igitur diuisionem Philosophiæ, Logica planè est pars Philosophiæ.

Aliter sumi solet Philosophia: vel pro sapientia rerum præstantium atque sublimium, seu pro sola Metaphysic. 4. Met. tex. 5.7. & 8. vel pro cognitione tantùm rerum moralium 1. de Part. animal. c. 1. Vel pro sola scientia speculatiua rerum: quomodo multi volunt, accipi nomen Philosophiæ 2. Met. tex. 3. Atque in his, & similibus Philosophiæ acceptionibus, Logica non est Philosophia, nec pars Philosophiæ: vt apertè sequitur ex dictis.

In alio sensu est instrumentum. Rursus Logica dici etiam potest, & rectè dicitur, instrumentum Philosophiæ. Ita enim illam appellant, non solùm Alexand. Philop. & Ammon. quos supra allegauimus, sed præterea Auerroes 1. Phys. tex. 36. Alexand. de Ales 7. Met. tex. 2. & alij Peripat. communiter, vt testatur Ammon. Diogenes etiam in vita Arist. dixit, Logicam apud Arist. instrumentum esse exactissimum. Imo hæc ipsa est vulgata inscriptio quæ Logicæ Arist. præfertur, Organum Arist. Organum enim idem est quod instrumentum. Et 1. Top. cap. 9. Arist. ipse problemata logica vocauit adminiculantia, quod idem est ac instrumentalia: & 2. Met. 15. Logicam appellauit modum sciendi, quod idem est ac instrumentum sciendi. Et ratio huius denominationis est manifesta. Logica enim est ianua & via vlterioris Philosophiæ, est illius directiua, ad illam deseruit & ordinatur. Dum autem Logica dicitur instrumentum Philosophiæ, Philosophia potissimùm sumitur in tali acceptione, quæ non includit, sed ante se præsupponit Logicam. Sed etiam quatenus Philosophia sumitur vt includens Logicam, Logica adhuc dici potest quodammodo instrumentum eius, ea ratione qua Logicam esse etiam ad se ipsam necessariam, suique directiuam, Sect. 4. dicebamus.

Absolutè est pars instrumentalis Philosophiæ. Itaque coniungendo simul vtrunque loquendi modum, satis commodè Logica dicetur & pars & instrumentũ Philosophiæ. Ita loquutus est Boet. Præfat. in Porphy. colum. 3. & plerique alij ex Auctoribus allegatis. Ita etiam loquutum fuisse Platonem & Platonicos, referunt Ammon. & Philop. loc. cit. & ita Laertius in vita Arist. vtrunque coniungit, diuidens Philosophiam in plures partes, quarum vna est Logica, & addens Logicam esse instrumentum. Optimè autem cum Simplic. in Prædicam. pag. 5. Logica poterit appellari pars organica, pars instrumentalis Philosophiæ.

Cæterùm aliqui ita distinguunt, vt dicant Logicam docentem esse partem, vtentem esse instrumentum Philosophiæ. Aliqui è contra, vtentem esse partem, docentem esse instrumentum. Verùm potius eadem Logica, eodemque modo sumpta, intelligenda est appellari, pars, & instrumentum, pars instrumentalis Philosophiæ: & maximè ipsa Logica docens. Nam de illa procedunt omnia, quæ adducta sunt. Et eadem ratio est de Logica vtente habitualiter sumpta. Logica autem vtens actualis, idest actualis vsus Logicæ, non est ex hac parte instrumentum, sed est ipsa Philosophia ad quã Logica est instrumentum.

An sit subalternata Philosophiæ. Tertiò quæritur, vtrum Logica sit subalternata Philosophiæ. Sed hoc dependet ex modo explicandi subalternationem scientiæ. Si enim scientia subalternata dicatur ex parte finis, eo quod ordinetur ad aliam; sic Logica subalternatur Philosophiæ, ad quam vtique ordinatur. Item si dicatur ex parte obiecti, quia scientia subalternata assumit sibi aliquam partem obiecti alterius scientiæ: sic Logica directè subalternatur Philosophiæ naturali; specialiter parti de Anima. Nam considerat & dirigit operationes nostri intellectus. Quodammodo etiam subalternatur Metaphysicæ & toti Philosophiæ: quatenus attingit breuiter res omnes cognoscibiles, vt eas intellectui proponat. Vt patet in tract. Prædicab. & Prædicam. Si demum scientia subalternata sumatur ex parte præmissarum & principiorum: quæ sanè est propria acceptio; vt in proprio tractatu videbimus, quando scilicet scientia assumit principia probata & demonstrata in superiori scientia: sic Logica verè non est alteri scientiæ subalternata. Nam habet sua principia prima per se nota, quæ non supponuntur demonstrata in alia superiori scientia. Quòd si quædam etiam assumuntur a Logica, quæ possent

per alias ſcientias, ſpecialiter per ſcientiam animaſticam & Metaphyſicam, demonſtrari: tunc quantum ad tales propoſitiones Logica poteſt ijs alijs ſcientijs ſubalternari?

An ſit dignior vel inferior alijs ſcientijs.

Quartò quæritur, quem locum dignitatis atque perfectionis, per comparationem ad alias ſcientias & Philoſophiæ partes Logica ſeruet. Et videri poteſt omnium digniſſima. Solet enim appellari ars artium & ſcientia ſcientiarum, artium & diſciplinarum maxima, rectrix & gubernatrix aliarum ſcientiarum. His & ſimilibus titulis illam exornant D. Auguſt. lib. 3. cont. Accad. & lib. 2. de Ordin. Plato lib. 7. de Repub. Cic. in lib. de Claris orat. & alij frequenter. Ex oppoſito videri poteſt omnium ſcientiarum infima: non ſolùm quia eſt inſtrumentum & veluti famulatrix aliarum: ſed quia habet pro obiecto ſuo ens rationis; vnde aliæ ſcientiæ dicuntur reales, Logica rationalis. Et hunc dicendi modum indicat Soncin. 6. Met. quæſt. 6.

Secùdùm aliquam conſiderationem eſt dignior, et ſecundùm aliquam inferior.

Sed dicendum eſt, licèt ſecundùm varias conſiderationes Logica dici poſſit, aut ſuperior, aut inferior alijs ſcientijs: tamen abſolutè & ſimpliciter, quibuſdam eſſe ſuperiorem, quibuſdam inferiorem. Nam in vniuerſum facilè contingit, aliquas res ita comparari, vt eadem res ſit nobilior alia ſecundùm vnam conſiderationem, & ſit inferior ſecundùm aliam conſiderationem. Sed inter has conſiderationes attenditur præ cæteris illa quæ principalis & potiſſima eſt: & ratione illius dicetur vna res abſolutè & ſimpliciter nobilior alia: atque ſecundùm aliam minorem conſiderationem dici poterit inferior ſecùdùm quid. Logica ergo quatenus viam ſternit ad alias ſcientias, eaſquè dirigit, ac veluti fundat earum rectitudinem ac certitudinem, docendo legitimos diſcurrendi modos, aliaſquè leges rectè ſciendi; videbatur quodammodo cæteras ſcientias excedere. Quatenus verò conſideratur tanquã miniſtra & ordinata ad alias ſciẽtias, ſic videbatur quodammodo cedere.

Simpliciter eſt inferior Phyſica et Metaphyſica.

At principalis conſideratio ex qua ſimpliciter dignitas ſcientiæ penſanda eſt, eſt ex parte obiecti, ſcilicet penes nobilitatem & excellentiam ipſius obiecti. Quamuis enim Ariſt. 8. Top. loc. 21. indefinitè dicat: *Scientiam ſcientia eſſe meliorem, aut eo quòd exactior eſt, aut quòd meliorum; & quod aliæ ſunt contemplatiuæ, aliæ actiuæ, &c.* Et 1. de Anima text. 1. dixerit, præſtantiorem eſſe vnam ſcientiam altera, *aut ſecundùm certitudinem, aut ex eo quòd & meliorum & mirabiliorũ eſt.* Tamen 1. de Part. animal. cap. 5. determinat, potiſſimam rationem nobilitatis ſcientiæ, eſſe præſtantiam obiecti. *Res*, inquit, *illas ſuperiores, tametſi leuiter attingere poſſumus: tamen ob eius cognoſcendi generis excellentiam, amplius oblectamur, quàm cùm hæc nobis iuncta omnia tenemus.*

ſuperior Mathematica.

Ex comparatione ergo obiecti, Logica eſt planè inferior Philoſophia naturali & Metaphyſica. Metaphyſica enim agit de ſubſtantijs ſeparatis quæ nobiliſſimæ ſunt, ac Deo ipſo. Naturalis item agit de ſubſtantijs, & inter alias de ipſo homine, ipſaquè anima rationali, ac de ipſiſmet actibus noſtri intellectus. Superatur etiam Logica eo quòd practica eſt. Reſpectu autem Mathematicæ Logica potius dici debet abſolutè nobilior. Obiectum enim Mathematicæ eſt quantitas: Logicæ autem non eſt ens rationis contradiſtinctum ab ente reali, vt ſupponebat Soncin. ſed ſunt operationes rationis quæ verè ſunt reales, & ab ijs Logica denominatur rationalis. Hæ autem operationes, cùm ſint ſpirituales & vitales, planè ſuperant quantitatem, quæ eſt accidens corporeum & materiale. Ex alia tamen parte Mathematica præſtat Logicæ, non ſolùm quia eſt ſpeculatiua, ſed etiam ratione certitudinis, in qua & reliquis facultatibus diſciplinæ Mathematicæ antecellunt. Quoniam vt plurimùm ſuas concluſiones demonſtratiuè probant: cùm aliæ facultates ſæpè nonniſi probabile indicium de ſuis rebus aſſequantur.

Eſt inferior ſcientia morali, ſuperior alijs practicis.

Deinde comparando Logicam cum alijs ſcientijs practicis, videbitur Logica præferenda non ſolùm omnibus alijs, ſed etiam ſcientiæ morali quæ dirigit actus voluntatis in genere moris. Nam iuxta ſententiam Sancti Thomæ 1. par. q. 82. art. 3. Intellectus eſt potentia nobilior voluntate: & ſic etiam actus intellectus actibus voluntatis. Sed tamen potius Logica videtur cedere debere ſcientiæ

tiæ morali: non solùm iuxta sententiam aliorum qui voluntatem præferunt intellectui; sed etiam quia bonitas & rectitudo moralis videtur præstantior, & non solùm actus eliciti voluntatis, sed etiam alij actus qui imperantur à voluntate, etiam ipsi actus intellectus, participant bonitatem moralem. Et præcipuè quia scientia moralis primariò considerat & intendit supremam fœlicitatem ac Beatitudinem bonis actibus assequendam, quæ planè est summa & excellentissima perfectio humanæ naturæ. Alijs autem omnibus scientijs practicis sine dubio Logica antecellit: quoniam operationes intellectus & voluntatis, sunt nobiliores & præstantiores, omnibus alijs operationibus humanis, quæ per alias artes seu scientias practicas diriguntur.

A quibus causis sit logica præsertim propter quem finem,

Quintò tandem quæritur, quæ sint causæ ipsius Logicæ. Et quidem causa efficiens & materialis sunt ei cum alijs omnibus scientijs communes. Idem enim intellectus est, qui elicit, & in se recipit, omnes scientiæ actus. Ac per ipsos actus efficiuntur, & in eodem intellectu recipiuntur, habitus. Habent præterea scientiæ practicæ causam finalem, idest finem ab ipsis scientijs distinctum, ad quem ordinantur: & quælibet habet suũ peculiarem finem. Ita notauit Aristot. 1. Ethicorum cap. 1. *Cùm autem multa & actiones & scientiæ & artes sint: multi & fines euadant necesse est. Medicinæ quidem, sanitas: nauium extructricis, nauis: militaris, victoria, domesticæ ac familiaris, diuitiæ ipsæ.* Proprius ergo ac peculiaris finis Logicæ, est rectitudo ac perfectio cognitionis nostræ intellectiuæ, siue cognitio recta & perfecta. Eiusquè officium est intendere ac procurare, vt omnis operatio nostri intellectus in cognoscendo rectè exerceatur.

Neque verò hinc putandum est, Logicã ita exactè hunc suum assequi finem, vt qui fuerit Logica instructus, iam amplius non possit errare, aut nunquam erraturus sit. Compertum enim est, quot errores, siue falsæ opiniones, adhuc post omnem industriam in humano intellectu contingant. Imo docent Theologi, non posse hominem in hac vita, sine speciali dono gratiæ, assequi omnes veritates naturales, aut euitare omnes errores. Sed satis erit, possidere artem, quæ tradat omnes regulas & leges idoneas ad consequendum finem intentum. Et saltem magna ex parte intellectus hac arte instructus rectè procedet, & multò rectius quàm sine hac arte procederet. Ita præclarè notauit, & exemplo Rethoricæ, & Medicinæ comprobauit Aristot. 1. Topic. cap. 2. *Habebimus autem perfectè methodum, quando perinde habebimus, ac in Rethorica, & Medicina, & huiusmodi facultatibus. Nam neque Rethor omni ex modo persuadebit, neque Medicus sanabit: sed si ex ijs qua contingunt nihil omiserit, sufficienter eum disciplinam habere dicemus.* Et similia habet 1. Rethoric. cap. 1. propè finem.

Causam demum formalem, propriè & intrinsecè scientiæ non habent: quoniam potius ipsæ sunt formæ afficiẽtes & perficientes intellectum. Obiectum tamen in ijs se habet ad instar formæ, & solet vocari causa formalis extrinseca. Quoniam singulæ scientiæ ex suis obiectis specificantur & constituuntur. Iam ergo sequenti quæstione obiectum nostræ Logicæ inquiremus.

QVÆSTIO SECVNDA.

De Obiecto Logicæ.

Quodnã & quotuplex sit obiectum scientiæ.

OBiectum cuiuslibet scientiæ dupliciter assignatur. Vno modo complexè, pro tota & integra conclusione de qua assensum scientificum habemus. Sic dixit S. Thomas 1. 2. quæst. 1. artic. 1. in scientia Geometriæ obiectum esse conclusiones scitas. Alio modo incomplexè, pro illa re de qua demonstrantur tales conclusiones: vnde dicitur etiam subiectum. Sic dixit idem S. Thom. 1 par. quæst. 1. artic. 7. Subiectum Theologiæ, se habens tanquam obiectum ad potentiam, vel ha-

vel habitum, esse Deum. Modò ergo quærimus obiectum incomplexum Logicæ. Per quod etiam constabit, quod sit obiectum complexum, idest conclusiones quæ in Logica demonstrantur.

Deinde hoc obiectū duplex est. Aliud totale & adæquatum. Aliud partiale & inadæquatum. Obiectum adæquatum est quod in tota scientia consideratur, siue in ordine ad quod considerātur reliqua omnia quæ in eadem scientia continentur, quia sunt vel partes seu species, vel causæ, vel attributa & accidentia eius. Et ideò dicitur obiectum adæquatum attributionis, ad quod scilicet attribuuntur reliqua quæ in scientia pertractantur. Obiectum inadæquatum est, quod in parte aliqua scientiæ consideratur. Itaque obiectum totale debet esse vnum in qualibet vna scientia. Obiecta autem partialia plura sunt iuxta plures partes & tractatus eius scientiæ. Inter hæc autem consideratur aliquod, quod sit cæteris dignius & nobilius: & dicitur obiectum principale partiale. Maximè ergo nunc quærimus obiectum adæquatum Logicæ: ex quo etiam singula partialia apparebunt: & inter illa principale.

Rursus duplex est obiectum. Aliud dicitur materiale, & aliud formale. Quæ distinctio sumpta est ex Aristot. 2. Physic. tex. 17. & sequentibus. Obiectum materiale est res ipsa quæ in scientia consideratur. Obiectum formale est ratio secundùm quam consideratur. Quæ ratio ideò assignatur, quia fieri potest vt eadem res possit secundùm varias rationes considerari: & secundùm vnam rationem consideretur in vna scientia: secundùm aliam in alia. Vnde hæc ratio formalis est, quæ vltimò distinguit illas scientias, quæ alioqui in eodem obiecto materiali conueniebant. Sic v. g. homo potest considerari, & quatenus compositum quoddam substantiale, & quatenus dirigi potest ad Beatitudinem, & quatenus sanari potest ab ægritudine corporali. Primo modo consideratur in Physica: secundo modo in scientia morali: tertio modo in Medicina. Modò ergo quærendum est simul obiectum materiale, & formale Logicæ.

Quæ sint cōditiones obiecti. Postremò dici solet ex Aristot. 1. Post. tex. 76. & 179. Obiectum scientiæ debere habere 3. partes, principia, & passiones. Partes, non intelliguntur solùm intrinsecæ ex quibus res constat: sed etiam species de quibus res ipsa tanquam genus prædicatur. Principia sunt; tum complexa, idest propositiones & præmissæ, ex quibus conficiuntur demonstrationes & demonstrantur conclusiones; tum incomplexa, quæ vel sunt causa ipsius rei in se, vel saltem sunt causa vt ei cōueniant suæ proprietates & passiones. Passiones demum sunt illa prædicata, quæ conueniunt ipsi obiecto, & de illo demonstrantur. Sic dixit optimè Aristot. eo tex. 76. *Natura tria hæc sunt, circa quod monstrat*, idest obiectum, *& quæ monstrat*, idest passiones, *& ex quibus*, idest principia. Ex his verò facillimè constant omnes conditiones quæ ad legitimum cuiuscunque scientiæ totalis obiectum requiri possunt ac solent. Et ex his colligendum erit proprium obiectum Logicæ.

Logica verè habet suum obiectum. At verò Zabar. lib. 1. de Natura Logicæ cap. 17. magna quadam asseueratione contendit, nullum in hac significatione ipsi Logicæ conuenire subiectum, quod sit subiectum demonstrationum: & miratur tātam fuisse aliorum cæcitatem, & crassam ignorantiam; vt tale obiectum in Logica quærere, & partem materialem & formalem considerare, voluerint. Sed maneat ipse in cæcitate & ignorantia quam alijs omnibus Auctoribus offundere voluit. Nobis luce clarius est, Logicæ, vt alijs etiam practicis disciplinis, proprium adesse obiectum, quod subiectum est demonstrationis & considerationis. Et quod nam si hoc obiectum Logicæ inquiramus.

Aliquid spectās ad intellectū est obiectū Logicæ. Constat autem ex omnibus antea dictis, & ex nomine ipso Logicæ, aliquid spectans ad intellectum esse obiectum Logicæ. Multa sunt autem hæc de quibus dubitatur & quæritur, quodnam omnium optimè debeat obiectum Logicæ assignari. Sunt actus ipsi intellectus, cognitio ipsa intellectiua. Sunt res, quæ per hos actus ab intellectu cognoscuntur. Sunt voces quibus tanquam signis exprimimus mentis conceptus. Hæc eleganter commemorauit D. Augustinus in lib. Categor. cap. 1. *Primò sunt res omnes quas natura peperit. Secundò percipiuntur ea quorum imagines in animo*

in animo videndo formamus & recondimus. Tertiò dicuntur illa, quibus ea quæ sunt impressa animo eff. runtur: Id namque quod quis concipit animo, lingua prosequente declarat. Sunt prætereà illa quę, cùm non sint realiter à parte rei, sunt tamen obiectiuè in mente per cognitionem nostri intellectus, siue sunt denominationes quę ab ipso nostro intellectu attribuuntur rebus: & dicuntur entia rationis, ac secundę intentiones. Sunt demum instrumenta & modi quibus actus nostrę cognitionis diriguntur. Non curamus hic recensere, habitus, species intelligibiles, & si quę sunt alia huiusmodi: de quibus satis compertum & exploratum est, non esse obiectum Logicę. Sed de his quę enumerata sunt sequitur disputandum.

SECTIO PRIMA.
Vtrum Obiectum Logicæ sint res omnes ab intellectu cognoscibiles.

Scientia affirmans res omnes esse obiectum Logicæ.

Extat sententia affirmans, obiectum Logicæ esse res omnes siue omnia entia: non tamen quatenus entia sunt in se ipsis & à parte rei. Sic enim de ente agit Metaphysica. Sed quatenus cognoscuntur ab intellectu, quatenus obijciuntur intellectui. Vnde aliqui expressè dicunt, obiectum Logicæ esse conceptus obiectiuos, idest res quatenus concipiuntur: & consequenter ad Logicā pertinere etiā conceptus ipsos formales, idest actus intellectus quibus res concipiuntur.

Sed adhuc non cōuenit Auctores huius sententię in modo assignandi hoc obiectum, pręsertim ad designandum, & coniungendum obiectum formale cum materiali. Aliqui dicunt, res ipsas esse obiectum materiale: considerari verò quatenus cognoscuntur & concipiuntur ab intellectu: atque adeò hanc cognitionem & conceptionem esse obiectum formale. Alij volunt, obiectum materiale esse hoc totum, res cognitas & cōceptas, & integros cōceptus obiectiuos sumptos nō solū pro rebus ipsis, sed pro aggregatis ex rebus & actibus intellectus. Obiectum verò formale esse conuenientiam realem quam in ipsis conceptibus obiectiuis considerant, vt inter se aptè coniungantur per prędicationem & subiectionem atque illationem; siue esse modum coniungendi & disponendi hos cōceptus, quem appellant etiam modum sciendi & argumentandi. Referuntur pro hoc dicendi modo Eustrat. 2. Post. com. 314. & Rodulph. Agric. lib 2. de Inuen. Dialect. cap. 5. Qui tamen tantùm dixerunt, Logicam seu Dialecticam versari circa res omnes. Et nec loquuti sunt de obiecto proximo, nec etiam explicarunt tale obiectum formale.

Alij verò sunt qui significarunt, obiectum Logicæ esse res omnes quatenus substant quibusdam denominationibus rationis: esse primas intentiones quatenus substant secūdis intentionibus. Quasi ipsæ res & primę intentiones sint obiectum materiale: secundæ verò intentiones sint obiectum formale. Referuntur pro hoc dicendi modo ijdem Eustrat. & Agric. citati & Auerr. in Epito. Prędicam. cap. vltimo, & 4. Met. cap. 2. Iandun. 4. Met. quæst. 6. Zabar. lib. 1. de Nat. Log. cap. 19. Auicen. & alij. Quorum tamen plerique solùm dicunt, Logicam considerare primas & secundas intentiones: non tamen assignare voluerunt in rigore obiectum materiale & formale, vt nos quęrimus. Zabar. autem explicauit, res omnes non esse subiectum de quo fiant demonstrationes: sed esse subiectum operationis, in quo Logica efficiat secundas intentiones.

Res omnes non sunt directè & proximè obiectum Logicæ.

Dico primò. Non debent pro obiecto Logicę directè & proximè assignari res omnes quę ab intellectu cognoscibiles sunt. Hęc conclusio est de mente omniū aliorum qui alijs modis obiectum Logicę assignare conati sunt. Et probatur primò. Logica per se instituta est directè & proximè ad directionem actuum nostri intellectus, quibus cognoscimus res ipsas, vt videlicet rectè cognoscamus ipsas res, rectè exerceamus operationes intellectus, & ad hunc finem tradit instrumenta cognoscendi, deque ijs tractat propter nostram cognitionem: ergo per se directè & proximè habet potius pro obiecto actus ipsos nostri intellectus, qui versantur circa res: & non res circa quas versantur actus nostrę cognitionis. Item Logica per se intendit rectitudinem & per-

& perfectionem noſtræ cognitionis: neque conatur cognitionem dirigere quaſi ob perfectionem ipſarum rerum: igitur non ipſę res ſunt directè obiectum Logicæ.

Logica ſe habet vt cognitio reflexa de ipſa cognitione.

Secundò cognitio reflexa intellectus de alia cognitione, habet vtiq. pro obiecto ſuo directo & proximo illam aliam cognitionem, non autem obiectum illius alterius cognitionis: ſed ad ſummum indirectè & remotè dici poteſt illud etiam obiectum attingere, quia videlicet verſatur circa cognitionẽ quę eſt de illo obiecto. Sed Logica ſe habet tanquam ſciẽtia reflexa de actibus noſtrę cognitionis: Logica enim eſt quędam ſcientia, quæ tractat de ipſa ratione ſcientię: eſt diſcurſus qui tractat de ipſa ratione diſcurſus, & de varijs ſpeciebus diſcurſus: continet enunciationes quas docet, & apprehenſiones quas ingerit, de ipſa ratione enunciationis, & apprehenſionis: & in vniuerſum eſt cognitio practica directiua noſtrę cognitionis. Ergo nõ habet pro obiecto ſuo proximo & directo res ipſas quę cognoſcuntur, ſciuntur, enunciantur, & apprehenduntur: ſed actus ipſos quibus res cognoſcuntur.

Ad quam cognitionẽ reducuntur quæcunq. conſiderãtur in Logica.

Tertiò ad cognitionem intellectiuam pertinent non ſolùm res omnes tanquam cognitæ obiectiuè: ſed etiam alia plura, nempè voces quæ ex vi ipſius cognitionis proferuntur, atque ſignificant, & gignunt cognitionem in mente audientis: denominationes & entia rationis quæ cõſequuntur ex ipſa cognitione, & pręcipuè inſtrumenta directiua eiuſdem cognitionis. Et hæc omnia debent in Logica pertractari. Reducuntur autem optimè ad ipſam cognitionem; & ſicut inſtrumenta directiua & alia quæ dicta ſunt, ita etiam ipſæ res tanquam cognitæ reducuntur ad eandem ipſam cognitionem. Ergo directè & adæquatè, non res quæ cognoſcuntur, ſed cognitio ad quam & res quatenus cognitæ, & omnia alia quæ tractantur in Logica, reducuntur; debebit directè aſſignari obiectum.

Afferũtur aliarum ſcientiarũ exempla.

Quartò hoc totum probatur exemplis aliarum ſcientiarum. In Grammatica quæ tractat de vocibus vt congruè diſponantur, non dicimus, obiectum eſſe res ſignificabiles per voces congruè diſponibiles: ſed eſſe voces congruè diſponibiles. In Rethorica, non dicimus obiectum eſſe res perſuaſibiles per ornatum ſermonẽ: ſed eſſe ornatum ſermonem aptum ad perſuadendum: ſimiliter in Poetica eſſe ſermonem iucundum certis numeris concinnatum aptum ad delectandum. Et in ſcientia morali, in parte quæ tractat de actibus voluntatis, nõ dicimus obiectum eſſe res appetibiles honeſtè à voluntate: ſed actus honeſtos voluntatis. Et in ſcientia naturali, in parte quæ tractat de ſenſibus, alijſquè ſimilibus, ac de ipſa noſtra cognitione intellectiua ſpeculatiuo modo; non dicimus obiectum eſſe res ſenſibiles, res intelligibiles: ſed directè pro obiecto aſſignantur ipſi ſenſus, ipſa intelligentia, & ſimul reductiuè conſiderantur obiecta ſenſibilia, & intelligibilia, ſicut & ſpecies ſenſibiles, & intelligibiles, aliaquè ad rem ſpectantia. Similiter ergo ſentiendum & loquendum eſt de obiecto Logicæ. Vnde re ipſa patet, ſolùm certam quandam Logicæ partem agere de rebus cognoſcibilibus: nec tota Logica conſiſtit in prædicabilibus, & prædicamentis. Igitur res omnes non ſunt obiectum adæquatum Logicæ.

Quintò demum impugnari etiam poſſunt ſinguli illi modi, quibus explicabatur ac defendebatur illa ſententia, ex ijs quæ dicenda ſunt contra alias ſententias, ad quas illi dicendi modi ex parte accedunt: vt deinceps conſtabit.

Res omnes ſunt obiectum remotum Logicæ docẽtis.

Dico ſecundò. Concedendum eſt, res omnes eſſe obiectum remotum Logicæ docentis: imo eſſe obiectum proximum Logicæ vtentis: atque etiã eſſe obiectum proximum in aliqua parte Logicæ docẽtis, per reductionem tamen ad obiectum adæquatum totius Logicæ. Hęc concluſio tres habet partes. Explicatur & probatur per ſingulas. Si Logica habet pro obiecto ſuo immediato cognitionem intellectiuam: cùm hæc rurſus habeat pro obiecto ſuo res omnes: ſequitur, remotè & mediatè Logicam docentem reſpicere res omnes.

Proximũ Logicævtẽtis.

At Logica vtens exercetur vtique circa omnes res: & vſus Logicæ eſt ipſa cognitio intellectiua directa per Logicam; quæ, vt modò dicebamus, immediatè verſari poteſt circa omnes res: igitur Logica vtens habet pro immediato obiecto ſuo omnes res; quod non eſt aliud quàm

dicere;

dicere, cognitionem intellectiuam, directam per Logicam, versari circa omnes & quascunque res cognoscibiles. Et ita idem est obiectum Logicæ vtentis, quod est obiectum adæquatum intellectus. Et iuxta hoc explicanda erunt quædam loca Arist. quæ ab Aduersarijs afferuntur: vt mox infra constabit.

Imo etiã proximũ sed partiale in quadam parte Logica.

In ipsa etiam Logica docente, vnus modus dirigendi cognitionem intellectiuam est, percurrendo, & intellectui proponendo, omnes res cognoscibiles, & constituendo varias connexiones & habitudines rerum: Hinc de facto extant in Logica, tractatus prædicabilium, & prædicamentorum, in quibus res omnes hoc modo considerantur & disponuntur. Hoc autem totum fit per ordinem & reductionem ad obiectũ adæquatum totius Logicæ, ad directionem cognitionis intellectiuæ. Sic notauit egregiè D. Aug. lib. Categor. cap. 3. dum de Arist. inquit: *Cùm de perceptis proposuerit disputare, & de ijs quæ sunt, & de ijs quæ dicuntur, necessariò loquuturus est.* De perceptis, intelligit ipsas animi perceptiones: de ijs quę sunt, intelligit ipsas res: de ijs quæ dicuntur, intelligit voces.

Quædam loca Aristot. explicãtur.

Obijci solent quædam Arist. loca ad probandum omnes res esse verum obiectum Logicæ. 1. Elench. c. 11. & 1. Reth. cap. 1. in princ. & cap. 2. & 4. Met. tex. 5. & alibi docet Arist. Dialecticam non versari circa aliquam rem determinatam, sed circa omnes res.

Resp. Arist. solùm voluisse, Dialecticã quantùm ad vsum versari circa omnes res, & non restringi ad certum aliquod genus rei: quia scilicet syllogismi exerceri possunt circa omnes & quascunque res. Et ita apertè ex tex. colligitur. Non ergo vult Arist. Logicam docentem immediatè versari circa omnes res, & non versari circa determinatum quoddam obiectum: sed optimè saluatur, Logicam proximè intendere cognitioni intellectiuæ, quæ vtique in sui exercitio versatur circa omnes res. Ideo ibi 1. Rethor. cap. 2. cùm dixisset, nec Rethoricam nec Dialecticam esse de re aliqua determinata, subdit: *Sed facultates quædam sunt inueniendarum rationum.* Vbi iam rem quandam determinatam assignat, scilicet inuentionem rationum: quæ tamen rationes circa omnes res inueniri possunt. Sic etiam 1. Topic. cap. 1. *Propositum quidem negotij est, methodum inuenire, per quam poterimus de omni proposito problemate syllogizare.* Vnde ex his locis potius sumitur argumentum pro nostra sententia, vt explicata est. Cæterùm in omnibus ijs locis Arist. specialiter loquutus est de Dialectica pro parte topica, non pro tota Logica. quia rationes quidem probabiles circa omnes res, & in vtraque parte quæstionis, facilè inueniuntur. Non sic autem rationes demonstratiuæ.

Obijcit 2. Iandun. Finis Logicæ est discernere verum a falso: sed veritas primariò & principaliter inuenitur & fundatur in rebus; vt docet Arist. in Prędicam. substantiæ in fine, & in Post prædicam. cap. de priori: ergo Logica primariò considerat veritatem quæ est in ipsis rebus. Igitur obiectum Logicæ sunt ipsæ res.

Rectitudo quã intendit Logica, formaliter est in cognitione, non in rebus.

Resp. Veritatem & rectitudinẽ quam Logica pro suo fine intendit, sine dubio formaliter conuenire cognitioni quam habemus de rebus. Arist. verò ijs locis solùm docuit, ex eo quòd res est, aut nõ est, opinionem & orationem, esse veram aut falsam. Vnde formaliter nõ attribuit veritatẽ ipsis rebus, sed cognitioni. Imo 6. Met. tex. 8. apertè dixit, verum & falsum non esse in rebus, sed in mente. Logica ergo considerat ipsam cognitionem, vt eam dirigat, ad hoc vt veram rerum notitiam assequamur. Neque enim Logica facit, vt res ipsę conformentur nostræ cognitioni, & ita sint sicut putantur: sed facit, vt nostra cognitio conformetur rebus, & ita res cognoscamus sicut in se sunt. Cognitio ergo ipsa vera est, recta est, dirigibilis est. Rebus autem ipsis attribuitur alia veritas, quæ dicitur in essendo, & veritas transcendentalis, de qua non spectat ad Logicam, quæ tantùm intendit veritatem cognitionis in repræsentando. Itaque hinc potius demonstratur, non res ipsas, sed cognitionem rerum, esse proximum & adæquatum obiectum Logicæ.

SECTIO SECVNDA.
Vtrum Obiectum Logicæ sint voces expressiuæ conceptuum Intellectus.

Sententia affirmans obiectum Logicæ esse voces.

Est sententia quæ docet, obiectum Logicæ esse voces, siue sermonem, quatenus voces sunt significatiuæ rerum cognitarum, & expressiuę conceptuum intellectus. Voces enim possunt considerari secundùm plures & varias rationes, sub quibus pertinent ad varias scientias. Quatenus sunt sonus quidam editus & prolatus ab animali, pertinent ad Physicam, ad partem animasticam, cuius est tractare de animali & de auditu eiusque obiecto. Quatenus possunt certis modis inflecti atque coniungi, declinari, & modificari, vt locutio congrua efficiatur: pertinent ad Grammaticam. Quatenus possunt habere quendam ornatum aptum ad persuadendum, pertinent ad Rethoricam. Quatenus possunt habere quendam numerum & concentum aptum ad delectandum, pertinent ad Poeticam. Quatenus tandem sunt significatiuæ veri & falsi, sunt expressiuæ & manifestatiuæ conceptuum mentis, sic dicuntur esse proprium obiectum Logicæ.

Hanc sententiam tenent Aureol. in Prol. sent. in q. de subiecto Theol. art. 5. Ocam. & alij, qui ex eo quòd pleraque ad voces & nomina reducere voluerunt, appellati sunt Nominales. Item Villalpand. q. 5. proem. Log. Flam. Nobilius. q. vlt. Log. Titel. cap. 1. suæ Dialect. & quidam alij Recentiores. Fauent etiam plerique veteres, Simplic in præfat. Prædicam. Ammon. ibid. & in præfat. in Porphyr. Philop. in præfat. Prior. Dexippus lib. 1. in Prædicam. cap. 3. & alij, qui vel in tractatu Porphyr. vel in prædicamentis dixerunt considerari voces.

Voces non sunt directè & adæquatè obiectum Logicæ.

Dico primò, Obiectum Logicę directè & adæquatè non esse voces. Hæc est communis sententia. Probatur primò inductione ex omnibus ferè partibus & tractatibus Logicę cõsuetis. In tract. Prędicab. nõ considerantur per se ipsæ voces, genus, & species, &c. Sed res quæ his vocibus significantur. Et cùm dicitur genus prædicari de speciebus, vtiq. sensus est de ipsis rebus: & sic de tota doctrina eius tractationis Similiter in Prædicamentis non considerantur per se hæ voces, substantia, quantitas, &c neque illa quæ dicuntur in prædicamentis, conueniunt ipsis vocibus: sed considerantur res ipsæ, & de ipsis rebus verificatur doctrina quæ traditur. In reliquis item libris per se considerantur enunciationes, discursus, argumentationes, qui sunt actus mentales & exprimuntur per voces. Et vix exigua quædam pars Logicæ est, quæ debeat considerare de vocibus, vt conclusione sequēti dicemus. Non ergo voces sunt directum & adæquatum obiectum Logicæ.

Secundò Logica primariò instituta & ordinata est ad directionem actuum intellectus, non verò ad regulandas & dirigendas voces. Et perspicuum est, multò magis principaliter se habere ipsos actus intellectus, quàm voces expressiuas eorum. Per se ergo & principaliter Logica considerare debet ipsos actus. Et ad summum consequenter ac reductiuè voces, quæ sunt expressiuæ conceptuum.

Tertiò si nunc de nouo inuenienda & construenda esset Logica: & aliquis institueret suam Logicam de vocibus: alius de actibus intellectus: vtiq. hic multò excellentius atq. præstantius suam Logicã institueret. Nã ad actus intellectus reducitur optimè, & ipsæ voces, & alia plura: Ineptè autẽ & peruersè ad voces reducerētur ipsi actus intellectus, & alia quæ considerantur in Logica. Hinc de facto dici non debet, Logica quæ extat, & præsertim Logica Ar. institutam esse de vocibus per se & directè, tanquam de totali aut principali obiecto. Neque hæc nostra Logica assumere hoc modo debet pro suo obiecto voces.

Cõsequenter tamē & reductiuè pertinēt ad Logicam.

Dico 2. Voces secũdariò & reductiuè pertinent ad Logicã. Hęc conclusio facilè cõceditur ab omnibus. Et patet, quia cùm obiectum Logicæ sit aliquid intellectuale, voces pertinēt proximè ad intellectũ, sunt expressiuæ conceptuum intellectus. Et præcipuè participant rectitudinem ac veritatē, quę primariò conuenit ipsis actibus intellectus. Nã dicimus, propositiones vocales esse veras, syllogismos vocales esse aptos, definitionem vocalem esse orationem explicitã significatiuã essentię rei. Imo pleraque quæ Logica per se intē-

dit

dit docere de internis actibus intellectus; maioris facilitatis & claritatis gratia, proximè docet de ipsis vocibus quæ exterius resonant, vt per illas intelligantur de internis actibus. Vnde demum voces multùm iuuant ad directionem actuum intellectus, & sunt suo modo directiuæ. Sic ergo consequenter, & per ordinem ad obiectum adæquatum, voces considerari debent in Logica, & reduci tanquam affectiones & instrumenta quædam.

Sic explicatur quō Logica tractet de vocibus.

Obijcit primò Aureol. ad probandum obiectum Logicæ primariò esse voces. Omnes libri Logicæ inchoantur à vocibus: liber Prædicamentorum ab æquiuocis & vniuocis; libri de Interpretatione à nomine & verbo & oratione: libri Resolutorij à definitione syllogismi per orationem. Hæ autem sunt tres partes Logicæ, quæ videntur correspondere omnibus actibus intellectus. Ergo tota Logica adæquatè tractat de vocibus, quatenus expressiuis conceptuum intellectus.

Resp. Arist. inchoare à vocibus, tanquam à vicinioribus & clarioribus, vt ab illis transiret ad difficiliora & principaliter intenta. Sic in libro Prædicamentorum breuissimè præmissa explicatione illa vocum, transit ad res: in libris Periermenias tractat de nomine, verbo, & oratione, ac deinceps de enunciatione, in ordine ad actus internos apprehensionis & iudicij: in sequentibus libris tractat de syllogismo propter discursum mentis internum. Non ergo Arist. principaliter intendebat tractare de vocibus.

Obijciunt 2. alij. Definitio, diuisio, argumentatio, Termini etiam, enunciationes, & alia specialia, quæ Logica tractat, sunt plane voces: Definitio est oratio explicans essentiam rei, & sic de alijs. Si quando autem Logica videtur tractare de rebus, vt in Prædicabilibus & in Prædicamentis: eius munus est, tantùm breuiter explicare & enarrare omnia: alioqui excederet suos limites. Hoc autem potiùs est considerare voces, quàm res.

Resp. Definitionem diuisionem &c. posse considerari, vel prout consistunt in mente, vel prout consistunt in voce. Et oratio ipsa, vel est mentalis, vel vocalis. Logica ergo per se & principaliter de illis tractat, prout consistunt in mente: consequenter, & velut instrumentaliter, prout consistunt in voce, vt dictum est. Dum autem Logica tractat de rebus in Prædicabilibus, & Prædicamentis; breuiter quidem tractat: sed hoc non est tractare per se de vocibus: sed verè est tractare de rebus, sobriè tamen & expeditè, quatenus suo muneri conuenit: vt res omnes intellectui proponat, ad dirigendam cognitionem.

SECTIO TERTIA.

Vtrum obiectum Logicæ sit ens rationis siue secunda intentio.

Sententia affirmās.

Alia frequens Thomistarum sententia est, obiectum Logicæ esse ens rationis, & non esse aliquod ens reale: ens scilicet rationis quod est tantùm obiectiuè in mente, & cogitatur ac si reuera esset, cùm tamen verè non sit à parte rei. Non tamen omne ens rationis dicunt esse obiectum Logicæ: sed tantùm genus quoddam entis rationis, quod appellant ens rationis logicum, & secundam intentionem. Et est illud ens rationis, quod fundatur in ipsismet operationibus intellectus: & consistit in his denominationibus, genus, species, subiectum, prædicatum, definitio, enunciatio, argumentatio, alijsque similibus. Et varijs adhuc modis aliqui explicare conati sunt, quodnam ens rationis, & quomodo sit obiectum Logicæ: vel determinando ens rationis pro modis & instrumentis sciendi: vel pro relationibus inter res cognitas excogitatis: vel dicendo ens rationis dirigere operationes intellectus, & vt directiuum considerari: vel dicendo ens rationis se habere materialiter vel formaliter: & alijs modis.

Hanc autem sententiam absolutè affirmantem, ens rationis logicum, siue secundam intentionem, esse obiectum Logicæ, defendunt Sotus qu. 5. Proem. Gratia Dei q. 2. Prædicab. Iauell. trac. 1. Log. cap. 3. Caiet. cap. de Genere Petr. Niger. q. 12. Clypei Aegid. in præfat. Elech. alijque recentiores Thomistæ, Masius Sanc. Petron. in proem & ibi etiam Paulus Vallius, Item Herueus tract. de

Secund. intention. part. vlt. art. 2. Flandr. 4. Met. q. 5. art. 2. Et sumpta est hæc sententia ex D. Tho. 1. Post. lect. 20. 4. Met. lect. 4. Opusc. 42. cap. 4. & Opusc. 56. ante medium, & alibi. Allegantur etiam Alb. mag. in princip. Log. & 1. Met. tract. 1. circa finem, Auicen. 1. Met. c. 2. Auerr. in Epitome Log. in princip. & 4. Met. com. 2. Durand. in 1. dist. 19. q. 6. num. 11. & alij.

Conclusio negans. Dico 1. Obiectum Logicæ directè & adæquatè non esse ens rationis, siue secundam intentionem. Hæc conclusio est omnium aliorum, qui alijs modis obiectum Logicæ assignare conati sunt. Et 1. manifestum est, Logicam non habere pro obiecto suo adæquatè ens rationis in cõmuni & in tota sua latitudine sumptũ. *Prima cõclusionis probatio.* Nec enim Logica per se cõsiderat omnia entia rõnis. Et cùm ens rõnis diuidatur, in negationem, priuationem, et relationẽ: Logica non per se considerat duo illa prima generaa nec etiam omnes relationes rationis. Igitur obiectum Logicæ non est ens rationis adæquatè sumptum. Et in hoc omnes conuenire videntur. Probatur etiam, Logicæ obiectum esse non debere certum aliquod ens rationis: quia de ente rationis dicitur, non dari verè & propriè scientia, vt in suo tract. de scientia videbimus: sed Logica est verè & propriè scientia, vt supponimus: ergo non habet primariò pro suo obiecto ens rationis.

Secunda probatio. Secundò idem probatur, & in specie excludendo ens rationis quod dicebatur logicum & secunda intentio. Logica non est per se instituta ad considerandam essentiam, inquirendas causas & principia, manifestandas passiones, & species huiusmodi entis rationis: quinimo in omnibus suis libris & tractatibus agit potius de entibus realibus. In libris Perier. Prior. & sequentibus per se agitur de actibus nostri intellectus; de discursu &c. nec per se quærimus entia rationis & secundas intentiones, quæ finguntur seu resultant per ipsos actus. In lib. Prædicamentorum per se considerantur, & certis locis disponuntur naturæ reales entium realium, exclusis entibus rationis. In lib. etiam Prædicab. quamuis tractetur de genere differ. & reliquis, quę videntur entia rationis: tamen tractatur de illis, quatenus important entia realia, videlicet de natura reali generis differentiæ, &c. quę significatur per hæc nomina, vt proprio loco videbimus.

Tertia probatio. Tertiò etiam quando Logica videtur tractare de entibus rationis, reuera non tàm tractat de illis, quàm de veris entibus realibus: & ea quę docet verificantur de entibus realibus, non de entibus rationis. Logica docet, genus prędicari de speciebus, speciem de indiuiduis, genus generalissimum de subalternis: at non valet vtique prędicare dicendo, species est genus, indiuiduum est species, genus subalternum est generalissimum: sed homo est animal, Petrus est homo, animal est substantia. Item Logica docet, prædicatum affirmari de subiecto: at non valet dicere, subiectum est prædicatum: sed benè, Petrus est albus, est homo, &c. Logica docet, in prima figura prædicari maius extremum de medio termino, medium terminum de minori extremo, & in conclusione maius extremum de minori: at vtique dicere nõ valet, medius terminus est maius extremum, minus extremum est medius terminus, ergo minus extremum est maius extremum: sed de ipsis terminis realibus hæc omnia verificantur. Igitur dum Logica loquitur de genere & specie, prædicato & subiecto, medio termino & extremis, & sic de alijs similibus; non intendit tractare de entibus rationis & secundis intentionibus: sed per se de ipsis rebus, & naturis realibus: vtitur autem illis terminis secundæ intentionis, ad denotandas ipsas res: quoniam sub nomine, verbi gratia prędicati, comprehenditur omnis res quę de alia dicitur: & sic in omnibus alijs. Sicut ergo dicebamus, obiectum Logicæ non esse voces, quibus res significantur: ita dicendum est, obiectum Logicæ non esse secundas intentiones, sub quibus res ipsæ nominantur.

Quarta probatio. Quartò omnes fatentur, Logicam per se intendere rectitudinem actuum intellectus: ergo fatendum est, Logicam considerare ipsos actus quatenus dirigibiles. At non põt Logica æquè primò & per se considerare, & actus intellectus, & entia

entia rationis. Nec etiam dici potest considerare actus intellectus reductiuè & in ordine ad entia rationis: sed omnino si considerat entia rationis, dici debet considerare reductiuè & per ordinē ad actus intellectus. Et præsertim hoc manifestum est ex modo loquendi illorum, qui dicũt, Logicam considerare ens rationis, quatenus directiuum actuum intellectus. Ergo non possunt ipsa entia rationis & secundæ intentiones, assignari pro obiecto adæquato, nec principali Logicæ. Imo entia rationis modicam partem habent ad directionem actuum intellectus, vt in suo tractatu de ente rationis ostendemus: & alia plura, & principaliora, ac lōgè vtiliora media sunt, quibus Logica dirigit operationes nostri intellectus: ergo neque sub ista ratione, neque sub alia, ens rationis est proprium obiectum Logicæ.

Quinta Probatio. Quintò ita se habent in Logica, hi termini secundarũ intentionum, genus, species, prædicatum, subiectum, &c. sicut se habent in Grammatica, aduerbium, participium, actiuum, passiuum, &c. Et in Rethorica, tropus, figura, exordiũ, &c. Et in Physica, dexterum, sinistrum, visum, auditum, &c. Vnde sicut vocantur entia rationis logica; ita etiam vocantur entia rationis grammatica, rethorica, physica. Sed certè obiectum in his facultatibus, non assignatur ens rationis grammaticũ, &c. Sed loquutio quæ dirigitur, & obiectum reale quod consideratur. Non ergo obiectum Logicæ debet assignari ens rationis logicum: sed aliud magis aptum, & adæquatum. Et alioqui, si Logica per se instituta esset de ente rationis logico, ita debuissent aliæ scientiæ institui de alijs generibus entis rationis, & quamplurimæ huiusmodi scientiæ multiplicari debebant. Alia plura argumenta possent addi, quæ facilè ex dictis, & ex dicendis, non solùm in hac quæstione, sed in alijs sequentibus tractatibus, manifestè colligi possunt. Et omnino hæc nostra Logica a nobis instituenda non est adequatè aut principaliter, de ente rationis, & secundis intentionibus, sed de alio obiecto multò magis conuenienti & accōmodato.

Indirectè & reductiuè ens rationis Dico 2. Pertinet etiam ad Logicam indirectè & reductiuè agere de entibus rationis & secundis intentionibus. Hanc conclusionem fortasse intendere voluerunt aliqui ex Auctoribus pro affirmatiua sententia allegatis: Et præsertim S. Tho. 1. Post. lect. 20. clarè hoc indicauit. Sic enim ait: *Quia circa omnia quæ sunt, habet negotiari ratio, Logica autem est de operationibus rationis: Logica etiam est de his quæ communia sunt omnibus, idest de intentionibus rationis, quæ ad omnes res se habēt.* Vbi planè docet S. Tho. Logicam agere de intentionibus rationis, per ordinem & reductionem ad operationes rationis, de quibus principaliter agit. *spectat ad Logicam.*

Probatur conclusio ratione: quia entia rationis efficiuntur per actus intellectus, secundæ intentiones consequuntur ad ipsos actus intellectus. Vtitur Logica terminis secundarum intentionum ad denotandas res quas intendit. Hinc etiam iuuant aliquo modo ad directionem nostræ cognitionis: & in vniuersum magnam affinitatem habent entia rationis, & maiorem secundæ intentiones, cum operationibus intellectus, & cum rebus cognitis: conuenienter ergo in Logica considerari debent, indirectè tamen & reductiuè. Vnde hoc modo suam peculiarē tractationem de ente rationis loco commodo instituemus.

Arist. explicatur. Obijciunt 1. Thomistæ. Arist. 4. Met. tex. 5. ait, Dialecticam versari circa omne ens, sicut Metaph. at hoc non potest aliter intelligi, nisi quod Metaphysica tractat de ente reali, Logica de ente rationis.

Resp. Imo Arist. expressè docet, Dialecticam versari circa idem obiectum, & circa idem ens, cum Metaphysica, & differre solùm modo potestatis: quia Philosophia certò demonstrat, Dialectica probabiliter differit. Itaque sumpsit ibi Arist. Dialecticam pro parte topica, quantum ad vsum: quia de omnibus rebus per vsum Dialecticæ probabiliter disputamus.

Quomodo Logica tractet de entibus rationis. Obijciunt 2. Vniuersa penè Logica tractat de entibus rationis: Prædicabilia, genus, species, &c. sunt entia rationis: Prædicamenta, genera generalissima, subalterna, &c. sunt entia rationis: Termini, enunciationes, syllogismi, figuræ, modi, &c. sunt entia rationis: Definitio, diuisio, argumentatio, sunt entia rationis. Ergo

go obiectum adæquatum Logicæ est ens rationis.

Resp. In suis locis agendum esse, quomodo hæc sint entia realia vel rationis. Nunc certum sit, Logicam per se non tractare de ijs prout dicit entia rationis: sed prout dicunt entia realia, naturas reales rerum, actus reales intellectus, conceptus reales mentis: vt supra dictū est. Et vtitur ijs terminis secundarum intentionum, ad significandas veras res. Imo plerumque illi termini sunt potius nomina rerum; quàm entium rationis: enunciatio dicit iudicium intellectus, syllogismus discursum: vt suis locis constabit.

Quomodo de ente rationis detur scientia.

Obijcies 3. Ens rationis est quoddam scibile: ergo de illo debuit dari aliqua scientia: quæ vtique non est nisi Logica, quæ & rationalis scientia appellatur.

Resp. Hoc argumentum probaret, ens rationis in tota latitudine esse obiectum Logicæ. Dicendum ergo, ens rationis non esse obiectum per se scibile, idest per se dignum de quo aliqua peculiaris scientia institui debuerit. Sed per reductionem posse spectare ad alias scientias; & hoc modo spectare ad Logicam, vt dicebamus. Logica autem appellata est scientia rationalis, non ab ente rationis distincto ab ente reali, sed ab actibus rationis quos dirigere curat.

SECTIO QVARTA.
Vtrum Obiectum Logicæ sit modus sciendi, siue instrumenta rectè cognoscendi.

Sententia affirmās.

ALia rursus sententia est, quæ modum sciendi, siue instrumenta rectè cognoscendi, scilicet directiua nostræ cognitionis, & operationum nostri intellectus, assignat pro adæquato & legitimo obiecto. Diuersi tamen Auctores varijs modis intellexerunt hunc modum sciendi, quem obiectum Logicæ designarunt. Aliqui acceperunt strictissimè pro sola demonstratione, quæ est instrumentum productiuum scientiæ propriissimè dictę, prout sumitur ab Aristot. in lib. Post. Ita sentire videntur Ammon. & Simplic. initio Prædic. Alex. & Philop. initio Prior. Et quidam alij veteres Peripatetici: & ex recentioribus sequitur Hurtad. disp. 1. sect. 7. Aliqui assignarunt modum sciendi aliquanto latius pro syllogismo. Ita Scot. q. 3. Prædicab. & plerique Scotistæ. Aliqui adhuc latius pro argumentatione. Ita Albert. tract. 1. Prædicab. cap. 4. Iauell. tract. 1. cap. 3. & quidam alij. Aliqui ex parte latius & ex parte pressius assignarunt modum sciendi complectentem definitionem & demonstrationem, & hoc obiectum Arabes præcipuè assignasse putantur. Alij denique qui latissimè modum sciendi sumpserunt, opinati sunt, modum sciendi complectentem tria instrumenta cognoscendi, siue directiua operationum intellectus, nempè definitionem, diuisionem, & argumentationem, esse adæquatum & totale obiectum Logicæ. Ita Fons. 2. Met cap. 3. q. 1. sect. 5. Conimbr. qu. 2. Proem. Log. Ruuius qu. 6. Mercado qu. 1. Prædicab. Anton. Bernard. Mirand. initio suæ Log. Tataret. in Titulum summul. Petri Hispani art. 3. Scot. 1. Prior q. 2. & alij Referuntur tamen nonnulli qui solùm dixerunt, Logicam tradere vel considerare modum sciendi: non verò loquuti sunt in rigore de obiecto, vt nunc quærimus.

Sententia distinguēs de Logica in se & apud Arist.

Rursus aliqui distinxerunt, de Logica in se prout adæquatè institui potest, & de Logica Arist. quæ nunc extat & quam nos habemus. Atque dixerunt, obiectum Logicæ, prout in se ipsa tradi & institui potest, esse modum sciendi sic amplè sumptum: obiectum autem Logicæ quam ex Arist. habemus, esse solam demonstrationem, aut syllogismum, aut argumentationem: quia supponunt etiam lib. Prædicam. & Perier. fuisse ab Arist. institutos propter demonstrationem, aut syllogismum, aut argumentationem. Et in Prædicam. tractari de terminis simplicibus, quæ est materia remota, in lib. Perier. de enunciationibus, quæ est materia proxima syllogismi. Ita Fons. sect. 4. Conimbr. concl. 3. Tolet. etiam q. 5. concl. 6. Ita etiam rem explicauit Scot. 1. Prior. q. 2. & alij plures ita opinati sunt.

Obiectum adæquatum Logicæ non est certus aliquis

Dico primò Obiectum adæquatum Logicæ non esse modum sciendi pressè sumptum pro aliquo peculiari instrumento rectè cognoscendi. Probatur 1. quia non solùm vnum aliquod, vel certa quædam

modus, seu certum instrumentum sciendi.

dam instrumenta directiua cognitionis: sed omnia adæquatè possunt considerari, & per artem constitui. Omnis etiam nostra cognitio potest dirigi, & instrumentis iuuari: ergo de omnibus debet dari ars & scientia. Sed non sunt distinguendæ plures artes totales, plures Logicæ, sed vna sufficit, si omnia complectatur: ergo obiectum adæquatum Logicæ, non est modus sciendi ita sumptus, vt non instrumenta omnia complectatur. Sic certè non solùm demonstratio, sed omnis syllogismus, & argumentatio; non solùm argumentatio, sed etiam definitio, & diuisio, & si quod aliud extet instrumentum, debet per Logicam considerari & pertractari. Et non solùm ad discurrendum: sed per se etiam ad alios cognitionis actus extendi debebat directio & vsus instrumentorum Logicæ.

Etiam in Logica Arist.

Secundò hoc non solùm verum est de Logica in se: sed etiam de Logica Arist. quæ extat, licèt non omni ex parte completa sit. Arist. per se non solùm agere voluit de demonstratione; sed etiam de syllogismo & argumentatione in communi, & omnibus speciebus eius. Dixit quidem initio Prior. suum intentum esse, agere de demonstratione & scientia demonstratiua: tamen id ad summum dixit de libris Analiticis. At certè in Topic.& Elench. per se agit de alijs speciebus syllogismi:& in lib. resolutorijs, licèt principaliter respexerit ad demonstrationē, tamen in lib. Prior. adæquatè agit de omni syllogismo & argumētatione quātum ad formam. Item non solùm per se agere voluit de Argumentatione. Sed in lib.Perier. per se agit de nomine, & verbo, oratione, & enunciatione. Et non tàm in ordine ad demonstrationem, quàm propter se. Nam initio quidem Prior. Arist. explicat quid sit Terminus, quid & quotuplex sit Propositio, per ordinem ad ipsum syllogismum:& promittit deinceps se tractaturum magis de ipsis propositionibus propter syllogismum: quod & fideliter obseruauit. In lib.ergo Perier. non tàm agit de enunciatione & alijs propter syllogismum, quam propter se. Ideo etiam prius vocauit, Enunciationem, postea Propositionem: quia nomen propositionis præcipuè dicit ordinem ad syllogismum, seu conclusionem; nomen enunciationis est absolutum in se. De prædicamentis demum non egit per se & principaliter propter syllogismum: sed vel propter simplicem apprehensionem quæ est prima operatio intellectus, vt plurimi arbitrantur: vel propter communem directionem totius cognitionis intellectiuę,& omnium actuum eius, vt nos putamus. Quamuis ergo termini simplices & propositiones concurrant etiam ad syllogismum & discursum; tamen non solùm secundùm hunc ordinem; sed etiam absolutè secundùm se, & propter antecedentes operationes intellectus, considerantur in Logica. Sicut in Physica, licèt elementa concurrant ad constituendum mixtum; tamen Physica non agit per se solùm de mixtis, neque corpus mixtum est adæquatum obiectum eius: sed per se etiam agit de elementis: & corpus commune mixtis & elementis est obiectum Physicæ.

Licèt Logica Aristot. non sit omni parte completa.

Verum est, non extare in Logica Aristot. peculiares libros & tractatus de definitione & diuisione, quæ sunt alia duo instrumenta assignari consueta. Et ideo dicimus, Aristot. Logicam quæ extat, non esse omni ex parte completam. Et licèt in 2. lib. Post. Aristot. latè de definitione loquatur, potius loquitur in ordine ad demonstrationem, quàm propter se. Ideo Fonsec. libr. primo Inst. cap. quinto, & alij dicunt, Aristot. solùm de arte syllogistica fuisse sollicitum, quam dicit à se fuisse inuentam: de arte autem definiendi & diuidendi, non multum curasse; quia iam ante, artem definiendi Socrates tradiderat, & diuidendi Plato. Verisimile tamen est, Aristot. etiam de definitione & diuisione scripsisse, vt colligitur ex narratione Laertij. Hinc autem infertur, Logicæ Arist. quæ nunc extat, non posse pro obiecto adæquato assignari modum sciendi communem definitioni, diuisioni, & argumentationi. Probatum est etiam, non solam argumentationem esse obiectum. Aliter ergo assignandum erit obiectum Logicæ, ita apud Aristot. sicut ipsius Logicæ in se: vt nos postea assignabimus.

Nec etiā modus sciēdi amplè sumptus pro omnibus instrumentis, est obiectum.

Dico 2. Nec etiam obiectum adæquatum Logicæ esse modum sciendi amplè sumptum, prout complectitur omnia instrumenta directiua cognitionis. Probatur conclusio 1. Modus sciendi amplè & adæquatè ab aduersarijs sumitur, pro tribus illis instrumentis, Definitione, Diuisione, Argumentatione: sed certè tota Logica non tractat solùm de his tribus instrumentis. Nam in lib. Prædicam. & Perier. non de his agitur: sed per se doctrina horum librorum confert ad directionem nostræ cognitionis, præciso ordine ad illa instrumenta. Et aliqui ex ipsis aduersarijs supponunt, illos libros esse per se institutos ad directionem primæ & secundæ operationis intellectus. Præterea suo loco ostendemus, dum agemus de ipsis instrumentis, non esse tantùm illa tria instrumenta: igitur non est obiectum Logicæ adæquatè modus sciendi illo pacto sumptus. Nec etiam placet modus loquendi, dum dicitur modus sciendi; quia scire propriè & maximè hic in Logica, significat scientiam in rigore dictam, quæ gignitur per demonstrationem. Vnde minus benè extenditur ad omnem cognitionem, vt modus sciendi ita amplè sumatur.

Quia instrumenta ordinātur ad operationes.

Secundò vlterius Instrumēta planè ordinantur ad directionem operationum, quarum sunt instrumenta. Non enim æquè primò se habent: neque operationes ordinantur ad instrumenta: ergo omnino instrumenta ad operationes. Et Logica considerat, non solùm instrumenta, sed etiam ipsas operationes dirigibiles, quibus applicat instrumenta. Debet enim considerare discursum, vt rectè procedat; Iudicium, vt sit verum & conforme rebus; Apprehensionem, vt sit clara & idonea. Debet considerare hos actus, vt rectè eliciantur. Arist. & alij omnes considerant, non solùm demonstrationem, sed ipsam scientiam; & demonstrationem propter scientiam: & eadem ratio est de alijs actibus & instrumentis. Itaque Logica, instrumenta considerat in ordine ad ipsos actus, & propter actus. Verbi gratia, non considerat scientiam propter demonstrationem, sed omnino demonstrationem propter scientiam: & sic de alijs. Sed obiectū adæquatum scientiæ est illud ad quod reducitur, & in ordine ad quod considerantur, omnia quæ in eadem scientia continentur: ipsum verò non ordinatur ad aliud in eadem scientia consideratum. Ergo non modus sciendi, & instrumenta directiua, sed cognitio ipsa, & operationes intellectus, debent in obiectum adæquatum Logicæ assignari.

Et in alijs artibus opera non instrumēta operū sunt obiecta.

Tertiò in alijs scientijs practicis, & artibus, obiecta non sunt instrumenta quibus diriguntur & perficiuntur operationes artium, sed sunt ipsæ operationes. Obiectum artis scribendi, non est calamus, sed scriptio, seu scriptura. Obiectum artis lignariæ, non sunt instrumenta quibus vtitur, sed opera artificiosa quæ conficit. Obiectum Medicinæ, non sunt pharmaca & remedia, sed animal sanabile. Et sic in alijs huiusmodi facultatibus. Et ratio est vniuersalis: quia instrumenta ordinantur & reducuntur ad opera propter quæ assumuntur. Reducuntur autem, non tamquam partes, aut passiones, sed tamquam principia quædam & causæ instrumentales, seu tamquam media ad finem. Similiter ergo obiectum Logicæ non debent assignari instrumenta directiua, sed potius operationes quæ diriguntur.

Instrumēta logica pluribus modis accipiūtur.

Quartò vt hæc res penitus innotescat: instrumenta logica pluribus modis accipi possunt, vt proprio loco tractabimus. Et in aliquo sensu sunt aliquid reuera distinctum ab ipsis actibus intellectus, & ab ipsa Logica, quæ instrumenta tradit, & actus dirigit. In aliquo sensu sunt ipsamet notitia directiua quam habemus de actibus dirigendis, quæ notitia formaliter est ipsa Logica. Sic instrumenta non distinguuntur à Logica: nam & ipsa Logica dicitur modus sciendi, instrumentum scientiarum, vt sæpe dictum est. In aliquo demum sensu instrumenta sunt ipsimet actus intellectus obiectiuè considerati, cum regulis & præceptis suę directionis: quo pacto se habent idæaliter ad singulas operationes in actu vltimo dirigendas. Instrumenta ergo primo modo sumpta, non possunt esse obiectum adæquatum & principale, quia planè reducuntur ad aliud. Secundo modo sumpta, non sunt obiectum Logicæ, sed sunt

ipsa

ipsa Logica. Tertio modo perinde est dicere, instrumenta, atque operationes ipsas esse obiectum. Nam instrumenta sic sumpta, sunt operationes ipsæ idæaliter conceptæ, dum Logica docet qualiter operationes dirigendæ sint, & tradit regulas ac præcepta directionis. Huius enim doctrinæ obiectum planè sunt ipsæ operationes cum suis regulis & præceptis. Præstat tamen dicere, operationes ipsas dirigibiles, siue cognitionem dirigibilem, esse obiectum. Quoniam ipsa doctrina Logicæ hoc modo traditur, quomodo discursus rectè confici debeat, & sic de omnibus alijs actibus. Et hoc modo obiectum omnis scientiæ practicæ assignatur quatenus operabile. Plura dicemus sect. sequenti.

Ad operationes reducütur. Postremo ex his patet, instrumenta sumpta quatenus distincta, licèt non sint directè & principaliter obiectum: tamen maxima ratione ad Logicam pertinere, & considerari debere, per reductionem ad illud quod est directè & adæquatè obiectum.

Quomodo Arist. vocauerit Logicam modum sciendi. Obijci solet primò ad probandum, modum sciendi, siuè instrumenta, esse obiectum. Arist. 2. Met. 15. vocauit Logicam modum sciendi: ergo supponebat modum sciendi esse obiectum Logicæ.

Resp. Negari potest antecedens: quia Arist. non dixit Logicam esse modum sciendi: sed benè potest intelligi, Logicam tradere modum sciendi. Deinde negatur consequentia. Nam inde potius debebat inferri, instrumenta esse ipsam Logicam, non verò esse obiectum Logicæ. Ad mentem ergo Arist. satis est, per Logicam haberi modum sciendi, & instrumenta rectè cognoscendi.

Quomodo eadē ars tractet instrumentum & opus. Obijcitur 2. Obiecta quarundam artium sunt instrumenta quæ ad aliud ordinantur, non autem opera ad quæ instrumenta ordinantur. Obiectum artis ferrariæ est serra, malleus, &c. non autem scamnum, vel statua. Obiectum artis frænifactiuæ est frenum, nō autem equus regendus per frenum. Et sic in alijs. Ergo similiter in Logica obiectum sunt instrumenta, non operationes.

Resp. Arist. 1. Ethic. cap. 1. & 1. Politic. cap. 5. meminit quarundam artium, quas vocat ministras aliarum, quæ scilicet cōficiunt & præbent instrumenta quibus illæ vtantur. Quod est quoddam genus subordinationis & subalternationis. Itaque interdum distinctæ artes sunt, vna quæ conficit instrumentum, alia quæ per tale instrumentum efficit aliud opus intentum. Interdum vna eademquè ars totalis est, quæ conficit sua instrumenta & opera per instrumenta. Quando res primo modo se habet; tunc illa ars quæ conficit instrumentum, habet pro obiecto suo instrumentū, non autem aliud opus. Et ratio est quia talis ars intra se sistit in consideratione & constructione instrumenti, nec transit ad aliud considerandum. Vnde ipsum instrumentum est, ad quod reducuntur omnia quæ in tali arte continentur, & ipsum non reducitur ad aliquid aliud intra eandem artem contētum, & se habet tanquam vltimum opus in tali arte, & ad ipsum deseruiunt alia instrumenta in eadem arte. Hoc modo se habent exempla illa allata. Quando autem eadem ars conficit instrumentum & opus: tunc vtique non habet pro obiecto suo principali aut adæquato, instrumentum: sed opus. Quod sanè est euidēs. Hoc modo se habet Logica. Nam non solùm conficit instrumenta sciendi, quasi vt alteri arti tradat, quæ ijs vtens dirigat operationes intellectus: nec datur alia ars seu Logica, quæ vlterius dirigat operationes. Sed ipsa Logica per sua instrumenta perficit ac dirigit ipsas operationes. Ergo ex hoc ipso argumento probatur, non instrumenta ab operationibus distincta, sed potius operationes, debere per se ac directè in obiectum Logicæ assignari.

SECTIO QVINTA.

Vtrum cognitio intellectiua quatenus dirigibilis, complectens tres operationes nostri intellectus, sit verū obiectum Logicæ.

Sententia assignās aliquam, vel aliquas, vel omnes operationes intellectus. Tandem videntes aliqui, non rectè posse quicquam quod ad operationes intellectus reducatur, adæquatè vel principaliter assignari obiectum: sed in ipsismet operationibus esse directè & adæquatè rationem hanc obiecti constituēdam: adhuc minùs rectè opinati sunt, dicentes, nō omnes tres operationes nostri

stri intellectus; sed vel tantùm discursum esse adæquatum obiectum Logicæ; vel duas scilicet iudicium & discursum, prætermissa apprehensione; vel alias duas scilicet apprehensionem & discursum, prætermisso iudicio: putantes non omnes directè & per se; sed aliquas reductiuè tantùm considerari. Plures sunt qui omnes tres operationes assignant pro obiecto adæquato Logicæ. Et hæc sententia satis frequens est inter recentiores. Ad constituendum verò obiectum formale, idest rationem secundùm quam operationes considerantur in Logica: Aliqui dicunt considerari operationes quatenus directas: Aliqui quatenus dirigendas: Aliqui quatenus dirigibiles.

Cognitio intellectiua cōplectens tres operationes, est verum obiectum Logicæ.

Dico primò. Obiectum proprium & adæquatum Logicæ esse cognitionem intellectiuam, complectentem tres actus & operationes nostri intellectus, Apprehensionem, Iudicium, & Discursum. Hæc conclusio quantum ad rem plures & graues habet Auctores, quibus innititur. D. Thom. in princ. Perier. & Post. illam apertè docuisse videtur, dicens Logicam per se & ex intento suo versari circa cognitionem, circa actus nostri intellectus. Caietanus in Antepræd. in princ. ait, Logicam nihil aliud esse quàm artem actuum rationis directiuam, ordinari ad rationis opus vt proprium finem, eius intentionem primariam esse reddere operationes rationis rectas, & ex tribus operationibus distingui partes Logicæ. Similiter loquutus est Aegid. 1. Post. tex. 27. com. 3. Item Auerr. in princip. Epit. in Logic. ait: hanc artem esse, quæ tradit dispositiones & regulas, quibus dirigitur intellectus ad has duas notitias, hoc est ad formationem & verificationem. Per formationem intelligit simplicem apprehensionem, & per verificationem iudicium & discursum. Idem perspicuè indicarunt alij Arabes. Algazel. in sua Logic. cap. 1. & 2. præmittit, Logicæ intentum esse dirigere actus intellectus, quos ipse vocat Imaginationem & Credulitatem; & explicat esse apprehensionem, & iudicium enunciatiuum, ac discursiuum. Similia habet Alpharab. init. suæ Log. & Auicenna section. 1. & 2. Insuper Albert. tract. 1. Prædicab. cap. 1. & sequentibus. Ocham. in proem suæ Log. Accedunt Suar. disp. 39. Met. & disp. 54. in princip. Et ex parte Tolet. lib. 1. Introduct. cap. 2. & quæst. 5. proemiali, Masius etiam sect. 1. q. 13. proem. conclus. 4. & alij plurimi.

Hoc modo obiecta aliarum artium assignantur.

Ex dictis autem satis probata manet hæc conclusio. Sed præterea confirmatur magis. Primò, ad directionem earum operationum humanarum, in quibus errare possumus, institutæ sunt scientiæ & artes, quibus eæ dirigantur. Harum artium obiecta non possunt melius assignari, quàm ipsæ operationes vel opera artis. Obiectum artis saltandi est saltus: Canendi est cantus: Pingendi pictura: Aedificandi ædificium: Ars militaris est circa actiones bellicas, Aristot. 1. Moral. Eudem. cap. 5. & sic de alijs. Inter omnes verò operationes humanas, excellunt operationes intellectus, & voluntatis, quæ sunt omnium præstantissimæ: & in ijs maximè corrigendi sunt errores, qui contingere possunt: in actibus voluntatis prauitas & malitia: in actibus intellectus falsitas & inrectitudo. Iam verò instituta est peculiaris scientia ad dirigendos actus voluntatis, quæ est scientia moralis. Similiter alia instituta est ad dirigendos actus rationis, operationes intellectus: hæc est scientia rationalis, quæ est Logica.

In quo differat obiectum Logicæ ab obiecto scientiæ moralis.

Differunt tamen scientia moralis & rationalis, in his actibus considerandis & dirigendis: quia scientia moralis non sistit in ipsis actibus voluntatis: sed quoniam actus boni ordinantur ad vltimam hominis felicitatem, hanc felicitatem scientia moralis principaliter considerat. Sic Aristot. in ingressu scientiæ moralis toto ferè 1. Ethicor. agit de humana felicitate, & cap. 13. inquit: *Quoniam felicitas animæ per virtutem perfectam operatio quædam est; de virtute considerandum videtur. hoc enim modo fortasse efficietur, vt melius de felicitate etiam contemplemur.* Hinc ergo obiectum scientiæ moralis potius assignatur ipsa felicitas quatenus humanis actibus assequenda, seu homo quatenus suis actibus beatitudinem assequi potest.

At

At scientia rationalis sistit in ipsis actibus intellectus, vt illos dirigat, ac rectos efficiat: non eos vlterius ordinans ad alium finem intra eandem scientiam considerandum. Non aliud ergo Logicæ obiectum assignandum est, quàm cognitio intellectiua in illos tres actus distribuenda.

Cognitio intellectiua habet omnes cōditiones requisitas obiecti.

Secundò huiusmodi cognitio intellectiua habet in Logica omnes conditiones ad obiectum scientiæ requisitas. Est enim quod per se consideratur & intenditur in Logica, ad quod reducuntur omnia alia quæ considerantur in Logica, & quod non ordinatur ad quicquam vlterius in ipsa Logica considerandum: ergo verè est adæquatum obiectum Logicæ. Item habet partes, principia, & passiones. Nam cognitio in communi diuiditur in tres actus, singuli etiam ex his actibus in alias partes & species diuiduntur; vt suis locis constabit. Similiter dantur principia, ex quibus Logica demonstrat ea quæ conueniunt directioni ipsius cognitionis, & singulorum actuum, & ex quibus ipsi actus accipiunt suam rectitudinem ac directionem. Dantur etiam passiones & attributa, quæ de ijsdem cognitionis actibus, & alijs rebus ad eas pertinentibus, demonstrantur. Et hæc omnia considerantur à Logica in ordine ad directionem & rectitudinem ipsius cognitionis. Ergo hoc modo assignabitur optimè obiectum Logicæ.

Ad hoc obiectum alia omnia in Logica reducũtur.

Tertiò comparando hunc modum assignandi obiectum Logicæ cum alijs omnibus antea examinatis; hic perspicuè apparebit omnium optimus, & omnibus præferendus. Nam ad obiectum hoc modo assignatum, planè reducuntur omnia alia quæ ab alijs assignabantur. Ad cognitionem intellectiuam reducuntur res omnes, tanquam materia circa quam versatur: voces, tanquam signa quibus exprimitur: entia rationis & secundæ intentiones, tanquam effectus qui consequuntur: Instrumenta tanquam media quibus dirigitur: & omnia demum tanquam iuuantia, prout per artem logicam disponuntur, ad efficiendam cognitionem rectam atque perfectam. quod est totum intentum Logicæ.

Per hoc obiectum Logica optimè ordinabitur.

Quartò per assignationem huius obiecti poterit optimo ordine Logica tota disponi: primo loco proponendo ipsum obiectum, ipsam cognitionem: consequenter apponendo alia omnia quæ enumerata sunt, prout ad ipsam cognitionem suo ordine reducuntur. Rursus considerando singulos actus nostræ cognitionis in specie, & quæ ad singulorum directionem pertinent adducendo. Sic nihil eorum quæ ad Logicam pertinent omittetur, nihil extra suum locum & ordinem collocabitur: sed omnia suis quæque locis commodissimè disponentur. Quod etiam ad maiorem facilitatem & claritatem non modicam vtilitate conferet. Vnde si nunc denuo Logica instituenda, suoquè ordine disponenda sit: & alij varijs modis instituant, ordinent, & disponant, iuxta alios modos, quibus Logicæ assignabatur obiectum: nobis magis placet, hoc modo instituere, & ordinare, quem iuxta hanc assignationem obiecti excogitauimus, & optimum iudicamus. Itaque in obiectum huius nostræ Logicæ cognitionem intellectiuam directè & adæquatè nobis placet assumere.

Omnes tres operationes directè pertinent ad obiectum.

Quintò omnes tres illæ operationes intellectus debent per se & directè ad obiectum Logicæ pertinere. Nam licèt prima conferat ad secundam, & vtraque ad tertiam: tamen singulæ per se habent suam rectitudinem, & sunt capaces directionis, habentquè suas regulas, suamquè doctrinam. Non tamen æqualiter, sed vna magis quàm alia capax est & indigens directionis. Hinc fit, vt omnes quidem per se & directè considerandæ sint, vna tamen magis principaliter quàm alia. Vnde inter huiusmodi obiecta partialia, erit aliquod magis principale assignandum; vt infra præstabimus.

Optimè assignatur cognitio adæquatè.

Sextò demum alij Auctores qui quantum ad rem in hoc eodem obiecto conueniunt, solent per modum plurium assignare tres operationes intellectus, tres actus rationis, alioue simili loquēdi modo. Verùm multò melius & commodius iud-

iudicamus, per modum vnius, & sub vno nomine, assignare cognitionem intellectiuam. Pluresquè rationes ad hoc nos inducunt. Tum quia obiectum vnius scientiæ, debet tanquam vnum, & vno genere nominari. Tum etiam nomen cognitionis est magis proprium pro re quam intendimus, quàm commune nomen operationis. Tum præterea intellectus noster habet plures alias operationes præter illas, apprehensionem, iudicium, & discursum; quæ aliæ operationes non indigent directione logica; & non se habent per modum cognitionis, sicut illæ tres. Optimè ergo assignabitur cognitio intellectiua, quæ adæquatè in illos tres actus distribuitur. Tum demum & præcipuè: quia non solùm agere intendimus de singulis illis operationibus solutè & singillatim: sed prius agere cogitamus de ipsa cognitione in communi, & de alijs quæ ad illam pertinent in communi: & hæc maior pars Logicæ erit. Obiectum ergo Logicæ cognitionem intellectiuam simpliciter assignamus.

Dirigibilitas cognitionis est ratio formalis obiecti.

Dico 2. Obiectum formale, seu ratio formalis, secundùm quam Logica considerat nostram cognitionem, commodè assignari potest, dirigibilitas: itaq. obiectum Logicæ, coniungendo partem materialem & formalem, est cognitio intellectiua quatenus dirigibilis. Explicatur & probatur conclusio. Logica non considerat cognitionem quatenus obiectum quoddam speculabile est, vt contempletur naturam & rationem eius: sic enim cognitio consideratur à Philosopho naturali in parte de Anima. Omnino ergo considerat in ordine ad exercitium operandi. Neque verò considerat absolutè vt operabile quid est: non enim tradit regulas simpliciter operandi per intellectum, siue benè, siue malè: quod non esset necessarium, nec vtile. Omnino ergo considerat in ordine ad rectum exercitium operandi siue ad rectitudinem conuenientem ipsi cognitioni. Rursus non considerat cognitionem quatenus directam, idest quatenus habentem iam suam formam & perfectionem rectitudinis: quasi supponês cognitionem esse rectam & perfectam. Nam Logica ipsa debet rectificare cognitionem, & instituta est ad hoc vt faciat cognitionem esse rectam.

Logica nõ cõsiderat cognitionem vt speculabilem.

Nec absolutè vt operabilẽ.

Nec vt directã.

Non ergo supponit cognitionem esse rectam: neque habet considerare cognitionem vt iam rectam. Similiter non considerat cognitionem quatenus dirigendã, idest quatenus futurum est quòd dirigatur. Tum quia vt sic etiam supponeret id esse futurum: at Logica non habet id supponere, sed efficere. Tum quia etiam si nunquam futurum esset, quòd aliquis deinceps exerceret cognitionem rectam: adhuc posset consistere ipsa Logica, in quãtum est de se apta dirigere. Sicut etiã si quis nunquam exercere vellet opera alicuius artis, posset optimè possidere artem.

Nec vt dirigendam.

Logica ergo dici debet considerare cognitionem quatenus dirigibilem, idest quatenus capacem directionis, seu rectitudinis, quatenus benè & rectè effici potest. Supponês ergo Logica, cognitionem esse verè in sua natura dirigibilem, considerat quo pacto dirigi debeat, docet & satagit illam dirigere. Itaque eandem ipsam dirigibilitatẽ non habet considerare speculatiuo modo: sed practico modo, tradendo regulas & præcepta directionis. Quod est considerare obiectum operabile modo operabili seu operatiuo, scilicet per modum artis operatiuæ, siue est considerare opus dirigibile modo dirigibili, seu dicetur melius directiuo, idest per modum artis directiuæ. Hoc eodem loquendi modo solent obiecta aliarum artium explicari: dicuntur enim esse res operabiles quatenus operabiles, consideratę modo operabili seu operatiuo: non verò dicuntur esse res operatæ, aut operandæ. Non opera facta aut facienda: sed opera quæ fieri possunt. Et quidem rectè. Nam facultas practica dicitur quæ est operatiua, seu directiua: illi ergo optimè correspondet obiectum operabile, seu dirigibile.

Sed ut dirigibilẽ.

Aliqui verò vlterius addere voluerũt, cognitionem considerari, non solùm quatenus potest dirigi, quatenus capax est rectitudinis: sed etiam quatenus debet dirigi, quatenus exigit rectitudinem. Et in hoc sensu dicunt, obiectum esse cognitionem dirigendam: non per modum futuri quæ dirigetur: sed per modum debiti, quæ debet dirigi. Sed nihilominus pręstat appellare operationem dirigibilem. Tum quia dicere operationem dirigendam,

Siue vt debet dirigi & exigit rectitudinẽ.

dam, est modus loquendi ambiguus. Tum quia potest commodè in abstracto hæc ratio formalis nominari dirigibilitas. Tum quia dicendo cognitionem dirigibilem, etiam intelligitur quæ debet dirigi, quæ exigit rectitudinem: quoniam hoc debitum & exigentia, non dicit aliud vltra capacitatem, nisi quòd forma sit perfectio rei, & satis clarum est directionem ac rectitudinem esse perfectionem cognitionis. Tum etiam sic in alijs, quæ dicunt eodem modo capacitatem per modum debiti & exigentiæ, similis loquendi modus seruatur. Dicimus verum esse intelligibile, bonum esse amabile, materiam esse susceptiuam formæ, formam esse informatiuam materiæ, & sic in alijs passim. Tum demum in alijs scientijs practicis obiectum sufficienter nominatur operabile, dirigibile.

Comparātur obiecta partialia & partes Logicæ.

Dico tandem tertiò, Inter omnes partes obiecti Logicæ, idest inter omnia obiecta partialia, magis principalem esse secundam operationem quam primam, & tertiā quàm secundam: & obiectum partiale principale esse scientiam. Explicatur & probatur conclusio, quia secunda operatio habet magis determinatam rationem cognitionis, & capax est, & indiget maiori directione, quàm prima: vt ex proprijs tractatibus est manifestum. Illi autem qui volunt, totum tractatum prædicabiliū & prædicamentorū esse peculiariter institutum ad directionem primæ operationis; maiorem sanè industriam & diligentiā attribuunt primæ quàm secundæ. Sed nos totum illum tractatum instituendum putamus adæquatè ad directionem totius cognitionis. Deinde tertia operatio valde magis capax est, & indiget maiori directione, vt satis est manifestum. Vnde aliqui illam solam, vel syllogismum, aut demonstrationem, pro obiecto adæquato assignarunt. Perfectissimus autem discursus est scientia, quæ per demonstrationem habetur, Scientia ergo est absolutè obiectum partiale principale. Dico scientiam, non autem demonstrationem: quoniam per se & principaliter consideratur & intenditur ipsa scientia, & propter scientiam assumitur demonstratio. Et iterum de hoc in proprio tractatu dicemus.

Scientia est obiectū principale.

Quomodo Aristot. in sua Logica egerit de cognitione & singulis operationibus intellectus.

Sed contra principalem resolutionem Obijcies primò. Aristot. in sua Logica nihil minus quàm de nostra cognitione & operationibus nostri intellectus tractare videtur. Alij etiam Doctores de hac re tractare non solent. Ergo non benè obiectum Logicæ assignatur cognitio intellectiua cum tribus operationibus: nisi hæc noua inuentio Logicæ esse dicatur.

Respondetur, Logicam Ar. valdè mancam & diminutam ad nos peruenisse, vt in Præfatione notauimus. Statim incipit ab æquiuocis, non præmissa intentione operis & Auctoris, & alijs præludijs quæ alioqui Aristot. ipse in alijs libris & operibus præmittere solet. Attamen talis qualis est, tota Aristot. Logica, non nisi de nostra cognitione tractat, aut in ordine ad illam: tractat de syllogismo, de enūciatione, de terminis, propter singulas nostras operationes: de prædicamentis propter totam nostram cognitionem. Alij etiam Doctores pleraque de varijs actibus nostræ cognitionis tractant, & multò magis ad ipsam cognitionem, quàm ad aliud quodcunque obiectum, referuntur, quæcunque ad Logicam spectare noscuntur. Benè ergo obiectum Logicæ assignatur. Et hæc non noua inuentio, sed noua ordinatio Logicæ, esse dicetur.

Quomodo Logica in hoc suo obiecto à Philosophia naturali secedat.

Obijcies secundò. Ad Philosophiam naturalem in parte de Anima pertinet, tractare de nostro intellectu, & cognitione, & operationibus intellectiuis: pertinet etiam considerare ipsam dirigibilitatem. Nam hæc est passio ipsius cognitionis: & sine dubio eadem scientia est, quæ considerat rem quoad essentiam & passiones. Igitur nec etiam assignando cognitionem dirigibilem, benè assignatur obiectum proprium Logicæ.

Respondetur. Hoc argumētum probaret, nullam artem aut scientiam practicam esse posse de obiecto aliquo, quod speculatiuo modo ad aliam scientiam contemplatiuam pertinere supponitur. Nam pariter potest argui, quòd animal sanabile, homo beatificabilis, actus morales, voces, & aliæ operationes humanæ, spectent ad eandem Philosophiam naturalem. Dicendum ergo, posse in primis idē obiectum materiale pertinere ad plu-

ad plures scientias, secundùm plures rationes & considerationes. Deinde etiam si Philosophia naturalis considerare dicatur dirigibilitatem cognitionis, & sic etiam operabilitatem alterius obiecti practicabilis: tamen non considerare tanquam rationem formalem, sed potius tanquam passionem, vt in argumento dicitur. Poterit ergo distingui alia scientia, habens pro sua ratione formali & adæquata, eandem operabilitatem & dirigibilitatem. Demum si Philosophia considerat rem operabilem, non considerat in actu exercito vt operabilem, idest non considerat modo operabili & practico, tradendo regulas & præcepta benè operandi. Benè ergo poterit distingui alia scientia, habens pro suo obiecto eandem rem operabilem, quatenus in actu exercito operabilem: idest quæ sit operatiua & directiua talis operis. Hoc ergo modo Logica habet pro obiecto suo proprio, ita vt à naturali Philosophia distinguatur, cognitionem intellectiuam.

QVÆSTIO TERTIA.

De Cognitione intellectiua in communi.

Ordinis ratio. Solent Logici tractatores post præcedentes proœmiales quæstiones, statim Logicam ab vniuersalibus seu prædicabilibus super Isagogen Porphyr. auspicari. Quod quidem ijs qui non aliud sibi munus quàm expositoris & commentatoris assumpserint, ignoscendum fortasse sit: si non alia propria de vero obiecto Logicæ tractatione præmissa, ipsam textus expositionem & prædicabilium enarrationem in primo vestibulo aggrediantur. At nescio quomodo factum sit, vt & alij qui res logicas suis quæstionibus disputare professi, certum sibi obiectum deligendum putarunt, vel operationes intellectus, vel modum instrumentaquè sciendi, vel aliud quidpiam quod sibi magis arriserat: adhuc post determinationem sui obiecti non sine labore quæsitam, illo veluti prætermisso, eundem morem statim de vniuersalibus & prædicabilibus disserendi imitati amplexiquè sint: nè satis quidem edocentes, qualiter id ipsum ad suum obiectum reduci, finemuè pertinere, censerent.

Sed certè, vt vnaquæquè scientia recto ordine disponatur, primum quod in illa proponendum est, esse debet directè obiectum ipsum quod præsignatum antea fuerit. Ad hoc enim maximè dignum est & expedit inuenire, quodnam omnium optimè obiecti scientiæ statuatur, vt de illo per se & in recto tractetur, ac subinde de reliquis quæ ad ipsum reduci & pertinere noscuntur. Nos ergo qui in obiectum nostræ Logicæ Cognitionem intellectiuam duximus præligendam, ipsam in capite aliarum rerum omnium collocamus, & statim considerare incipimus: consequentes alias quæstiones de alijs rebus adiunctis conuenienti ordine adnectemus.

Imo etiam in sententijs aliorum alijs modis obiectum Logicę assignantium, constat cognitionem intellectiuam esse saltem finem, ad cuius directionem tota Logica ordinatur. At finis, vt est primum in intentione, ita vtique debet esse primum in consideratione: vt consequenter apta media assumantur. Sic scientia moralis primo loco de humana felicitate pertractat: Medicina de humani corporis conditione & sanitate: & similiter aliæ similes facultates. Primo ergo loco Logica inspicere debet cognitionem intellectiuam quam dirigere intendit, rectitudinem quam procurat, & rectitudinem quam repellere debet.

Neque hic modus inchoandi Logicam, Maiorum exemplo destitutus est. D. Ioannes Damascenus in sua Logica quam conscripsit, caput primum de Cognitione præmisit. Auicenna, qui in suis operibus non exiguam recti ordinis laudem consequi meruit, suę Logicæ cognitionis dedit exordium, similiter sectionem primam de Cognitione præmittens.

Cognitionis intel- Cæterùm omissis ijs, quæ de huius cognitionis essentia, virtute, productione, aliisque similibus; ad naturalem Philosophiam, & in specie ad partem de Anima, spectant:

lectiuæ nomen exponitur, & existentia supponitur.

spectant: nostri muneris erit, illa tantùm quę ad logicam directionem ipsius cognitionis per se faciunt, breuiter præbibare.

Ante omnia quælibet scientia sui obiecti debet nomen exponere, & proponere illud esse. Ita monuit Arist. 1. Poster. tex. 2. & ibi Interpretes confirmant. Cognitionis ergo nomen satis manifestè denotat repræsentationem obiecti: sequè hoc nomen extendit ad actum sensus & intellectus; nam vterque suum obiectum cognoscere dicitur. Ideò ad designandum quæ cognitio hic accipienda sit, vocamus cognitionem intellectiuam, ad differentiam sensitiuæ. Intellectiua autem dicitur, non sicut anima & potentia, idest potens intelligere, sed tanquam intellectio ipsa per se formaliter attingens obiectum. Rursus tanquam omnino certum notumquè supponimus, reuera esse & dari in nobis huiusmodi intellectiuam cognitionem, quam considerare & dirigere intendimus.

SECTIO PRIMA.

Quid sit Cognitio intellectiua, & quod obiectum habeat.

NOn paucæ nec leues difficultates hac de re extant: sed quia philosophicæ sunt, & ex alia parte hæc res non poterat hic penitus prætermitti: Ea tantùm quæ necessaria videbuntur, breuissimè perstringemus.

Cognitionis essentia breuiter explicatur.

Cognitio intellectiua non potest sic in communi aptius definiri, quàm actus spiritualis quo repræsentatur obiectum. Dicitur actus, ad differentiam potentiæ cognoscitiuæ, & habitus. Dicitur spiritualis, ad differentiã cognitionis sensitiuę quæ materialis & corporea est. Dicitur quo repræsentatur obiectũ ad differentiã actus voluntatis quo appetitur obiectũ. Et hinc ob istam repræsentationis rationem, intellectus cognoscens dicitur exprimere in se ipso imaginem & similitudinem obiecti cogniti. Magis hæc tota cognitionis ratio innotescet, distinguendo & explicando plures & varios eius actus: quod præstabimus Sectione seq.

Potest etiam pressius sumi cognitio pro sola cognitione vera, quæ versatur circa res sicuti sunt. Quo sensu qui falsam existimationem de rebus habet, dicitur ignorare rem sicuti est. Hoc pacto Damascenus cap. 1. suæ Dialecticæ, inquit: *Per cognitionem, veram earum quæ sunt cognitionem intelligo: falsa autem cognitio, vt quæ eius rei quæ non sit cognitio sit, ignoratio potius quàm cognitio censeri debet.* Sed iam communi peritorum vsu cognitio amplè sumitur, pro omni actu repræsentatiuo obiecti; siue sit rei quæ est, siue quæ non est; siue sit cognitio vera, siue falsa. Quem ipsum sensum satis Damasc. expressit: dum falsam cognitionem nominauit.

Cognitio habitualis in aliũ locum differtur.

Præter hanc verò cognitionem actualem de qua loquimur, datur & illa quæ appellatur habitualis, & consistit in habitibus qui in potentia cognoscitiua resident, etiam quando actu non operatur: & præsertim naturali via constat, dari habitus acquisitos, qui ipsis cognitionis actibus in anima acquiruntur. Atque videri potest, de hac etiam habituali cognitione esse in Logica pertractandum, maximè quia ex actibus rectis aut indirectis, tales quoque habitus progignuntur. Vnde & ipsi habitus logicam directionem participare videntur. Et quidem solent aliqui circa libros Posteriores, vbi de scientia agitur, de ipsa quoque scientia habituali disserere. Verùm hac ratione, non de sola scientia, sed de omni cognitione habituali, oporteret agere: & hæc tractatio vel ad hunc locum pertineret simul cum ipsa cognitione actuali in communi; vel ad finem Logicæ post tractationem specialem omnium actuum cognitionis. Sed quia propriè & per se artificiosa directio non nisi actuales operationes attingit, nullæquè distinctæ regulæ tradi possunt de directione habituum; & quia etiam communis tractatio esse debet de omnibus habitibus, qui & alijs potentijs insunt: Ideò hanc totam tractationem in proprium Philosophiæ locum differre præstabit.

Cognitionis obiectum.

Vt autem modò assignemus intellectiuæ cognitionis obiectum; certum exploratumque satis est, quamlibet potentiam cognoscitiuam, atque cognitionem, habere suum obiectum in quod tendit, circa

circa quod exercetur. Idem est autem obiectum potentiæ, eiusquè actuum. Sic visus habet pro obiecto colorem, auditus sonum, voluntas habet pro obiecto bonum. Habet igitur intellectus suum obiectum, quod in omnibus suis actibus cognoscit, intelligit.

Ens omne ens. Atque obiectum adæquatum cognitionis intellectiuæ complecti ur omne ens reale sine exceptione. Nam omne ens reale est intelligibile: ad res tam spirituales, Angelos & Deum ipsum, quàm materiales & corporeas, intellectus noster se potest extendere. Et tàm in vniuersali, quàm in singulari, omnes res potest attingere. Quod totum satis experientia ipsa comprobatur. Et ratione, tum ex parte ipsarum rerum, tum ex parte potentiæ intellectiuæ: quia omni ex parte est aptitudo & proportio ad talem cognitionem, nullumquè impedimentum. Nec quicquã obstat quod Arist. 1. Physic. tex. 49. dixit, rationem seu intellectum esse vniuersalium, sensum esse singularium: & quod alij hinc dixerunt, intellectum non habere conceptum proprium de singularibus corporeis in materia totaliter concretis, reique fieri intelligibiles per abstractionem. Nam Arist. solùm docere voluit, sensum quidem cognoscere tantùm singularia, intellectum cognoscere vniuersalia, non negando simul cognoscere singularia: sed dum vtraque cognoscit, planè differt à sensu. Alij verò potius de modo quo singularia cognoscuntur, quàm de re ipsa dubitasse videntur: quia nullatenus negare potuerunt, ipsa etiam singularia quantumuis corporea ab intellectu cognosci. Et si ab intellectu Angelico, atque Diuino ab omni materia abstractissimo, sine dubio cognoscuntur, facillimè intelligitur, ab humano intellectu, & non tantùm sensu cognosci. Modus autem quo cognoscuntur, & qualiter per abstractionem specierum intentionalium à materia, quia hæc, sicut & actus ipsi nostræ intellectionis, spirituales sunt, in libris de Anima examinandus erit.

Nõ solùm in vniuersali, sed etiam in singulari.

Etiam ens rationis, & negationes. Præterea ad obiectum intellectiuæ cognitionis spectat etiam ens rationis: imò hoc non aliter est, quàm dum ab intellectu cogitatur. Et potest intellectus circa ipsum suas operationes exercere. Demum pertinent negationes quoque entium, atque adeò etiam non ens: ab intellectu cognoscitur. Cognoscimus enim cæcitatem quæ est negatio seu priuatio visus: cognoscimus hominem non esse lapidem: & sicut exterius nominamus, ita & interius apprehendimus, non ens, & nihil. Neque obstat quòd obiectum adæquatũ intellectus solet assignari ens reale. Hoc enim non ideò dicitur, quasi intellectus non possit quicquã apprehendere & concipere, quod ens reale non sit: sed quia non potest intelligere quicquam, quod vel ens reale non sit, vel non dicat saltem aliquo modo ordinem ad ens reale. Et ita ens rationis concipitur ad modum entis realis, & fundatur in ente reali, & consequitur ad ens reale, scilicet ad operationem intellectus per quam effingitur, quæ vtique realis est. Negatio quoque se habet ad ens tanquam negatio eius. propter quod Aristot. dixit vocari etiam ens. 4. Metaphysic. 2. *Nam ipsum non ens, esse non ens dicimus*: eamquè ibi non dedignatur includere inter ea quorum consideratio ad Metaphysicam spectat, cuius tamen obiectum ens reale maximè assignatur.

Intellectus ipse, eiusquè cognitio, est sui ipsius obiectum. Cæterùm speciali animaduersione dignum est, ipsummet intellectum esse sui ipsius obiectum. Potest namquè intellectus, sicut res alias cognoscit, ita & circa seipsum suæ cognitionis actus exercere. Quatenus ergo intellectus est id quod pót cognosci atque cognoscitur, est obiectum sui ipsius quatenus potentis cognoscere, & cognoscentis. Itaque & habet rationem potentiæ cognoscitiuæ, & obiecti cognoscibilis: & quatenus est quid cognoscibile, est obiectum suimet, quatenus potentiæ cognoscitiuæ. Ipse quoque actus intellectiuæ cognitionis est obiectum cognoscibile ab intellectu. Prius enim intellectus cognoscit rem aliquam: deinde cognoscit se cognoscere. In hoc secundo actu obiectum est ille prior actus. Et quia rursus potest intellectus cogitare de hoc secundo actu; hic etiam erit obiectum alterius actus. Et quia semper quilibet actus poterit alio actu cognosci absque vllo certo termino, patet quemlibet intellectus actum sine exceptione esse obiectum ab eodem intellectu cognoscibile.

Cognitio

Cognitio qua cognoscitur alia cognitio dicitur reflexa.

Cognitio autem illa prior de re quapiam cognita, dicitur directa & actus directus; quia nempè intellectus per illam directè tendit in rem repręsentatam. Cognitio verò posterior habens pro suo obiecto priorem, dicitur cognitio reflexa: quia per eam intellectus velut ad intra se tendit, & reflectitur super cognitionem suam priorem. Et quia rursus hãc cognitionem reflexam potest alia vlteriori reflexione cõsiderare: illa erit quidem reflexa respectu prioris actus, sed erit veluti directaq; respectu posterioris cognitionis qua attingitur. Idemquè dicere valebit absque termino, quoadusque tales reflexiones multiplicentur.

Qualiter intellectus simul exerceat munus potentia & obiecti.

Neque obstat, siquis dicat, intellectus cognoscit se ipsum: ergo cognoscit se esse potentiam cognoscitiuam, & se posse cognoscere. Igitur sub eadem ratione formali cognoscit & cognoscitur. Sed nõ videtur fieri posse, vt idem secundùm eandem rationem sit obiectum sui ipsius: ergo difficile adhuc est, quomodo intellectus cognoscat se ipsum: vel malè à nobis dictum est, intellectũ quatenus obiectum cognosci a se ipso quatenus potentia cognoscente. Hoc inquam non obstat: quia quantumuis intellectus cognoscatur sub ea formalitate quatenus potens cognoscere: tamẽ verè tunc duplex munus exercet. alterum obiecti cogniti, alterum potentiæ cognoscentis: & adhuc dicere valebis inquantum cognoscitur, exercet munus obiecti; in quantum cognoscit, exercet munus potentiæ, nec è conuerso dicere valeret, cognoscit quatenus obiectum. Itaque, dum cognoscit se ipsum esse potentiam cognoscentem: hæc ratio potentiæ verè quidem cognoscitur; tamen quatenus vt sic cognoscitur, gerit munus obiecti, sicut omnis aliæ res quæ ab intellectu cognoscitur; & non vt sic formaliter exercet & gerit munus ipsius potentiæ. Sine in tali actu intellectus & elicit actiuè, & terminat obiectiuè ipsum actum: & non formaliter quatenus elicit, terminat; quandoquidem tam sæpè elicit & non terminat, dum alias res cognoscit: neque quatenus terminat, elicit; quandoquidem tot aliæ res terminant, & non eliciunt actum cognitionis.

SECTIO SECVNDA.

Quot & qui sint actu intellectiuæ cognitionis: quàm rectè assignentur, Apprehensio, Iudicium, & Discursus.

Hæc diuisio approbatur & explicatur.

PErvulgata satis & nota est, atque à nobis sæpius iam commemorata, hæc distinctio, & assignatio trium operationum intellectus: desumpta ex Aristot. 1. Priorum cap. 1. sub nominibus Termini, Propositionis, & Syllogismi: atque ab omnibus alijs recepta & approbata. Hæc ergo diuisio optima est, & ad totius Logicæ dispositionem commodissima. Confirmatur & explicatur breuiter. Intellectus in omni sua cognitione, vel simpliciter aliquid concipit & apprehendit, non iudicando, non affirmando aut negando. Vel vlterius iudicat aliquid esse aut non esse, affirmat aut negat. Vel tandem ex vna re iudicata & cognita aliam deducit & infert, ex vno in aliud discurrendo. Qui sunt veluti tres gradus intellectiuæ cognitionis, per quos intellectus paulatim in cognoscendo progreditur & eleuatur: ita vt apprehensio quidem non præsupponat ante se iudicium & discursum: iudicium autem omnino pręsupponat apprehensionem: & discursus iudicium. Ideòquè cum ordine nominantur, prima, secunda, & tertia operatio intellectus.

Quilibet autem ex his tribus actibus rursus diuidi potest: videlicet apprehẽsio in incomplexam & complexam, in cõceptum non vltimatum & vltimatum, in positiuum & negatiuum, cùm scilicet apprehenditur terminus positiuus vel negatiuus: & sic iuxta varias diuisiones terminorum traditas in Institutionibus. Iudicium præcipuè diuiditur in affirmatiuum & negatiuum, siue assensum & dissensum: & affirmatio dicitur compositio, negatio dicitur diuisio. Et hæc diuersitas iudicij tàm obuia est, quando secunda intellectus operatio nominatur, vt hinc appellationem duplici nomine cõplexam sortita sit, atque compositio & diuisio communiter nuncupatur. Discursus demum similibus modis diuidi po-

D teſt,

test, sed præcipuè diuidendus est iuxta varias formas & modos inferendi atque syllogizandi, de quibus satis in Institutionibus dictum est. Quæ verò de his & alijs diuisionibus harum operationum, & varijs modis illas exercendi, supersint; proprijs ac specialibus locis tractanda sunt.

In solo intellectu humano reperitur. Cæterùm hæc trium operationum distinctio, ita propria est intellectui humano, quòd non sit alijs potentijs cognoscitiuis æquè communis. Et sanè intellectui Diuino nullo modo competere potest, qui simplicissimo intuitu, absque vlla compositione vel discursu, euidenter cognoscit, & plenissimè videt omnia, etiam illa ipsa quæ nos componendo & discurrendo assequimur. In intellectu etiam Angelico docet Sanctus Thomas prima par. quæst. 58. artic. 3. & 4. non inueniri discursum, nec compositionem, circa res illi naturaliter notas atque perspicuas; sed omnia simplici intuitu ab Angelico intellectu videri. Sed de hac re in propria materia disputandum erit. In cognitione demum sensitiua non est hæc distinctio horum trium actuum admittenda: quia sensus materiali tantùm modo, & valdè imperfecto, res cognoscit. De qua re latè Gneuara libro primo de Interiori sensu tract. 4. cap. 11. & 12. Itaque hæc distinctio negatur intellectui Angelico & Diuino, ob superiorem eius perfectionem: quia perfectiori modo sine distinctione horum actuum res cognoscit. Sensui autem denegatur ob imperfectionem eius: quia non attingit illam perfectionem cognoscendi, quæ intellectui conuenit. Conceditur ergo intellectui humano qui medio modo se habet, & imperfectionem perfectioni admixtam admittit.

Verùm circa distinctionem & assignationem traditam trium operationum in intellectu humano, ex vna parte videri potest, potius fuisse assignandas duas quàm tres. Nam Aristoteles libro primo Perhier. capite primo, & libro 3. de Anima textu 21. & 22. duas tantùm enumerat, scilicet intellectionem indiuisibilium, & compositionem. Et ratione idem probatur: quia discursus est quoddam iudicium, & in compositione vel diuisione consistit:. ergo duæ sunt tantùm operationes.

Propter hoc concedendum est, posse quidem cognitionem intellectiuam primò in duo membra diuidi, scilicet in apprehensionem & iudicium, siue in notitiam apprehensiuam & iudicatiuam; sumendo latè iudicium: & deinde hoc diuidatur in iudicium simplex & illatiuum. Nam reuera discursus est iudicium illatiuum, quo intellectus ex vi antecedentis assensum præbet consequenti: & ambo hi actus conueniunt in ratione compositionis, & in alijs multis rationibus. Et secundùm hanc communem rationem Aristotel. ibi accepit compositionem, quam tunc vlterius distinguere non curauit, quia id non opus erat ad suum intentum ijs locis. Distinguendo ergo ipsam compositionem atque iudicium communiter sumptum, patet tres effici intellectus operationes. quæ ideò ab initio sic distinctæ sunt sine illa diuisione intermedia: quia distinctę sunt tanquam gradus, per quos intellectus in cognoscendo procedit, quorum vnus post alium consequitur; & quia ita ad directionem logicam commodius visum est. Vel, si Aristoteles accepit compositionem pro sola secunda operatione: non vtique negauit, dari etiam tertiam, de qua tàm latè in quatuor libris resolutorijs pertractauit, & tàm sæpè alijs in locis locutus est: sed de illa non meminit, quia non intendebat tradere diuisionem adæquatam operationũ intellectus: sed loqui volebat de illis duabus operationibus. *Potest cũ Arist. diuidi cognitio in apprehensiuam & indicatiuam: & hæc deinde in simplicem & illatiuam.*

Ex alia parte videri potest, plures esse, & alias superesse operationes intellectus, præter tres assignatas.

Et primò occurrit attentio, quæ videtur esse actus quidam præcedens ad omnes tres operationes assignatas, quo videlicet animus applicat se ipsum ad aliquid cogitandum apprehendendum &c. Quo mentem sistimus & figimus ad aliquod considerandum. Verùm talis attentio non videtur esse actus alius positiuus ipsius intellectus: sed potius esse actus & conatus positiuus voluntatis, applicantis intellectum, retrahendo illum ab alijs rebus considerandis, & determinando ad aliquam certam rem cogitandam. Et consequenter ex parte ipsius *Attentio non est actus positiuus intellectus, distinctus ab assignatis.*

ipsius intellectus dicit carentiam considerationis aliarum rerum, & peculiarem ipsam considerationem talis rei ad quam attendere dicitur. Quæ consideratio consistit in tribus operationibus assignatis. Et vocatur etiam actualis attentio. Ac præsertim vehemens & firma cogitatio rei, absque distractione ad alias res, idest, sine permixtione cogitationis de alijs rebus, vocatur attenta consideratio. Deinde esto attentio esset distinctus actus ipsius intellectus: tamen non haberet aliquam propriam rationem cognitionis; sed solùm esset veluti dispositio præuia ad actualem cognitionem. Tres autem operationes assignatæ sunt, diuidendo adæquatè cognitionem intellectiuam.

Dubitatio est actus positiuus. Secundò occurrit dubitatio, quæ etiam videtur esse actus alius intellectus, quo is veluti medius & suspensus manet inter affirmationem & negationem alicuius propositionis. v. g. cùm intellectus cogitans, num astra sint paria; in neutram partem inclinat, nec assentiens nec dissentiens, nec affirmans nec negans, sed dubitans. Hæc autem dubitatio non est sola apprehensio, sed ad illam sequitur, nec est iudicium, vel discursus. Ad hoc, aliqui significant, dubitationem non esse aliud quàm suspensionem ipsam & negationem assensus pro vtraque parte, supposita apprehensione terminorum, & ita non esse actum positiuum. Verùm concedendum videtur, dubitationem formaliter esse actum quendam positiuum: ita vt sicut quidam actus est, quo intellectus affirmat, & quidam alius quo negat; ita quidam actus veluti medius sit, quo dubitat. Et suadetur: quia fieri potest, vt quis apprehendens terminos, & cogitans de aliqua propositione, pro sua libertate retineat intellectum, nè tunc actu exerceat actum iudicij, assentiendo vel dissentiendo: etiam si habitualiter sciat, propositionem esse veram, aut esse falsam. Sed tantùm nolit tunc exire in actum secundum iudicij: neque propterea dubitare dicetur. Quod præsertim ostenditur: si fideli alicui se offerat cogitatio de aliqua propositione, quam ipse fide tenet, v. g. Deus est trinus, is est vtique liber quoad exercitium, vt tunc eliciat actum fidei, & potest illum non elicere, vt supponimus. & potest hic casus euenire absque vllo hominis peccato, pro eo scilicet tempore quo non tenebatur talem actum exercere. Tunc autem non dicetur talis homo dubitare, quia dubius de fide est infidelis, & amittit fidem, & dubitatio de rebus fidei est quædam infidelitas positiua. Igitur in vniuersum dubitatio non est sola negatio assensus & dissensus, sed est quidam actus positiuus quo intellectus intra se dubitat.

Ad difficultatem ergo dicendum est. Esto dubitatio sit distincta quædam operatio intellectus: tamen non habere propriam rationem cognitionis de qua agimus: quia dubitare non est cognoscere, sed potius se habet sicut ignorare: vnde aliquis interrogatus, num astra sint paria; perinde dicet dubito, atque ignoro. Et præsertim Logica non intendit dirigere dubitationem, sed potius illam remouere, & facere vt intellectus possit de rebus omnibus determinatè iudicare, discernendo verum & falsum. Vnde optimè Sanctus Thomas quarto Physicorum lectione quinta, littera B. *Cognitio* inquit *veritatis est solutio dubitatorum*. Et Aristoteles tertio Metaphysicorum textu 1. idem expressit. *Soluere non est, cùm nodus ignoratur: sed intellectus quatenus dubitat, simile quiddam ligatis patitur.* Deinde potest dubitatio quodammodo ad secundam operationem reuocari: nam succedit post apprehensionem terminorum cum copula: versatur circa coniunctionem ipsam terminorum quoad an est; non quidem determinatè illam affirmando vel negando, sed dubitando: habetquè vnum terminum pro subiecto, alterum pro prædicato, & copulam cum dubitatione. Sicut ergo secunda operatio est, quando post terminos apprehensos, illos vel coniungimus affirmando, vel disiungimus negando: ita secunda operatio est, quando de tali coniunctione dubitamus. Sicut etiam ad secundam operationem pertinet quæcunquè, licet leuis, inclinatio intellectus plus ad vnam partem quàm ad alteram, *Sed nō est actus distinctus cognitionis dirigibilis.*

& formido admixta partis oppositæ. Vnde non fine causa posset quis secundam operationem diuidere in tres partes, compositionem, diuisionem, & dubitationem. Sed tamen secundùm rationem cognitionis quæ a Logica dirigenda sit, sufficit secundam operationem accipere pro compositione & diuisione.

Nisi sumatur pro iudicio quodam dubitatiuo obiectiuè.

Demum alio modo poterit contingere dubitatio, per actum veluti reflexum, & propositionem modalem: ita vt formaliter sit quędam affirmatio intellectus, obiectiuè tamen sit dubitatio. Si videlicet dicamus, dubium & incertum est, an astra sint paria, hoc modo habet intellectus iudicium positiuum, quo affirmat talem rem esse dubiam & incertam: & hic actus in toto rigore est iudicium affirmatiuum secundæ operationis. Sicut è contra, si dicatur, hæc res non est dubia: hoc est iudicium negatiuum, remouens dubitationem. Neque mirum est, dari posse tali modo iudicium dubitatiuum in intellectu. Nam hac ratione circa propositionem probabilem, præter assensum intellectus formaliter in se probabilem, dari potest pari modo aliud iudicium quo intellectus affirmet, hęc propositio est probabilis. Quod iudicium dicat quidem probabilitatem ex parte obiecti: sed in se formaliter sit certum & euidens.

Imperiū est actus intellectus.

Tertiò occurrit imperium. quod intellectui tribuit S. Thom. 1. 2. quæst. 17. artic. 1. & sine dubio est actus positiuus, nec est apprehensio, iudicium, vel discursus: sed est actus quo ratio præcipit & imperat, vt aliquid fiat, & sic explicatur, fac hoc. Sed de hoc imperio, multi negant esse actum intellectus: & dicunt esse actum potius voluntatis. Imò Almai. tract. 3. Moral. cap. 2. ex numero præstituto trium operationum, arguit ad probandum imperium non esse actum intellectus. De quo alibi disputandum est. Inter illos ergo qui defendunt imperiū esse actum intellectus, Vasq 1. 2. disp. 49. nu. 14. ait, imperium esse per se & directè secundam operationem, quia est iudicium compositiuis, quo intellectus exprimit in se ipso affectum suæ voluntatis, ac si exterius diceret, habeo voluntatem faciendi hoc. Verùm, si imperiū non aliud esse dicatur quàm tale iudicium: hoc in re est negare illud imperium, quod ab alijs præter omne tale iudicium cognoscitiuum habens pro obiecto ipsum actum voluntatis, intellectui tribuitur.

Sed non est actus cognitionis per Logicam dirigibilis.

Aliter ergo Cordub. lib. 2. suar. quæstionū q. 10. ad argumentum Alm. ait, tres operationes assignatas esse intellectui, prout in se est, non verò prout practicè ad appetitum refertur: sed secundùm hunc respectum, notitiam iudicatiuam esse duplicem, scilicet ostensiuam, & præceptiuam. Similiter Medina 1. 2. quæst. 17. art. 1. ad 1. & 2. ait, vel non esse inconueniens dicere tres illas operationes speculatiuo intellectui assignari, & in intellectu practico aliquem alium actum reperiri; vel imperium reduci ad discursum aut iudicium.

Sed clarius & melius dicendum est, illas tres operationes adequatè diuidere cognitionem intellectus: atque adeò assignari intellectui prout cognoscenti & intelligenti. At præter cognitionem, aliquem alium actum intellectui conuenire per ordinem ad operandum, & huiusmodi esse actum imperij. Imperium enim non est quædam alia notitia intellectus, quinimò totam notitiam præsupponit, etiam iudicium ipsum de re facienda: nec imperat intellectus, nisi vt fiat id quod nouit & iudicauit esse faciēdum: & tantùm est tanquam impulsus quidam ad operandum. Deinde potest imperium ad secundam & tertiam operationem reduci, si hæ magis amplè, & non pro sola cognitione sumantur. Considerari enim potest in imperio quædam compositio ex subiecto & prędicato cum copula, videlicet tu fac hoc: & potest exerceri tùm per modum affirmationis, fac hoc: tùm per modum negationis, nè facias hoc. Et quia potest inferri ex aliquo præuio discursu, seque habere veluti conclusio, v. g. dicendo bonum est hoc facere: ergo fac hoc. Sic potest reduci ad tertiam operationem.

Similiter oratio & alijsimiles actus.

Quartò demum occurrunt alij præterea actus, qui similiter intellectui solent attribui, oratio seu petitio, quam esse actum rationis docet Sanctus Thomas secunda secundæ quæst. 83. artic. primo. Suasio etiam quæ pariter se habet: & sua-

& suasioni externæ quæ verbis efficitur, correspondet interior operatio intellectus, quæ tali loquutione exprimitur. Et differt ab oratione & imperio, quia imperium dicit respectum superioris ad inferiorem, oratio inferioris ad superiorem, suasio respicit æquales siue amicos. Item promissio, quam esse actum intellectus docet S. Thom. 2. 2. quæst. 88. art. 1. Reuerentia insuper, adoratio, laus, & si qui sunt alij similes actus, solent attribui intellectui. De his ergo omnibus idem dicendum est, quod de actu imperij dictum est: nempè in rigore non comprehendi sub cognitione intellectiua, quam in tres illos actus diuisimus: atque adeò concedendo; præter illos, plures alios esse actus, qui realiter exercentur à potentia intellectiua, non tamen formaliter quatenus intellectiua seu cognoscitiua est. Posse tamen tres operationes intellectus tam amplè explicari, vt hos etiam alios actus comprehendant, quatenus in ijs aliqua ratio compositionis, aut etiam illationis, inueniatur.

Omnis ergo cognitio & operatio intellectiua, quam Logica dirigit, est apprehensio, iudicium, vel discursus.

Perspicuum autem est, huiusmodi alios actus non ad Logicam pertinere, nec indigere directione logica: sed potius esse dirigibiles directione morali quoad probitatem morum; & ita ad moralem scientiam pertinere, vt reuera in illa considerantur. Quidam etiam ex dictis actibus, quatenus exterius exercendi, sunt dirigibiles per artem dicendi, vt videlicet persuadeamus quod cupimus, obtineamus quod petimus; & talis eorum directio ad Rethoricam pertinet. Ita clarè Arist. 1. Perier. cap. 4. distinguens orationem enunciatiuam & deprecatiuam, ait: *Cæteræ igitur relinquantur. Rethorica enim vel Poetica conuenientior est consideratio: enunciatiua verò præsentis est speculationis*. Ideò demum nos obiectum Logicæ assignauimus cognitionem intellectiuam: quia nec negare voluimus, intellectum præter cognitionem habere etiam alias operationes; nec omnes intellectus operationes sub directione logica concludere debuimus. Cognitio ergo intellectiua, quam in Logica dirigendam assumpsimus, adæquatè illis tribus actibus, apprehensione, iudicio, & discursu comprehenditur.

SECTIO TERTIA.

An & quomodo cognitioni intellectiuæ rectitudo & veritas insit.

VNiuersa cognitionis nostræ directio ad hoc planè tendit, vt illam ad debitam rectitudinem perducamus. Vnde meritò statim in principio hanc nobis rectitudinem proponere debemus. Hæc autem rectitudo cognitionis maximè est veritas in communi loquendo, de qua veritate nunc quærimus.

Cognitioni cõuenit veritas transcendentalis in essendo.

Sed notandum est ex Metaphys. dari veritatem quandam communem omnibus entibus, quæ assignatur vna ex passionibus entis, qua dicimus, homo est verus homo, aurum est verum aurum. Et quia omnibus rebus conuenit, appellatur veritas transcendentalis. Appellatur etiam veritas in essendo, quia quodlibet quod est, secundùm quod habet esse, habet hãc veritatem. Et præcipuè explicatur consistere, ex D. Thom. 1. par. quæst. 16. ar. 1. in conformitate rerum ad intellectum Diuinum, in eo scilicet quòd vnaquæque res talis est, qualis esse debere à Diuino intellectu cognoscitur. Hæc ergo veritas conuenit sine dubio nostræ cognitioni, quæ vtique est quoddam ens: quælibet enim nostra cognitio, veram habet cognitionis essentiam, & talis est, qualem Deus videt cognitionem esse debere. Imo etiã cognitio falsa habet hanc veritatem transcendentalem, quia habet adhuc suam essentiam, in qua conformatur conceptui Diuino, quê Deus de ipsa habet. Atque adeò in ea ipsa sua falsitate est hoc modo vera: nã Deus optimè nouit, quale nam sit iudicium falsum: & omne nostrum iudicium falsum in ipsa sua falsitate tale est, quale Deus nouit, & conformatur conceptui quem Deus habet de iudicio falso: igitur in ipsamet falsitate verum est, loquendo de hac veritate in essendo. Cæterùm hæc veritas non est præsentis nostri instituti, sed ad Metaph. spectat.

Alia veritas est repræsentatiua in cognoscẽdo.

Alia veritas est cognitionis propria, in qua consistit perfectio & rectitudo cognitionis. De hac veritate dixit Ar. 6. Met. 8. verum & falsum non est in rebus, sed

in mente. Hæc veritas appellatur veritas repræsentatiua, veritas in cognoscendo. Et sicut prior veritas consistebat in conformitate rerum ad cognitionem; ita hæc consistit in conformitate cognitionis ad ipsas res, vt nimirum cognitio repræsentet intellectui res sicuti sunt in se ipsis: & quando repræsentat res aliter ac sunt, tunc dicitur cognitio falsa. Exempli gratia, quando iudicamus ignem esse calidum, aquam ex natura sua esse frigidam, cognitio nostra vera est: si autem oppositum iudicemus, talis cognitio falsa est. De hac veritate agere, propriè pertinet ad Logicam: vt notauit S.Tho.4.Met.lect.17. circa initium. Et sumitur ex Ar. loco modò cit. vbi ait non ad Metaphys. pertinere. & ibi Interpretes notare solent, pertinere ad Logicam.

Primò ergo non defuerunt inter veteres Philosophos, qui putauerint veritatem esse impossibilem nostræ cognitioni, idest non posse nos veram rerum notitiã determinatè assequi. Ita refert Ar.4. Met. cap.5. & in specie tex. 22. refert, Democritum dixisse, aut nihil verum esse, aut nobis manifestum non esse. Fundamentum illorũ erat; quia dicebant in rebus nihil esse ratum ac firmum, sed omnia continua mutatione agitari.

Vera verũ cognitio nostro intellectui possibilis est.

Ipse Arist. docet optimè, possibilem quidem nobis esse veram rerũ notitiam. Hoc notissimum est ex cõmunissimo omnium hominum sensu: omnes enim passim sperant atq. conãtur assequi veritatẽ. Ex omnium philosophantium studio: ad nihil enim aliud scientijs vacant, nisi vt veram rerum notitiam assequantur. Vnde meritò Ar. hoc titulo oppositam sententiam reprehendit, quia euertit philosophandi studium, dum desperationem veritatis assequendæ humano ingenio inijcit: & nihil aliud erit veritatem quærere, quàm volatilia insequi. Patet item clarissimè experientia. Tam sæpè enim comperimus, nostram notitiam esse rebus ipsis conformem: sicut & aliquando inuenitur opinio rebus dissona, quam tunc falsam asserimus. Patet certissimè ex nostra Fide, quæ tota verissima est. Patet denique ratione: quia ex parte ipsius cognitionis non est vtique impossibile, vt rebus conformetur, & repręsentet aliquam rem sicut est. Ex parte etiam nostra, possunt & solent idonea media inueniri, ad veritatem nostræ menti ingerendam. Fundamentum verò antiquorum vanissimum erat: tum quia omnia illa quæ ad rerum essentias pertinent, immobilia prorsus sunt; vnde à nobis propositiones essentiales meritò dicuntur æternæ veritatis, videlicet homo est animal rationale, qualitas est accidens, & similes: tum quia res ipsæ quæ mutantur, saltem quando sunt, veræ sunt, & vt tales cognosci possunt, & ipsa earum mutatio potest verè cognosci.

Est tamen sæpè difficilis.

[S]ecundò rectè docet idem Aristot. 2. Metaph. in principio, difficilem sæpè nobis esse in rebus plurimis veritatem. Et idipsum satis patet ex communi hominũ sensu, ex philosophantium labore in veritate inuestiganda, ex ipsa experientia & vsu quotidiano. Patet etiam ex sacris litteris, ex quibus constat, homines in plurimos errores incidisse: nobis autem multa manifestata esse, quę nostris viribus non poteramus assequi. Patet denique ratione, quia sæpè non occurrunt nobis media idonea ad inueniendam veritatem.

Vnde hæc difficultas oriatur.

Hinc dubium oritur, vnde nam propriè oriatur ista difficultas. Aristotel: ibi dixit: *Cùm verò difficultas duobus sit modis, fortasse causa eius non in rebus, sed in nobis ipsis inest. Quemadmodum enim vespertilionum oculi ad lumen diei se habent, ita & intellectus noster ad ea quæ manifestissima omnium sunt.* Sed propter diuersitatem rerum intelligibilium, Auerr. Alex. Albert. D. Thom. Aegid. Iandun. Aquar. & alij ibi, & Masius 1.Phys.cap.1.quæst. 9. distinguunt duo rerum genera; vnum earum rerum quæ perfectione superant & excedunt humanũ intellectum ipsumquè hominem, alterum rerum imperfectiorum & inferiorum. In primo genere collocãt substantias separatas & res omnes à materia abstractas: in secundo res materiales atque corporeas. Cum hac distinctione docent, difficultatem in cognoscendis rebus primi generis, oriri ex imperfectione nostri intellectus, & Aristot. hoc voluisse. ideòq. vsum illo exemplo: in cognoscendis verò rebus secundi generis oriri potius ex imperfectione ipsarum rerum. Scotus tamen, & alij cum ipso, totam rationem difficultatis absolutè in

tè in imperfectionem nostri intellectus reducunt. Suar. disput. 9. Metaphysic. sect. 3. addit, circa omnes quidem res oriri difficultatem ex imperfectione nostri intellectus, sed præterea circa res secundi generis oriri etiam ex imperfectione ipsarum: & ita vtranque sententiam conciliare conatur. Fons. 2. Metaph. cap. 1. quæst. 1. tertium genus rerum adiunxit, medium inter duo priora. In primo collocans res supremas; in secundo res infimas, vt relationes, materiam primam; in tertio res medias, scilicet substantias sensibiles & earum accidentia absoluta. Circa genus medium ait non reperiri difficultatem: circa primum genus oriri tantùm ex imperfectione nostri intellectus: circa secundum tùm ex imperfectione ipsarum rerum, tum etiam nostri intellectus.

Oritur cõparatiuè ex parte rerum & nostri intellectus. Clarius & facilius sine his distinctionibus dicendum est, difficultatem in vera rerum notitia assequenda, oriri ex comparatione & habitudine ipsarum rerum cum nostro intellectu; & sic non absolutè ex alterutra parte, sed comparatiuè ex vtraque. Probatur: quia eædem res quæ difficillimè ab humano intellectu attinguntur, scilicet substantiæ separatæ; facillimè ab intellectu Diuino & Angelico cognoscuntur: ergo non oritur difficultas absolutè ex parte ipsarum rerum, quia sic respectu omnis intellectus inueniretur. E contra quædam res sunt, quæ facilè à nostro intellectu percipiuntur, videlicet illæ quæ sunt obuiæ sensibus: ergo nec absolutè oritur difficultas ex parte nostri intellectus, quia sic respectu omnium rerum inueniretur. Oritur ergo ex comparatione & habitudine vtriusque partis, siue ex vtraque parte comparatiuè.

Res quæ magis distãt à sensu, difficilius cognoscuntur. Ad explicandum verò ex quanam cõparatione propriè oriatur, & quænam res faciliùs, quæuè difficiliùs cognoscantur, hæc regula obseruanda est. Maiorem difficultatem inueniri in cognoscendis ijs rebus quæ à sensibus magis distant, minorem verò in ijs quæ sensibus propinquiores sunt. Hæc regula planè est experientia ipsa omnibus nota atque perspicua. Et ratio eius a priori est, quia omnis nostra cognitio a sensibus ortum habet, & intellectus ipse acquirit species cognoscitiuas rerum mediante ministerio sensuum; ac propterea earum rerum quæ sub sensum cadunt, habet proprias species, alias verò res intelligit per species alienas. Hinc ergo fit, vt veritates de rebus sensibilibus faciliùs, alias difficiliùs assequatur.

Vnde vlterius ratio difficultatis, quatenus se tenet ex parte rerũ, non tàm dici debet perfectio aut imperfectio earum, quam potius distantia earũ à sensu. Ideoq. siue perfectiores, siue imperfectiores sint, quæ magis distãt à sẽsu difficilius cognoscuntur. Nisi fortè mediatè dicamus, ratio quare quædã res magis distant à sensu, est earũ perfectio, & tales sunt substantiæ separatæ: in quibusdã verò rebus est earum imperfectio. Vnde dici debebit, ex parte ipsarum quidem rerum modo dicto oriri difficultatẽ: in rebus tamẽ perfectioribus oriri ex ipsa rerũ perfectione, habito respectu ad nostrũ modũ intelligendi. Quatenus autẽ ratio difficultatis se tenet ex parte intellectus, benè dici potest, esse imperfectio ipsius intellectus, qui in cognoscendo dependet à sensu, & intelligit per species emendicatas à sensu. Quare intellectus Angelicus qui perfectior est, non patitur hanc difficultatem.

Hæc demũ resolutio est de mente Ar. *Ar. explicatur.* qui præcipuè docere voluit contra quosdam antiquos, difficultatem veritatis assequendæ, non oriri absolutè & per se ex ipsis rebus, sicut illi volebant oriri ex mutabilitate & instabilitate rerum: Ita vt respectu omnis intellectus, etiam Angelici & Diuini, talis difficultas inueniretur. Et in contrarium docuit, causam difficultatis nobis ipsis inesse. Docuit autẽ hoc, loquendo comparatiuè cum ipsis rebus. Sic enim exẽplum illud & comparationẽ apposuit: quamuis diuersa sit ratio, quare debiles oculi lumẽ clarum intueri non possint, & quare intellectus cum difficultate assequatur veritates rerum, quæ a sensibus distant. Nec enim oportet exẽpla in omnibus conuenire. Sed præclarè ipse Arist. rem totam expressit primo de Partibus animalium cap. 5. docens: propterea nos minus posse scire de rebus æternis & Diuinis *Quòd admodum pauca illarum sensibus patent, quorum beneficio facultas nobis cogitandi & indagandi suppeditetur.*

Veritas cognitionis sumitur ex re cognita.

Tertiò deinde ad explicandum, vnde dicatur veritas in cognitione, facit illud quod docet Aristotel in Prædicamento substantiæ, ex eo quòd res est, aut non est; oratio, & sic etiam opinio, seu mentalis cognitio, vera aut falsa dicitur. Et 9. Metaphys. tex 21. ait Aristot. *Non propterea quòd nos te verè putamus album esse, tu albus es: sed propterea quòd tu albus es, nos qui dicimus, verum dicimus.* Itaque ex hac regula Aristotel. semper dicere valebit, ideò cognitio vera est, quia res ipsa est sicut cognoscitur: sicut è contra falsa erit, quando res non est sicut putatur. Nec è conuerso dicere valeret, ideò res talis est, quia eius cognitio vera est.

Aliqui tamen supponentes distinctionem cognitionis speculatiuæ & practicę, asserere voluerunt, hanc regulam locum habere solùm in cognitione speculatiua, quia hæc non est causa rerum. Verum præter quàm quòd Arist vniuersaliter loquitur de omni oratione, & opinione, vt legenti patebit, quia id pertinebat ad eius intentum, dum docere volebat, orationem & opinionem non esse per se susceptiuam contrariorum. Ratione vniuersali probatur, quæ de omni cognitione procedit. Veritas cognitionis est conformitas ad rem. Licèt enim dici soleat de veritate practica, esse conformitatem ad appetitum rectum: tamen id specialiter dicitur in materia morali, præter quā datur cognitio practica in materia artificiali. Atque in materia ipsa morali non excludit conformitatem ad rem: imò eādem ipsam inuoluit; nam & appetitus ipse ideò rectus est, quia versatur circa tale obiectum scilicet honestum; sicut è contra prauus est, quando versatur circa inhonestum. Omnis ergo cognitio vera est per conformitatem ad rem. Sed certè ideò cognitio, siue speculatiua, siue practica, est conformis rei, quia res talis est sicut cognoscitur: & non è contra, ideò res talis est, quia cognitio est illi conformis. Ergo in vniuersum veritas cognitionis sumitur ex eo quòd res est, & non è conuerso.

Cōfirmatur. Conformitas cognitionis ad rem, vel est relatio, vel denominatio ab ipsa re; vt postea dicemus: sed vtrouè modo explicetur, omninò sumitur ab ipsa re; quia & relatio consequitur suum terminum, & denominatio rem à qua sumitur. Ergo omnino verum est, veritatem sumi ex eo quòd res est.

Etiam in cognitione practica.

Deinde specialiter de cognitione practica ostenditur. Cognitio practica est qua intellectus iudicat, hoc est ita faciendum, illud est fugiendum. Sed hoc iudicium tantum est verum est, inquantū reuera hoc sit faciendū aliud fugiendum, & alioqui iudicium est falsum. v.g. Hoc est iudicium practicum verum, est temperatè viuendum, vtique quia ita cognoscitur sicut est. Hoc autem est iudicium falsum, est voluptuosè viuendum, quia reuera nō ita est. Ergo etiam veritas cognitionis practicæ sumitur ex ipsis rebus, ex eo quòd res sint sicut cognoscuntur: & non ideò res sunt tales, quia cognitio qua iudicantur tales, vera est. Non ideò est temperatè viuendum, quia ego sic iudico; sed ideò ego debeo sic iudicare, quia in re ita esse supponitur.

Confirmatur. Illi antiqui contra quos disputat Aristoteles quarto Metaphysicorum, capite quinto, dicebant, non aliud esse verum nisi quod videbatur seu putabatur verum. Quod vtique absurdissimum esset dicere de rebus practicis. Nè autem id sequatur, oportet dicere, veritatem cognitionis practicæ sumi ex ipsis rebus: quibus si conformis sit, vera est; si difformis, falsa.

Ad motiuum sententiæ oppositæ dicendum est, in cognitione practica debere considerari, & obiectum abstrahens ab actuali exercitio, & postea actuale exercitium operis cogniti. v.g. prius homo iudicat, est temperatè viuendum, postea ex consensu voluntatis temperatè viuit. Cognitio ergo practica non est causa sui obiecti primo modo considerati, sed potius illud præsupponit, & ab illo accipit veritatem. Est autem causa operationis consequentis, quatenus actualiter exercetur. Et respectu huius dabitur alia cognitio intuitiua qua videtur qui temperatè viuit, & hæc cognitio sumet veritatem ab ipso actuali exercitio quod habet pro obiecto, nec tamen ipsa est causa eius: nec est practica respectu ipsius, sed potius est speculatiua.

Quartò

Veritas an conueniat omni operationi intellectus.

Quartò post hæc videndum esset, num veritas omni actui cognitionis intellectiuę, idest omnibus tribus operationibus, conueniat. Et quidem satis certum est, conuenire notitię iudicatiuę, tum secundę, tum tertię operationis. Difficultas autem est de prima operatione, quę est simplex apprehensio rerum. Sed cùm res iam sit specialis de ipsa apprehensione, de hoc in proprio suo loco tractabimus.

Quintò cùm preter actus cognitionis, dentur in intellectu etiam species intelligibiles, & habitus tijs quoque solet suo modo tribui veritas, quia habent etiam suam conformitatem cum rebus. Hoc autem intelligendum est per ordinem ad ipsam cognitionem actualem, quatenus referuntur ad actum cognitionis verę. Et iuxta hoc intelligitur quod docuit S. Tho. q. 1. de Verit. art. 1. cognitionem consequi ad conformitatem & veritatem, esseque effectum eius. hoc enim dixit de conformitate & veritate inter rem & speciem intelligibilem.

Non conuenit solùm intellectui, sed etiam sensui.

Sextò demum quęrendum restat, num hęc veritas repræsentatiua & in cognoscendo, soli intellectiuę cognitioni, vel etiam sensitiuę, conueniat. Et asserendum est, conuenire etiam suo modo cognitioni sensitiuę: sed longè diuersam atque perfectiorem esse veritatem cognitionis intellectiuæ. Et quidem sensui inesse veritatem, atque etiam falsitatem, docuit apertè Arist. 2. de Anima tex. 161. & alibi sępè, loquens tàm de sensibus externis, quàm internis, pręcipuè de imaginatione. Idem asserit S. Tho. 1. p. q. 17. ar. 2. & q. 1. de Verit. art. 9. & 11. dicens, sicut veritas consequitur operationem intellectus, secundùm quòd intellectus iudicat de re secundùm quòd est, ita veritas est in sensu. Idem alij communiter approbant. Et ratione patet, quia sensu percipimus res sicuti sunt: & tunc cognitio sensitiua conformatur rebus in repręsentando & cognoscendo: ergo habet hanc veritatem.

Diuersa est & longè perfectior veritas intellectus.

Diuersitatem autem veritatis intellectiuę à sensitiua explicat S. Tho. quia intellectus potest per reflexionem cognoscere veritatem in actu suo: non ita sensus, de quo ait: *Si enim sensus verè iudicat de rebus, non tamen cognoscit veritatem qua verè iudicat.* Alia etiã diuersitas est, quòd veritas intellectiua omnes res cognoscibiles complectitur, veritas autem sensitiua solas sensibiles. Sed potissima differentia est, quia sicut cognitio & repręsentatio sensitiua est materialis, & imperfecta; ita & eius veritas: veritas autem, sicut & cognitio intellectiua, longè sublimior ac perfectior est.

SECTIO QVARTA.

Vtrum veritas cognitionis sit cõformitas conceptus formalis vel obiectiui ad rem cognitam.

CVm veritas, ex ipsa nominis explicatione tradita, sit conformitas & adęquatio intellectus cognoscentis cum re cognita: & in intellectu cognoscente detur subiectiuè quidem conceptus formalis, qui est ipse actus cognitionis: & obiectiuè detur conceptus qui dicitur obiectiuus, & est res ipsa cognita quatenus cognita: atque preterea detur res ipsa in se. Ideo tripliciter potest attendi ista conformitas. Primò inter conceptum formalem & obiectiuum, videlicet inter cognitionem lapidis, & lapidem quatenus cognitum: quatenus nempè ita conceptus formalis repręsentat rem, sicut res ipsa repræsentatur. Secundò inter conceptum formalem & rem in se: quatenus ita cognitio repręsentat rẽ, sicut res ipsa est in se. Tertiò inter conceptum obiectiuum & eandem rem, idest inter rem ipsam vt cognitam, & vt est in se: quatenus nempè ita res repręsentatur in conceptu obiectiuo sicut est in se. Hinc examinare oportet, in qua nam propriè conformitate veritas consistat.

Triplex conformitas distinguitur.

Triplex sententia refertur.

Prima sententia esse potest, consistere in conformitate inter conceptum formalem & obiectiuum. Secunda sententia est, quę asserit, consistere in conformitate inter conceptum obiectiuum & rem. Ita Durand. in 1. dist. 19. qu. 5. Herueus quodl. 3. q. 1. ar. 2. & 3. & Vasquez 1. parte disp. 76. Tertia sententia asserit, consistere in conformitate cõceptus formalis, idest ipsius cognitionis ad rem in se. Ita Caiet. 1. parte quęst. 16. ar. 2. Ferr. 1. contra Gẽtes cap. 59. & 60. Aegid. quodl. 4. q. 7. Soncin.

Soncin.6.Met.q.17.Molina 1.p.q.16. d.1. Fonf.4.Met.cap.2. q.6.sect. 7. & 8. Suar. disp.8.Met.sect.1.& multum fauet S.Tho. 1.par.q.16. ar.2.& 1.contra Gentes cap. 59. & 60.Item Ammon. & Boet.in primo cap Perierm.

Veritas non est cõformitas conceptus formalis ad obiectiuum.

Dico primò. Veritas nõ est conformitas inter cõceptum formalem & obiectiuũ Cõclusio est certa. Et probatur clarè:qnia in omni prorsus cognitione, siue vera siue falsa,hęc conformitas reperitur: ergo omnis cognitio esset vera, & nulla falsa Assumptum patet: quia semper & in omni cognitione, ita conceptus formalis repræsentat rem, sicut res repræsentatur in cõceptu obiectiuo:neq.inter hos duos conceptus potest esse difformitas. Vnde si ponamus quempiam, verbi gratia,iudicare, lignum esse lapidem: ita prorsus cognitio repræsentat in conceptu formali,sicut res in conceptu obiectiuo repræsentatur: & tamen hoc iudicium est falsissimum. Et idem est in omni alia cognitione. Omnino ergo oportet, veritatem constituere in conformitate inter mentis conceptum & rem in se prout est ad extra: ita vt tunc dicatur intellectus veram notitiam habere,& non falli;cùm res ipsa ita est in se,sicut in intellectu repræsentatur.

Nec est conformitas in essendo cognitionis ad rẽ cognitam.

Dico secundò. Veritas non est conformitas conceptus formalis seu cognitionis ad rem secundùm esse ipsius cognitionis. Hoc expressit S. Thom. primo contra Gentes cap.59.& si hoc tantùm voluissent Doctores secundæ sententiæ, rectè dixissent. Probatur manifestè.Non ideo cognitio vera est, quia talis sit ipsa cognitio in sua entitate, qualis est res quæ cognoscitur, siue quia sit illi similis in essendo. Quin potius potest esse, & est hoc modo valde dissimilis. Nam cognitio est accidens & qualitas,quando res cognita est substantia. Est immaterialis & spiritualis, quando res cognita est corporea & materialis. Est subiectiuè in intellectu, quando res est in se ad extra. Quando verò cognitio in quibusdam ex his rationibus assimilatur rei cognitæ, videlicet quando cognoscitur qualitas aliqua, quæ sit spiritualis, quæ sit etiam in ipsa anima: imo quando per cognitionem reflexam cognoscitur cognitio,vbi maxima intercedit similitudo in essendo: non per hoc ipsa cognitio erit magis vera per hanc maiorem assimilationem, & conformitatem cum re cognita. Igitur veritas non est conformitas in essendo conceptus formalis, idest cognitionis ad rem cognitam.

Veritas est conformitas in repræsentando conceptus formalis & obiectiui simul ad rem cognitam.

Dico tertio. Veritas propriè est conformitas, tùm conceptus obiectiui, tùm conceptus formalis, ad rem in repræsentando: atque per se primò formaliter conuenit ipsi cognitioni, per quam res menti obijcitur & repræsentatur. Probatur & explicatur conclusio primò. Tùm conceptus obiectiuus, tùm conceptus formalis, potest ac debet propriè denominari conformis & adæquatus obiecto: nam conceptus formalis repræsentat rem sicut est, in conceptu obiectiuo repræsentatur res sicut est; quæ propriè est adæquatio & conformitas in repræsentando: ergo vterque denominatur verè & propriè conformis. Hinc sequitur, vtriusque conceptus conformitatem esse propriè veritatem: nulla enim ratio suppetit, quare vnius tantùm, & non vtriusque conceptus conformitas, dici debeat veritas: & hæc est vtique veritas repræsentatiua à transcendentali distincta. E contra quando intellectus fallitur, tàm in conceptu obiectiuo, quam in conceptu formali, dicetur inueniri difformitas cum re, quæ difformitas est falsitas.

Secundò in vtroque conceptu verè inuenitur ratio repræsentationis, vel actiuæ, vel passiuæ, vt patet: ergo & in vtroque reperitur conformitas, & veritas in repræsentando. Atque dum quæritur quæ conformitas propriè sit veritas: dicere oportet, veritas conceptus formalis est conformitas ipsius ad rem, veritas conceptus obiectiui est conformitas fuimet ad eandem rem. In hoc enim vterque verus est, quòd conformatur obiecto: & sicut conformitas conuenit vtrique,ita veritas: ergo vniuscuiusque propria conformitas,est propria veritas.

Siue sit duplex cõformitas, siue vna.

Tertiò vel dicetur esse duplex diuersa conformitas vtriusque conceptus ad rem; vt sanè si conformitas sumatur pro relatione rationis, potest duplex relatio

tis cogitari. Et tunc dicetur duplex quoque veritas, & quilibet conceptus per se denominabitur conformis & verus à sua conformitate & veritate. Vel potius dicetur esse vna eademquè conformitas; sicut sanè dicendum est, si conformitas accipiatur realiter: quæ diuerso modo explicata conueniat vtrique conceptui; actiuè scilicet & formaliter conceptui formali, passiuè & obiectiuè conceptui obiectiuo Sicut eadem est ratio repræsentationis, quæ actiuè explicata constituit conceptum formalem, passiuè explicata conceptum obiectiuum. Et sic veritas esse dicetur hæc conformitas, quæ est vtriusque conceptus ad rem, denominans verumque; quatenus ex parte vtriusque se tenet: & vtroque modo potest explicari.

Per se primò formaliter conuenit ipsi cognitioni.

Quartò deinde hæc veritas per se primò formaliter conuenit ipsi nostræ cognitioni. Nam conceptus quidem formalis per se & directè est ipsa cognitio: in conceptu autem ipso obiectiuo eadem cognitio se habet vt forma, per quam denominatio conformitatis conuenit conceptui obiectiuo. Conceptus enim obiectiuus est res quatenus cognita: vnde duo dicit, & rem, & cognitionem. Esse verò rei conformem, non illi conuenit quatenus res est: quia vt sic potius illi conuenit esse idem cum re; est enim ipsa res: in qua identitate non vtique consistit veritas de qua agimus. Illi ergo conuenit quatenus res cognita est: igitur ratione cognitionis; & ita cognitio est forma ratione cuius talis denominatio illi conueniat. Ideoquè ipsa conformitas explicatur dicendo, quia res cognoscitur & repræsentatur sicuti est.

Prius q. cõceptui formali quã obiectiuo.

Quintò hinc sequitur, si assignare velimus, cuinam conceptui prius quàm alteri hæc conformitas seu denominatio conueniat: dicendum esse, prius conceptui formali. Nam conceptus formalis est is, per quem res primariò & formaliter repræsentatur. Ergo is etiam primariò est, per quem res repræsentatur sicut est, & cui proinde primariò conuenit conformitas & veritas. Et sicut ipsi conceptui obiectiuo ratio repræsentationis conuenit per ipsum conceptum formalem tanquam per formam, ita pariter ratio conformitatis & veritatis. Et sicut valebit dicere; ideo res repræsentatur intellectui, quia intellectus cognoscit & concipit rem: ita etiam valebit dicere: ideo res repræsentatur conformiter sicuti est, quia intellectus illam concipit sicuti est: & demum in alijs similibus rebus, si aliquis ordo constituendus sit inter denominationem actiuam & passiuam, prius assignatur actiua: vt inductione patebit.

Cõmuni modo loquẽdi cognitioni tribuitur.

Sextò notum & perspicuum est, illud cui propriissimè & communissimo vsu loquendi veritas attribuitur, esse ipsam cognitionem. Nominatur enim cognitio vera, notitia vera, opinio vera: è contra dicitur cognitio falsa. Item ipsa cognitio, siue verbum mentis, dicitur similitudo expressa obiecti, imago obiecti. Ergo ratio conformitatis, & denominatio veritatis, per se primò conuenit ipsi cognitioni. Cognitio aũt per se & directè dicit conceptũ formalem. Et quando de hac materia agimus, per se & directè agimus de ipsis actibus intellectus, non de conceptibus obiectiuis: & hic modò quærimus de cognitione intellectiua, de cognitione vera, de veritate cognitionis. Potissimè ergo conceptui formali, .i. ipsi cognitioni, debemus attribuere veritatẽ.

Ad maiorem confirmationem afferuntur exempla quædam.

Postremò hæc omnia illustrantur & confirmantur exẽplis. Imagines, siue pictæ, siue sculptæ rerũ, sunt illis similes & conformes in repræsentando: & dici quidem potest, tàm de re quatenus ibi effigiata, quàm de ipsa effigie, esse similẽ & conformem rei in se: tamen per se primò hæc similitudo & conformitas tribuitur ipsi imagini formali. Propositio vocalis & scripta dicitur vera, quando significat rẽ sicuti est: & põt quidẽ ista conformitas & veritas dici, tàm de re quatenus significata, quàm de propositione significante: tamen per se primò tribuitur ipsi propositioni significanti. Species intelligibiles, & habitus in intellectu, participant conformitatem & veritatẽ: quæ etsi etiã dici possit de rebus quatenus repræsentatis in ipsis speciebus, & habitibus: tamẽ per se primò ipsis speciebus, & habitibus, suo modo formaliter attribuitur. Ergo sic veritas & conformitas de qua agimus, potest quidem tribui conceptui tùm obiectiuo tùm formali: tamen per se

primò

Qu modo veritas sit conformitas ad rem, quãdo cognoscuntur negationes.

primò ipsi cognitioni debet tribui.

Obijcies primò contra primam conclusionem. Intellectus cognoscit non solùm entia positiua, sed etiam negationes & non entia: sed hæc nullum habent esse in se ipsis a parte rei: ergo veritas in cognitione eorum non potest esse conformitas ad rem prout est in se: igitur tantùm erit conformitas conceptus formalis ad obiectiuum.

Resp. Quamuis negationes non sint entia positiua, non sint res, propriè loquendo: tamen hoc ipsum non esse, dicitur esse ipsius negationis & non entis. Negatio enim lapidis in homine, est ipsum nō esse lapidis, quod non esse lapidis est esse negationis lapidis. In ordine igitur ad hoc nō esse, quod suo modo datur à parte rei, quia realiter homo non est lapis; sumenda est veritas & conformitas cognitionis circa negationem. Cùm ergo intellectus cognoscit hominem non esse lapidem, negationem esse non ens; cognitio vera est, quia reuera homo non est lapis, negatio est non ens. Conformatur ergo rebus sicuti sunt. Et dum dicimus veritatem esse conformitatem ad rem sicuti est, res non accipitur propriè & positiuè, vt à non ente distinguitur: sed sumitur pro obiecto cognito, quodcunq. illud sit, quod appellatur res cognita.

Et quando cognoscuntur entia rationis.

Obijcies 2. contra eandem. Intellectus cognoscit non solùm entia realia; sed etiā entia rationis: sed hæc nullum omnino habent esse à parte rei; sed tantùm habēt esse obiectiuè in intellectu: ergo cognitio entis rationis non aliter potest esse vera, nisi per conformitatem cognitionis ad conceptum obiectiuum, in quo solo consistit totum esse entis rationis.

Resp. Distinguendam esse duplicem cognitionem entis rationis: primam, quādo primò fit & fingitur ens rationis: secundam, quando vlterius consideratur atque cognoscitur. Tunc primò fit ens rationis, cùm id quod non est concipitur ac si esset: tunc consideratur vlterius, cùm intellectus recogitat, hoc est ens rationis, hoc est fictum, & similia. In primo modo cognoscendi deficit potius intellectus à conformitate & veritate debita deberet enim cognoscere quod non est tanquam non ens, & non tanquam si esset: & dum iudicat esse quod in re non est, fallitur, daturque in cognitione difformitas ad rem consideratam vt verè est à parte rei. In secundo modo cognoscendi potest optimè dari veritas & conformitas: quia cùm consideretur ens rationis vt præexistens in priori cognitione; siue etiam si consideretur vt possibile per illam cognitionem, consideratur verè sicuti est: non quidem sicuti est realiter à parte rei, quia sic non est, sed sicuti est obiectiuè in ipsa alia cogitatione intellectus. Et ita semper veritas est conformitas ad rem, siue ad obiectum prout est in se, siue prout esse supponitur ad ipsam cognitionem: & non est conformitas cognitionis ad illum conceptum obiectiuum, qui ipsamet cognitione formatur.

Quomodo conformitas in repræsentando, non solùm conceptui obiectiuo, sed etiam formali, cōueniat.

Obijcies 3. contra tertiam conclusionem ex Durando. Conformitas cognitionis ad obiectum, non est in essendo, sed in repræsentando: at conformitas in repræsentando attenditur ex parte obiecti seu conceptus obiectiui: ergo veritas solùm est conformitas conceptus obiectiui ad rem. Maior à nobis supponitur. Minor probatur, quia conformitas in repræsentādo consistit in hoc quòd res menti obijciatur atque repræsentetur sicuti est in se: tota ergo ista conformitas in conceptu obiectiuo consistit.

Resp. Conformitatem in repræsentando attendi, tùm ex parte conceptus formalis, tùm obiectiui. Nam & consistit in hoc quòd res menti obijciatur sicuti est, & in hoc quòd ipsa cognitio formaliter rem menti obijcit atque repræsentat sicuti est. Imo aliter intelligi non potest in conceptu obiectiuo, nisi mediante ipsa repræsentatione, quæ est conceptus formalis. Verum est tamen, in ipsomet conceptu formali non inueniri conformitatem, nisi per ordinem ad rem ipsam: sicut & ipsa ratio cognitionis dicit ordinem ad obiectum, quia est vtique obiecti cognitio.

Quō etiā propositio vocalis vera sit per conformitatē ad rem.

Obijcies 4. ex eodem. In illo est veritas mentalis formaliter, quod significatur per propositionem vocalem veram: quia hæc est vera tanquam signum: signum autem non dicitur tale, nisi quia significat illud quod est formaliter tale: pulsus non dicitur sanus, nisi quia significat animal sanum. Sed propositio vocal-

cal.s

calis per se significat conceptum obiectiuum, non verò formalem: significat enim rem cognitam, non cognitionem. Ergo.

Resp. Imo propositio vocalis significat per se & directè rem prout est in se, vt propria quæst. de vocibus tractabimus. Est ergo vera, quia habet significationem conformem rei prout est in se, & quia substituitur loco cognitionis veræ. Neque semper est verum, signum dici tale, quia res significata dicitur talis. Nam certè signum dicitur conforme rei significatæ, non quia res ipsa significata dicatur sibi conformis, sed quia est talis sicut significatur. Ideò autem pulsus dicitur sanus quia animal dicitur sanum: quoniam formaliter denominatur à sanitate animalis, nec habet in se[formam sanitatis. at propositio ipsa habet suam significationem, & per consequens conformitatem: &, si denominari debeat vera per veritatem alibi existentem, denominatur per veritatem existentem in ipso conceptu formali, idest cognitione, loco cuius substituitur. Quia illud ipsum obiectum quod cognitio repræsentat ad intra, propositio profert ad extra.

SECTIO QVINTA.
Quid sit ipsa conformitas, in qua veritas cognitionis consistit.

ADhuc dubium remanet, quidnam sit dicta conformitas, an aliquid à cognitione distinctum, vel ipsamet cognitio; an relatio, vel aliquid absolutum.

Durandi sentētia. Durand. eod. loco in 1. d. 19. q. 5. n. 14. explicat esse relationē rationis. Et probat ex eodem fundamento: quia cùm velit, veritatem esse conformitatem conceptus obiectiui ad rem, atque adeo eiusdem rei quatenus cognitæ ad se ipsam quatenus est, erit relatio eiusdem ad se ipsum, atque ita non potest esse nisi relatio rationis. Alij etiam idem tenent, & probant à pari: quia veritas transcendentalis est relatio rationis, qua res dicuntur conformari intellectui.

Soncinas sententia. Soncinas verò 6. Met. q. 17. docet, conformitatem in qua veritas cognitionis consistit, dicere entitatem ipsam absolutam conceptus mentalis, superadditam relatione; vel reali, si sit ad rem actu existentem; vel rationis, si sit ad rem non actu existentem.

Bagnes sententia. Bagn. 1. par. q. 16. art. 3. dub. vlt. ait, veritatem simpliciter esse perfectionem absolutam cognitionis; explicari tamen per relationem, vel realem, vel rationis, sicut dicebat Soncin. His modis solent & alij Thomistæ rem explicare de mente S. Thom.

Suarez sententia. Suarez demum disp. 8 Met. sect. 2. contendit, veritatem cognitionis non in relatione consistere, nec reali, nec rationis; sed in entitate ipsa intrinseca cognitionis, & connotatione siue concomitantia obiecti in re taliter se habentis.

Cōformitas potest explicari per modum relationis. Dico primò. Conformitas in qua consistit veritas cognitionis potest explicari per relationem ad obiectum.

Probatur primò ex ipso nomine conformitatis. Nam conformitas est vtique vnius rei ad aliam, & dicitur sicut similitudo, æqualitas: & è contra disconformitas, sicut dissimilitudo, inæqualitas. Ergo sicut dantur relationes similitudinis, æqualitatis, & aliæ; ita concedenda est relatio conformitatis: potest ergo sumi conformitas pro relatione; & hæc conformitas, quæ est cognitionis ad rem, est veritas ipsius cognitionis.

Secundò veritas transcendentalis, quæ est conformitas rerum ad intellectum, solet per relationem explicari, & rebus ipsis attribuitur hæc relatio conformitatis ad intellectum, & ita assignatur veritas quæ est passio entis: ergo similiter veritas repræsentatiua, quæ è conuerso est conformitas intellectus ad rem, potest per relationem explicari.

Interdū realis. Tertiò ad videndum, an hæc sit relatio realis vel rationis, considerandum est, an concurrant omnia requisita ad relationem realem prædicamentalem, & tunc iuxta sententiam asserentem has relationes esse modos ex natura rei distinctos à rebus absolutis, debet vtique in ipsa cognitione concedi illa relatio realis. Adsunt autem omnia requisita, quando & existit ipsa cognitio; & existit actualiter obiectum eius: quia hæc relatio dicitur resultare ad existentiam sui termini, & non respicere terminum possibilem non actu existentem: tunc inquam debet iuxta illam sententiam cōcedi ista relatio, quia adest

adest fundamentum, & terminus, & tota ratio quæ in concedendis his relationibus in alijs rebus inuenitur. Atque hæc relatio realis concedenda esset etiam in sententia Durandi, quòd veritas sit conformitas conceptus obiectiui ad rem. Nam negari non debet, cognitionem ipsam habere respectum repræsentationis ad rem repręsentatam: &, si aliæ res huiusmodi solent fundare respectus pręddicamentales, etiam cognitio dici debebit fundare suum respectum. Imo ratione ipsius cognitionis, etiam conceptus obiectiui ad rem concedi poterit relatio realis. Nam eiusdem ad se ipsum, si nulla adsit distinctio realis, non potest quidē dari relatio realis: tamen, si idem ex vna parte sumatur quatenus stat sub aliqua forma realiter distincta, poterit ratione talis formę realiter referri ad seipsum quatenus per se sumptum, quæ relatio realiter non erit alia nisi illa eadem quæ est talis formæ ad ipsam rem, quando talis forma apta est fundare relationem. Sic, si imago dicit relationem realem ad rem repræsentatam, dici etiam poterit ipsa res quatenus repræsentata in imagine, referri realiter, siue assimilari ad se ipsam per se sumptam.

Interdũ rationis. Quartò ex altera parte, quando non aderunt omnia requisita ad talem relationem pręddicamentalem, videlicet quando cognitio versabitur circa rem non actu existentem; vt quando intellectus iudicat, Adamus est homo, alius mundus est possibilis, & similia; imo vniuersaliter iuxta sententiam negantem relationes reales distinctas à rebus; tunc certè relatio quæ cogitatur superaddita cognitioni in ordine ad rem cognitam, est relatio rationis, quoniam excogitatur ab intellectu, cùm reuera non sit. Et sanè negari non potest, solere intellectum hoc modo concipere conformitatem cognitionis ad rem, referendo, & conferendo: & ita apprehendimus veritatem tanquam relationem conformitatis, quæ erit relatio rationis. Et sic veritas transcendentalis solet constitui in sola conformitate & relatione rationis, vt possit esse passio entis, quæ esse debet extra ambitum ipsius entis realis.

Debet præ- Dico 2. Conformitas in qua veritas cognitionis consistit, debet etiam, imo pręcipuè, explicari penes entitatem ipsam cognitionis & connotationem obiecti ita se habentis sicut cognoscitur, antecedenter ad omnem relationem superadditam. *cipuè explicari per entitatē cognitionis & cōnotationē obiecti.*

Probatur primò. Relatio realis, vt diximus, non semper datur in omni cognitione vera, relatio rationis fingitur ab intellectu cùm in re non sit: cognitio autem vera, sine dubio est à parte rei & realiter vera: nec enim quòd vera sit, in totum fingitur ab intellectu. Ergo sine relatione superaddita oportet etiam explicare veritatem in cognitione.

Secundò etiam data hypotesi, quòd non resultarent relationes illæ prædicamentales distinctę à rebus, aut saltem quòd in cognitione non inueniatur alia relatio ab eius entitate distincta; item quòd intellectus non fingeret relationē rationis, sed conciperet rem sicuti est: tunc adhuc valeret dicere, cognitionem esse veram, & inueniri realiter conformitatem inter cognitionem & rem, dum cognosceretur res sicuti est: ergo veritas debet explicari per entitatem ipsam cognitionis & rei, independenter ab omni alia relatione distincta.

Tertiò si consideremus certā aliquam cognitionē, v. g. iudicium affirmans hominem esse animal, per hoc solum quòd addimus, hominem re ipsa esse animal, & circunscripta quacunque alia forma seu formalitate distincta a tali cognitione & tali obiecto: rectè dicemus, talem cognitionē esse verā, & differre à cognitione falsa: rectè etiam dicemus, cognitionē conformari cū suo obiecto; quia ita repræsentat rem sicut res ipsa est. Vbi non inuenitur aliud, nisi ipsa entitas cognitionis, & talis entitas obiecti. Ergo hoc modo potest & debet veritas explicari. Ita quòd in recto quidem dicat talem cognitionē atq, repræsentationem; connotatiuè aūt & per concomitantiam ipsum obiectū ita se habens. Nec enim sufficeret sola entitas cognitionis: quia stante eadem cognitione, si obiectum non ita se habeat sicut cognoscitur, cognitio non est vera sed falsa. Non aūt in recto dicimus, veritas est obiectū ita se habens sicut cognoscitur, sed potius est repręsentatio obiecti sicut est. Itaque in recto dicit ipsam *Quia seclusa omni alia forma distincta iā intelligitur cognitio vera.*

repræ-

repræsentationem connotando obiectum ita se habens.

Quartò explicatur magis. Stante quòd obiectũ taliter se habet à parte rei, tunc variatio cognitionis falsę aut veræ, se tenebit ex parte entitatis intrinsecę ipsius cognitionis. Nã v.g. iudiciũ affirmatiuum erit verum, negatiuum falsum: quę duo iudicia vtiq. intrinsecè differunt, imo contraria sunt. Et hoc modo dicere valebit, veritatẽ esse perfectionẽ intrinsecam cognitionis: idest illud quod, facta prius suppositione obiectũ taliter se habere, superest ad perficiendã cognitionẽ veram, est talis repræsentatio siue talis cognitio, v. g. iudiciũ affirmatiuũ ex parte intellectus. Ideò etiam de perfectione intellectus est, vt verã cognitionẽ proferat, siue vt attingat rẽ sicuti est. Si aũt è contra fiat suppositio, quòd intellectus taliter cognoscat, videlicet affirmet rem: tunc variatio veritatis aut falsitatis se tenebit ex parte obiecti, & consistet in vna vel alia connotatione obiecti. idest si obiectũ in re ita se habet, iudiciũ illud est verum: si aũt non ita se habet, iudiciũ est falsum. & quantũ ad hanc partẽ, veritas non est alia perfectio intrinseca cognitionis, sed connotatio alicuius extrinseci. Hinc vlterius fit, quando obiectum est necessariũ, sicut est in propositionibus essentialibus, mutationẽ veritatis & falsitatis esse nõ posse nisi ex parte cognitionis: quando autem obiectũ est variabile, vt in propositionibus contingentibus; tunc mutatio veritatis & falsitatis esse potest, non tantùm ex parte cognitionis, sed etiã ex parte obiecti: ita quòd posset eadem, non solùm specie, sed & numero, cognitio, esse aut vera aut falsa, per solam varietatem obiecti, sine mutatione suæ propriæ entitatis, eo modo quo dicemus q. 24. Patet ergo qua ratione dicamus, veritatẽ hanc consistere in entitate cognitionis & connnotatione obiecti.

Et relatio realis nõ semper adest, rationis non est realiter in cognitione.

Quintò dicimus, veritatẽ ita præcipuè explicari debere. Tum quia hęc est veritas quæ realiter cognitioni cõuenit; cùm id totũ fit à parte rei absq. omni dubio: alia aũt relatio realis distincta, vel nullo modo, vel certè non in omni cognitione vera, reperitur: relatio rationis fingitur ab intellectu. quando aũt quærimus, quid sit veritas & conformitas cognitionis, præcipuè quærimus, quid adæquatè sit in omni cognitione vera, & quid sit realiter in ipsa cognitione. Tũ etiam agimus hic de veritate, quatenus illam intendimus inducere in cognitionem per directionem logicam: sed Logica nihil vtiq. curat, vt inducatur aliqua relatio distincta, siue realis, siue rationis; sed solùm intendit, vt assequamur illam rerũ cognitionẽ, quæ sit talis in repræsentando sicut sunt res in essendo, quod per entitatẽ ipsam talis cognitionis, cõnotata tali entitate rerũ, plenè saluatur: ergo sic præcipuè debet nunc veritas explicari.

Veritas sic explicata, dicit respectum trãscendentalem cum connotatione extrinseca.

Sextò iuxta hanc explicationem dici debet, veritatem esse aliquid absolutum, si absolutum sumatur prout à prædicamentali relatione distinguitur. Sed quia etiam illa quæ sunt hoc modo absoluta, habent rationem respectus qui dicitur transcendentalis, & per omnia prædicamenta vagatur; & planè huiusmodi est cognitio, quæ omnino dicit ordinem ad obiectum: sic veritas quatenus dicit cognitionem, habet vtique rationem respectus transcendentalis, & sic optimè vocatur conformitas. Præterea, quia completa ratio veritatis vltra entitatem cognitionis, connotat obiectum quod est ab illa distinctum & separatum; sequitur, hanc veritatis denominationem in ipsa veritate non esse penitus intrinsecam, quia non dicit solùm formam aliquam intrinsecam in ipsa cognitione: sed esse partim extrinsecam. Ita vt, ex parte directi significati, nempè repræsentationis attingentis obiectum, sit quidem intrinseca: ex parte autem connotati, sit extrinseca, idest connotat aliquid extrinsecum.

Veritas primo modo sumpta est formaliter. Secundo modo fundamentaliter & realiter.

Demum quia veritas cognitionis duplici modo explicata est; veritas primò modo explicata scilicet per relationem, poterit appellari veritas formaliter sumpta; secundo modo veritas fundamentaliter ac realiter sumpta. Non quidem quasi entitas cognitionis cõnotans obiectum, non sit secundùm se veritas, & solùm sit fundamentum veritatis: sed quia in se quidem simpliciter est veritas; tamen etiam est fundamentum relationis, atque adeo veritatis alio modo explicatæ. Ideo optimè appellabitur veritas realiter sumpta.

Atque

Atque ex his poterunt facilè conciliari sententię relatæ, & si quæ aliæ videbantur diuersæ circa explicationem veritatis: & omnia earum argumenta non facient contra doctrinam traditam, sed potius vel vnam vel alteram ex nostris conclusionibus confirmabunt.

SECTIO SEXTA.

Qualiter cognitioni intellectiuæ inrectitudo & falsitas insit: & quid ea sit.

Duplex est intellectus nostri defectus.

RЕctitudini & veritati opponitur inrectitudo & falsitas. Vnde sicut illam in nostram cognitionem inducere: ita hanc ab eadem depellere debemus. Duobus autem modis intellectus noster deficere potest: & sumitur ex Ar. 1. Post. cap. 15. tex. 109. & D. Tho. q. 3. de Malo art. 7. Primò nullatenus cognoscēdo rem: quomodo se habet circa ea quæ omninò ignorat. Secūdo modo deficit intellectus errando, cùm concipit rem aliter quàm est, cùm iudicat lignum esse lapidem, hominem non esse animal. Prior ille defectus dicitur ignorantia negatiua vel priuatiua, quia caremus omni notitia rei. Posterior dicitur ignorãtia positiua & prauæ dispositionis, quia non caremus omni cognitione, sed habemus positiuam, obliquam tamen & falsam, qua malè cognoscimus rem aliter ac est. Et hæc ignorantia positiua est error & falsitas, siue cognitio errans, falsa, & indirecta.

Defectum ignorantiæ priuatiuæ, ad Logicam etiã corrigere spectat.

Circa primum defectum est difficultas, an etiam contra illum Logica dirigat intellectum in cognoscendo. Negant aliqui, dicentes, ad singulas quasque sciẽtias pertinere, auferre ab intellectu imperfectionem illam ignorantiæ: quia ipsæ scientiæ sunt quæ nos edocent res quas ignoramus; & ita liberant intellectum ab ignorantia. Logica verò solùm habet tradere modum, quo in ijs rebus addiscendis & inuestigandis rectè procedamus, nè decipiamur errantes.

Sed potius eodem pacto de ignorantia negatiua, atque de errore positiuo, sentiẽdum & loquendum esse videtur, nempè Logicam contra vtrumque defectum esse cognitionis nostræ directricem. Nam Logica non solùm tradit modum quo dirigamus nostram cognitionem, ne erremus, sed etiã quo res ignotas perscrutari possimus. Et ex altera parte singulæ quæquè scientiæ in propria materia, non solùm tradunt cognitionem rerum quæ ignorantur; sed non minus conantur ostendere veritatẽ rei ijs qui decipiuntur & errant.

Probatur quia possibilis est vtique ars, quæ non solùm tradat modum corrigendi errores iã in cognoscendo contractos, illosq. precauendi nè cõtrahantur: sed etiã inquirendi & explorandi res ignotas, vt earum notitiam assequamur: imo hæc separari non possunt. Hæc autem ars non est nisi Logica. Et de facto id totum Logica præstat. Ideo enim tradit modos instrumentaquè cognoscendi. Ideo prædicabilium & prædicamentorum seriem texit, in qua rerum omnium prælibatam quandã notitiam intellectui offert. Ideo viam rectè apprehendendi iudicandi & discurrendi aperit & demonstrat, totquè media res addiscendi, & in reliquis scientijs proficiendi, subministrat. Ipsæ autem scientiæ, arte logica vtentes, eamquè ad materiam propriam applicantes, tum rerum notitiam assequi, tum errores depellere curant.

Declaratur, quod sit munus Logicæ, & quod aliarum scientiarum.

Exemplo res fiet illustrior. Ponamus aliquem penitus ignorare animam rationalem: alium verò existimare animam esse corpoream. Prima est ignorantia negatiua: secunda est deceptio positiua. Ad Physicam quidem pertinet, quia materia sua est, & demonstrare animam rationalem reperiri, & explicare quid illa sit, quæ sit eius essentia, quæ proprietates, &c. Itemquè probare, illam nequaquam esse in sua entitate corpoream, sed esse verè spiritualem: neque sanè ad Logicam pertinet id probare. Logica autem est quæ tradit modum, quo Physica possit argumenta inuenire, & ritè formare atque disponere, quo possit animam definire, eiusquè perfectam notitiam assequi. Sicut ergo non ad solam Logicam spectat, corrigere hunc vel illum errorem in singulis materijs, sed id pertinet ad singulas scientias vtentes ipsa Logica, seu per regulas Logicæ: ita ad singulas scientias per se spectat, tradere notitiam suarum rerum, tamen id ipsum præstant per vsum & regulas Logicæ. Et ita logici etiam muneris est, dirigere intellectiuam cognitio-

gnitionem contra ignorantiam priuatiuā.

Defectus inrectitudinis & falsitatis sæpè in nostra cognitione contingit.

Circa secundum defectum, scilicet falsitatis, refert Arist. 4. Met. text. 19. 21. & 28 Protagoram, Anaxagoram, Homerum, & alios, dixisse, omnem cognitionem atque de rebus opinionem esse veram: quia ita vnaquæq. res est, sicut cuiquè esse videtur, sicut esse putatur. iuxta quam sententiam nulla esset nostra cognitio falsa.

Clarissimum tamen est, quàm sæpè & facilè intellectus noster fallatur atq. decipiatur: sæpè ergo est nostra cognitio falsa. Ità sanè frequenti experientia constat. Ex sacris etiā litteris habetur expressum. Et ex veritate nostræ Fidei sequitur: Omnis namq. opinio illi opposita, falsa est. At ipse optimè arguit. Si quicquid putatur, verū est, sequitur contradictoria esse simul vera: quia sæpissimè cōtingit, opposita à diuersis vera putari. Non ergo ex humana opinione fieri pōt, vt talis sit res qualis putatur: sed eò quòd res est vel nō est, sit nostra opinio & existimatio vera vel falsa. Et quia sæpè de rebus opinamur aliter quàm re ipsa se habent, sæpè in cognoscendo fallimur. Et plerumque nos ipsi dum postea comperimus, rem aliter se habere quàm vt putauimus, deprehendimus nostræ mentis errorem; & opinionem falsam mutando corrigimus. Benè etiam Arist. ibi docet, perinde se habere, dicere nullam cognitionem esse veram, atque nullam falsam: siue omnem falsam, atque omnem veram. vtroque enim loquendi modo philosophandi studium euertitur, omnisquè scientia confunditur vanaquè redditur.

Non oritur ab intrinseco ex inclinatione luminis naturalis.

Ad assignandum verò, vndenam falsitas in nostra cognitione oriatur, non defuerunt qui dixerint, interdum lumen ipsum naturale intellectus, & rationem naturalem, inclinare ad falsum, idest ad illud quod reuera non sit tale sicut putatur. Quod cogitarunt propter mysteria quædā nostræ Fidei, videlicet Trinitatis, Incarnationis, Eucharistiæ: concedentes hæc mysteria repugnare principijs naturalibus, atque adeo lumen ipsum naturale circa talia principia inclinare ad falsum. Aliqui verò dicere ausi sunt, talia principia opposita mysterijs nostræ fidei esse quidem vera secundùm rōnem naturalem, falsa secundùm doctrinam fidei; atque adeo lumen naturale inclinare quidem semper ad verum naturale, quod tamen interdum sit falsum contra veritatem supernaturalem fidei.

Omninò tamen dicendum est, falsitatē in nostra cognitione non oriri ex natiua inclinatione luminis naturalis, sed solùm ex causis extrinsecis, siue ex impedimentis occurrentibus in assequenda veritate. Est res certa, & tum Philosophis, tum Theologis explorata: & propterea Theologi docent, mysteria nostræ fidei esse quidem supra, non autem contra lumē & rationem naturalem, & principia naturalia. Et præclarè S. Tho. primo contra Gentes cap. 7. *Ea (inquit) quæ naturaliter rationi sunt insita, verissima esse constat, in tantum, vt nec ea esse falsa sit possibile cogitare.*

Quod ex se nunquam inclinat ad falsum.

Probatur. Tum ratione S. Tho. ibi. Lumen naturale est nobis inditum à Deo Auctore naturæ, & Diuina ipsa sapientia continet illa principia quæ naturaliter nobis nota sunt, sicut scientia Doctoris continet illa, quæ discipulo communicat, nisi fictè doceat: sed Diuina sapientia non pōt continere falsa principia, neque ea poterit communicare intellectuali naturæ quam condidit, nec potuit illi tribuere natiuam inclinationem ad falsum; quia sic esset auctor mendacij & falsitatis: neque fieri vllo modo poterat, vt idē Deus quædam doceret per lumen fidei, & alia opposita manifestasset per lumen naturæ: ergo nullatenus dici potest lumen naturale inclinare ad falsum.

Tum etiam alia ratione à posteriori probatur: quia si timere aut suspicari possemus, ne naturale lumen inclinet ad falsum, nihil iam nobis certum firmumquè constaret, quia in ipso dictamine luminis naturalis omnis certitudo naturalis notitiæ nititur atque fundatur. Semper ergo dubium remaneret, num ratio lumenquè naturale inclinaret ad falsum. Vnde rursus totum philosophandi studium euerteretur, & humana conditio infelicissima redderetur.

Tum præterea. Illi qui dicebant, lumen naturale inclinare quidem ad verum naturale, quod tamen possit esse falsum in fide, maiori reprehensione digni sunt, quòd quocumque modo appellare audeant verum id quod veritati nostræ fidei

dei contradicit. Et quia illud solum est verum, illa ratio, illa cognitio, illa propositio, quæ conformatur rei prout est in se, vt patet ex dictis de veritate; hoc enim simpliciter & absolutè intelligitur, quando dicitur aliquid esse verum. In hoc autem sensu omninò doctrina nostræ fidei vera est, quæ scilicet attestatur res prout re ipsa se habent. Omnis ergo ratio & propositio opposita, prorsus falsa & nullo modo vera dici debet.

Habeturquè huius rei præclara definitio & declaratio in Concilio Lateranensi sub Leone Decimo in Constit. quæ incipit Apostolici Regiminis: vbi cùm Pontifex cum Concilio retulisset, insurrexisse quosdam errores circa animam rationalem, & aliquos dixisse saltem secundum Philosophiam illos esse veros, infra sic inquit: *Cumquè verum vero minimè contradicat, omnem assertionem veritati illuminatæ fidei contrariam omninò falsam esse definimus: & vt aliter dogmatizare non liceat, districtius inhibemus.* Et rursus Philosophiæ lectoribus præcipit: *Vt omni studio debeant Philosophorum argumenta contra mysteria nostræ fidei excludere atque resoluere, cùm omnia* (inquit) *solubilia existant.* Concludendum ergo est, nunquam rationem naturalem per se inclinare ad falsum, neque absolutè, neque quod dicatur falsum iuxta doctrinam fidei: sed fides nostra est quidem supra rationem naturalem, non tamen illi contraria.

Sequitur ex causis & impedimentis extrinsecis. Ex causis itaque extrinsecis, & impedimentis occurrentibus, defectu etiam nostrorum sensuum quibus sæpè repræsentantur res aliter quàm sunt, prouenit falsitas in nostra cognitione; ex illa demum difficultate in assequenda veritate, quam sect. 5. enarrauimus.

Cæterùm falsitas quam nostro intellectui sæpè dicimus accidere, planè conuenit notitiæ iudicatiuæ, etiã illatiuæ: an verò etiam apprehensiuæ, grauis est difficultas, de qua in proprio apprehensionis tractatu disputabimus. Saltem constat, interuenire in nostra apprehensione talem defectum, quo sæpè concipimus rẽ aliter quàm est, & aliter quàm concipere debebamus; propter quem defectum sua etiam directione indigeat: sicut præterea in discursu inuenitur alius proprius defectus in praua illatione consistens, de quo etiam suo loco.

Quid sit falsitas, patet ex dictis quid sit veritas. Denique quid sit falsitas explicandum est eodem modo quo quid sit veritas cui opponitur. nempè sicut veritas est conformitas conceptus, tum formalis, tum obiectiui, ad rem in se: ita falsitas est disconformitas vtriusq. conceptus ad rem in se. Sic Aristot. 4. Met. text. 27. falsum explicauit esse, ex eo quod iudicatur esse quod non est, vel non esse quod est. Et August. lib. 83. qq. q. 32. *Quisquis vllam rem aliter quàm ipsa res est intelligit, fallitur.* Hæc autem disconformitas poterit explicari per relationem, vel realem, vel rationis. Et debet explicari realiter per entitatem ipsam actus connotando obiectum aliter se habens quam vt repræsentatur. Quod totum patet ex dictis de veritate: & sanè noua discussione non indiget.

SECTIO SEPTIMA.
De Dirigibilitate cognitionis intellectiuæ.

CVm in cognitione intellectiua dari possit, tum rectitudo & veritas quæ est ipsius cognitionis perfectio, tum inrectitudo & falsitas quæ est eiusdem cognitionis defectus & imperfectio, iuxta illud quod ait Aristot. 6. Ethic. cap. 2. *Contemplatiuæ cogitationis benè & malè esse, est verum & falsum:* in ordine ad hanc rectitudinem & perfectionem consideratur dirigibilitas, idest capacitas directionis & rectitudinis. De qua post veritatem & falsitatem nunc disserere oportet. Eò magis quòd hæc dirigibilitas est obiectum formale Logicæ, dum Logica cognitionem quatenus dirigibilem sibi in obiectum proponit. Duo autem sunt, quæ de hac dirigibilitate consideranda occurrunt. Primum qualiter cognitioni intellectiuæ conueniat: secundum quid ea sit.

Dirigibilitas cuinam cognitioni cõueniat. Circa primum. Quamuis satis clarum & certum appareat, cognitionem intellectiuam esse dirigibilem, esse capacem directionis & veritatis: tamen dubitari potest, num omni, vel cuinam cognitioni intellectus, conueniat. Et videri potest in re nulli conuenire. Nam omnis

nis actus cognitionis, à parte rei, vel est rectus & verus, vel indirectus & falsus nec in re datur cognitio media; omnis enim cognitio vel est conformis vel disconformis obiecto. Cognitio autem vera iam habet actu rectitudinem & veritatem: igitur non habet potentiam ad illam, cùm potentia sit reducta ad actum: nec indiget directione, non est amplius dirigibilis. Cognitio indirecta & falsa non potest ipsamet in se subire talem mutationem, vt dirigatur & fiat vera, permanens eadem cognitio. verbi gratia si quis iudicet lignum esse lapidem, impossibile est, vt hoc iudicium idem permanens fiat verum, sed debet prorsus è mente tolli tale iudicium, & aliud diuersum atque oppositum introduci. Non ergo illud iudicium falsum, est dirigibile, non est capax directionis & veritatis. Si autem circa propositiones cõtingentes possit idem iudicium mutari de falso in verum, de qua re postea agemus, id vtique esset per mutationẽ obiecti: si v.g. dum quis iudicat Petrum currere, Petrus qui non currebat incipiat currere. Atqui hoc penitus per accidens se habet ad dirigibilitatem & directionem logicam. Nec enim Logica habet vim dirigendi cognitionem mutando obiectum, sed solùm mutando ipsam cognitionem. Si demum dicatur dirigibilitas conuenire cognitioni in communi & abstrahenti à recta & indirecta: adhuc vrget difficultas. Tum quia in re non datur talis cognitio abstrahens, sed solùm mente cogitatur. Tum etiam, quia si conueniret illi in communi, conuenire deberet omni cognitioni speciali, quia prædicatum commune alicuius generis cõuenit omnibus speciebus eius.

Conuenit cognitioni in cõmuni. His tamen non obstantibus, dirigibilitas verè cõuenit cognitioni intellectiuę: imo omni illi conuenit. Et in primis conuenit cognitioni in communi sumptæ, abstrahendo à recta & indirecta. Nã cognitio sic sumpta, est vtiq. determinabilis & contrahibilis vt sit recta: est capax differentiæ rectitudinis, quam recipere potest. Nec obstat, quod non datur a parte rei cognitio abstrahens. Nam licèt non sit abstrahens a parte rei: tamen ipsa cognitionis ratio quæ mẽte abstrahitur, realis est. Sicut quodcunq. genus est capax suarum differentiarum, licèt non detur abstractum à parte rei. Nec etiam necessariò sequitur, dirigibilitatem conuenire omni cognitioni speciali. quia esse contrahibile per differentias, est prædicatum secundæ intentionis, quod conuenit quidem generi, non autem speciebus. Si verò sumatur fundamentaliter & realiter, sic conuenit speciebus: quod circa cognitionem tum rectam tum indirectam modò explicabitur magis.

Conuenit cognitioni rectæ. Conuenit etiam dirigibilitas cognitioni rectæ. Tum quia capacitas & potentia potest sumi dupliciter: vel cum carentia formæ, quomodo distinguimus illud quod est actu tale, & quod est tantùm potentia tale: vel absolutè pro ipsa capacitate & potentia. Licèt ergo non detur potentia primo modo, quando datur actu forma: tamen semper datur potentia secundo modo. v.g. quandò oculus actu videt, & intellectus intelligit; tunc vtique datur potentia & capacitas videndi, atque intelligendi. Neque forma & actus destruit & tollit, sed potius perficit potentiam. Imo non potest dari actus & forma sine tali potentia. Tum etiam magis ad rem, quia cognitio recta potest considerari, nõ quatenus actu iam existens, sed quatenus possibilis; possibilis est enim intellectui cognitio recta: conuenit ergo illi hæc dirigibilitas, quæ idem est ac possibilitas essendi, & super hãc dirigibilitatem, idest possibilitatem, optimè cadit directio logica: indiget enim cognitio recta possibilis, vt reducatur ad actum.

Conuenit etiam cognitioni indirectæ. Conuenit demũ dirigibilitas etiã cognitioni indirectæ & falsæ, aliquo modo. In hoc enim actu duo consideranda sunt, & quod sit actus cognitionis, & quod sit indirectus. Quatenus ergo indirectus, est vtiq. incapax rectitudinis; quatenus falsus est, est incapax veritatis: quia inrectitudo & falsitas rectitudini & veritati repugnat, estq. illi incõpossibilis. Quatenus verò actus cognitionis est, sic secundũ ipsam cõmunem rõnem retinet rectitudinis capacitatẽ; & vt sic est dirigibilis. Reducitur aũt hæc capacitas ad actum: nõ quidem faciẽdo, vt idẽ actus realiter ex falso fiat verus: sed faciẽdo, vt talis actus mutetur, & cõuertatur in aliũ actum verum, realiter diuersum & oppositum, conuenientem tamen cùm illo in ratione com-

muni cognitionis circa tale obiectum. Vnde in re talem actum esse dirigibilem, non est aliud quam esse mutabilem & cōuertibilem in actum rectum, siue esse corrigibilem & emendabilem per ablationem ipsius & introductionem alterius oppositi. Et hoc totum propter conuenientiam in communi ratione cognitionis. Sic ergo talis actus quatenus actus est, est capax rectitudinis: idest fieri pōt, vt non quidem idem realiter actus, sed idem secundum conuenientiam rationis, fiat rectus, dum adueniat alius realiter actus, cum quo ille primus conuenit in communi ratione actus.

Hoc genus aptitudinis & capacitatis assignauit Arist. 5. Met. c.22. Talpam esse capacem visus, non quatenus talpa est, sed quatenus animal est. Assignant etiam Theologi in actibus moralibus (quod est exemplū prorsus simile actibus intellectualibus) & tribuunt cuicunque actui malo, etiam illi qui nullo modo posit fieri bonus, v.g. actui odij Dei, priuationem bonitatis & rectitudinis oppositæ: imo in hac priuatione formaliter malitiam moralem constituere solent. Quia verò priuatio dicit in subiecto aptitudinem formæ priuatæ: dicunt actum malum, non quatenus talis, quatenus malus actus est, sed quatenus actus humanus est, esse capacē rectitudinis & bonitatis. Sic ergo in genere moris, actus praui dicentur dirigibiles, siue corrigibiles & emendabiles: ita nos dicimus de dirigibilitate actuum intellectus.

Quare specialiter dirigibilitas ipsi cognitioni assignetur.

Quia verò actus in genere sumptus, est capax vtriusq. differentiæ, videlicet tàm inrectitudinis, quàm rectitudinis; & pariter de actu recto dici pōt, quatenus actus est, esse capacem inrectitudinis: ideo notandum est discrimen inter rectitudinem & inrectitudinem; quod cùm rectitudo sit perfectio actus, inrectitudo autem imperfectio; & verum & falsum in actibus intellectus se habeat, vt bonum & malū: multò potius attēditur capacitas & aptitudo respectu illius formæ & differentiæ quæ est perfectio actus. Iuxta hoc Arist. 10. Met. tex. 16. docet, in omni contrarietate alterum contrariorum dicere priuationem alterius contrarij: nō tamen omnia similiter, videlicet inæqualitatem dicere priuationē æqualitatis, dissimilitudinē similitudinis, vitiū virtutis: quia videlicet inter duo contraria, vnum se habet tanquam perfectū, alterum tanquam imperfectū & diminutum: v.g. album & calidum sunt perfecta, frigidū & nigrum imperfecta; & ideo vnum contrariū habet rationem boni, alterum mali: vt docet S.Tho. 3. cont. Gent. cap. 9. Illud ergo potius contrariū quod habet rōnem imperfecti & mali, dicit priuationem alterius contrarij: quia nimirū, cùm priuatio dicat aptitudinem & capacitatem formæ priuatæ, hæc aptitudo multò potius consideratur respectu formæ quæ est perfectio. Nam respectu perfectionis assignatur propensio & inclinatio, quæ dicitur etiam appetitus innatus. Hoc ergo modo consideratur dirigibilitas in cognitione intellectiua respectu rectitudinis, tanquam perfectionis illi conuenientis: sicut & in actibus moralibus consideratur aptitudo & capacitas bonitatis, tanquam formæ debitæ.

Dirigibilitas primò sumi pōt pro capacitate artis directiua.

Circa secundum. Dupliciter pōt dirigibilitas explicari. Primo modo in ordine ad artē. Dari enim pōt, & de facto datur, ars directiua cognitionis, scilicet ipsa Logica: capacitas ergo huius artis intelligi pōt per dirigibilitatē in ipsa cognitione. Quia intellectus quidē est subiectū huius artis, cognitio aūt est eius obiectū. Vnde capacitas subiectiua artis est in intellectu, capacitas aūt obiectiua seu terminatiua est ex parte cognitionis. quod idem est, ac dicere: posse dirigere per artem conuenit intellectui: posse dirigi per artem conuenit operationi dirigibili. sicut posse videre conuenit oculo: posse videri conuenit colori.

Et vt sic est denominatio extrinseca.

Hinc colligitur, quid sit ista dirigibilitas ex parte cognitionis. Nō videtur esse aliqua forma realis intrinseca in ipsa cognitione, formaliter dicens ordinē ad intellectū & artē: sed potius formaliter est denominatio extrinseca, desumpta ex ipsa potentia & arte intellectuali. In vniuersum enim, esse intelligibile, visibile, aliaq. huiusmodi denominationes, nō denotant potentiam intrinsecam ex parte obiecti terminatiuā actuum: sed formaliter sunt denominationes extrinsecæ, sumptæ à potentia intellectiua, visiua, alijsq. similibus. Ab eadem enim potentia à qua oculus constituitur visiuus, formaliter etiam

deno-

denominatur visibilis color qui est obiectũ visus: & duplex denominatio ab illa tribuitur, vna intrinseca respectu subiecti, altera extrinseca respectu obiecti. Sicut actu intelligi, & videri, non dicit aliquam formam intrinsecam ex parte obiecti; sed solum dicit denominationem extrinsecam desumptam ab eadem forma intellectionis, & visionis, quæ est subiectiuè in potentia. Et hæc doctrina est Aristot. 5. Met. cap. 15. Ita ergo esse dirigibile per artem, cùm non sit aliud quam posse terminare artem regulatiuam & directiuam, non dicit formaliter aliquam distinctam potentiam & capacitatem in ipsa operatione dirigibili; sed potius dicit denominationem extrinsecam à potẽtia directiua per artem, siue ab arte possibili in potentia directiua. Sicut actu terminare artem directiuam, non est formaliter aliquid, illi intrinsecũ: sed tantùm denominatio extrinseca ab ipsa arte actualiter attingente suum obiectum.

Neque est obiectum formale Logicæ.

Hinc vlterius infertur, non hoc modo sumptam dirigibilitatem esse obiectum formale Logicæ: quamuis plures soleant per ordinem ad artem illam explicare, & indicat Suar. disp. 39. Met. in principio. Probatur quia obiectum formale, naturæ ordine præsupponitur ad suam scientiã, illiquè tribuit speciem & vnitatẽm: quoniam scientia essentialiter constituitur per ordinem ad suum obiectum formale; atque adeo debet præintelligi tale obiectum, in quod scientia tendere possit: sed dirigibilitas eo modo explicata prouenit & consequitur ex ipsa scientia, seu arte directiua, cùm sit denominatio desumpta ab ipsamet, vt explicatum est: ergo dici non potest dirigibilitas sic explicata esse obiectum-formale Logicæ. Et in vniuersum dici non potest, denominatio extrinseca proueniens ab aliqua forma, esse obiectum, siue esse ratio specificatiua & constitutiua talis formæ.

Sicut visibilitas, & aliæ similes denominationes, nõ constituũt obiectum

Confirmatur, quia hac ratione dici non potest visibilitas, prout est denominatio extrinseca à potentia visiua, esse obiectum formale, siue ratio formalis obiecti ipsius potentiæ: quoniam talis denominatio desumitur ex ipsa potentia; obiectum autem formale ipsius debet præintelligi, ad quod dicat ordinem ipsa potentia. Et in hoc eodem sensu expressè Arist. loco cit. 5. Met. cap. 15. *Intelligibile* (inquit) *significat quòd eius est intellectus. Non est autem intellectus ad illud cuius intellectus est, idem enim profectò bis dictum esset. Similiter & visus cuiusdam est visus, non cuius est visus, etsi verum est hoc dicere, sed ad colorem, aut aliquid aliud tale.* Idest, intelligibile quidem rectè explicatur, cuius est intellectus, quia scilicet est denominatio sumpta ab ipso intellectu. Sed non rectè deinde explicaretur, intellectus est ipsius intelligibilis, videlicet assignando pro obiecto formali intellectus dictam denominationem intelligibilis, quia sic idem bis diceretur, foretquè inutilis circulus & repetitio, ac si diceretur intellectus est eius cuius est intellectus. Quod in re verum quidem est, non tamen benè explicat intellectum, quia non assignat rationem formalem obiecti, penes quam constituitur. Et sic etiam de visu & visibili. Similiter S. Tho. 1. parte quæst. 25. art. 3. hac ratione probat obiectum Diuinæ omnipotentiæ non esse assignandum possibile prout denominatur ab ipsamet potentia, quia committeretur inutilis circulatio. Ita ergo obiectum Logicæ non est dirigibilitas sumpta pro capacitate ipsius artis directiuæ, siue prout est denominatio ab ipsa forma Logicæ deriuata. Sed aliquam priorem rationem dirigibilitatis inuenire & assignare oportet.

suarũ potentiarũ.

Dirigibilitas secundo sumi debet pro capacitate rectitudinis

Secundo modo potest & debet dirigibilitas explicari immediatè in ordine ad rectitudinem ipsam & veritatem cuius est capax intellectiua cognitio: ita vt dirigibilitas formaliter sit capacitas huius rectitudinis & veritatis. Sicut dirigibilitas moralis in actibus voluntatis potest assignari penes capacitatem rectitudinis & bonitatis moralis: actus enim morales sunt dirigibiles, idest possunt esse recti & boni. Et certè in hac re maximam habent proportionem actus intellectus, & voluntatis. Nam vt ait S. Thom. 1. 2. quæst. 19. ar. 1. bonum & malum per se pertinent ad voluntatem; sicut verum & falsum ad intellectum. Et hinc est, vt interdum hæc nomina commutentur: & ex vna parte verum & falsum appellantur bonum & malum intel-

tellectus, ex Arist. 6. Ethic. cap. 2. Ex altera parte bonum & malum in voluntate appellantur verum & falsum, ex S. Thom. 1. parte quæst. 17. art. 1. iuxta illud Ioan. 3. *Qui facit veritatem*, idest opera recta & bona, *venit ad lucem*: & è contra Psalmo 4. *Vt quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium*, idest peccatum. Et sicut in actibus voluntatis specialiter consideratur capacitas bonitatis: ita in actibus intellectus capacitas veritatis. Quia ad bonitatem & veritatem homo ex natura sua rationali inclinationem habet. Vnde vitium dicitur esse contra hominis naturam, ex S. Thom. 1. 2. quæst. 71. art. 2. Et sic etiam falsitas dicetur contra lumen naturale intellectus, quia homo natus est ad veritatem, Aristot. primo Reth. cap. 1. Atque adeo huiusmodi capacitas bonitatis & veritatis in his actibus, se habet veluti exigentia quædam perfectionis ad quam natura inclinat, vt etiam supra notauimus. Hoc ergo modo per hanc rectitudinis capacitatem optimè dirigibilitas explicatur.

Et vt sic est entitas ipsa cognitionis.

Hinc colligendum est, quid sit ista capacitas. Est enim aliquid reale, quia sine fictione intellectus cognitio verè & realiter potest esse recta & vera. Non est denominatio aliqua extrinseca: cognitio enim secundùm se est capax veritatis, & non denominatur talis ab aliqua forma extrinseca, eo modo quo dictum est de dirigibilitate priori modo sumpta. Neque est potentia aliqua realis, seu forma intrinseca, distincta ab entitate ipsa cognitionis. Nam in hoc actu iudicij quo intellectus affirmat, verbi gratia homo est animal, non potest excogitari potentia seu forma distincta ab ipsa entitate iudicij, quæ sit capacitas veritatis: eò magis quòd ipsa veritas non est forma ab actus entitate distincta. Et sic in omni alio cognitionis actu.

Est ergo realiter & essentialiter ipsamet entitas cognitionis connotando rectitudinem & veritatem possibilem. Quod explicatur magis, distinguendo cognitionem in triplici statu, in quo supra defendebamus illi conuenire veritatem. Si sumatur cognitio in communi abstrahens à recta & indirecta: sic potest quidem considerari capacitas rectitudinis per modum relationis, atque adeo quæ sit relatio rationis; sicut in omni natura generica consideratur huiusmodi aptitudo relatiua, seu relatio rationis, vt possit contrahi per suam differentiam. Tamen quia quærimus quid sit realiter ista capacitas; sic certè non est aliud, quàm gradus ipse cognitionis realis, qui est fundamentum talis relationis, connotando differentiam realem cuius talis natura est capax. Si autem sumatur cognitio recta: sic etiam non est aliud quàm idem gradus realis cognitionis in ipsa inuentus: siue est possibilitas ipsius cognitionis rectæ, quæ intrinsecè non est aliud, quàm ipsamet cognitio quatenus possibilis recta. Si demum sumatur cognitio indirecta & falsa: in ipsa etiam inuenietur ille gradus cognitionis, ratione cuius est mutabilis & conuertibilis in cognitionem rectam: siue qui gradus secundùm conuenientiam rationis vnus, potest transire de inrectitudine ad rectitudinem, de falsitate ad veritatem.

Atque hoc totum confirmandum est & illustrandum eodem exemplo actuum moralium voluntatis quoad suam capacitatem & exigentiam bonitatis. Nam hæc capacitas in illis similiter per entitatem ipsam actus voluntatis, connotando bonitatem illi possibilem & debitam, explicanda est; applicando illam, tum actui sumpto in communi abstrahenti à bono & malo, tum actui bono, tum malo.

Et hoc modo demum sumpta dirigibilitas est ratio formalis obiecti Logicæ: estquè fundamentum illius denominationis, qua cognitio dicebatur dirigibilis per artem: ratione enim huius dirigibilitatis qua cognitio est capax rectitudinis, Logica circa ipsam versatur, intendens pro suo fine, illam rectam efficere.

Estquè ratio formalis obiecti Logicæ.

QVÆ-

QVÆSTIO QVARTA.

De Instrumentis directiuis intellectiuæ cognitionis.

Cognitioni dirigibili Instrumenta directiua proximè correspondent. His enim instrumentis directio potissimùm perficienda est. Itaque nomine instrumenti intelligitur illud, quod Logica assignat, & quo intellectus vtitur ad cognitionem dirigendam. Appellari etiam solent hæc instrumenta, Methodi, idest viæ & tramites cognoscendi. Ita Methodos appellauit Damasc. cap.1. suæ Physicæ, & Arist. ipse 1. de Anima text.4. & 5. Alijque veteres Peripatetici sic loquuti sunt: & ex modernis sub hoc nomine Methodi agit de his instrumentis Iacob. Zabar. in suis libris de Methodis. Sed iam communiter instrumenta potius appellantur: & latius sumpto nomine scientiæ pro cognitione, solent dici instrumenta sciendi, pro cognoscendi.

Vt certum notumquè supponimus, dari hæc instrumenta cognitionis directiua. Et licèt Zabar. lib.3. cap.20. velit, hæc instrumenta dari propriè propter scientias speculatiuas, non verò propter practicas, sed ad summum secundariò ijs adaptari: tamen sicut Logica per se primò & adæquatè dirigit cognitionē, abstrahendo à speculatiua & practica, siue vtranque complectendo: ita prorsus instrumenta per se primò & adæquatè sunt directiua totius cognitionis, complectendo tam practicam, quàm speculatiuam.

SECTIO PRIMA.
Quot & quæ sint hæc Instrumenta.

Variæ sententiæ. Nota satis & consueta est assignatio trium Instrumentorum, Definitionis, Diuisionis, Argumentationis. Quorum mentionem faciunt Porphyr. cap.1. Prædicab. Cic. lib.1. Accad. qq. ad Varron. & in lib. de Finibus, & alibi, Plato apud Alcinoum cap. 3. Boet. ad initium Topic. Cicer. D. Aug. lib.2. de Ordine c.3. & alij.

Aliqui verò ex horum numero Instrumentorum Diuisionem subtrahunt, non distinguentes eam ab alijs instrumentis. Specialiter Hurtad. disp. 10. sect.6. diuisionem cum definitione ferè confundit. Et Vallius init. Post-qu.1. cap.3. vult, ad definitionem & demonstrationem omnia instrumenta reduci. Et fundantur in Arist. qui non solùm in sua Logica nullibi per se tractat de diuisione, sicut tractat de argumentatione & definitione in libris Resolut. Sed expresè 1. de Anim. 48. *Ratio omnis* (inquit) *definitio est aut demonstratio.* Et 1. Met. tex. item 48. *Omnis disciplina, aut per demonstrationem, aut per definitionem.* Hæc ergo solùm duo instrumenta Arist. agnoscit. Sic etiam Algazel in sua Logica tantùm definitionem & argumentationem assignat.

Ex opposito Damasc. cap.1. suæ Phys. quatuor Logicæ instrumenta distinguit, addens præter dicta tria, Resolutionem compositi in partes. Eadem quatuor instrumenta assignat Ammon. super Prooem. Porphyr. Eustrat. in sua præfat. super 2. Post. & quidam alij.

Deinde Zabar. in suis lib. citatis noua sententia excogitata contendit, duo in primis instrumenta esse in genere, Ordinem quem ait esse instrumentum disponendi, & Methodum propriè dictum intelligendo instrumentum cognoscendi siue sciendi. Rursus ordinem distinguit in duos. Et sub methodo quoque duo instrumēta distinguit, Demonstrationem, & Resolutionem. Per resolutionem intelligit demonstrationem ab effectu ad causam. Demonstrationem verò absolutè dictam sumit pro demonstratione potissima, quæ est à causa ad effectum. Et præsertim lib. 3. conatur tam definitionem quam diuisionem ex instrumentorum classe reijcere. Totum fundamentum eius est: quia supponit, instrumentum esse quod habet vim notificandi ignotum ex noto. Vnde illud cum syllogismo confundit, & maximè ad Demonstrationem restringit.

Alia demum sententia est, quæ tria illa instrumenta, Definitionem, Diuisionem, Argumentationem, retinens; alia duo adiungit, Enunciationem, & Ordinem, siue Methodum, sumendo nomen Methodi, non communiter pro omni instrumento, sed solùm pro ipso Ordine, qui sanè in sciētijs solet absolutè Methodus appellari. Et ita hæc sententia quinque efficit instrumenta. Et omnium optimè videtur veram ac debitam assignationem attingere. Sed per omnia enumerata instrumenta breuiter discurrendo, res tota clariùs & certiùs apparebit.

Argumentatio. Primò Argumentatio planè est insigne Logicæ instrumentum, cognitionis nostræ directiuum. Patet. Tum apud Arist. qui propterea tàm latè de illa & accuratè in lib. resolutor. alijsquè sequentibus pertractauit. Tū absolutè in ipsa Logica, quæ tàm sollicitè & diligenter tradit regulas præcepta & normam benè argumentandi. Tum ex valore ipso argumentationis: nihil enim magis aptum & idoneum ad dirigendum nostrum discursum potest afferri vel cogitari. Inuenitur autem plerunquè loco argumentationis demonstratio nominari, vt patet apud Arist. & Porph. loc. cit. Nō vtique ad excludendas alias argumentationis species; sed quia demōstratio dignior ac præcipua est.

Enūciatio. Secundò debet etiam Enunciatio per se tanquam instrumentum assignari. Probatur Tum ex Ar. qui per se & ex professo de illa agit in lib. de Interpret. sicut in alijs lib. de argumentatione. Tū quia cōmodè & opportunè satis Logica quamplures regulas & præcepta de ipsa enunciatione tradit, vt notum est, quæ multùm deseruiunt ad discernendam veritatem: quatenus ergo has regulas suscipit, & doctrinā logicā fundat, est instrumentum cognitionis directiuū. Tum præsertim ita se habet enunciatio ad iudiciū, sicut argumentatio ad discursum: ergo sicut argumentatio erat instrumentū commodissimum ad directionem discursus: ita est enunciatio ad directionem iudicij. Nam ipsum iudicium est in se capax propriæ directionis per proprias regulas & præcepta: sed non alio modo potest melius & propinquius dirigi, quàm mediante enunciatione, de ipsa immediatè tradendo regulas & leges directionis: ergo.

Quod si quæ ratio enunciationi videtur obstare, est fortasse, quia enunciatio non est quid à iudicio distinctum: enunciatio enim mētalis est formaliter ipsum iudicium: vocalis est expressio eiusdem iudicij. At par difficultas omnino de argument. procedit: non enim plus à discursu, quàm enunciatio à iudicio, distinguitur. Si ergo hoc argumentationi non obstat: nec enunciationi debet obstare. Sed qualiter vtraque à cognitione dirigibili distinguatur, sect. seq. videbimus.

Nec etiam debet obstare, enunciationem non fuisse ab alijs inter instrumenta repositam. Sufficere enim potest auctoritas Aristot. allata. Et prætereа alij veteres non negarunt enunciationem esse instrumentum; sed quando illa tria nominarunt, non dixerunt illa sola adæquatè esse instrumenta: imo nec sub nomine instrumenti illa appellarunt: tantùm absolutè docuerunt, definitionem, diuisionem, argumentationem, ad Logicam pertinere. Fortasse etiam in ipsa argumentatione enunciationem intelligere voluerunt: quoniam argumentatio duas habet partes, antecedens quod vtique spectat ad secundam operationem, & consequens in quo formaliter consistit discursus. Sic Arist. loc. cit. de Anima post verba præallegata, distinguit in demonstratione antecedens & consequens. Quia tamen enunciatio hic sumi debet per se & absolutè præciso ordine ad illationem conclusionis, & argumentatio sumi debet specialiter pro ipsa vi illationis: ideò, sicut secunda & tertia operatio distinctæ sunt, & per se dirigibiles: discretè debent hæc duo instrumenta, argumentatio & enunciatio, assignari.

Tertiò etiam Definitio est logicum instrumentum. Sic illam simpliciter appellauit Auerr. 7. Met. com 42. Patet. Tum ex Ar. qui 1. de Anima, & 1. Met. definitionē principaliter simul cum demonstratione coniunxit. Et licèt hic in Logica de definitione nō agat nisi in 2. Post. lib. magis in ordine ad demonstrationem, cuius potest esse medium, vel conclusio; & in 6. lib. Topic. propter syllogismum dialecticum, ad quem etiam multùm deseruire potest: tamen numerat Laertius in vita Aristot. alios eius libros ad definitionem pertinentes, qui nunc non extant. *Definitio.*

Tum

Tum etiam patet ex ipso vsu Logicę, quę definitionis regulas & præcepta præscribit. Et ex vsu aliarum scientiarum, quæ de rebus quas considerant aptas, definitiones construere student. Tum demum ex vtilitate ipsius definitionis, quæ sanè ad explicandas, & explicitè proponendas intellectui rerum essentias, ad verā notitiam de rerum quidditate formandam, & ad inferendas proprietates essentiam consequentes, maximè confert. Imo prætereà aliqui defendunt, definitionem esse instrumentum demonstratione nobilius. Ita contendit Vallius 2. Poster. disp. 3. p. 2. q. 3. Et quidem in aliquo sensu verum est. Tamen considerando illud quod Logica magis intendit in ordine ad scientias; sic definitio non est demonstrationi præferenda: sed potius demonstratio est præcipuum instrumentum.

Diuisio. Quartò debet etiam Diuisio inter instrumenta logica computari. Probatur. Tum quia Aristot. ipse licèt non de illa specialiter aliquo in loco tractauerit: tamen sæpè illam nominat, sæpè illa vtitur. Et expressè primo de Anima textu quinto inter Methodos, idest instrumenta cognoscendi simul cum demonstratione diuisionem coniungit. Refert etiam Laertius quosdam libros Aristot. ad diuisionem pertinentes. Tum quia præsertim Plato multùm diuisionem æstimabat. Et Resolutio illa quam Damasc. adiungebat, genus quoddam diuisionis est: Vnde diuisionem per duplicem partem assignauit, alteram qua diuiditur superius in sua inferiora, alteram qua diuiditur totum in partes ex quibus componitur. Nisi dicatur, Damascen. accepisse resolutionem pro ea qua dijudicamus prædicata conuenientia rei, veluti resoluendo rem in sua prædicata, ex quo postea possunt fieri illationes: quo pacto resolutio cum enunciatione coincidit.

Tum etiam constat, Logicam rectè & vtiliter tradere regulas & præcepta bonæ diuisionis, omnesquè scientias frequenter diuisione vti iuxta regulas logicas: ergo diuisio verè est instrumentum. Tum demum patet, diuisionem multùm iuuare ad distinctos conceptus de rebus singulis efformandos, ad discernendum quæ affirmari vel negari debeant, aliaquè subinde inferenda. Propter quod Aristotel. primo Priorum sect. 2. cap. 3. dixit, diuisionem esse paruam quandam particulam syllogismi, quia est veluti imbecillis syllogismus. Non est ergo ex instrumentorum numero excludenda.

Nec obstare debet auctoritas Aristot. illis duobus locis. Obseruandum est enim, Aristot. sæpè præcipuam facere mentionem, & maximam habere extimationem, eius cognitionis qua assequimur essentiam & quidditatem rei, & quā ipse vocat cognitionē quod quid est; itē alterius cognitionis quæ proprio nomine scientia appellatur & demonstratione gignitur. Hasquè cognitiones, tanquam in omnibus facultatibus principales, maximè extollit. Vnde quidam antiqui solebant nomen scientiæ vsurpare, vt huic duplici cognitioni commune. In hoc ergo sensu Aristot. ibi respectu huius duplicis cognitionis, demonstrationem & definitionem assignauit. Non negans, si cognitio magis amplè sumatur, etiam diuisionem eius directioni plurimum inseruire. Vel docere voluit, ad perfectam rei notitiam omnino definitionem demonstrationemquè requiri, nec esse adeò necessariam semper diuisionem.

Neque demum contra hæc alia instrumenta quæ præter argumentationem defendimus, obstare debet fundamentum Zabar. Non enim sumi debet instrumentum præcisè pro eo quod notificat ignotum ex noto, siue pro syllogismo: sed pro medio apto ad dirigēdam cognitionem, siue ad manifestandum quod erat ignotum; referendo instrumentum, non ad solum discursum, sed ad totam cognitionem intellectiuam.

Quintò demum Methodus siue Ordo maximè quidem iuuat ad directionem nostræ cognitionis: non tamen est instrumentum æquè distinctum à prædictis, sicut erant ipsa inter se: sed est dispositio quædam communis ad omnem directionem nostræ cognitionis: debetquè in Logica, sicut & alia quæ ad directionem cognitionis pertinent, considerari atque tractari. *Methodus siue Ordo.*

Et quidem, quantæ vtilitatis, imo necessitatis, sit hic Ordo & Methodus, experientia ipsa satis perspicuum est & exploratum: vt è contra constat, cùm rectus non seruatur ordo, res omnes confundi, addi-

addiscentis animum perturbari, & à perfecta rerum notitia maximè præpediri. Non propterea oportet Methodum, tanquam cōdistinctum quoddam ab alijs instrumentum, assignare. Quinimo in maiorem eius laudem redundat, dicere, esse conditionem cōmunem totius directionis peragendæ. Nam quælibet scientia suam doctrinam tradit, definiendo, diuidendo, enunciando, argumentando: hæc autem omnia ordinatè facere debet. Itaque ordo non abstrahitur & auellitur ab his medijs cognoscendi, sicut vnumquodq. ex his alijs medijs per se & sigillatim assumitur & exercetur. Planè autem ad Logicam pertinebit tractare de Methodo. Vt enim Logica tradit modum sciendi, modum in scientijs omnibus procedendi: sic tradere debet modum ordinatè sciendi & procedendi, tradendo regulas & præcepta de ordine obseruādo. Idquè ad nullam aliam scientiam poterat ex officio pertinere.

Cæterùm prædicta instrumenta solùm in genere designauimus, Sed rursus in plures species diuidenda sunt. v. g. definitio, alia est essentialis, alia descriptiua: argumentatio continet demōstrationem, tum à causa, tum ab effectu, tum omnes varias illationes: & sic de alijs. De quibus omnibus in speciali suis locis agendum erit.

SECTIO SECVNDA.

Quid sint hæc Instrumenta.

NOn est facile explicare, quid nam hæc instrumenta sint, in genere de ipsis loquendo. Et quidem tria distinguenda sunt, quæ in dubium venire possunt. Voces quibus argumentatio enunciatio & alia instrumenta exterius efformantur: Actus intellectus in his interuenientes: Obiectum quod per hos actus menti obuersatur, & vocibus significatur. Primo modo dicetur argumentatio vocalis, enunciatio vocalis, & sic de cæteris. Secundo modo argumentatio mentalis seu formalis. Tertio modo argumentatio obiectiua, definitio obiectiua.

An sint voces. Et primò statim videbitur, omnia hæc instrumenta in vocibus consistere, & essentialiter esse voces. Nam omnia explicari solent per orationem: definitio est oratio explicans essentiam rei: & sic de alijs singulis: oratio autem est vox significatiua ad placitum &c. siue voces sumantur, prout actualiter proferuntur, siue prout interius apprehenduntur in conceptibus nō vltimatis, quo pacto pertinere videntur ad mentalem orationem. Ergo omnino hęc instrumēta sunt voces.

At ex opposito id non videtur posse defendi. Tum quia cùm voces sint signa conceptuum, supponunt cognitionē in mente, atque adeò vel directam vel indirectam: non ergo possunt causare cognitionem directam, siue rectitudinē in cognitione; quod est officium instrumēti directiui. Tum etiam voces manifestant quidem mentis conceptum, vel rectum, vel indirectum. Enunciatio, v g. exterius profert iudicium mentis vel verum vel falsum. Voces ergo rectè dicuntur instrumenta manifestatiua, non autem directiua conceptuum. Tum præterea, cùm Logica tradit regulas & leges benè definiendi; non vtique intendit exquirere & inuenire nomina generis & differentiæ, aliauè per quæ res definiatur; sed intendit vt concipiatur vera & realis essentia rei. Et in rebus ipsis concipiendis, non ideò rectè concipitur, v. g. homo, eò quòd apprehendantur hæc nomina, animal rationale: sed quia apprehenditur realis essentia hominis. Neque voces sunt causa huius rectæ apprehensionis. Non ergo sunt voces instrumenta directiua conceptuum.

An sint actus intellectus. Secundò nec etiam dici posse videtur, instrumenta esse actus ipsius intellectus. Vel enim sumuntur illi actus intellectus, qui diriguntur siue recti efficiuntur, videlicet enunciatio vera, syllogismus rectè concludens: & sic hi actus non dirigunt, sed diriguntur. Nam enunciatio est ipsum iudicium, syllogismus est ipse discursus. Non ergo sunt instrumenta directiua: sed sunt operationes ipsæ dirigibiles, seu directæ. Si autem sumantur illi actus intellectus, quibus in genere scimus, qualiter rectè argumentandū definiendum sit &c. Hi actus sunt formaliter ipsa Logica: hæc enim scientia est Logica; scientia quidem actualis, si sumatur pro actibus; habitualis, si sumatur pro habitu. Non ergo hæc sunt instru-

menta,

mēta, quæ Logica tradit, & quibus vtitur.

An sint obiectū intellectus. Tertiò tandem nec etiam dici poterit, instrumenta consistere in obiecto quod cognoscitur. Nam obiectum est id ad quod ritè cognoscendum assumimus instrumenta: quia perfectio cognitionis consistit in eo quòd attingatur obiectum sicuti est in se; & ad hanc perfectionem assequendam non vtimur ipso obiecto. Non ergo obiectum dici potest instrumentum directiuum cognitionis. v. g. perfecta apprehensio hominis consistit in eo vt explicitè concipiatur essentia eius, scilicet animal rationale, perfectus discursus consistit in eo vt ex rationalitate risibilitas inferatur: ad hos autem actus dirigendos non deseruiunt ipsa obiecta; sed potius hæc obiecta tunc mente assequimur, cùm rectis actibus attingimus. Non ergo instrumenta consistunt in obiecto cognito.

His tamen non obstantibus, explicandum est, quidnam hæc instrumenta sunt. Imo omnibus his tribus modis rationem horum instrumentorum possumus explicare.

Possunt constitui in vocibus. Primò ergo possunt hæc instrumenta sumi prout in vocibus consistunt & exercentur, nempè argumentatio vocalis, & sic reliqua: & hæc sint verè directiua nostræ cognitionis. Nimirum Logica tractat de argumentatione, v. g. quæ est oratio, quæ vocibus construitur, traditquè suas regulas & præcepta: non quidem vt in ipsa argumentatione vocali sistat, quasi ipsam dirigere & regulare intendens: sed vt mediante ipsa per easdem regulas & præcepta dirigat argumentationem siue discursum mentalem: quod est intentum Logicæ. Et non sine magna commoditate Logica hoc medio vtitur: quia cùm voces sint nobis notiores, magisquè familiares, & substituātur loco conceptuum; opportunum satis est, ijs directionem logicam accommodare: quia sic faciliùs & promptiùs conceptibus mentalibus applicatur. Hac ergo ratione Logica agit de enunciatione quæ est oratio, volens dirigere iudicium; similiter de argumentatione, volens dirigere discursum. Sic dixit optimè Auic. in princ. Logicæ, & approbat Caiet. in Præfat. Prædicam. *Considerare de vocibus non est logici negotij ex intentione: sed necessitas ad hoc impellit; quoniam res sic conceptas non nisi verbis exprimimus, docemus, adunamus, ordinamus.*

Exemplum persimile huius rei est. Considerat Astronomus paruam sphæram ligneam fabrefactam, in qua descripta sunt signa, circuli, & alia quæ considerantur in cælis, quorum etiam admirabiles & varij motus in illa repræsentantur, vt eædem res de cælo repræsentato per illam sphæram debeant intelligi; quæ si de ipso cælo immediatè ab initio traderentur, multò difficiliùs possent intelligi. Pari ergo consilio, Logica tradit suam doctrinam de vocibus, considerando, v.g. enunciationem, qualiter sit affirmatiua vel negatiua; absoluta vel modalis, &c. vt id totum de ipsis mentis conceptibus, de ipso mētali iudicio, intelligatur. Hinc sphæra illa lignea dicetur instrumentum Astronomi ad tradēdā suam doctrinā de ipso cælo: & voces dicentur instrumentū Logicæ ad tradendam suam doctrinam de directione cognitionis, atque adeò ad dirigendam ipsam cognitionem. Et iuxta hanc explicationem nullam vim habent, quæ supra contra voces opponebantur.

Secundò rursus possunt hæc instrumenta sumi, prout consistunt in actibus intellectus: ita vt hi actus verè instrumenta directiua dicantur. Et quidem supponendo & acceptādo distinctionem illam actuum intellectus inter dubitandum allatam: possunt aliquo modo actus ipsi in particulari qui diriguntur, dici & esse instrumenta; non quidem quasi idem actus sit instrumentum ad directionem sui ipsius; sed quia vnus potest deseruire ad directionem alterius. v.g. definitio formalis, idest actus quo intellectus definit siue concipit essentiam talis rei, item diuisio qua perspicit rem in plura partiri, multùm deseruiet ad plures enunciationes & argumētationes efformandas, siue ad plures actus iudicandi & discurrendi rectè eliciēdos: sic ergo possūt dici instrumēta. *Possunt constitui in actibus intellectus.*

Alio modo magis propriè actus intellectus sumpti pro notitia quā habemus, qualiter definiendum, argumentandum seu discurrendum sit, sunt vtique maximè directiui actuum in particulari eliciendorum in quacunque materia: & ad hanc notitiam adæquatè spectat directio cognitionis quæ subinde dirigenda est.

Fate-

Fatemur autem libenter, hanc notitiam esse ipsam Logicam, & posse sumi tum in actu, tum in habitu. At rectè Logica ipsa dicitur instrumentum aliarum scientiarum, dicitur instrumentalis ad dirigẽdam nostram cognitionem: atque sic diuersæ partes Logicæ sunt diuersa instrumenta. Cùm verò dicitur Logica tradere instrumenta, vel tunc instrumenta alijs modis sumuntur: vel etiam in hac acceptione potest intelligi & explicari, sumendo Logicam per modum doctrinæ, & instrumenta per modũ disciplinæ, sicut sanè dicere solemus: Logica docet, quomodo definiendum & discurrendum sit: Logica tradit notitiam benè definiendi & discurrendi, aliaquè simili, quæ eodem pacto verificantur.

Possunt constitui in obiecto. Tertio præcipuè hæc instrumenta sumenda videntur obiectiuè, ita vt sint obiectum ipsius intellectus, quod deseruiat ad dirigendam cognitionem: non quidẽ assignando obiectum cuiuscunque cognitionis in particulari, quasi tale obiectum sit instrumentum directiuum suæmet cognitionis: sed assignando obiectum illius notitiæ practicæ, quam etiam dici posse instrumentum affirmauimus conclusione præcedenti. Cognoscit enim intellectus per Logicam instructus, qualiter definiẽdum, qualiter argumentandum sit, cognoscit regulas & præcepta bonæ definitionis, bonæ argumentationis, & sic de singulis instrumentis. Hoc ergo obiectum terminans hanc cognitionem, definitio, argumentatio, hoc modo sumpta, cum suis regulis & præceptis, est instrumentum directiuum cognitionis, qua postea in particulari definimus, argumentamur, &c.

Et sic præcipuè debent accipi. Suadetur primò instrumenta debere sumi obiectiuè. Tum quia sic in toto rigore verificatur, Logicam tradere instrumenta, considerare instrumenta directiua, & alia huiusmodi, quæ passim dici solent. Tum quia ij qui volebant, instrumenta directiua esse obiectum Logicæ, vtque illa obiectiuè sumebant, & supponebant esse obiectum intellectus. Alij autem qui non eo modo obiectum Logicæ assignabant, non negabant, imo vltro etiam supponebant, instrumenta esse obiectum intellectus: tamen reduci ad operationes quarum sunt directiua, & ita considerari in ordine ad illas, atque adeò has potius quàm instrumenta primariò esse obiectum.

Secundò probatur instrumenta esse obiectum intellectus modo explicato. Quia notum sanè est; artificem, ad hoc vt opus suum artificiosum rectè efficiat, prius in mente sua cogitare atque perspicere, qualiter tale opus rectè efficiendũ sit, qualiter construendum scamnum, extruenda domus, &c. quod est præhabere in mente sua regulas & præcepta tale opus efficiendi: & hoc suo conceptu obiectiuo vtitur ad rectè efficiendum opus ad extra, & ipse conceptus obiectiuus est maximè directiuus operis faciendi: similiter ergo intellectus se habet ad dirigendam suammet cognitionem, tanquã operationem quandam dirigibilem: habetquè apud se huiusmodi conceptum obiectiuum, & hic est instrumentum directiuum cognitionis eliciendæ.

Tertiò explicatur magis exemplo. Vt intellectus efficiat rectum aliquem discursum, per Logicam discit, qui modus discurrendi sit aptus & benè concludẽs, qui syllogismus, quæ argumentatio recta sit: atque cognoscit, v. g. syllogismũ in Barbara rectè concludere, diligenter perspiciens qualiter talis syllogismus cõficiendus sit. Ex virtute autem huius notitiæ, & huius conceptus obiectiui, format deinde syllogismum, idest efficit discursum in hac vel in illa materia: semper rectè concludens, dum vtitur regulis illis præcognitis, operans iuxta normam præscriptam. Hic ergo conceptus obiectiuus est qui dirigit discursum postea elicitum, estquè instrumentum directiuum ipsius discursus, qui directus euadit. Similiter in quocunquè alio modo argumentandi seu discurrendi, sic etiam definiendi, atque in omnibus alijs instrumentis. Argumentatio ergo ita obiectiuè præcognita est propriè & præcipuè instrumentum, quod intelligitur nomine argumentationis: & sic de alijs singulis. Et præter hæc omnia non apparet; quomodo aliter posset assignari & explicari, quid sint hæc logica instrumenta.

Sed contra hunc tertium & principalem modum explicandi instrumenta, Obijcies primò, conceptus obiectiuus quem format artifex, v.g. de ædificio cõstruendo, *Suntquè idem atq. idea directiua cognitionis.*

struendo, nusquam dicitur instrumentum ædificandi, sed instrumenta dicuntur varia ligna & ferra quibus ædificatur: atque ille cóceptus obiectiuus spectat potius ad Idæam seu exemplar: differunt autem idæa & instrumentum: imo assignari solent duæ distinctæ causæ, idealis, & instrumentalis. Ille ergo conceptus obiectiuus, quem Logica format de syllogismo rectè efficiendo, non debet dici instrumentum, sed potius idæa & exemplar.

Respondetur. Libenter concedendo, talem conceptum obiectiuum dici posse idæam, ac spectare ad causam id talem: tamen hanc idæam in Logica dicimus esse instrumentum directiuum cognitionis. Quod non est absurdum, quando iam hoc modo loquendi communiter appellatur. Verum est, in alijs artibus non solere idæam appellari instrumentum, sed hæc duo solere distingui. Et ratio est: quia in alijs actibus habentur alia instrumenta externa quæ propriè hoc nomine appellantur, vt in exemplo adducto ædificationis: sed in Logica, cùm opus dirigibile sit cognitio interior intellectus, non habentur alia proportionata instrumenta: nisi quòd ipsamet idæa iam explicata dicitur instrumentum. Imo etiam in alijs artibus idæa interdum dicitur instrumentum: vt cùm pictor efformat aliquam imaginem ad imitationem certi exemplaris quod sibi ob oculos proponit, illud exemplar computatur inter instrumenta.

Quomodo instrumentum directiuum distinguatur à cognitione dirigibili.

Obijcies secundò. Obiectum quod solet concipi in idæa artificis, nisi sit opus aliquod singulare imitabile, quod sanè non est per se necessarium; non videtur esse aliud, quàm ipsummet opus efformandum, vel in communi, vel vagè præconceptum: ergo idem est in casu nostro: igitur obiectum à nobis assignatum, re ipsa non est aliud, quam eadem cognitio dirigibilis. At cognitio dirigibilis & instrumentum directiuum debent esse duo distincta: distinctè enim de ijs loquimur, & instrumentum se habet vt causa cognitionis quæ dirigitur. Ergo.

Respondetur. Concedendo idæam non plus ab opere efficiendo distingui, quàm in argumento assumitur: & ita etiam instrumentum directiuum cognitionis non plus distingui ab ipsa cognitione. Reuera enim dum intellectus concipit modum rectè discurrendi, v.g. syllogismum conficiendum in Barbara; obiectū huius notitiæ est ipse discursus, qui tali modo fieri debeat, sic in communi seu vagè sumptus. Et distinguitur vlterius à discursu postea efficiendo, sicut res prout obiectiuè concepta & in mente existens, ab ipsa re prout sumpta in se à parte rei: siue sicut conceptus obiectiuus ab obiecto in se sumpto. Et hæc distinctio sufficit ad saluanda omnia quæ dicuntur, tam de instrumento directiuo, quàm de cognitione dirigibili. Et præsertim ad saluandam causalitatem; opus enim quatenus mère præcognitum, est quodammodo causa operis, prout in exequutione efficitur. Nec mirum, quia reuera tota ista causalitas exercetur per ipsam cognitionem practicam, quæ est formaliter directiua operis, & ab ipso distinguitur.

Quare potius cognitio dirigibilis, quã instrumentum directiuũ, assignata sit obiectum Logicæ.

Obijcies tertiò. Si ita est: ergo perinde erat assignare obiectum Logicæ instrumentum directiuum, atque cognitionem dirigibilem. Imo illud potius assignari debebat: quia illud est cognitio ipsa in communi & obiectiuè concepta.

Respondetur. Negatur consequentia. Tum quia, sicut obiectum aliarum artium non assignatur idæa directiua operis, sed opus dirigibile; & ratio est quia ipsa idæa ordinatur ad opus, & ars per idæā efficit opus: ita etiam in Logica. Tum etiam, quia cùm Logica, non solùm dirigat cognitionem tradendo instrumenta propriè dicta, sed etiam explanando & proponendo intellectui res cognoscibiles, & considerando alia quæ intellectiuam cognitionem circunstant; non debebat obiectum ad instrumentum directiuum coarctari, sed adæquatè cognitio dirigibilis assignari.

SECTIO TERTIA.

Qualiter singula Instrumenta cognitionis directioni inseruiant: & quomodo disponenda sint.

CVm sub cognitione intellectiua tres actus dirigibiles constitui sint,

sint, videndum est qualiter instrumenta quæ designata sunt, ijs actibus dirigendis inseruiant: an vnum vni, & singula singulis; ita vt directionis officio ad inuicem distributo, certum instrumentum certæ tantùm operationi deseruiat: vel sine discrimine, ipsa instrumenta omnem intellectiuam cognitionem, omnesquè tres operationes, indifferenter dirigere habeant. Vnde dependet dispositio instrumentorum in Logica, idest vbi nam singula collocanda, & an cognitioni in communi, vel cui nam actui in speciali, adnectenda sint.

Argumentatio omnem cognitionē iuuat, sed per se discursum dirigit, illiquè coniungenda est.

Primò ergo ex se satis apparet, Argumentationem proximè & directè valere & ordinari ad directionem discursus: essentialiter enim est modus rectè discurrendi. At per connexionem quam inter se habent omnes tres operationes intellectus, negari non potest, argumentationem multùm etiam valere ad alios duos actus dirigendos. Ad iudicium quidem: quoniam sæpè, si intellectus falsa aliqua opinione & existimatione teneatur, argumentatio ex notis ad ignota procedendo illi veritatem manifestabit, & persuadebit, & ita errorem corriget tollendo falsum iudicium. Et licèt tunc in ipso actuali exercitio argumentationis atque discursus, per iudicium illatiuum tertiæ operationis corrigatur, idest tollatur falsum iudicium, quod erat secūdæ operationis: tamen deinceps poterit intellectus, etiam sine illo actuali exercitio discurrendi, elicere actum veri iudicij de veritate tunc cognita: & ita positiuè etiam assequutus erit actum rectum secundæ operationis ope argumentationis prioris. Ad apprehensionem etiam: quia argumentatione sæpè iuuamur ad assequendum proprium & quidditatiuum rei conceptum, ad inueniendam rei essentiam, vt perfectè, & quidditatiuè, atque explicito proprioque conceptu, rem apprehendere valeamus.

Verùm propter intrinsecam & proximam habitudinem, imo identitatem argumentationis ad discursum, non nisi simul cum ipso discursu de argumentatione agendum erit. Ad directionem autem communem cognitionis & duarum priorum operationum, sufficiet argumentatione ipsa vti ex regulis iam in Institutionibus præmissis.

Enunciatio omnē cognitionē iuuat, sed per se iudicium dirigit, illiq. coniungenda est.

Secundò pariter perspicuum est, Enunciationem per se & directè referri ad dirigendam secundam operationem intellectus. Ita enim se habet enunciatio ad iudicium, sicut argumentatio ad discursum, vt antea dictum est. Per connexionem verò dici debet, conferre etiam ad dirigendam omnem aliam cognitionem. Ad discursum planè: quia ex secunda operatione dependet tertia; & argumentatio ab enunciatione incipit, vt in conclusionem desinat; & regulæ quæ traduntur circa enunciationem multùm iuuant ad rectè syllogizandum, vt est satis notum. Ad apprehensionem quoque: quia ex vero iudicio potest adiuuari intellectus; vt per simplicem apprehensionem connectat illa quæ verè connectenda sunt in proprio conceptu talis vel talis rei, nè aberret à vero rei conceptu, quando quærimus talem rem concipere: & ex regulis quæ circa enunciationem traduntur, multa innotescunt circa apprehensionem, quatenus ipsas etiam enunciationes potest complecti.

Debet autem enunciatio non alio in loco quàm simul cum secunda operatione tractari: quia tàm per se & intrinsecè iudicium & enunciatio connectuntur, vt separari non possint.

Definitio per se omnem cognitionem dirigit, & hoc loco communi considerāda est.

Tertiò deinde Definitio non est ita per se affixa vni certæ ac peculiari operationi intellectus: sed potius incipiens à prima operatione, per se extenditur ad alias etiam duas dirigendas. Et in primis, definitionem per se primò valere ad dirigendam primam operationem, patet: quia tunc maximè apprehensio rei perfecta est, cùm propriam essentiam rei explicitè & adæquatè concipimus: sed definitio est quæ explicat & intellectui proponit veram ac legitimam rei essentiam. Imo obiectum proprium primæ operationis assignatur quod quid est rei ab Aristotele multis in locis, texto Metaphysicorum textu octauo, tertio de Anima textu vigesimosexto: vbi comparat intellectum apprehendētem essentiam rei, oculo videnti proprium obiectum, & alibi. itèm à Diuo Thomo prima par. quæst. 85. articulo 5. & 6. & alibi. Sed veram rei quidditatem cognoscimus per definitionem, vt docet idem Aristot. 11. Meta-

Metaphys. sum. 3. cap. 1. dicens: *Cùm verò vnicuique scientiarum necesse sit ipsum quid est aliquo modo scire, & hoc principio vti oporteat, non latere quomodo definiendum*. Et Auerroes 7. Metaphysicorum com. 42. *Logicus considerat definitionem quatenus est instrumentum ducens intellectum ad cognoscendam quidditatem rerum*. Definitio ergo per se primò valet ad dirigendam primam operationem.

Consequenter valet etiam per se ad dirigendam secundam, ad affirmanda de quacunque re sua essentialia prædicata, & subinde ad neganda omnia quæ veræ rei essentiæ & prædicatis essentialibus repugnant. Imo si sumatur definitio pro integra propositione, homo est animal rationale: sic formaliter spectat ad ipsam secundam operationem. Valet demum ad dirigendam tertiam operationem. Ex definitione enim colliguntur propriæ passiones & attributa quæ rei conueniunt: deducitur etiam negatiuè, quænam prædicata rei attribuenda non sint: & plurimæ veritates per discursum ex vera rei definitione inferuntur. Imo definitio assignatur pro legitimo & proprio medio demonstrationis, quę dicitur propter quid, & quæ constituit perfectissimum discursum. Vnde Aristoteles in secundo Posteriorum lib. latè de definitione agit propter demonstrationem & scientiam.

Hinc fit, cùm definitio sit hoc modo commune instrumentum, non debere restringi ad certam aliquam operationē: sed potius sub directione cognitionis in communi ante singulas operationes in speciali considerari debet. Quod quidem hac ipsa quæstione breuiter exequemur.

Similiter diuisio, Quartò. Diuisio item per se valet ad directionem omnium trium operationum. Primæ quidem: quoniam per diuisionem fit, vt non vno conceptu confuso, sed distinctè & sigillatim plura apprehendamus. Secundæ: quia per diuisionem multùm iuuamur ad dignoscendum, quid affirmādum quiduè negandum sit. Imò, cùm affirmatio fundetur in identitate, negatio in distinctione extremorum, diuisio sæpè manifestat hanc distinctionem, vel identitatem. Tertiæ demum: quia in discurrendo frequenter distinctionib. vtimur, & diuisio sæpè suggerit materiam, & aperit viam discurrendi in multis rebus, iuuat ad dispiciendam vim illationis, detegit si quæ ambiguitas & fallacia in argumento latebat & pleraquè sanè commoda discursui dirigendo affert. Iuxta hæc Auerroes in Epith. Perhierm. in princip. ait, duo esse genera, idest instrumenta ad perficiendam verificationem, nempè distinctionem & syllogismum: per verificationem intelligens iudicium, abstrahendo à simplici & illatiuo. Et Diuus Augustinus libro tertio de Doctrina Christiana, capite tertio ait: distinctione vtendum esse ad cognoscendam dicti veritatem.

Hinc pariter fit, vt de diuisione hoc loco communi, & non in peculiari aliquo vnius certæ operationis tractatu, agendum sit.

Methodus autem ad finem Logicæ refer uatur. Quintò tandem de Methodo multò certius constat ex dictis, non esse peculiare quoddam alicuius operationis instrumentum: diximus enim esse communem quandam conditionem totius directionis, & rectæ cognitionis. Quia autem ordo dirigendi supponit vtique ipsam directionē absolutè consideratam; & ordo cognoscendi, ipsam cognitionem: ideò in fine Logicæ de Methodo agere cogitamus. Eoquè magis, quòd is tractatus proximè nobis gradum faciet ad Philosophiam auspicandam, rectoquè ordine disponendam.

SECTIO QVARTA.

De Definitione.

Definitionis tractatio aliquo olim tempore multò celebrior extitit, magisquè æstimata. Imo fuerunt qui definitionem demonstrationi præferrent, eiquè potissimum locum inter instrumenta sciendi tribuerent: eò quòd Aristoteles 7. Metaphys. tex. 4. dixit, nobilius esse scire quid res sit, quàm qualis sit. Nunc autem à multis ferè contemnitur, aut prorsus omittitur: eo quòd non adeò necessaria videatur. A quibusdam verò ad Metaphysicam potius quàm ad Logicam pertinere, existimata est. Ita Suessanus libro 2. Poster. in princ. Et quidam alij:

Eò quòd

Eo quòd Arist. in ipsa Met. lib. 7. de illa latè pertractat.

Verùm hæc tractatio neque tanti vt olim facienda est, neque prorsus contemnenda vel omittenda, neque in Metaphysicam differenda; sed hoc loco breuiter explicanda est: quæ omnia ex dictis iam communiter de instrumentis logicis satis constant. Præsuppositis autem quæ hac de re in Institutionibus præmisimus, nè hic eadem repetamus; quæ supererunt breuiter prosequemur.

An sit. Primò refert Aristoteles 8. Metaphys. tex. 9. Antisthenis sectatores negasse rerum definitionem: quia dicebant, oporteret longum sermonem texere, & in infinitum definitionem extendere: quoniam illa prædicata per quæ res definitur, debebunt & ipsa per alia definiri, & hæc per alia in infinitum. Refert etiã Themistius 2. Poster. cap. 24. Speusippum negasse definitionem: quia dicebat, ad definitionem necesse est cognoscere differentiam propriam rei ab alijs rebus; ad hanc autem differentiam cognoscendam, necesse est res ipsas omnes cognoscere, quod est nobis impossibile.

Satis tamẽ manifestum & exploratum est, rerum definitiones esse possibiles, nec admodum difficiles, esseque in vsu magna cum vtilitate in singulis quibusque scientijs. Neque difficultatem ingerunt rationes oppositæ. Nam, vt respondet ibi Arist. in definiendo perueniemus ad suprema prædicata, quæ vlterius per alia definiri non exigunt: & ita non sequitur processus in infinitum. Item necesse non est, omnes res distinctè cognoscere ad cognoscendam differentiam propriam vnius rei: sed ex definitione ipsa solemus assignare discrimen rei definitæ ab alijs rebus. Et ad assignandum ipsummet discrimen, satis est cogitare de alijs rebus sub conceptu aliquo communi: v. g. ad assignandum discrimen substantiæ viuentis ab alijs omnibus rebus; satis est cogitare alia entia quæ non sunt substantia, nempè accidentia, & alias substantias quæ non sunt viuentes: nec necesse est singula quæque in speciali percurrere.

Quid sit. Secundò dixerunt alij, non posse assignari quid sit definitio: quia hoc erit definire definitionem, quod videtur impossibile. Sicut non potest dari actio actionis, quantitas quantitatis: & alioqui daretur processus in infinitum. Compertum tamen est, debere ac solere assignari quid sit definitio, quod reuera est definire definitionem. Et quidem vulgaris est illa definitio definitionis: definitio est oratio explicans essentiam rei: quæ planè conuenit singulis quibusque definitionibus in particulari. Nam definitio hominis est oratio explicans essentiam hominis, & sic de reliquis. Si autem definire velimus definitionem magis propriè sumptam, vt instrumentum, quatenus diximus instrumenta magis propriè sumi obiectiuè, vt iam explicauimus: sic dici debet; definitio est modus, siue norma, siue idæa, explicandi essentias rerum.

Non est autem incommodum, dari definitionem definitionis, nec sequitur processus in infinitum. Quoniam ipsamet definitio definitionis non est extra rationẽ & ambitum ipsius definitionis quæ definitur: sed continetur implicitè intra ambitum ipsius definitionis definitæ. Nam definitio definitionis est vtique definitio quædam: & definitio quæ traditur de ipsa definitione, conuenit etiam ipsimet definitioni definitionis. Nam & ipsa est oratio explicans essentiam alicuius rei, nempè definitionis. Vnde non indigebit definiri alia definitione.

An sit ens reale. Tertiò deinde dubitatur, num definitio sit ens reale vel rationis. Et dicendum, materialiter quidem esse ens reale: formaliter verò ab intellectu referri per relationem rationis ad definitum. Vel enim sumitur definitio pro oratione explicante essentiam, idest pro vocibus: vel pro actu intellectus concipientis explicitè essentiam rei: vel pro obiecto eiusdem intellectus. Et quocunque modo sumatur, materialiter est reale quid. Sed facilè ab intellectu excogitatur respectus definitionis ad definitum, qui erit respectus rationis. Et licèt actus ipse definiendi in intellectu dicat ordinem realem transcendentalem ad obiectum: tamen adhuc in illo fundatur alia relatio rationis, sicut contingit & in alijs actibus intellectus.

In qua intellectus Quartò dubitatur, in quanam operatione intellectus propriò consistat definitio, loquen-

operatione consistat. loquendo scilicet de definitione formali, idest de actu quo intellectus rem definit. Ex vna parte videtur, in prima tantùm operatione consistere: quia Aristoteles primo Posteriorum cap. 10. textu 79. & libro 2. cap. 2. textu 16. planè ait, definitionem non esse enunciationem, siue affirmationem, sed esse id quod affirmatur de re, solumquè percipi, idest apprehendi. Et ita exponunt atque defendunt, Auerroes, Sanctus Thomas, & alij ijsdem locis. Ex alia parte idem Aristot. 1. Posteriorum cap. 2. textu 14. & rursus cap. 7. & lib. 2. cap. 10. planè docet, definitionem esse propositionem, & esse vnam ex præmissis in demonstratione, vel etiam esse conclusionem. Sic etiam definitionem explicauit Quintil. libr. 7. cap. 3. dicens, definitionem esse enunciationem. Definitio ergo in secunda intellectus operatione cõsistit, vel etiam in tertia.

Hæc tota diuersitas tantùm potest cõsistere in modo loquendi, & in modo accipiendi definitionem. Dubium enim non est, in intellectu reperiri & explicitam apprehensionem essentiæ rei, & enunciationem qua talis essentia affirmatur de sua re, v. g. homo est animal rationale. Definitio ergo potest vtroque modo accipi, vel pro sola apprehensione per se sumpta, vel pro tali affirmatione. Et vtroque modo illam accepit Aristoteles in locis allegatis. Quatenus autem definitio in integra enunciatione consistit; si probetur & inferatur ex alijs præmissis, spectabit vtique ad tertiam operationem. Verum est autem, frequentiùs solere primo modo sumi: & ita magis propriè dicetur in prima operatione consistere.

Quomodo differat à definito. Quintò dubitatur, quomodo definitio differat à definito. Et dicẽdum, definitionem sumptam pro essentia rei explicitè concepta, non differre, nisi in modo concipiendi. Ex parte enim rei conceptæ idẽ prorsus est res & sua essentia, atque adeò definitum & definitio. Totaque differentia consistit in modo concipiendi: definitum enim est quatenus implicitè concipitur, definitio quatenus explicitè. Sic se habent homo & animal rationale, aliaquè huiusmodi. Vnde hæc solet appellari distinctio rationis ratiocinantis, non verò ratiocinatæ: quia scilicet non se tenet ex parte rei conceptæ, sed solùm ex parte intellectus concipientis. Si autem sumantur ipsi actus intellectus: hi planè realiter distinguuntur. Sunt enim duo actus, quorum vnus non est alius, & vnus potest esse sine alio.

In definitione, quænam prædicata, & quomodo ponenda sint. Sextò dubitatur, quænam ponenda sint in definitione cuiusquè rei, & qualiter sit ipsa definitio construenda. Et regula generalis est: omnia illa quæ intrinsecè sunt de essentia rei, vel adæquæ res essentialiter dicit ordinem, esse ponenda in definitione rei. Illa sunt de essentia rei, quæ secundùm se & directè in ipsa essentia includuntur. Sæpè autem res dicit essentialiter ordinem ad aliquid extra se, v. g. relatio ad suum terminum, actus ad suum obiectum, & similia. Hæc ergo etiam in definitione ponuntur: non quasi ipsa secundùm se sint de essentia definiti, sed quia ordo ad ipsa est de essentia, qui ordo sine ipsis explicari & nominari non potest.

Ponuntur per se prædicata essentialia. Illa quæ sunt directè de essentia, vel sunt gradus metaphysici, qui scilicet per abstractionem rationis præscinduntur, vt respectu hominis animal rationale: & hæc sunt propriè prædicata essentialia, quæ in recto ponuntur in definitione, atque affirmantur de ipso definito. Et huiusmodi definitio appellatur definitio essentialis metaphysica. Vel illa quæ sunt de essentia rei, sũt partes physicæ seu reales: siue sint materia & forma; & sic potest definiri homo, est compositum constans ex corpore organico & anima rationali: siue sint partes integrantes simpliciter de substantia & cõstitutione rei; & sic potest definiri domus, est opus artificiale compactum ex parietibus & tecto: siue sint natura & subsistentia; & sic potest definiri suppositum, est quid constans ex natura substantiali & subsistẽtia: siue alio simili modo se habeant. Et huiusmodi partes non in recto ponuntur & prædicantur de definito, vt patet: non enim dicimus, homo est anima, sed constat ex anima; non domus est tectum, sed constat tecto. Ponuntur tamẽ intrinsecè: & definitio ex ipsis conflata, est essentialis & intrinseca definito: ac propriè appellatur definitio physica.

Ponuntur Illa ad quæ res essentialiter dicit ordinem,

etiā alia per modū causę vel effectus. dinem, vel se habent per modum causæ, vel per modum effectus. Per modum causæ: siue efficientis, v. g. creatura est ens effectiuè dependens à Deo: siue finalis, v. g. homo est animal ad beatitudinem ordinatum: siue materialis, v. g. accidens est ens inhærens subiecto: siue formalis, v. g. materia est subiectum actuabile à forma. Causam materialem & formalem nūc dico, respectu rei cuius est causa, non autem pars intrinseca: sicut patet in exemplis allatis. Ad causam verò finalem seu formalem reducitur terminus respectu relationis, obiectum respectu actus, & si quæ sunt similia. Hoc autem genus definitionis appellatur propriè definitio causalis: de qua Arist. 2. Poster. textu 44 dixit, esse orationem significantem propter quid res est.

Per modum effectus possunt è conuerso poni aliqua in definitione per eadem causalitatis genera assignata. Sic v g. potest vno modo explicari Deus, est primum principium, prima causa rerum omnium, & sic de alijs. Tanquam effectus rei se habent proprietates per quas solent sæpè definiri seu describi res. Nisi quòd ipsamet proprietas, cùm insit rei, in recto prædicatur de illa, homo est risibilis, & talis prædicatio est accidentalis. Vnde tunc propriè appellatur definitio descriptiua atque descriptio. Dum verò Arist. 6. Topic. loc. 17. docuit, definitionem debere constare ex prioribus: noluit negare, posse etiam rem definiri per effectus qui posteriores sunt: sed priora dixit potius in cognoscēdo quàm in causando, idest quę prius seu clariùs cognoscuntur, notioraque sunt. Sic enim dixit, ex prioribus & notioribus. Quod quidem verum est, quia definitio debet esse notior & clarior definito. At fieri potest, vt nobis notiores propinquioresque sint effectus rei: qui, sicut in argumentatione, ita etiam in definitione, possint nos deducere in notitiam ipsius rei. Sed specialiter de definitione relatiuorum per ordinē vnius ad aliud, proprio loco agemus.

An debeāt poni omnia prædicata essentialia. Cęterùm quando res definitur per prędicata essentialia, quæ in recto dicuntur: debent vel omnia explicitè poni, vel saltem proxima quæ implicitè superiora contineant. V. g. dupliciter potest definiri homo: vel nominando omnia essentialia prædicata, incipiendo à supremo entis aut substantiæ, & descendendo: substantia corporea viuens sensitiua rationalis. Vel tantùm dicendo, animal rationale, quia in animali cætera includuntur. Non esset autem apta definitio, si coniungerentur genus remotum & differentia proxima, v. g. substantia rationalis. Ex illis verò duobus modis: prior est magis exquisitus & explicitus: secundus est magis expeditus & commodius, vpotè breuior, & omnia necessaria continens. Atque omnia prædicata essentialia quæ hoc modo in definitione ponentur, sunt genus & differentia, ex Aristot. 7. Metaphysicorum textu 43. vel se habebunt ad instar generis & differentiæ, si videlicet prædicata analoga seu transcendentia in definitione ponantur.

An omnia ad quæ res dicit ordinem. Quando autem res definitur per illa ad quæ dicit ordinem, non tamen secundùm se inclusa in ipsa essentia rei: vt perfecta & adæquata fit definitio, deberent poni omnia ad quæ res essentialiter dicit ordinem, quia sic plenè explicabitur essentia rei. Sed ad breuem & expeditam definitionem sufficit ponere aliqua, donec formetur conceptus; ita proprius definiti, vt soli ipsi & non alijs conueniat. Iuxta hoc non oportebit in definitione causali omnes rei causas apponere: nec in definitione per effectus, omnes proprietates.

Quænam res definiri possint. Septimò dubitatur, quænam res definiri possint. Agit latè de hac re Aristoteles libro septimo Metaphysicorum. Sed breuiter patet ex dictis, illa quibus non conueniunt prædicata essentialia superiora, quæ non constant ex genere & differentia, non esse capacia definitionis metaphysicæ: sed solùm explicationem aliquam admittere, quæ latiori modo poterit appellari definitio. Sic trascendentia & genera summa se habent. Item illa quæ non constant partibus physicis, non posse physico more definiri. Et sic de alijs prædictis. Quæ verò constant prædicatis essentialibus genere & differētia, vel partibus physicis, vel dicunt ordinem ad suas causas, aut ad suos effectus; possunt vtique iuxta propriam naturam singula definiri.

Disputat specialiter Aristotel. eo lib. à tex. 12. Num composita accidentalia con-

conflata scilicet ex subiecto & aliquo accidenti, v.g. album, musicum, possint definiri. Tandem docet, non posse propriè & per se, sed quodammodo posse. Patet: quia non habent essentiam propriè & per se vnam: habent tamen suam constitutionem & cōpositionem intrinsecam. Quærit etiam, num accidentia per se sumpta possint definiri. Et docet tex. 16. & 19. definitionem primò & simpliciter esse tantùm substantiarum: admittit saltem secundariò esse accidentium. Et præcipuè docere voluit, accidentia non nisi per ordinem ad substantiam definiri. Vnde sicut dicere solet, accidens non esse simpliciter ens, sed esse entis ens: ita etiam de definitione accidentis loqui voluit. Alioqui planum est, accidentia verè habere sua prædicata essentialia, genus & differentiam, per quæ propriè definiātur.

Insuper tex. 53. & duobus sequentibus, negat singularia definiri. Idem sentiunt Interpretes, ibi, S Thom. 1. par. quæst. 29. art. 1. ad 1. alijquè communiter. Probat Arist. de singularibus sensibilibus, quia corruptibilia & mutabilia sunt. Sed hanc rationem examinabimus postea in re simili de scientia, an detur de singularibus. Clarius probatur ratione communi de omnibus singularibus: quia nobis notæ non sunt vltimæ differentiæ indiuiduantes: nisi quòd in confuso, & pari modo dicimus, omnia singularia habere suas differentias, seu entitates distinctas; ita vt vna non sit alia. Non per hoc autem negatur, ipsa indiuidua participare definitionem communem suæ speciei, in qua conueniunt. Nec item negatur, posse etiā in indiuiduo vtcunquè explicari seu signari per accidentia & circūstantias, hoc & illud singulare. Veruntamē hoc modo dicitur assignari & explicari potius quis sit aliquis singularis, quàm quid sit, vt ex communi modo loquendi constat.

An vnius rei vna tātùm sit definitio.

Octauò dubitatur, vtrum vnius rei vna tantū sit definitio. Arist. enim ita docet 6. Top. loc. 17. & probat, quia vnius rei vnica est essentia. At ex dictis videtur, posse vnam eandē rem explicari per definitionem metaphysicam, & per physicam, & per varias causas, variosquè effectus. Dicendum est ergo, vnam rem non posse nisi vnica definitione definiri, quantùm ad rē explicatam, idest quantum ad essentiam, quæ vtique vna sola est; & eadem semper explicatur, si eadē res definitur. At verò posse pluribus definitionibus, quātùm ad orationes ipsas explicantes essentiam rei, siue quantū ad modum cōcipiendi & definiendi, iuxta regulas assignatas. Et rursus hoc modo non possunt eidem rei plures definitiones cōuenire sub eodē modo definitionis, videlicet plures definitiones metaphysicæ ex genere & differentia, vel plures physicæ ex materia & forma.

Qualiter definitio inquirenda & inuenienda sit.

Nono quæritur, qūo inuestigāda & inueniēda sit definitio rei. Arist. 2. Post. c. 8. aliàs 14. tradit hanc regulam: in specie vltima & athoma definienda, sumantur prædicata, quæ singula in plus se habeāt, idest communiora sint quam ipsa species: tota tamē illorū collectio sit ipsi propria & adæquata, non conueniens alijs extra ipsam speciē. In specie aūt superiori, scilicet subalterna, definiendas considerentur species, quæ sub illa continentur, & sumatur id in quo cōueniunt, remoueantur illa in quibus differūt, & assumatur genus superius illi speciei cuius definitio quæritur, spectato prædicamento proprio ipsius: & sic habebitur tota definitio.

Item Plato refertur duplicē viā distinxisse inueniendi definitionē, viam scilicet resolutionis, & viam compositionis. Per viā resolutionis quæritur definitio, distinguendo rem in plura prædicata, & illa in quibus cum alijs conuenit, & illa per quæ differt. Per viam compositionis ē cōuerso, incipiēdo a generē generalissimo, siue a supremo prędicato, & addēdo certam differētiam, & sic deinceps, vsq. dum addatur vltimū prædicatū rei, quod illam facit differre ab omnibus, cum quibus per anteriora prędicata cōueniebat. Quomodo demum inquirendo causas & effectus & passiones possint res definiri: pro diuersitate rerum definiendarum, & vtendo varijs definiendi formulis, in singulis materijs discutiendum est.

SECTIO QVINTA.
De Diuisione.

Notum est, diuisionem hic non accipi pro reali separatione partium & rerum, quæ diuisæ & non vnitæ dicuntur: sed prout in mentis consideratione perficitur, aut etiam in externa

loquutione exercetur. Item modò non sumitur pro diuisione, à compositione distincta, quando in secunda intellectus operatione compositio & diuisio assignatur, vbi diuisio est iudicium negatiuum: quinimo diuisio de qua nunc loquimur, potius per affirmationem atque adeò iudicij compositionem exercetur. Sumitur ergo pro partitione vnius in plura per operationem intellectus considerantis plura in aliquo vno. Et ferè sufficiunt quæ de diuisione in Institutionibus iam antea diximus, & quæ ex dictis modò de definitione colligi possunt. Sed nè quicquam intactum relinquamus, pauca sat erit attingere.

Quid sit. Primò ergo, diuisio in voce sumpta, est oratio qua distribuitur totum in partes: in mente, est consideratio intellectus qua distribuitur totum in partes. Obiectiuè autem sumendo diuisionem, & propriè vt instrumentum est, est modus & norma siue idea distribuendi totum in partes. In exercendi autem ipsa diuisione, datur vtique in prima operatione intellectus apprehensio totius & partium: sed præcipuè dici debet, diuisionem fieri ab intellectu per secundam operationem. Tunc enim dicitur intellectus diuidere, quando affirmat, totius hanc & illam esse partes. Si autem intellectus hoc assequatur inferendo ex alijs præmissis, ad tertiam operationem talis actus diuidendi pertinebit. Facilè etiam patet, diuisionem materialiter acceptam esse ens reale: formaliter autem posse ab intellectu cogitari & efformari relationem rationis, tùm inter diuisum & membra diuidentia, tùm inter actum intellectus diuidentis & obiectum repræsentatum, tùm inter normam seu ideā diuidendi & diuisionem in re aliqua exercitam: posseque mutuò ex parte omnium extremorum hanc relationem effingi.

Qualiter se habeāt mēbra diuidentia ad totum diuisum. Secundò, si quæratur quonam modo diuisio, siue membra diuidentia distinguantur in toto diuiso, non potest vna communi regula determinari. Sunt enim diuersi modi totalitatis, & ex illis hæc quæstio dependet, & variæ controuersiæ in hac re incidunt, quæ proprijs locis disputandæ sunt. Neque opus est ad directionem logicam, & ad rectum vsum diuisionis in dirigenda cognitione intellectiua, id nunc inuestigare.

Quæ res, & in quæ mem'ra, diuidi possint. Tertiò, in quænam diuidi res possit; siue quænam esse possint membra diuidentia, & rursus quænam res diuidi possint, communi regula patet, omne totum diuidi posse in suas partes. Diuersi sunt autem modi totalitatis, vnde etiam varij modi diuisionis efficiuntur, de qua re satis in Institutionibus dictum est. Solùm addi nunc potest, non oportere propriè & in rigore sumi totum & partes ad efficiendam diuisionem: sed interdum fieri posse ob imitationem quandam totius & partium: v.g. cùm subiectum in sua accidentia diuiditur, siue in vno subiecto consideramus plura accidentia, non vtique subiectum est propriè totum, & accidentia partes subiecti, sed quia simul adunantur ipsum subiectum & sua accidentia, hoc sufficit ad faciendam hanc diuisionem. Et ad hoc genus diuisionis spectat, quando vox æquiuoca in plura significata diuiditur: significatio enim est accidens vocis, & eadem vox tanquam subiectum habet plures significationes. Spectat etiam, quando diuiditur anima in suas potentias: non enim propriè anima constituitur per ipsas potentias, sicut totum partibus; sed potentiæ sunt accidentia animæ: & hoc sufficit ad faciendam talem diuisionem. Hinc etiam facilè patere potest, qualiter eadem res possit plures diuisiones admittere, quia in eadem re possunt inueniri plures modi totalitatis fundantes plures diuisiones. Et qualiter demùm quæcunque diuisio iuxta conditionem quarumcunque rerum inuestiganda inueniendaquè sit.

Quænam diuisio sit logicū instrumentum. Quartò præterea, quoniam varij sunt diuisionum modi, nēpe generis in species, compositi physici in partes physicas, &c. solam diuisionem generis in species per differentias essentiales, esse instrumentum logicum, iuxta communem sententiam eorum qui volunt absolutè diuisionem esse instrumentum; ait Zabarella libro tertio de Methodis cap. 6. Sed neque hæc videtur communis sententia, neque vera est: quin potius diuisio absolutè & adæquatè sumpta, dici debet logicum instrumentum. Et in primis, Auctores qui diuisionem inter instrumenta collocant, de

de eaquè tractant, & regulas tradunt, non restringunt hāc diuisionem ad illam solam, sed potius ad omnem diuisionem extendunt; & ideò singulos modos diuisionis sollicitè declarant, & de omnibus suas regulas tradunt. Aliqui verò qui præcipuè diuisionem sumpserunt pro ea, quæ est generis in species, præter diuisionem assignarunt resolutionem, hoc nomine intelligentes diuisionem compositi in partes, quæ rursus iuxta varios modos compositionis multiplex esse potest.

Deinde non solùm diuisio generis in species per differentias essentiales, sed etiam alij modi diuisionis sunt in vsu, suntquè valde vtiles ad directionem cognitionis intellectiuæ, vt experientia patet: & hi etiam spectant ad Logicam, quæ tradere debet omnia instrumenta directiua cognitionis. Ergo diuisio amplè sumpta est instrumentum logicum. Libenter tandem fatendum est, diuisionem essentialem generis in species esse magis præcipuam, frequentem, & vtilem, & in scientiarum vsu maioris æstimationis. Sed non per hoc aliæ diuisionis species excluduntur. Sicut quia demonstratio est præcipua argumentationis species, non propterea ad solam demonstrationem restringenda est argumentatio quæ dici debeat instrumentum: sed argumentatio in tota sua latitudine est logicum instrumentum.

QVÆSTIO QVINTA.

De Ente Rationis,

Quod per cognitionem fit, eiusquè directioni inseruit.

Ens rationis meritò consideratur in Logica.

CONsideratio Entis rationis ad nullam scientiam per se pertinet, tanquam de obiecto primario: quia ens rationis non est obiectum per se scibile secundùm omnes conditiones ad rigorosam scientiam requisitas. Metaphysicæ tamen munus esse potest, tractare de ente rationis per reductionem ad ens reale quod est proprium eius obiectum; vel Physicæ in parte de Anima, quatenus ens rationis est quoddam opus animæ. Optimè tamen Logica hanc sibi tractationem assumit: tum quia ens rationis fit per cognitionem intellectiuam quæ est propriū eius obiectum, ad eamquè benè reducitur: tum quia a multis assignatur tanquam instrumentum directiuum operationum intellectus, vel saltem ad hanc directionem aliquo modo deseruit. Imo inter varias de obiecto Logicæ sententias, vna erat quæ ens rationis faciebat obiectum Logicæ. Itaque si non tanquam primarium & adæquatum obiectum, saltem tanquam id quod ad obiectum reducitur, spectat ad Logicam.

Eratquè præterea hæc tractatio in Logica præsertim necessaria; tum quia in ipsa Logica sæpè entibus rationis & secundis intentionibus vtendum est: tum quia in sequentibus alijs scientijs frequenter entia rationis in disputationem adueniunt, propter quod oportet ens rationis ab initio esse notum, nec poterat commodè eius tractatio ad finem vsque Physicæ vel Metaphysicæ differri.

Eius nomen explicatur.

Ad declarationem autem nominis, sciendum cum Soncin. 6. Metaphys. quæst. 18. artic. 1. Nomine entis rationis significari aliquid pertinens ad intellectum, qui dicitur ratio. Potest autem primò significari ipsemet intellectus: ita vt per ens rationis intelligatur ens quod est ratio: sic dicitur sumi intransitiuè. Secundò potest significari id quod inest siue recipitur in intellectu tanquam in subiecto; quo modo ipsamet cognitio, habitus, & species intelligibiles, dicentur entia rationis: & sic ens rationis sumitur subiectiuè. Tertiò significari potest id quod realiter efficitur ab intellectu; quo modo non solùm actus eliciti ab intellectu, sed etiam opera artificiosa quæ fiunt ad extra per directionem intellectus, dicentur entia rationis: & sic ens rationis sumitur effectiuè. Quartò demum significatur id quod obijcitur intelle-

intellectui, idest cognoscitur ab intellectu: sic sumitur obiectiuè.

Sed in hac acceptione iterum distinguendum est. Obiectum enim cognitum ab intellectu, vel reuera habet suum esse à parte rei quod repræsentatur intellectui, sicut est homo, equus, & aliæ res, omniaquè entia realia: vel nullum habet esse à parte rei; sed cùm in re nihil sit, concipitur ac si esset. Obiectum primo modo se habens, prius supponitur habere esse reale, deinde habet esse obiectiuum in intellectu. Obiectum verò posteriori modo se habens, non habet aliud esse nisi obiectiuum in intellectu. Et hoc est quod proprijssimè dicitur ens rationis, contradistinctum ab ente reali. Alioqui ens rationis in alijs significationibus acceptum, est in toto rigore ens reale. Hoc ergo modo explicat ens rationis Sanctus Thomas Opusc. 42. cap. 1. & Opusc. 48. tract. 2. cap. 1. & alij communiter. Atque de hoc ente rationis sic sumpto nunc agimus, quod etiam appellatur ens fictum, & ens intentionale.

SECTIO PRIMA.
An sit Ens rationis: & an sit in rebus vel tantùm in mente.

Prima sententia. PRimò Mairon. in Quodl. quæst. 7. Bernard. Mirand. in Expos. Prædicam. & Vallesius Controuer. 10. Physicæ, defendunt, non dari ens rationis.

Secunda sententia. Secundò ex opposito defendunt aliqui, dari non solùm in mente, sed etiam aliquo modo à parte rei antecedenter ad omnem operationem intellectus. Ita sentit Bartholom. Medina 3. par. quæst. 35. artic. 5. dub. 1. ad primum argumentum, de illis entibus rationis quæ habent fundamentum in rebus extra intellectum. Aliqui verò docent, omne ens rationis secundùm existentiam quidem dari tantùm in mente, sed secundùm essentiam dari per se. Nam sicut in ente reali distingui solet essentia & existentia, existentia qua actu realiter est, essentia verò secundùm quam consideratur præcisè ab esse actuali: sicut modo considerari potest essentia, v. g. Adami, videlicet Adamum esse hominem, esse animal rationale, licèt Adamus actu non sit: Ita pariter debere distingui existentiam entis rationis qua actu est dum fit ab intellectu, & essentia secundùm quam abstrahit ab esse actuali: & secundùm hanc essentiam esse secundùm se indepédenter ab operatione intellectus.

Tertia sententia. Tertiò, Fonseca quarto Metaphysicorum cap. 2. quæst. 7. sect. 9. & libr. 5. cap. 15. quæst. 4. sect. 4. quædam ait esse entia rationis, quæ nec sunt nec conueniunt rebus nisi per operationem intellectus, vt relationem generis, speciei, & similes: quædam verò, quæ licèt actu nō sint ante operationē intellectus, quoniam hoc repugnaret enti rationis; tamen actu conueniant rebus præcisa omni conceptione intellectus. Tales esse ait, relationes creatoris, prioris & posterioris, aliasquè similes. Simili modo quidam recentiores asserunt, huiusmodi entia rationis, licèt non existant, tamen verè denominare illa subiecta in quibus fundantur.

Quarta sententia. Quartò, Scotistæ docere solent, vt testatur Sotus quæst. 3. de Vniuersal. art. 1. dub. 2. quædam entia rationis esse subiectiuè in rebus, ita tamen quòd fiant per operationem intellectus in quo sunt obiectiuè. Idquè sumunt ex Scoto qu. 9. Prædicab. & in 4. dist. 23. quæst. vnica vers. contra opin.

Datur ens rationis. Dico primò, dari ens rationis. Hæc est communis Doctorum sententia. Nam entia rationis non solùm D.Thom. Scot. & cæteri Scholastici, dari supponunt: sed ea etiam agnouerunt antiquiores Philosophi. Porph. in Procœmio Prædicab. cùm meminit eius quæstionis, an genera & species sint in solis nudis intellectibus, quod est quærere an sint entia rationis, cuius quæst. meminit etiam Themist. primo de Anima cap. 4. Rursus idem Porphyr. in Prædicam. interrog. 3. distinguit nomina primæ & secundæ intentionis. De quibus secundis intentionibus sæpè etiam loquitur Auerroes quarto Metaphysic. com. 2. in Epithome Logicæ in princip. & alibi, illas vocans secundò intellecta, secundò intelligibilia: & præterea nono Metaphysic. com. 7. ait, esse quædam entia quæ non dicuntur esse simpli-

simpliciter, sed esse in anima & in cognitione. Eadem entia agnoscit Auicen. 3. Metaphys. cap. 10. Aristot. ipse 6. Metaphys. in fine, & lib. 11. Sum. 3. cap. 2. ait, dari quoddam esse, & quoddam ens, quod sit in anima: vnde colligunt Expositores, dari ens rationis.

Ratione probatur: quia ipsa experientia constat, multa quæ in se ipsis verè non sunt, necesse possunt, à nobis concipi ac si essent: concipitur Chimera, Hircoceruus, & similia entia ficta, quæ à parte rei esse non possunt: concipitur esse visum in pariete, ac si esset quidam respectus parietis ad oculum, cæcitas in oculo ac si esset quædam forma positiua contraria potentiæ visiuæ, & alia huiusmodi, quæ tamen non sunt, nec esse possunt. Et hæc sunt entia rationis, idest quæ habent merum esse obiectiuum in intellectu. Item à priori: quia non repugnat, intellectum concipere quædam quæ realiter nec sunt nec esse possunt; imo interdum intellectus putat & affirmat quædam esse, quæ tamen esse non possunt: & ex parte ipsius obiecti, ex eo quòd illi repugnet realiter esse, non propterea repugnabit concipi, & esse obiectiuè in mente. Ergo concedenda sunt entia rationis.

Non datur ante operationem intellectus.

Dico secundò, ens rationis non dari actu nisi per operationem intellectus, neque quantum ad existentiam, nec etiam quantum ad suam essentiam. Hæc conclusio est Doctorum communis, qui nulla distinctione facta essentiæ & existentiæ in ente rationis, absolutè docent, ens rationis esse solùm opus intellectus, & alioqui non dari.

Et probatur primò: quia in hoc distinguitur ens rationis ab ente reali: quòd ens rationis non est nisi per rationem; ens reale est realiter in se. Implicat ergo ex ipsis terminis, dicere, dari ens rationis à parte rei, dari independenter ab operatione rationis. Quæ autem Medina respondet: ens rationis in actu perfecto & completo non esse nisi per operationem rationis. Vel, ens rationis de se quidem esse in rerum vniuersitate, tamen non habere esse nisi per operationem intellectus. Vel, varia esse genera entis rationis, & quædam esse, quædam non esse, ante operationem intellectus. Hæc inquam omnia manifestè repugnant. Nam ens rationis nullo modo potest esse in actu, nisi per operationem rationis. Et non potest esse nisi habeat esse. Et nullum genus entis rationis potest esse citrà operationem rationis: alioqui iam non esset ens rationis; sed ens reale.

Probatur secundò, Ens rationis non posse esse actu secundùm essentiam in se ipso: quia de ipsa essentia ipsius entis rationis est, vt non sit nec esse possit nisi per operationem rationis, idest intellectus: & ideò dicitur ens rationis. Et totum esse ipsius est huiusmodi. Neque in illo distingui potest duplex esse, quorum vnum actu sit independenter ab intellectu. Quinimo dum intellectus concipit quod non est, tunc fingit & efformat totum esse, & essentiam ipsam entis rationis, nempè Chimeram, relationem rationis, & similia. Et alioqui, si daretur aliquod esse entis rationis non obiectiuè solùm in mente, daretur à parte rei & in se ipso, atque adeò secundùm illam formalitatem esset potius ens reale.

Dixi, non dari actu nisi per operationem intellectus: quia libenter fatendum est, antecedenter ad actualem operationem intellectus dari in potentia. Nam etiam nullo intellectu actualiter operante, & efficiente ens rationis, verum erat, dicere, ens rationis esse possibile & posse fieri: sed hoc ipsum verificatur per ordinem ad potentiam intellectiuam, seu ad operationem possibilem intellectus. Itaque ens rationis non datur actu, nec etiam quantùm ad esse essentiæ actuale, nisi per actualem operationem intellectus: datur autem in potentia etiam quoad esse existentiæ suo modo ipsi possibile, per ordinem ad operationem intellectus possibilem.

Non conuenit rebus ante operationē intellectus

Dico tertiò. Nullum ens rationis conuenit actu rebus ante operationem intellectus, sed tantùm conuenire & denominare potest fundamentaliter. Probatur: quia vel ista conuenientia sumitur pro aliqua applicatione reali, veluti formæ ad subiectum, vel tantùm pro veritate prædicationis, quà potest affirmari prædicatum de subiecto etiam sine existentia actuali, vt cùm dicimus, Adamus est homo. Neutro modo dici potest, ens rationis actu conuenire

rebus ante operationem intellectus. Non primo: quia dū ens rationis non est in se, nec etiā potest esse applicatum subiecto: esse enim applicatum supponit esse simpliciter. Neque secundo modo: quia illa solùm prædicata dici possunt de rebus sine existentia, quæ sunt essentialia ipsis rebus: prædicata verò contingentia non dicuntur sine actuali existentia, vt est notum. At relationes rationis formaliter sumptæ, non sunt vtique prædicata essentialia & necessaria, imò maximè contingentia, & plus accidentalia, quàm prædicata realia. Ergo dici non debent actu conuenire rebus ante operationem intellectus.

Dici tamen possunt conuenire fundamentaliter, idest dari in rebus fundamentum talium relationum: sic creatio est fundamentum relationis creatoris. Et hoc est discrimen quod assignari potest inter entia rationis: quòd quædam habent fundamentum in rebus quæ sunt extra intellectum, & solùm pro causa efficiente indigent intellectu: quædam verò habent fundamentum in ipso intellectu, siue in aliqua operatione eius; tales sunt relationes generis & speciei. Sed de hac distinctione agemus postea.

Non est subiectiuè in rebus, sed tantùm obiectiuè in intellectu.

Dico quartò. Ens rationis esse non potest nisi in intellectu, neque per operationem intellectus resultat in ipsis rebus, vt sit in illis subiectiuè: sed tantùm ab ipsomet intellectu prædicatur de ipsis rebus. Ab hac conclusione nec Scotus ipse dissentit, vt notauit supra Sotus: tantùm enim docere voluit secundam conclusionis partem. Probatur conclusio manifestè: quia per se euidens est, nihil posse ab intellectu resultare in rebus per cognitionem ipsius intellectus, quod subiectiuè sit in rebus ad extra. v. g. cùm cogitamus de cælis, de Angelis, de ijs etiam rebus quæ actu non sunt, atque de Deo ipso, ijsque attribuimus denominationes seu relationes rationis; nihil vtique de nouo efficitur subiectiuè in ipsis rebus. Et præterea, si quicquam efficeretur, hæc esset forma realis, non rationis: quia esset subiectiuè in ipsis rebus, sicut est forma artificialis quæ efficitur per virtutem intellectus. Ens autem rationis præcisè sistit in ipso intellectu obiectiuè, nec transit ad extra.

Verum est tamen, posse ens rationis ab ipsomet intellectu prædicari de rebus: vt patet quia dicimus, Deus est creator, animal est genus, & similia. Nec enim ad huiusmodi prædicationes requiritur, vt prædicatum subiectiuè insit subiecto in se ad extra, sed satis est quòd ab ipsomet intellectu cogitatur inesse. Sicut enim ens rationis cogitatur esse, cùm re ipsa non sit: ita cogitatur inesse, cùm re ipsa non insit. Et hoc sufficit ad prædicationem; non quidem realem ex parte obiecti, sed rationis, idest de prædicato quod est ens rationis.

Ens rationis potest mētaliter concipi, licèt nō possit realiter esse.

Obijcies primò contra primam conclusionem. Impossibile est ab intellectu concipi & cogitari illud quod impossibile est esse; nam intelligi sequitur ad esse, & quod est impossibile, est inintelligibile: ergo dari non potest tale ens, quod in se nullo modo esse possit, sed tantùm in intellectu, quod est ens rationis.

Respondetur absolutè negando maiorem: quia simpliciter fieri potest, vt intellectus concipiat, & putet aliquid, quod re ipsa non est, nec esse potest: vt de facto sæpè contingit. Negando etiam, quod est impossibile esse inintelligibile: quia potius latiùs patet intelligibile, quàm possibile: qualiter autem explicari debeat, intelligi consequi ad esse, siue intelligibilitatem esse passionem entis, satis diximus quæst. 3. sect. 1.

Habet propositiones essentiales æterna veritatis, licèt nō habeat essentiam ab æterno.

Obijcies secundò contra secundam. Etiam nullo intellectu efficiente actu ens rationis, inueniuntur quædam entia rationis à parte rei, vt oculum esse cæcum, parietem esse visum, & similia; & præsertim Christus realiter est filius Beatæ Virginis, & tamen illa relatio filiationis, non est realis, sed rationis; vt ex Sancto Thoma tenet ibi Medina: ergo. Præterea dantur propositiones essentiales de ente rationis, veræ ex parte obiecti, videlicet hæc ipsa propositio ens rationis est fingibile ab intellectu, & similes. Atque per veritatem huiusmodi propositionum essentialium de entibus realibus, dicitur dari essentia realis eorum antequam ipsa actu existant. Ergo datur ens rationis quantum ad suam essentiam ante omnem operationem intellectus.

Respondetur, omnia illa quæ dantur à parte

à parte rei, non esse entia rationis: sed vel puras negationes seu priuationes, vt sunt tenebræ, cæcitas, &c. vel denominationes reales, vt parietem esse visum, & similia; vel formas reales. Et præsertim repugnat, dicere, Christum esse realiter filium per relationem rationis. Sed omninò eo modo quo dicitur realiter filius, concedenda est filiatio realis ad matrem. De qua re tertia parte agendum est. Et hæc omnia constabunt ex dicendis. Deinde dicendum est, esse concedendas illas propositiones de ente rationis, esseque dicendas æternæ veritatis, sicut de entibus realibus: & inter has propositiones, esse hanc, ens rationis etiam quantum ad essentiam non est, nisi fingatur ab intellectu; essentia entis rationis est essentia rationis, & essentia ficta, non est à parte rei, sed tantùm habet esse obiectiuè in intellectu. Sic ergo potius infertur nostra conclusio. Et ad argumentum dicendum, veritatem harum propositionum non fundari in eo quòd actu sit essentia secundùm aliquod esse essentiæ antecedens esse existentiæ: sed in eo quòd ipsa essentia sit possibilis, vt actu sit, & actu ponatur in esse. Quia nimirum intantum illæ propositiones veræ sunt, inquantum abstrahunt à tempore, & ab omni actualitate essendi; solumque enunciant connexionem prædicati cum subiecto, quæ necessariò actu debet esse, quandocunque subiectum ipsum actu sit. Et ideò nec etiam essentia entis realis datur actu secundùm aliquod esse essentiæ, antequam sit sub esse existentiæ, vt dicemus postea circa directionem iudicij, & latius in Metaphysica tractandum est. Illi autem qui dicunt, dari hoc modo essentias rerum ab æterno; sanè pari ratione id concedere cogentur de essentia rationis, quia pari modo verificantur propositiones essentiales. Non enim differunt ens reale & rationis, quòd essentia entis realis sit ab æterno, non verò essentia entis rationis. Sed quòd ens reale potest esse, vel actu est realiter; ens autem rationis tantùm est vel esse potest obiectiuè in intellectu.

Sæpenit interdum denominationes reales. Obijcies tertio contra tertiam. Verum est dicere Deus est creator, etiam nullo intellectu cogitante & fingente relationem, & sic in alijs similibus: cùm tamen animal non sit genus, & homo species, nisi per considerationem intellectus: ergo aliquæ relationes rationis conueniunt rebus, siue denominant res, actu ante operationem intellectus.

Respondetur, illam denominationem creatoris, aliasque similes, verificari à parte rei, non quidem per relationem rationis, sed per aliquam formam realem tamen extrinsecam, esseque denominationes reales extrinsecas: videlicet Deus denominatur realiter creator, idest realiter creat, per actionem creationis, quæ non est relatio rationis. At si quis dicat, Deus est creator relatiuè, siue Deus refertur ad creaturas, hoc non verificatur nisi per operationem intellectus referentis.

Nullibi est subiectiuè. Obijcies quartò contra quartam. Ens rationis debet esse alicubi subiectiuè, nō enim est substantia per se sine subiecto subsistens: non est autem subiectiuè in intellectu, vt patet: ergo est subiectiuè in ipsis rebus, de quibus prædicatur.

Respondetur cum S. Thom. Opusc. 48. tract. 2 cap. 1. Ens rationis nullibi esse subiectiuè; quia si esset in aliquo, esset accidens, & per consequens ens reale. Tantùm ergo est obiectiuè in ipso intellectu. Nec propterea est substantia, quia substantia realiter est atque subsistit: sed est propriè ens rationis. Quomodo autem possit fingi ad instar substantiæ, vel accidentis, & ita possit concipi vt in aliquo subiectiuè existens, vel quasi per se subsistens, postea dicemus.

SECTIO SECVNDA.

Quid sit ens rationis.

Prima sententia. PRimò aliqui sic explicant ens rationis, est purum nihil conceptum ab intellectu: vnde dicunt ens rationis verè non esse ens, sed esse purum nihil quod opponitur enti, quia conceptio intellectus non potest facere, vt verè sit ens, quod non erat ens. Quidam verò addunt, sufficere si ens rationis actu sit purum nihil, idest non sit actu à parte rei, & tamen esse concipiatur: hoc dicunt esse ens rationis quatenus sic conceptum, esto sit possibile esse à parte rei. Sic defendit Hurtad. disp. 19. Met. sect. 1.

Secun-

Secunda sententia. Secundò ex opposito Durand. in 1. dist. 19. q. 5. num. 7. explicat, ens rationis non esse penitus nihil, sed nō esse aliud quàm denominationem obiecti ab actu rationis, conuenientem ipsi obiecto solùm vt cognitum est: ita quòd intelligere, in homine intelligente sit quidem vera res, & vera denominatio realis: intelligi autem, non est vera res, nec denominatio realis in lapide intellecto: sed dicitur ens rationis, quia non competit rei nisi per actum rationis tendentis in ipsum vt obiectum. Aliqui verò addunt, non solùm hanc denominationem prouenientem ab actu rationis, sed omnem aliam prouenientem ab alijs similibus actibus extrinsecis, videlicet ab actibus sensuum, & appetitus, siue à quacunq. forma extrinseca, esse ens rationis: ita vt ens rationis adæquatè sit denominatio à forma extrinseca, quæ ab intellectu tribuitur rebus. Et ita ferè tenet Fonseca 5. Met. cap. 7. q. 6. sect. 3. Aliter Masius q. 1. de Ente rationis ait, illud ens rationis quod habet fundamentum in re, non esse purum nihil.

Tertia sententia. Tertiò alij explicant, ens rationis esse relationem resultantem in rebus, vel per solum actum rationis quo cognoscitur obiectum, vel per omnem alium actum attingentem aliquod obiectum, seu per omnem formam denominantem extrinsecè aliquod subiectū. Ita indicat Viguer. in Instit. de Anima rationali §. 2. vers. 4. Differt autem hæc sententia à præcedenti: quia vbi illa dicebat, ens rationis esse ipsam denominationem extrinsecam; hæc asserit, esse relationem rationis resultantem ex ipsa denominatione, seu ex forma denominante rem extrinsecè. Soncinas etiam 6. Met. q. 18. ex parte ait, ens rationis esse relationem statim resultantem ex quocunq. actu cognitionis: sed concedit etiam alia entia rationis præter relationem.

Ens rōnis in quodā sensu est purū nihil. Dico primò, si nomen entis sumatur propriè, & in rigore, & purum nihil prout opponitur huic enti; sic ens rationis verè non esse ens, sed esse purum nihil: si autem nomen entis in tota sua latitudine sumatur, vt sanè sumi potest & debet; sic ens rationis esse suo modo ens, & non esse purum nihil. Hæc conclusio, si benè percipiatur, videtur certa: non enim potest esse controuersia nisi de nomine, an ens rationis dicendum sit ens vel purum nihil.

Probatur ergo & explicatur: quia ens propriè & in rigore dictum, significat id quod propriè & verè est: verè autem & propriè non est, nisi quod est realiter: nam illud quod realiter non est, sed esse concipitur, in rigore non est, sed concipitur esse; & longè differt, esse, atque concipi esse. Vnde, cùm quis al quid putat quod non est tale, esse tale, v. g. aurichalcum esse aurum; non dicimus, illud esse tale, aurichalcum esse aurum; sed putari tale: & cùm id putatur verum, non dicimus esse verum, sed putari verum. Sic ergo sumptum nomen entis pro eo quod verè est, ad differentiam eius quod verè non est, sed esse concipitur; non vtique dicetur de ente rationis. Atque adeo sumendo purum nihil, quod opponitur huic enti, pro eo scilicet, quod verè & in re non est: sic ens rationis est purum nihil, quod idem est ac dicere, nihil reale.

In alio sensu est ens oppositum nihilo. Ex alia parte negari non potest, nomen entis extendi magis & ampliari per quandam translationem, ad significādum non solùm quod verè est, sed etiam quod esse concipitur; siue illud quod est, vel in re, vel in apprehensione & opinione mentis. Quod sanè patet ex ipso nomine entis rationis: nam nomen entis applicatum est enti rationis. Ex opposito autem purum nihil dicetur, id quod non est, nec cogitatur esse, siue quod nec in re nec in apprehensione mentis est. In hoc ergo sensu, ens rationis non est purum nihil, sed est aliquo modo ens. Et clarè loquendo, illud quod non est tale, sed putatur tale, dicetur tale in mente, siue putatum, existimatum tale; aurichalcum dicetur aurum in mente, aurum putatum: quæ additio est conditio diminuens, siue distrahens nomen à significato proprio & rigoroso, ad significatum magis amplum. Ens ergo rationis dicetur ens apprehensum, ens putatum. Imo hoc ipsum denotatur, dum vocatur ens rationis, quod idem est atque ens mentis, siue ens fictum, ad differentiam entis absolutè dicti, quod sonat ens reale.

Sicut nomen, v. g. hominis, propriè & absolutè significat verū hominem viuum:

at

at translatum etiam est ad significandum hominem pictum, nam imaginem hominis vocamus hominem pictum. Vnde homo pictus non est propriè & in rigore homo, sed figura hominis; & ideo cum conditione diminuente dicitur homo pictus. Ita nomen entis in rigore & ex primæua significatione denotat ens reale, sed subinde extensum est ad ens fictum, quod est ens rõnis. Ex hac aũt cõclusione colligitur entia rõnis non poni in prædicamentis: quia hæc de veris & realibus entibus construuntur, vt suo loco dicemus. Nec dari conceptũ vnum entis, cõmunem enti reali & rõnis: quia solũ ens reale habet verè entis rõnem: ens autem rõnis fingitur vt ens, & solùm apparenti quodam modo dr̃ ens.sicut non datur cõceptus hominis communis homini vero & picto, sed homo pictus est tantùm figura & imago hominis. Sed de communitate entis latè in Metaph agendum est.

Non tamen ponitur in p̃dicamentis, nec cõuenit cũ ente reali in vno cõceptu.

Dico 2. Ens rõnis esse solum id, quod nec actu est, nec possibile est à parte rei: ita quòd quicquid possibile est in re, licèt actu esse putetur, cùm actu non sit, non est ens rõnis, sed verè est ens reale. Hæc conclusio est cõmunis. Et probatur efficaciter: quia ad rõnem essentialẽ entis realis per accidens est actu existere: sed eius essentia saluatur in hoc quòd sit aptum existere: siue ergo existens, siue solùm possibile, est verè ens reale. Atque abstrahendo ab omni existentia, verum est dicere, homo est ens reale, Adamus est ens reale, & sic de alijs omnibus. Sed ens rõnis opponitur cum omni ente reali, igitur non est ens rationis, nisi, quod non solùm actu non est, sed nec etiam possibile est, quod non potest realiter esse. Vnde, etiam si quis putet, v. g. rosam esse in hyeme, fallitur quidem, non tamen facit ens rationis: quia obiectum licèt actu non sit, est tamen possibile: & existentia ipsa quam tunc rosæ attribuit, est vtique possibilis, atque adeo verè realis. Ponamus enim casum, quòd tunc esset rosa, quando ille esse putabat, vtique existentiam realem attribuit rosæ: deinde sublata rosa, adhuc ille eandem existentiam realem, quæ adesset si rosa permaneret, attribuit rosæ: ergo tale obiectum est ens reale, non rationis. Nullatenus enim fieri pót, vt idem obiectum modò sit ens reale, modò rationis: neque in sola existentia reali, sed quam maximè essentialiter differunt ens reale & rationis, plusquàm quæcunque entia realia inter se.

Non est ens reale, nec actuale, nec possibile.

Dico 3. Ens rationis propriè & adæquatè sumptum, non consistit in denominatione extrinseca prouenienie formaliter ab actu rationis, siue ab alia forma reali. Ita defendit Suar. disp. 54. Meta. sect. 2. & videtur communis sententia. Probatur. Tum quia quædam entia rationis sunt præter has denominationes extrinsecas, videlicet Chimera, Hircoceruus, negatio apprehensa tanquam forma positiua, & alia huiusmodi. Tum præsertim: quia ipsæ denominationes extrinsecæ, vt tales sunt, sunt reales, non rationis; vt dicemus postea circa prędicabilia proprij & accidentis. Et non minùs denominatio proueniens ab actibus intellectus realis est, sicut actus ipsi intellectus reales vtique sunt, & non sunt entia rationis, in sensu quo ab initio diximus hic sumi ens rationis. Et sicut hominẽ intelligere, est reale quid: ita etiam reale est, lapidem intelligi. Similiter reale quid est, propositionem per iudicium affirmari vel negari, conclusionem inferri ex præmissis. Neque certè potest quoad hoc constitui discrimen inter denominationes huiusmodi prouenientes ab actibus intellectus, aliasquè prouenientes ab alijs actibus formisuè extrinsecis. Nam omnes pariter sunt formæ reales. non minùs, inquam, actus intellectus, quàm alij actus & formæ. Et realiter dicunt habitudinem ad obiectum; in qua habitudine consistit denominatio quoad rem significatam per ipsam denominationem.

Non est denominatio extrinseca ab actu cognitionis aliauè forma extrinseca.

In alio tamen sensu sumendo ens rationis, scilicet subiectiuè in intellectu, in quo sensu ipsi actus & habitus intellectus dicentur entia rationis; dicere valebit, denominationes prouenientes ab ijs actibus, esse denominationes rationis, siue entia rationis, quia scilicet proueniunt ab actibus rationis. Imo addo, quamplura quæ sæpè à Doctoribus in materijs tum philosophicis tum etiam theologicis explicari solẽt per entia rationis, posse sufficiẽter, imo meliùs explicari, per denominationem extrinseca ab actibus intellectus. V. g. quando dici solet,

Nisi ens rationis alio sensu sumatur.

solet, rationem prædicati & subiecti esse relationes rationis: optimè dici potest, esse denominationes extrinsecas ab actu intellectus prædicantis & subijcientis in aliqua propositione, & sic in alijs multis. Et similiter alia plurima quæ in alijs rebus solent explicari per relationes rationis, verbi gratia esse visum in colore, esse creatorem in Deo, & similia, commodius sæpè explicarentur per denominationes extrinsecas.

Vnde fateor, quòd si ens rationis dicatur, non ad differentiam entis realis in tota sua latitudine, sed tantùm ad differentiam eius entitatis realis, quæ conuenit rebus in se, & non per extrinsecam negotiationem rationis, idest intellectus: sic sanè denominationes prouenientes rebus ab actibus intellectus, esse entia rationis. Quòd si amplius ens rationis dicatur, ad differentiam totius entitatis realis, quæ intrinsecè vel subiectiuè conuenit rebus de quibus dicitur: sic omnes denominationes extrinsecas esse entia rationis. Et fortasse interdum quando hęc solent explicari per entia rationis, in hoc sensu aliqui Auctores acceperunt ens rationis, & non pro ente merè excogitato & ficto, sicut nunc sumimus.

Nec est relatio resultans in rebus ex actu cognitionis aliàuè forma extrinseca.

Dico 4. Ens rationis non esse relationem resultantem in rebus eo modo quo tertia sententia asserebat. Probatur inprimis: quia dantur quidem relationes rationis: tamen dantur & alia entia rationis, quæ non finguntur & concipiuntur ad instar relationum, sed velut entia absoluta. Sicut enim intellectus potest excogitare & fingere relationes quæ nō sunt, ita etiam potest absoluta quæ non sunt, siue quæ impossibilia sunt. Vnde in diuisione entis rationis, relatio assignatur tanquam vna species, præter quam dantur & aliæ, vt infra videbimus. Ergo ens rationis non est adæquatè relatio rationis.

Deinde relatio rationis non resultat eo modo, quasi per solum actum directum cognitionis attingentem obiectum in se reale, iam fiat relatio rationis. Nam vel tunc relatio esset subiectiuè in ipsamet re cognita. Et hoc est falsissimum. Tum quia ex actu cognitionis non resultat relatio subiectiuè in re cognita. Tum quia si sic resultaret, esset relatio realis, sicut dicuntur esse aliæ relationes resultantes ex positione extremorum. Vel esset tantùm obiectiuè in intellectu, sicut sanè esse debent entia rationis. Et hoc dici non potest; quia illud tantùm est obiectiuè in intellectu, quod ei obijcitur ac repræsentatur, cōcipitur & cogitatur ab ipso intellectu: sed per actū cognitionis directæ quo intellectus attingit aliquod obiectum reale, v.g. quo iudicat hominem esse animal, non tunc cogitat id obiectum esse cognitum, siue referri ad cognitionē: sed hoc pertinet ad alium actum cognitionis reflexæ qui postea consequitur: ergo nec datur nec resultat relatio rationis per primum illum actum cognitionis.

Et multò minùs dici potest, statim & immediatè resultare relatio rationis ex actibus aliarum potentiarum, vel ex alijs formis extrinsecè denominantibus. Nam relatio rationis vtique non est nec resultat, nisi per operationem rationis: ergo non per alios actus & formas, nisi tantùm superueniēte actu intellectus apprehendentis denominationem extrinsecam, tanquam respectum, vbi non est respectus. Et alioqui, si ante operationem intellectus resultant tales relationes, omnino sunt reales, sicut sunt aliæ omnes relationes reales, quæ dicuntur resultare in suo subiecto, quando ponitur terminus, & sicut sunt alia omnia entia, quæ non sunt merè obiectiuè in intellectu, sed habent suum esse in rebus independenter à ratione.

Ens rationis est obiectum quod ab intellectu fingitur.

Dico tandem 5. Ens rationis adæquatè est obiectum quod ab intellectu excogitatur, & fingitur, & re ipsa non est, nec potest esse: siue est non ens conceptum & cogitatum tanquam ens. Sic solet magis communiter ens rationis definiri. Et explicatur. Dicitur, obiectum: quia ens rationis est quod menti obuersatur, & est id quod intellectui obijcitur & repræsentatur, & non est denominatio ab ipso actu cognitionis, sed est id cui conuenit hæc denominatio, nempe id quod est cognitum ab intellectu. Dicitur, quod ab intellectu: per quod indicatur a solo intellectu fieri ens rationis, quod quidem vel ipso nomine entis rationis exprimitur, & fusius sect. 4. ostēdetur. Dicitur excogitatur & fingitur, quo loquendi modo

do indicatur, ens rationis non aliter esse nisi per ipsum intellectum. Est enim inuentum quoddam & opificium proprium eius, ideoque meritò etiam dicitur figmentum intellectus. Et in hoc sensu idem est ens rationis atque ens fictum ab intellectu: quod ipsum clariùs denotatur, cùm dicitur, quod non est re ipsa, nec esse potest. Rursus, cùm dicitur esse non ens cogitatum tanquam ens: non debet intelligi, necessarium esse hoc totum, vt intellectus cogitet esse non ens, & deinde esse ens: sed satis est, quòd intellectus cogitet esse ens, id quod in re non est, etiam si intellectus putet verè esse ens. Imò tunc maximè fingitur ens rationis, quando id quod in re non est, intellectui obijcitur, non vt non ens, sed vt ens.

Hinc patet, esse entis rationis, esse illud quod obijcitur intellectui, esse inquam, tum essentiæ, tum existentiæ. Nam in illo esse cõsistit, & quidditas & actualitas entis rationis: & quatenus quidem actu est, dicetur esse existentiæ: quatenus verò considerari potest vt possibile abstrahendo ab actualitate essendi, dicetur esse essentiæ, vt suo modo assignetur essentia & existẽtia entis rationis ad instar entis realis.

Ens rõnis quomodo sit quid medium inter ens reale & purum nihil.

Obijcies primò contra primam conclusionem. Non potest dari medium inter ens reale & purum nihil, quia hæc duo contradictoriè opponuntur: ergo ens rationis cùm non sit ens reale, omninò dicendum est purum nihil, nec potest vllo modo distingui a puro nihilo.

Resp. Ens reale & purum nihil reale opponi contradictoriè, & nullum inter se medium pati: & ita ens rationis esse omninò purum nihil reale, nec ab illo distingui. Sed sumendo purum nihil, non solùm nihil reale, sed etiam nihil in mente; sic non opponi adæquatè contradictoriè cum ente reali: & hoc modo dici potest ens rationis veluti quid medium inter ens reale & purũ nihil amplè sumptum. Quod potest dupliciter explicari, iuxta duplicem mediandi modum, vel per exclusionem, vel per participationem extremorum. Nam vno modo ens rationis, nec est ens reale, nec est in tali sensu purum nihil. Alio modo ens rationis participat de ente reali, quia cogitatur velut ens reale; participat de nihilo, quia reuera non est prout cogitatur.

Quo sit solũ obiectiuè in intellectu

Obijcies 2. contra 2. Illud, quod non est actu, et putatur esse iam actu est merè obiectiuè in intellectu; non habet aliam existẽtiam actualiter nisi obiectiuam per intellectum: & vt sic fit ab intellectu, siue accipit talem existentiam ab intellectu: ergo actu quidem est ens rationis, licèt de possibili sit reale.

Resp. Ens rationis esse illud, quod non solùm actu, sed etiam de possibili, non est nisi obiectiuè in intellectu. Illud ergo, quod licèt actu sit solùm obiectiuè in intellectu, tamen potest esse a parte rei, nullo modo potest dici ens rationis, in hoc sensu, quod scilicet ita est merè fictum, vt opponatur enti reali in tota latitudine, non minus possibili quàm actualiter existenti. Atque illa existentia, quam intellectus attribuit tali rei, non est ita merè obiectiua seu intentionalis, quòd non possit esse à parte rei; & ita est verè realis, & non fabricatur seu fingitur ab intellectu, sicut contingit de ijs quæ impossibilia sunt.

Quomodo sit reale inter impossibile.

Obijcies adhuc 3. Si omninò requiritur impossibilitas obiecti, certè dum intellectus putat esse id quod non est, iam hoc est impossibile, sicut implicat duo contradictoria esse simul. Licèt enim res simpliciter possit esse, tamen non potest esse dum non est, quia sic posset esse & non esse simul. Quando ergo intellectus putat rem esse dum non est, fingit aliquod impossibile.

Resp. Dupliciter posse interpretari hoc iudicium intellectus: vel ita quòd intellectus putet hoc totum, rem esse & non esse simul, siue esse quando non est, componendo vtrumq. in suo iudicio: & hoc obiectum, idest hæc complexio, est sanè impossibilis, estque merè ficta & rationis. Vel ita quòd intellectus solùm putet rem esse, ignorans tunc rem non esse: & hoc modo illud obiectum quod menti obuersatur, est verè possibile, & est possibile pro illo instanti, non quidem compatiendo simul secum non esse rei, sed excludendo ipsum non esse. Et hoc obiectum dicimus esse reale, non rationis. Fictitia ergo & rationis est, complexio essendi & non essendi: sed existentia sola, est possibilis & realis.

Con-

Confirmatur hæc solutio: quia planè aliter se habet intellectus, si iudicet rosam esse & non esse in hyeme, ac si solùm iudicet esse: primo modo format obiectum impossibile: secundo modo attingit obiectum possibile. Et similiter, alia est propositio falsa, alia impossibilis: datur enim propositio falsa quæ non est impossibilis. Et præclarè Arist. 9. Meta. tex. 8. *Si supponamus, esse, aut factum esse, quod non quidem est, sed possibile est, nihil impossibile erit. Enimuero non est idem falsum & impossibile: te namque nunc stare, falsum quidem, sed non impossibile est.*

Quomodo se habeat ad cognitionem?

Obijcies 4. contra 3. conclusionem. Denominatio cogniti, & omnis alia denominatio prouenientis ab actibus intellectus, non est realiter in ipsis rebus, nec est subiectiuè in ipso intellectu, in quo potius est denominatio cognoscentis: sed est tantùm obiectiuè in intellectu: ergo est ens rationis.

Resp. Esse subiectiuè in intellectu quãtum ad formam denominantem, idest habitudo cognitionis ad obiectum cognitum, est vt que in intellectu, & hunc sumitur realitas denominationis: imo non est obiectiuè in intellectu, nisi quando per actum reflexum concipitur; & tunc erit ens rationis, si apprehendatur vt aliquid intrinsecum in obiecto.

Obijcies 5. contra eandem. Ens rationis non est nisi dum cognoscitur: ergo totum esse entis rationis est cognosci: igitur adæquatè ens rationis consistit in ipsa denominatione cogniti & cogitati.

Resp. Duo in hoc debere distingui: vnum est illud quod cognoscitur & obijcitur intellectui: aliud est ipsa denominatio qua valet dicere, id cognosci & obijci. Primum præcipuè est esse entis rationis: & sic debet intelligi totum esse entis rationis est cognosci, idest est illud quod solùm cognosci quidem potest, realiter esse non potest. Denominatio autem ipsa cogniti, etiam applicata enti rationis, realis est, quia cognitio attingens ipsum ens rationis, realis est: & realiter verum est, intellectum concipere ens rationis.

Contra alias duas conclusiones non occurrit alia difficultas, nisi quatenus cõnexæ sunt cum alijs difficultatibus pertractandis, de quibus iã agendũ sequitur.

SECTIO TERTIA.

De Fundamento entis rationis.

Cognita natura & quidditate quam suo modo habet ens rationis, agẽdum est de causis eius. Duas autem causas habere posse videtur: materialem, non quidem in qua subiectetur, quia ens rationis nullibi est subiectiuè: sed tantùm in qua fundetur: & causam efficientem, a qua fiat ens rationis. Dico has duas tantùm causas, quia de causa finali & formali nihil dicendum occurrit. De causa effectiua agemus postea: modò quærimus de causa fundante, idest fundamento entis rationis. Quod est aliquod ens reale cui velut innititur ens rationis.

Aliorum sententia referuntur.

Dixerunt aliqui, ens rationis non habere aliud fundamentum, nisi imperfectionem nostri intellectus, & debilem nostrum concipiendi modum, ob quem non attingimus res sicut verè sunt. E contra dixerunt alij, omne ens rationis debere habere aliquod fundamentũ in rebus ipsis: & alioqui no posse merè gratis ab intellectu excogitari & fingi. Aliqui verò addunt, fingi quidẽ posse, non tamen esse propriè ens rationis. Sed, alia esse entia mere fictitia, alia entia rõnis, & hæc esse illa tantùm quæ fundantur in rebus.

Varij sunt etiam modi explicandi hoc fundamentum, ad assignandum quodnam illud sit; & quidnam sit, ens rationis fundari in rebus. Aliqui dicunt, fundamentum entis rationis esse illud, quod necessitat & cogit intellectum ad faciendum ens rationis: ita vt non posset intellectus concipere ipsam rem, seu reale fundamentum, quin illi affingat aliquod ens rationis. Ita dicunt: non potest intellectus concipere parietem esse visum, quin fingat ens rationis visum, idest relationem rationis ad oculum videntem. Alij verò dicunt, fundamentum esse illud ens reale, cui adiunctum concipitur ipsum ens rationis, veluti forma subiecto, & de quo proinde prædicatur ipsum ens rationis: vt esse visum de colore, esse genus de animali, & sic de alijs. Ita Fons. 5. Met. cap. 7. q. 1. sect. 5. Alij autem dicunt, fundamentum esse illud, ad cuius instar concipitur ens rationis, quandoquidem solet concipi ad instar alicuius entis realis.

Ens rõnis

Dico primò, Ens rationis, non quidem omne,

sæpè habet fundamẽtũ in rebus. omne, sed vt plurimum habet fundamentum in re, præter imperfectionem nostri intellectus. Hæc conclusio est communis. Et quidem ex vna parte, ens rationis posse & solere habere fundamẽtum in re, patet: quia plerunquè non temerè & sine causa, intellectus excogitat & intra se efformat entia rationis: sed ex motiuo rerum ipsarum; supposita tamen debilitate ipsius. Sed quia distinguimus fundamentum tanquam causam materialem à causa effectiua entis rationis, imperfectio nostri intellectus se tenet potius ex parte causæ effectiuæ. Quærimus autem fundamentum præter ipsam causam effectiuã, fundamentum scilicet ex parte rerum quæ solent esse obiectum intellectus.

Interdũ non habet. Ex alia parte fieri potest, vt intellectus etiã temerè absque alio fundamento ens aliquod rationis effingat: videlicet cùm concipimus Chimeram Hircoceruũ, quasi animal compactum ex duabus naturis repugnantibus: cùm intellectus distinguit eandem rem à se ipsa, & concipit rẽ tanquam sibi ipsi inexistentẽ, & format propositionẽ idẽticam, Petrus est Petrus. Ad quæ entia rationis intellectus non habet fundamẽtũ. Hæc ergo sunt entia rationis ficta absque fundamento. Et hinc duplex assignatur ens rõnis, aliud fundatum, aliud non fundatum. Et duplex assignatur distinctio rõnis: vna cum fundamento in re, vt inter gradus essentiales eiusdẽ rei, inter attributa Dei; & appellatur rõnis ratiocinatæ: alia sine fundamento, vt distinctio eiusdem à se ipso, & appellatur rationis ratiocinantis.

Atque hæc quæ sine fundamento finguntur, debent appellari entia rationis. Quia si attendamus propriũ & formale significatũ huius nominis, quodq; in communi modo loquendi intendimus, ens rationis significat id, cuius esse est solùm obiectiuè in intellectũ, & non datur à parte rei: atq. hæc est definitio entis rationis: sed illud quod absq. fundamento fingitur, planè est huiusmodi: ergo debet appellari ens rõnis. Imo, si sic dicere liceat, eò plus habet de ente rationis, idest quod rõne fiat, quò plus ab intellectu fingitur, & minus nititur rebus ipsis, magisquè distat ab ente reali. Non ergo cõtradistingui debẽt entia ficta & entia rõnis: sed hæc duo tanquam synonima accipienda sunt, distinguendo ens rõnis, in fictum cum fundamento, & absq. fundamento. Sic distinctio eiusdem à se ipso, & relatio eiusdem ad se ipsum, absolutè appellatur, distinctio rõnis, & relatio rationis.

Fundamentum entis rationis non cogit intellectum ad illud fingendũ. Dico 2. Fundamẽtum entis rõnis non est illud quod imponat necessitatem intellectui ad efformandum ipsum ens rationis. Probatur: quia licèt intellectus noster ob suam imperfectionem difficulter possit interdum quædam concipere non fingendo entia rõnis, tñ non ad id prorsus cogitur. Sed poterit res concipere vtcũque sicuti sunt absque entibus rõnis: v.g. licèt intellectus concipiens parietem visum, soleat id concipere tãquam relationem parietis ad oculum: tamen sicut reuera paries est visus, non per relationem aliquam in se, sed per solam terminationem visionis ad parietem, quæ realis est & intrinseca; ita potest rectè intellectus id ipsum cõcipere: & sanè ita realiter esse affirmat. Similiter põt intellectus concipere actionem qua creatus est Mundus prodijsse à Deo, & ita Deum esse creatorẽ, non fingendo aliam relationẽ Dei ad creaturam. Imo expressè cogitando & affirmando, in pariete viso, in Deo creante, nullam esse reuera relationem.

Cõfirmatur. Aliud est illud quod à parte rei reperitur, aliud quod ab Intellectu fingitur. A parte rei reperitur solùm hoc, quod visio fertur ad parietẽ, quòd actio procedit ab agente; & paries realiter est visus per ipsam visionem ad se terminatã, causa realiter agit per ipsam formam actionis: ab intellectu aũt fingitur vlterius relatio rõnis. Cur ergo nõ possumus aliquo actu concipere illud solùm quod est à parte rei, vel nõ cogitãdo, vel expressè remouẽdo & negãdo entia rõnis? imo oẽs periti agnoscunt & dicũt, res tali modo se habet à parte rei: ergo planè ita cõcipiunt. Põt ergo intellectus concipere res sicuti se habent, nõ fingendo, eisuè tribuendo entia rõnis: & hoc etiã in cõcipiendis illis rebus, in quibus solent ex fundamento ipsarum rerũ sese offerre intellectui entia rõnis. Igitur fundamentũ entis rõnis dici non debet esse illud quod imponat necessitatẽ fingendi. Imo nullũ est fundamẽtum, quod ex parte ipsarum rerum talem necessitatem humano intellectui absolutè imponat.

Dico

Non eſt idem ac ſubiectū.

Dico 3. Fundamentum entis rationis non benè et adequatè aſſignatur illud, cui adiunctum concipitur ens rationis, & de quo ipſum ens rationis prædicari poſſit, vel ad cuius inſtar concipitur ens rationis. Prima pars probatur. Tum quia, cùm concipimus ſpatium imaginarium & vacuum per modum cuiuſdam extenſionis, hoc reputatur ens rationis cum fundamento, ſi quidem difficulter poteſt res aliter concipi: & tamen hoc ens rationis nulli enti reali cogitatur adiunctum. Tum è contra, ſi concipiatur homo tanquam Angelus, hoc ens rationis non habet fundamentum: & tamen cogitatur affixum alicui enti reali. Et licèt propter hanc fictionem non poſſit prædicari verè homo eſt Angelus, tamen dici poſſet homo eſt Angelus obiectiuè in intellectu fingente, id eſt cogitatur vt Angelus. Et hoc modo etiam quando concipitur relatio creatoris in Deo, non valet dicere, Deus verè refertur ad creaturam, ſed refertur per rationem, id eſt cogitatur referri. Tum etiam fundamentum relationis creatoris in Deo, eſt ipſa creatio: relationis viſi in pariete, eſt ipſa viſio: & tamen talis relatio non cogitatur adiuncta creationi, ſed Deo, non viſioni, ſed parieti: non prædicatur de creatione & viſione, ſed de Deo & pariete. Tum demum, dum intellectus tribuit Deo relationem creatoris, dicitur tribuere cum fundamento; ſi verò ipſi Deo tribuat albedinem, vel aliud huiuſmodi, dicetur tribuere ſine fundamento, aut ſi tribuat relationem generis, aliamuè talem: ſimiliter inter res creatas, cum fundamento tribuitur colori relatio viſi, non tamen relatio auditi, vel guſtati; homini relatio ſpeciei, non tamen relatio generis: ergo fundamentum entis rationis, eſt aliquid aliud, quàm ſubiectum cui tribuitur & affigitur ipſum ens rationis.

Nec ad cuius inſtar fingitur ens rationis.

Secunda pars deinde probatur: quia de quocunque ente rationis valet dicere, concipi ad inſtar alicuius entis realis. Niſi enim intellectus entia realia cognouiſſet, nunquam cogitaret entia rationis. Et Hircoceruus, v.g. concipitur ad inſtar animalis, quod ens reale eſt, & diſtinctio rationis ratiocinantis ad inſtar diſtinctionis quæ in rebus inuenitur. In hoc ergo ſenſu omne ens rationis habet fundamentum in re. At quærimus aliquod maius fundamentum, magis propriè dictum, quod ſcilicet moueat & veluti impellat intellectum ad effingendum ens rationis.

Propriè eſt occaſio ſiue motiuum fingendi.

Dico 4. Fundamentum entis rationis in vniuerſum eſt illud, quod eſt ſpecialis quædam occaſio & motiuum, ac veluti impulſiuum intellectui ad excogitanda entia rationis: ita vt ipſe intellectus non temerè & merè gratis, ſed ſumpta occaſione ex ipſis rebus, quas ægrè ob ſuam imperfectionem poſſet aliter intelligere, efficiat entia rationis. Explicatur exemplis. Viſio quæ terminatur ad parietē, & refertur ad illum, eſt occaſio intellectui, concipiendi eſſe viſum in pariete per modum mutuæ cuiuſdam relationis, quæ tamen reuera non eſt. Item, cùm in homine realiter ſit, & principium ſentiendi & diſcurrendi: principium autem ſentiendi, ſit etiam in brutis, in quibus non eſt principium ratiocinandi; hoc eſt motiuum & fundamentum intellectui, diſtinguendi eos duos gradus, qui reuera diſtincti non ſunt; itemquè concipiendi principium ſentiendi ſeu animal, tanquam ſuperius quid ad hominem & brutum, quod poſſit communicari vtrique: & ita formatur ens rationis, vniuerſale, & genus. Rurſus in Deo glorioſo dantur intellectus, & voluntas, & alia attributa, quæ à parte rei ſunt vnum & idem; quia tamen ſimilia attributa ſunt diſtincta in rebus creatis, & in Deo ipſo valet dicere, Deus per intellectum non per voluntatem intelligit, dicit, & gignit Verbum: per voluntatem non per intellectum amat, ſpirat, & producit Spiritum ſanctū. Hæc eſt occaſio & motiuū intellectui, diſtinguendi attributa Diuina. Et hoc modo explicat fundamētum huius noſtræ diſtinctionis S.Tho. in primo d.2.q.1.art.3.& d.19.q.5.art.1. aliquè Theologi communiter.

Rectè autem ſic aſſignari fundamentum entis rationis, ſuadetur. Tum ex impugnatione aliarum ſententiarum, præter quas non ſupereſt alius commodior modus. Tum ex recepto & conſueto loquendi modo, præſertim in actibus ipſis noſtri intellectus. Nam illud quod eſt nobis motiuum & occaſio aliquid putandi & opinandi, dicitur fundamentum noſtræ opinionis: indicia & ſigna quæ mouent ad aliquid iudicandum & exi-

ſtiman-

stimandum, dicuntur fundamentum talis iudicij. Vnde è contra, cùm quis sine ratione, sine talibus indicijs, quicquam opinatur; dicitur, sine fundamento, gratis & temerè opinari. In hoc ergo sensu dici etiam videtur fundamentum entis rationis, & è contra ens rationis carens fundamento. Vnde fit, hoc fundamentum esse maius & minus, iuxta maiorem scilicet aut minorem impulsum occasionis dictæ: & ens rationis posse dici magis minusuè fundatum.

Ens rōnis sine necessitate sed nō sine occasione fingitur.

Obijcies primo. Si intellectus noster non cogitur ad formandum ens rationis, nullumquè est fundamentum cogens: ergo semper frustra & sine causa formabitur, atquè adeò voluntariè & sine fundamento: & si res possunt concipi sicuti sūt, meliùs longè est vt ita concipiantur, & ita præstabit omnia entia rōnis auferre.

Resp. Si frustra & sine causa & voluntariè ac sine fundamēto, significet sine necessitate, sine fundamēto cogente: concedendum vltrò est, ita formari entia rōnis. Si aūt sine causa inducente & fundamēto mouente, negandū id est. Sicut in alijs nostris opinionibus & iudicijs, licèt rōnes & indicia non cogant, tamen quando apta sunt inducere & mouere, dicuntur etiā fundamentū. Vltrò etiam fatemur, multò melius esse, concipere res sicuti sunt sublatis entibus rōnis. Et ita non dicimus, entia rōnis aliquam vtilitatem afferre, per se loquendo: sed assignamus entia rōnis, quia solent dari, & in mēte versari; & per accidens ob imperfectionem nostri intellectus iuuare possunt ad aliqua explicanda, sicut in scientiarum vsu contingit.

Omnes res possunt concipi sicut sunt sine entibus rationis.

Obijcies 2. Quædā non videntur prorsus concipi posse sine entibus rōnis, v.g. non possumus concipere Angelū nisi tanquam corporeum, spatium imaginarium nisi tanquam magnitudinem, tēpus imaginariū nisi tanquam successionē, denominationes extrinsecas nisi tanquam relationes: ergo.

Resp. Quia homo non solùm habet intellectum, sed etiā sensum internum, qui præcipuè dicitur imaginatio; & operatio imaginationis coniungitur cū operatione intellectus, imaginatio aūt non pōt apprehendere nisi res corporeas & quantitatiuas: ideo per imaginationē quidem non possūt res nisi penes aliquas imagines apprehendi. Ita imaginamur Angelum tanquā iuuenem sub forma humana. idest simul atq. intellectus cogitat Angelū, imāginatio sibi format idolū quoddam sensibile sub quo solent etiā Angeli depingi ac figurari. Sed si secernamus & per se spectemus consideratione intellectus, hic vtique expresse concipit & scit, Angelū esse substantiam quandā, non solùm carentē, sed excludentem prorsus omnem quātitatē, corporeamq. figuram; existente totam in toto & totā in qualibet parte loci: in qua intellectuali conceptione nullū ens rōnis admiscetur, vt patet. Sic etiā intellectu benè concipimus & scimus, spatiū ac tēpus imaginariū non esse quicquā positiuū; imo ideo dicitur imaginarium, quia per imaginationē repræsentatur quęda extensio positiua. Denominationes demum extrinsecas concipimus & scimus sicuti sunt verè sine relationibus, quia scilicet datur creatio procedens à Deo, visio terminata ad parietē & sic de alijs.

Quō distinctio rationis sit necessaria.

Obijcies 3. Saltem ad distinctionem rōnis videtur cogi intellectus ex fundamento ipsius distinctionis. Nā communiter dici solet, non posse à nobis vno conceptu intelligi attributa Diuina sine tali distinctione, non posse à nobis in hac vita concipi Deū perfectè sicuti est: sic etiā in alijs rebus in quibus plures formalitates ratione distinguuntur.

Resp. in primis, saltē conceptu confuso & indistincto posse talia intelligi sine distinctione vlla rōnis. Deinde in conceptu explicito & distincto diligenter aduertendum est, dupliciter posse sumi distinctionem rōnis. primò solùm pro eo quòd intellectus distinctis suis actibus apprehendat ea quæ in re vnum sunt: 2. pro relatione quadam distinctionis, quæ cogitari potest inter ea quæ sic apprehensa sunt. Primo modo non datur distinctio rōnis quæ sit ens fictum ex parte obiecti, sed solùm denominatio ab actibus rōnis, idest esse cognitum per actus inter se realiter distinctos. Secundo modo datur ens rōnis obiectiuè fictum. Pōt ergo res concipi explicitè primo modo sine hoc secundo, & tunc concipitur sine ente rōnis obiectiuè ficto; sed nō sine denominatione ab actibus rationis, quam vtiq. concedimus necessariò dari hoc ipso quòd datur actus intellectus: sed ea in rigore est

realis, non quidem intrinseca rebus ad extra, sed per actum realem intellectus, vt dicebamus.

Quo fundamentū sit causa materialis entis rationis. Obijcies 4. Fundamentum est causa materialis entis rõnis, vt ab initio diximus: sed causa materialis est quæ est subiectū formæ: ergo fundamentum entis rõnis propriè est illud cui adiungitur & affingitur ens rõnis, quasi forma subiecto, ita vt de illo prædicetur.

Resp. Fundamentum entis rõnis solùm similitudine & imitatione quadā dictum esse causam materialem quatenus illi quodammodo innititur ens rationis. De reliquo concedimus, illud quod se habet in intellectu tanquam subiectū entis rõnis, plus habere de causa materiali erga ipsam formam rõnis. Et nè fiat contentio de nomine, admittimus etiam posse in hoc sensu sumi fundamentū pro subiecto. Sed iuxta communem loquendi modum aliter sumitur, vt explicauimus.

Quo occasio fingendi nō semper vrgeat. Obijcies 5. Si fundamentū est idē quod occasio fingendi ens rõnis, adhuc sequitur omne ens rõnis habere fundamentū: quia semper ex aliqua occasione mouetur intellectus ad illud fingendum.

Resp. Esto semper interueniat aliqua saltem remota & minus propria occasio: tamen fundamētum propriè intelligetur occasio veluti vrgens & impellens intellectum. Sicut etiam vix aut nunquam intellectus quicquam opinabitur, nisi ex aliquo motiuo saltē leui: & tamen dicitur temerè & sine fundamento moueri. Sed in hac re non oportet aliud quærere, nisi communē loquendi modum, vt illud motiuum dicatur propriè fundamentū, quod ita solet communiter appellari; & illud ens rationis dicatur habere vel non habere fundamentum, de quo id solet affirmari.

SECTIO QVARTA.
De Causa effectiua Entis rationis.

Variæ sententiæ. Nolunt aliqui concedere, ens rõnis habere causam effectiuam. Ita Gab. in 2.d.1.q.2. dub.4. Herueus tract. de Secundis intentionibus, Soncin. 6. Met. q. 13. Maior controuersia est, supposito quòd ens rõnis fiat suo modo ab aliqua causa, quænam illa sit, & à qua causa in vniuersum ens rationis effici queat.

Aliqui asserunt, non à solo intellectu effici ens rationis, sed etiam ab alijs potentijs cognoscitiuis & appetitiuis, nempè à sensibus præsertim internis, & appetitu præsertim à voluntate: dicentes per actus omniū harum potentiarum resultare in obiecto relationē cogniti aut voliti; quæ cùm non sit realis, erit rationis. Et ita specialiter de imaginatione & voluntate sensisse Scotum, refert Caiet. 1. p. q. 28. art. 1. At Scot. in 1. d. 45. q vnica, ait, resultare quidem relationem; sed talem relationem non esse propriè rõnis, cùm non fiat à ratione: nec esse realem: sed esse ab vtraq. diuersam. De imaginatione verò Suar. d. 54. sect. 2. nu. 18. concedit, per illam fieri ens rationis, tunc scilicet, quando imaginatio fingit quod non est, ad instar intellectus. & Ruuius in tract. de Ente rationis concedit, per Phantasiam fieri aliquod ens rationis, vt montem aureum.

Deinde aliqui asserunt, ab omni intellectu, etiam Diuino effici ens rationis. Ita sentire videntur illi Theologi qui docēt, non solùm ab intellectu nostro, sed etiam ipsius Dei ac Beatorum distingui attributa Diuina in intelligendo. Et præterea Caiet. 1. par. qu. 15. art. 2. ad finem, planè asserit, per intellectionem Diuinam comparatiuam effici respectus rationis suarum idæarum ad creaturas. Imo S. Tho. eodem art. ad 3. & 4. id planè docere videtur. Et Fonseca 4. Met. cap 2. qu. 7. sect. 14. §. ad posteriorem obiectionem, asserit, si non omnes, saltem plurimas relationes rationis, non minùs consequi ad apprehensionem intellectus Diuini, quàm nostri.

Dico primo. Ens rationis non habet verè & propriè, habet tamen suo modo, causam effectiuam. Prima pars est de mente Auctorum quos initio allegauimus, & facilè ab alijs concedetur. Patet: quia cùm ens rationis non sit verè, nec habeat verum esse, sed tantùm fingatur ad instar entis, non potest verè & propriè fieri, sicut fit ens reale: & ita non habet propriè causam efficientem. Sed proprium est entis realis, posse poni extra causas per veram productionem. *Ens rõnis non habet propriè, habet tamen suo modo, causam effectiuam.*

Secunda pars est communis. Nam passim ab omnibus dicitur, ens rationis fieri ab intellectu, effici per operationem intelle-

tellectus & similia : ergo habet aliquo modo causam effectiuam. Et ratione patet: quia sicut dicitur suo modo ens, & esse obiectiuè: ita dici etiam debet suo modo fieri, & accipere suum esse obiectiuum. Et tunc dicetur hoc modo fieri, cùm concipitur & obijcitur, ac suo modo incipit esse. Imo etiã quando ab intellectu cognoscitur ens reale, aliqui sic loquuntur, effici & produci in esse cognito, in esse obiectiuo. Absolutè autem & simpliciter nõ dicitur produci & fieri ens reale per hoc solùm quòd cognoscitur, quia nimirum habet verum & realem modum quo producitur à parte rei. At ens rationis absolutè dicetur fieri dum cognoscitur, quia non habet modum magis essendi, & à sua causa procedendi, quam penes cognosci & obijci.

A solo intellectu efficitur.

Dico 2. Ens rationis à solo intellectu efficitur. Hæc est communior sententia. Et primò quidem maximè fieri ab intellectu, est clarissimum. Nam & inde nomen accepit: ens enim rationis idẽ prorsus est ac ens intellectus: & intellectus põt concipere sibiquẽ obijcere ea quæ nõ sunt ac si essent. Et de ipso intellectu primariò cogitatum est, in illo dari, scilicet obiectiuè, & ab illo fieri, tale ens contradistinctum ab ente reali.

Secundò hinc probatur, non ab alia potentia fieri. Nam si fieret, iam non esset ens rationis, cùm non fiat per rationem, sed esset aliud genus entis. Et Scot. quidem non dubitauit sic loqui, sed præter communem modum: & ideo vel hoc ipso capite id non debet recipi. Suar. verò conatus est explicare, etiam illud quod per imaginationẽ fieri concedit, esse & vocari debere ens rationis: dicens, imaginationem in hoc participare vim rationis; & fortasse nunquam fingere quod nõ est, nisi cooperante rõne. Verùm non potest effugere, quin tale ens ab imaginatione fictum, potius deberet appellari ens imaginationis, quàm ens rationis. Neq. imaginatio per se participat vim rationis: sed tantum conuenit cum intellectu in munere potẽtiæ cognoscitiuæ internæ. Et, si imaginatio suo actu ꝓprio distincto ab actu intellectus, habet efformare ens fictũ; frustra affertur consortium rõnis. Dicere aũt quis poterit, assignandũ esse ens fictum contradistinctũ ab ente reali: & ipsum ens fictum latiùs patere quàm ens rationis, idest intellectus Et ens fictum posse fieri per alias potentias ab intellectu. Et vel tunc non appellari ens rationis, sed potius ens voluntatis, aut ens sensus. Vel omne ens fictum appellari ens rationis per extensionem & ampliationem vocabuli, origine appellationis sumpta à rõne tanquam à notiori causa entis ficti.

Non per se resultant ex operationibus aliarum potẽtiarum relationes rationis.

Tertiò ergo quoad rem ipsam probandum est, non fingi, nec fieri per alias potentias ab intellectu, tale ens contra distinctum ab ente reali. Et quidẽ ex dictis sect. 2. satis patet, non resultare statim relationẽ cogniti & voliti in obiecto, absq. alia fictione intellectus. Sed ante operationẽ rõnis illas esse denominationes reales extrinsecas. Et nunc suadetur magis: quia illa relatio obiecti voliti, v. g. quæ statim dr̃ resultare, vel est subiectiuè in rebus ipsis, & sic est verè realis. Vel est subiectiuè in voluntate: & sic etiã est realis. Et præterea peruersè ponitur relatio rei volitæ ad voluntatẽ in ipsa voluntate, in termino scilicet, nõ in subiecto & fundamẽto ipsius relationis. Vel est obiectiuè in volũtate. Et hoc dici nõ pot. dũ .n. volũtas amat, v.g. Deũ: non aliud obiectũ attingit nisi ipsum Deũ, & Deus solus dici poterit esse obiectiuè in volũtate. Illud .n. dicendũ erit obiectiuè in volũtate, ꝙ amatur ab ipsa volũtate: sed Deus est qui amat, nõ aũt relatio aliqua ficta, in quam nullo modo tũc fertur voluntas tãquam in obiectũ: ergo nulla talis relatio est tũc obiectiuè in voluntate. Ergo nullo modo est. Nec .n. dici põt alio modo esse. Et idẽ est de alijs potẽtijs. imo etiã de ipso intellectu quãdo cognoscit entia realia. Ergo non fit illa via ens aliquod fictum per huiusmodi potentias.

Nec ab ijs potentijs fingitur.

Quartò vlterius dici non põt, fieri has relationes fictas per has potẽtias. sal ẽ dũ alio suo actu veluti reflexo sibi obijciant denominationes suas extrinsecas ad instar relationũ sicut dicebamus, intellectũ hoc modo fingere relationes cogniti, prædicati, subiecti, &c Hoc inquam dici non pot. Nã hæ potentiæ nõ faciunt huiusmodi reflexionẽ. Oculus .n. videt pariẽ, nõ aũt videt nec cognoscit reflexè parietẽ esse visũ: & sic de alijs sensibus externis. Itẽ imaginatio non percipit quidnam sit esse imaginatũ in obiecto, & quamuis per sen

sum internum possit cognosci obiectum vt antea recognitum per modum memoriæ & minirescentiæ: tamen id apprehendit solùm quoad an est recolendo antecedentem actum cognitionis, neq. cogitando quidnam fuerit tale esse cognitum in obiecto, neque apprehendendo relationem quæ non est nec fuit ex parte obiecti. Appetitus autem & voluntas non habet apprehendere & cogitare de esse volito; cùm non sit potentia cognoscitiua, nec etiam sui actus, suæq. denominationis: sed talis cognitio spectat ad intellectum.

Quando ab alijs potentiis attinguntur obiecta quæ non sunt, adhuc nõ fiunt entia ficta.

Quintò deinde dici non põt, fieri ens fictũ per has potentias saltẽ tunc, quando attingunt obiecta aliqua quæ non sunt ac si essent. Sicut hoc modo dicimus fieri ens rõnis ab intellectu V.g. oculis sæpè videmus ea quæ non sunt: apparet nobis remus fractus in aqua, sol apparet exiguæ magnitudinis, & sic alia quamplura etiã respectu aliorũ sensuum. Et præsertim interius imaginari possumus & solemus, montem aureum, mare vitreum, hircoceruum, aliaq. varia figmenta. Item voluntate, non solùm appetere quæ non sunt ac si essent; sed etiam quæ prorsus impossibilia sunt, vel putata possibilia, vel etiam cognita vt impossibilia, saltẽ affectu simplicis complacentiæ; possumus ordinare vnum ad aliud quod de se non est ordinatum ad illud.

Nõ à sensibus externis.

Neque hoc inquã modo fit ens rõnis seu fictũ per has potentias. Et probatur: quia in primis per sensus exteriores, licèt possit & soleat repræsentari quod nõ est, seu res aliter quam est: tamen semper repræsentatur quod verè possibile est, vt patet in ijsdem exemplis adductis, & in alijs quæ contingere solent. Ens aũt possibile, non est ens rationis & fictum, sed est verè reale. Vnde nec etiã ab intellectu, dũ tali modo decipitur, dicimus fieri ens rõnis.

Non ab internis ab ipsaq. imaginatione.

Eadem quoq. ratio est de sensibus internis, deque ipsa imaginatione: semper enim repræsentatur ens possibile & sensibile, non aũt quicquã impossibile, & merè fictitiũ, vt notauit egregiè noster Gueuara lib. 1. de Interiori sensu tract. 2. cap. 1. Patet quia est vtiq. possibilis, & à Deo factibilis, mõs aureus, idest aurum in tanta quantitate & mole & cum tali figura, sicuti est mõs: & similiter mare vitreum. In hircoceruo etiam aliauè simili Chimera oportet distinguere duo, & figurã externã sensibilem cum corpore cerui & capite hirci, & naturam substantialem quæ ibi põt apprehendi: figura illa sensibilis vtiq. non repugnat; quinimo sæpe visa sunt huiusmodi mõstra mixta ex diuersis figuris: natura aũt substantialis cõpacta ex natura cerui & hirci, est quæ repugnat. Imaginatio ergo non attingit substantiã, sed tantùm sistit in externa illa figura, quia substantia non est sensibilis in se. Nõ ergo repræsẽtat ens aliquod impossibile distinctũ ab ente reali Vnde nõ benè Suar. dixit, latius patere ens imaginabile quã ens possibile: licèt enim imaginatio per coniunctionẽ plurium specierũ, videlicet montis & auri possit sibi repræsentare quasdã figuras quæ a causis naturalibus fieri non possint: saltem erunt absolutè possibiles, quæ à Deo fieri possint; & sic continentur intra latitudinem entis realis.

Nõ à voluntate.

De voluntate aũt alia ratio reddenda est, supposito quòd ferri possit in impossibile. nimirũ volũtas nihil appetere põt, quod non ipsi proponatur ab intellectu; nec potest ordinare vnũ ad aliud nisi sub tali ordine sit illi propositũ ab intellectu. Sẽper ergo tale obiectum fictum in quod fertur, præsupponitur factũ ab ipso intellectu. Nec dici debet denuo fieri per ipsã voluntatẽ. Quoniã non dicitur voluntas ipsa fingere, sed tantùm ferri in id quod ab intellectu fictũ illi proponitur. Vnde cũ de re constet, consuetus etiã loquendi modus seruãdus est. Et præterea quando voluntas ordinat vnũ ad aliud, idest eligit mediũ propter finẽ, non format nouã relationem ordinis in tali medio: sed tñ eligit mediũ ex intẽtione finis, vnde prouenit denominatio extrinseca in obiecto, quòd vnum sit volitum propter aliud, medium propter finem.

Ab intellectu humanoqui- dẽ fit ens rõnis: non à Diuino.

Dico 3. Ens rõnis à solo ferè humano intellectu efficitur: & specialiter nõ efficitur ab intellectu Diuino: nec etiã ab Angelico circa ea obiecta quę Angeli euidẽter & intuitiuè cognoscunt. Hæc cõclusio est ferè cõis. Sumitur ex D. Tho. qu. 7. de Pot ar 6. & ex alijs Theol. negantibus, intellectũ Dei ac Beatorũ intuentium clarè essentiam Diuinam, distinguere in illa attributa quæ in re distincta non sunt.

Fun-

Fundamentum est: quia ens rationis efficitur, cùm quod non est, concipitur ac si esset: sed fieri non potest, vt Deus aliusuè intellectus perfectè intuens obiectũ, concipiat quod non est ac si esset: ergo. Maiorem supponimus ex dictis, iuxta explicationem factam de ente rationis. Si enim per ens rationis intelligeretur denominatio ab actu cognitionis, vel si ex omni actu cognitionis resultaret relatio rationis in obiecto, sic necessariò & absq. vlla imperfectione ens rationis fieret ab intellectu Diuino. Sed sumimus ens rõnis pro obiecto impossibili, quod concipitur ac si esset. Ergo nõ aliter fit ens rõnis nisi per hunc concipiendi modum. Minor deinde conuincitur ex perfectione intellectus Diuini. Magna enim imperfectio est, vt obiectũ cognoscatur aliter ac est, absolutum tanquam relatum, negatio tãquam forma positiua, & similia: & intellectus perfectè cognoscẽs, cognoscit omnia sicuti sunt. Ita Deus cognoscit parietem esse visum, non quidem concipiendo parietẽ referri ad oculũ, sed tantùm visionẽ terminari ad parietem: hominem esse animal, non quidem referendo prædicatum ad subiectũ, sed intuendo connexionem & identitatẽ essentialẽ horum extremorũ: hominẽ non esse equum, non quidẽ concipiendo hanc negationem quasi aliquid positiuũ, sed negando & remouendo, sicuti verum est à parte rei. Non ergo Deus intellectu suo facit entia rationis.

Nec ab Angelico nisi ex parte.

Similiter Angelus perfectè cognoscit res de quibus habet euidentiam, vnde intuetur res sicuti sunt; & dicto modo cognoscit, parietem esse visum, & alia quæ diximus, non fingendo entia rationis. Euidenter autem cognoscunt Angeli ex virtute sui intellectus res naturales. Eadem ratione Beati clarè intuentes Deũ, non faciunt in hac cognitione entia rationis, sed cognoscunt totum obiectum sicut reuera & realiter est. Admitti autem potest, Angelum in cognoscendis illis obiectis de quibus non habet euidentiã, v. g. mysterijs supernaturalibus, quæ naturali virtute intueri non potest, & circa quæ non habeat lumen supernaturale, vt certè Angeli mali non habent; posse concipere aliquid aliter quam est, & ita facere aliquod ens rationis. Ideo non dixi absolutè solum intellectum humanum facere entia rationis. Sed cum illa explicatione quæ posita est in conclusione.

Cæterùm asserendum vltro est, ens rationis optimè posse fundari in operationibus dictarum potentiarum, à quibus dictum est fieri non posse, & ita posse dependere & causari ab illis tanquam à fundamento, atque resultare ab ipsis: non quidem quasi statim non interposita alia operatione & fictione intellectus consurgant tales relationes: sed quia ab intellectu super tale fundamentum excogitari possunt. Et sic potest intelligi dictum S.Thom. de Ideis diuinis: & alij similes loquendi modi poterunt sic exponi.

Ens rõnis quõ fieri possit à causa reali.

Obijcies primò ad probandum ens rationis a nulla causa effici posse. Causa realis debet habere effectum realem: itemque potentia realis debet habere obiectum reale: ergo a nulla causa & potentia reali potest effici ens rationis.

Resp. Causam & potentiam realem debere quidem in tota sua latitudine continere effectum & obiectum reale, imo id principaliter respicere: sed posse etiam extendi ad effectum & obiectũ non reale. Præterea causa realis in omni sua operatione actuali debet habere effectum realem. Et ita fatendum est, nunquam fieri posse ens rationis, quin simul fiat aliquis effectus realis: & verè ita est; quia non fit ens rationis, nisi dum fit actus realis cognitionis: sed præter ipsum effectum realem posse addi huiusmodi effectum non realem. Non sic autem erit necesse, vt in omni actuali operatione potentiæ interueniat aliquod aliud obiectum reale: quia ipse actus realis potest non habere aliud obiectum nisi rationis, vt defendemus sectione sequenti.

Quõ ab intell. ẽn possit effici obiectũ suum.

Obijcies 2. Ens rationis non posse effici ab intellectu. Intellectus, sicut & omnis potentia cognoscitiua, debet præsupponere obiectum in quod feratur: ergo non potest suomet actu illud efficere, & in illud ferri. Debet intellectus præsupponere rem esse, ad hoc vt cognoscat illam esse: sicut oculus præsupponit colorem quẽ videre debet, & implicaret oculũ eodẽ suo actu efficere & videre colorem. Ergo non potest ens rationis fieri ab intellectu. Hoc argumentum fieri solet ad probandum absolutè non dari ens rationis. Et adeo difficile visum est, vt va-

rijs modis illud soluere plures conati sint, tamen maxima ex parte inutilibus & ineptis.

Resp. autem facilè: intellectum, quando cognoscit rem sicuti est, tunc vtique præsupponere obiectum esse. At si cognoscat rem aliter ac est, tunc potius præsupponere oppositum. Facit aūt ens rationis, quando cognoscit res aliter ac sunt. Neque verò argumentum probat esse adeo necessarium, obiectum præsupponi, vt non possit intellectus cognoscere quicquam aliter ac est: neque vllatenus id probari potest contra euidentem experientiam, qua constat tam sæpè intellectum falli, iudicando esse id quod reuera non est. Atque etiam sensui repræsentari potest id quod non est, vt experientia patet. Discrimen verò est, quòd intellectui repræsentari potest, etiam quod possibile non est & ita fingitur. Sic ergo potest intellectus concipere quod non est, & tunc efficit obiectum suum; quia nimirum tale obiectum non habebat aliud esse, nisi quod tunc illi tribuitur, esse obiectiuum in mente.

Quō ab imaginatione cognoscatur negatio, sine forma ficta.

Obijcies 3. Ens rationis posse fieri per potentiam sensitiuam, saltem per imaginationem. Imaginatione apprehendimus negationes, v. g. Petrum non esse loquutum: sed id fieri non potest nisi apprehendendo negationem per modum formæ positiuæ & sensibilis; quoniam potentia sensitiua non attingit nisi obiectum sensibile: ergo.

Resp. primò. Sensum & ipsam imaginationem non percipere actu positiuo negationem: sed tantùm percipere subiectum non cognita forma negata. v.g. apprehendendo Petrum non apprehensa loquutione: sicut certè in operatione sensuum externorum, non videmus actu positiuo negationem talis vel talis coloris in obiecto, non videmus tenebras in aëre, non audimus silentium, sed solùm per carentiam actus abusiuè dici solent videri tenebræ, audiri silentiū. Secundò si quis contendat imaginationem actu positiuo concipere negationem: dicendum est, id percipere per modum iudicij negatiui; sic cognoscendo, Petrum non esse locutum: in quo modo cognoscendi nihil fictum inuoluitur. & ita imaginationem posse attingere non solùm positiuè obiectum sensibile, sed etiam negatiuè carentiam formæ sensibilis.

Quō constituantur quædam in Deo, & cognoscantur à Deo sine entibus rōnis.

Obijcies 4. Ens rōnis fieri etiā à Deo. Quædam sunt in Deo quæ constituuntur per relationes rationis iuxta frequentem Theologorum doctrinam, videlicet decreta libera, idææ, & ipsamet scientia Dei de creaturis: ergo dantur ab æterno tales relationes: ergo factæ ab intellectu Diuino. Item Deus cognoscit sua decreta libera, & omnia quæ dicuntur constitui per relationes rationis: & cognoscit vtiquè independenter ab intellectu nostro fingente relationes: ergo ipsemet ex se cognoscit & facit tales relationes.

Respondetur. Vtique res non constituuntur realiter per relationes rationis, vt est euidens. Neque relationes ipsæ rationis includuntur in reali statu rerum. Implicat enim in terminis dicere, relationem rationis constituere rem à parte rei. Et consequenter intellectus cognoscens qualiter res se habeant verè à parte rei, non potest in tali cognitione inuoluere relationes rationis. Decreta ergo Diuina prout sunt à parte rei, & idææ, &c. constituuntur omnino sine relationibus rationis, & vt sic cognoscuntur à Deo. Non ergo fiunt tales relationes ab intellectu Diuino: sed tantùm imperfecto nostro modo cognoscendi concipiuntur atque finguntur. De qua re in proprijs materijs Theologicis agemus.

Obijcies 5. Saltem Deus, & similiter Angelus, cognoscit relationes & omnia entia rationis quæ fiunt à nobis: sed ens rationis fit, cùm cognoscitur: ergo saltem sic Deus efficit ens rationis.

Respondetur in primis, hoc modo non efficere entia rationis ex se, & per cognitionem quam habet de rebus ipsis, sine ordine ad nostrum concipiendi modum, & ad entia rationis quæ a nobis finguntur: sicut à nobis fiunt entia rationis, non quia vnus cognoscat ens rationis quod fit ab alio, sed ex se, & secundùm propriam cognitionem de obiectis in se.

Deinde quomodo cognosci possint, & à Deo ipso cognoscantur, entia rationis quæ fiunt à nobis: neque propterea fieri dicantur, modò examinandum sequitur.

SE-

SECTIO QVINTA.
De Productione & Cognitione Entis rationis.

Aliorum sententia. VBi adest causa quæ efficit & effectus qui producitur, assignari debet & ipsa productio. Non defuerunt qui dixerint, dari peculiarem quandam actionem per quam ens rationis fiat ab intellectu, distinctam à cognitione attingente ipsum ens rationis, & naturæ ordine priorem ipsa cognitione. Alij verò dixerunt, productionem entis rationis non distingui quidem realiter ab eius cognitione, distingui tamen formaliter: quia eadem operatio intellectus potest considerari, & vt cognitio, & vt productio: priusquè habere rationem productionis quàm cognitionis. Hæc excogitarunt præcipuè ob secundum argumentum sect. præcedenti iam solutum.

Deinde, quia productio entis rationis, vel est ipsa prorsus cognitio, vel omnino cum cognitione contingit: non leuis difficultas est, num omnis cognitio entis rationis sit eius productio; atque adeo eo ipso quòd ens rationis ab intellectu aliquo cognoscitur, dici debeat ab eo effici & produci: ideoq. hic cognitionem cum productione coniungimus. Estquè sententia affirmans, omnem cognitionem entis rationis esse eius productionem: ac proinde ab omni intellectu à quo cognoscitur, fieri etiam ens rationis. Et hac via nonnulli tenent, ab intellectu Diuino fieri ens rationis. Vel è contra nè cognosci quidem ens rationis ab intellectu non faciente ens rationis, & intellectum Diuinum qui non facit, nec cognoscere ens. rónis. Ita significat Vasq. 1. p. d. 118. n. 12.

Productio entis rationis est eius cognitio. Dico primò. Productio suo modo conueniens enti rationis, realiter & formaliter in cognitione aliqua consistit. Hæc est communis. Et sequitur planè ex dictis. Primò ens rationis non aliter est nisi obiectiuè in intellectu: sed aliquid esse obiectiuè in intellectu, non nisi per cognitionem fit, quæ est ipsa formalis repræsentatio obiecti: ergo ens rationis per ipsamet sui cognitionem & non aliter efficitur. Secundò ens rationis non habet esse verum & reale, sed tantùm fictum & apprehensum: ergo nec dari nec cogitari potest alia actio distincta qua fiat, præter ipsam fictionem & apprehensionem. Et in hac distingui & cogitari non potest alia formalitas productionis à formalitate talis cognitionis. Tertiò nullo modo potest intelligi, ens rationis priùs fieri quàm cognosci. Vel enim in illo priori habet suum esse obiectiuum in intellectu: ergo iam cognoscitur. Vel non habet: ergo non efficitur. Implicat ergo dicere, ens rationis vllo modo prius fieri quàm cognosci. Quartò quando intellectui repræsentatur obiectum reale, nulla formalitas productionis respectu obiecti præter formalitatem ipsam repræsentationis excogitari potest: sed per ipsammet dici solet, rem produci in esse obiectiuo. Ergo similiter in cognitione entis rationis: nisi quòd hæc absolutè dicitur productio entis rationis, quia ens rationis non habet maiorem, aliumuè modum essendi. Quintò ideo dixi productiò suo modo conueniens enti rationis. Quia sicuti diximus, ens rationis non habere verè & propriè causam effectiuam: ita etiam non habet propriè productionem, & actionem per quam fiat. Sed modo quodam dicit cognitionem pro sua productione, sicut causam cognoscentem pro causa producente. Quoniam cognitio gerit munus productionis in efficiendo ente rationis, dum dat illi totum esse quod habere potest. Et quod accipit terminus realis per suam veram, ac realem productionem, scilicet suum esse reale; hoc in suo gradu accipit ens rationis per cognitionem, scilicet suum esse obiectiuum.

Dico 2. Non omnis cognitio entis rationis est eius productio: quinimo pôt optimè cognosci ens rationis, & de facto cognoscitur, ab intellectu non faciente, siue non fingente ipsum ens rationis: & specialiter ab intellectu Diuino. Hæc conclusio sumitur ex D. Tho. 1. par. q. 14. art. 9. Est Capreol. in 1. d. 3. qu. 4. art. 3. Suar. disp. 54. sect. 2. Molin. 1. par. q. 28. art. 2. d. 3. & videtur aliorum communis. Probatur: quia omnino asserendum est, Deum cognoscere entia rationis, quamuis dictum sit non illa effingere. *Non tamen omnis cognitio entis rationis est eius productio.*

Primò enim Deus cognoscere potest & debet, quæ sit quidditas & natura *Deus cognoscit no*

stra entia rōnis, & cognoscendo non facit.

entis rationis, siue propositiones quæ sunt necessariæ & essentiales de ipso ente rationis, videlicet ens rationis est quid fictum, relatio rationis est qua concipitur referri id quod reuera non refertur, & alia huiusmodi: quia hoc est vtique obiectum cognoscibile. & sicut Deus clarissimè intuetur omnem aliam veritatem: ita non minus perspicit & comprehendit omnem veritatem quæ de ente rationis enunciari potest.

Item Deus cognoscere potest & debet, quandocunq ens rationis efficitur à nobis, imo ab æterno perspexit quæcunq. entia rationis essent à nobis decursu temporis effingenda. Cognoscit enim Deus quicquid à quacunque causa creata promanat, atque concurrit ad omnem actionem causæ secundæ, vtique sciens & videns. Et intuetur certè cognitionem nostram qua nos efficimus ens quodcunq. rationis, ad eamquè concurrit. Ergo omnino videt Deus, quidnam per talem cognitionem fiat, siue quodnam sit obiectum talis cognitionis. V. g. quando quis cogitat relationem visi in pariete, Deus vtiq. videt talem cognitionem, ad eamquè concurrit: ergo videt cogitari relationem quæ non est; & sic in vniuersum videt omnia entia rationis, quæ cogitantur à nobis. Insuper fieri potest, quempiam grauiter delinquere fingendo entia rationis: v. g. si Angelus peccauit appetendo se esse Deum, aut si quis nunc peccet per infidelitatem attribuendo aliquid falsum & impossibile ipsi Deo, alioue simili modo. Et vtique Deus intueretur tale peccatum. Ergo intuetur Deus omnem nostram fictionem, & quicquid à nobis fingitur, per sciētiam quæ à Theologis appellatur scientia visionis, & versatur circa res in quacunque differentia temporis existentes.

Præterea absolutè Deus optimè nouit nostrum imperfectum concipiendi modum, scitquè intellectum nostrum esse ita imperfectum, quòd sæpè concipiat res aliter quàm sint; & in specie ac distinctè comprehendit omnem actum atque cognitionem, omnemquè defectum possibilem in intellectu nostro: ergo non potest non cognoscere, à nobis ob nostram imperfectionem posse fingi ea quæ non sunt, & sic posse effici entia rationis. Imo quæcunque fictiones & quæcunque entia rationis quæ à nobis fingi possunt, etiam si nunquam actu fingerentur, & etiam si nunquam fuisset creatus intellectus humanus, non possunt non esse nota Deo: ergo cognoscit Deus omnia entia rationis possibilia, per scientiam quæ à Theologis dicitur scientia simplicis intelligentiæ, & versatur circa res possibiles.

Sine vlla imperfectione cognoscit.

Secundò à priori probatur: quia cognoscere his modis entia rationis, nullam imperfectionem ponit vel arguit in intellectu sic cognoscente: imo illa non cognoscere, esset ignorantia quædam, & magna imperfectio. Imperfectionis quidem est, ex se cognoscere rem aliter quàm est; & hæc imperfectio reperitur in nobis, & longè abest à Deo: atque adeo Deus non hoc modo cognoscit & fingit entia rationis. At cognoscere, si ab alio intellectu concipiantur res aliter quàm sunt, vel concipi possunt, simul discernendo defectum & imperfectionem alieni intellectus, non est vtique imperfectionis, sed summæ perfectionis. Quia non est cognoscere res aliter ac sunt, imo est cognoscere omnia sicut sunt. Dum enim à nobis res cognoscuntur aliter ac sunt, ille qui cognoscit, à nobis cognitas esse aliter ac sunt, cognoscit vtique & res ipsas & nostros conceptus sicuti sunt. Et hoc modo dicimus Deum cognoscere nostra entia rationis. Sicut imperfectionis vtique est, decipi & falli: perfectionis tamen est, perspicere in quo alius decipiatur atq. fallatur. Vnde Deus falli non potest, sed non potest non inspicere omnem nostram falsam existimationē. Sic ergo non ex se fingit concipiendo res aliter quàm sunt; sed cognoscit nostra figmenta, inspiciendo ea quæ nos concipimus aliter quàm sunt.

Tertiò vlterius argumentari possumus ad hominem contra Vasq. Ipsi enim relationes rationis in pluribus rebus constituendis familiarissimæ esse solent. Ait, decretū Dei constitui per relationē rōnis, valorem operum Christi esse relationem rōnis, actus morales esse bonos aut malos per relationes rationis, & alia pleraquè: Deus aūt cognoscit hæc omnia: ergo maximè iuxta suā sententiā dicere debebat, Deum

Deum cognoscere entia rationis. Imo dicere cogebatur, etiam sine ordine ad intellectum nostrum, Deum ex se cognoscere, imo facere tales relationes rationis, etiam si fingi non possent ab intellectu nostro: quia adhuc extare poterant decreta diuina, actus boni & mali, &c. Vel si Deus ita cognoscere potest sine ipsis relationibus rationis, malè dictū est ea constitui per relationes rationis. Nescio ergo, quomodo is qui tantoperè vtebatur relationibus rationis in constitutione rerum; postea à cognitione diuina eas adeò repulerit, vt etiam quatenus à nobis fiunt, cognosci à Deo negasse visus sit.

Præterea ipsemet cap. 3. expressè ait, Deum optimè cognoscere sua attributa ratione nostra distingui ob imperfectum nostrum concipiendi modum: nō tamen propterea ipsum distinguere sua attributa intellectu suo; quia aliud est cognoscere à nobis distingui, atque ipsum distinguere. Ergo sic etiam de omnibus entibus rationis fateri debet, Deum quidem cognoscere entia rationis quæ fiunt ab intellectu nostro, & non propterea intellectu suo facere entia rationis.

Habet illa sibi obiectiuè præsentia.

Quartò, Vasq. ait, nostrum ens rationis non posse habere esse obiectiuum in mente Dei, cùm Deus non habeat conceptum nostrum formalem in mente sua: sicut inquit, discursus noster cognoscitur à Deo, sine discursu obiectiuo; & conceptus quos habemus de rebus spiritualibus ad instar rerum corporalium, absq; eò quòd ipsemet habeat tales conceptus de rebus spiritualibus. Sed vel hinc docere voluit, nostra entia rationis cognosci quidem à Deo, non tamen habere esse obiectiuum in mente Dei; vel, cùm non habeant esse obiectiuum, non cognosci. Si primum: iam fatetur, ens rationis quod fit à nobis, cognosci à Deo, quod videtur eo capite negare & impugnare: & deinde, implicat in terminis dicere, aliquid cognosci, & non esse præsens obiectiuè, non habere esse obiectiuum in mente cognoscentis, eo scilicet modo quo cognoscitur. Nam esse præsens obiectiuè, & habere esse obiectiuum in mente, nihil aliud est, nisi obijci in mente, cognosci in mente. Si secundum: vrgent omnia argumenta facta ad probandum, à Deo cognosci nostra entia rationis: & repugnare etiam videtur verbis ipsius, dum distinguit inter cognosci, & inter habere esse præsens obiectiuè, siue habere esse obiectiuum in mente Dei.

Sicut & nostrū discursum, nostrosquè cōceptus.

Sed vtrouè modo, intelligat, eadem exempla allata faciunt contra ipsum. Nam Deus & cognoscit omninò discursum nostrum, & illum habet sibi obiectiuè præsentem, atque idem ipse discursus qui est in nobis, est obiectiuè, & habet esse obiectiuum in mente Dei; sicut certè omne aliud ēns creatum quod à Deo cognoscitur: & adhuc Deus ipse non dicitur discurrere, & facere discursum. Similiter Deus cognoscit, & habet obiectiuè in sua mente, conceptus quos nos habemus de rebus spiritualibus, non tanquam conceptus suos, siue à se factos; sed tanquam conceptus nostros, factos à nobis, & à se cognitos. Idem ergo prorsus dicendum est de nostris entibus rationis. Ad quod totum, opus non est, vt habeat conceptum nostrum formalem in mente sua subiectiuè, sed quòd habeat obiectiuè: & sic reuera habet; quia conceptus nostri omnes, siue formales siue obiectiui, noti sunt, & ita obiectiuè præsentes, ipsi Deo. Et simul cum ijs habet Deus suos proprios conceptus obiectiuos, quos veluti ipse format de rebus prout sunt in se. Cognoscit enim Deus res, & qualiter sint in se, & qualiter sint in mente nostra, siue qualiter cognoscantur à nobis.

Etiā Angeli & homines possunt cognoscere non faciēdo entia rationis.

Quintò deinde, sicut dictū est de Deo, etiam Angeli & Beati, cognoscendo nostrum intellectum, & nostros actus, cognoscere possunt nostra entia rationis, quatenus possunt à nobis fieri, & naturā ipsam, ac propositiones essentiales entis rationis. Quando autem & qualiter cognoscant actuales cogitationes nostræ mentis, vt sic cognoscant entia rationis quatenus actu fiunt; non est huius loci tractare. Neque tamen in hac cognitione, dicendi sunt ipsi facere entia rationis. Imò pariter nos ipsi, quando consideramus entia rationis ab alijs fieri, vel etiam à nobis ipsis facta esse, aut absolutè posse fieri, siue quando speculamur quænam sit natura entis rationis, vt modò in hoc tractatu facimus, & dū loquimur & di-

& disputamus de ipso ente rationis; non certè dicimur facere & fingere ens rationis. Idquè patet ex communi modo loquendi. Et quia tunc propriè dicitur quis facere ens rationis, quando fingit quod impossibile est, quando concipit quod non est, ac si esset. Sed in hoc modo cognoscendi nunc allato, nemo dixerit, eum qui considerat ens rationis, quicquam fingere; quin potiùs is dicetur rectè cognoscere, & cognoscere obiectum sicuti est: non ergo facit ens rationis.

Non omnis ergo cognitio est productio entis rationis.

Sextò ergo patet, non omnem cognitionem entis rationis, esse eius productionem. Et ratio vniuersalis est: quia ex communi modo loquendi & concipiendi, ens rationis fieri dicitur ob imperfectionem intellectus: non ergo fit per cognitionem, nisi illam quæ imperfectionem inuoluat. Et poterit sine dubio ens rationis, postquam factum est, vel quatenus factibile est, cognosci ab intellectu, quantumuis perfectissimo, absque vlla imperfectione in tali modo cognoscendi. Ergo non per omnem sui cognitionem dicetur effici ens rationis. Hinc determinandum superest per quamnam cognitionem propriè fiat.

Duplex cognitio entis rationis distinguĕda est.

Dico tertio. Duplex est entis rationis cognitio distinguenda: prima directa, secunda reflexa, vel quasi reflexa: prima qua quod non est concipitur tanquā ens reale; secunda qua id concipitur tāquam ens rationis, sicut verè est: prima qua velut in actu exercito fingitur quod verè non est; secunda qua velut in actu signato consideratur ratio talis fictionis, & obiecti ficti. Prima cognitio est productio entis rationis: secunda dici debet mera cognitio, non verò productio. Exēplo res fiet illustrior. Prima cognitio erit, v. g. quando intellectus cogitat in colore viso relationem quandam ad oculum videntem, sicut vnam ex relationibus realibus. Secunda erit, quando intellectus dispiciet, se cogitasse talem relationem: & hæc cognitio erit propriè reflexa. Siue quando considerat, talem relationem solere concipi, posse concipi, aut talem relationem esse fictitiam, esse ens rationis; siue speculatur quæ sit ratio & natura talis relationis fictitiæ: & his modis cognitio est quasi reflexa, quæ nimirum habet pro obiecto, vel explicitè, vel saltem implicitè, illam aliam cognitionē entis rationis saltem vt possibilem; & si non in proprio intellectu, saltem in alieno. Primo ergo ex his modis exercetur fictio: secundo modo consideratur tantùm in actu signato. Hinc probatur facilè, primā tantùm cognitionem dici debere productionē entis rōnis.

Probatur quanā sit productio entis rationis.

Primò quia cum hoc cōsistat potiùs in modo loquendi quàm in re, hic modus loquendi seruandus est: qui sanè magis accomodatus est ad rem explicandam, & magis consonus ijs quæ dici solent de ente rationis: vt ex præcedenti conclusione probatum remanet. Secundò, cùm sit manifesta distinctio inter duplicē modum assignatum cognoscendi entis rationis: congruum est, primam solam cognitionem appellare productionem, alteram verò meram cognitionem, ad imitationē ipsam entis realis. Sicut enim alia operatio est qua ens reale producitur, & alia qua cognoscitur: ita pariter dicatur de ente rationis. nisi quod vtraque operatio circa ens rationis, est cognitio: sed longè diuerso modo se habens, quia per secundam cōsideratur quatenus factum vel factibile; & ita non per illam dicitur fieri, sed tantùm cognosci. Tertiò a priori, ens rationis est quod ab intellectu excogitatur & fingitur, siue non ens conceptum tanquam ens: ergo tunc efficitur, quando excogitatur & fingitur, quando non ens concipitur vt ens. Hoc autem fit per primum, non per secundū cognoscendi modum: sed per hunc dicetur solùm considerari quod excogitatū & fictum est, vel excogitari & fingi potest.

Ens rōnis benè potest esse terminus actionis realis.

Obijcies primò, per nullam operationem & cognitionem posse fieri ens rationis. Omnis operatio & cognitio intellectus est actio realis: sed omninò actio realis debet habere terminū realē: ergo nō pôt habere pro suo termino ens rōnis.

Respondetur, etiā illam cognitionem quæ attingit ens rationis, habere suū terminum intrinsecū realem, illum scilicet quē solet habere cognitio circa quodcūque versetur obiectū, & dicitur verbum mentis; non disputando nunc, an distinguatur ab ipsa cognitione. Sed præter hunc, potest cognitio habere pro suo termino ens rationis, quia habet illud pro obiecto,

obiecto, sicut habere potest pro obiecto alias res extrinsecas. Nō solùm autē dicimus, ens rōnis esse obiectū quod cogitatur, sed etiā esse terminum qui efficitur: eò quòd non habeat alium essendi modū, nisi essendi obiectiuè vt satis dictum est.

Et obiectū actus realis. Obijcies secundò. Actio specificatur à termino, & actus ab obiecto: sed omnis actio & actus intellectus est realis: ergo non pōt habere p o termino & obiecto ens rationis.

Respondetur negando consequētiam. Illa enim specificatio nō intelligitur quasi eiusdē speciei esse debeat actio & actus cum termino & obiecto. Nā certè cognoscimus Deum per actū creatum, substantiam per actum qui est accidens, rem materialem per actum spiritualem. Sed solùm intelligitur, quòd sortiatur suā speciem per ordinem ad terminū & obiectū, & quòd iuxta eorū diuersitatem, aliqua etiam diuersitas redundet in ipsos actus. Et hoc modo nō est inconueniens, actionem realem dicere ordinem ad ens rationis; sicut etiam ad negationem, quando de negationibus cogitamus.

Potest fieri in genere sine certa specie. Obijcies tertiò. Si fieri entis rationis, est cogitari: sequitur, posse fieri ens rōnis in genere, & nō in specie, in cōi & nō in singulari; quia pōt sic cogitari: & è conuerso in specie, & nō in genere; quia pōt sic etiā cogitari. At repugnat fieri genus separatum ab omni specie, vniuersale separatū à singularibus, & è cōuerso. Ergo.

Respondetur, id repugnare in entibus realibus, quæ realiter existunt & realiter fiunt: sed in modo existendi obiectiuè nō repugnare. Vnde sicut obiectiuè pōt cogitari natura vniuersalis abstracta à singularibus, & natura generica abstracta à speciebus; item species sine explicito conceptu generis, licèt non sine implicito conceptu: sic concedendū est, in illis obiectis quæ non habent aliud existere, nec fieri, nisi obiectiuè; posse tali modo existere & fieri cum tali separatione.

Potest conseruari et esse obiectiuè in mēte Dei, licèt ab illo non fiat. Obijcies quartò ex Vasq. Si Deus retinet in mēte sua ens rōnis, licèt factum ab intellectu creato: ergo reuera format in intellectu suo figmentū & mōstrū, illudq. virtute sui intellectus conseruat factū & inuentū ab alio: & ens rōnis habet esse obiectiuum ab intellectu Diuino, tanquā ab integra causa; neque enim ad illud prout est in intellectu Diuino, concurrit intellectus creatus.

Respōdetur, Deū retinere quidē in intellectu, non tamen formare, sed cognoscere formatū a nobis figmentū & monstrū: & ita etiā conseruare in cognoscendo, non in faciendo: sicut in mente cōseruantur & alia quæ nō fiunt ab ipsa mēte. Et ad illud esse obiectiuum quod hēt ens rationis in mente Dei, concurrit etiā intellectus creatus, ex parte tamē obiecti, nō ex parte actus Diuini, idest non efficit actum, quo Deus sibi obijcit ens rōnis: sed efficit ipsū ens rōnis, quod Deo obijcitur. Et hoc ipsum est quod cognoscitur à Deo, scilicet ens rōnis fieri ab intellectu nostro. Sicut Deus retinet & conseruat in intellectu suo nostra mēdacia & peccata, non tamen illa efficit. Et ad illa ex parte obiecti nos cōcurrimus, quia Deus cognoscit nos esse, qui mentimur & peccamus.

Potest à Deo cognosci ab æterno, licèt tantū fiat in tēpore. Obijcies quintò. Si Deus cognoscit ens rationis quod fit à nobis, cognoscit vtiq. ab æterno, & antequā intellectus creatus illud effingat: ergo ex se illi tribuit esse obiectiuum, quod nondum tribuitur ab intellectu creato: ergo ex se ab æterno efficit ens rationis.

Respōdetur, sicut Deus ab æterno cognoscit nostra mēdacia & peccata, neque tamē dicitur ex se illis tribuere esse, eaq. efficere; sed tm̄ cognoscere efficienda à nobis: ita nō ipse Deus tribuit enti rōnis illud esse obiectiuū, per quod ens rōnis dicitur esse & fieri; sed tm̄ cognoscit tale esse obiectiuum, solùmq. ei dat denominationem cogniti, quam dat omnibus alijs obiectis quæ ab æterno cognoscit, neque ex tunc dicitur illa efficere.

Potest obijci intellectui, licèt ab illo nō fiat. Obijcies 6. Fieri & formari ens rōnis, nihil est aliud quā obijci intellectui, seu intelligi: ergo si ens rationis obijcitur intellectui Diuino, ab eo efficitur.

Rñr, fieri & formari entis rōnis, nō esse vtcūq. obijci & intelligi: sed esse, obijci & intelligi directè, & in actu exercito, fingendo quod nō est: non verò obijci & intelligi reflexè, & in actu signato, concipiendo quod fictum est. Et hoc, non illo modo, ens rationis obijcitur intellectui Diuino: non ergo ab illo efficitur.

Potest accipere esse cognitum Obijcies præterea 7. Totum esse entis rōnis est esse cognitum & obiectiuum: sed omnis intellectus cognoscens aliquid

ab intellectu, licèt non accipiat esse simpliciter.

quid, eo ipso dat illi esse cognitum & obiectiuum, quod verum est etiam in cognitione obiecti realis: ergo omnis intellectus cognoscens ens rationis, dat illi totum eius esse; & omnis cognitio entis rationis, est eius productio.

Respōdetur. Totum esse entis rationis est esse cognitum & obiectiuum fictè ac directè, non verò quomodocunque; & ens rationis existere, est manere in intellectu concipiente quod non est, ac si esset: non ergo omnis cognitio entis rationis, dat illi esse obiectiuum, estq. eius productio.

Potest fieri & existere obiectiuè in mente, licèt nō fiat & existat simpliciter.

Obijcies octauo. Ens ipsum reale, dum cognoscitur, dicitur existere obiectiuè in mente & produci in esse obiectiuo: ergo multò magis id concedendum est de ente rationis: sed ens rationis existere & produci simpliciter, est existere & produci obiectiuè in mente: ergo.

Respondetur, esse libenter concedendum, eo modo posse dici ens rationis existere & produci obiectiuè, etiam per cognitionem diuinam, quo id dicitur de entibus & obiectis realibus, & quo etiam de mendacijs & peccatis dici deberet existere & produci obiectiuè in mente, dum pari modo cognoscuntur. Sed sicut in entibus realibus, aliud est existere & produci simpliciter, & aliud obiectiuè & secundùm quid: ita in entibus rationis. Nisi quòd existere simpliciter entium rationis, etiam est esse obiectiuè in mente: sed diuerso modo, atque quando cognoscuntur vt facta. Dupliciter ergo potest existere ens rationis in mente: vno modo simpliciter, & tunc etiam dicitur simpliciter produci: alio modo secundùm quid ad instar entium realium dum cognoscuntur, & tunc non dicitur produci simpliciter: iuxta duos modos cognitionis assignatos.

SECTIO SEXTA.

Vtrum per omnes tres operationes nostri intellectus fiat ens rationis.

QVia cognitio nostri intellectus in tres illos actus distinguitur, consequenter examinandum est, num per omnes illos, vel per eorum aliquem, & per quem determinatè, fiat ens rationis.

Prima sententia.

Prima sententia est quæ affirmat, per omnes tres operationes fieri entia rationis. Non quidem quasi quodlibet promiscuè possit per quamlibet operationem fieri: sed quia aliud fit per primam, aliud per secundam, aliud per tertiam. Ita Durand. in 1. dis. 19. quæst. 5. & 6. & communiter alij idem asserunt vel supponunt. Nempè per primam operationem fieri ens rationis, genus, species, apprehensum, & similia, quæ conueniunt terminis simplicibus: per secundam fieri ens rationis, prædicatum, subiectum, propositio, & similia, quæ concernunt integras enunciationes: per tertiam ens rationis, medius terminus, maius & minus extremum, antecedens, consequens, & similia, quæ concernunt illationem.

Secunda sententia.

Secunda sententia est quorundam dicentium, ens rationis non fieri nisi per secūdam operationem, siue per notitiam iudicatiuam, idest cùm intellectus putat esse id quod in re non est possibile, & hoc solùm iudicium dicunt esse fictionem.

Tertia sententia.

Tertia sententia est opposita aliorum dicentium, ens rationis non fieri nisi per primam operationem, quando obiectum ante iudicium simpliciter apprehēditur; nam apprehensio semper præcedit ante iudicium, & ita iudicium inuenire iam factum ens rationis.

Ens rationis non fit distributiuè per tres operationes.

Dico primò. Ens rationis non fit distributiuè per tres operationes intellectus, quasi aliud debeat fieri per vnam, aliud per aliam: sed benè quidem quædam entia rationis fundari vel in vna vel in alia ex tribus operationibus. Explicatur conclusio: quia etiam in ipsa cognitione intellectiua distinguendum est fieri & fundari entis rationis iuxta doctrinam traditam. Fundabitur enim ens rationis in aliqua cognitione, quando intellectus ex illa sumat occasionem concipiendi per aliū actum & effingendi ens rationis.

Aliquatamen fundantur in illis.

Primò ergo probatur, posse ens rationis in tribus operationibus distinctè fundari. Quia si aliquod ens rationis potest fundari in operationibus externis & sensitiuis: non minùs poterit in operationibus intellectus, quarum quælibet potest

potest esse occasio, vt intellectus fingat varia quædam entia rationis. Prima operatio est fundamentum, vt intellectus concipiat esse apprehensum tanquam aliquid in re apprehensa: secunda operatio, vt intellectus concipiat esse affirmatum & prædicatum per modum relationis in ipsa re: tertia, vt intellectus concipiat esse antecedens vel consequens tanquam aliquid in re: in quibus conceptibus fiunt hæc varia entia rationis.

Non ex singulis operationibus statim resultant entia rationis.

Secundò probatur, ens rationis non fieri distributiuè eo modo per singulas tres operationes. Nam si consideramus tantùm iudicium illud, quo, v. g. intellectus iudicat parietem esse album; ibi adhuc non efficitur ens rationis subiectû & prædicatum, sed tantùm inuenitur actus realis extrinsecè denominans obiectum, realiter enim in illo actu album affirmatur de pariete Sed tunc fiet ens rationis, cùm intellectus concipiet esse subiectum & prædicatum in pariete & albo, per modum cuiusdam relationis, quæ in re non est. Similiter antecedens & consequens non est ens rationis in ipso primo actu illationis; sed solùm postea quando concipietur ad modum formæ in obiecto. Tunc enim solùm fit ens rationis, quando expresè cogitatur, & ita datur obiectiuè in intellectu: alioqui solùm dabitur fundamentum entis rationis in illa præuia operatione, vt efficiatur per aliam sequentem operationem.

Nec omnia fundantur in illis.

Tertiò, prima illa sententia diminuta planè est in assignando, per quam operationem fiant entia rationis: quia alia multa sunt præter illa ibi enumerata concernentia ipsas operationes, videlicet aliæ relationes rationis, Chimeræ, & alia, de quibus adhuc oportet assignare per quam operationem fiant, neque ex illa regula satis colligi potest.

Quæ fundantur in illis, fiût per notitiam reflexam.

Quartò, ex his sequitur, qualiter illa entia rationis quæ fundatur in ipsis operationibus intellectus, fieri debeant per notitiam reflexam, alia verò per notitiam directam. Nam tunc illa efficiuntur, quando intellectus reflectendo concipit denominationes ortas ex priori cognitione in obiecto, ad modum alicuius relationis seu formæ intrinsecæ. Cætera verò fiunt per notitiam directam, idest non inuoluẽtem reflexionem circa aliam præuiam cognitionem. Quod autem dicebamus sectione præcedenti, ens rationis non fieri, sed tantùm cognosci per notitiam reflexam; intelligebatur de illa notitia reflexa, quæ attingebat ipsummet ens rationis factum alia præuia cognitione directa. Modò autem dicimus: quædam entia rationis fieri per notitiam reflectentem super alium priorem actum cognitionis, in quo non erat adhuc factum ens rationis.

Omne ens rationis modo determinato fit per iudicium.

Dico secundò. Omne ens rationis quantùm ad quandam determinationem essendi, fit per notitiam iudicatiuam intellectus, vel in secunda, vel in tertia operatione. Explicatur & probatur conclusio: quia licèt ante iudicium præcedat apprehensio; tamen in ipso iudicio est noua quædam determinatio de obiecto quod iudicatur: & peculiari quodam modo tunc obiectum repræsentatur intellectui, nimirùm determinatè. Dum ergo intellectus, vel affirmat quod non est possibile, vel negat quod est necessarium, dicetur facere ens rationis quantùm ad hunc peculiarem modum determinationis. Et sanè tunc maximè dicetur fingere, sicut dici solet exteriùs fingere ille qui falsum profert seu ostendit.

Modo simplici per apprehensionem.

Dico tertiò. Omne ens rationis quodam simplici modo fit per simplicem apprehensionem in prima operatione intellectus: & propriè tunc dici debet fieri, quando quærentes concipere & inuenire aliquod obiectum, sicuti est, apprehendimus aliter ac est, & modo aliquo impossibili. Explicatur & probatur conclusio: quia ante iudicium præcedit apprehensio, attingens non solùm extrema in se, sed etiam connexionem eorũ. Si, v. g. quis iudicat animam esse accidens, vbi vtrunque extremum in se sumptum est reale; tamen totum complexum est fictitium: præcedit etiam tunc apprehensio ipsius complexionis & connexionis: ibi ergo iam fit ens rationis. Dico autem propriè fieri, quando quærentes concipere rem sicuti est, concipimus aliter ac est: quia tunc propriè ex imperfectione intellectus ita concipimus. Et alioqui, si scientes qualiter res verè se habeat, solùm quæramus qualiter soleat

leat per errorem vel imperfectionem intellectus obiectum concipi & explicari aliter quàm est: quæ notitia iam in se non inuoluet illam imperfectionem: tunc non dici debet fieri ens rationis, iuxta doctrinam antea traditam.

An fiat per notitiam comparatiuā vel absolutam.

Præter hæc, alia distinctio cognitionis intellectiuæ potest ad hanc rem afferri. Alia est enim cognitio comparatiua, idest qua refertur & ordinatur vnū ad aliud; alia absoluta, qua concipitur obiectum aliquod in se sine ordine ad aliud. Aliquorum sententia est, specialiter Tataret. quæstione tertia Prædicab. dub. 2. Ens rationis fieri per notitiam comparatiuam: vel quia fit per comparationem non entis ad ens reale, nam dicitur ens rationis concipi ad instar entis realis: vel quia non aliud ens rationis appareat nisi relatio rationis; quæ vtique per notitiam cōparatiuam debet effingi.

Relationes fiunt per comparatiuā.

Dico quartò: Quoddam ens rationis fit per notitiam comparatiuam, & quoddam per absolutam. Probatur: quia omninò relatio rationis, non nisi per notitiam conferentem & ordinantem vnum ad aliud, concipi & effingi potest. Vbi licet Vasqu. prima par. disput. 76. numero 6. propterea dixerit, relationem rationis non posse fieri sine enunciatione; tamen hæc comparatio etiam vtique in simplici notitia inuenitur: quinimo nō solùm fieri potest, sed etiā necesse est, vt apprehendatur respectus ante iudicium.

Alia omnia per absolutā.

In alijs verò entibus rationis efficiendis, quamuis possit intercedere aliqua comparatio; vt cùm apprehendimus tenebras, tanquam dispositionem aeris, per comparationem ad lucem cuius tenebræ sunt priuatio: tamen hæc non est propriè comparatio; non enim referimus & ordinamus vnum ad aliud, tanquam relatiuum ad suum terminum: sed tantùm concipimus vnum ad similitudinem alterius, vel tanquam formam positiuam oppositam alteri formæ. Vnde si in aere, v. g. conciperemus quendam respectum ad lucem, qui non fit; hoc erit ens rationis relatio, factum per notitiam relatiuam: si verò concipiamus tenebras quasi formam existētem in aere expulsiuam lucis; vel existentem in aere, sicut lux quando est existit in aere: hoc non erit vtique ens rationis relatio, nec erit factum propriè per notitiam comparatiuam. Omne ergo ens rationis quod non est relatio (supponimus enim dari alia entia rationis præter relationes) propriè fit per notitiam absolutam. Neque enim ita valet dicere, ens rationis fieri ad instar entis realis, vt fiat per formalem comparationem & ordinationem; sicut quando propriè concipitur relatio ad suum terminum.

Quomodo nō statim per omnes operationes resultent entia rationis.

Obijcies primò contra primam conclusionem. Eo ipso quòd intellectus affirmat vnum de alio, resultat relatio rationis inter subiectum & prædicatum: Ergo per ipsum iudicium fit relatio rationis; & ita alia fiunt per distinctas operationes intellectus, sicut dicebat prima sententia.

Respondetur negando antecedens. Nam relatio rationis non datur neque resultat, nisi cùm actualiter concipitur referri id quod non refertur: atqui sistēdo præcisè in illo iudicio, tantùm iudicatur prædicatum inesse subiecto; non autem concipitur per nouum respectum referri ad illud: ergo illud iudicium tantùm est fundamentum, non autem productio entis rationis. Vnde hæc est notabilis differentia inter relationem realem & rationis: quòd illa posito fundamento & termino statim datur; at relatio rationis etiam posito fundamento & termino indiget noua operatione, qua efficiatur, nimirum cogitatione intellectus. Nam si ex rebus ipsis statim resultaret, iam esset realis, non rationis; & esset in se ipsa, siue in rebus, & non tantùm obiectiuè in intellectu.

Quid addatur enti rationis in secūda operatione.

Obijcies secundò contra secundam. Nihil de nouo ex parte obiecti additur in secunda operatione, quod non fuerit in prima: ergo dici non debet fieri ens rationis per secundam operationem: quia supponitur penitus factum in prima. Sicut dicebamus, non fieri ens rationis per notitiam illam reflexam, cùm supponebatur factum per directam.

Respondetur primò, licèt non addatur aliquid nouum ex parte obiecti, tamen addi ex parte modi: idest obiectum cognosci nouo modo, nempè determinatè. Idquè sufficit vt ens rationis tali modo fieri dicatur.

Secundò, licèt supponatur factum, potest

test iterum fieri: sicut certè per repetitos actus potest ab eodem intellectu idē ens rationis sæpius fieri. Diuersaque ratio est de cognitione illa reflexa, per quam repræsentabatur ens rationis quatenus factum vel factibile: per notitiam enim iudicatiuam nō repræsentatur obiectum quatenus apprehensum, quasi iudicium attingat obiectiuè ipsam apprehensionem.

Quando fiat per primam operationem.

Obijcies tertiò contra tertiam. Obiecti quantumuis impossibilis simplex apprehensio potest inueniri in intellectu quantumuis perfecto; imò apprehensio integræ propositionis impossibilis: ergo, si sufficit apprehensio, potest ens rationis fieri à quolibet intellectu.

Responderi potest primò, in intellectu perfecto talem apprehensionem semper inueniri coniunctam cum cognitione reflexa, aut quasi reflexa, de tali obiecto, quatenus ficto vel fingibili: & ita non fieri ens rationis.

Secundò, respondetur ideò dictum esse in conclusione, ens rationis fieri, quando quærimus apprehendere rem sicuti est, & aliter apprehendimus: hoc enim nō nisi in intellectu imperfecto cōtingit. Quòd si quis contendat, satis esse, vtcunque apprehendere, faciet quæstionem de nomine. Sed magis consonat cōmuni modo loquendi, dicere, non fieri ens rationis, nisi quando ex imperfectione intellectus menti obijcitur.

Cur non sēper fiat per comparationem.

Obijcies quartò contra quartam. Ens rationis concipitur per speciem intentionalem entis realis: ergo omnino concipitur comparatiuè ad illud: igitur non fit nisi per notitiam comparatiuam.

Respondetur, concesso antecedenti, negatur consequentia: quia non est necesse, talem comparationem semper interuenire. Concipimus enim, v. g. relationem creatoris per speciem repræsentatiuam relationis realis causæ ad effectum. Non tamen facimus expressam comparationem illius relationis ad aliā. Neque oportet, in hoc interuenire expressam comparationem, quasi relationis ad suum terminum, ita entis rationis ad illud ens reale per cuius speciem concipitur.

SECTIO SEPTIMA.

Quotuplex sit Ens rationis.

AD complementum huius tractationis, necessarium est descendere ad distinguendas plures entis rationis species. Vbi celebris in primis est, non minùs quàm difficilis, diuisio entis rationis in tres species, Relationem, Negationem, & Priuationem. Quæ communiter traditur. Et sumitur ex D. Tho. q. 1. de Ver. ar. 1. & in 1. dist. 2. q. 1. art. 3. & alibi.

Relatio, Negatio, & Priuatio.

Suar. disputat. 54. Met. & alij, solent sic explicare. Per relationem intelligi formam quā concipitur referri id quod reuera non refertur. Per priuationem intelligi, quando Priuatio, idest carentia formæ in subiecto capaci, concipitur ad modum formæ positiuæ, vt cæcitas in oculo. Per Negationem intelligi quando negatio, vel in subiecto incapaci formæ negatæ, vt negatio leonis in homine; vel omninò absque subiecto, vt negatio Antechristi, concipitur ad modum entis positiui.

Non benè solent explicari.

Verùm si sic diuisio explicetur, apta nō est. Primò: quia non benè distinguuntur hæ species entis rationis, nam si negatio sumatur quoad eam partem, qua dicit carentiam formæ in subiecto capaci, non distinguitur essentialiter à priuatione, sed accidentaliter, vt Suar. fatetur. Et patet: quia tota distinctio est quoad capacitatem subiecti, quæ per accidens se habet ad ipsam negationem. Et potius distinguūtur essentialiter negatio quæ concipitur omnino absque subiecto, ab omni illa carentia quæ concipitur in subiecto, quia diuersus essētialiter est modus essendi in se & in subiecto. Multò ergo meliùs distingueretur, negatio quæ concipitur sine subiecto ex vna parte, & omnis illa quæ concipitur in subiecto ex alia parte.

Quia nō satis distinguuntur.

Secundò præcipuè diuisio sic explicata est valde diminuta, & multò plura entia rationis relinquit. Nam Chimera, Hircoceruus, sunt entia rationis: item fingimus in vacuo positiuum quoddam interuallum: & spatium quod dicitur imaginarium, concipimus extra cælum: & tempus imaginarium ante initium

Et præsertim diminutè assignantur.

initium mundi: concipimus etiam honorem, vel aliquam dignitatem, tanquam aliquid existens in homine, per modum cuiusdam formæ absolutæ, perficientis & decorantis subiectum. Quæ omnia sunt entia rationis.

Nam dãtur entia rationis ad instar omnium prædicamentorũ.

Imo sicut datur relatio rationis ad instar relationis realis, ita possunt fingi alia entia rationis ad instar aliorum prædicamentorum, vt admittit Caietanus prima par. quæst. 28. articulo primo, & defendunt Suar. sectione quarta numero septimo & 10. Molin. prima par. quæstione 28. articulo 1. Vasq. 1. par. disput. 114. à numero 14. & alij plures. Et patet, quia Chimera est substantia rationis. Spatium imaginarium quantitas rationis: & numerus, vel in rebus spiritualibus, vel in omnibus rebus, solet reputari ens rationis. Aliæ formæ quæ absolutè concipiuntur in subiecto, sunt qualitates rationis. Tempus illud imaginarium imitatur prædicamentum quando. Et, si concipiatur modus positiuus in re, per quem constituatur præsens huic vel illi tempori, quem modum de facto dari aliqui opinati sunt: est ens rationis quando. Item si actio concipiatur in agente, erit actio rationis. Et si cognitio terminata ad obiectum, concipiatur afficiens ipsum obiectum, erit passio rationis. Et si demùm denominatio sumpta à vestibus, concipiatur vt forma seu modus intrinsecus subiecto, erit habere rationis. Et sic penes alias plures denominationes possunt alia plura entia rationis fingi iuxta varia prædicamenta. Et hæc omnia non continentur sub illis tribus speciebus assignatis. Ergo diuisio sic explicata est valde diminuta.

Quæ debent in illa diuisione comprehendi.

Tertiò, non benè respondent aliqui, hæc omnia entia rationis esse ficta absque fundamento; & ideò non includi in ea diuisione. Nam in primis ibi diuidebatur, seu diuidi debebat, ens rationis in tota sua communitate. Deinde inter illas species continetur aliquod ens rationis non habens fundamentum, videlicet quando concipitur negatio quasi res per se existens. E contra quàm plurima ex alijs entibus rationis, quæ numerauimus, habent maximè fundamentum: vt per illa omnia discurrendo patebit.

Et nõ cõprehẽdũtur secundùm illã explicationem.

Quartò, non benè respondent alij, ea omnia entia rationis comprehendi sub negatione & priuatione: quia simpliciter sunt non entia. Nam sic etiam relatio rationis continebitur sub priuatione aut negatione: quia simpliciter est non ens. Deinde ens rationis negatio explicabatur, quando ipsamet negatio concipiebatur tanquam aliquid positiuum, & in hoc distinguebatur à relatione. Sed sic in alijs exemplis adductis, non formaliter negatio rei concipitur vt aliqua res, sed concipitur esse id quod in re non est, sicut concipitur relatio, quæ reuera non est. Neque illa entia rationis sic concepta, spectant ad relationem rationis: nam si illa essent entia realia, non essent vtique relationes, sed essent entia absoluta aliorum prædicamentorum. Ergo non debent confundi cum relatione rationis; sed potius debent ab illa distingui.

Aliter explicatur per tres essendi modos.

Aliter ergo explicari potest & debet ea diuisio, vt bona sit. Debet autem diuidi ens rationis per varios essendi modos, quibus fingere possumus, & concipere ad modum entis, ea quæ non sunt: sicut diuiditur ens reale per suos reales essendi modos. Possumus ergo primò concipere ens rationis per modum essendi ad aliud, hoc est per modum respectus & ordinis ad terminum. Secundò, sine respectu ad aliud, per modum essendi in aliquo tanquam in subiecto, hoc est per modum formæ inhærentis subiecto, nec respicientis alium terminum extrinsecum. Tertiò, sine respectu ad terminum, & sine modo essendi in subiecto, per modum essendi ad se, & per se, cùm videlicet concipitur Chimera, Hircoceruus. Hinc adæquatè tria habemus genera entis rationis: non enim superest aliud extra hos tres essendi modos.

Et rectè illis nominibus appellãtur.

Et hæc possunt satis commodè accipi per illa tria nomina, Relationis, Priuationis, Negationis. Videlicet Ens rationis ad aliud, est relatio rationis. Ens rationis in alio, est priuatio rationis. Ens rationis in se, est negatio rationis. Nam respectus ad aliud conuenientissimè appellatur Relatio. Alijs verò generibus entis rationis, cùm in vniuersum ens rationis non sit ens reale, conue-

conuenienter nomina non entium attribuuntur, scilicet negatio, & priuatio. Et quia rursus de ratione negationis non est vt sit in subiecto, quia saluatur etiam extra subiectum: de ratione autem priuationis omninò est esse in subiecto: ideò conuenienter ens rationis in alio, dicetur priuatio, ens rationis in se, dicetur negatio.

Et cũ omnibus prædicamentis distribuuntur. Sicut autem se habet relatio rõnis ad prędicamentũ relõnis realis, ita alia entia rationis sub alijs duobus generibus comprehensa, possunt cum alijs prædicamentis diuidi. Aduerti tamen potest, ens rationis in se, non solùm fingi in prædicamento substantiæ, sed etiam aliorum: vt tempus imaginarium & spatium imaginarium ad instar quando & quantitatis; extensio enim quæ concipitur in spatio imaginario, concipitur veluti per se, est tamen quantitas & extensio rationis. Illa autem entia rationis quæ concipimus ad instar substantiarum, v.g. Hircoceruus ad instar animalis, dicentur substantiæ rationis.

Aliæ diuisiones entis rationis. Postremò alio modo varia genera entis rationis considerari & distingui possunt, iuxta varietatem fundamenti. Vnde diuidi primò poterit ens rationis merè fictum absque fundamento, & ens rationis fundatum, quod dicitur esse fundamentaliter in re, scilicet cuius datur reale fundamentum. Hoc deinde subdiuidi potest in varias species: v.g. in id quod fundatur in substantia, & in aliud fundatum in accidenti: in id quod fundatur in rebus quæ sunt extra intellectum, & aliud fundatum in ipso intellectu & actibus eius, quod proinde non solùm in fieri, sed etiam in fundari ab intellectu dependet. De quo propterea speciali ratione, sect. sequen. separatim agemus.

Quã aptè tria genera entis rationis tribus illis nominibus appellãtur. Objicies primò. Iuxta explicationem traditam videtur potius noua diuisio excogitata, & non antiqua illa retenta, nisi in solis nominibus longè aliter explicatis à communi vsu, saltem quoad priuationem & negationem.

Respondetur, Diuisionem illam, & nomina negationis & priuationis in ipsa diuisione, non eodem modo ab omnibus explicari; non malè ergo possunt modo à nobis assignato accipi. Nam reuera diuisio entis rationis in ens rationis ad aliud, per se, & in alio, est bona & adæquata: assignamus etiam congruam rationem qua hæc tria membra illis tribus nominibus appellentur. Neque verò diuisionem & eius membra ita explicare cogimur, vt eandem habeant significationem negatio & priuatio rationis, quam pura negatio & priuatio entis realis. Non enim res sunt accommodandæ nominibus, sed nomina rebus: quia non res propter nomina, sed propter res nomina inuenta vel assumpta sunt.

Cur ens rationis diuidatur potius in tria membra. Objicies secundò. Ens reale non in tria, sed in duo membra diuiditur: vno modo in ens per se, & ens in alio; idest substantiam, & accidens: alio modo in ens ad se, & ens ad aliud; idest absolutum, & respectiuum: ergo similiter debebat diuidi ens rationis.

Respondetur primò. Esto posset his etiam modis diuidi ens rationis: tamen debuisse illo modo explicari eam vsitatam diuisionem in tria membra: & præsertim quia commodum visum est, illo modo diuidere ens rationis. Secundò diligenter notanda est differentia inter ens reale & rationis. Nam ens reale in vtraque illa diuisione, necessariò est vel vnum vel aliud, vel per se vel in alio, item vel ad se vel ad aliud. At ens rationis potest concipi ad aliud, abstrahendo à per se & in alio. Ita planè habetur ex Diuo Thoma prima parte quæstione vigesimaoctaua articulo primo, & admittit Suar. sectione quarta numero sexto. Similiter potest ens rationis concipi in alio, abstrahendo ab esse ad se & ad aliud. Cuius rei ratio est, quia ens rationis consistit tantùm in conceptibus intellectus. Ideò ergo debuit ens rationis illo modo in tria membra diuidi.

Num idẽ ens rationis possit ad plura genera pertinere. Objicies tertiò, potest sine dubio idem ens rationis concipi esse ad aliud & esse in alio, vel esse ad aliud & esse per se: ergo illa tria membra non benè diuiduntur; quia tunc idem ens rationis deberet sub duplici genere constitui.

Respondetur, ideò dictum esse, genus entis rationis in alio, esse quando non concipitur ad aliud tanquam terminum, sed solùm in alio tanquam in subiecto.

Similiter ens rationis per se, quod neque concipitur ad aliud, neque in alio. Quandocunque ergo ens rationis concipitur ad aliud, semper collocatur determinatè sub illo genere quod appellabatur relatio rationis: Et hoc planè est iuxta communem loquendi modum. Alia verò entia rationis sub alijs duobus generibus collocantur.

Quomodo peculiariter relationes rationis assignentur.

Obijcies quartò. Sanctus Thomas prima parte quæstione vigesimaoctaua articulo primo ait, proprium esse ijs quæ dicuntur ad aliquid, vt in ijs inueniatur aliquid secundùm rationem tantùm, quæ est relatio rationis. Et subdit in alijs generibus non inueniri.

Respondetur, propter hoc aliquos dixisse, in prædicamento relationis includi relationes etiam rationis, non verò in alijs prædicamentis. Hoc tamen est omninò falsum, nec potuit intendi à Diuo Thoma. Quia ens reale adæquatè est, quod in decem prædicamenta diuiditur: Nec possunt entia rationis directè in illis collocari; sed tãtùm ad instar illorum fingi, & distingui. Et alioqui par ratio esset de cæteris entibus rationis, ac de relationibus. Communior ergo & vera expositio est: Sanctum Thomam loqui tantùm de conuenientia in nomine; vt tantùm velit, hoc nomen relationis commune esse etiam relationibus rationis: nam relatio rationis absolutè appellatur relatio; in alijs verò generibus, ens rationis non appellatur substantia vel quantitas: sed ad summum cum expressa additione, substantia rationis, quantitas rationis. Et intellectus, dum fingit relationem rationis, propriè dicitur referre, ordinare, comparare. Dum verò fingit alia entia rationis, non dicitur substantificare, vel quantificare. Sed neque etiam tàm frequenter nominantur substantia rationis &c. Sicut relatio rationis.

SECTIO OCTAVA.

De peculiari specie entis rationis quæ dicitur Secunda intentio: Præsertim quomodo cognitioni dirigendæ inseruiat.

FAmiliaria & frequentia satis sunt nomina primæ & secundæ intentionis. Quæ aliqui absolutè sic explicant, primam intentionem esse ens reale, secundam intentionem esse ens rationis. Hoc tamen non potest in tota amplitudine entis realis & rationis intelligi. Nam non omne ens rationis dicitur secunda intentio: sed peculiaris quædam species entis rationis. Nec omne ens reale dicitur prima intentio, nisi addita aliqua conditione, ex qua hoc nomen assumit. Alij aliter eadem nomina explicant: & aliqui prolixum tractatum de primis & secundis intentionibus instituerunt. Sed quia tota controuersia solùm est de nomine; inutile esset in ea diutiùs immorari: satis ergo erit, ea nomina breuiter explicare.

Sciendum itaque ex Diuo Thoma prima secundæ quæstione duodecima articulo primo, Intentionem ex vi nominis significare tendentiam vnius in aliud. Hoc autem ait Diuus Thomas conuenire propriè voluntati, quæ intendit & tendit in bonum. A voluntate autem extensum est etiam ad intellectum, vt intellectus quoque dicatur intendere, idest tendere in suum obiectum. Sed vlterius, non solùm actus siue voluntatis siue intellectus, est appellatus intentio: verùm etiam ipsum obiectum in quod tendunt. Ita actus appellatus est intentio formalis, obiectum intentio obiectiua: quæ in intellectu idem sunt, atque conceptus formalis & obiectiuus.

Prima & secundæ intentio.

Deinde aliqua sunt quæ primo loco cognoscuntur ab intellectu: vt Petrus, Antonius, Ignis, Cælum, &c. Alia sunt quæ cognoscuntur secundo loco: cùm videlicet postquam intellectus cognouit rem aliquam, actu sequenti cognoscit se cognouisse rem: Priùs item intellectus cognoscit naturam humanam abstrahendo ab indiuiduis; deinde refert & comparat

patat ad indiuidua. In cognitione priori, obiectum est prima intentio obiectiua; actus, prima intentio formalis: in secunda cognitione, actus est secunda intentio formalis, obiectum secunda intentio obiectiua. Tam ergo secunda, quàm prima intentio formalis, semper est realis. Est enim actus realis intellectus. Intentio prima obiectiua, non solùm est realis, sed potest etiam esse rationis: cùm nempè intellectus cogitat seu fingit aliquod ens rationis non fundatum in alia antecedenti cognitione. Intentio secunda obiectiua potest esse & realis & rationis: realis est, cùm cognoscitur prior cognitio quæ est realis: rationis est, cùm concipitur aliquod ens rationis in obiecto prius cognito: cùm concipitur esse cognitum, esse prædicatum, vel subiectum, per modum relationis. Sed iam per secundam intentionem obiectiuam strictè sumptam propriè intelliguntur huiusmodi entia rationis, quæ supponunt priorem aliquam cognitionem & intentionem in qua fundentur.

Possunt etiam & solēt aliter sumi prima & secunda intentio. Nempè prima intentio pro re ipsa seu obiecto intellectus in sua entitate spectato, quæ entitas repræsentatur intellectui. Secunda intentio pro denominatione ipsa formali desumpta ab actibus intellectus, cùm obiectum denominatur cognitum, apprehensum, &c. Quo pacto secunda intentio est verè realis: dicetur autem ens seu denominatio rationis, sumpto ente rationis subiectiuè ex parte intellectus, vt notauimus sect. 2.

Quid sit secunda intentio. Patet ergo quænam secunda intentio sit ens rationis: quo pacto sit quædam peculiaris species entis rationis: & quidnam propriè sit. Nempè est ens quoddam rationis fundatum in cognitione intellectiua. Itaque meritò vocamus peculiarem, hoc est quasi speciali titulo insignitam, speciem entis rationis. Quia nimirum plus habet de ratione, quàm omne aliud ens rationis. Habet enim non solùm fieri per cognitionem & operationem rationis, quod est omni enti rationis commune: sed etiam habet in illa fundari, quod est ipsi proprium & peculiare. Ideò etiam appellatur ens rationis logicum: quia magis propriè spectat ad Logicam, & peculiari modo consequitur ad intellectum, seu rationem appellatam logos.

Quomodo prædicetur de prima intentione. Potest autem secunda intentio verè prædicari de prima, homo est species, animal est genus, & similia. Hæc prædicatio potest habere duplicem sensum. Primò, fundamentalem, homo est species, idest est fundamentum idoneum, vt ab intellectu referri possit ad indiuidua: & in hoc sēsu dici pōt, homo à parte rei est species. Secūdò, sensum formalem, homo est species, idest refertur ad indiuidua: & in hoc sensu dici non potest, homo à parte rei est species, sed dici debet, est species per intellectum. Quia videlicet non à parte rei, sed tantùm per intellectum, natura humana habet formaliter hanc secundam intentionem, qua ad indiuidua referatur. Et hæc doctrina applicari potest alijs etiā entibus rationis, quæ de entibus realibus prædicantur. Quomodo autem secunda intentio prædicetur in concreto, vel in abstracto: quoniam difficultas est communis ad alias prædicationes: de illa suo loco dicemus.

An secūda intentio dirigat cognitionem. Præsertim modò videndum restat, quō hoc ens rationis inseruiat Logicæ ad dirigendā cognitionē intellectiuam. De qua re agere solent, cùm disputāt de obiecto Logicæ. Sed hic est proprius locus eius. Sunt ergo aliqui, qui tm̄ deferunt enti rationis ad operationes dirigendas, vt vniuersam Logicā nō alia directione vti velint, quàm per ens rationis. Hi sunt qui ens rationis directiuū cōstituebant obiectum Logicæ. Sed neque hi neq. alij conueniunt in explicando modo, quo ens rōnis dirigat operationes intellectus. Aliqui explicant, quia dicunt, tria instrumenta directiua, definitionem, diuisionem, & argumentationem, esse entia rationis. Sed iam quæstione præcedenti ostendimus, quid sint ea instrumenta, & satis constat non esse entia rationis contradistincta ab ente reali, sed potius esse entia realia. In illis tamē fundari quasdam relationes rationis & secundas intētiones, videlicet relationem definitionis ad definitum, & sic de alijs. Verùm nō sunt hæ relationes rōnis, illæ quæ dirigunt operōnes intellectus: quinimo etiam si illę nō fingerentur,

etiam si nō cogitentur; adhuc instrumenta logica, non minùs perficiunt suam directionem.

Refellitur quidam dicendi modus.

Alij specialiter hoc modo explicant hanc directionem: quia inquiunt, non quodlibet ens rationis natum est consequi indifferenter ad quamcunque intellectus operationem; sed aliud ad vnam, aliud ad aliam. V.g. ad cognitionem qua affirmamus homo est animal, non est natum sequi ad: ly animal ens rationis subiectum, sed prædicatum. Similiter in syllogismo ad eam propositionem, quæ ex præmissis infertur; natum est sequi ens rationis consequens, non antecedens: ad primam præmissam, ens rationis maior, non minor. Ita ergo obseruatum est, quodnam ens rationis, ad quā operationem, siue ad quam rem cognitam, cōsequi debeat. Vnde quādo videbimus, illud ens rōnis consequi ad certam operationem, quod illi debetur; signum erit, illam esse rectam: cùm vero non illud, sed aliud consequi; signum erit, operationem non esse rectam: eamquè dirigere conabimur, quousque ad suam perfectionem deducemus. Sicut stylus in plano defixus, dirigi potest per vmbram suam, inspiciendo, quando vmbra sit obliqua, vel recta. Ita explicat & defendit Paulus Vallius parte secunda Prolegomen. quæstione tertia capite 21. & sequent.

Hæc tamen tota Doctrina nullam vtilitatem aut probabilitatem affert. Primò enim ad summum tali modo per ens rationis assequi possumus, vt cognoscamus quando operatio sit recta vel indirecta: At quidnam facere debeamus, & quomodo ente rationis vti, vt cognitionem indirectam dirigamus; neque hi Auctores satis explicant, neque per ens rātionis præstari potest.

Secundò, operatio potest esse indirecta, & cognitio falsa, absque vlla inrectitudine ex parte entis rationis. Iudicet quis, Angelum esse corporeum, deinde Angelo tribuat ens rationis subiecti, corporeo prædicati. Item argumentetur quis in secunda figura ex duabus affirmatiuis; deinde denominet singulos terminos, & singulas propositiones, pro vt debet: quænam inrectitudo tunc est in entibus rationis? aut quanam regula hinc dignosci poterit, illam affirmationem fuisse falsam, eum syllogismum fuisse ineptum.

Tertiò è contra, etiam quando operatio recta fuerit, accidere potest, vt obliquè tribuantur entia rationis. Iudicet quis, hominem esse animal, alius iudicet hominem esse leonem: tàm in vno, quàm in alio contingere potest, vt homini tribuatur denominatio subiecti vel prædicati. Neque ex veritate aut falsitate cognitionis prouenit, vt hoc vel illud ens rationis singulis terminis tribuatur. Similiter post rectissimum syllogismum, contingere poterit malè tribui entia rationis, medij termini, &c. Hoc ergo modo tantùm cognoscitur, quæ inrectitudo sit in attributione entium rationis. At non est hæc ea inrectitudo, quæ frequenter in nostris operationibus inueniri solet. Neque hæc recta attributio entium rationis est, in qua aliæ scientiæ à Logica dirigi possunt.

Quartò, imo neque hæc inrectitudo entium rationis cognoscitur per ipsa entia rationis: sed, sicut quando datur inrectitudo circa entia realia, non per ipsamet cognoscitur, nec corrigitur; ita si quis erret in attributione entium rationis; in his etiam vtendum erit alijs Logicæ instrumentis, præsertim definiendo, & syllogizando: quod affirmatur est prædicatum: hoc extremum affirmatur: ergo hoc est prædicatum. Vniuersaliter enim inrectitudo non corrigitur mediante ipsomet obiecto, cuius cognitio est indirecta, sed mediante alio modo benè cognoscendi obiectum.

Affertur modus quo secūda intentio directioni inseruit.

Vtitur ergo tantùm Logica nominibus secundæ intentionis, ad tradendam suam doctrinam de operationum directione, & de rectitudine per propria instrumenta in illas introducenda. Hoc modo, quia multa dicenda sunt de re quæ in propositione affirmatur vel negatur de alia; similiter de ea re, de qua alia affirmatur. Item in syllogismo de conclusione, & de præmissis, de prima, & de secunda præmissa. Ideò vt vno nomine breuiter complectatur omne id quod de altero dicitur, vtitur nomine prædicati; item subiecti: rursus consequentis & antecedentis, maio-

maioris & minoris: insuper generis speciei, &c. Non quòd suam doctrinam tradere intendat, de prædicato quatenus prædicato, de genere quatenus genere, quoad relationes rationis & secundas intentiones: sed vt per hæc nomina significet res de quibus tradit suam doctrinam; per nomen prædicati rem quæ dicitur de alia; per nomen speciei naturam communem singularibus; & sic de alijs. Sicut etiam vtimur vocibus ad significandas res: non tamen id quod dicimus, dicere intendimus de ipsis vocibus; sed de rebus significatis per voces. Ens ergo rationis & Secunda intentio, non se habet vt instrumentum proximum, quo perficiamus directionem operationum: sed est tanquam signum quo Logica significat res, vt commodiùs tradat doctrinam suam de operationum directione.

Imò si diligentiùs rem attendamus. Sicut cùm dicimus, res quæ de altera affirmatur; non datur hic, nec significatur aliquod ens rationis: sed significatur ipsa res, adiuncta denominatione extrinseca ab actu affirmandi, qui est realis in intellectu: ita sanè, cùm dicimus prædicatum, idem significare intendimus. Nec intentum nostrum est, loqui de aliqua proprietate vel relatione ficta ab intellectu: sed simpliciter de re cui conuenit ea extrinseca denominatio. Vnde vtimur potiùs nominibus extrinsecæ denominationis realis, quàm nominibus entium rationis. Imò si nunquam daretur, nec fingeretur illud ens rationis, sanè meliùs & rectiùs in cognoscendo procederemus.

Hinc ergo potest concludi, secundam intentionem, magis si sumatur pro denominatione extrinseca ab actibus rationis, inseruire suo modo, & vsui esse Logicæ, ad directionem intellectiuæ cognitionis; quàm si sumatur pro forma rationis ficta ab intellectu.

QVÆSTIO SEXTA.

De Vocibus, quæ mentis conceptus exprimunt, & cognitionis directioni inseruiunt.

Disputationem de Vocibus, quæ sunt signa conceptuum, pertinere ad Logicam, nullus est qui dubitet. Disputare de vocibus solent Auctores initio Perher. occasione quorundam verborum, quæ obiter ibi inserit Arist. Verùm, cùm voces non ad certam aliquam operationem intellectus, de qua ibi agitur; sed ad omnes tres operationes, omnemquè cognitionem intellectiuam, adæquatè pertineant: hoc loco de ijs agendum putamus, dum de omnibus quæ communiter ad omnem nostram cognitionem spectant disputamus.

SECTIO PRIMA.

An Voces sint necessariæ: & quid & quotuplex sit Vox.

Refert Aristoteles quarto Metaphysicorum text. 22. sententiam Cratyli & aliorum sectatorum Heracliti, qui putabant nihil dicere verbis oportere; sed solùm digitum mouebant, gestibus manuum significando quod vocibus exprimendum esset. Quanquam hi, non tàm vocum odio, quàm ob aliam rationem ibi ab Aristotele indicatam, in eam sententiam adducti sint: quia scilicet nullas res putabant esse stabiles; sed omnes in continua mutatione, reuolui: adeò vt dum verbum proferretur; iam quod dicendum erat, transisset.

Dico primò, aliquibus signis esse nobis opus ad significandum & exprimendum quod intendimus, siue per voces, siue per motus manuum, siue per quælibet alia genera signorum. Est res notissima: neque enim possumus notificare id quod *Signa sunt nobis necessaria.*

id quod interiùs latet in mente, nisi per signum aliquod exterius sensibile. Hinc definitur signum ab Augustino libro secundo de Doctrina Christiana in principio. Signum est, quod præter speciem quam ingerit sensibus, aliquid aliud facit in cognitionem venire. Cognoscitur enim ipsum signum per nostros sensus, in quibus causat speciem & cognitionem sui: sed vltra hanc facit nos venire in cognitionem alterius rei. Vt viso vestigio animalis, cogitamus transisse animal: & ex fumo cognoscimus ignem.

Multa sunt autem signorum genera, quæ excogitari possunt. Potest homo pluribus signis internum animi sui conceptum alteri manifestare, vel per oculos, vel per manus, vel per alios motus. Tamen inter omnia signa, verba obtinuerunt inter homines principatum significandi quæcunque concipiuntur: vt rectè notauit August. libro citato cap. 3.

Voces sūt cōmodissima signa. Dico secundò. Voces, quamuis non sint simpliciter necessariæ ad significandas res, cùm possint ad id alia multa signa deseruire; tamen sunt optima & maximè idonea instrumenta significandi, & ex parte prorsus necessaria. Patet primò: quia quæcunque volumus, possumus significare per voces, longè maiori facilitate & commoditate, quàm per alia signa. Et vt asserit Augustinus, cætera signa possunt verbis enunciari: verba autem illis signis non possunt.

Secundò, necessariæ sunt omninò voces ad manifestandos animi conceptus, hominibus loco absentibus, & tractu temporis futuris: quod efficimus scribendo verba, & litteris consignando. Ad significandas etiam res absentes hominibus præsentibus. Neque enim aliter exprimere possimus res non præsentes, quamuis res præsentes alio modo monstrare possimus. Non possumus etiam res ipsas præsentes & sensibiles integrè & perfectè sine verbis, alijs solùm indicijs demonstrare.

Tertiò, præter hæc, voces admodum valent ad iucunditatem humanam; plurimùm enim delectamur loquendo per voces: ad amicitiam & societatem exercendam: ad docendum: ad interrogandum: ad discendum: ad præcipiendū: ad præbenda & petenda consilia.

Quartò, patet etiam ex his, quomodo litteræ & characteres quibus voces scripto exaramus, sint necessariæ, ad colloquendum scilicet absentibus, vel loco, vel tempore: quam necessitatem expressit Sanctus Thomas 1. Perihierm. lectione prima.

Dico tertiò. Vox in communi sic rectè definitur. Est sonus ab animali ore prolatus formatus per naturalia instrumenta. *Vox definitur.* Sonus est genus. Per sonum intelligitur id quod ab auditu percipitur: quicquid enim auditur, sonus est. Ore animalis prolatus ponitur vt differentia. Potest enim sonus multipliciter effici ex percussione corporum & aeris: solus verò ille sonus qui ab animali efficitur, nō quocunque modo, sed per prolationem oris, dicitur vox. Ponuntur denique illæ particulæ, per naturalia instrumenta formatus, tum ad maiorem explicationem, tum ad excludendum sonum qui fortasse esset ore ab animali prolatus, sed non per vocis instrumenta formatus.

Sunt autem multa vocis efformandæ instrumenta, pulmones, guttur, dentes, lingua, labia, &c. Ex quibus lingua præcipuè est, quæ varia sui flexione & motione, atque ad palatum & dentes coniunctione, aerem ex pectore ingressum, vitali virtute, & pulmonis agitatione deductum, mira varietate frangit, percutit, & modificat. Ita vocem modulat, tantasquè vocum verborumquè varietates effingit. Vnde innumerabilis verborum copia reperitur. Sed de hac re in libris de Anima.

Dico quartò. Vox rectè diuiditur sequentibus modis. *Vox diuiditur.* Primò in vocem non significatiuam, quæ nihil significat, vt Blitiri: de qua nihil ad nos. Et significatiuam: vt nomen Petrus significat talem hominem, gemitus significat dolorem. Non solùm autem hominibus, sed etiam brutis, vox significatiua conuenit. Quæ, vt testatur Sanctus Thomas 1. Perihierm. lectione tertia circa principium, per quasdam voces, suas conceptiones sibi inuicem manifestant. Testatur etiam & exemplis comprobat Augustinus libro citato capite secundo. Cognoscunt enim animalia per sensus internos, & naturali instinctu, quid signifi-

cetur

cetur per voces quas suo modo edunt. Vox ergo significatiua est sonus ore animalis prolatus aliquid significans. Secundò hæc vox rursus diuiditur ex Diuo Thoma 1. Perihetm. lectione secunda, in eam quæ significat affectiones, sensus, siue cognitiones sensitiuas, vt voces quibus vtuntur bruta, & gemitus significans dolorem: & eam quæ significat conceptiones intellectus. Huiusmodi voces sunt homini propriæ, quæ sunt voces modulatæ & articulatæ. Et de his loquutus est Aristoteles 1. Perhierm. cap. 1. *Voces sunt notæ*, hoc est signa, *earum passionum quæ sunt in anima*. Per passiones enim intellexit cogitationes & cóceptus intellectuales: vt ibi exponit Diuus Thomas cum alijs. Hæc autem vox humana, quæ homini conuenit quatenus homo, hoc est quatenus intellectualis, ita definitur: est vox significatiua conceptus intellectus. Patet ex his, quomodo vox humana quæ solet dici sermo, differat à sono & a voce. Nam sermo est hominis, vox animalis, sonus corporis. Ergo voces humanæ ad nos pertinét: voces quibus mentis nostræ conceptus exprimimus & significamus.

SECTIO SECVNDA.
Vtrum Voces ex sua naturali virtute vel ex hominum voluntaria impositione significent.

CVm voces quatenus significatiuæ, Logico considerandæ proponantur; & cùm manifestè constet voces esse significatiuas: meritò inquirimus, vnde hæc significatio & vis significandi in vocibus ortũ habuerit, ex natura nè rerum & ipsarum vocum; an verò ex hominum voluntate, quæ cùm nomina essent ad varias res significandas indifferentia, quod sibi libuerit vnicuique rei significandæ applicauerit.

Ammo. 1. Periher. refert Eraclitum & Cratylum, Dexippus eodem 1. Perhier. cap. 6. refert, Pythagoricos dixisse, nomina fuisse rebus imposita a natura, & quãcunque rem iuxta propriam essentiam & conditionem sortitam fuisse nomen, vim habens & efficaciam ad exprimendam illam; quam vim cætera nomina non haberent. Ita inferebant, sapientis munus, non esse noua rebus imponere nomina, sed peculiare cuique nomen à natura fabricatum consectari. Opposita sententia fuit Hermogenis, contra quem disputat Socrates in Cratylo Platonis. Hic omnem significandi vim ita hominum voluntati tribuebat, vt nullam omninò partem in hac re naturæ tribueret: sed omninò fortuitò & per accidens hoc vel illud nomen huic vel illi rei fuisse impositum.

Dico primò. Nulla vox hominis articulata significationem habet omnino naturalem & inditam à natura; sed nomina imponenda fuerunt rebus ab hominibus: ita voces non significant naturaliter, sed ad hominum placitum. Loquimur de voce articulata quæ est propria hominis. Suspiria enim, gemitus, & similia; sunt voces naturaliter significantes. Et dum dicimus nomina imponenda fuisse ab hominibus: non negamus Deum ipsum & Angelos potuisse etiam immediatè imponere rebus nomina propter homines. Hæc conclusio est ab omnibus recepta. Et expresè Aristoteles 1. Periher. cap. 2. *Nomen significat secundũ placitum, quoniam natura nominũ nullum est*. Et cap. 4. *Omnis oratio est significatiua, non sicut instrumentum, sed secũdum placitum*. Eandem veritatem docuit Plato in Cratylo; vt refert Alcinous cap. 5. *Voces articulatæ, non significant naturaliter, sed ad placitum.*

Probatur 1. ex sacra Scriptura, Gen. 2. *Adduxit Deus cuncta animantia ad Adã, vt videret quid vocaret ea: omne enim quod vocauit Adam animæ viuentis, ipsum est nomẽ eius: appellauitq. Adam nominibus suis &c.* Non ergo fuerant ab ipsa natura singulis animantibus propria nomina attributa; sed expectabantur humano placito imponenda. Et idem est de alijs rebus atque nominibus. *Ex sacra Scriptura.*

Secundò. Est experientia manifestum, nos quæ placuerit nomina rebus imponere, vt hominibus nascentibus, animalibus, & alijs, quæ quo libuerit nomine appellamus. *Experientia.*

Tertiò, ex Arist. 1. Periher. c. 1. Si quælibet res ab ipsa natura suum nomẽ accepisset, omnes populi & nationes illo nomine rẽ appellare debuissent. Et si nomen ex sua natura rem aliquam determinatè signifi- *Aristot. et ratione.*

significaret, hanc eandem significationem sẽper & apud omnes populos retineret. Constat autem hæc non ita esse. Quinimò vna res diuersissimis nominibus apud diuersas nationes exprimitur: & eadem vox in diuersis linguarum generibus, diuersissima sæpè significat: vel in vna significat, in alia nihil. Imo & inter eiusdem loquelæ homines, dãtur voces æquiuocæ, quæ absque vllo proportionis fundamento diuersa significant: & voces synonimæ, materialiter valde diuersæ, in eadem significatione conuenientes.

Similiter litera quæ scribuntur. Quartò, eodem modo quo voces, etiã litteræ quæ scribuntur sunt ad placitum. Non enim est aliqua naturalis vis insita charačteri sic vel aliter efformato, ad vnam vel aliam litteram denotandam. Nec littera exigit hac vel illa figura inscribi. Sed hominum placito factum est, tales litteras talibus vel talibus figuris & characteribus insigniri. Vnde quemadmodum non sunt eædem voces: ita nec litteræ omnibus eædem.

Infansnutritus in syluis nullo idiomate loqueretur. Quintò, ex his refellitur vana & inepta quorundam existimatio, infantem enutritum in syluis, & ab omni hominum loquentium consortio segregatum, naturali instinctu loquuturum hebraicè, aut alio tali idiomate. Nam si hæc loquela esset hominibus indita à natura, quisque eam omni tempore retineret: etiam cùm alium quemcunque sermonem addisceret. Sicut quis retinet patrium sermonem quem vsu comparauerat, etiam dum alium extraneum apprehendit: imo firmiùs homini inhærere deberet sermo ille innatus, quàm quilibet alius comparatus. Vel saltem aliquam homo facilitatem & propensionem experiretur ad loquelam illam innatam: quod nec etiam verum est. Quemadmodum ergo, vt benè aduertit Vallesius capite tertio de sacra Philolophia, homo natura progignitur expers omnis artis, omnisquè cognitionis, compos tamen omnem adipiscendi: ita & sine certa loquela, cum potestate tamen quamlibet addiscendi. Igitur infans ille nullo idiomate loqueretur, donec in humanum conuictum inductus, aliquod ex hominum consortio compararet. Qua sola ratione omnis loquela perdiscitur.

Multæ voces habẽt proportionem cum rebus. Dico secundò. Multa sunt nomina quæ determinatis rebus significandis imposita sunt, non merè casu & fortuitò, sed aliqua rationabili occasione & fundamento: ita vt liberè quidem homo talia nomina imposuerit; non tamen temerè, & absque ratione. Hoc maximè intendebat Plato cõntra Hermogenem in Cratylo. De Platone hæc habet Alcinous capite quinto citato. *Quærit, natura nè nomina constent, an institutione. Atque statuit, quod in ipsis nominibus rectum est, id institutione constare: non tamen omninò, neque vt sors tulit: sed ita vt huiusmodi institutio natura rei sit consentanea: nec aliud esse nominum rectitudinem, quàm institutionem cum rei natura conuenientem.* Habent ergo multa nomina talem & tantam cum rebus cõuenientiam & proportionem, vt ad illas significandas præ cæteris nominibus multùm valeant.

Probatur primò: quia hac ratione inter omnia Dei nomina vnum est, quod præ omnibus alijs à sanctis Patribus & à Theologis celebratur, tanquam ad Diuinam naturam exprimendam aptissimum. Hoc est nomen, quod ipse Deus sapientissimus sui nominis institutor, sibi imposuit, Exod. 3. cùm Moysi de suo nomine interroganti respondit: *Ego sum qui sum, qui est misit me ad vos*: nomen, Qui est, quod Hebræis dicitur *Iehouah*. Hoc inquam nomen ad significandam Diuinam naturam aptissimum est: quoniam significat, Deum esse à se ipso & per essentiam suam, qui neque esse cœperit, nec vnquam desinet, sitquè fons & origo totius esse, imo totum esse, totamquè essendi plenitudinem in se ipso contineat eminenter. Ita docet Diuus Thomas prima parte quæstione 13. articulo vndecimo, cæterique Theologi. Alia etiam plurima nomina apud Hebræos sunt hoc modo aptissima ad res significandas. Et sic etiam plura sunt in alijs linguis apud alias nationes.

Secundò, ideò Deus adduxit animalia ad Adam, nomina illis impositurος; vt libera quidem voluntate nomina institueret; sed cognitis animalium naturis & proprietatibus, congruum & proportionatum nomẽ prudenter singulis attribueret. Ita notauit Eusebius Cæsarien. lib. 1. de

de Præparat. Euang. cap. 4. Et hinc est quod dici solet, *Sapientis esse, imponere nomina rebus* ; quia scilicet sapiens rerum naturas probè discernens, ipsa quoq. nomina prudéter adaptat, assignando nomina quæ rerum naturis consentanea sint. Ideoquè sæpe ex nominibus ad rerum naturas inuestigandas argumenta sumuntur.

Vel ròne etymologia. Tertiò idem probatur, declarando quæ nam sit hæc proportio nominis ad rem. Ex duplici enim capite potest maximè prouenire. Vno modo per etymologiam, quæ in hoc consistit, vt cùm prius iam impositum fuerit nomen ad rem aliquam significandam, deinde consimile nomen imponatur ad aliam rem consimilem siue coniunctam significandam. Sic dicitur homo quia sumptus est ab humo: dicta est virago quia sumpta est de viro; dicta est Logica à Logos: & alia innumera sunt huiusmodi. In his tamen etymologicis nominibus deueniendum est ad primum nomen, quod absque etymologica ratione fuerit primò impositum, alioqui abiremus in infinitum.

Vel ratione soni. Quartò. Præter etymologiam est alia ratio proportionis, dum quædam nomina cum certis rebus quandam cognationem habent, & ita illis proportionari consonareque videntur, vt peculiaris appareat in illis efficacia ad huiusmodi res significandas. Sunt enim quidam soni rigidi & asperi, qui similibus rebus significandis sunt magis idonei: ferrum, conturbatio, contritio, bombus: Aliæ sunt voces suaues & humiles, quæ ad alias res magnam congruitatem habent: vt hæc ipsa nomina, suauitas, humilitas. Vnde experientia constat, diuersa narratione eiusdem rei, & diuersis nominibus, diuersimodè quoq. affici animos audientium; & quædam voces sunt, quibus nos magis moueri sentimus, cùm alijs eandem rem significantibus parum aut nihil moueamur. Sic ex sententia Stoicorum notauit Aug. cap. 6. suæ Dialecticæ. *Ipsum lene cùm dicimus, leniter sonat. Quis item asperitatem non & ipso nomine asperam iudicet? Mel, quàm suauiter gustum res ipsa, tàm suauiter nomen tangit auditum. Acre in vtroque asperum est. Lana & vepres, vt audiuntur verba, sic illa tanguntur. Hæc quasi cunabula verborum esse crediderunt, vt sensus rerum cum sonorum concordarent.*

Dictum est autem in conclusione, multa sunt nomina: quia sanè non in omnibus aliqua huiusmodi congruentia reperitur, vt notauit ibidem Aug. Quapropter plurimæ voces extant, quæ mera hominum libertate, soloquè casu, fuerunt impositæ rebus: vt præsertim voces æquiuocæ, quæ diuersa & prorsus disparata significant: & interdum possunt pro verbo aut nomine sumi: vt canis significat canem & canere, veniam, pares, feras, facis, & aliæ. Atque per has duas conclusiones facillimum est, satisfacere omnibus argumentis quæ contra alterutram afferri possent. *Non omnes voces habēt talem proportionē.*

SECTIO TERTIA.

Quid sit significatio Vocis, & cui nam Vox significet.

DVplex extrema sententia esse potest de significatione vocis. Prima, hanc significationem esse formam realem & intrinsecam ipsi voci, veluti vim quandam & virtutem inexistentem voci: seu relationem quādam realem superuenientem entitati absolutæ vocis: esse etiam actionem quandam realem qua vox gignat notitiam rei significatæ in mente alterius. Ita indicauit S.Tho. 3 p. q. 62. ar. 4. ad 1. dicens: *In ipsa voce sensibili, est quadam vis spiritualis ad excitandum intellectum hominis.* Et hoc exemplum affert ad explicandam vim Sacramētorum in conferenda gratia. Secunda & frequens sententia est, significationem esse relationem rationis quæ tribuitur voci per impositionem humanam.

Pro resolutione huius rei, distinguere oportet significationem vocis in potentia radicali, idest potentiam & aptitudinem vocis ad hoc vt possit imponi. Deinde significationem velut in potentia proxima, hoc est vim quam habet vox per impositionem ad hoc vt significet hanc vel illam rem. Demum significationem in actu vltimo, idest quando vox actu prolata suum significandi munus exercet, ingerendo alicui notitiam rei significatæ. *Triplex acceptio significationis.*

Dico primò. Significatio primo modo sumpta nihil addit realiter supra ipsam vocis entitatem, nisi denominationem extrinsecam a voluntate potente imponere. Probatur, quia vniuersaliter posse velle *Significatio primo modo dicit deno-*

minationem à potentia voluntatis. velle est intrinsecum voluntati, imo est ipsa intrinseca potentia voluntatis; in obiecto autem posse appeti, formaliter non addit nisi denominationem extrinsecam ab hac eadem potentia. Posse ergo imponere nomina, est potentia intrinseca voluntatis: non enim est aliud quàm posse velle, vt hoc nomine talis res significetur. Posse verò imponi in voce (& idem dicendum est de posse significari in re) est denominatio deriuata ab hac impositiua potentia: neque enim aliud est posse imponi, quam posse assumi a voluntate ad significandum; quod est posse terminare actum voluntatis imponentis. Nec debet distingui alia relatio realis. Non nego autem posse cogitari & fingi relationem rationis. Sed sine ea res potest intelligi.

Secundo modo dicit denominationem ab actu voluntatis. Dico 2. Significatio secundo modo sumpta non est aliquid intrinsecum in voce, sed est denominatio realis extrinseca ab actu voluntatis, & potest explicari per relationem rationis. Prima pars patet: quia hæc significatio non est aliqua vocis proprietas naturalis. Nec ab intrinseca imponentis voluntate quicquam producitur in re volita: nec in voce imposita: nec in re significata. Nõ est relatio realis de nouo resultãs. Nulla est enim necessitas vel vtilitas talis relationis: nec adsunt conditiones requisitæ ad relationem realem.

Secunda pars patet ex dictis. Ab hominũ enim extrinseco consensu vox denominatur significatiua talis rei, & dicitur habere vim ad ingerendã notitiam rei significatæ. Ex impositione enim facta, semper deinceps valet dicere: homines constituisse, vt quando quis intendit significare talem rem, proferat talem vocem: & quando quis audit talẽ vocem, intelligat talem rem. Et hæc est denominatio realis extrinseca, vt patet. Et hæc est propriè vis significandi, quæ ex impositione conuenit vocibus. Item proportio illa quam põt habere vox ad rẽ si sit ratione etymologiæ, etiam est denominatio extrinseca: licèt proportio cõsistens in qualitate soni mitis vel terribilis, sit quædam affectio intrinseca ipsi voci, quę sic vel aliter modulata & articulata, redditur terribilis vel suauis.

Tertia pars ostenditur: quia hæc significatio in voce, solet concipi quasi virtus quædã intrinseca, respectiua ad notitiam gignendam in mẽte audientis. Sed nõ debet hæc absolutè assignari, quando quæritur quid sit significatio vocis: quia maximè quæritur quid realiter sit: per formam aũt rationis potius assignatur, quid fingatur ab intellectu, cùm reuera non sit.

Tertio modo dicit denominationem à notitia quam ingerit audienti. Dico 3. Significatio sumpta in actu vltimo, prout vox actualiter ingerit alicui notitiã rei significatæ, non est aliqua causalitas physica qua vox producat cognitionem. Non enim potest habere vim, vox accidens materiale, ad producendam cognitionẽ intellectus spiritualem. Est aũt quædã veluti causalitas & excitatio moralis, qua vox moraliter excitat mentem audientis, qui propter impositionẽ vocis, & ex sua cognitione quã habet de significatione vocis, statim audita voce concipit eius rei cogitationem. Se habet ergo vox, vt id ad cuius auditæ præsentiã, intellectus elicit suæ cognitionis actũ. Sicut etiã ex re aliqua visa, solent quidã affectus excitari in nobis: nõ quòd illa res quicquã physica causalitate efficiat in affectũ nostrum; sed tantùm moraliter ad eũ mouet, quatenus nos ea visa illũ elicimus. Videtur ergo, vocẽ actu significare & excitare cognitionem, non esse aliud quàm denominatio extrinseca à productione cognitionis, seu ab ipsa cognitione producta in nobis ad præsentiã & auditionem vocis: Cui non est intrinsecum, sed omnino extrinsecũ, quòd intellectus ea audita eliciat rei cognitionem.

Neq. credendũ est, S. Thom. his duabus conclusionibus contradicere. Non enim dicere poterat, inesse voci quæ materialis & corporea est, virtutẽ spiritualem quasi formam intrinsecã. Si enim hoc dixit de Sacramentis, dixit fieri per Diuinam potentiã. At vis, quæ conuenit voci, conuenit per potestatẽ naturalem hominũ. Nec vllo modo naturaliter fieri põt, vt insit forma spiritualis subiecto corporeo. Debet ergo explicari, per vim spiritualẽ intellexisse cõcomitantiã ipsam humanæ impositionis, seu denominationẽ ab illa desũptã. Eo aũt exemplo vsus est ad virtutem Sacramentorũ explicandam: vel quia non oportet exempla in omnibus esse similia: vel quia fortasse pari modo circa Sacramenta debeat explicari.

Ex

Audiens, cui vox significat, debet esse alius à loquente.

Ex his dicendum 4. Vocem per se significare audienti, qui debet esse alius à proferente: sed aliquo modo fieri etiam posse, vt sit idem qui protulit. Prima pars expressè ponitur ab Henri. in sum. art. 73. q. 9. & ab alijs communiter præsupponitur. Patet: quia significare est aliquid deducere in alterius notitiam: ergo illi significatur cui aliquid notificatur. Sed proferens & loquens non sibi notificat: neque enim per suam loquutionem de nouo cognoscit, nec generatur cognitio rei in mente eius; quæ cognitio iam in illo supponitur, vt res cognita possit significari. Tantùm ergo res significatur audienti, in quo rei significatæ notitia excitatur & gignitur. Et ideo is qui verba profert, non loquitur vt ipse cognoscat, sed vt alteri explicet, & ab illo rem cognosci faciat. Et hoc est quod dicit August. lib. 2. de Doctrina Christ. cap. 2. *Nulla est nobis causa significandi, nisi ad depromendum & traijciendum in alterius animum, id quod in animo gerit is qui signum dat.* Et propter id dicuntur nomina symbola loquentis ad audientem, quia ille manifestat rem à se conceptam, hic eandem percipit.

Potest aliquo modo esse idem.

Secunda pars conclusionis explicatur & ostenditur hoc modo. Potest quis scribere quæ concepit, quæ si deinde relegat, certè nouam eliciet cogitationem rei à se scripto concreditæ, quam fortasse fuerat oblitus. In hoc enim casu ex vi scripturæ quam is legit, deuenit in rei nouam cognitionem, quæ in eo generatur ex vi lectionis, & ita res ipsi significatur, nimirum quæ deducitur in eius notitiam. Significans autem est ipsemet qui scripto veluti sibi ipsi loquitur: & sicut scripto suo in alterius legentis animo rei cognitionem gigneret, ita & in mente sua eandem gignit. Disparitas aūt, quare possit scribens, non autem proferens, sibi ipsi significare, est. Quia dum actu loquitur iam datur actu rei cognitio actualis præuia loquutioni. Qui autem scribit, quamuis tunc habeat rei cognitionem, postquam ea cognitio præterierit, poterit de nouo in rei notitiam deduci mediante lectione. Idem ergo vt scribens, significat sibi ipsi legenti: vt sciens, sibi vt postea oblito, aut non cogitanti.

SECTIO QVARTA.
Quidnam Vox propriè significet: An conceptum formalem vel obiectiuum, an cognitionem vel rem cognitam.

IN omni sermone externo quo aliquid significare intendimus, præsupponitur & res aliqua cognita & ipsa cognitio. Nec enim narrare possumus quæ ignoramus & non cogitamus, vt ostendemus sect. sequenti.

Prima sententia.

Prima sententia est asserentium, per voces primariò siue immediatè significari cognitionem intellectus, & mediatè significari rem. Huius sententiæ videntur D. Tho. 1. p. q. 13. art. 1. & 1. Perier. lect. 1. Boet. lib. 1. de Diuis. cap. 2. Auerr. 1. Per. c. 1. Scot. 1. Perier. q. 2. Bonau. in 1. dist. 22. art. 1. Richar. Aegid. & Durand. q. 1. & sequitur Vallius 1. Perierm. q. 1. Et expressè ipse Arist. cap. 1. *Ea quæ sunt in voce sunt notæ earum passionum quæ sunt in anima.*

Secunda sententia.

Secunda sententia est asserentium, voces proximè & immediatè directè & primariò significare ipsas res, licèt præsupponant cognitionem rerum ad hoc vt res exterius manifestari possint: & in hoc sensu dicunt significari res quatenus mente cōceptas. Ita Ocham. & Gabr. in 1. dist. 22. q. vnica, Fons. 2. Met. cap. 1. q. 2. sect. 4. Conimbr. 1. Perier. cap. 1. §. aduertendum est, & ex parte Masius q. 3. & alij circa eundem locum. Item Vasq. 1. par. d. 57. num. 3. & disp. 75. cap. 3. Suar. 1. par. tract. 1. lib. 2. cap. 31. nu. 6. qui ait, id videri per se notum, alijq. Theologi frequenter.

Voces immediatè ac primariò significant res cognitas.

Dico primò. Voces immediatè ac proximè per se & primariò significant res conceptas. Probatur 1. ex Arist. 1. Elench. cap. 1. vbi ait: *Quia fieri non potest, vt res ipsas ferentes disputemus, nominibus pro rebus vtimur signis.* Ergo de mente Arist. nomina assumimus per se ad significandas res quas concipimus. Imo & ex sacra Scriptura. Genes. 1. Deus appellauit lucem, diem; tenebras, noctem, & cap. 2. Adam animalibus nomina imposuit: *Appellauitq. nominibus suis cuncta animantia:* Ergo nomina significant res ipsas, quas easdem oculis cernimus, & mente concipimus.

Secun-

Rebus per se imposita sunt.

Secundò. Vox id principaliter & absolutè significat, ad quod primariò significandum est per humanam institutionem imposita: sed voces impositæ sunt ad significandas res: ergo res sunt quæ principaliter significantur. Hæc nomina, Homo, Cælũ, Ignis, Aqua, & sic de reliquis, imposita sunt ad significandas res ipsas quas his nominibus appellamus. Atque has ipsas de facto significant. Homo significat animal rationale, Cælũ corpus cæleste, &c. Neque Homo significat cognitionem hominis, Cælum cognitionem cæli. Et aliud est quod significamus: dum dicimus, Cælum, Cælum est corpus; & dum dicimus cognitionem cæli, cognitio cæli est actus intellectus terminatus ad tale obiectum. Et cùm dicimus Cælum est corpus: sensus vtique non est, cognitionem cæli esse cognitionem corporis: sed rem ipsam cælum esse rem corpus. Voces ergo per se & primariò significant ipsas res.

Rerũ notitiam per se ingerunt.

Tertiò. Significare est deducere audientem in notitiam rei significatæ: suspirium est signum doloris, quia cognoscimus suspirantem esse dolore affectum. Sed nomina deducunt immediatè in rerum notitiam: nam audito nomine hominis, statim concipimus ipsum hominem; nomine cæli, ipsum cælum: & cùm audimus homo currit, primò concipimus hominem currere. Neque certè prius concipimus cognitionem quam de re habet ille qui loquitur, vt deinde mediante tali cognitione cognita concipiamus & rem: sed primò nobis repræsentatur res, etiam nihil de cognitione alterius cogitantibus; vt ipsa experientia constat. Voces ergo immediatè & proximè significant ipsas res.

Etiam voces significantes actus mẽtis significant res cognitas.

Quarto. Etiam istæ voces, cognitio, conceptus formalis, & similes, directè significant res cognitas. Nam cognoscimus etiam cognitionem & conceptum formalem: & hoc quod cognoscimus, significare intendimus. Cognitio ergo quatenus res cognita, significatur per suum proprium nomen. Et sic in vniuersum verum est dicere, non nisi res cognitas significari per voces. Possunt tamen ipsæ res cognitæ, esse actus & cognitiones intellectus, terminantes obiectiuè alios actus & cognitiones reflexas, vt est manifestum.

Voces non simul con significãt cognitionem rerũ, sed supponunt.

Quintò. Dum dicuntur res significari quatenus cognitæ: non debet esse sensus, simul significari seu directè consignificari ipsam quoque cognitionem rei: sed tantùm cognitionem se habere per modum conditionis ad hoc vt quis possit significare rem. Et sicut obiectum cognitionis, solùm est ipsa res, non autem ipsamet cognitio per quam res cognoscitur: ita id quod significatur, est solùm ipsa res cognita, quæ simul terminat & cognitionẽ mentis & significationem vocis. Nam dum dicimus, vel audimus, Homo, Cælũ: id quod significatur, est tantùm res ipsa, quæ simul est cognita obiectiuè: & dum dicimus homo est animal: sensus non est, homo cognoscitur esse animal, sed homo in re est animal. Vnde optimè dici poterit, specificatiuè quidem significari res cognitas, cognitione se tenente per modum conditionis: non tamen reduplicatiuè quatenus cognitas, quasi cognitione seu denominatione cogniti simul consignificata cum ipsa re. Concedendum tamen libenter est, consequutiuè & per illationem, posse ex vocibus & significatione rerum, deduci notitiam de cognitione earundem rerum quam loquens habere supponitur. Nam, quia scimus loquutionem & significationem esse de rebus notis loquenti & significanti; benè inferre possumus, illum qui loquitur & significat, habere cognitionem talium rerum. Sed hoc non est, cognitionem ipsam directè & per se significari per illam loquutionem.

Voces substituũtur loco cognitionis.

Dico 2. Voces in alio sensu dici possunt primariò & proximè exprimere conceptus formales & cognitiones rerum, idest substitui & subrogari loco ipsorum conceptuum formalium ad significandas res obiectiuè cognitas. Explicatur & probatur concl. Homo in seipso cognoscit, sibiquè repræsentat obiectum, per actum suæ cognitionis, per quem etiam dicitur mentaliter loqui, & proferre verbum mentis in suo intellectu. Per eundem actum deberet alteri notificare & manifestare rem cognitam, & cum illo loqui, eiquè significare. Hoc modo manifestat Deus creaturas Beatis, qui videntes Diuinam essentiam & cognitionem perfectissimam Dei in qua res creatæ repræsentantur, vident etiam tanquam in speculo creaturas. Et vt dixit August.

lib. 13.

lib. 13. confess. cap. 10. *Vident faciem tuam semper, & ibi legunt.* Hoc modo præcipuè Angeli inter se loquuntur, dum vnus proponit & manifestat alteri conceptum suum, & mediante cõceptu res cognitas. Iuxta illud Damasc. lib. 2. Fidei cap. 3. *Non lingua neque auribus opus habentes: verùm citra sermonis adminiculum cognitiones suas atque consilia inter se communicantes.* Et Theodoret. & Theophil. in illud 1. Cor. 13. Si linguis hominum loquar & Angelorum, declarant linguam Angelorum esse intellectum ipsum.

At quia nõ possumus nos homines immediatè in se ipsis manifestare conceptus mentis, assumimus voces loco conceptuum, quarum ministerio immediatè significamus easdem res quas mente concipimus. Vnde sicut alius qui videret immediatè conceptum cognoscentis, perciperet etiam rem cognitam: ita de facto qui audit vocem loquentis, statim percipit rem significatam. Is ergo qui cognoscit & loquitur, substituit voces loco sui conceptus ad manifestandam rem conceptam: non vt mediante voce prius alter perspiciat cognitionem loquentis, & mediante cognitione rem: sed vt immediatè ex voce percipiat rem. Ita voces substitutæ sunt loco conceptuum ad significãdas easdem res quæ ipsis conceptibus repræsentantur.

Et in hoc sensu dicitur signa conceptuum. Dicentur etiam voces exprimere ipsos conceptus, quatenus gerunt vicem eorum. Dici etiam solent voces esse signa conceptuum, & significare conceptus; Sed hoc non debet intelligi in eo sensu, quo dictum est esse signa rerum: sed in alio sensu modo explicato, quia voces exprimunt conceptus, substituuntur loco conceptuum, ac sunt vicariæ conceptuũ. Iuxta hoc debet intelligi dictum Arist. initio Perier. Nonnulli quidem explicãt, Ar. intellexisse cõceptus obiectiuos, idest res conceptas. Sed hoc videtur à mente Arist. alienum. Tum quia ait, voces esse notas animi passionum: passiones autem dicuntur quæ afficiunt animam, & sunt in illa formaliter. Tum quia distinguit passiones à rebus, & passiones ait esse rerum similitudines. Meliùs ergo intelligetur Arist. voces sunt notæ conceptuum, sunt signa substituta loco conceptuum. Hoc etiam solùm voluerunt alij ex iis qui dixerunt, voces significare conceptus, & qui dixerunt significare rem mediante conceptu: quia non potest quis significare quicquam nisi præuio cõceptu, rem cognouerit.

Ex hac autem substitutione vocum loco conceptuum, oritur primò, vt ex voce audita benè argumentari possumus ad inferendam cognitionem loquentis, vt supra dicebamus. 1

Diuersis conceptibus diuersæ voces correspondent. Secundò. Vt cùm res, plures in se habuerit conceptibiles rationes, secundùm quas plures conceptus formari possint, plures etiam extent voces proportionatæ conceptibus. Sic in Petro v.g. distinctè concipiuntur, ratio animalis, & rationalis, & c. in Deo distinctè concipiuntur, Potentia, Sapientia, &c. hinc habemus has ipsas diuersas voces, ad has plures rationes significandas, quamuis in vna & eadem re, & sine distinctione actuali à parte rei inter illas plures rationes. Ob distinctionem tamen conceptuum fit, vt tales voces non dicantur synonimę: quia synonima sunt, quæ non solùm significant eandem rem, sed etiam secundùm eandem rationem, eundemquè conceptum. Vnde S. Thom. 1. par. qu. 13. art. 4. alijq. Theologi docent, diuersa nomina attributorum Dei non esse synonima.

Interdũ alius conceptus est, ex quo vox sumitur, et ad quem assumitur. Tertiò. Interdum alia ratio est ex qua nomen desumptum est, & alia ad quam significandam assumptum est. Ita S. Thom. ead. q. ar. 8. Interdum enim is qui nomen imposuit, considerauit certam aliquam rationem, ex qua motiuum accepit certum nomen imponẽdi secundum aliquam etymologiam: tamen non ad illam præcisè rationem significandam, sed absolutè ad significandam ipsam rem, nomen impositum & institutum est. Sic homo dictus est, quia de humo sumptus est; lapis dictus est à lædendo pedem; Angelus à nunciando; Deus ab eo quod est prospicere, vel ardere, aut prouidere: tamen hæc nomina non significant has præcisè rationes, sed absolutè & adæquatè ipsas res. Et ita passim in alijs plurimis rebus ac nominibus idem obseruari potest.

Diuersis operationibus intellectus Quartò vlterius. Sicut tres sunt distincti gradus nostræ cognitionis, idest tres operationes intellectus: ita etiam similis distinctio & ordo reperitur in vocibus.

Aliæ

diuersæ voces correspondêt. Aliæ sunt voces simplices & incôplexæ, correspôdentes primæ operationi: vt Petrus, Animal: item Petrus albus, Animal rationale; quoniam incomplexum nunc dicitur ad differentiam integræ enunciationis & iudicij. Aliæ sunt voces complexæ enunciatiuæ, correspondentes secundæ operationi: vt Petrus est albus, Animal est rationale. Aliæ demum sunt voces illatiuæ, correspondentes tertiæ operationi: vt Petrus est homo, ergo est animal. Et rursus sicut quælibet operatio in plures partes vlterius subdistinguitur: ita etiam voces. Iudicium aliud est affirmatiuum, aliud negatiuum; aliud simplex, aliud modale: ita datur enunciatio affirmatiua & negatiua, simplex & modalis. Et sic in alijs actibus & vocibus.

Etiam diuersis modis concipiendi. Quintò præterea. Quia vna & eadem res secundùm eandem rationem potest diuersimodè concipi, videlicet vel explicitè vel confusè: diuersæ etiam substitutæ sunt voces, ad significandam rem explicitè vel implicitè. Sic differunt Definitio & Definitum. Homo significat implicitè naturam humanam: Animal rationale significat explicitè. Et sic in alijs huiusmodi.

Litteræ quæ scribûtur, significant immediatè voces. Cæterùm de litteris quæ scribuntur dicendum est, litteras scriptas immediatè significare voces, & mediantibus vocibus significare res. Ita perspicuè indicat D. August. lib. 2. de Doctrina Christiana cap. 4. & lib. 2. de Ordine cap. 12. Patet; quia talis vel talis character qui figuratur & inscribitur, proximè significat certam litteram quæ voce profertur. Vnde fieri potest, vt aliquis legendi peritus, legat quidem dictionem scriptam, & tamen ignoret quæ res significetur. Itaque diuerso modo se habet scriptura ad vocem, & vox ad cognitionem. Vnde, quod Aristot. 1. Perhierm. cap. 1. pariter dixit, ea quæ sunt in voce esse notas passionum animæ, & ea quæ scribuntur esse notas eorum quæ sunt in voce: Ipse declarauit in hoc sensu; quòd sicut voces non sunt eædem apud omnes, ita nec litteræ: & sic etiam notauit ibi Porphyr.

Possût significare immediatè res. Verum est tamen, posse figuras scriptas ab aliquo applicari ad immediatè res denotandas. Quo sensu Vallesi. cap. 3. de sacra Philosophia ait, scripturam per se significare independêter à vocibus. Potest enim quis certum characterem excogitare, quem voce non proferat; & cum alio conuenire, vt ad ostensionem talis figuræ talem rem intelligat. Sic vtique scriptura immediatè significabit res. Et hic mos scribendi apud aliquam nationem fuit in vsu, præsertim apud Aegyptios. Et hæc erant illorum Hieroglyfica. Vtebantur enim certis quibusdam characteribus & figuris, non voces aliquas per litteras significantibus, sed immediatè denotantibus res quas significare volebant.

SECTIO QVINTA.

An & quomodo ad significationē Vocis requiratur atque côcurrat notitia tum proferentis tum audientis.

Triplex notitia hic consideranda est: prima non vltimata vocis: secunda significationis vocis: tertia rei significatæ. Dupliciter quæri potest, an quælibet notitia ex his sit necessaria: primò an debeat actu esse, cùm actu exercetur significatio: secundò an sit necessaria, vt saltem præcesserit & in habitu remanserit, quamuis actu non sit.

Prærequiritur notitia vocis eiusquè significationis Dico primò. Necessaria est notitia & conceptus non vltimatus vocis, itemquè significationis eius, tam in loquête, quam in audiente Patet nam qui verba profert debet vtique in mente habere illa. Item qui audit, nisi interna cogitatione vocem percipit, nullo modo poterit ex vi vocis percipere rem. Rursus qui verba profert ad significandum, debet vtique perspectâ habere significationem vocis: alioqui qui nescit, quidnam hæc vox significet, vel quanam voce hæc res significetur, vtique non potest tali voce vti ad significandam talem rem. Item is qui audit, debet prænosse significationem vocis: alioqui quantumuis eius sonum audiat, non percipiet quidnam significetur. Sufficit tamê, vt præcesserit notitia antecedês & habitualis de tali significatione, quæ obliuione deleta non sit, ad hoc vt statim quis audita voce percipiat ex vi significationis rem significatam.

Prærequiritur etiã rei signi- Dico secûdò. Notitia rei significatæ est actu necessaria ex parte loquentis & formaliter significantis. Sic dicebat Aug. lib.

ficādi notitia in loquente.

Categ. cap. 1. *Id quod quis concipit animo, lingua prosequente declarat.* Et patet ex dictis, quia voces substituuntur loco conceptuum. Et hoc adeò verum est, vt etiam cùm significare volumus affectus & desideria nostræ voluntatis: vt cùm dicimus hoc vel illud desidero, de hoc gaudeo, doleo, &c. necessaria sit etiam cognitio de tali affectu nostræ voluntatis. Imò etiā cùm cognitiones ipsas eiusdem nostri intellectus notificare volumus: vt cùm dicimus, cognoui rē hanc, hoc ita iudico, & similia: intercedat adhuc alia cognitio reflexa de illa prima cognitione. Semper enim valet dicere, significari res cognitas: ergo sēper intercedit cognitio qua res significanda cognoscatur, & vna cognitio benè potest esse res cognita per aliam cognitionem reflexam.

Insuper non satis est, res antea cognouisse, & habere notitiā habitualē earū, ad hoc vt de eis loqui possimus: sed necessaria est actualis cogitatio rerū, tunc cū loquimur. Nā experiētia patet, non solū nos loqui non posse de rebus prorsus ignotis, sed ēt de rebus quas actu nō cogitamus: prærequiritur ergo actualis notitia & cogitatio rei ad loquendū atq. significādū.

Nisi tantùm materialiter voces proferantur.

Dixi aūt, ex parte formaliter significātis: quoniā alioqui fieri posset, vt aliquis casu & fortuitò, ignorans rē, ac etiā significationē vocis, certū vocabulū proferat, quod apud alios reuera sit significatiuū. Tūc inquā, non profertur vox formaliter, quatenus significatiua, & ex animo significandi: sed solū materialiter, tanquā sonus quidā. Psitaci etiā, aliæq. quædā aues, solent voces articulatas proferre. Et interdū quidē possunt per sēsus cognoscere rem significatā. Quando autē nihil de re cognoscunt, solū materialiter verba proferunt. Demū homines interdum falsò & mendaciter pronūciant ea quæ sciunt aliter se habere, & pronunciant animo significandi falsum, & decipiēdi audientes. Sed tunc habent saltē simplicē apprehensionem rei quā enunciant: & adhuc dici potest, talem enunciationē substitui loco illius conceptus mentalis, qui subesse deberet, & pro quo instituta est, & qui subesse solet in alijs hominibus vera loquētibus. Ideòq. audientem decipi, putando verè rem ita esse, & ita putari ab ipso loquente, sicut exteriùs affirmatur.

Non prærequiritur in audiente.

Dico tertiò. Non prærequiritur in audiēte notitia rei significatæ, nec actualis, nec habitualis. Patet de notitia actuali: quia hæc potius ipsius vocis ministerio gignenda est in mente audientis. Et hæc est vis significatiua vocis, vt ingerat audienti notitiam rei significatæ: non ergo prærequiritur talis notitia; quæ potius debet esse effectus vocis significantis. Patet etiam de notitia habituali: quia sæpè vnus ex loquutione & doctrina alterius addiscit, quæ nunquam sciuerat. Et ad hoc etiam se extendit significatio vocis: vt non solùm possit in mentem reducere ea quæ alioqui is qui audit aliquando cognouisse supponatur: sed etiam possit de nouo manifestare & notificare ea quæ antea fuerant prorsus ignota & incogitata.

Imo actualis cogitatio rei, impedit actū significationis.

Dico quartò. Quando quis actualem rei cogitationem habet, rem illi significare non possumus: possumus tamen, quando alius solùm antecedenter & habitualiter rem cognouisse supponitur. Itaque actualis cogitatio rei in audiente, non solùm non prærequiritur; sed potius si inueniatur, impedit actum & exercitium significationis: antecedens tamen & habitualis notitia, nec prærequiritur, neque impedit.

Probatur prima pars, quæ est de notitia actuali, ex ipsa significationis essentia. Significare enim, est aliquid deducere in alterius notitiam, & facere vt alius rem cognoscat: at quando quis iam præhabet actualem rei cogitationem, non deducimus rem in eius notitiam, nec facimus vt rem cognoscat: quia fieri non potest, quod factum supponitur. Neque potest simul in eodem intellectu existere duplex actus cognitionis eiusdem modi, de eodem prorsus obiecto, vt nunc supponimus. Itaque in tali casu dicetur quidem sermo loquentis habere quantùm est de se vim significandi; non tamen actu exercere suam significationem. Sicut si igni, aut cuiuis alij agenti naturali, applicetur subiectum habens iam calorem, aliamuè qualitatem, in eo gradu in quo posset à tali agente produci; non producetur in actu secundo talis effectus.

Si tamen quis loquatur de re secundùm aliquam rationem nouam, de qua alius actu non cogitabat, licèt cogitaret

de

de illa re: sic optimè significabit rem secundùm illam nouam rationem. Imò si per loquutionem excitetur clarior aut certior, alioue modo perfectior cognitio in mente audientis: sic etiam dicetur res illi significari: quia ex significatione loquutionis, talis perfectior notitia gignitur quæ non supponebatur.

Possumus loqui, non tamen significare, ijs qui actualiter cogitant de rebus.

Hinc notauit Vasq. 1. par. disput. 57. in fine, non posse nos quicquam vllo modo significare Deo, quia nullam vllius rei notitiam Diuinæ menti ingerere possumus, cui omnia per se notissima sunt. Debemus tamen Deum orare & rogare propter vtilitatem nostram, illiquè narrare indigentias nostras, & affectus cogitationesquè veluti detegere: vt explicauit Sanctus Thomas secunda secundæ quæst. 83 articulo 2. Adhuc tamen dici potest homo loqui ad Deum, Genesis 18. *Loquar ad Dominum meum*. Et Isai. 32. *Loquantur ad Dominum*. Et Angeli etiam Deo loquuntur, ex Diuo Thoma 1. parte quæst. 107. artic. 3. Latiùs ergo patet loqui quàm significare. Nam loqui, solùm dicit verba proferre, vel ore vel mente, quæ de se sunt significatiua. Significare autem actualiter, addit actualem causalitatem cognitionis, vel nouæ cogitationis, in mente audientis. Item Angelis & Beatis nos non propriè significamus illa quæ ipsi actualiter cogitant. Quodammodò tamen dici possumus illis significare conceptus seu cogitationes de talibus rebus: quoniam, dum loquimur de rebus quas concipimus & cogitamus, consequenter Angeli dignoscunt nos habere tales conceptus & cogitationes. Hoc tamen non est directè & per se significare: sed præbere illis motiuum cognoscendi nostras cogitationes. Quando tamen directè loquimur de ipsis nostris cogitationibus: tunc verè illas significamus, quia Angeli non intuentur directè nostras cogitationes, nisi ad summum, dum illas manifestare volumus.

Notitia habitualis nec præ requiritur neque impedit.

Probatur deinde secunda conclusionis pars, quæ erat de notitia habituali: quoniam adhuc vox potest efficere, vt is qui audit deueniat in cogitationem actualē rei habitualiter notæ: ergo verè significat Hoc enim sufficit ad significationem. Et hæc significatio dici poterit rememoratiua, quoniam in mentem reuocat & reducit id quod aliàs notum fuerat.

SECTIO SEXTA.

Vtrum Voces possint rem perfectiùs significare audienti quàm nota sit loquenti, vel saltem æquè perfectè.

EX notitia proferentis & audientis dependet non solùm significatio vocis, sed etiam perfectio significationis. Iuxta enim maiorem vel minorem rei significatæ notitiā, vox magis vel minùs perfectè significare dicetur. Duplex autem perfectio attendi nunc potest, in cognitione & significatione: scilicet claritas, dum clariùs & distinctiùs res cognoscitur: & proprietas conceptus, dum proprio & quidditatiuo cōceptu cognoscitur, prout est in se. Dubitatur ergo, num fieri possit, vt aliquis vocibus vtendo, & vel imponendo, vel tantùm proferendo voces significatiuas, perfectiùs rem significet, quam ipsemet cognoscat, idest magis clarè & distinctè, propriè & quidditatiuè.

Affirmant Scot. Ocham. & Gabr. in 1. dist. 22. Molina 1. par. quæst. 13. artic. 1. disput. 2. & latè Vasq. disput. 57. Vnde docent, licèt viatores non cognoscant clarè & quidditatiuè Deum: posse tamen clarè & quidditatiuè significare Beatis. Et Vasq. declarat magis. Si loquēs habeat rei notitiam imperfectam, audiēs verò perfectiorē, illum posse multò perfectiùs & clariùs rem alteri significare, quam ipse in se cognoscat. Explicat & probat exemplo. Si qui nunquam Romam vidit, mihi qui vidi, de Roma loquatur; vtiq. multò meliùs & perfectiùs mihi in memoriā reuocabit Multò enim perfectior est notitia rei in eo qui vidit, quam in eo qui ex sola relatione cognouit. Adducit aliud exemplum de impositione nominis. Si Philippus Rex mitteret exercitum, & Duci præciperet, vt insulam vel ciuitatem suo nomine Philippinam nuncuparet: hoc nomē clariùs & euidentiùs illam insulam deinceps significaret Duci & militibus, qui eam proprijs oculis viderunt, quàm Rex ipse cognosceret qui nomen imposuit.

Auctorū sententiæ.

Oppo-

Opposita sententia est Theologorum communis. D.Thom. 1.par. quæst. 13. artic. 1. & 1. contra Gent. cap. 30. & 31. Caiet. & Ferr. Item Alensis 1. par. q.48. membr. 1. Albert. mag. Durand. Bonau. & aliorum in 4. dist. 22. Suar. disp. 30. Metaph. sect. 13. num.8. & 9. & 1. par. tract. 1. lib. 2. cap. 31. num. 13. Bagn. & Zumel 1. par. quæst. 13. art. 1. Valentia puncto 1. Fonf. 2. Metaphys. cap. 1. quæst. 2. sect. 4. Hurtad. disput. 8. Log. §. 11. Qui dicunt, mensuram significationis sumendam esse ex conceptu loquentis: & sic non posse aliquem perfectiùs rem significare alteri, quàm ipse cognoscat: quia nomina significant res quatenus concepta, seu mediante conceptu. Deinde alij sunt qui affirmant, semper posse loquẽtes significare rem saltem æquè perfectè ac ipsi cognoscunt. Atque ita Beatos posse significare Deum clarè & intuitiuè vt est in se. Et hoc asserere solent illi qui alioqui negāt posse Deum clarè a viatoribus significari. Alij autem hoc etiam negant: & ita dicunt, non posse semper ita perfectè rem exteriùs significari, sicut interiùs concipitur. Ita discurrit Suar. cap. cit. 1. par. num. 18. & 19.

Hæc controuersia magna ex parte orta est ex diuerso modo accipiẽdi perfectionem cognitionis, & ex diuerso modo causandi quo vox potest præbere notitiam rei significatæ.

Voces tūc perfectè significant, cùm perfectā gignunt rei notitiam.

Dico ergo primò, perfectionem significationis formaliter loquendo, nō consistere in eo quòd voces proferantur ab eo qui habet perfectam rei notitiam, siue quòd substituātur loco perfecti cõceptus qui habetur de re ab ipso proferente: sed in eo quòd gignant perfectam notitiā & conceptum in mente audientis. Probatur primò. Vocem significare non est aliud, quàm facere, vt alius res cognoscat: ergo perfectè significare, est facere vt alius perfectè cognoscat: clarè & quidditatiuè significare, est facere vt res clarè & quidditatiuè cognoscatur. Secūdò. Si aliquis perfectè & clarè rem cognoscat; proferat tamẽ vocem quę non habet præbere claram & perfectam cognitionem, non diceretur perfectè & clarè rē significare. Tertiò e cõtra. Si quis minùs perfectè & clarè rē cognoscat, & proferat voces, quibus alius perfectam & claram rei notitiam assequatur; hic dicetur perfectè & clarè rem significare. Hinc patet, quando quæritur, nū possit res perfectiùs vel æquè perfectè significari, atq. cognoscitur à loquente; nihil aliud quæri, nisi num possit perfectior vel æquè perfecta notitia gigni in audiẽte quā sit in loquẽte.

Non possunt notificare de nouo perfectiùs rē audienti, quàm nota sit loquenti.

Dico secundò, voces non posse perfectiùs rē significare audienti quàm sit nota loquenti, præbendo nouā rei notitiam, quando scilicet audiens non aliundè rem nouerat. Pro hac conclusione supponimus ex præced. sect. voces posse significare, seu causare cognitionem in mente audientis; vel per modum nouæ notitiæ rei scilicet antea ignotæ, vel per modum rememorationis excitando audientem ad actualiter cogitandū de re aliàs ipsi nota. In hac conclusione loquimur de primo modo, & hæc conclusio est de mente Auctorum 2. sent.

Probatur primò, ex D. Tho. Quia vox nō significat rem, nisi quatenus conceptā, eo modo quo explicauimus: ergo nō potest eam perfectiùs significare, quàm concepta fuerit: sicut ergo voce non possumus significare quod nō concepimus: ita non possumus perfectiùs significare, cùm minùs perfectè cõcepimus. Nomina enim sequuntur conceptus; & ita debent etiam sequi illos in perfectione: quia id à quo sumitur esse rei, sumitur & eiusdem perfectio.

Nam voces substituuntur loco cõceptuum.

Secundò. Nomina substituuntur loco conceptuum, & intantùm habent significandi vim, inquantùm sic substituuntur pro conceptibus, quibus naturale est, res cõceptas repræsẽtare & significare. Loco ergo conceptus imperfecti ponetur vox eodem modo imperfectè significans, sicut & ipse cõceptus imperfectè repræsentat. Loco verò conceptus perfecti, ponetur vox etiam perfectè significans. Neq. verò poterit quis loco conceptus sui imperfecti, quo imperfectè sibi repræsentet rem, substituere vocem, quæ perfectiùs rem significet, & perfectiorem cognitionem generet in mente audientis.

Et ipsi cõceptus nō possūt manifestare vltra suā perfectionem.

Tertiò. Si quis naturaliter loqueretur manifestando alteri immediatè cõceptū suum: hic cui conceptus manifestatur, ex vi huius conceptus non posset acquirere maiorem & clariorem notitiam rei conceptæ, quàm sit ipse conceptus. Si ergo

I cogni-

cognitio rei sit cõfusa & obscura: taliter quoque eandem rem concipiet ex vi huius cognitionis ille qui per eam deducitur in rei notitiam. Sicut videmus ita repræsentari res in speculo, clariùs aut obscuriùs, quale ipsum speculum fuerit. Potiori ergo ratione dicemus de voce, cui non competit intrinsecè & ex natura sua significare rem, sed extrinsecè, ex libera hominum impositione qua substituitur loco conceptus naturaliter repræsentantis rem; nõ posse perfectiùs significare rem ex vi sua & suæ substitutionis ac impositionis, quàm cognoscatur à significante, & quàm sit perfecta cognitio pro qua vox subrogatur.

Et ipse qui loquitur, non acquirit maiorem rei notitiam.

Quartò. Si voces quæ proferuntur, habent ex se vim gignẽdi perfectiorem notitiam quàm sit in loquente; deberet etiã illam gignere in ipso loquente. Cur enim ipse qui loquitur & percipit significationem verborum, non in se acquireret talẽ perfectam notitiam? ergo nec alius cui is loquitur, & qui non aliam aliunde habet rei notitiam, potest ex virtute & significatione talis loquutionis perfectiorem sibi notitiam comparare.

Sæpè etiã nec æquè perfectè possunt voces rem manifestare.

Dico tertiò. Sæpè non posse vocibus tã perfectam notitiam de nouo gigni in audiente, sicut est in loquẽte. Probatur primò, quia ideò dixit Aug. 6. de Trin. c. 4. *Veriùs cogitatur Deus, quàm dicitur; & veriùs est, quàm cogitatur.* Et Plato atque Hermes Trismegist. vt refert Nazian. Ora. 34. quæ est 2. de Theol. nu. 6. & 8. & Cyril. Alex. lib. 1. cont. Iul. §. At Plato: *difficile esse Deum intellectu percipere, eloqui verò impossibile.*

Secundò. Manifestum est, Beatos Deũ videntes, non posse quacunq. vi & significatione nominum, præbere viatoribus claram & intuitiuam Dei notitiam. Similiter Deum ipsum se comprehendentem, non posse se vlli intellectui creato comprehensiuè significare. Et hoc non solùm defectu nostro: sed quia absolutè non potest in virtute & significatione vocum, cõprehẽsiua, neque intuitiua, Dei notitia gigni, in eo qui aliunde illã nõ habebat.

Tertiò. In alijs etiã rebus, is qui rẽ aliquam vidit & intuitiuè nouit, nunquã poterit virtute suæ loquutionis intuitiuã rei notitiam præbere alteri qui rem non viderit, & non ex sui visione intuitiuã notitiam cõparauerit: & in multis alijs rebus quotidiana experientia constat, non posse tã perfectè verbis exprimi, & alijs notificari, sicut cognoscitur à loquente:

Quartò. Ratio à priori huius rei est, quia notitia aliqua perfecta, videlicet intuitiua & clara, acquiritur per aliud mediũ, v.g. propriã visionẽ, sine quo tã perfecta cõparari nõ põt. Sed per voces & per alienum testimoniũ, tantũ poterit acquiri notitia ineuidens & fidei humanæ de eadẽ re. Ille ergo qui loquitur, non poterit vocum ministerio tam perfectã rei notitiam ingerere alteri non vtenti illo alio modo cognoscendi, videlicet propriæ visionis, quo ille eã sibi notitiã cõparauerat.

Possũt tamẽ voces, excitãdo priorẽ notitiã, perfectiùs significare.

Dico 4. Voces posse perfectiùs significare rẽ audienti, quàm nota sit loquenti, excitando in audiente notitiã quã aliunde habitualiter habere supponatur. Hæc conclusio est de mente Auctorum primæ sententiæ. Et primò satis apertè probatur exemplis ibi adductis, alijsque similibus: dum quis habẽs imperfectiorem rei notitiam, loquitur alteri qui aliunde perfectiorem notitiam habuisse supponitur: vtique excitat in illo actum quẽdam huius perfectioris notitiæ. Sic ergo possunt voces perfectiùs rem significare audienti, quàm sit nota loquenti.

Secundò. A priori suadetur, quia voces non solùm habent vim ingenerandi de nouo notitiã rei antea ignotæ, sed etiam excitandi & renouandi notitiã præcedẽtem & habitualiter permanentẽ. Quando ergo prçinuenitur notitia perfectior, quã sit in loquente; hæc vtiq. excitabitur. Et ita voces possunt perfectiùs significare, idest excitare audiẽtem ad perfectiorem notitiam, quàm sit in loquente.

Voces vim habẽt excitandi perfectiorem notitiam.

Tertiò. Quia aliqui Auctores primæ sententiæ, hoc considerantes, dixerunt id esse per accidẽs ad rõnem significationis, & non esse ex vi vocum, seu ex vi significationis, ideò adhuc dici non debere voces perfectiùs significare; quia ad significationẽ debet attendi, id quod per se est effectus significationis, non aũt quod per accidens se habet, & prouenit aliunde. Propter hoc, vt rectũ teneamus loquendi modũ: præstabit dicere, talem perfectiorem notitiã, non esse ex illa vi vocis & significationis, quæ refertur ad causandam notitiam de nouo rei aliàs ignotæ; esse

autem

autem ex illa vi vocis & significationis, quæ refertur ad excitandã & renouandã antiquã notitiam rei prius notæ. Et probatur, sic esse dicendũ. Tum quia hæc vis significationis non est determinata, ad talem, seu tàm perfectã notitiã causandam: sed indifferens est ad excitandã quãcunq. habitualiter inuenit. Tum quia si in intellectu audientis nulla alia notitia rei significatæ de nouo gignatur, sed tantùm pristina renouetur: vtique dicetur vox significare rem tali audienti, atq. adeò per se habere suæ significationis effectũ, nẽpè notitiam in intellectu audientis. Ergo renouata illa notitia, est per se ex vi significationis, ex illa, inquam, vi, quæ refertur ad excitandam notitiam quam habitualiter in audiente supponit.

Per has conclusiones magna ex parte conciliari possunt sententiæ oppositæ antea relatæ. Et fortasse Auctores illarum, in diuisione tradita & conclusionibus positis, facilè conuenirent.

Quando ex diuersis conceptibus & vocibus inæqualiter res significentur.

Objicies tamẽ primò. Ex doctrina tradita in 2. conclus. sequi videtur, quòd si duo; alter clarè, alter cõfusè; alter quidditatiuè, alter impropriè; eandẽ rem cognoscentes, eandem loquutionem proferant, loquentes alicui qui antea rem non nouerat: diuersimodè res significabitur audienti: quia ab vno ponitur sermo vocalis loco conceptus perfecti, ab altero loco conceptus imperfecti. Sed consequens est planè falsum, & cõtra experiẽtiam: quia a quocunque quis audiat eundem sermonem, formabit eũdem conceptum, non obstante inæqualitate conceptus interioris in mente loquentium.

Respondetur. Sicut cõceptus quos homines de eadem re habere possunt, sunt diuersi. Ita etiã diuersas impositas & substitutas esse voces: vt patet ex dictis sect. 4. Quando ergo quis loquitur: considerãdum est, quibusnam vocibus vtatur, siue cuiusnã conceptus loco, talis sermo substitui debebat ex cõi hominũ impositione ac recto vsu: & iuxta conditionem talis conceptus significabit. Itaq. si contingat, quempiam habentẽ perfectum cõceptum, proferre voces minùs perfectè significãtes, significabit etiã imperfectè. Et è conuerso si contingat, quempiam habentem conceptum imperfectum, proferre voces perfectiùs significantes, saltem materialiter perfectè significabit. Nimirùm, cùm etiam si loquens nullum rei conceptum haberet, sed casu verba proferret, adhuc alij perciperẽt illorum significatum: quia nempè attenditur conceptus, loco cuius solet apud homines talis sermo substitui. Igitur si duo habentes inæquales conceptus, eundem sermonem pronunciẽnt, æqualiter significabunt. Et hoc experientia constat.

Non per hoc aũt putandũ est, tàm multas & diuersas inueniri voces, quanta esse potest diuersitas & inæqualitas in mentis conceptibus. Imò id erat moraliter impossibile. Sed tantùm hoc procedit, vbi ob notabilẽ diuersitatẽ conceptuum, diuersæ inueniuntur institutæ voces. Solet tamen is qui clariùs certiùs & perfectiùs rem interiùs comprehendit; maiori etiã claritate distinctione & ordine in explicando, maiori vi & momento rationum in probando, maiori copia & proprietate verborum, varietate exemplorum, & loquutionis promptitudine in significando, clariorem certiorem & perfectiorẽ suæ mentis conceptũ exprimere, longèq. meliùs externo verborum apparatu rem audientibus enarrare.

Res quas non perfectè cognoscimus, nec etiã perfectè nominamus.

Objicit 2. Scot. Hoc nomen, substantia, & alia substantiarũ nomina, homo, equus, & reliqua, sincerè significant entitatem ipsam & quidditatem substantialẽ in se: quam tamen non hoc modo concipimus, sed cõcipimus per species alienas, scilicet accidentiũ: ergo perfectiùs & puriùs rẽ nominamus quam cognoscimus.

Respondetur ex D. Tho. 1. p. q. 13. art. 8. Nos ex accidentibus quidẽ & effectibus deducere notitiam, sed verè assequi notitiã aliquã & conceptũ ipsius substantiæ, & causæ in se: notitia tamen & conceptũ, non perfectum & exquisitũ, sed qualẽ possumus per alienas species coparare. Et sicut cognoscimus, ita etiã noiamus, & ita per illa noia imposita significamus.

Viatores non significant res Diuinas intuitiuè Beatis.

Objicies tertiò. Ex 4. concl. sequitur, posse viatores nomina imponere, seu impositis vti ad significandum clarè & intuitiuè Deum Beatis, qui supponuntur iam ex lumine gloriæ videre Deum. Hoc est absurdum, & contra secundam sententiã quæ est Theologorũ ferè cõmunis.

Respon. Verè non sumi solidam rationem ad negandum viatores posse clarè

significare Deū & res Diuinas Beatis, ex eo quòd ipsi viatores non habent intuitiuam Dei notitiam: quia licèt ipsi non habeant, possent eam excitare in mente audientium, qui ad eam habitualiter dispositi essent. Sed alia suppetit ratio, cur neque hoc modo excitando notitiam, possint viatores Deum clarè significare Beatis: quia cùm Beati semper & necessariò sint in actuali exercitio visionis Dei, non potest hæc clara visio ex nostris sermonibus in eorum mentibus excitari. Non dicuntur autem voces actualiter significare, nisi causent aliquo modo notitiam, seu actualem recogitationem obiecti, mentem excitando ad nouum actum, vt patet ex dictis sect. præced. Sed in vniuersum quomodo possit Deus nominibus significari, in quæstione decimatertia prima parte tractandum erit.

SECTIO SEPTIMA.

De Veritate & Falsitate Vocum: Et quomodo Voces Cognitionis directioni inseruiant.

Voces participāt veritatē & falsitatē cognitionis.

Sicut cognitio habet repræsentare obiectum, & vel verè vel falsò repræsentare; ita vox cognitionem exprimens, habet in sua significatione verè vel falsò significare. Sicut ergo vox eo significat, quòd ponitur loco conceptus mentalis; ita vere significat, cùm ponitur loco veri conceptus; falsò, cùm loco conceptus falsi. Tunc propositio est vera, cùm iudicium quod per eam exprimitur, verum est: tunc est falsa, quando iudicium est falsum. Hæc est vera propositio, homo est animal: hæc est falsa, homo est lapis; & sic de alijs omnibus.

Veritas et falsitas in vocibus est denominatio extrinseca.

Hinc explicandum est, quid sit veritas & falsitas in vocibus. Realiter enim veritas & falsitas non est aliquid intrinsecum in ipsis vocibus: sed tantùm est denominatio extrinseca proueniens à cognitione intellectus vera vel falsa, cuius loco vocalis sermo substituitur. Nam fundamentum veritatis & falsitatis in vocibus est vtique significatio: si quidem significatione seclusa non posset talis denominatio veritatis aut falsitatis in vocibus reperiri. Sed significatio formaliter, non est aliquid intrinsecum in vocibus; sed est denominatio extrinseca, vt iam ostensum est. Ergo veritas & falsitas in vocibus non potest esse aliqua forma intrinseca, sed tantùm erit denominatio extrinseca. Vnde vlteriùs, si vox de significatiua fieret non significatiua; vtpotè si homines amplius nollent tali voce in tali significatione vti: tunc vtique amitteret etiam veritatem aut falsitatem, quam antea habebat: & hoc totum fieret absque mutatione intrinseca ipsius vocis, sed per solas denominationes extrinsecas. Et similiter si è conuerso vox aliqua de non significatiua fieret significatiua, & sic propositio vocalis vera vel falsa: id totum fieret sine mutatione intrinseca vocis.

Quomodo hæc denominatio ex cognitione sumatur.

Posset autem hæc denominatio extrinseca veritatis & falsitatis in vocibus explicari per connotationem ipsarum rerum significatarum in se, stante certa significatione per humanam impositionem ex parte ipsarum vocum. Sed supposita veritate & falsitate cognitionis cuius loco substituuntur voces: optimè explicabitur hæc denominatio vocis ex ipsamet cognitione vera aut falsa dicendo, propositionē vocalem esse veram, quę substituitur loco iudicij veri; esse falsam, quæ substituitur loco iudicij falsi.

Cæterùm dupliciter fieri potest, vt aliquis in vocibus falsum dicat. Vel quia in mente sua habet falsam existimationē de re, & ita etiam falsum enunciat; putans tamen se verum asserere. Vel quia habens quidem in mente veram rei cognitionem; tamen exteriùs oppositum asserat, volens audientem fallere ac decipere: & hoc est propriè mentiri, vbi loquutio externa vocalis non consonat non est conformis cum conceptu mentis interno. Primo modo apparet manifestè, qualiter sermo vocalis denominetur falsus per falsam cognitionem mentalem, ex cuius virtute profertur. Secundo modo sermo vocalis dicetur falsus, nō quidem per illam cognitionem quæ de facto est in mente loquentis, quæ vera esse supponitur: sed per illam cognitionem cui talis sermo ex institutione sua correspondere deberet, & cuius loco debet ac solet substitui. Itaque in vniuersum, sermo vocalis verus est, qui ex

sua significatione denotat conceptum verum: falsus, qui è contra denotat conceptum falsum: siue talis conceptus de facto adsit, siue non adsit in mente loquentis.

Voces cognitionis directioni inseruiũt. Denique asserendum est, voces admodum deseruire ad cognitionis directionẽ in Logica, siue ad doctrinam directiuam in Logica tradendam: non solùm quia per voces aut ore prolatas, aut scripto consignatas, tradenda est doctrina logica, quod sanè commune est omnibus alijs scientijs & facultatibus. Sed specialiter quia pleraque de ipsis vocibus obiectiuè sumptis Logica tradit, vt faciliùs & commodiùs de ipsis mentis actibus, quibus voces correspondent, & quorũ loco substituuntur, intelligantur. Vnde non immeritò instrumenta directiua quæ à Logica assignantur, possunt ac solent verbaliter, prout consistunt in vocibus, vsurpari. Ac proinde voces dicentur suo modo instrumenta directionis logicæ, vt satis explicauimus quæst. 4. sect. 2.

QVÆSTIO SEPTIMA.

De Rebus omnibus intellectui proponẽdis per sequentem tractatum de Vniuersalibus ad directionem nostræ cognitionis.

Res omnes esse aliquo modo in Logica considerandas, adeò verum est, vt aliqui illas ipsas directè obiectum Logicæ constituerint. Sed nos dicimus, esse considerandas vt obiectum cognitionis per Logicam dirigendæ, & propter maximam opportunitatem & vtilitatem talis considerationis ad directionem nostræ cognitionis intentam. Hanc ergo tractationem nunc auspicamur. Quo tandem fiet, vt omnia illa quæ à quibusdam directè constituebantur obiectum; nempè instrumenta directiua, ens rationis, voces significatiuæ, & res cognoscibiles; per reductionem ad cognitionem dirigibilem, tanquam ad obiectum directè praefixum, considerata remaneant. Hoc ergo titulo rerum omnium duos tractatus sequentes; Primum Porphyr. qui vocatur de Vniuersalibus & Prædicabilibus; Secundùm Aristot. qui vocatur Prædicamentorum; ad logicam directionem nostræ cognitionis pertinere censemus. Quod de primo tractatu quæstione præsenti ostendemus: quam veluti procemialem ad ipsum tractatum duximus præmittendam; tùm vt ea quæ solent ab Expositoribus circa procemium Porphyr. complectamur; tùm ad reddendam penitùs rationem, qua hic tractatus ad Logicam pertineat, directioni cognitionis inseruiens; & ad videndum quàm apto ordine hoc loco ponatur.

SECTIO PRIMA.

Vtrum in Logica debuerit institui hic tractatus de Vniuersalibus.

Negarunt aliqui. Non defuerunt, qui dixerint, Porphyrij librum, atque hunc tractatum de Vniuersalibus & Prædicabilibus, non fuisse Logicæ necessarium, non oportuisse hoc loco institui. Imò Iandunus primo Physicorum quæstione quinta, non dubitauit asserere, malè introductam esse consuetudinem prælegendi librum hunc Porph. & tractatum vniuersalium ad initium Logicæ, vtpotè non necessarium: sed tamen, quia introducta est & inoleuit, esse seruandam. Auer. ipse in prologo magno Poster. dixit quoque, librum hunc non fuisse necessarium ad definitiones construendas, eademquè videtur ratio de alijs Logicæ instrumentis, ad quæ pariter Porph. in suo procemio hũc tractatum conducere iudicauit. Et quod maius est, Arist. vtique necessarium non

putauit huiusmodi tractatum, quem alioqui non prætermisisset. Ergo non debebat postea ad ipsius Logicam aggregari: & nimis ausus fuisse videbitur Platonicæ sectæ homo, qualis fuit Porphyr. quasi volens Aristotelis supplere defectum, hunc suum librum adijciens.

Instituendum esse Porphyr. & fuit, & tus consensus.

Dicendum tamen est, debuisse hoc loco in Logica institui, & iure optimo institutum esse. Tractatum de Vniuersalibus seu Prædicabilibus. Ita communiter Interpretes ad initium huius libri sentiunt, vel supponunt.

Propter Prædicamenta Aristot.

Probatur primò, ex auctoritate Porphyrij, qui in suo proœmio præfatus est, necessarium esse ad doctrinam prædicamentorum Arist. & vtile ad definitiones, diuisiones, demonstrationes, nosse quid sit genus, differentia, species, proprium, & accidens. Auctoritas autem Porphyrij hoc loco suscipitur, cuius liber pro textu est communiter acceptatus.

Secundò, ratione probatur, declarando magis hæc quæ Porphyr. docuit. Erat hic tractatus necessarius ad prædicamenta, quia hæc aliud non sunt nisi coordinationes horum quinq. prædicabilium. Incipiunt enim a summis generibus, quæ in species per differentias diuiduntur, vsque ad vltima indiuidua: & proprietates atq. accidentia annectuntur. Vnde in prædicamētis disponēdis & pertractādis, nihil magis quàm harum rerū mētio fit. Oportebat ergo propter prædicamenta hæc penitus explicare. Et quia hæc notitia ad omnia prædicamenta referenda erat, debebat potiùs ante præmitti, quàm inter ipsa prædicamenta cōfundi & permisceri. Si ergo prædicamenta ad Logicam pertinebant, vt postea ad ipsa accedentes videbimus, debebant etiam hæc vniuersalia seu prædicabilia in Logica contineri.

Et propter alia munia Logicæ.

Tertiò, non solùm propter prędicamēta, sed etiam propter singula instrumēta Logicæ. Propter definitiones: quia definitur species per genus & differentiam, describitur per proprium, & multa etiam communia accidentia simul sumpta. Ad diuisiones: quia in diuisionibus essentialibus diuiditur genus in species per differentias, in diuisionibus accidentalibus diuiditur subiectum per accidentia, vel propria vel cōmunia. Deniq. ad demonstrationes, in quibus medium est definitio vel differentia, demonstratur passio & proprietas de subiecto & sua specie: ad cæteras etiā argumentationes, in quibus vel accidentalia prędicata per essentialia comprobātur, vel è conuerso, vel mixtim essentialia & accidentalia inter se. Addit Boetius, ad propositiones & enunciationes ritè efformādas. Et Ammonius, ad resoluēdas res compositas vsque ad vltima & simplicia prædicata: & rursus ad cōponendas res ex ipsis simplicibus prædicatis. Ac præterea magis clarè in ordine ad directionem cognitionis intellectiuæ quam Logica intendit, sect. seq. hanc vtilitatem & necessitatem explicabimus.

Estquè dicēdus vtilis ac necessarius.

Quartò, an hic tractatus debeat dici tantùm vtilis vel necessarius ipsi Logicæ, quæstio potest esse de nomine. Et Porph. quidem vtroq. nomine vsus est. Vbi Conimbr. Tolet. & alij adnotarunt, pro eodem vtrunq. sumptum esse. Et facilè dici potest, esse appellandum, non solùm vtilem, sed etiam necessarium, eo modo & sensu quo ipsam Logicam necessariam dicebamus: videlicet sumēdo necessarium, non omninò simpliciter, sed saltem secundùm quid: quia nimirum licèt potuisset Logica tradi absque hoc distincto Vniuersalium tractatu: tamen non tàm commodè & ordinatè.

Explicatur Auer.

Hinc potest explicari dictum Auerr. hunc librum nō fuisse necessarium necessitate simpliciter ad definitiones cōstituēdas, aliaue instrumenta Logicæ. Vel dicere voluit, non fuisse necessarium hunc librū, quasi vltra Aristot. doctrinā: quia nimirum quæ in hoc libro colliguntur, saltem dispersa in varijs ipsius Philos. libris inueniuntur: ex quibus depromi poterant ad vsum Logicę. Sed non propterea negauit, percommodum fuisse hoc loco colligi & explicari.

Excusatur Arist.

Hinc etiā ad auctoritatem negatiuam Arist. dici potest. Cùm ipse sæpè in ipsis prædicamentis horum Vniuersalium faciat mentionem, solitum fuisse, dùm ipsa prædicamenta docebat, hæc pariter explanare: huncq. laborem relinquere maluisse sequentibus Magistris, vt vel inter, vel ante prædicamenta, de hac re discipulis satisfacerent. Sicquè factum est, vt Porphyrius, sicut narrat Ammonius initio huius libri, rogatus à Chrysaorio Patritio Roma-

Romano, qui alioqui prædicamenta Arist. ægrè poterat intelligere, vt viam ei aperiret ad illa intelligenda, libellum conscripserit, quem introductionem appellauit; quem & sequentes Logici, cùm sibi commodum experirentur, amplexi sunt. Non ergo iniuriosum Arist. fuit, hunc specialem tractatum eius Logicæ aggregari. Neque hoc solùm; sed alia etiam in Arist. Logica quæ extat, deesse fatemur, quæ nos supplere conamur.

Cæterùm Laertius in vita Arist. inter alios libros recenset de generibus & speciebus vnum, & de proprijs alterum: qui cum alijs non paucis exciderunt. Et nunc inter Logicæ libros quos ex Arist. habemus, in Topicis præsertim, multa de his Prædicabilibus continentur.

SECTIO SECVNDA.

Quo pacto hic tractatus conferat per se ad directionem cognitionis in communi proponendo res cognoscibiles intellectui.

Aliquorū sententia. NOn pauci significant, Tractatum hunc non per se & principaliter, sed tantùm velut per accidens ad Logicam pertinere, & ad finem Logicæ qui est directio nostræ cognitionis ordinari, videlicet quatenus confert ad intelligenda prædicamenta, quæ per se nostram cognitionem dirigere valent. Et quamuis Porphyrius ipse non tantùm ad prædicamenta, sed etiam ad singula instrumenta Logicæ, conferre dixerit. Tamen hoc etiā accipiunt per ordinem ad prædicamenta; quia ipsis instruimur definire, diuidere, demonstrare: ideò etiam ad hæc, prædicabilia prædicamentis mediantibus deseruire. Iuxta hoc Caiet. ad initium huius libri, & quidam alij dicunt, hunc librum non esse partem Logicæ: sed Logicam incipere a prædicamentis, & hunc librū tātùm esse dicendū viā ad primā partē Logicæ. Imo nomen quo inscribitur sonare idem videtur, Introductio.

Præterea idem Caiet. in Præfatione Prædicament. & S.Thom. initio Periher. & Poster. & alij dicunt, librum hunc Prædicabilium, cum libro Prædicamentorum, propriè institutum esse & deseruire ad directionem primæ operationis intellectus. Quod potest etiam suaderi. quia cùm Logica dirigat omnes tres operationes nostri intellectus; nullus alius proprius tractatus habetur ad directionem primæ: cùm extent libri proprij ad directionem aliarum. Libri videlicet de Interpetr. ad directionem secundæ, & libri Priores resolutorij cæteriquè sequentes ad directionem tertiæ operationis.

Dico tamen primò, Vniuersalia & Prædicabilia non solùm veluti per accidens propter prędicamēta, sed principaliter & per se deseruire ad directionē intellectiuę cognitionis, proponēdo intellectui res cognoscibiles: & hac præcipuè ratione in Logica tractari & considerari debere. *Hic tractatus, per se, & non solùm propter prædicamēta, dirigit nostram cognitionē.*

Probatur primò auctoritate Porph. qui apertè distinguit iuuamē huius libri ad intelligentiā prædicamentorum, & ad construendas definitiones, diuisiones, demonstrationes. Neq. hoc secundū retulit etiā ad primū, sed per se & principaliter apposuit. Alioqui si solū mediātibus prędicamentis hic liber ad alia instrumenta Logicæ iuuabat, nihil plus dicere debebat, quàm iuuare ad ipsa prædicamenta, & ex consequenti ad cætera ad quæ ipsa prædicamenta deseruiunt.

Secundò rōne probatur: quia planè notitia horū Vniuersaliū, non solū mediantibus prædicamētis, sed per se & immediatè valde deseruit ad definiēdū, diuidēdū, argumentandū. Sic enim sect. præced. satis perspicuè declaratū est. Et patet magis: quia etiā si non sequeretur liber prædicamentorum, adhuc per solū hunc tractatum prædicabilium maximè dirigeretur intellectus ad definiendum, &c in omnibus materijs, vtendo doctrina hic tradenda, de genere, differentia, &c.

Tertiò declaratur magis, qualiter tàm hic liber, quā liber prędicamētorū, vterq. per se & principaliter cōferat ad logicā directionē cognitionis intellectiuæ. Liber prædicamentorū confert, inquantum specialiter percurrēdo omnia rerū genera, species, differētias, &c. quandā omnīū rerū notitiā intellectui offert, vt subinde meliùs & faciliùs in alijs scientijs cuncta perdiscere possit. Ideò Logica distinctè intellectui proponit, v. g. in prædicamento substantiæ, quod sit genus summum, quæ species, videlicet substantiæ corporeæ & incorporeæ, & sic vsque ad indiuidua, & sic per alia *Et immediatè instruit intellectum ac iuuat ad rectè operandū.*

 prædi-

prædicamenta. Liber autem hic prædicabilium abstractè magis & in communi intellectui proponit, quid sit genus, quid species, &c. declarans illa quæ ad hæc quinque pertinent. Hoc autem per se valde iuuat & dirigit intellectum, vt suas operationes in cognoscendo ritè disponat. Ac etiam si non fuisset excogitatus liber Prædicamentorum, aut non fuisset hic in Logica insertus; adhuc per se & immediatè iuuabat ad dirigendum intellectum in sua cognitione. Et ita immediatè iuuat ad alias scientias perdiscendas, sicut ad ipsa prædicamenta iuuat. Vnde non nego, valde etiam ad ipsa prædicamenta conferre: imò speciali quadam ratione, quia habet maximam cum illis coniunctionem, & prædicamenta magis hac præuia introductione indigebant. Fateor etiam libenter, hunc librum, cum consortio libri prædicamentorum, multò magis intellectui conferre, quàm si solus sine illo esset. Sed contendo, per se etiam & principaliter propriam vtilitatem habere ad dirigendã intellectiuã cognitionẽ, propter quam præcipuè vtilitatẽ debuit hic tractatus in Logica institui.

Vnde est propriè pars Logicæ.

Quartò hinc sequitur, librum hunc esse propriè partem Logicæ appellandum: quia per se & intrinsecè ad Logicã pertinet, & in Logica includitur. Potiùs ergo hic liber, quàm liber prædicamentorum, debet prima pars Logicæ appellari; inter vulgatas videlicet & consuetas Logicæ partes. Quia alioqui nos in hac nostra Logica alias quæstiones ante hunc tractatum recto ordine censuimus præmittendas. Nec obstat, quòd inscribitur Introductio: est enim verè introductio ad ea quæ sequuntur. Sed non propterea desinit esse pars: quia se habet tanquam pars prior introducens ad alias sequentes.

Atque simul cum prædicamentis dirigit cognitionẽ in communi.

Dico secundò, tractatum hunc simul cum prædicamentis adæquatè deseruire ad directionem cognitionis intellectiuæ in communi, complectendo omnes tres operationes nostri intellectus: & non debere appropriari atque restringi ad directionem primæ operationis.

Probatur primò, auctoritate Porphyrij, qui cùm ex æquo dixerit hunc librũ conferre ad definitiones, diuisiones, demonstrationes; planè illum referre voluit, & conferre vidit, non solùm ad primã, sed ad oẽm cognitionẽ nostri intellectus, vsque ad tertiã, quæ in discursu consistit. Nã definitio & diuisio sunt instrumenta communia, vt suo loco diximus: demõstratio propriè pertinet ad tertiam operationẽ.

Idest omnes tres operationes nostri intellectus.

Secundò, facilè ratione probatur: quia in dirigenda cognitione intellectiua infimus gradus conuenit simplici apprehensioni: & multò magis conatur Logica iudicium, discursumq. dirigere: ergo iustum non erat, hos prolixos tractatus soli simplici apprehensioni adaptare, atq. restringere. Atq reuera hi tractatus plenè dirigunt intellectum, nõ solùm vt probè apprehendere discat: sed nõ minùs, imò potiùs magis, vt rectè iudicare, & discurrere sciat, quod vel ipsa nomina prædicabiliũ & prędicamẽtorũ indicant: & in omnibus tribus operationibus exercent & perficiunt intellectum. Et quatenus hi libri referuntur ad alias scientias pleniùs perdiscendas: certè per hanc rudẽ rerum omnium notitiam, quæ intellectui præbetur, vt dicebamus, nõ tantùm intendimus neque tantùm assequimur, vt intellectus in ijs rebus postea pleniùs inquirẽdis rectè apprehendat; sed potiùs vt verum à falso discernens, rectè iudicet affirmando & negando, probèquè discurrat.

Fateor tamen, quòd sicut simplex apprehensio est inter tres operationes exequutionis ordine prima: pariter hi tractatus priùs in exequutione dirigunt intellectum apprehendentem. Et hoc voluisse videntur illi qui hos tractatus primæ operationi specialiter deputabãt. Sed hoc non tollit, quo minùs communiter & adæquatè se extendant ad omnes, imò magis principaliter ordine intentionis ad alias duas operationes.

Ad rationẽ in contrariũ respondemus: quia simplex apprehensio minùs quã aliæ indigebat directione, sufficere potuisse pro illa tractatus communes directiuos cognitionis intellectiuę, quia vix quicquã aliud pro illa sola supererat. Sed tamen nos, quia volumus vt nihil ad hanc rem in hac Logica desit, post hos cões tractatus, speciatim de singulis, deq. ipsa prima operatione agemus. Imò Arist. in 1. Peri. aliquid ad directionẽ primę operationis specialiter tractare non omisit, vt ibi videbimus.

SECTIO

SECTIO TERTIA.

Quid in suo libro Porphyrius tractet: Et quid à nobis tractandum sit: Quoduè sit huius tractatus obiectum.

Hæc duo distinctè proponimus, scilicet de instituto Porphyrij, ac nostro: quia iam vsu & Auctorum industria factum est, vt alia & plura, quàm quæ Porphyrius in suo libro tractauit, hic soleant de vniuersalibus disputari, quæ etiam & nos tractare nō recusamus.

Porphyrius declarauit, quid tractare quid omittere vellet. In primis ergò Porphyrius ipse satis clarè in procemio prænarrauit, quæ tractare volebat, scilicet, quid sit genus, differentia, species, proprium, & accidens: simul monens, se tantùm velle faciliora de his breuiter explicare, & prætermittere altiores quasdam ac difficiliores quæstiones, maiori inquisitione indigentes: & ita deinceps exequutus est, agens priùs singillatim de quinque prædictis, & postea cap. vltimo colligens in quibus eadem quinque conueniant, & in quibus differant. Hęc sunt, quæ Porphyrius tractat.

Sed plura iam tractari solent. In celebrioribus autem scholis, & à præcipuis Auctoribus introductum est, vt præter, & ante hæc, agatur de vniuersalibus & prædicabilibus in communi, quod opportunum sanè visum est, priùs quàm de prædictis singulis ageretur: & quia id etiam magnoperè iuuabat, tùm ad prædicamenta Arist. tùm ad pleniorem directionem nostræ cognitionis. Atq. eædem ipsæ quæstiones, quas Porphyrius prosequi recusauit, & aliæ prætereà, iam hoc loco de vniuersalibus disputantur. Fateor autem, hanc tàm exactam tractationem vniuersalium, videri potuisse potiùs ad Metaphysicam pertinere: ad Logicam verò solummodò spectasse, breuem quandam & rudem harum rerum notitiam præbere, vt deinde in propria Metaphysicæ facultate de his rebus suo in loco pleniùs ageretur.

Nobisquè tractāda sunt. Verùm nos hoc loco de vniuersalibus & prædicabilibus, tàm in communi, quàm singillatim, exactè tractare proponimus: tùm vt præsenti vsui conformemur, propter quem hoc loco hanc tractationem desiderari scimus: tùm vt semel hunc tractatum expediamus, nè rursus ad easdem res tractandas redire cogamur. Tum prætereà speciali quodam titulo, & optimo iure, exacta vniuersalium tractatio dici potest ad Logicā pertinere. Hæc enim materia, ex toto, vel maxima ex parte, in intellectus negotiatione consistit, & in modo res cognoscendi: vt ex tractationis progressu patebit. Atq; adeo maximè facit ad directionem nostræ cognitionis, vt nempe videamus, qualiter per gradus vniuersalium res sese nobis offerant cognoscendas. Rationabilis ergo est vsus Logicæ de hac materia penitus & adæquatè tractandi.

Obiectum huius tractatus esse quinq; illas voces Genus speciē etc. dixerunt Auerr. & alij. Cæterùm cùm satis constare deberet, de quanam materia in hoc libro atque tractatu agatur: tamē quærendo, quod sit illius obiectum, illico diuersæ opiniones insurgunt. Et hoc discutere oportet, quia est apprimè necessarium ad rectam huius tractatus dispositionem. Auerr. Ammonius, & quidam alij ex antiquis, dicebant, obiectū huius libri esse illas quinque voces, Genus, Speciem, Differentiam, Proprium, & Accidens. Contra hoc alij communiter contendunt, non voces, sed res, pro obiecto assignari debere: quia non voces sunt obiectum adæquatum Logicæ: & quia Porphyrius planè de rebus significatis sub illis vocibus in suo lib. tractat. Item contendunt, non ita solutum in quinque partes, sed collectum in vnū aliquod cōmune ad prædicta quinque, obiectum assignari debere; neque aliud occurrit, nisi vniuersale aut prædicabile in communi, complectens dicta quinque.

Esse vniuersale in communi. Albert. & alij. Magis ergo communiter assignari solet vniuersale pro obiecto huius libri. Ita Albert. tract. 1. cap. 1. Scotus q. 7. & 8. vniuersalium §. ad primam q. Scotus q. 5. vniuer. Tolet. q. 1. ante cap. de Genere Anton. And. q. 1. vniuersal. Burleus in princip. prædical. Conimbr. in procemio q. 7. Masius sect. 5. de rebus vniuersis q. 3. Rubius q. 8. vniuers. & alij. Et nonnulli quidē ex his indifferenter assignant vniuersale, atque prædicabile; pro eodem vtrunque reputantes. Aliqui verò contendunt, vniuersale non autem prædicabile assignari debere. Tum quia in hoc libro

libro illa quinque considerantur, non solùm prout prædicari possunt, sed absolutè & adæquatè, prout vniuersalia sunt. Tùm quia prędicabilitas est passio vniuersalis. Ergo potiùs vniuersale quàm prędicabile, debet pro obiecto cõstitui.

Esse prædicabile in cõmuni, Paul. Venet. & alij.

E contra aliqui contendũt, potiùs prędicabile, quàm vniuersale assignari debere. Ita assignant Paulus Venet. Gratiadei, & quidam alij ad initium huius libri. quia prædicta quinque hic definiuntur & explicantur per prædicari, genus quod prædicatur in quid de pluribus differentibus specie, & sic alia explicantur. ergo.

Verùm ex dictis anteà in hac sect. distinguendum censeo: quia, vt dicebam, alia iã hoc loco ab alijs auctoribus pertractãtur, quæ à Porphyrio tractata non sunt: distinctè ergo censeo assignandum obiectum libri à Porphyrio conscriptis & obiectũ huius tractatus prout à nobis instituitur: si fortasse aliud sit obiectũ Porphyriani libelli, & aliud nostri tractatus.

Obiectũ libri prout à Porphyrio scripti, assignari possunt absolutè illa quinque, Genus species, &c.

De obiecto ergo libri prout à Porphyrio conscripti, non multùm aberrare videtur prima sentẽtia Auerr. & Ammonij: & magis à mente Porphyrij recesserunt, qui vniuersale seu prædicabile, huius libri assignare voluerunt obiectum.

Primò, quia Porphyrius non multùm plus in hoc libello facit, quàm nomina explicare, quid sit genus, species, &c. idest, quid hæc nomina significẽt, & qualiter accipi debeant & explicari. & hoc erat necessarium per modũ introductionis, quam ipse tradere voluit; & ideò abstinuit à difficilioribus, quęstionibus quę de rebus ipsis poterant pertractari.

Quia Porphyr. non in vnum collecta, sed solutè & singillatim illa tractauit

Secundò, Porphyrius non egit de illis quinque sub aliquo conceptu communi, neque de vniuersali aut prædicabili in communi tractauit: sed statim aggressus est, distinctè & solutè illa singula explicare. Ergo nõ oportet obiectum Porphyriani libelli, vnum aliquid assignari, sed potiùs solutè illa quinq. dici debent obiectum. Nam obiectũ libri nihil aliud est, quàm id de quo in libro tractatur: sed sic est quod in suo libro Porph. non egit de vniuersali aut prædicabili in communi; neq; de illis quinq. sub tali conceptu cõmuni; sed solũ distinctè de singulis: ergo.

Et non solùm quatenus vniuersalia sunt.

Tertiò, neq. etiam Porphyrius de illis quinq. egit propriè & præcisè quatenùs vniuersalia sũt. Nam vniuersale est quatenùs vnũ potest esse in multis. Sed Porphyrius non sub hac formalitate egit de illis quinque: neq. enim per hoc illa definiuit, & explicauit. Quinimò solùm genus, ac speciem, & differentiam, in quadã acceptione explicauit per ordinem ad plura, de quibus possunt prędicari: propriũ verò & accidens per se nõ explicauit in ordine ad plura; quod est de ratione vniuersalis: sed potiùs per ordinem ad subiectũ cui conuenĩt, vt in eius libro patet. Atq. speciem ipsam non minùs considerauit, prout generi subijcitur, sub quo respectu non est vniuersalis; quàm prout ad indiuidua refertur, & est species specialissima, vniuersale distinctum à genere. Et differentiam quoque alijs modis considerauit sine respectu ad plura; & ad illa comparatione quorum dici potest vniuersale.

Aut quatenus prædicabilia

Quartò, simpliciter, neque quatenùs prædicabilia sunt, propriè & præcisè de illis egit. Nam de proprio, & accidenti agens, nè meminit quidem prædicationis. De reliquis, non solũ quatenùs prædicantur, sed & secundùm alias formalitates egit. Si ergo illa quinq. considerari posũt non solũ quatenùs prædicantur, sed secũdùm alias formalitates, v.g. quatenùs constituunt, aut constituuntur, quatenùs insunt rebus, aliaue similes; & secundùm has etiam Porphyrius dicta quinque pariter explicauit: dici non debet præcisè prædicabile esse huius libri obiectum.

Sed absolutè & adequatè

Quintò ergo patet, intentum Porphyrij propriè fuisse tradere rudem aliquam notitiam illorum quinque; quatenùs deseruiebant ad prædicamẽta, ad definitiones, diuisiones, demõstrationes, & ad hũc finẽ cõsiderauit, siue rationem prædicationis, siue alias formalitates occurrentes, quatenùs opportunum iudicauit ad suum intentum. Hoc fuit ergo obiectum Porphyrij. Neque sanè oportebat huius rei altam discussionem facere: quãdo ipsemet libri auctor tã apertè præfatus est in suo procemio, quid & quatenus tractare volebat. Ideò puto Auerr. & alios, qui cum ipso loquuti sunt, vt aliquo cõmuni vocabulo illa quinque complecterentur; quia non putarunt dicendum hîc considerari quinque vniuersalia, seu quinq. prędicabilia, neç aliud vocabulum illis commune, & con-

conueniẽs occurrebat: dixisse, hic cõsiderari quinque illas voces, quasi dicerent quinque illos terminos, non negantes hic breuiter & ruditer explicari res significatas illis quinque vocibus. Si ergo sic illa sententia intelligatur: non solùm non à mente Porphyrij aberrauit, sed illam quam optimè attigisse videtur.

Obiectum tractatus à nobis instituendi, nec benè assignaretur vniuersale, aut praedicabile in communi

Deinde ex his colligendum videtur, nec etiam huius plenioris tractatus, prout iam institui consueuit, & à nobis conficiẽdus est, sufficienter assignari posse pro obiecto, vniuersale, aut praedicabile. Primò, vt diximus, non solũ secundùm has, sed secundùm alias etiam formalitates, illa quinque hoc loco considerantur, & vtique consideranda sunt: igitur diminutè illo modo assignaretur obiectum.

Secundò, non benè potest assignari vniuersale: quia fortasse non ita benè, sicut oportet vniuersale complectitur omnia illa quinque: nam non omnia illa videntur esse vniuersalia distincta, vt postea tractabimus.

Et quia etiam, differentia, proprium, & accidens, non sunt vniuersalia, quatenus referuntur ad sua immediata subiecta: sed ad summũ quatenus referri possũt ad alia inferiora, quae cõtinentur sub ipsis immediatè subiectis, & quae plura sũt. v. g. rationale, & risibile, nõ sunt vniuersalia, quatenus primò referũtur ad hominẽ cui immediatè cõueniũt: sed quatenus referri possũt ad homines indiuiduos, qui sub humana specie cõtinẽtur. Vniuersale enim nõ est, nisi prout refertur ad plura. Et tamen in hoc tractatu considerantur non solũ quatenus referuntur mediatè ad plura: sed magis & principalius quatenus ad suum subiectum immediatũ referuntur: imò vix parum aliquid de ijs dicitur, prout referuntur ad plura. quod totum in proprijs tractatibus planè constabit. Non benè ergo potest vniuersale assignari huius totius tractatus obiectum. Et ex hac parte meliùs assignaretur praedicabile, quia praedicabile dici potest, etiam per respectũ ad vnum de quo praedicetur. Et differentia v. g. est propriè praedicabile, tàm respectu sui subiecti immediati, quàm respectu inferiorum. nam rationale tàm benè & propriè praedicatur de homine, sicut de Petro & Paulo & caeteris singularibus. Sed nec etiã satis benè potest assignari praedicabile vt antea probatum est.

Quia magis amplè assignandum est.

Tertiò praeterea. Si hic consideratur vniuersale, in eundem tractatum cadere debet singulare: quia haec duo connexa sunt, & separari non possunt. atq. Porphyrius ipse, licèt nõ in distincto capitulo, tamen in cap. de specie agit de indiuiduo. Et non tantùm per accidens, & reductiuè ad vniuersale considerandum hic est singulare: sed ratio, quae facit vt hic per se de vniuersali tractetur, facere etiã debet vt pariter per se de singulari tractetur. Item si consideratur praedicabile, pariter considerari debet subijcibile: quia praedicatum sine subiecto stare non potest: & vtrumque principaliter attenditur.

Assignatur ergo, res omnes quatenus intellectui abstractè sub certis capitibus proponuntur.

Itaque resolutio huius rei petenda nobis est ex eo quod sect. praecedenti dicebamus: nempe Logicam per hunc tractatum, & alium secuturum de praedicamentis, dirigere nostram cognitionẽ, proponendo intellectui omnes res cognoscibiles, omnemq. rerum varietatem: vt instructior & promptior ad apprehendendum iudicandum & discurrendum de omnibus euadat. Et in praedicamentis quidem specialiter & distinctè res omnes percurrẽdo proponere. In hoc autem tractatu abstractè magis & in communi: scilicet certa quaedam capita designando, ad quae omnia reduci possunt, secundùm varias comparationes & habitudines: vel per modum superioris & inferioris, sicut se habent genus & species: vel per modum formae & subiecti, sicut se habet propriũ ad rem cui conuenit. Sicut ergo obiectum libri praedicamentorum non aliter constituendum est, nisi res omnes prout distinctè intellectui proponendae. ita videtur huius praesentis tractatus obiectũ non aliter designãdum, quam res omnes prout abstractè intellectui proponendae: certa quaedam capita constituendo, quae sunt illa, genus, species, &c. Et nihilominus potuit hic tractatus inscribi de vniuersalibus, seu praedicabilibus: sicut liber sequens de praedicamentis: quia à praecipua & notiori parte benè poterat denominatio sumi. Et sic etiam sequentes quaestiones sub ijsdem nominibus, vniuersalis, praedicabilis, generis, speciei, &c. ob maiorem commoditatem insignire sufficiet: simul tamen per singulas quaestiones de annexis agemus.

QUAE-

QVÆSTIO OCTAVA.

De Vniuersali in communi.

Explicatur nomẽ Vniuersalis.

VNiuersale ex vi nominis propriè dicitur, quod vnum cùm sit, versatur in multis: in se quidem vnum, commune tamen pluribus. Sic appellatur Ius commune & vniuersale, illud quod tradit benè viuendi præcepta hominibus communia: & Iudicium extremum in mundi fine futurum dicitur vniuersale, quia omnes homines iudiciali sententia complectetur. Propter hoc Vniuersalis nomen, varijs rebus, quæ varijs modis communitatem cum vnitate coniunctam habeant, tribuitur & applicatur.

Vnde in primis aliud assignatur vniuersale complexum, aliud incomplexum. Complexum est propositio quam dicimus vniuersalem, omnis homo est animal: de quo intelligendus est Arist. 1. Post. cap. 7. & 1. Met. cap. 1. cùm dicit, principia scientiarum esse vniuersalia, hoc est propositiones quasdam vniuersales; loquitur enim de principijs scientiarum complexis. Vniuersale incomplexum est res aliqua simplex, terminus incomplexus, substantia, quantitas. Rursus hoc vniuersale incomplexum, aliud est vniuersale in causando, quomodo dicitur causa vniuersalis, quæ plura causat: sic Deus est causa vniuersalis omnium creaturarum, Sol & Astra harum rerum inferiorum. Aliud est vniuersale in repræsentando, sicut verbi gratia, imago leonis repræsentat omnes leones, & cognitio quam intellectus habet de homine, repræsentat aliquo modo omnes homines. Aliud est vniuersale in significando, vt hoc nomen homo, animal, quod significat omnes homines, omnia animalia. Aliud denique est vniuersale in essendo, quod scilicet est in multis, sicut natura humana est in omnibus hominibus, natura animalis in omnibus animalibus. Quod dicitur etiam vniuersale in prædicando: quia id quod hoc modo est in multis, prædicatur quoque de illis. Sic homo prædicatur de omnibus hominibus, animal de animalibus.

Hic sumitur Vniuersale in essendo.

Vniuersale ergo præsentis nostri instituti, est vniuersale in essendo, quod absolutè loquendo sub vniuersalis nomine intelligitur: & dicitur vniuersale, ad differentiam singularis & indiuidui, qualis est hic homo Petrus, hic equus Bucephalus, qui non communicatur pluribus. Quia verò ad Logicam consequenter spectat agere etiam de vocibus, agemus etiam postea de vocibus vniuersalibus in significando in tractatu de vniuocis & æquiuocis. De vniuersali in causando hic non agimus, cuius tractatio est Philosophica, vel Theologica. De rerum cognitione quatenus potest esse vniuersalis in repræsentando, Philosophus quidem tractat, quatenus cognitio est imago & similitudo repræsentatiua obiecti. Modò verò iam egimus de cognitione in communi quatenus ad Logicam pertinebat, & hanc ipsam tractationem ordinamus ad dirigendam ipsam cognitionem.

SECTIO PRIMA.

Vtrum detur Vniuersale.

INter veteres Philosophos aliqui referuntur negasse vniuersale, quod dicimus in essendo. Ita de Eraclito, & Cratylo refert Arist. 4. Met. tex.22. & de Epicureis refert S. Tho. Opusc. 55. & de alijs refert Ammonius in Præfat. prædicab. & prædicam. Deinde illi Scholastici, qui dicti sunt Nominales, videntur etiam negasse vniuersale in essendo, & dixisse dari tantùm vniuersale in significando, idest nomen multa significans, & in repræsentando, idest conceptum formalem multa repræsentantem. Ita Ochamus prima parte Logicæ cap. 14. & in 1. dist. 2. per plures qq. & quodl. 3. q. 2. Greg. item in 1. dist. 3. Gabr. in 1. dist. 2. q. 8. & Buridana in princip. prædicab. & nuper Petrus Hurtad. disp. 5. Met. sect. 10. hanc Nominalium sententiam explicandam ac defendendam assumpsit: eamque

què tribuit S. Thomæ Opusc. 55. & 56. absolutè tamen loquendo concedit vniuersalia.

Datur vniuersale. Dicendum tamen omninò est cum communi & vera sententia, dari vniuersale in essendo. Est Aristot. qui loco citato reprehēdit eos Philosophos. Et primo Periherm capite quinto, ait, rerum alias esse vniuersales, alias singulares: & vniuersale explicat, quod in pluribus prædicari natum est. Item 1. Poster. text. 36. & alibi sæpè.

Probatur primò, datur verè natura communis quæ competit pluribus, & est in illis, & de eisdem prædicatur: huiusmodi autem natura est, quæ dici debet vniuersalis in essendo & prædicando: ergo verè datur vniuersale in essendo, de quo loquimur. Dari talem naturam patet, natura humana communis est & cōpetit Petro & Paulo, & omnibus & singulis hominibus: estquè in illis, quilibet enim habet humanitatem: prædicatur de illis; nam Petrus est homo, Paulus est homo, & sic de singulis. Et hoc etiam modo se habent aliæ rerum naturæ. Ergo naturæ rerum planè sunt hoc modo vniuersales.

Non solū in significando & repræsentando. Secundò, ex vniuersali quod concedunt Nominales in significando & repræsentando, infertur nostrum vniuersale in essendo Datur enim nomē plura significās: nō tamen tanquam penitus diuersa; sed potius vt in aliqua ratione communicantia & conuenientia. Nomen homo significat omnes homines, prout in communi humanitatis ratione conueniunt. Similiter datur conceptus plura repræsentans, videlicet conceptus hominis omnes homines, vtique quatenus in communi natura iunguntur. Datur ergo natura vniuersalis in essendo, quam & nomen significat, & conceptus repræsentat.

Sed maximè in essendo. Tertiò, cùm dicimus, Petrus est homo, Paulus est homo: vtique non est sensus, nec nostrum intentum; Petro & Paulo nomen tantùm hominis conuenire, essequè commune: sed maximè intendimus affirmare de vtroque rem significatam per nomen. Affirmamus Petrum esse hominem, esse animal rationale, & sic de alijs singulis. Neque nomen de nomine, sed rem de re medijs nominibus prædicamus. Ergo omninò datur natura communis significata per nomen commune, eamquè dicimus vniuersalem in essendo. Similiter non prædicamus vnum conceptum formalem de alio, idest vnum actum cognitionis de alio: quia sic falsum esset dicere, Petrus, siue actus quo concipitur Petrus, est actus quo concipitur homo. Insuper quando dicimus, homo est substantia, linea est quantitas, color est visibilis, & similia: non vtiq. hæc dicimus de nominibus, aut de actibus intellectus; sic enim falsò dicerentur: sed dicimus de rebus; & sic verissima sunt. Ergo dantur res ipsæ vniuersales, de quibus secundùm conceptus obiectiuos fiunt hæ prædicationes.

Estquè ad scientias necessarium. Quartò, idem probari solet à posteriori. quia si non daretur vniuersale; scientiæ quoque omnes tollendæ essent: cùm de singularibus quæ sola superessent, non possit dari scientia. Ablatis ergo vniuersalibus, omnes scientiæ pariter tollerentur. Saltem ergo propter ipsas scientias vniuersalia concedenda sunt. Hæc ratio sumitur ex Aristot. primo Posteriorum, præcipuè tex. 5. 11. & 33. Eaq. vtitur Sanctus Thomas Opusc. 55. & alij communiter. Neque verò possunt Nominales in solis nominibus scientias conseruare. Scientiæ enim non sunt de nominibus, sed de rebus: res non nomina definimus, rerum proprietates ex realibus essentijs demonstramus.

Diuerso modo datur in significādo & repræsentando, ac in essendo. Quintò demum, cùm dicimus verè dari vniuersale in essendo, non intelligimus quòd sit verè & realiter vnum, simulquè extendatur ad multa. Hoc enim repugnat, vt postea ostendemus. Quinimò in hoc sensu sumendo vniuersale, vera est sententia Nominalium, vniuersalia esse voces & conceptus formales. Vox enim est realiter vna, & communis multis: conceptus formalis est realiter vnus, & complectitur multa. Res autem ipsa significata per nomen, & repræsentata per conceptum formalem. v. g. natura humana, non est tali modo realiter vna. Vnde si Nominales in hoc solùm sensu loquuti sint, non errarunt de re. Intelligimus ergo vniuersale in essendo, quod sit aliquo modo vnum, si non realiter, saltem per rationem: cùm tamen quantùm ad naturam ipsam reale sit, vt deinceps explicandum erit. Et sic oportet omni-

omnino concedere vniuersalia in essendo. Nec etiam intelligimus, dari vniuersale quod sit a singularibus distinctum: neque nunc determinamus quonammodo á singularibus præscindatur. De his enim deinceps agemus.

Arist. negauit species sumptas pro Ideis Platonicis.

Incontrarium objicies primò. Arist. ipse 1. Post tex. 149. loquens de vniuersalibus inquit. *Species valeant, figmenta enim sunt: & si sunt, nihil ad sermonem sunt.* & quod dixit de speciebus, de omnibus vniuersalibus intellexit. Ergo secundùm Aristot. vniuersalia nihil sunt, & nihil valent.

Respondetur, mentem Arist. esse notissimam: per species ergo ibi non intellexit vniuersalia illa quæ ipse vbique concedit, sed formas & Idæas Platonicas, realiter separatas á rebus: de quibus meritò dixit non esse; & si essent, non ad scientias & demonstrationes deseruire, de qua re ibi agebat.

Dixit quedam prædicari secundū nomen; non negauit vniuersalia prædicari secūdùm rem.

Objicies 2. Idem Arist. in prędicam. substantiæ. ait, quædam prædicari tantùm secundùm nomen, non verò secūdùm rationem; cùm videlicet dicitur corpus est album: sed par ratio esse videtur de alijs omnibus prædicationibus: ergo sequitur, tantùm nomina prædicari, & esse vniuersalia, vtique in significando. Ibidem etiam post medium capitis ait, secundam substantiam significare quale aliquid: sed secunda substantia est substantia vniuersalis, significare competit nominibus: ergo substantia vniuersalis non est aliud, quam substantiæ nomen.

Respondetur. Arist. ibi apertè docet, quædam prædicari non tantùm secundùm nomen, sed maximè secundùm rationem, videlicet hominem de Petro, animal de homine: & ita se habere omnia genera & species. Prædicari autem tantùm secundùm nomen & non secundùm rationem, ibi intellexit prædicari accidentaliter, ad differentiam prædicationis essentialis; sic dicitur corpus album. Nec negare voluit ipsam etiam rem significatam nomine albi prædicari de subiecto, tamen accidentaliter. Deinde non solùm de secunda substantia, sed etiam de prima dixit, significare hoc aliquid: prima autem substantia est singularis, & non est vtique nudum nomen. Aut ergo ibi accepit ipsa nomina significantia, dicendo significare substantiam quoad rem, vel in vniuersali vel in singulari. Aut significare accepit pro esse: quasi diceret, prima substantia est hoc aliquid &c. sicut in communi etiam modo loquendi dicere solemus, homo significat animal rationale, Petrus significat hunc hominem, aliaq. similia.

Porphyr. non dixit vniuersalia vel esse separata à singularibus vel esse mera opera intellectus.

Objicies 3. Porphyrius in procem. ait, quæstionem esse de vniuersalibus, an subsistat vel in solis nudis intellectibus posita sint: supponens inter hæc duo non dari medium. Sed vniuersalia non subsistunt, idest, non per se existunt à rebus separata: ergo in solis intellectibus existunt: ergo vel sunt tantùm conceptus formales qui subiectiuè sūt in intellectu; vel sunt tantùm obiectiuè in intellectu, & sunt mera entia rationis.

Respondetur, Porphyrium non supponere inter ea duo non dari medium Nam rursus ait, quæstionem esse, num vniuersalia sint separata, vel in sensibilibus idest singularibus posita. Possunt ergo naturæ vniuersales existere realiter in rebus, idest in ipsis singularibus. Deinde sensus esse potest, an subsistant vel sint in solis intellectibus, idest, an realiter vel tantùm per intellectum sint á singularibus separata. & sic concedendum est, separationem á singularibus esse tantùm per intellectum, natura tamen quæ præscinditur sit realis. Vel aliter, an sint in solis intellectibus, idest sint mera opera intellectus vel subsistant, idest sint entia realia. Et in hoc sensu subsistunt quantùm ad naturam, idest sunt entia realia.

Prædicationes de vniuersalibus exercentur inter res.

Objicies quartò. Quando intellectus prædicat, & affirmat vel negat, vtiq. coniungit vel separat extrema: sed non potest coniungere vel separare res ipsas, sed tantùm suos conceptus formales: ergo inter ipsos exercentur prædicationes, nec oportet dari vniuersalia ex parte rerum.

Respondetur, intellectum coniungere & separare res ipsas, obiectiuè tamen & in cognoscendo, idest iudicando extrema esse coniuncta vel separata. Inter ipsas ergo res exercentur prædicationes, & oportet dari vniuersalia ex parte rerum.

Vnitas, & communitas benè

Objicies quintò. Implicare videtur illa duo, vnitas & communitas in essendo. Nam hæc communitas est multiplicatio: multi-

in vniuersali inueniuntur. multitudo autem opponitur vnitati. Vnū est indiuisum in se: commune est diuisum in multa. Hęc autem duo planè repugnant. Ergo implicat vniuersale.

Respondetur, implicare, illud quod est commune multis in essendo, esse vnum vnitate reali & indiuiduali; non tamen aliqua alia vnitate, quæ dicetur vnitas vniuersalis, estq. compossibilis cum multiplicatione reali. Item repugnat, quod est realiter indiuisum, esse realiter diuisum in plura non tamen si sit tantùm formaliter indiuisum, seu per abstractionem intellectus, vt postea videbimus.

Omne quod est, est singulare: & tamen datur vniuersale. Objicies sextò. Quicquid est, est singulare: ergo nullum datur vniuersale. Assumptum patet, quia nulla res potest existere, nisi in singulari hic & nunc, quæ demonstrari & signari possit, quæ fiat per actionem suæ causæ.

Respondetur, per hoc tantùm probari, non dari vniuersale separatum realiter à singularibus. quod nos ipsi mox ostendemus. Sed non probari, quo minus in ipsis singularibus sit natura realis, quæ per operationem intellectus fiat vniuersalis.

His demum & alijs difficultatibus quæ congeri possunt contra vniuersale, iam disputando & explicando quomodo detur vniuersale, plenissimè satisfiet.

SECTIO SECVNDA.

Vtrum Vniuersale detur à parte rei à singularibus separatum.

AD pleniùs inspiciendum qualiter vniuersale in essendo verè sit & detur? necesse est inquirere & explorare quo pacto detur, an realiter à parte rei, vel tantùm in mente. Et quia rursus à parte rei dupliciter potest dubitari, an detur vniuersale: primò an à singularibus auulsum ac separatum: secundò an in singularibus inclusum atq. contentum. Modò primum quærimus (quod inter quæstiones quas Porphyrius commemorauit, vt ab earum discussione se propter nimiam difficultatem excusaret, tertio loco recensuit) *an vniuersalia, separata sint, vel in sensibilibus posita & circa hæc consistentia.* Neque verò hæc quæstio nunc difficilis est, vt hic tractari non debeat: quinimo de re ipsa nullam, solùm de mente Platonis non modicam difficultatem habet, quippe qui in hac re indignam tanto viro sententiam visus est excogitasse & tradidisse.

Plato posuit Ideas vniuersales separatas. Celebris ergo & peruulgata satis est sententia quæ Platoni tribuitur, vniuersalia esse naturas quasdam à singularibus separatas, per se existentes, ingenerabiles, materiæ expertes, omnibus indiuiduis communes, eisquè suum esse tribuentes, quas Plato vocauit Idæas. Ita daretur homo, v.g. seu humanitas in communi, de qua omnes homines singulares participent; equus siue equinitas, de qua omnes equi; & sic de alijs singulis speciebus. Atque de his vniuersalibus, non verò de rebus sensibilibus quæ mutabiles sunt, dari scientias, fieriq. definitiones ac demonstrationes.

Præcipuus testis de hac Platonis sententia habetur Aristot. qui sæpissimè in suis libris, Platonis idæas refert & insectatur acerrimè: vt de nulla alia re frequentiùs & vehementiùs in suis operibus inueniatur esse loquutus. Et præsertim primo Methaphys. & libro septimo & 13. & primo Ethic. cap. sexto, ex professo refert & impugnat Platonis idæas. & expresè refert, idæas in sententia Platonis esse vniuersalia. ita primo Methaphysicorum tex. sexto, & libro 13. summ. 2. cap. primo, & sum. tertia cap. quarto. expresè etiam illas vocauit species, primo Post. tex. 149. quando eas valere iussit. Hinc ex Arist. testimonio hæc apud Peripateticos opinio promanauit, Platonem posuisse vniuersalia à singularibus separata, vniuersalia in essendo de quibus nunc loquimur. Imo aliqui addidere, Platonem posuisse hæc vniuersalia in loco quodam sublimi & remoto, fortasse in concauo cælorum supra elementorum sphæras.

Platonem multi explicant. Ex alia parte, hæc sententia adeo falsa & absurda omnibus visa est; vt multis incredibile etiam visum sit, Platonem in talem errorem labi potuisse. Sed dicunt, Platonem tantùm posuisse idæas rerum omnium in mente Dei, quæ reuera concedendæ sunt; nihilquè in his idæis errasse. Et quidem non solùm

solùm ij qui Platonicam doctrinam professi sunt, sed multi etiam ex Peripateticis, magis pro Platone quàm pro Aristotele in hac re stare voluerunt. Et præsertim pro Platone pugnat August. Eugubinus libro primo de Perenni Philosophia capit. 10. Sebastianus Foxius libro primo de Philosophia naturali cap. 6. & latissimè Gabr. Buratellus in sua Conciliat. Controuersiarum Aristot. & Plat. integro libro primo,& Iacobus Carpentarius in sua Digress. super cap.8. Alcin. Imò aliqui vlterius progressi, inuidiam huius rei in Aristot. declinarunt: dicentes,eum vel non intellexisse, vel malignè interpretatum esse Platonem, vt liberiùs impugnaret. Ita Vasq. prima parte disp. 71. numero primo. Modestiùs loquutus est Fonseca 7. Metaphysicorum capit. 8. quæst. 2. sect. 1. Platonem defendens, & Aristot. non accusans, dicens, eum consultò impugnasse illam sententiam, quæ in verbis non in mente Platonis erat.

In hac quæstione enitendum nobis est, non solùm rei veritatem statuere & confirmare; sed etiam ita Plat. & Aristot. explicare, aliosquè etiam graues Auctores qui vni vel alteri adhæserunt: vt nec Platonem præsenti resolutioni aduersarium habeamus, nec Aristot. inscientiæ aut malitiæ accusemus, & aliorum etiam dicta quoad fieri possit conciliemus.

Vniuersale non datur realiter à singularibus separatū.

Dico ergo primò quantùm ad rei veritatem attinet. Vniuersalia in essendo non sunt, nec dantur a singularibus realiter separata. Est res certa in doctrina Aristot. & in omnium sententia.

Probatur primò. Vniuersale in essendo quod nos quærimus, est illud quod est in multis, idest in suis singularibus: ergo non est separatum ab illis. Insuper est natura & essentia rerum, quæ vtique non potest esse separata ab ipsis rebus. Prædicatur de ipsis rebus, quæ prædicatio requirit coniunctionem, cui separatio repugnat. Ergo impossibile prorsus esset, vniuersale in essendo esse separatum a rebus.

Secundò. Quicquid assignetur realiter separatum ab his & illis singularibus, iā erit in se ipso singulare quoddam ens, ab alijs realiter distinctum, & in se ipso existens,sicut est Petrus,Paulus,& quilibet in se existens. Et ita si daretur Idæa illa hominis separata, esset quoddam ens singulare in se existens: & solùm dici posset vniuersalis in causando, si ab illa omnes homines deriuari dicantur. Nō ergo vniuersale in essendo potest poni à singularibus separatum.

Ad nihil deseruiret si daretur.

Tertiò. Non potest assignari, vbinam manerēt naturæ illæ vniuersales a singularibus separatæ: Non enim esset maior ratio de vno quam de alio loco. Neque quonam modo ad ea concurrerent. Neq; quomodo singularia de sua natura separata participarent. Neque ad quid prorsus talis natura separata deseruiat. Cùm tamen totum quod oportet, optimè assignetur penès naturam coniunctam & in ipsis singularibus inclusam.

Quartò. Specialiter non iuuant ideæ illæ, seu naturæ separatæ, ad scientias, ad definitiones & demonstrationes construendas. Nam scientiæ dantur vtique de rebus nobis notis, de naturis inclusis in ipsis rebus. Et omnes Philosophorum sectæ quæ tales ideas non agnoscebant, adhuc discurrebant de rebus ipsis, & in illamet secta, quæ dedit ideas, discurrebatur adhuc de ipsis rebus in se. Et quæ in scientiis philosophicis tàm speculatiuis quàm practicis solent edoceri, non quidem de ideis illis, de quibus nè cogitatur quidem in tradendis ipsis scientijs; sed de rebus in se traduntur. Et cùm nunc quærimus quid sit homo, & definimus est animal rationale, & demonstramus hominem esse risibilem; non vtique de homine & humanitate realiter separata cogitamus; sed tantùm de hominibus nobis notis, & sicut nos sumus. Et Plato ponebat ideas tantùm substantiarum, cùm tamen etiam de accidentibus detur sciētia & fiant definitiones. Alia plura argumenta solet congerere contra ideas Aristot. plura etiam excogitari possunt. Sed in re tam clara hæc sufficiant, Vnde probatum manet, non solùm de facto nō dari, sed etiam de potentia absoluta Dei non posse dari vniuersale in essendo a singularibus separatum. Et iterum de hac re loquemur quæstione sequenti sectione prima.

Plato posuit ideas tanquam causas

Dico secundò. quantùm attinet ad mentem Platonis, Platonem non posuisse vniuersalia in essendo separata à rebus, de quibus nos nunc loquimur: sed tantùm

exemplares rerũ. tantùm posuisse ideas vniuersales in causando, in genere scilicet causæ exemplaris: posuisse tamen illas distinctas, tum à rebus ipsis quarum sunt ideæ, tum ab Essentia Diuina; ita vt esset homo seu humanitas quædam separata, & sic de alijs speciebus, ad quarum similitudinem efficerentur res sensibiles, & de quibus ideis darentur scientiæ, fierentque definitiones & demonstrationes, quæ dantur.

Et primò quidem, Platonem posuisse ideas tanquam exemplaria rerum, est res satis perspicua in Dialogis ipsius Platonis. Et præterea probatur testimonio grauissimorum Auctorum, qui sic intellexerunt Platonis ideas. Diuus Augustinus libro 83. Quæstionum quæstione 46. libro septimo de Ciuitate Dei capite vigesimooctauo, & libro duodecimo capite vigesimosexto. Seneca epistola 59. & 66. Clemens Alexandrinus libro tertio Stromatum, non multùm ante finem, & libro quarto non multùm post principium. Eusebius Cæsarien. libro 11. de Præparatione Euangelica cap. 11. & 12. Plutarchus libro primo de Placitis capite 10. Cicero libro primo Tuscul. qq. Marsilius Ficinus in comment. super D. Dionys. de Diuinis nominibus. Et alij.

Insuper Alcinous cap. 8. de Doctrina Platonis, accuratè referens Platonis sententiam de ideis, ait Platonem voluisse, Ideam esse vnum ex principijs, vt ad eius exemplum res efformatæ sint; quemadmodum si opus aliquod ab artifice fiat, cuius exemplar præsupponi debet. Atque si externum nullum sit, vnusquisque tamen artifex in se illud conceptum gerens, eius formam exprimit: & infra ait, Ideas esse Dei notiones æternas, & in seipsis perfectas. Ex ipso denique Platone lib. 6. de Repub. hæc verba refert Carpentarius vbi supra. *Quem intelligimus peritum Hyppia? non ne qui eius rei quam facturus est, certam rationem & speciem habet. Annulum igitur illum tuum num effecisses, si & sculpendi rationem, & annuli speciem non habuisses? Putas rerum opificem maximum certa ratione ageret quemadmodum in te erat species annuli, erant similiter in eo species hominis & equi. Habebit igitur is rerum quas facit omnium in se species.* Fatendum ergo est, Platonem posuisse suas ideas tanquã causas exemplares rerum.

Secundò deinde efficaciter ostẽdi potest, Platonem posuisse tales ideas eo modo quo in conclusione dicebamus: nõ solùm ex testimonio Aristotelis, qui propterea illas impugnauit, vt dicemus conclusione sequenti: sed & aliorum grauissimorum Auctorum, etiam eorundem, qui modò in ipsius fauorem allegati sunt. Seneca epist. 66. *Hæc exemplaria*, inquit, *rerum omnium Deus intra se habet, plenus his figuris est, quas Plato ideas appellat, immortales, immutabiles, infatigabiles. Itaque homines quidem pereunt, ipsa autem humanitas, ad quam homo effingitur, permanet, & hominibus laborantibus illa nil patitur.* Eusebius Cæsarienſ. cap. 11. cit. hæc verba refert ex Didimo Platonico, in lib. de Placentibus Platoni: *Determinata sensibilium exemplaria, ideas appellat Plato, ex quibus scientiam & definitiones fieri censet. Præter enim omnes homines hominem quendam intelligi, & præter equos omnes equum, & communiter præter animalia animal, nec generabile nec corruptibile: vt quemadmodum ab vno sigillo multa signantur, sic à singulis sensibilium idais multa formentur. Est autem idea, perpetua substantia, causa & principium vt singularia talia sint qualis ipsa est.* Hic autem Didimus creditur esse Alcinous. Et quidem hæc ipsa verba habẽtur in Alcinoo. Clemens Alexand. libro quinto Stromatum, referens sententiam Platonis, ait: *Vnum mundum nouit barbara Philosophia, qui percipitur intelligentia; alterum verò sensibilem. Illum quidem Archetypum, hunc verò imaginẽ eius qui dicitur exẽplar.*

Posuit tamẽ illas, tanquam naturas quasdam distinctas tũ ab essentia Diuina, tum à creaturis.

Præter hos sic ideas Platonis referunt, & apertè impugnant, Ambrosius libro quarto de Fide capite tertio, & libro primo Examer. cap. 1. Cyrillus libro secundo contra Iulianum, non multùm ante finem. Vbi etiam Platonem inconstantiæ notans, sic ait: *Ideas, interdum esse & subsistere per se, affirmat Plato, aliquando autem eas cogitationes Dei definit.* Et addit: *Quomodo autem res se habeat, nec à discipulis ipsius sermonem capi posse, dicunt etiam artifices.* Tertull. libro de Anima cap. decimo octauo, Ideas Platonicas intelligit substantias quasdam inuisi-

inuisibiles, incorporales, supermundiales, diuinas, & æternas. In eisquè relucere semina Gnosticorum, & Valentinianorum. (Hæ fuerunt quædam absurdissimæ hæreticorum sectæ.) Idem dixit Irenæus libro 2. aduersus Hæreses cap. 19. & contra tales ideas disseruerat latè capite sexto. Elias Cretensis in orationem 10. Nazianzeni & Iacobus Billius in orationem 33. nume. 31. dicunt, Platonem excogitasse ideas tanquam vniuersalem hominem, vniuersalem bouem, vniuersalem equum, easquè posuisse extra Deum, & ipse Nazianzenus ideas refellit. Iustinus Mart. oratione parenetica ad Gentes ait, Platonem ex libris Moys. malè intellectis posuisse suas ideas separatas, quandam videlicet antiquiorem speciem separatam ab istis, easquè posuisse creatas à Deo. Quod idem expressè testatur Clem. vbi supra, subdens: *Constituit cælum non aspectabile, & terram sanctam, & lucem quæ percipitur intelligentia. In principio, inquit, fecit Deus cælum & terram, terra autem erat inuisibilis: & inde subiungit fiat lux. In ortu autem mundi sensibilis, cælum fabricatur solidum, terram spectabilem, & lucem quæ videtur.* Bessarion Card. libro 2. contra Calumn. Platonis capite 5. refert, Platonem voluisse, ideas & formas exemplares esse productas à Deo. Philo Iudæus in libro de Mundi opificio ait: cùm dictum est faciamus hominem ad imaginem, &c. intelligi non sensibilem vt nos sumus, sed idealem & intelligibilem. Demum ipse Augustinus libro primo Retract. capite tertio sic ait: *Displicet mihi, quòd duos mundos, vnum sensibilem, alium intelligibilem, non ex Platonis vel Platonicorum sententia, sed ex me sic commendaui, tanquam hos etiam Dominus significare voluerit.* Quamuis adhuc conetur in bono sensu interpetrari Plat.

Non verò posuit tanquàm vniuersalia in essendo.

Tertiò, ex his Plat. non posuisse ideas tanquam vniuersalia in essendo, (de quo vniuersali nos nunc loquimur) probatur etiam apertè: quia in tota doctrina Platonis id nequaquam habetur: sed expressè habetur, ideas esse tantùm formas exeplares, atque adeò causas extrinsecas rerum sensibiliũ, quæ res vtiq. haberent in se ipsis proprias essentias & naturas, quas nos modò facimus vniuersales in essendo? Et expressè in Timeo dixit, Ideam esse speciem quæ semper eadem sit sine ortu & interitu, quæ nec in se accipiat quicquam, nec ipsa procedat ad aliud quidpiam, & ad solam intelligentiam pertinere. Et post ipsa ait esse aliud quod cum ipsa non ratione, sed nomine conuenit, eiusquè similitudinem gerit. Ex quo planè colligitur, ideam de mente Platonis non esse vniuersale illud in essendo, de quo agimus.

Atque ita Simplic. libro 1. de Anima com. 6?. vltra ideas separatas vniuersales, ait esse vniuersalia in prædicando, existentia in ipsis singularibus. Et Ammonius in præfatione Prædicabil. diuidit vniuersale, in illud quod est ante multa, quod est in multis, & quod est post multa. Quam diuisionem alijs nominibus alijs tradunt, vniuersale metaphysicum, physicum, & logicum. Ante multa, sunt vniuersalia exemplaria: in multis, quæ habent esse materiale in re: post multa, quæ habent esse abstractum in anima. Sic etiam Eustratius primo Ethicorum capite 6. & Albertus primo Ethicorum tractatu 1. cap. 13. idem ex Platone ipso refert. Solam tamen tertiã vniuersalitatem agnoscit Aristoteles primo de Anima textu 8. cùm ait, vniuersale, aut nihil est, aut posteriùs est: quia scilicet natura non est actu vniuersalis, nisi cùm opere intellectus abstrahitur à rebus.

Arist. fideliter retulit ideas Platonis.

Dico tertiò, quod attinet ad Aristotelem, Aristot. fideliter retulisse & meritò impugnasse Platonis sententiam. Hanc conclusionem omnes Peripatetici defendere debent: nisi ipsi velint tanquam desertores Aristotelis aut etiam impostores accusari.

Et primò quidem non est credibile, Aristot. per viginti annos Platonis discipulum, aut magistri sententiam ignorasse, aut dolosè interpetratum esse. Tum quia idem Aristot. 9. Ethicorum cap. 2. protestatus est, Philosophiæ magistris, sicut & Dijs, ac parentibus, non posse honorem æquiparabilem exhiberi. Tum quia in specie disputaturus contra ideas, 1. Ethicorum cap. 6. protestatus est, se velut inuitum, & sola veritate coactum, talem disputationem aggredi. *Arduam, inquit, hanc quæstionẽ nobis futuram videos*

propte-

propterea quòd amici sunt qui formas introduxerunt. Sed forsan rectius est, & oportere videretur, vt pro veritatis salute vnusquisque, & præsertim Philosophi, sua quoq. propria refutarent. Nam licèt amici ambo sint, sanctum est veritatem ipsis in honore antepenere. Tum præterea, quomodo poterat audere Aristoteles, viuentibus adhuc alijs Platonis discipulis, eiusquè libris extantibus, alienam ab eius mente sententiam illi imponere? an non statim coram argueretur, & tam impudentis imposturæ & mendacij notaretur? Credendum ergo est, Aristot. fideliter Platonis retulisse sententiam.

In eodem sensu prædicto.

Secundò. Si inspiciamus Aristotelis relationem de Idæis platonicis, perspicuè apparebit, non in alio, quàm in prædicto à nobis sensu, accepisse Platonis idæas. Nam illas ex professo refert, quando agit de communibus rerum principijs dicens: Platonem illas posuisse tanquam rerum principia. Expressè etiam intellexit & declarauit, idęas esse formas exemplares rerum, & sic eas impugnauit primo Metaph. text. 32. & alibi. Et tex 6. dixerat, Plat. posuisse idæas, vt earum participatione cætera fierent, dicens, idē esse apud Plat. participationem, quod apud Pytagor. imitationem, solo nomine mutato. Argumenta quoque quæ Arist. congerit contra idæas, non tendunt ad probandum illas non esse vniuersalia in essendo separata, sed ad probandum absolutè non dari, non esse necessarias nec vtiles.

Fateor tamen, Arist. solere interdum interrogare qualiter idææ se habeant, & plures modos afferre, & singulos impugnare. Vbi inter alia probat, idæas non esse rerum substantias, cùm separatæ sint, primo Metaph. tex. 33. Idquè fecit. tum quia Plato obscurè loquutus erat. Tum quia Platonici varijs modis illas explicare solebant: quos ex parte referunt Picus Mirandul. lib. 6. de Examine vanitatis doctr. gentium cap. 15. & Sueff. 1. de Anima. tex. 8. imo Simplic. & Ammon. referunt, Xenocratē & alios Platonis discipulos intellexisse ideas realiter separatas & per se existentes. Vnde fieri potuit, vt Ar. quædam de idæis referret & impugnaret, quæ non oĩa ab ipso Plat. sed ab alijs sequacibus addita fuerant.

Fateor etiam, Arist. Idæas vocasse vniuersalia, & substantias vniuersales, ac species. Sed vniuersalia intellexit in causando, in genere scilicet causæ exemplaris, vt ex ipsius discursu planè constat. Et species vocauit, quia hoc speciei nomen frequentissimè sumitur pro forma, siue imagine, vt testatur Porphyr. cap. de Specie. Et ita explicat S. Thom. 1. par. quæst. 6. art. 4. species pro idæis.

Et meritò impugnauit.

Tertiò sequitur, Arist. meritò impugnasse tales Platonis idæas. Non enim in vniuersum tollere voluit causam idæalem, quam apertè constituit 7. Metaph. 23. & alibi. Neque Deo denegare prorsus idæas: vt colligitur ex 1. Metaph. cap. 2. & lib. 12. tex. 39. & alibi. Sed tantùm idæas illas separatas & distinctas tàm ab essentia Diuina quàm à creaturis ipsis. Vnde Euseb. Cæsar. lib. 15. de Prępar. Euang. cap. 44. ait: *Socrates & Plato idaas seiunctas à materia, substantias existimant in sensis visisquè Dei: Ar. species quidem & ideas reliquit, sed neutiquam à materia disiunctas*. Idæas autem illas eo modo positas, Arist. meritò impugnauit, quia verè non dantur. Non enim indiget Deus illis imaginibus & exemplaribus, suntquè mera spectra & figmenta. Atque Idææ Diuinæ tantùm consistunt, vel in ipsamet Essentia Diuina repræsentante creaturas, vel in ipsis creaturis obiectiuè cognitis. Meritò etiam impugnauit Arist. quod Plato dicebat, propter suas illas idæas dari scientias ac definitiones: quia ad id nec necessariæ nec vtiles esse poterant.

D. Augustinus autem recepit & commendauit Platonis Idæas, solùm quantùm ad hoc quòd dentur idææ in mente Diuina diuinorũ operum directrices: nō tamen examinare curauit, quomodo Plato eas posuisset. Sed ipse recto sensu iuxta suam sententiam determinauit idæas.

Sine idæis dantur scientiæ de rebus.

Sed contra primam conclusionem ad probandum vniuersalia dari à singularibus separata. Objicies, primò fundamentum Platonis. Scientiæ sunt de rebus incorruptibilibus, quia sunt perpetuæ & immutabiles: sed sunt de vniuersalibus: ergo vniuersalia sunt incorruptibilia. Sed omnia quæ sunt in singularibus, pereūt his pereuntibus: vt enim ait Arist. in Prædicam. substantiæ: ablatis primis

substantijs nihil aliorum remanere potest. Ergo vniuersalia debent esse à singularibus separata.

Respondetur, scientias esse de rerum essentijs, & versari circa veritates essentiales, quæ sunt de prædicatis essentialibus rerum. Propositiones autem essentiales sunt æternæ & immutabilis veritatis, vt homo est animal, animal est substãtia: quoniam à tẽpore & ab actuali existentia absoluuntur. Vnde quamuis res corrumpantur, imo etiam si nunquam existerent, tales propositiones semper sunt veræ. Et de his constans immutabilisquè scientia datur, remotis idæarum figmentis; quas qui dari existimat vt scientias habeat, non in scientia, sed in errore manet.

Sine ideis res à suis similibus producuntur.

Obijcies secundò, aliud fundamentum Plat. Omne producitur à suo simili, homo ab homine, ignis ab igne: sed multa non videntur à simili produci; generatur enim ignis ex ferro & lapide, rana ex pluuia & puluere: ergo dantur idææ, rebus similes, earumquè effectrices.

Respondetur. Omne productur à simili: quod sit simile, vel formaliter, vel virtualiter. Simile virtualiter est illud quod in virtute continet effectum, idest habet virtutem ad producendum illum, quamuis sit in suo esse illi formaliter dissimile, & hæc dicitur causa æquiuoca: non ergo oportet ponere idæas quæ sint formaliter rebus ipsis similes.

Sine ideis vniuersalia à singularibus separantur.

Obijcies tertiò. Si vniuersalia non sũt realiter à singularibus separata: ergo falsò concipiuntur separari: ergo non dantur vniuersalia, nisi in falsa conceptione intellectus; quod est dicere, non verè dari vniuersalia.

Respondetur. Si intellectus iudicaret vniuersalia esse realiter à singularibus separata, vtique falsò conciperet. Sed si solùm concipiat naturam, non concipiendo illam vt existentem in singularibus, non falsò concipit; quia concipit vnum, & non concipit aliud, non tamen affirmat, vnum esse realiter sine alio. Et hæc est abstractio, de qua dicitur, abstrahentium non esse mendacium. Et hæc separatio, idest abstractio, vniuersali sufficit.

SECTIO TERTIA.

Vtrum Vniuersale detur à parte rei in singularibus inclusum: Vel sit tantùm in mente factum ab intellectu.

Alia opinio excogitari potest, vniuersale esse omninò realiter in rebus, non tamen separatum iuxta Platonis idæas: sed inclusum in ipsis singularibus. Ita quòd vna realiter sit natura in ipsis singularibus, v.g. vna & eadem humanitas in Petro & Paulo, alijsquè singulis hominibus, vna & eadem animalitas omnium animalium, & sic de cæteris: eo pacto quo nos fide nouimus, vnam & eandem indiuisam naturam Diuinam esse in tribus personis inter se realiter condistinctis. Hanc fuisse Plat. sententiam, arbitratus est Aureol. in 2. distinct. 9. q. 2. ar. 1. dicens, Platonem posuisse vniuersale separatum à rebus, non quidem separatione locali atque distantia, sed separatione distinctionis realis, ita vt esset vnum realiter, in singularibus quidem existẽs, sed ab ijs re ipsa distinctum.

Alia rursus sententia est, vniuersale esse quidem realiter in rebus, & in ipsis singularibus inclusum; non tamen habere perfectam vnitatem à parte rei, qualis est vnitas naturæ Diuinæ existẽtis in tribus personis: sed habere minorẽ quandã vnitatẽ. Ita vt reuera sit distincta realiter & numericè humanitas quæ est in Petro, & quæ in Paulo, & sic de omnibus: habeat tamen quandam conuenientiam in ratione formali humanitatis: & hæc sit quædam vnitas à parte rei. Sic etiam natura dicat à parte rei aptitudinem existendi in multis. Hæc sententia solet tribui Scoto, & à quibusdam Scotistis defenditur, & ex parte à Fonseca 5. Metaph. cap. 28. q. 5. Verùm Scotus in 2. dist. 3. q. 1. vbi hac de re tractat, licèt tribuat naturæ à parte rei aliquam vnitatem quam vocat minorem vnitate numerali, aliquam etiã aptitudinem negatiuam ad essendum in multis: tamen apertè declarat, id non sufficere ad rationem vniuersalis: atque adeò cum communi sententia fatetur, vniuersale non esse verè & propriè à parte rei.

Ex op-

Ex opposito extrema sententia esse potest, vniuersale penitùs non esse à parte rei, totumque esse solùm in mente factum ab intellectu, & nihil ipsius esse in rebus; sed quicquid ipsius est, esse per meram operationem & industriam rationis: sicut in prima quæstione, quam commemorat Porphyrius in proœmio, an Vniuersalia subsistant, vel in solis nudis intellectibus posita sint.

Vniuersale, quoad naturam est à parte rei: quoad vniuersalitatem in mente.

Communis & vera sententia docet, naturam quę est vniuersalis, esse verè realem, & existere à parte rei in suis singularibus: vniuersalitatem autem ipsius naturæ non esse realem, non esse à parte rei, sed esse in mente, fieriquè per intellectum. Et ita absolutè loquendo, Vniuersale formaliter non dari à parte rei, sed esse obiectiuè in mente. Ita ferè omnes docent. Sanctus Thomas Opusc. 55. & 56. referens Boetium dicentem, Vniuersale est, dum intelligitur; singulare, dum sentitur. Et prima parte quæstione 85. articulo primo. Et primæ secundæ quæstione 29. articulo 6. Et alibi sæpè ait, Vniuersalitatem esse ab intellectu. Sic etiam Auerroes primo de Anima Comment. 8. ait, Intellectus est qui facit vniuersalitatem in rebus. Et 12. Metaphysicorum Commen. 4. Vniuersalia sunt collecta ex particularibus in intellectu, qui accipit inter ea consimilitudinem, & facit ea vnam intentionem. Themist. secundo Posteriorum capite 35. Vniuersale est opus mentis, & ab ea effingitur. Philoponus primo Posteriorum cap. 20. Vniuersale in sola intelligentia esse habet. Albertus magnus tertio de Anima tractatu 2. cap. 3. Vniuersale, vt vniuersale, non est in re. & primo de Intellect. & Intelligibil. tract. 2. capite 1. Vniuersale non est in rebus, nec in sensu, sed in intellectu. Item Ammon. primo Posteriorum cap 8. & libro 2. capite vltimo. Dexip. libro primo in Prædic. cap. 24. Auicenna quinto Metaphysicæ capite primo. Alex. 7. Metaphysicæ textu 46. Dur. in 1. distinct. 3. quæstione 5. & in 2. dist. 3. quæstione 7. Aegidius in prolog. quæstione 2. & in 1. distinct. 19. quæst. 2. Caietanus de Ente & Essentia capite 6. & 7. Soncin. septimo Metaphysicæ quæstione 40. Iauell. octauo Metaphysicæ quæstione 13. & tractatu de Prædicabil. capite primo. Sotus quæstione 2. Vniuersal. Toletus quæstione tertia. Suar. disput. 6. Metaphysic. sect. 2. 4. & 5. Et cæteri communiter. Idemquè satis expresè docuit Aristoteles, qui ideò primo de Anima tex. 8. dixit, vniuersale aut nihil esse, aut posterius esse; posterius scilicet quia fit per abstractionem à singularibus opere intellectus.

Et quia dicebamus, naturam quidem esse à parte rei, vniuersalitatem autem fieri per intellectum: ideò communiter dici solet, vniuersale fundamentaliter esse à parte rei, formaliter esse in mente; quoniam scilicet natura quæ est à parte rei, est fundamentum vniuersalitatis, ipsa autē vniuersalitas est tanquam forma. Item, vniuersale in potentia & aptitudine esse à parte rei, actu uerò non nisi in mente: quia natura potens est & apta vt fiat vniuersalis, actu autem fit vniuersalis ab intellectu.

Ad probandam hanc veritatem, oportet ex vna parte ostendere, naturam esse realem, dariquè in rebus; ex altera parte vniuersalitatem non esse realem, fieriquè ab intellectu. Cumquè vniuersalitas dicat & vnitatem naturæ in se, & aptitudinem existendi in multis; oportet de vtraque id examinare distinctè: ideo iam in sequentibus de his omnibus sigillatim agemus: & quod dictum est, perspicuè demonstrabimus. Dummodo priùs quid sit vniuersale videamus, & per hæc quæ modò diximus constitui ostendamus.

Benè uniuersale à singulari diuiditur.

Nunc obijcies primò ad probandum vniuersale debere esse totaliter à parte rei. Arist. 1. Periherm. cap. 5. diuidens omnes res, ait, alias esse vniuersales, alias singulares. Quæ diuisio bona non esset, si omnia quæ sunt à parte rei, atque adeò omnes res, essent penitus singulares, & non etiam dentur vniuersalia à parte rei, idest res vniuersales.

Respondetur, Aristotelem noluisse docere, aliqua esse realiter vniuersalia à parte rei, neque voluisse tradere diuisionem, quasi de duplici statu, vtroque reali rerum; sed tantùm docuisse, res vel esse singulares vel vniuersales. Ita quidem, quòd à parte rei sint singulares; non sint autem vniuersales, nisi per operationem intellectus.

Licèt singulare sit à parte rei, non propterea vniuersale.

Obijcies secundò. Singulare est penitus à parte rei, non solùm quoad naturam, sed etiam quoad ipsam singularitatem: ergo similiter vniuersale non solùm quoad naturam, sed etiam quoad vniuersalitatem, est à parte rei, & est vniuersale à parte rei. Sequela probatur, quia vniuersale & singulare vel se habent tanquam opposita & contraria: contrariorum autem eadem est ratio. Vel se habēt tanquam correlatiua: correlatiua autem simul sunt.

Resp. negando illā sequelā: & ad probationem dicendo: siue hæc duo sumantur tanquam opposita; non semper & in omnibus, contrariorum esse eandem rationem, imò potius contrariorum sunt oppositæ rationes essentiales. Sic certè maximè opponuntur ens reale & rationis: atque hanc oppositionem habent singulare & vniuersale formaliter sumptum. Siue sumantur tanquam relatiua: non semper esse relationem realem mutuam ex parte vtriusque extremi; imò sæpè relatio est realis ex parte vnius, & rationis ex parte alterius: & hæc correlatiua dicentur esse simul; vel fundamentaliter; vel formaliter, sed diuerso modo, scilicet aut realiter aut per rationem. Demum etiam ipsum singulare si formaliter relatiuè sumatur, dicit relationem rationis, non verò realem ad suum vniuersale, vt quæstione sequenti dicemus.

Vniuersale fundamentaliter datur necessariò à parte rei, formaliter est contingenter per intellectum.

Obijcies tertiò. Si vniuersale non datur adæquatè secundùm totum suum esse a parte rei: ergo tantùm datur, tunc quando fit ab intellectu: ergo malè dicebamus absolutè loquendo dari vniuersale, quasi semper & necessariò daretur.

Respondetur, illud debere intelligi in sensu accomodato; nimirùm fundamentaliter quidem & in potentia, vniuersale semper ac necessariò dari: formaliter verò & actu, cùm fit ab intellectu: vt satis explicatum est.

Quæ naturæ conueniũt, rectè de vniuersali dicuntur.

Obijcies quartò. Multa de vniuersali dicuntur, quæ verificari non possunt de aliquo ente rationis, & dici videntur de vniuersali formaliter sumpto, videlicet vniuersale est intrinsecè in singularibus, est de essentia eorum, illaquè constituit de vniuersali datur scientia, & alia similia, quæ planè non conueniunt enti rationis, & frustra dicerentur de ipso vniuersali, nisi dicantur de vniuersali formaliter sumpto.

Respondetur, hæc omnia dici de ipsa natura, quæ recipit intentionem vniuersalitatis: ipsa enim natura est in singularibus, &c. Non immeritò autem dicuntur de ipso vniuersali: quia illa quæ naturæ conueniunt, possunt affirmari de ipso vniuersali: & quia vniuersalitas se habet tanquam ratio aut conditio, vt intellectus referat naturam ad singularia, & de illa formet propositiones scientificas.

SECTIO QVARTA.

Quid sit Vniuersale: Quàm benè definiatur Aliquid vnum aptum esse in multis.

Vniuersale definitur ex Aristot. 1. Poster. cap. 10. text. 31. & 7. Metaphysic. tex. 45. *Aliquid vnum aptum inesse multis*. Et paulò aliter 1. Periherm. capite quinto: *Quod aptum est prædicari de pluribus.*

Vniuersale est aliquid.

Primò, dicitur aliquid. Per quam particulam denotatur, Vniuersale debere esse aliquid positiuum. Vnde dixit Aristoteles quarto Topicorum in fine: Non ens non esse genus, quia non entis nullæ sunt species, & 1. de Part. anim. cap. 3. Priuationis nulla est differentia, non enim fieri potest vt detur species non entis. Non tamen ex his est negandum, etiam inter non entia, & negationes ipsas, formari posse conceptus communes & particulares ad instar vniuersalium & singularium. Nam negatio est communis huic & illi negationi. Sed propriè vniuersale sumitur pro ente aliquo positiuo, siue pro natura positiua quæ dicetur vniuersalis.

Vnum.

Secundò, dicitur vnum. Quam particulam licèt Aristot. non expresserit omnibus locis: tamen expressit 1. Poster. vbi addit: *Oportet aliquod vnum & idem in pluribus esse, & non æquiuocè*. In alijs verò locis satis significauit, dum dixit aliquid, & quod aptum est. Expedit tamen vt expressè ponatur ad maiorem explicatio-

cationem. Vnitas ergo est omninò de ratione ipsius vniuersalis: quoniam dici non potest quidquam commune multis, quod in se non se habeat, vt aliquatenus vnum. Si enim sunt merè multa in multis, nullum est quod sit commune multis: vt ergo detur vniuersale, oportet esse aliquid vnum quod sit commune pluribus.

Aptū inesse multis, prædicari de multis.

Tertiò, dicitur aptum inesse multis, vel prædicari de multis. Habet enim vniuersale, & vt sit in multis, & vt prædicetur de ijs. Natura humana, v.g. & est realiter in Petro & Paulo, & ab intellectu prædicatur de ijs. Prius autem est, vniuersale esse in multis, quam de illis prædicari: ideò enim forma prædicatur de subiecto, quia est in illo. Vnde ex his duabus rationibus, prima est essētialiter cōstitutiua ipsius vniuersalis, secunda, quæ est prædicabilitas, se habet vt passio & proprietas consequens essentiam. Hinc ait Albert. tractatu secundo Prædicab. cap. 1. Priorem definitionem esse per causam, posteriorem per effectum. Meliùs dicemus, priorem esse definitionem essentialem, posteriorem esse descriptionem accidentalem. Ideoquè primam secundæ cum communi Doctorum arbitrio iure præferimus. Potest etiam vniuersale explicari per modum actus essendi in multis: dicendo, vnum quod est in multis, sumendo actum essendi essentialiter, vt postea explicabimus.

Necesse est ut vniuersale possit reuera esse in multis.

Quartò, hinc infertur, esse prorsus necessarium ad verum & proprium vniuersale, in re fundatum; vt natura vniuersalis possit esse verè & realiter in multis, siue vt possibilia sint multa, quæ in tali natura conueniant. Caietanus tamen hic in Log. cap. de Spe. & in tractatu de Ente & Essentia cap. 4 & 1. par. quæst. 13. artic. 9. §. aduerte, asserit, etiam naturam quæ re ipsa multiplicari non potest in pluribus, esse vniuersalem: quia etiam in tali natura potest intellectus concipere aptitudinem essendi in multis. Adhærent. Ferrar. 2. contra Gent. cap. 63. §. ad secundam. Iauell. 12. Metaph. quæst. 14. qui licèt concedant esse possibiles per Dei potentiam plures Angelos in vna specie: tamen dicunt ad vniuersale sufficere, si natura intelligatur in multis, licèt, sit de se ita singularis, vt ei repugnet à parte rei esse in multis. Eandem sententiam defendit Sanc. tom. 1. Logicæ quæst. 56. Fauet Sanctus Thomas eodem loco 1. par. dicens, naturam specificam posse esse communem, vel secundùm rem, vel tantùm secundùm rationē. Et videtur id sequi ex eo quod docet Sāctus Thomas, & Thomistæ defendunt, Angelos inter se differre specie, naturam tamen specificam cuiusque Angeli non posse multiplicari in pluribus indiuiduis eiusdem speciei.

Sed omninò dici debet requiri dicta multiplicabilitas naturæ. Hæc est enim communis sententia; omnesquè supponunt, naturam vniuersalem vel debere esse actu in multis, vel saltem posse esse in multis. Hoc ipsum docere voluit Sanctus Thomas ibi, qui naturam communem tantùm secundùm rationem dixit illam, quæ non actu existat; sed tamen possit existere in multis. Et probatur apertè. tum ex Aristotele 4. Topicorum cap. 3. & 7. Metaphysicorum tex. 45. dicente, vniuersale natura aptum esse vt sit in multis: quod vtique dici non potest de re, cui ex sua natura repugnet multiplicatio. Sed patet ad vniuersale requiri, vt natura verè & non per meram fictionem intellectus possit esse in multis. Tum a posteriori, quia alioqui sequeretur, etiam naturam diuinam esse vniuersalem: quoniam licèt reuera non possit esse diuisa in plures Deos, posset talis cogitari ab intellectu. Imò singulare ipsum in indiuiduo sumptum posset esse vniuersale, quia etiam illi posset intellectus affingere talem aptitudinem. Sicut de facto Caiet. per hoc voluit defendere, naturam Angeli realiter inmultiplicabilem esse vniuersalem. Hæc autem sunt absurda, & contra omnium loquendi ac sentiendi modum. Tum demum à priori ex definitione ipsa vniuersalis, quia in hoc sensu debet intelligi, aptum inesse multis, aptum scilicet inesse per veram & realem inexistentiam. Item aptum prædicari de multis, prædicatione vera affirmante naturam prædicabilem de illis quibus verè conueniat. Atque ita, licèt aptitudo essēdi in multis formaliter sumpta sit relatio rationis, vt postea dicemus: tamen debet habere fundamentum in re

& in ipsa natura. Ideóquè dixi, vniuersale verum ac proprium fundatum in re, quia de hoc loqui oportet, quamuis alioqui possit intellectus per meram fictionem debitum ordinem perturbare. Sicut etiam posset tribuere, v. g. naturæ humanæ intentionem generis, naturæ animalis intentionem speciei. Neque propterea quisquam absolutè loquendo dixerit, hominem esse vniuersale genus, animal esse vniuersale speciem. Qualiter verò intelligi possit, singulos Angelos inter se differre specie, non vtique specie vniuersali & prædicabili, sed alio modo sumendo speciem, dicemus in propria quæstione de specie.

Satis est, per quacunq. potentiam posse esse in multis.

Quintò, ex alia parte infertur, ad vniuersale sufficere, vt naturæ ipsi non repugnet esse in multis, per quamcunque potentiam possibilia sint ipsa multa. Nonnulli quidem significant, ad vniuersale requiri, vt actu existat in multis: quod specialiter affirmant de genere respectu specierum. Alij autem volunt, saltem requiri, vt per potentiam naturalem, idest causarum naturalium, sint possibilia multa, per ordinem ad quæ dicatur vniuersale, & non sufficere si sint possibilia per solam Dei potentiam absolutam. Probant. Tum ex eodem loco Arist. vniuersale natura aptum est esse in multis. Tum ex definitione vniuersalis: non enim dicitur cui non repugnat, sed quod aptum est esse in multis: ergo non sufficit non repugnantia, sed requiritur potentia positiua naturalis. Tum quia non possunt a nobis cum fundamento cognosci multa, nisi vel actu sint, vel saltem naturaliter possibilia. Neque Philosophi inquirunt aut considerant quæ per solam Dei potentiam absolutam possibilia sunt: ergo non potest à nobis cum fundamento fieri vel cogitari vniuersale, nisi quod vel actu existit, vel naturaliter potest existere in multis.

Asserendum tamen est, id non requiri. Ita communior sententia docet. Et propterea distingui solet duplex potentia essendi; vna quæ dicitur physica, & est potentia causarum naturalium; altera quæ dicitur logica; & sumitur pro natura ipsa rei possibilis, vel pro non repugnantia ad essendum, vt saltem ab ipso Deo res fieri possit. Et docere solent, non requiri ad vniuersale potentiam physicã; sed sufficere potentiam logicam. Et patet quia vniuersale non definitur, quod actu existit in multis, neque quod naturaliter, siue per potentiam causarum naturalium, potest existere in multis; sed absolutè quod aptum est esse in multis. Quod verificatur optimè de omni natura participabili a pluribus, etiam si hæc per solam Dei potentiam absolutã existere possint. Item vniuersale describitur, quod aptum est prædicari de multis: sed potest ipsa prædicatio actualiter exerceri de omnibus rebus merè possibilibus, seclusa omni existentia actuali, & omni potentia naturali; nam propositiones naturales sunt simpliciter necessariæ, & dicuntur esse æternæ & immutabilis veritatis. Ergo verè saluatur vniuersale & prædicabile. Et plura adhuc ad excludendam necessitatem existentiæ actualis, dicemus infra sect. 12. & in speciali de genere respectu specierum, quæstione 10.

Ad probationes verò oppositæ sententiæ dicendum est, ex verbis Arist. tantùm colligi, naturam ipsam vniuersalè debere esse aptam esse in multis. Nam omnis res possibilis, vtique essentialiter secundùm naturam suam talis est, vt sit possibilis. Non ergo requiritur vt detur causa naturalis potens efficere ipsam rem. Ex definitione etiam vniuersalis tantùm habetur, naturam debere esse aptam ex parte sua, siue hæc aptitudo explicetur per non repugnantiam, siue positiuè, vt postea tractabimus: nec requiritur vt aptitudo intelligatur physicè ex parte causæ naturalis. Demum ex cognitione nostra tantùm habetur, ex defectu quidem nostro non posse fieri seu cognosci cum fundamento vniuersale, quando nobis non constat naturam posse esse in multis: sed vtcunque id constare poterit, satis erit ad hoc vt cum fundamento fiat vniuersale. Constare autem id potest, non solùm ex potentia causarum naturalium, sed etiam ex alijs medijs cognoscendi, ex quibus sæpè etiam Philosophi ipsi disputãt num aliquæ res sint possibiles, vel implicent contradictionem, & de multis affirmant esse possibiles.

Num omnes natura, quæ pos-

Sextò, rursus discutiendum est, num omne id quod dicto modo potest esse in pluribus sit vniuersale, vel aliqua alia condi-

sunt esse in multis, sint vniuersales. condicio requiratur. Aliqui enim excludũt illa omnia quæ per se in prædicamẽtis non collocantur, & ad vniuersale requiruntur poni directè in prædicamento. Propter quod non solùm excludunt prædicata transcendẽtalia quæ sunt super ipsa prædicamenta, videlicet ens, res, accidens in cõi, & similia. Sed etiam naturas incõplexas & partiales, vt materiã, formam, & similes, quæ non directè per se, sed tantũ per reductionẽ ad totũ, in prædicamento ponuntur: itẽque naturas substantiales in abstracto sumptas, quia prædicamentũ substantiæ coordinatur in naturis concretis & completis. Ita Albert. tract. 2 Prædicab. cap. 3. Soncin. 7. Met. q. 39. Caiet cap. de Specie. Tolet. q. de Specie ad 3. Et quidam alij. Fauetque S. Thomas in 3. distinct. 6. quæstione 1. artic. 1. Opusc. 48. tractatu 1. cap. 2. Et de Ente & Essentia cap. 3. & 4. Imò Porphyrius ipse capite vlt. vbi assignans discrimen inter speciem & differentiam, ait, nõ posse plures species componere vnum totum, sicut possunt plures differentiæ. Atque Arist. 1. Metaph. tex. 37. *E multis numeris*, inquit, *vnus numerus fit: ex speciebus verò quomodo species vna?* Et 4. Met. text. 6. & lib. 1 Ethic cap. 6. dixit, ens vnum & bonum non esse vniuersalia. Eadem ratione aliqui excludunt concreta accidentalia: & volunt, non esse vniuersale, nisi quod est vnum per se & non per aggregationem. Ita Caiet. cap. 7. de Ente & Essent. Villalpand. in cap. de Genere, & quidam alij. Alij è contra contendunt, non requiri has conditiones ad vniuersale; sed omne illud quod aptum est inesse pluribus modo dicto, esse vniuersale.

Vniuersale, si amplè sumatur, complectitur omnes naturas cõmunes. Hæc tamen controuersia magna ex parte est de nomine, in modo scilicet accipiendi nomen ipsius vniuersalis. Vnde dicendum est, vniuersale posse accipi dupliciter, vel in tota sua amplitudine, vel solùm pro illis quæ directè in prædicamento ponuntur, quod dici poterit vniuersale prædicamentale. Primo modo omnia prædicata dici debent vniuersalia. Patet, tum quia Aristoteles 3. Metaphysicæ tex. 10. de ipsomet ente dixit, esse maximè vniuersale. Tum quia vniuersale potest accipi, vt adæquatè contradistinctum à singulari: sed prædicta omnia in communi sumpta, non sunt singularia: ergo dici debent vniuersalia. Tum quia vniuersale passim sumi solet non pro ijs solis quæ directè in prædicamento ponuntur. Nam differentiæ non ponuntur in recto; sed à latere, & proprium & accidens quatenus talia sunt, reductiuè ponuntur in prædicamẽtis suorũ subiectorum: & tamen differentia proprium & accidens inter vniuersalia numerantur. Tum demum ita in omnibus prædictis inuenitur intentio vniuersalitatis, sicut in rebus totalibus & completis. V. g. Anima vniuersaliter se habet ad vegetatiuam sensitiuam & rationalem, rationalis ad hanc & illam animam, caput ad hoc & illud caput, humanitas ad hanc & illam humanitatem, coloratum ad album & nigrum, & sic de alijs. Ergo.

Vniuersale prædicamentale, solùm illas quæ in prædicamẽtis directè ponuntur. Secundo modo verum est, plus requiri ad vniuersale prędicamentale. Quia scilicet non omnia quæ sunt pluribus cõmunia, ponuntur directè in prædicamentis. Quæ autem conditiones ad hoc requirãtur, & quænam sint illa quæ directè in prædicamentis ponuntur, non est huius loci examinare, sed ad ipsa prædicamẽta spectat. Esse autem admittendã hanc acceptionẽ vniuersalis, patet ex auctoritate eorũ qui sic acceperunt: & præcipuè moti videntur, quia cùm hic tractatus sit specialiter institutus propter prędicamẽta, sumere voluerunt vniuersale specialiter pro ijs quæ directè in prædicamentis ponũtur, & quod diuiditur in illa genera & species, per quæ recta linea prædicamentalis contexitur. Vnde hæc limitatio specialiter pertinet ad vniuersale sumptum pro genere & specie: quia hæc solùm directè in prædicamẽto ponuntur. Et iuxta hoc debet intelligi Porph. & Arist. Vel Arist. & Porph. tãtùm dicere voluerunt, ex duabus speciebus non componi vnum compositione metaphysica, quæ scilicet cõpositio fit ex genere & differentia: non aũt negarũt, posse cõponi vnũ cõpositione physica, sicut componitur corpus substãtiale ex materia & forma: & sic de alijs. Et S. Tho solũ voluit, naturas partiales & incõpletas non esse vniuersalia respectu naturarũ totaliũ & cõpletarũ, v. g. materia & forma non sunt vniuersalia respectu cõpositi. Nõ aũt negauit, materiã esse

esse vniuersale respectu huius & illius materiæ, formam respectu formarum. Cæterùm nos in hoc tractatu potius agimus de vniuersali in tota sua latitudine, non restringendo ad vniuersale solùm prædicamentale: quia & doctrina est communis omni vniuersali;& de vniuersali agimus, non tantùm propter prædicamenta, sed maximè propter se, vt sub distinctione vniuersalis & singularis omnia entia complectamur.

Vniuersale solùm dicitur in rebus & naturis creatis.

Septimò, adhuc videndum superest, num vniuersale solùm dicatur in rebus creatis, an etiam in Diuinis. Et quidem difficultas non est de ipsa Essentia diuina vnica in tribus personis, quæ certè non est vniuersalis, quoniam non est vna essentia in multis essentijs, non est in multis per sui diuisionē & multiplicationē: sed difficultas est de conceptu personæ, qui cōmunis est tribus personis; de conceptu relationis, qui communis est relationibus diuinis distinctis. Dur. in 1. dist. 25 q. 2. concedit hos conceptus esse vniuersales. Negat S. Tho. in 1. d. 19. q. 4. ar. 2. & 1. par. q. 30. ar. 4. & hic est magis receptus loquendi modus. De hac autem re pleniùs agendum erit proprio loco de Trinitate. Modò satis est dicere, si nomen vniuersalis amplè sumatur pro omni conceptu communi, sic illos conceptus esse communes. S. Tho. autem dixit, vniuersale propriè esse, quod ita diuiditur in plura, vt illa in quæ diuiditur non habeant vnum esse vnamquè essentiam communem. At omnes tres Personę diuinæ habēt vnam indiuisam essentiam, & omnes relationes Diuinæ, licèt inter se distinctæ, identificatur cum eadem singulari essentia. Sumendo ergo vniuersale in hoc secundo sensu, non reperitur nisi in rebus creatis.

Vniuersale constituitur ex natura vnitate & aptitudine.

Octauò, deinde ex dictis constat, vniuersale adæquatè sumptum esse constitutum quoddam, ex re seu natura quæ dicitur vniuersalis, & ex ipsa vniuersalitate, idest vnitate naturæ in se & aptitudine essendi in multis. Vniuersale homo, v. g. dicit naturam humanam, vnitatem huius naturæ,& aptitudinem eius essendi in Petro & Paulo alijsquè singulis hominibus. Quæ ratione dixit S. Tho. Opusc. 56. Vniuersale est vnum & plura, vnum in se,seu in intellectu abstrahente; plura inquantùm est in pluribus indiuiduis. Natura autem in constitutione ipsius vniuersalis se habet materialiter: vniuersalitas se habet formaliter. Sicut album dicit, subiectum tanquam materiam, & albedinem tanquam formam.

Quo pacto definiri potuerit, & quo sensu definitum sit.

Postremò hinc dubium oritur, quo pacto vniuersale definiri potuerit, si est tali modo constitutum ex partibus adeò diuersis: cùm natura sit realis, vnitas sit negatio, aptitudo sit relatio rationis; vt in sequentibus apparebit. Item quodnam sit propriè definitum in definitione tradita, an directè totum constitutum ex natura & vniuersalitate, vel natura, vel vniuersalitas, vel natura quatenus vniuersalitati substrata. Sed hoc totum commodiùs disputabimus circa vniuersale genus, de quo consuetum est hæc disputari. Et inde apparebit, quid sit de ipsa cōmuni vniuersalis definitione dicēdum.

Modò cùm statutum sit, vniuersale ex ijs tribus rationibus adæquatè constitui, Natura, Vnitate, & Aptitudine: sequitur vt de his omnibus distinctè ac sigillatim agamus.

SECTIO QVINTA.

De Natura Vniuersali.

Nominales, qui alioqui vniuersalia negare videbantur, excogitarunt quendam modū quo vniuersalia tuerentur, dicentes, intellectum fingere intra se naturam communem pluribus, similem intentionaliter naturæ reali singularium. V.g. dum intellectus apprehendit hominem in communi, illi obijci figmentum quoddam & simulacrum singulorum hominum, quod indifferenter omnibus indiuiduis hominibus applicari queat: & sic non solùm voces & conceptus formales, sed etiam huiusmodi conceptus obiectiuos, esse vniuersales. Atque adeò naturam vniuersalem non esse realem, sed esse confictam, ad instar tamen naturæ realis. Ita Ocham. in 1. dist. 2. q. 8. Gabr. ibidem & Greg. d. 3. q. 1. ar. 2. Qui tamen hunc dicendi modum suggerunt, sed non in illo quiescunt. E contra Plato de suis illis ideis dicebat, non solùm esse reales, & realiter a rebus sensibilibus separatas: sed etiam esse substantiales

tiales per se existentes: esse incorporeas, atque adeò sola mente intelligibiles, non verò corporeas sensuque perceptibiles: esse demum ingenerabiles & incorruptibiles, atque adeò semper æternas.

Aristoteles verò in his, partim discrepat, partim conuenire videtur. Negat vniuersalia esse substantias, 3. Metaphysicorum textu 20. & latè 7. Metaph. à tex. 45. & deinceps, vbi id multis rationibus probare conatur. Affirmat vniuersalia esse sine materia, atque adeò incorporea: & expressiùs esse ingenerabilia & incorruptibilia, 7. Metaph. tex. 53. ad differentiam singularium, quæ ait esse concreta in materia, esse sensibilia, generari atq. corrumpi. Expressè etiam, 1. Post. tex. 182. ait vniuersale esse semper & vbique, per quod significat esse semper æternum.

Hæc omnia procedunt, vt patet, de natura ipsa quæ dicitur vniuersalis, non de vniuersalitate formaliter accepta: ideò nunc penès hæc explicandum est, quomodo se habeat ipsa natura.

Natura vniuersalis est realis.

Dico 1. Natura vniuersalis entiũ realium est verè realis: potest tamen cogitari etiam natura vniuersalis entium rationis, quæ erit ens rationis. Conclusio est communis & certa. Et primò de natura entium realium inductione patet, quia discurrendo per omnes res, omnes earum naturæ apparebunt reales, & de qualibet earum prædicabitur ens reale. Homo & natura humana est ens reale, similiter animal, substantia, quantitas, & reliqua omnia. Neque enim has naturas nos fingimus, sed concipimus eas quæ reuera sunt: non fingimus naturam humanam, naturam animalis, & reliquas. Nullusquè dixerit, has naturas esse entia rationis & ficta, neque nos fingimus Petrum esse hominem, hominem esse animal, sed reuera ita est. Patet etiam ratione à priori, quia de essentia eorum quæ sunt entia realia, omninò est natura realis: essentialiter enim sunt entia realia. Idquè de ijs in quantacumque vniuersalitate & communitate acceptis, dummodò non excedatur ipsummet prædicatũ entis realis, planè verificatur. Nam nullus conceptus communior afferri poterit, quàm ipsummet ens reale: & certè nihil verius dici poterit, quàm ens reale est ens reale. Igitur omnis natura vniuersalis intra latitudinem entis realis est verè realis.

Potest existere à parte rei.

Hinc sequitur, omnem huiusmodi naturam realiter existere à parte rei. De ratione enim entis realis est posse existere realiter. Item sequitur, actu existere realiter quandocunque existunt singularia, de quorum ratione est ipsa natura: non enim existere possunt sine sua natura & essentia. Non est autem necessarium, vt actu existat ipsa natura, siquè singularia: quoniam non est de necessitate & essentiali quidditate entis realis, ac specialiter entis creati, existentia actualis, vt nunc supponimus.

Etiam in entibus rationis cogitatur natura vniuersalis.

Secundò, de natura entium rationis patet etiam facile, posse cogitari in vniuersali, esseque essentialiter ens rationis. Nam potest, v.g. cogitari relatio visi ad videntem, communis huic & illi relationi, quę sunt relationes rationis: item relatio rationis in communi, sub se complectens omnes relationes rationis. Atque sub conceptu communissimo cogitamus absolutè ens rationis. Deque ijs omnibus dicere valet, esse ens rationis. Dantur ergo naturæ vniuersales pro entibus rationis, quæ sint entia rationis.

Non autem hinc dicimus, dari naturam aliquam, seu conceptum vniuersalem, abstrahentem ab ente reali & rationis, quiquè proinde essentialiter non sit realis nec rationis: quia non solet assignari natura & conceptus entis in tanta præcisione & vniuersalitate. An verò absolutè dari possit huiusmodi conceptus, non est huius loci disputare, sed ad Metaphysicam pertinebit.

Quædam naturæ sunt substãtiales, quædam accidentales.

Dico secundò. Quædam naturæ vniuersales sunt substantiales, quædam accidentales, quædam neutræ. Explicatur & probatur conclusio 1. sumi potest substantiale pro eo quod est essentiale, accidentale verò pro eo quod est extra essentiam. Sic quædam naturæ sunt essentiales, quædam accidentales subiectis de quibus dicuntur. Homo, v.g. essentialiter dicitur de Petro, animal de homine: album verò siue sapiens accidentaliter dicuntur. Et in vniuersum quidem, genus species & differentia essentialiter dicuntur, proprium verò & accidens accidentaliter. In hoc autem sensu etiam ipsis acci-

accidentibus suæ naturę dicendę sunt substantiales, idest essentiales: color, v.g. est natura essentialis albedinis, & sic de reliquis.

Secundò, substantiale propriè sumitur pro eo quod per se existit, accidentale pro eo quod inhæret subiecto. Sic distinguimus ex vna parte substantiam, & ex altera accidentia. In hoc sensu naturæ essentiales quæ conueniunt substantijs, sunt substantiales, siue sunt substantia: quæ verò accidentibus, sunt accidentales, siue sunt accidentia. Ita notauit S.Tho. Opusc. 55. Et patet, tum inductione, tum ratione. Natura humana est vtique substantialis, item natura Angelica, natura animalis, & aliæ huiusmodi: homo essentialiter est substantia, animal est substantia, & sic de cæteris, atque substantia ipsa vtique est substantia. E contra natura quãtitatis, qualitatis, aliorumquè accidentium, est accidentalis: qualitas essentialiter est accidens, habitus qui est species qualitatis essentialiter est accidens, & sic de cæteris. Deinde neque de essentia substantiæ potest esse natura accidentalis, neque de essentia accidentis natura substantialis, vt est notissimum, & tota natura quæ est in substantia aliqua singulari, est vtique per se independenter ab omni subiecto inhæsionis. Similiter tota natura quæ est in quolibet accidente singulari, inhæret subiecto. Natura ergo substantiarum substantia est, accidentium accidens est.

Quædam neutra & abstrahẽtes. Tertiò, considerari potest, & assignari solet, ratio entis realis, quæ essentialiter dicitur, tum de substantia, tum de accidenti. Hæc ergo natura communis entis, & similiter omnis alius conceptus, qui tam de accidenti quàm de substantia poterit prædicari, non est essentialiter substantia; quia sic non competeret accidenti: nec essentialiter accidens; quia sic non competeret substantiæ. Est ergo quodammodo natura neutra supra substantiam & accidens ab vtroque præscindens. Non per hoc dicimus, talem naturam, siue conceptum, esse propriè & perfectè vniuersale, quod dicitur vniuocum, & esset genus. Sed sumimus nunc vniuersale magis amplè, prout contradistinctum à singulari. Quonam verò modo conceptus communis substantiæ & accidenti, possit præscindere & dici vniuersalis, suo loco videbimus.

Arist. explicatur. Cæterùm Arist. illis locis, quando negauit vniuersalia esse substantias, substantiam sumpsit pro natura existẽte per se extra singularia; quæ videlicet non solùm non esset in subiecto inhæsionis, sed nec etiam in subiecto Prædicationis. Solùm ergo negare voluit, vniuersalia esse naturas per se & in se consistentes, separatas à singularibus, vt ex eius discursu & rationibus satis perspicuè patet. Ideoquè etiam dixit in prædicamento substantiæ, secundam substantiam, idest vniuersalem, significare quale quid. Hoc ipso autem quòd eam appellauit substantiam, & totam substantiam diuisit in primam & secundam; planè supposuit, naturam vniuersalem substantiæ vere esse substantiam, sumendo substantiam propriè, pro ea quæ ita dicitur existere per se, vt non existat in alio tanquam in subiecto inhæsionis.

Quædam naturæ sũt corporee, quædã incorporea, quædam neutræ. Dico tertiò. Quædam naturæ vniuersales sunt materiales & corporeæ, quædam spirituales & incorporeæ, quædam neutræ. Hæc conclusio est etiam certa. Et per eam respondemus ad secundam Porphyr. q. in proœm. quæ sola ex tribus supererat resoluenda. Probatur & explicatur. Natura quæ est communis inferioribus quæ omnia corporea & materialia sint, est etiam talis: videlicet natura animalis in genere, & omnium animalium in specie, omniumquè corporum, & natura ipsa entis corporei in communi vtique corporea est. Ex aduerso natura communis rebus spiritualibus, spiritualis & incorporea est: videlicet natura Angelica, natura qualitatis spiritualis, & natura ipsa entis incorporei in communi. Implicat enim, vel de essentia entis corporei esse naturam vniuersalem spiritualem, vel de essentia entis spiritualis naturam corpoream: quoniam sic ens corporeum fieret spirituale, & spirituale corporeum. Quod planè repugnat. Deinde sunt quidam conceptus qui abstrahuntur à rebus tum corporeis tum spiritualibus, & sunt vtrisquè communes: videlicet substantia, qualitas in communi, & similes. Hæ sunt naturæ neutræ, scilicet neque spirituales neque corporeæ in suo conceptu essentiali: alioqui non

non possent esse vtrique entium generi essentialiter communes, sicut reuera sunt.

Similiter sensibiles, & insensibiles. Hinc rursus, quia nulla natura spiritualis est sensibilis, idest sensu perceptibilis; sed proprium est rebus corporeis posse sentiri: pariter dici debet, quasdam naturas esse sensibiles, quasdam insensibiles, quasdam neutras. Ita tamen quòd non intelligatur, posse vnquam exerceri sensationem circa naturam merè vniuersalem. Nunquam enim visus est, nec videri potest, color in genere, albedo in communi, aut gustari sapor in communi: sed sensatio actualis non nisi circa certum aliquod singulare exercetur: ipsi tamen colori, omniquè naturæ sensibili in communi, competit, vt possit in suis singularibus sentiri. Sicut notauit præclarè S. Tho. 1. 2. q. 29. ar. 6. & sicut infra dicemus de natura generabili & corruptibili.

Arist. explicatur. Arist. verò solùm docere voluit, vniuersalia esse sine materia singulariter accepta, nec negauit includere materiam etiam vniuersaliter acceptam, vt magis ostendemus quæstione sequenti, vbi disputabimus quomodo materia sit principium indiuiduationis, & quomodo vniuersale abstrahat à materia.

Natura vniuersales possũt generari & corrũpi in singularibus & nõ aliter. Dico quartò. Naturæ vniuersales possunt generari & corrumpi, prout sunt in singularibus, non tamen abstractæ à singularibus: Ita notauit Auerr. 1. Metaph. comm. 27. D. Tho. q. 1. de Verit. ar. 1. ad 13. & 14. Et alij communiter docent. Et est res certa. Et primò probatur ex Arist. qui propterea 1. Metaph. cap. 1. dixit: *Omnes actiones & generationes circa singularia sunt: non enim hominem, nisi per accidens, sanat qui medetur, sed Calliam aut Socratem.* Docuit ergo actiones versari circa naturas vniuersales, non quidem in se, sed prout sunt in singularibus. Et ideò dixit per accidens: quia accidit ipsi naturæ in sua essentia spectatæ, reperiri in hoc vel illo singulari, in quo talem vel talem mutationem subeat. Propterea etiam dixit in Prædicam. subst. sublatis primis substantijs, auferri etiam secundas quæ in ipsis sunt: auferuntur ergo secundæ substantiæ, non tamen nisi per ablationem primarium, idest singularium. Et alijs pluribus locis idem docet.

Ratione demõstratur. Secũdò euidẽti ratione. Vniuersale non potest existere separatum à singularibus: ergo quando aufertur singulare, non potest remanere existens natura vniuersalis, sed omnino simul cum illo aufertur, & amittit existentiam realem: generatur ergo & corrumpitur in ipsis singularibus. Item non poterit per se produci existens extra singularia: ergo nec potest corrumpi abstractum à singularibus. Ex vna parte itaque impossibile est, Petrum v.g. generari aut perire, quin simul sit verum dicere hõ gignitur aut perit. Ex alia parte impossibile est, hominem gigni aut perire, nisi aliquis singularis homo gignatur aut pereat. Et hoc in vniuersum verum est de omni alia actione & passione. Vnde verissimè dicitur, actiones & passiones sunt singularium.

In singularibus possũt corrũpi, vel ex parte, vel ex toto. Tertiò addendum est, naturam prout in singularibus, posse generari & corrũpi, vel in toto, vel in parte. In parte, cùm corrumpitur vnum aut aliud singulare, aut plura, remanentibus tamen aliquot in illa specie: in totum, si omnia prorsus singularia pereant. Hac autem ratione species rerum, quantumuis corruptibilium, dicuntur esse & conseruari semper: quia scilicet realiter existunt vel in his, vel in alijs singularibus, tractu temporis succedentibus. Et propter hoc etiam dicunt Philosophi, generationes fieri propter conseruationem speciei, vt quia hoc & illud indiuiduum, nunc vel postea perit, remaneat semper species in varijs indiuiduis. Et secundùm hoc, rectè dixit Auerr. apud D. Tho. loc. cit. quòd secundùm opinionem ponentium mundũ ab æterno, & duraturum in æternum, vniuersalia essent semper æterna & incorruptibilia. At secundùm veritatem mundus omnisq. rerum species aliquando esse cœperunt: quænam verò species rerum duraturæ sint in æternum, & quæ in fine mũdi consumendæ, est difficultas Theologica, de qua Scholastici in 1. d. 48. & S. Tho. ibi q. 2. ar. 5.

In se spectata dicunt essentialiter potentiam ad generationem et corruptionem. Quartò rursus addendum est, naturam in omni statu, etiam in statu abstractionis, essentialiter includere rationem generabilitatis & corruptibilitatis; non quidem vt in illomet statu possit generari & corrumpi, sed vt possit generari & corrumpi in indiuiduis. Exercitium itaq. generationis & corruptionis,

nis, non competit nisi indiuiduis & naturæ in indiuiduis; at capacitas huius actus, competit ipsi naturæ etiam præcisæ. Sicut certè de homine in communi valet dicere, est discursiuus, est risibilis: nunquam tamen homo in communi, sed tantùm in singularibus, exercere potest actum discurrendi, actum ridendi; & de accidenti in communi dicimus, est aptum inhærere subiecto: imò communissimè de ente reali, est aptum existere à parte rei; & tamen actus inhærendi, & actus existendi, non nisi in singulari exerceri potest. Ita omninò de animali, v.g. in genere, de mixto, de elemento in communi, dicimus; est natura sua generabile & corruptibile, actus tamen generationis & corruptionis non nisi in singulari exerceri potest. Vnde dicere licebit, potētia per se primò conuenit naturæ, & per illam communicatur singularibus; actus è contra per se primò conuenit singularibus, & per illam naturæ in ijs inclusæ: potentia & aptitudo immediatè consequitur essentiam; actus autem & operatiò sequitur existentiam.

Actus autem non exercetur nisi in singularibus

Nec obstat quod dixit Arist. lib. de Somno & Vigil. cap. 1. cuius est potentia, eius est & actus. Non enim debet intelligi, eius prorsus inuariati, sed satis est, si sit eius aliqua ratione mutati: quia sæpè res habent potentiam ad aliquem actum, indigent tamen aliqua conditione ad executionem & exercitium actus. Sicut ignis in se quidem, & etiam quando distat, habet vtique potentiam calefactiuam; indiget tamen approximatione, vt reducatur ad actum. Sic itaque ipsius quidem naturæ est potentia, & eius etiam est actus generationis & corruptionis: sed etiam in statu præcisionis habet dictam potentiam, actum tamen non suscipit nisi in singularibus; quia quædam veluti immutatio seu conditio intercedere debet ad exercitium actus. Quando enim res habet potentiam in vno statu, tamen ad exercendum actum in alio statu; debet eo modo mutari status, quo opus est ad executionem ipsius actus.

Quedam natura dici possunt generabiles, quedā ingenerabiles, quedam neutra.

Quintò demum addendum est, generari & corrumpi posse sumi dupliciter. Primò latè pro eo quod est produci & desinere; quomodo etiam illa quæ fieri possunt per creationem, & annihilari a Deo, sunt mutabilia. Et in hoc sensu omnis natura creata, est generabilis & corruptibilis, idest potest produci, & potest destrui. Secundò propriè sumendo generationem & corruptionem, à creatione & annihilatione distinctam; quomodo solùm illa quæ fiunt dependenter à subiecto virtute agentium naturalium, & simili modo desinunt, dicuntur generari & corrumpi, videlicet res hæ materiales & sublunares: Angeli autem & corpora cælestia dicuntur ingenerabilia & incorruptibilia. Et in hoc sensu dicendum est, non omnem quidem naturam vniuersalem esse generabilem & corruptibilem, sed quasdam quidem esse, quasdam verò esse ingenerabiles & incorruptibiles, quasdam neutras, iuxta modum quo in superioribus conclusionibus philosophati sumus.

Arist. explicatur.

Cæterùm Arist. quando dixit, vniuersalia esse ingenerabilia & incorruptibilia, intellexit non posse per se generari & corrumpi, abstracta à singularibus: atque adeò solùm negatiuè esse ingenerabilia, idest non quidem habere gradum positiuum essentialem ingenerabilitatis, quia sic certè communicari non possent singularibus generabilibus: sed negatiuè, quia non habent nisi in singularibus conditiones requisitas ad exercitium generationis & corruptionis. Et quando dixit, vniuersale esse semper & vbique: vel dixit semper, ex suppositione suæ opinionis de æternitate mundi, vt notauit Auic. vel semper pro tota duratione mundi quantacumque sit. Et vbique intellexit, non in certo aliquo & signato loco, sed vbicumque sint, & quocunque ferantur singularia, in quibus realiter inueniuntur.

SECTIO SEXTA.

De Vnitate Naturæ vniuersalis.

Vtrum Natura à parte rei & in singularibus sit realiter vel formaliter vna.

AD inueniendam vnitatem Naturæ vniuersalis distinguere oportet plures naturæ status, plures etiam vnitatis

tatis gradus: vt appareat in quo statu quã vnitatem natura habeat.

Distinguũtur tres naturæ status. Natura ergo in triplici statu sumi potest ex D. Thoma quæst. 5 de Pot. artic. 9. Opusc. 42. cap. 7. de Ente & Essen. cap. 4. Auicenna 5. Metaph. cap. 1. Scot. 7. Met. q. 18. & alijs. Primò secundùm se & absolutè in sua propria ratione: hic dicitur status essentiæ. Secundò prout est in singularibus à parte rei: hic dicitur status existentiæ realis. Tertiò prout est in mente obiectiuè in intellectu: hic dicitur status existentiæ obiectiuæ. Natura humana, v. g. & est realiter in singularibus, & est obiectiuè in intellectu, & habet in se ipsa propriam rationem & essentiam, non solùm essentialia prædicata, sed etiam proprias passiones ab essentia promanantes, quæ nec ab intellectu dependent, nec ab ipsis singularibus. In statu essentiæ, naturæ conueniunt sola & omnia illa prædicata, quæ vel sunt de essentia eius, vel necessariæ passiones. Homo in statu essentiæ est animal rationale, est sensitiuus, est discursiuus, est risibilis. In statu existentiæ realis, scilicet in singularibus, naturæ conueniũt denominationes omnes & proprietates, quæ ipsis singularibus realiter insunt, videlicet accidentia realia quæ contingunt, operationes actuales, generatio, corruptio, & similia, atque ipsamet existentia actualis: verum est enim dicere, homo est albus, currit, nascitur, existit, inquantùm hic vel ille singularis homo habet albedinem &c. In statu demum existentiæ obiectiuæ, naturæ conueniunt denominationes & proprietates rationis, quæ ab intellectu ipsi tribuuntur, videlicet cognosci, abstrahi, referri, & similia.

Inter se conferuntur. Prædicata quæ conueniunt naturæ in statu essentiæ, semper de illa dicuntur, & vbicunque fuerit, atque adeò etiam in vtroque alio statu dicto. Hoc est enim axioma illud quod tradit Aristoteles: dici de omni, quicquid scilicet dicitur de re aliqua secundùm essentiam suam considerata, dici etiam de omnibus alijs in quibus talis essentia reperitur. Sic v.g. homo etiam in singularibus & in intellectu est essẽtialiter animal rationale, est risibilis. Non sola tamen illa prædicata quæ conueniunt naturæ in statu essentiæ, sed etiam alia, illi adiunguntur in alijs duobus statibus. Et hæc quæ specialiter ratione horum statuum naturæ conueniunt, non dicuntur de natura in statu essentiæ: quia nimirum sunt extra rationem & essentiam eius. Vnde dicere non possumus, natura in sua essentia est singularis, vel è contra est abstracta à singularibus: neque homo quatenus homo est albus, est abstractus, & similia. In statu enim essentiæ tantùm naturæ cõueniunt prædicata vel formaliter essẽtialia, vel virtualiter, idest proprię passiones. Et hæc prædicata possunt reduplicatiuè affirmari, homo quatenus homo est rationalis, est animal, est substantia, est risibilis &c.

Distinguũtur duo vnitatis gradus. Deinde ex parte vnitatis supponẽdum ex Met. vnitatem in communi formaliter esse negationem diuisionis, & rem esse vnam, inquantùm non est in plures diuisa. Petrus est vnus, quia non est diuisus in plures: Petrus & Paulus non sunt vnus, quia alter ab altero sunt diuisi. Sic ait Aristoteles 5. Met. tex. 12. *Quæ non habent diuisionem, quatenus non habent, eatenus vnum dicuntur: vt putà si prout homo non habet diuisionem, vnus est homo; si prout animal, vnum animal: si prout magnitudo, vna magnitudo.*

Hinc iuxta plures diuisionis modos, plures assignantur vnitatis gradus. Et pręcipuè duplex diuisio consideratur. Vna quæ dicitur realis & materialis, & attenditur penes differentias indiuiduantes oppositas: quo pacto diuisi sunt Petrus & Paulus, hæc & illa quantitas, &c. Altera quæ dicitur formalis, & attenditur penes prædicata essentialia: quo pacto differunt hic homo & hic equus, non tantùm per infimas singularitates, sed per rationalitatem & irrationalitatem, humanitatem & equinitatem, quæ sunt prædicata essentialia. Sic duplex pariter vnitas assignatur: vna realis materialis, negãs diuisionem materialem, qua vnitate Petrus est in se ipso vnus: alia formalis, negans diuisionem formalem, qua vnitate Petrus & Paulus dicuntur esse in ratione hominis formaliter vnum. Diuisio & vnitas materialis appellari solet numeralis, quia fundat numerum: formalis appellari solet essentialis, quia fundatur in prædicatis essentialibus. Illa dicitur materialis, quia indiuidua in infimo gradu se habent

veluti

veluti materia, respectu prædicatorum essentialium: Alia dicitur formalis, quia prædicata essentialia se habent veluti forma respectu indiuiduorum. Demum, quia prædicata essentialia sunt alia magis alia minus communia: diuersi adhuc gradus in illa considerantur. Magis enim formaliter conueniunt homo & equus, quàm homo & lapis: homo & equus conueniunt in genere animalis: homo & lapis differunt per genera substantiæ animatæ & inanimatæ. Hæc habentur ex Caiet. de Ente & Essentia c. 4. q. 6.

Scoti sententia. Vnitatem materialem & numeralem nullus tribuit naturæ à parte rei in singularibus. Scot. autem in 2. distinct. 3. q. 1. & 7. Met. q. 18. naturæ à parte rei assignauit vnitatem quandam, quam ipse vocauit minorem vnitate numerali, alij breuiùs appellare cœperunt vnitatē formalem. Et hanc sententiam de vnitate formali naturæ à parte rei defendunt Scotistæ communiter. Lichet. & alij ibidem. Anton. Andr. 1. Met. q. 1. & lib. 7. q. 16. Ant. Tromb. q. 38. Metaph. Paul. Venet. 2. Metaph. c. 2. & q. de vniuersal. Burl. 1. Physic. tex. 5. Io. Monlorius disp. de vniuersal. cap. 5. & 6. Rada tom. 2. controuers. 3. art. 1. & alij, qui intelligere videntur, naturam humanam, v. g. in Petro & Paulo, esse à parte rei actu formaliter vnam, quamuis realiter & materialiter multiplicatam: siue à parte rei humanitatem Petri esse vnam & eandem formaliter cum humanitate Pauli, licèt materialiter sit diuisa atque discreta.

Caietani. Caiet. de Ente & Essentia q. 6. tribuit etiam naturæ in singularibus à parte rei vnitatem formalem. Explicat tamen, non esse eandem simplicem vnitatem communem pluribus indiuiduis, siue quæ sit eadem ratione alicuius entitatis quæ vna & eadem sit in omnibus indiuiduis; sed in quolibet singulari inquit esse suam vnitatem formalem ratione propriæ suæ naturæ, distinctam ab vnitate numerali eiusdem indiuidui, atque a simili vnitate formali alterius indiuidui: per ipsam tamen vnitatem formalem repertam in singulis valere dicere, Petrus à parte rei est vnum formaliter cum Paulo, non differt formaliter à Paulo. Et sic intelligit ipsius Scoti sententiam.

Et aliorum. Aliqui rursus explicant, naturæ à parte rei in singularibus conuenire vnitatem formalem; non quidem positiuam, ratione scilicet alicuius entitatis positiuæ realis quæ à parte rei sit eadem indiuisa in pluribus: sed negatiuam, quam sic explicant, quia cùm à parte rei sit verè diuisa natura Petri à natura Pauli, tamen hæc diuisio prouenit à singularitatibus distinctis ab ipsa natura, & non prouenit ab ipsa natura. In Petro ergo & Paulo, cùm non sit diuisio proueniens à natura, consideratur negatio huius diuisionis, & hæc negatio appellatur vnitas negatiua. Et quidem sic intellexisse videtur Caiet. suam illam vnitatem.

Demum Suar. disput. 6. Metaph. sect. 1. affirmat, dari in singulis indiuiduis à parte rei vnitatem formalem naturæ, aliquo modo ab vnitate numerali distinctam: quæ tamen vnitas formalis non solùm nō sit eadē in pluribus indiuiduis: sed nec etiam dicere valeat, hoc indiuiduum est vnum formaliter cum illo: sed tantùm, est vnum formaliter & indiuisum in se. Itaque non ponit vnitatem formalem naturæ vnius indiuidui cum alio, sed tantùm singulorum in se.

Natura non est à parte rei in singularibus realiter vna. Dico primò. Natura vniuersalis in suis indiuiduis non est materialiter & realiter vna, sed est realiter multiplex & diuisa. Hæc conclusio est apud omnes certa, de qua Auicen. 2. Metaph. vt refert Caiet. cap. 4. de Ente & Essentia com. 5. dixit: *Quòd nullus sanæ mentis potest oppositum opinari, quis enim est adeò fatuus, qui dicat, essentiam Sortis sibi communem esse & Platoni?* Aristoteles etiam 10. Metaph. tex. 24. & sæpe alias hanc veritatem expressit.

Probatur primò: quia prorsus repugnat naturæ creatæ quæ finita & limitata est, vt vna & eadem indiuisa sit pluribus indiuiduis communis. Determinatur enim vnaquæque natura in suo indiuiduo, vt illa quæ ibi est, non possit eadem realiter alteri communicari. Adeò vt non solùm ex vi ipsius naturæ; seu per quamcunque potentiam naturalem: sed etiam de potentia Dei absoluta id sit penitus impossibile. Posset quidem Deus vnam formam realem, siue substantialem, siue accidentalem, in distinctis subiectis collocare: sed non eandem naturam in pluribus indiuiduis, eo modo quo illis inest

natura

natura vniuersalis, de qua nūc loquimur.

Sola natura Diuina est vna in personis.

Secundò, ex Damasceno libro primo Fidei capite vndecimo. Proprijssimum est Diuinæ naturæ, & vna cùm sit, omnino indiuisa, existat in pluribus personis, identificata cum illis; eadem Diuinitas in Patre & Filio & Spiritu sancto, quæ personæ inter se inuicem per suas proprietates relatiuas realiter distinguuntur: & hoc est altissimum Trinitatis mysterium, sola fide nobis notum. Non ergo potest simile quid excogitari & fingi de qualibet natura creata in suis indiuiduis: & omninò grauiter erraret, qui sic sentire vellet de rebus creatis. Præterea expressè damnata est ab Ecclesia sententia quorundam Philosophorum, qui dicebant vnum esse intellectum, vnam esse animam omnium hominum: magis ergo erraret, qui diceret, non solùm animam, sed & totā humanitatem, esse eandem realiter in singulis.

Singularia verè sunt plura in ipsamet natura communi.

Tertiò. Experientia constat, diuersas & oppositas operationes solere ab indiuiduis eiusdem speciei exerceri, oppositas etiam passiones in illis fieri; vt præsertim patet in specie humana: & non sicut in Personis Diuinis; vbi, quia est vna indiuisa natura, eædem etiam operationes naturales sunt omnibus personis communes, vt est res certa: ergo manifestè infertur, distinctas realiter esse naturas singulorum indiuiduorum. Item indiuidua quæ sub vna specie continentur, appellantur plura in tali specie, v. g. non dicimus Petrus & Paulus sunt vnus homo, sed sunt duo homines, & sic numeramus plures & plures: similiter homo & equus sunt duo animalia, & sic de singulis. At si esset vna indiuisa natura, hæc singulariter de omnibus diceretur: sicut nō dicimus, tres personæ sunt tres Dij, sed sunt vnus Deus.

Si natura esset realiter una, esset singularis, non vniuersalis.

Quartò deinde. Natura si esset realiter indiuisa & vna, esset singularis, non vniuersalis. Quia de ratione naturæ vniuersalis est, vt sit in pluribus naturis singularibus, siue vt diuidatur in plures se ipsas, homo sit in pluribus hominibus, humanitas sit diuisa in plures humanitates, & sic de cæteris. Vnde singulare, ideò dicitur indiuiduum, quia non diuiditur in plura: & natura Diuina in tribus personis est vna prorsus singularis. Natura ergo vniuersalis non potest esse realiter vna in suis indiuiduis. Imò tantum abest, vt hæc vnitas requiratur vel concurrat ad constituendum vniuersale, quòd potius illud destruat, illiquè repugnet.

Nec est à parte rei formaliter vna, idest indiuisa.

Dico secundò. Natura in suis indiuiduis non est à parte rei formaliter vna, sumēdo vnitatem propriè pro indiuisione: neque datur vnitas aliqua formalis à parte rei in natura, quæ per se conferat ad constituendum vniuersale. Hæc conclusio est communis, tàm eorum qui dicunt solùm in statu essentiæ, non autem in singularibus, quàm aliorum qui dicunt, tantùm in statu rationis vnitatem conuenire naturæ, quos in sequentibus referemus.

Probatur primò. Non potest dari vnitas quæ sit indiuisio, nisi ratione entitatis indiuisæ, quæ sit vna: sed non datur in indiuiduis entitas naturæ indiuisa; quinimo verè est multiplex & diuisa: ergo non datur talis vnitas formalis à parte rei in pluribus indiuiduis. Nec dici potest, indiuidua, siue naturam in indiuiduis, distingui quidem materialiter & realiter, non tamen formaliter. Nam stante diuisione reali, non potest intelligi quænam sit ista indiuisio & vnitas formalis à parte rei: neque apparet qualiter vno modo possit natura esse diuisa, alio modo indiuisa etiam à parte rei. Sed tantùm simul cum diuisione reali stare poterit conuenientia & similitudo, vt conclusione sequenti dicemus.

Sed est adhuc multiplex & diuisa.

Secundò. Aliqua esse formaliter, seu essentialiter vnum, est habere vnam formam, vnam essentiam: sed sic est, quòd forma ipsa & essentia quæ est natura, non est vnica, sed multiplex & diuisa: ergo non potest indiuiduis inter se attribui vnitas formalis & essentialis, sumendo vnitatem pro indiuisione, supposita diuisione reali. Item quicquid est in vno indiuiduo, est realiter diuisum atque discretum ab eo quod est in alio indiuiduo: atque etiam ipsa prædicata essentialia superiora sūt in illis diuisa, v. g. alia est humanitas, alia rationalitas, alia animalitas, alia corporeitas, in Petro, atque in Paulo, & sic de omnibus prædicatis essentialibus in omnibus indiui-

duis: ergo ea quæ sic adæquatè sunt realiter diuisa & discreta, non possunt inter se habere à parte rei aliquam vnitatem & indiuisionem; quasi in aliqua ratione sint diuisa; in aliqua autem sint indiuisa, & sint à parte rei idem.

Nullū est fundamētum indiuisionis formalis à parte rei.

Tertiò. Scotus fundauit vnitatem illam suam numerali minorem, in distinctione quam ibidem constituit inter naturam & singularitatem, distinctionem scilicet reali minorem, quæ etiam appellatur distincto formalis. Sed duplici ex capite deficit. Tum quia non est concedenda talis distinctio a parte rei inter naturam & singularitatem, vt quæst. sequenti ostendemus. Tum quia, etiam si daretur talis distinctio, non sequitur indistinctio & vnitas formalis inter naturam vnius indiuidui & alterius. Nam in composito physico materia & forma sunt distinctæ inter se: & tamen in duobus compositis, tàm forma, quàm materia vnius, distincta est ab ea quæ est alterius. Quod si quis ex distinctione naturæ à singularitate inferre conetur, naturam quatenus sic distinctam à singularitate, iam non distingui à natura alterius indiuidui, & vt sic esse vnam formaliter cum illa: malè procedet, quia potius dicere oportet, etiam naturam secundùm entitatem suam naturæ, verè distingui ab entitate alterius naturæ, & non solùm à singularitate. Et, si deinde videatur, non posse distingui naturam à natura, nisi per singularitatem: inde potius inferri debebit, non posse naturam à parte rei à singularitate distingui, & vt sic distinctam accipi; vt suo loco nos ostendemus.

Nec ipsa vnitas formalis potest esse in singularibus inter se.

Quartò, si datur talis vnitas formalis à parte rei. Vel datur vna prorsus in omnibus & singulis indiuiduis. Et hoc est penitus impossibile: & nec Scotus ipse & sequaces id voluisse videntur: quia nec vna entitas positiua, nec vna negatio, potest fingi in pluribus indiuiduis. Vel in singulis indiuiduis sūt singulæ vnitates, vt dicebat Caiet. Et tunc dici non pôt, ratione talis vnitatis hoc indiuiduū esse vnū cum illo, idest indiuisū, indistinctum: quinimò si sunt distinctæ vnitates: ergo res ipsæ per illas sūt verè diuisæ atq. distinctæ. Hic enim est modus quo res inter se distinguūtur, singulæ per suas peculiares ac proprias vnitates. Et sicut incogitabile est, quòd res habens suā entitatē distinctā ab entitate alterius, dicatur per ipsam entitatē esse vnum & idē cum illa: ita etiā quòd res per suā vnitatē distinctā ab vnitate alterius, dicatur vnū & idem cū illa. Et repugnat in terminis, dicere, quòd res habeat in se vnitatē distinctā ab alia re eiusq. vnitate, & per illam vnitatem sit vnum & idem cum tali re.

Confirmatur magis. Vnū dicitur indiuisum in se & diuisum à quocunq. alio, & vnitas indiuisio in se & diuisio à quocūq. alio: per vnitatē ergo ipsam, res est formaliter diuisa à quacūq. alia re: repugnat ergo dicere, rem per suam vnitatem esse vnū & idem cum alia re habente aliā vnitatem distinctā: perinde enim, id esset, ac dicere, vnam rē per diuisionem quam habet ab alia re, esse indiuisam ab illa re: quæ est manifesta contradictio. Et quia vnitas, quam Caiet. hoc modo ponit, est vnitas formalis: per illam dici potius debebit, rē esse vnam in se, & diuisam formaliter ab omni alia re; non autem vnam formaliter cum alijs rebus.

Nec etiā vnitas negatiua, nisi in quodam sensu.

Quintò. Neq. potest singularibus, seu naturæ in illis, tribui vnitas negatiua à parte rei, eo modo quo explicabatur: quasi essent duo gradus distincti, natura & singularitas, & diuisio proueniat à sola singularitate, deturq. negatio diuisionis procedentis à natura. Quin potius natura & singularitas sunt vna simplex entitas à parte rei; imo nec etiā per rōnem perfectè distinguūntur, vt quæst. seq. dicemus. Et, cùm tota entitas vnius indiuidui sit adæquatè diuisa ab entitate alterius, & natura vnius à natura alterius: iā per entitatē ipsam suæ naturæ vnūquodq. diuiditur ab oībus alijs: & in ipsamet entitate naturæ fundatur diuisio singulorū. Solùm dici pôt, talem diuisionem non esse de esſētia ipsius naturæ, vt natura est, v.g. de essentia humanitatis, vt humanitas absolutè est: quæ ideò dicatur vna negatiuè, quod negatiuè loquendo valeat dicere, non esse de essentia eius diuisionē, neque hāc & illam singularitatem, vt sectione sequenti explicabimus.

Vnitas formalis cuiusque indiuidui in se non

Sextò demum. Si vnitas formalis dicatur tantùm esse cuiusque indiuidui in se & in sua natura, non verò cum alijs indiuiduis, eorumquè naturis. Hæc vnitas concedi quidem potest à parte rei. An verò

facit ad vniuersale. verò distinguatur ab vnitate numerali, eadem quæstio est, atque an distinguatur ipsa natura à singularitate, quam postea disputabimus. Modò hæc vnitas non per se facit ad vniuersale: vnitas enim vniuersalis, debet esse vnitas multorum inter se, seu vnitas naturæ in multis, non verò vnitas singularum rerum in se.

Natura à parte rei est formaliter vna, idest consimilis & cõformis. Dico tertio. Natura in suis indiuiduis est à parte rei consimilis & conformis: & hæc potest appellari eius vnitas formalis à parte rei; non quidem sumendo vnitatem pro indiuisione excludente diuisionem rerum, sed pro conuenientia quadam excludente dissimilitudinem rerum. Hæc conclusio est ab omnibus concedenda, & valde commoda est ad explicandam vnitatem formalem naturæ vniuersalis, siue ad fundandum ipsum vniuersale faciendum ab intellectu.

Probatur primò & explicatur ex re ipsa. Euidens sanè est, Petrum & Paulum esse realiter consimiles, & conformes in eo quòd vterque homo est, homo & equus in eo quod animal est, & sic de cæteris. Vnde à parte rei hæc prædicata sunt ipsis communia, Petrus est homo, Paulus est homo. Quam similitudinem & conuenientiam in humanitate, nõ habet Petrus cum hoc equo, imo differt & dissimilis est: conuenit autem & assimilatur in natura animalis. Datur ergo realiter à parte rei ista similitudo & conformitas. Potestque appellari vnitas, quia sic solet communiter appellari, & quia vnitatis nomen sumitur, non solùm in toto rigore pro negatione diuisionis, sed etiam pro huiusmodi conuenientia. Dicuntur enim res conuenire, quasi in vnum venire, idest in vnam proportionem & similitudinem, excludendo differentiam & disconenientiam, per quam res sunt dissimiles & disconformes in essendo. Et appellabitur vnitas formalis, ad differentiam vnitatis realis, quæ dicit indiuisionem: & dicetur Petrus formaliter vnus cum Paulo in ratione hominis, idest similis & conformis in humanitate sua cum humanitate alterius.

Habetur ex Arist. Probatur secundò ex Aristotele, tum de re, tum de modo loquendi. Aristot. 5. Metaph. cap. 6. plures vnius siue vnitatis modos & gradus distinguit, & inter illos ponit, quando plura sunt vnum genere: *Vt homo*, inquit, *equus, canis, vnum quid, quoniam omnia animalia, & quodam simili modo, sicut materia vna*. Ponit etiã illa quæ sunt vnum specie, & in vniuersum quæ in prædicato aliquo superiori conueniunt. Idem habet cap. 9. & perspicuè cap. 15. assignat hæc tria, idem, simile, & æquale: & ait, omnia dici secundùm vnum. *Eadem sunt, quorum substantia vna. Similia, quorum qualitas vna. Aequalia, quorum quantitas vna*. Vna scilicet, idest conformis & conueniens. vbi conuenientiam in essentia & natura appellauit identitatem. Et 10. Metaphys. tex. 24. simul docet, species in suo genere dici vnum & idem, & genus diuidi atque distingui in ipsis speciebus: ita vt ipsamet animalitas diuersa sit in homine & equo: per vnum ergo & idem, intellexit simile substantialiter & conforme, si à parte rei loquamur. Et præclarè 1. Topicorum cap. 14. *Considerandum, quæ sint sub eodem genere, si quid insit omnibus idem, vt homini, equo, & cani. Nam si insit aliquid eis idem, in eo sunt similia.* Vbi planè docuit, quando idem prædicatum dicitur de pluribus, hæc assimilari & conuenire in ipso prædicato: & sic dici idem prædicatum.

Hæc vnitas habet plures gradus. Tertiò addendum est, hanc similitudinem & conuenientiam posse esse maiorem aut minorem. Quò enim res in pluribus prædicatis conueniunt, seu quando conueniunt in prædicato magis proximo, similiora sunt: quò verò in paucioribus, seu in prædicato magis remoto, minùs similia sunt. Sic magis conueniunt Petrus et Paulus, quã Petrus & hic equus: magis adhuc Petrus & hic equus, quã Petrus & hæc planta, & sic deinceps. Vnde quammaxime quidem conueniunt, ea quę in specie infima vniuntur. Quàminimè verò, quæ solùm in prædicato supremo. Et è contra quàmaxime differunt, quæ in prædicato supremo differũt: quàminimè, quę in infimo prædicato. Et ratio est. quia valet quidem inferre, quæ conueniunt in prædicato inferiori, conuenire etiam in superioribus vsque ad supremum: sed non valet inferre, quæ differunt in inferiori, differre etiam in superioribus. Valet inferre, quæ differunt in superiori, differre etiam in inferioribus.

bus: Non autem quæ conueniunt in superiori, conuenire etiam in inferioribus. Ascendendo ergo ab inferioribus ad superiora, augetur differentia, minuitur cõuenientia. E contra descendendo à superioribus ad inferiora, minuitur differentia, augetur conuenientia. Cæterùm modò non curamus, an hæc similitudo à parte rei sit relatio realis distincta ab ipsis extremis: quia hoc nihil refert ad præsentem causam: sed alibi disputandum est. Potius loquimur de entitatibus ipsis rerum, quæ sibi inuicem conformes sunt.

Explicatur Porphyr. & Arist.

Obijcies primò. Porphyrius in capite de Specie, ait: *Plures homines participatione speciei sunt vnus homo*: ergo vna realiter est humanitas in omnibus hominibus. Et Aristoteles quinto Metaphys. capite decimoquinto citato dixit, illas relationes fundari in vnitate: ergo præsupponit vnitatem naturæ à parte rei, præter & ante conuenientiam à nobis assignatam. Et septimo Metaphysicorum textu quinquagesimo primo ait: *Animal esse vnum & idem in homine & equo sicut tu tibi ipsi*.

Respondetur. Vtique Porphyrium non ignorasse, plures homines à parte rei esse plures & non vnum hominem. Vel ergo solùm docere voluit, sunt consimilis homo, si loquutus est de vnitate à parte rei: vel vnus homo vnitate rationis in intellectu, de quo postea. Aristoteles item ibi non dixit, illas relationes fundari in vnitate, sed potius dici secundùm vnitatem, & vnitatem accepit pro conuenientia. Inde tamen alij sumpserunt occasionem dicendi, illas relationes fundari in vnitate. Sed debet id intelligi in vnitate fundamentaliter accepta, idest in entitate rerum, quæ ab intellectu concipitur vt vna. In altero autem loco non dixit illud asserendo: sed afferendo tanquam absurdum, si animal esset idem in homine & equo; ipse planè volens, non esse idem, vt patet ex textu.

Explicatur diuisio naturæ in singularibus.

Obijcies secundò. Si in singularibus non esset aliud quàm natura vniuersalis, vtique non possent esse distincta; sed omnia essent à parte rei vnum & idem, vt notauit Sanctus Thomas quæstione nona de Pot. articulo primo. Ergo de facto vna & eadem est natura in omnibus: alioqui si diuersa est; etiam si ipsa sola remaneret, posset illa distinguere.

Respondetur. Si in singularibus esset natura adhuc eo modo quo nunc est, vtique semper distingueret ipsa singularia. Imò de facto non aliter singularia distinguuntur, nisi quia alia est natura vnius, alia alterius, alia humanitas Petri, alia Pauli; & ideò alius homo est Petrus, alius est Paulus. Implicat autem, naturã esse tali modo sine ipsis singularitatibus & differentijs contrahentibus ad singula indiuidua. Dictum verò illud, si non esset aliud, quàm sola natura, singularia non possent esse distincta: intelligitur, si esset sola natura eo modo quo nunc est in intellectu, quando abstrahitur. Quod idem est, ac si diceretur; nisi natura diuideretur in plura, idest in plures singulares naturas, esset prorsus vna. Ex qua conditionali, nullatenus potest inferri, de facto naturam esse vnam.

Explicatur conueniētia singularium in natura.

Obijcies tertiò. A parte rei Petrus & Paulus non differunt specie, homo & equus non differunt genere: ergo à parte rei sunt vnum specie, vnum genere: ergo datur vnitas formalis naturæ à parte rei.

Respondetur. Non differunt, idest, non sunt diuisi in natura specifica & generica: & negatur assumptum, quia sic est verè diuisa natura vnius à natura alterius. Non differunt, idest non disconueniunt, non sunt dissimiles in ipsa natura: & sic conceditur. Et similiter consequentia de vnitate sumpta pro conuenientia dicta.

Obijcies quartò. Ab omnibus dici solet, indiuidua eiusdem speciei differre tantùm materialiter & numericè, non autem essentialiter, imò esse essentialiter vnum: ergo. Item à parte rei magis est vnus Petrus cum Paulo, & minùs diuisus quàm Petrus ab hoc equo: ergo datur vnitas aliqua naturæ à parte rei.

Respondetur. Indiuidua non differre, idest non esse dissimilia essentialiter in sua essentia & natura: sed reuera distinctam esse essentiam vnius ab essentia alterius. Sic magis est vnus, idest magis conuenit & assimilatur Petrus

trus cum Paulo. At si de distinctione loquamur, nonminùs est ab illo distinctus, quàm ab equo: quia reuera nihil Petri est idem in Paulo; sed tota entitas vnius est alia à tota entitate alterius.

Alia argumenta, quæ congeri possunt, ex dictis faciliùs solui poterunt.

SECTIO SEPTIMA.

Vtrum Natura secundùm se & in sua essentia sit formaliter vna.

SAnctus Thomas Opusc. 42. quod est de natura generis, capite septimo, planè docere videtur, naturam secundùm se, & in sua essentia, dicere vnitatem quandam, ipsi in tali statu conuenientem, quæ sit quidem à parte rei, & præter aliam vnitatem, quam natura postea accipit ab intellectu, tamen non sit in singularibus; neque cum ipsa natura descendat, siue communicetur ipsis singularibus: sed sistat in ipso statu essentiæ. Quoniam natura in sua quidem essentia caret diuisione: sed dum ad inferiora contrahitur, diuiditur in illis, ibique caret vnitate. Et ita hanc sententiam defendunt Capreolus in tertio distin. quinta quæstione tertia articulo tertio. Soncin. septimo Metaphysic. quæstione quadragesima. Iauellus octauo Metaphysic. quæstione decimatertia. Et Fonseca quinto Metaphysic. capite vigesimooctauo quæstione tertia, qui hanc vnitatem vocauit præcisionis: atque esse quodammodo mixtam ex vnitate formali & numerali; quia quatenus conuenit solis naturis, participat rationem vnitatis formalis: naturæ enim communes sunt formæ singularium. Quatenus autem conficit numerum ipsarum naturarum communium, quia humanitas, v. g. & equinitas, sunt duæ naturæ specificæ, habet rationem vnitatis numeralis. Et hinc vult, eam potius appellandam vnitatem numeralem, non quæ est propria singularium, sed quæ sit propria vniuersalium.

Natura non est in sua essentia formaliter vna positiuè loquendo. Dico primo. Natura secundùm se & in sua essentia non est formaliter vna positiuè loquendo. Hæc est communis eorum qui asserunt, naturam non nisi per intellectum esse formaliter vnam, quos sectione sequenti referemus: & fortasse, nec etiam est contra Auctores allegatos, qui intelligi poterunt iuxta conclusionem sequentem, vt dicemus.

Probatur primò. Naturæ in statu essentiæ conueniunt tantùm illa, quæ vel sunt intrinsecè de ipsa essentia, vel sunt passiones eam necessariò comitantes: sed vnitas seu indiuisio non est prædicatum essentiale naturæ, nec passio necessaria eius: ergo. Minor est clara, quia nec inter prædicata essentialia naturæ talis vnitas reperitur, nec necessariò illam comitatur: quinimo natura est in suis indiuiduis multiplicata, atque diuisa. Non ergo hæc vnitas conuenit naturæ secundùm se & in statu essentiæ.

Secundò prorsus repugnat, naturæ vnquam conuenire oppositum eorum, quæ illi in sua essentia conueniunt, sic enim destrueretur ipsa essentia: sed naturæ in singularibus conuenit diuisio opposita vnitati: ergo vnitas non conuenit essentialiter ipsi naturæ.

Tertiò. Id totum probatur exemplo Diuinæ naturæ; quæ cùm sit secundùm se & essentialiter vna, diuidi non potest, sed vnica est in omnibus personis. Cùm ergo vnitas non conueniat naturæ vniuersali in omni statu, quinimo in aliquo statu illi conueniat diuisio vnitati repugnans: planè sequitur, illi non conuenire secundùm se & in statu essentiæ vnitatem.

Nō potest natura essentialiter conuenire vnitas, quæ nō sit in singularibus à parte rei. Quartò vlteriùs, quicquid conuenit naturæ in statu essentiæ, simul cum illa ad inferiora descendit, ijsque communicatur. In hoc enim propriè consistit quòd prædicata conueniunt naturæ in statu essentiæ, vt iam præmisimus. Ergo in terminis repugnat, dicere, vnitatem conuenire naturæ in statu essentiæ, & non simul cum illa ad inferiora descendere. Item quicquid est à parte rei, & quicquid à parte rei conuenit naturæ reali, potest realiter existere in ipsis rebus: alioqui si solùm possit existere obiectiuè in intellectu, erit quid rationis & fictum: ergo repugnat etiam in ter-

in terminis, dicere, naturæ reali conuenire à parte rei aliquam vnitatem, quæ nunquam existat, vel existere possit realiter in ipsa natura.

Nō potest vnitas naturę communis dici numeralis.

Quintò, specialiter contra Fonsecam, non debet naturæ communi tribui vnitas numeralis. Nam hæc vnitas ab omnibus ponitur propria singularium. Vnde vnitas, quæ saltem per rationem ab omnibus conceditur naturæ communi, videlicet vnitas generica, specifica, à nullo vocatur vnitas numeralis: licèt penes illam possimus plura vniuersalia numerare: numeramus enim decem genera generalissima, tot species in vno genere, vt patet. Et ratio est: quia non omnis vnitas per quam numeramus, appellatur vnitas numeralis, alioqui non distingueretur vnitas numeralis & vniuersalis, sed omnis vnitas esset numeralis. Sed vnitas numeralis sumitur pro vnitate indiuiduali, quæ est propria singularium, quæ in indiuiduo numeramus, & de quibus dicimus, hoc est vnum numero, Petrus est vnus numero. Non ergo vnitas naturæ communis debet dici numeralis.

Natura in sua essentia nec etiam est diuisa.

Dico secundò. Natura secundùm se & in eodem statu essentiæ, nec habet diuisionem in plura, oppositam vnitati: & hinc dici potest quodammodo in tali statu negatiuè vna, idest non diuisa. Hæc conclusio est expressa S. Tho. de Ente & Essen. c. 4 & Opusc. 55. & 42. c. 6. & Auic. qui propterea dixit: *Equinitas secundùm se est tantùm equinitas, nec est vna nec plures.* Hæc etiam videtur fuisse de mente eorum quos ab initio allegauimus.

Probatur primò, eodem modo quo præcedens conclusio. Quia nec etiam diuisio est de essentia naturæ, vel necessaria eius passio: quinimo natura est secundùm integram suam essentiam & omnes suas passiones in vnoquoque indiuiduo, & tamen non est in illo diuisa: est etiam obiectiuè in intellectu, quando abstrahitur à singularibus, & tunc etiam à diuisione præscindit. Non ergo essentialiter diuisionem importat.

Secundò. Ex eo quod natura humana, v. g. essentialiter differt & est diuisa à natura equina, impossibile est, vt secundùm suam specificam rationem sit sine tali diuisione: ergo si pari modo essentialiter diceret diuisionem sui ipsius in plura, nunquam esse posset sine tali diuisione. Sed potest esse sine illa, vt patet: ergo diuisio non conuenit essentialiter ipsi naturæ.

Tertiò itaque patet, neque vnitatem, idest indiuisionem in plura, neque diuisionem & multiplicationem, conuenire naturæ in statu essentiæ: sed naturam secundùm suam essentiam esse indifferentem ad vtrumque. Ita tamen quòd nec ipsa indifferentia sit de essentia naturæ. Sed natura in sua essentia dicat tantùm illa quæ ei necessariò & semper insunt, & non dicat aliud præterea.

Vnde dici potest negatiuè vna.

Quartò, hinc dici potest natura in statu essentiæ negatiuè vna, idest non essentialiter diuisa. Vbi diligenter aduertendum est, aliud esse dicere per modum propositionis affirmatiuæ, natura in sua essentia est indiuisa; aliud per modum propositionis negatiuæ, non est in sua essentia diuisa. Prima propositio est falsa: & ideò in conclusione præcedenti dicebamus, naturam non esse formaliter vnam positiuè loquendo. Secunda est vera: & ideò in hac conclusione concedimus, naturam dici posse negatiuè vnam. Et ratio huius rei est clara. Quia dum sumitur natura in statu essentiæ, omnis propositio affirmans aliquod prædicatum quod non sit de essentia, erit planè falsa: & è contra, omnis propositio negans erit vera. Sicut tam falsum est dicere, de essentia hominis est non albedo, quàm est albedo: & è contra tam verum est dicere, de essentia hominis non est non albedo, quàm non est albedo, quia neutrum est de essentia hominis. Et sic patet in omnibus alijs rebus.

Quomodo possit natura definiri.

Obijcies primò. Natura in sua essentia habet vnum nomen vnamque definitionem: quod autem definitur, debet esse vnum, vt notauit Arist. 4. Metaph. tex. 10. & lib. 7. tex. 13. ergo natura in se & essentialiter est verè vna.

Respondetur, nomen quantùm ad suū significatum, & definitionem rei, non esse magis vnam, quàm sit ipsamet res: sufficit ergo, quòd natura in sua essentia sit negatiuè vna, idest non dicat essentialiter diuisionem, possit etiam concipi ab intellectu vt vna, ad hoc vt vno nomine significari, & vna definitione explicari possit.

Obij-

Quomodo vnitas sit adæquata passio entis.

Obijcies secundò. Vnum est passio entis; & omne ens in quocunque gradu sumatur, est ex sua essentia vnum: sed quælibet natura in quocunque gradu suæ essentiæ sumpta, est vtique essentialiter ens: ergo in eodem statu est vna. Sicut veritas & bonitas, quæ sunt aliæ passiones entis, omni naturæ reali in statu essentiæ conueniunt.

Respondetur, vnitatem quæ est passio entis, posse saluari merè negatiuè, quòd scilicet non sit de essentia naturæ diuisio: posse etiam saluari per rationem cum fundamento in re, quo pacto natura in intellectu est vna. Deinde potest sumi vnitas transcendens, quæ est passio entis, pro vnitate numerali & indiuiduali. Et hæc omni enti, omniquè naturæ reali, in omni statu conuenit. Pro qua re notandum est, hanc vnitatem indiuidualē posse sumi, vel determinatē in hoc aut illo indiuiduo, vel abstractè & in communi præscindendo ab omni vnitate indiuiduali determinata. Sicut enim præscinditur natura à singulis indiuiduis, ita vnitas à singulis vnitatibus. Naturæ ergo secundùm se & in communi sumptæ, non conuenit determinatè hæc vel illa vnitas singularis: conuenit tamen in communi & præcisè sumpta. Et hoc modo verum est dicere, enti adæquatè loquendo, & omni gradui entis, conuenire essentialiter & necessariò vnitatem: ita vt in indiuiduis illi conueniant singulæ vnitates determinatæ, in communi illi conueniat pariter vnitas in communi abstracta ab ijsdem vnitatibus. Vnde ita verum est dicere, omne ens est vnum singulare, omnis substantia est vna, omnis homo est vnus singularis; sicut dicuntur alia prædicata, quæ conueniunt naturæ in statu essentiæ. Non oportet ergo aliā vnitatem propriam & determinatam tribuere naturæ in statu essentiæ, repugnantem diuisioni quam habet in pluribus indiuiduis. Quod solùm in conclusione negauimus.

Quomodo natura cōmunes possint numerari.

Obijcies tertiò ex Fonseca. Vnitas quę conuenit naturæ communi, est incommunicabilis pluribus, quia sistit in ipsa natura: ergo dici debet vnitas numeralis. Nam vnitas numeralis constituitur per incommunicabilitatem, ad differentiam vnitatis formalis, quæ communicabilis est. Item vbicunque conceditur numerus, debet concedi vnitas numeralis; ex his enim vnitatibus numerus consurgit: sed in naturis communibus debet concedi numerus; dantur enim tot species, decem genera: ergo vnitas naturę communis debet appellari vnitas numeralis.

Respondetur, quoad rem attinet naturæ in statu essentiæ non conuenire aliquam vnitatem, quę non communicetur singularibus: quia apertè repugnat dicere, aliquod prædicatum conuenire naturæ in statu essentiæ, & non communicari singularibus. Quoad modum verò loquendi, si talis vnitas conueniret naturæ, siue vnitas rationis quam postea concedemus; licèt secundùm se communicari non possit, non debet appellari numeralis in sensu philosophico. Vnitas enim numeralis est, qua res dicitur vna numero, & qua fit vt res ipsa communicari non possit: cùm ergo natura communis possit ipsa communicari, eius vnitas non est dicenda numeralis, sed dicenda erit vniuersalis opposita numerali. Vniuersale enim est vnum commune multis. Ad alteram instantiam, nè de nomine contendamus, distinguendum est, dupliciter posse sumi numerum & vnitatem numeralem: vel mathematicè, vbicunque scilicet possimus numerare: vel metaphysicè, pro numero singularium, & pro vnitate singulari. Esto ergo mathematicè loquendo, possit in naturis communibus concedi numerus & vnitas numeralis: tamen non metaphysicè loquendo, in quo sensu Philosophi communiter loquuntur, & nos loquimur.

Quomodo natura in sua essentia possit abstrahere à contradictorijs.

Obijcies 4. Diuisio & negatio diuisionis contradictoriè opponuntur: sed inter contradictoria non datur medium: ergo malè dictum est, neutram conuenire naturæ in statu essentiæ. Vel sic: ex duabus contradictorijs necessariò altera est vera, & altera falsa: sed hæ sunt contradictoriæ, natura in essentia sua est diuisa, natura in sua essentia non est diuisa: ergo alterutra debet esse vera.

Respondetur, inter contradictoria non dari medium in statu realis existentiæ, quia omnino vel forma vel negatio formæ conuenit subiecto: sed in statu essentiæ posse dari medium, idest quòd nec forma nec negatio formæ sit de essentia

subiecti, vt patet innumeris exemplis. Illæ autem propositiones, quæ dicunt vel formam vel negationem esse de essentia, non sunt inter se contradictoriæ: quinimo ambæ sunt affirmatiuæ, & ambæ falsæ: atque adeò duæ negatiuæ oppositæ, erunt veræ. Illa ergo propositio, natura in statu essentiæ non est diuisa, si reddat sensum affirmatiuum, idest de sua essentia habet vt non sit diuisa, est falsa: si autem reddat sensum negatiuum, hoc modo, non ex sua essentia natura habet, vt sit diuisa; sic est vera, ex qua non sequitur positiuè loquendo vnitatem seu indiuisionem conuenire naturæ in statu essentiæ.

Quomodo propositiones omnes negatiuæ, circa hæc rem sint veræ, affirmatiuæ sint falsæ.

Obijcies quintò. Ex propositione negatiua de prædicato finito, benè inferri potest affirmatiua de prædicato infinito, vt habetur 2. Periericap. 1. V. g. homo non est albus: ergo est non albus: Igitur non solùm valebit dicere, natura in statu essentiæ non est diuisa; sed etiam affirmatiuè, in statu essentiæ est indiuisa.

Respondetur cum Caiet. de Ente & Essentia quæst. 6 Illam regulam valere in propositionibus simplicibus, non autem in propositionibus reduplicatiuis, seu in propositionibus enficiantibus ea quæ sunt de essentia rei: vt patet in exemplo allato. non enim valet dicere, homo quatenus homo siue in sua essentia est non albus. Benè tamen valet è contra etiam in reduplicatiuis, ex propositione affirmatiua inferre negatiuam: v. g. homo ex sua essentia est non equus: ergo ex sua essentia non est equus. Ratio autem clara est, quia benè fieri potest, vt neque forma neque negatio competat subiecto essentialiter: & ideò si negatur forma, non sequitur debere affirmari negationem formæ, sed hæc etiam negari debebit. At fieri non potest, vt forma & negatio formæ simul essentialiter competant eidem rei, vnde nunquam poterit vtraq. affirmari; sed si affirmabitur negatio formæ, debebit negari forma. Firma ergo remanet regula quam tradidimus; propositiones quidem negatiuas esse veras, tam de diuisione quam de indiuisione; affirmatiuas autem esse ambas falsas.

Quomodo dici possit natura negatiuè vna.

Obijcies 6. Si ex eo quòd natura in statu essentiæ non sit diuisa, admittimus posse dici negatiuè vnam: ergo cùm etiam dictum sit, in statu essentiæ non esse indiuisam; admitti debebit, esse negatiuè diuisam, idest non esse de essentia eius indiuisionem.

Respondetur, rem quidem pari modo se habere de vnitate seu indiuisione, atque de diuisione, vt ostensum est: tamen quoad modum loquendi faciliùs dici posse naturam esse negatiuè vnam; non solùm quia id est in vsu, qui solus sufficere potest: sed etiam quia ex impositione ipsa nomen vnitatis magis sumitur negatiuè: vnde eo sensu quo dicimus, natura non est in sua essentia diuisa, dicitur negatiuè vna. Sic Aristoteles 5. Metaphys. textu 11. *Quæcunque non habent diuisionem, quatenus non habent, eatenus vnum dicuntur.*

SECTIO OCTAVA.

Qualiter Natura vniuersalis per operationem & præcisionem intellectus fiat propriè vna.

Natura vniuersalis fit vna per operationē intellectus.

PRimò, ex dictis sequitur, naturam, vt sit vniuersalis, fieri debere vnam per operationem intellectus. Hæc est sententia S. Thom. de Ente & Essen. cap. 4. & Opusc. 42. sæpè, præsertim cap. 9. & 1. 2. q. 17. ar. 4. vbi ait, vnum specie vel genere esse vnum ratione, & alijs pluribus locis. Est etiam planè Damasc. lib. 1. Fidei cap. 11. vbi ait, naturas duorum singularium sola ratione vnum esse. Item Auicennæ 5. Metaphysic. in princ. Alens. 5. Metaph. tex. 10 & aliorum grauium Auctorum. Eamq. defendunt Suar. disp. 6. Metaph. Sotus hic q. 2. Vniuersalium. Tolet. q. 2. Fund. 4. & q. 3. Fund. 2. Conimbr. q. 3. ad 2. Masius sect. 2. de Vniuers. q. 3. & alij recentiores, vt plurimùm. Patet; quia ex vna parte præmissum est, vnitatem esse de necessitate & constitutione vniuersalis: ex altera parte ostensum est, naturam non esse à parte rei vnam, neque in singularibus, neque secundùm se sumptam: ergo nihil aliud superest, nisi vt fiat vna per intellectum. Neque enim ad rationem vniuersalis satis esset illud quod dictum est, naturam in sua essentia non dicere diuisionem: oportet enim vt positiuè dicat indi-

indiuisionem. Et sic vniuersale definitur aliquid vnum idest indiuisum. Natura ergo vniuersalis debet fieri vna per rationem.

Et est una obiectiuè in mēte.

Cõfirmatur: quia vnitas quę constituit vniuersale, debet in aliquo statu existere in ipsa natura, in illo scilicet statu in quo ipsa natura est vniuersalis. Sed duplex est status existentiæ, scilicet realis, & obiectiuæ: vnitas autem naturæ non existit à parte rei in indiuiduis, quinimò à parte rei existit diuisio naturæ in ipsis singularibus: debet ergo extare in statu existentiæ obiectiuæ, dum natura est in intellectu. Et sic natura non est vniuersalis à parte rei, sed tantùm prout est obiectiuè in mente. Hanc demum vnitatem rationis, vniuersali tribuere voluit Arist. non solùm 1. Post. tex. 149. dum dixit, vniuersale esse posterius singularibus, quia scilicet fit per abstractionem rationis à singularibus: sed pręsertim 5. Metaph. tex. 11. & lib. 10. textu 1. vbi inter varios modos vnius ponit vnum ratione & intelligentia, hanc vnitatem planè referens ad vniuersale.

Fitq. vna per præcisionē intellectus.

Secundò, ad explicandum quomodo fiat hæc vnitas per rationem, dici solet, fieri per abstractionem & præcisionem intellectus, quia scilicet intellectus sua consideratione veluti separat naturam ab ijs in quibus realiter est diuisa, & ita dicitur abstrahere & præscindere. Cùm enim realiter existat in Petro v. g. sua humanitas, & in Paulo sua humanitas, intellectus concipit tantùm humanitatem, non determinans illam ad aliquod certum singulare, sed formans de illa talem conceptum obiectiuum, qui possit affirmari non solùm de certo aliquo indiuiduo, sed de omni alio in illa natura consimili. Vnde talis conceptus obiectiuus in mente, non est actu diuisus in multa, sed veluti collectus in vnum: caret ergo diuisione: & sic est vnus. Et rursus ad maiorem explicationem talis præcisionis aduertendum est, dupliciter posse intellectum sua consideratione veluti separare & abstrahere vnum ab alio, vt notauit Boet. com 2. in procem. Porphyr. à se translati, & D. Thom i. par. q. 85. ar. 1. ad 1. & Opusc. 70. q. 5. ar. 3. vel per modum compositionis & diuisionis, vt loquitur S. Thom. vel per modum simplicitatis.

Qualis sit hæc præcisio.

Prior modus est, cùm intellectus iudicat hoc non esse illud: sic separamus & abstrahimus equum ab homine, dū dicimus homo non est equus. Et quando sic separamus quæ in re separata non sunt, fallitur intellectus exercendo actū iudicij falsi. Posterior modus est, cùm intellectus cogitat aliquid, non cogitando quicquid illi coniunctum & connexum est: sic possumus cogitare de sapore v g pomi, non cogitando de colore eiusdem; imo etiam absque distinctione rerum à parte rei potest intellectus sua cogitatione formare plures conceptus, cogitando aliquam rationem, & non adæquatè concipiendo quicquid est in tali re, & postea alio actu concipiendo aliam rationem. Sic sæpè cogitamus de vno attributo diuino, v. g misericordia, non cogitando de iustitia. Vnde prouenit distinctio quæ dicitur rationis. In hoc autem modo abstractionis non datur falsitas; nec enim intellectus iudicat hoc non esse illud, sed cogitat de hoc, non cogitans de illo. Et rectè dixit Arist. 2. Phys. 18. Abstrahentium non esse mendacium. Solet autem prima abstractio vocari negatiua, secunda præcisiua.

Hoc ergo secundo modo abstractionis præscindit intellectus a rebus conceptum naturæ communis, à diuisione quam habet à parte rei, concipiendo scilicet ipsam naturam, non concipiendo illam diuisam & determinatam in plura; non tamen negando illam de ipsis pluribus: quinimo per talem præcisionem natura constituitur in statu, vt possit prædicari de pluribus, quia deinde intellectus applicans eandem naturam rebus, in quibus verè reperitur, illam de omnibus affirmat. Vnde natura dum fit vniuersalis, fit etiam prædicabilis de pluribus. Et ratio est: quia licèt concipiatur non vt actu diuisa; tamen concipitur vt apta diuidi & multiplicari, de qua aptitudine loquemur lectione sequenti. Nunc tantùm loquimur, de vnitate, quatenus negante diuisionem actualem in ipso intellectu.

Fit vna dum præ-

Tertiò. Hæc intellectus præcisio exercetur, & vnitas efficitur, non temerè, & me-

Scinditur ab intellectu cum fund. mẽto in re. & merè fictè, sed cum maximo fundamento in re, quod potest dupliciter explicari. Primò penes similitudinem illam qua dicebamus singularia inter se realiter cõuenire & conformari in essendo. Cùm enim intellectus percipiat, Petrum & Paulum conuenire in hoc, quod vterque est homo, format conceptum humanæ naturæ vtrique communem; & vt dixit Soncin. quinto Metaph. quęst. 34. ad 3. Quælibet natura singularis apta est ingerere intellectui speciem intentionalem, ex qua formari possit conceptus obiectiuus, qui prædicari possit de omnibus alijs consimilibus. Secundò explicari potest penes negationem illam, qua dicebamus diuisionem in multa non esse de essentia naturæ. Hinc enim fit, vt possit concipi natura sine tali diuisione: alioqui si diuisio esset de essentia naturę, natura non posset rectè ab illa pręscindi. Vnitas ergo illa conformitatis, quam à parte rei concessimus; & negatio diuisionis instar tu essentię, licèt per se non sufficiat ad constituendum vniuersale: tamen est proprium fundamentum eius vnitatis per rationem, quam modò assignamus, & quę formaliter concurrit ad constituendum ipsum vniuersale.

Vnitas vniuersalis est denominatio vel forma rationis. Quartò deinde ad explicandum, quid sit hęc vnitas, statim videbitur esse ens quoddam rationis: non enim est à parte rei: sed tantùm fit per intellectum. Distinguẽdum tamen est, dupliciter posse accipi hanc vnitatem. Primò, in primo actu quo intellectus concipit naturam in se. Secundò, in alio actu reflexo, quo intellectus recogitat naturam in tali suo conceptu esse vnam & indiuisam: quos duos actus patet in intellectu debere distingui. In primo illo actu, intellectus cõcipit quod reale est in natura, licèt nõ concipiat totum quod est à parte rei, non tamen concipit quicquã fictum ex parte obiecti, vt per se patet: non ergo tunc datur ens aliquod rationis, & fictũ obiectiuè. Adhuc tamen per illum primum actum, denominatur natura concepta, & concepta sine diuisione. Atque adeò tunc dici potest vna per denominationem extrinsecam ab ipso actu intellectus ita concipientis, quæ denominatio in rigore est realis, quia est à forma reali cogitationis; tamen dicitur etiam rationis, quia cùm non sit subiectiuè in ipsa natura, illi tribuitur ab actu rationis. Et sic vnitas primo modo est denominatio realis ab actu rationis.

In secundo actu, si intellectus recogitans naturam in primo actu fuisse præcisam & effectam vnam, tantùm id concipiat per modum denominationis extrinsecæ, sicut nos modò diximus se habere: nec etiam facit ens aliquod rationis & fictum, quia concipit quod reuera est, & potest verè iudicare, natura est tali modo præcisa & vna. Si autem concipiat vnitatem in natura ad instar formę cuiusdam intrinsecæ, quam concipiat veluti resultare in ipsa natura ex priori operatione intellectus: tunc proprie effinget ens rationis, obiectum nempè quod reuera non est, nec est denominatio a forma reali: hoc autem totum, consonat doctrinæ in proprio tractatu traditæ de ente rationis.

Ad constituendum verò vniuersale, non est necessarium expectare vnitatem hanc fictam tali modo, neque hæc est necessaria, neque quicquã iuuat vel ad sciẽtias vel ad rerum explicationem. Sufficit ergo prima illa vnitas: & per illam optimè intelligitur vniuersale esse aliquid vnum: vnum quidem, non realiter, idest vnitate existente in rebus extra intellectum: sed vnũ ratione, non quasi hæc vnitas debeat esse forma ficta per rõnem, sed per denominationem rationis ab actu intellectus, verè reali modo explicato.

Quintò principaliter ad explicandum quotuplex esse possit hæc vnitas & præcisio, distinguere oportet adæquatè duplicem vnitatem & præcisionem. Vna dicetur perfecta: altera imperfecta. Illa erit perfecta vnitas & præcisio rationis, quando in illis rebus a quibus abstrahitur natura, inuenitur duplex ratio intrinseca: vna sit ipsa natura in qua vna res conuenit cum alia; altera sit differentia propria talis rei per quam differat ab alia. Vnde intellectus formare possit duos conceptus, vnum de natura, alterum de tali differentia. Ita quòd neque talis differentia includatur in conceptu naturæ, neque natura in conceptu differentiæ: non inquam includatur, nec explicitè, nec implicitè; sed quantumuis explicetur vterque conceptus, vnus non anuc- *Duplex est vnitas & præcisio. Vna perfecta.*

niatur

niatur in alio. Exemplum huius perfectæ præcisionis fit in homine inter animalitatem & rationalitatem. Si consideretur animalitas, quæ est natura communis hominis cum bruto, & est essentialiter principium sentiendi; non includit rationalitatem sumptam pro principio essentiali intellectiuo, nec etiam implicitè, quia quantumuis explicetur principium sentiendi, nunquam includet principium intelligendi. Pariter si consideretur rationalitas, quæ est differentia hominis à bruto, non includit animalitatem, quia quantumuis explicetur principium intelligendi, non includet principium sentiendi. Vnde principium intelligendi inuenitur in Angelis, in quibus nullum est principium sentiendi.

Alter im perfecta.

Alia erit imperfecta vnitas & præcisio rationis, quando in illis rebus à quibus abstrahitur natura communis, non inuenitur alia ratio, quæ non intrinsecè & essentialiter includat eandem ipsam naturam: quin potius totum quod est in ipsis rebus, & quæcunque formalitas in illis inuenta, semper inuoluat conceptum illum naturæ communis, nec possit penitus ab illo præscindi. Vnde & ipse conceptus naturæ communis in se continet & inuoluit quicquid penitus est, & omnem formalitatem inuentam in suis inferioribus, non relinquens in illis aliquas differentias quas secum non trahat. Et eò solùm dicatur abstrahi & præscindi, quòd potest conceptu confuso apprehendi sine conceptu explicito inferiorum: tamen saltem implicitè illa contineat: & ideò dicitur præscindi imperfectè, quia præscindit solùm ab explicito, non autem à totali conceptu inferiorum. Exemplum huius imperfectæ præcisionis sit, iuxta communem satis receptamque sententiam, in ente, sumpto adæquatè pro omni eo quod non est in re nihil. Concipimus naturam entis communem substantiæ & accidenti, nec tamen in substantia, vel in accidenti, inueniri potest aliqua ratio vel formalitas, quæ essentialiter non sit ens. Sed dicimus quidem, substantiam esse ens per se, accidens in alio; & ita distingui per differentias perseitatis & inaleitatis: tamen ipsa perseitas, & quicquid in ea concipi potest, semper est essentialiter ens. Ille ergo primus cóceptus obiectiuus entis, nó dicebat partẽ tantùm substantiæ, & partem relinquens: sed penitus inuoluebat quicquid est in substantia, quia nihil est in illa præter ens. Similiter in accidente. Sed quia Scot. cum sequacibus non admittit hoc exemplum, contendens etiam respectu entis dari differentias contractiuas in quibus ipsum ens non includatur: & de hoc disputandum erit in Metaphys. Aliud exemplum potest esse hæcceitatis in doctrina Scoti, qui ponit in cunctis rebus singularibus proprias hæcceitates à natura distinctas. Potest ergo à nobis nominari & concipi hæcceitas in communi, prædicabilis de singulis hæcceitatibus. Quod non est purum nomen æquiuocum, nec dicitur analogicè per metaphoram, aut denominationem extrinsecam: sed planè dicit conceptum obiectiuum in mente, communem singulis. Nec potest dici nisi imperfectè præscindere: quia sine dubio quicquid est in singulis hæcceitatibus, essentialiter inuoluit talem conceptum: nec sunt cogitabiles aliæ differentiæ extra latitudinem eius. Cæterùm alijs locis proprijs, iuxta varietatem rerum & naturarum occurrentium, demonstrabimus & defendemus, dari non solùm modum perfectæ, sed etiam imperfectæ præcisionis: & hæc tota res magis explicabitur.

Quenam ad vniuersale requiratur vel sufficiat.

Superest modò difficultas, num ad vniuersale requiratur perfecta vnitas & præcisio, vel sufficiat imperfecta. In qua re dubium esse non debet, posse sumi vniuersale ita amplè, prout scilicet à singulari distinguitur, quòd conceptus communis, siue perfectè, siue imperfectè præscindens, dicatur vniuersalis. Sic Aristoteles tertio Metaphysicæ textu decimo & 16. dixit, ens esse maximè vniuersale. Item posse sumi vniuersale ita pressè, pro solo eo, quod est perfectè vnum, perfectè præscindens, quod excludatur conceptus solùm imperfectè vnus. Et in vtroque sensu potest explicari definitio ipsius vniuersalis: vel intelligendo aliquid vnum, quocunque modo sit vnum: vel intelligendo perfectè vnum. Solùm ergo potest esse dubium, an vniuersale quod diuiditur in genus & speciem, quod prædicamenta constituit, quod dicitur vniuocum, & condistinguitur

tur

tur ab analogo, debeat perfectè præscindere. Et communis quidem sententia ita ferè sine disputatione supponit. Hoc tamen multùm dependet ex dicendis. Et quia potius spectat ad quædam vniuersalia, postea id discutiemus & resoluemus. Nunc vniuersale maximè sumimus in tota sua amplitudine, vocando vniuersale in essendo ad differentiam singularis, & cui conuenit doctrina hactenus tradita.

Arist. explicatur. Obijcies primò ad probandum vnitatem naturæ vniuersalis non posse in solo intellectu consistere. Arist. 5 Metaph. tex. 10. Vnitatem genericam & specificam videtur computare inter vnitates reales, seu quæ sunt a parte rei in rebus ipsis: sed vnitas generica & specifica est vtique vniuersalis: ergo.

Respondetur, vel Arist. ibi recensere vnitates quæ conueniunt enti reali, includendo etiam illas quæ per rationem conueniunt. Vel, si posuit vnitatem genericam & specificam a parte rei: intellexisse pro vnitate conformitatis, nō verò indiuisionis: siue pro vnitate indiuisionis fundamentaliter accepta, idest pro fundamento talis vnitatis.

Quomodo actus intellectus sumat vnitatem ab obiecto & det vnitatem naturæ. Obijcies secundò. Actus intellectus sumit vnitatem ab obiecto, à quo & specificatur: ergo non potest dare illi vnitatem: igitur natura non potest fieri vna per operationem intellectus. Respondetur, actum intellectus sumere vnitatem ab entitate naturæ quæ est eius obiectū, non ab vnitate naturæ. Et ita benè posse dare vnitatem ipsi naturæ, quam natura non habebat. Nec necesse erat, naturam præsupponi vnam ad hoc vt posset terminare vnum actum intellectus, nisi vnam fundamentaliter iuxta prædicta.

SECTIO NONA.

De Aptitudine Naturæ vniuersalis ad essendum in multis.

Variæ sententiæ. Idem Auctores qui naturam à parte rei & in singularibus vnam esse censebant, etiam aptitudinem ad essendum in multis tribuunt à parte rei ipsi naturæ in quolibet indiuiduo repertæ. Vel distinguunt duplicem aptitudinem; vnam positiuam; aliam negatiuam, scilicet non repugnantiam, seu negationem repugnantiæ ad essendum in multis: & dicunt, naturam à parte rei, si non habet aptitudinem positiuam, saltem habere hanc non repugnantiam. Vel duplicem esse aptitudinem, vnam proximam, aliam remotam: proximam esse potentiam liberam & expeditam, nulloque impedimento affectam: remotam esse potentiam impeditam, quæ tamen sublato impedimento reduci possit ad actum. Sicut materia secundùm se quidem dicit potentiam proximam recipiendi certam formam: sed quatenus affecta aliqua forma priori, est in potentia remota ad recipiendam aliam. Ita naturam à parte rei habere aptitudinem, non quidem proximam, sed remotam, singularitate scilicet impeditam, ad essendum in multis: quando verò abstrahitur, atque adeò à singularitate denudatur; tūc impedimento sublato esse in potentia proxima. Ita declarauit Scot. in 4. dist. 3. quæst. 1. quem alij suæ scholæ sequuti sunt.

Aliter Fons. 5. Metaph. cap. 28. quæst. 4. & 5. & lib. 7. cap. 12 quæst. vnica sect. 12. & 13. sicut naturæ tribuerat vnitatem in statu essentiæ independenter ab operatione intellectus, quæ tamen vnitas non esset in ipsis singularibus: ita pari modo naturæ tribuit aptitudinem in statu essentiæ. Illi demum qui naturæ non nisi obiectiuè in mente, tribuebant vnitatem: ita etiam communiter de aptitudine sentiunt.

Dico primò. Natura à parte rei & in singularibus existens non habet aptitudinem, quin potius habet repugnantiam, vt vna fit in multis. Hæc conclusio est ferè communis. *Natura non habet à parte rei aptitudinem essendi una in multis.* Probatur primò. à parte rei dari non potest vna indiuisa entitas naturæ, quæ eadem possit esse in multis: sed non nisi plures & multæ naturæ inter se diuisæ, possunt esse in multis: non ergo à parte rei datur, nec inueniri potest, aptitudo naturæ vnius ad essendum in multis. Item natura realiter non inuenitur nisi in suis singularibus: in quolibet autem singulari est determinata ad vnum, & non est apta vt fit in alijs. Humanitas quæ est in Petro, non potest esse in Paulo, nec in alio quouis homine singulari. Implicat enim naturam aliqua singularitate affectam amittere præexistentem

stentem & nouam recipere; idque neque per Dei potentiam fieri potest, quia non tanta distinctio intercedit inter naturam & singularitatem, vt apud omnes constat. Implicat etiam, naturam priori singularitate retenta, nouam recipere, vt ita possit eadem indiuisa natura plura constituere indiuidua. Sic enim eadem natura esse posset nō tantùm in duobus, aut tribus, aut decem, sed in quotquot crearentur à Deo: & si ita esse posset, dicendum foret ita esse de facto: quæ omnia absurdissima sunt: non ergo natura vt existens à parte rei in singularibus, potest vna esse in multis.

Respondent, naturam vnius indiuidui duo dicere, & rationem naturæ, & rationem huius. Et quatenus est hæc, non posse esse in pluribus, nec alijs indiuiduis communicari: sed quatenus est natura, posse. Sed contra. quia si in hac natura separari posset ratio naturæ & ratio huius, illaque sola transferri ad alia indiuidua, relicta ratione huius: sic responsio posset habere locum. Sed certè nihil eius naturæ quæ est in vno indiuiduo, nullaque entitas vnius indiuidui, potest communicari alijs: quinimo indiuidua ita diuisa sunt à parte rei, vt nullam entitatem possint realiter habere communem, quæ eadem fit in pluribus: ergo hæc natura, neque etiam quoad entitatem naturæ quam habet in hoc indiuiduo, potest communicari alijs.

Nec vnicam, nec multiplicatam, Secundò probatur conclusio. Quia talis aptitudo, si esset à parte rei, conueniret cuilibet naturæ existenti in quolibet singulari. Vel ergo esset vna in omnibus & singulis: vel multiplex quot sunt ipsa indiuidua. Primum dici nullo modo potest, quia cùm nec ipsa natura sit vna indiuisa in pluribus, multò minus aptitudo naturæ potest esse vna indiuisa in omnibus. Si dicatur secundum: ergo tot sunt naturæ vniuersales à parte rei, quot singularia eius, quia nimirum quælibet ex singulis naturis erit vna apta esse in pluribus: tot ergo erunt species hominis, quot homines singulares; tot genera animalis, quot animalia indiuidua. Imò è contra hinc inferretur, nullum esse vniuersale: quia cùm quodlibet singulare haberet suum proprium vniuersale; nullum erit vniuersale vnum in multis: Nullo modo ergo potest tribui illa aptitudo naturæ à parte rei.

Tertiò, non solùm non potest tribui aptitudo positiua; sed nec etiam negatiua, idest non repugnantia. *Nec positiuam nec negatiuā.* Probatum enim est, naturæ à parte rei positiuè repugnare, esse in pluribus: potius ergo dici debet, naturam à parte rei esse prorsus ineptam & impotentem, vt vna sit in pluribus. Item non solùm aptitudo proxima, sed etiam remota, non potest tribui naturę. *Nec proximam nec remotam.* Tum quia natura non potest vnquam amittere singularitatem, quam semel habuit, & accipere aliam. Nec etiam apta est veluti sub conditione: quòd si per impossibile expoliaretur singularitate quam habet, posset accipere aliam. Esset enim prorsus vana talis potentia: & perinde esset, ac si quis diceret, Petrum habere potentiam, quod si non esset Petrus, posset esse Paulus; quod planè nugatoriè diceretur. Et patet eodem illo exemplo materiæ: quæ ideò vtique dicitur rectè habere potentiam remotam ad alias formas, quia reuera potest transire de forma quam habet, ad aliam quam non habet. Tum deinde aptitudo remota sic explicata, nihil facit ad rationem vniuersalis. Vniuersale enim est quod aptum est simul esse in multis, & esse commune multis. Aptitudo ergo remota, qua per ablationem vnius singularitatis natura posset assumere aliam, nihil facit: quia semper verum esset dicere, naturam nunquam posse nisi in vno singulari existere. Vnde etiam si natura posset realiter ab vna singularitate transire ad aliam, esset hoc ipso in se singularis: sicut materia successiuè recipiens plures formas, & transiens de vno composito ad aliud, semper est verissimè singularis.

Quartò. Scotus ideò posuit aptitudinem illam à parte rei in ipsa natura, quia naturam à singularitate distinxit. *Nec etiā si natura esset à singularitate distincta.* Sed nos modò supponimus, non distingui, & quæst. seq. ostendemus. Deinde etiam si distingueretur; cùm non esset tanta hæc distinctio, vt sufficiat ad separationem realem, nec etiam sufficeret ad talem aptitudinem. Demum etiam si sufficeret ad separationem realem, adhuc non sufficeret ad multiplicationem eius naturæ in plura. Vana est

ergo

ergo illa aptitudo, & falsò excogitata.

Natura in statu essentiæ nō dicit aptitudinem.

Dico secundò. Natura secundùm se & in statu essentiæ non dicit positiuè aptitudinem vt possit esse in multis; sed negatiuè se habet, quia nec etiam dicit repugnantiam oppositam. Et primò, non dicere aptitudinem, sequitur ex eadem præcedenti conclusione: quia si talis aptitudo conueniret essentialiter naturæ, semper illi conueniret, etiam à parte rei & in singularibus. Vnde sic benè argui potest. Humanitas Petri est essentialiter humanitas, & habet quicquid est de essentia humanitatis, alioqui nullus homo esset perfectus homo: sed humanitas Petri non est apta esse in pluribus: ergo humanitas absolutè non dicit essentialiter aptitudinem essendi in pluribus. Qua ratione probatur, nec etiam aptitudinem negatiuam, idest non repugnantiam, conuenire naturæ in statu essentiæ affirmatiuè loquendo: nam si non repugnantia competeret essentialiter ipsi naturæ; nunquam naturæ posset adiungi repugnantia opposita, quæ tamen in quolibet singulari naturæ adiungitur.

Nec dicit repugnantiam.

Secundò, ex alia parte probatur, naturam in statu essentiæ nec etiam dicere repugnantiam essendi in pluribus. Quia reuera, si sumantur plura indiuidua, in ijs pluribus est natura: & quatenus natura vniuersalis est obiectiuè in intellectu, habet aptitudinem essendi in pluribus, neque hic noster conceptus destruit essentiam naturæ, quinimo habet fundamentum in ipsa reali essentia naturæ. Non ergo naturæ secundùm suam essentiam repugnat esse in pluribus. Item non est de essentia naturæ secundùm se sumptæ, esse determinatam in hoc indiuiduo, v. g. de essentia humanitatis vt humanitas est, esse determinatam in Petro: quia sic non possent esse alij plures homines participantes humanam essentiam. Sicut si verum esset, quamlibet naturam specificam Angeli esse determinatam ad vnum certum indiuiduum, non possent esse plures Angeli in eadem specie, iuxta sententiam Thomistarum.

Sed negatiuè se habet.

Tertiò itaque, eodem pacto quo de vnitate dicebamus, nunc de aptitudine constat, neque aptitudinem neque ineptitudinem seu repugnantiam oppositam, item neque negationem aptitudinis neque ineptitudinis, esse de essentia naturæ. Vnde omnes propositiones affirmatiuæ erunt falsæ, negatiuæ erunt veræ. Et hæc tota doctrina habetur ex D. Thom. de Ente & Ess. cap. 4.

Natura quælibet à parte rei apta est esse in suo indiuiduo.

Dico tertiò. Quælibet natura à parte rei & realiter apta est esse in suo vno singulari. Explicatur & probatur conclusio. A parte rei extant naturæ singulares multiplicatæ & diuisæ, v. g. in quolibet homine sua humanitas. Et apta vtique est humanitas quæ est in Petro, esse in Petro, nam de facto est in illo: cùm alioqui apta non sit, imo illi repugnet, esse in Paulo, & quolibet alio homine. Non datur ergo à parte rei aptitudo naturæ vt sit in multis, sed datur vnius naturæ in vno, & singularum in singulis indiuiduis: atque adeò hæc ipsa aptitudo est realiter multiplicata atque diuisa. Nec etiam putandum est, hanc aptitudinem esse potentiam quandam realem distinctam a natura. Natura enim in quolibet indiuiduo non distinguitur ab ipso indiuiduo eiusquè singularitate: multò ergo minus potest habere potentiam distinctam. Sed talis aptitudo est eadem ipsa entitas naturæ, siue ipsiusmet indiuidui; ac si dicatur, hoc indiuiduum aptum est realiter existere: idem enim prorsus est dicere, natura huius indiuidui potest existere, potest esse in ipso indiuiduo. Vnde hæc tota aptitudo non est alia quàm possibilitas existendi tot indiuiduorum consimilium essentialiter inter se: quæ quidem, positiuè est ipsamet entitas rerũ possibilium; denominatiuè autem dicit potentiam causæ productiuæ talium rerum; & negatiuè dicit nõ repugnantiam ad essendum. Quod totum est de adæquata ratione entis possibilis, de qua in Metaphys.

Natura in intellectu habet aptitudinē essendi vna in multis.

Dico quartò. Ab intellectu fit, & naturæ tribuitur, aptitudo ad essēdum in multis, simul cum vnitate quam natura habet in eodem intellectu, quæ aptitudo sit relatio, siue quædam potentia rationis, fundata in re. Hæc conclusio, est communis. Et probatur facilè: quia cùm intellectus vno conceptu apprehendat naturam aliquam, detquè illi vnitatem rationis, simul cogitat, talem naturam aptam esse vt sit in multis, vt possit communicari multis, cogitat naturam humanam aptam esse

esse inueniri in tot hominibus singularibus: & hanc aptitudinem concipit tanquam relationem quandam & ordinem, siue quandam potentiam, habentem pro subiecto ipsam naturam, & pro termino singularia. Et quidem si intellectus solùm conciperet aptitudinem realem, qua vna singularis natura potest esse in suo indiuiduo, & sic de singulis: in hoc conceptu nullum faceret ens rationis, sed conciperet rem sicuti est. Sed dum concipit aptitudinem vnius naturæ, quasi ordinem & respectum superadditum naturæ: sic facit hanc aptitudinem rationis. Cum fundamento tamen in re, eodem scilicet quod erat fundamētum vnitatis. Nam reuera quælibet natura apta est esse in suo singulari, & singulæ naturæ sunt inter se consimiles, nec est de essentia naturæ secundùm se, v.g. de essentia humanitatis vt humanitas est, esse determinatam ad certum aliquod singulare: non ergo temerè, sed cum occasione & fundamento, concipit intellectus talem aptitudinem naturæ vnius ad essendum in multis.

Et hæc aptitudo potest pluribus modis concipi. Poterit autem intellectus concipere hanc aptitudinem, vel adæquatè ad omnia indiuidua, vel explicitè ad aliquot, siue ad vnum aut aliud certum determinatumquè indiuiduum. Et hæ aptitudines erunt diuersæ relationes rationis, vt patet, differentes ex parte termini. Et hæc erit differentia veluti specifica, quia plus differt aptitudo concepta ab vno intellectu ad omnia indiuidua, ab aptitudine concepta ad vnum certum indiuiduum, quàm à simili aptitudine concepta ad omnia indiuidua ab alio intellectu, vel ab eodem alio actu. Quandocunquè autem à diuersis intellectibus, aut ab eodem diuersis & repetitis actibus, concipiatur aptitudo consimilis: dici poterunt plures relationes rōnis veluti numero differētes. Dixi aūt esse relōnem siue potentiam rationis, quia se habet ad instar relationis trāscendentalis, sicut potentia realis dicit ordinē ad suū obiectū.

Argumenta quæ obijci possent ad probandū dari aptitudinē à parte rei vel in statu essentiæ: aut tm̄ probant aptitudinē vniuscuiusq; naturæ in suo indiuiduo, aut non repugnantiam in statu essentiæ negatiuè loquendo, idest naturæ ex sua essentia non repugnare esse in multis.

SECTIO DECIMA.

Vtrum per vnitatem vel per aptitudinem vltimò constituatur vniuersale.

Duplex modus cōstituendi vniuersale. EX omnibus quę dicta sunt de natura & vnitate & aptitudine, explicanda tandem est constitutio ipsius vniuersalis. Et quia sine dubio natura ante omnia præsupponitur, comparando vnitatem & aptitudinem duplex modus cōstituendi vniuersale colligi potest. Vel dicendo, vniuersale constitui per aptitudinem rationis quæ naturæ ab intellectu tribuitur: & quia hæc superuenit vnitati, vniuersale vltimò constitui atque compleri per ipsam aptitudinem in vnitate fundatam. Vel dicendo, ad vniuersale sufficere aptitudinem illam realem diuisam in pluribus, superueniente collectione illa & adunatione, qua ab intellectu accipit vnitatē: & quia hęc aptitudo realiter presupponitur, sic vniuersale constitui atque cōpleri per ipsam vnitatem, nec indigere alia aptitudine rōnis.

Duplex sententia. Frequens sententia est, vniuersale vltimò constitui & compleri priori modo, scilicet per aptitudinem quæ est relatio rationis. Ita significat S. Thom. de Ente & ess. cap. 4. dicens, ex eo quòd natura humana habet relationem ad indiuidua, intellectum adinuenire rationem speciei. Affertquè Auerr. & Auic. dicentes, intellectum facere vniuersalitatem in rebus. Alij etiam qui docent, vniuersale esse opus intellectus, vniuersalitatem esse aliquid rationis, supponere videntur, vniuersale constitui per formam rationis, quę non est alia quam talis aptitudo. Et expressè Scot. ipse in 2.d.3.q.1.§. sed contra, ait, vniuersale completiuè constitui per potentiam & aptitudinem proximam quam accipit ab intellectu. Boetius item in Porphyr. à se translatum cap. de Genere, ait, genereitatem esse relationem qua animal v. g. refertur ad ea quæ sibi subiecta sunt. Et præsertim omnes qui dicunt, vniuersale fieri per notitiam cōparatiuam referentem naturam ad suæ inferiora; omnino sentiunt, aptitudinem rationis esse formam constitutiuam & vltimò completiuam vniuersalis.

Alia sententia est, vniuersale vltimò consti-

constitui atque compleri per vnitatem non expectata alia aptitudine rationis. Hac sententia videri potest eorũ qui volũt vniuersale fieri per notitiã abstractiuam, & non per comparatiuam. Verùm hi, e iam supponendo aptitudinem rationis esse de constitutione vniuersalis, sentiunt vniuersale fieri per notitiam abstractiuam, quia volunt per eandem ipsam notitiam effici aptitudinem rationis: & ita non possunt pro hac sententia afferri. Clariùs eam indicat S. Thomas Opusc. 48. tractatu 1. cap. 1. & Opusc. 56. Vbi clarè docere videtur, per vnitatem compleri vniuersale, & vniuersalitatem formaliter non esse aliud quam vnitatem.

Fũdamentũ vtriusque. Fundamentum primæ sententiæ est. Quia vniuersalitas formaliter est aptitudo naturæ vnius ad essendum in multis, non verò vnitas naturæ aptæ; & ita solet communiter assignari: sed vniuersalitas ipsa fit ab intellectu,& non est in re; nam vniuersale formaliter est opus rationis, vt omnes supponunt: ergo aptitudo rationis est per quam vltimò constitui debet vniuersale.

Fundamentum secundæ sententiæ est. Quia nihil plus ad vniuersale requiritur, nisi vt sit vnum aptum inesse multis: sed hoc totũ habetur per aptitudinem realẽ superueniente vnitate; nã cùm natura à parte rei sit apta esse in rebus, hoc ipso quod est vna, est vna apta: ergo superflua & inutilis est alia aptitudo rationis. Cùm ergo præsupponatur talis aptitudo realis, eique superueniat vnitas per quam statim vniuersale completur; vnitas est quæ vltimò constituit vniuersale. Confirmatur magis. Natura eo ipso quòd est vna, iam est prædicabilis, idest potest affirmari de multis; neque ad hoc vt prædicetur seu prædicari possit, expectare oportet aliam aptitudinem rationis: sed prædicabilitas sequitur vniuersalitatem, quia prius est, esse in subiecto quàm de illo prædicari, & posse esse quàm posse prædicari: ergo dum natura est vna, iam est vniuersalis; & vnitas est quæ vltimò illam constituit vniuersalem.

Vtraq. modus approbatur. Pro resolutione: vtraq. hæc sententia verificari potest, dicendo, vniuersale posse dupliciter accipi: & vno modo vltimò constitui per aptitudinem rationis superuenientem vnitati: alio modo per vnitatem superuenientem aptitudini reali ante aliam aptitudinem rationis. Explicatur & probatur assertio. Dubium non est, vniuersalis nomine posse intelligi illud quod sit aptum aptitudine intrinsecè vna & in se singulari, eo pacto quo dixit S. Thom. Opusc. 56. circa medium, intentionem vniuersalitatis quæ est in anima, esse quid singulare: siue aptitudine fundata in vnitate præinuenta opere intellectus in ipsa natura. Hoc modo manifestum est, aptitudinem rationis esse de intrinseca constitutione vniuersalis, esseque formam vltimò completiuam eius, & esse formaliter loquendo vniuersalitatem.

Pari modo dubium esse non debet, vniuersale posse accipi pro eo quod vnum est & aptum est esse in multis, non requirendo dictas conditiones aptitudinis; sed quomodocunque sit ipsa aptitudo. Hoc modo sufficit aptitudo realis, & per vnitatem vltimò constituitur vniuersale sic sumptum. Nam cum quælibet natura singularis, sit realiter apta esse in suo indiuiduo, vt prædictum est; hanc aptitudinem non amittit natura, quando abstrahitur & fit vna: sub ipsa ergo vnitate, natura est apta. Et quia conceptus ille naturæ nõest determinatus ad vnum certum singulare, vt supponimus; est aptus esse in multis: ergo nihil prohibet, quominus dicatur vniuersalis. Vbi ipsamet aptitudo est vna, non quidem vna singularis, sed vna per abstractionem; sicut ipsa natura est vna: sufficiet autem, tantam, siue potius eandem esse, vnitatem aptitudinis; quanta, siue quæ est, vnitas naturæ.

Duplex acceptio vniuersalis. Hæc resolutio consona est cuidam distinctioni quæ tradi solet. Vniuersale duplex esse, seu dupliciter sumi posse: aliud esse vniuersale logicum, aliud metaphysicum. Priori modo dicetur logicum, posteriori metaphysicum. Dicitur illo modo logicum: quia inuoluit secundam intentionem logicam & relationem rationis. Dicitur alio modo metaphysicum, quia minus habet de opere rationis, & magis præsefert realitatem rei: atque vt sic maximè deseruit ad scientias, quæ dicuntur esse de vniuersalibus,

libus,idest de rerũ naturis, ad easq. sciẽtias nihil planè confert alia aptitudo rationis. Itẽ primum dicitur vniuersale negatiuum, secundum positiuum. Quia nimirum illud complectur per vnitatem: Imo etiam in illo statu præter aptitudinem realem habet aptitudinem negatiuam,idest nõ repugnantiam ad essendum in multis, eo quòd sit præcisum à differentijs determinantibus; quæ tamen aptitudo negatiua non est aliud quàm ipsa præcisio. Alio mõ dicitur vniuersale positiuum, quia constituitur per aptitudinem rationis, veluti per formam positiuam.

Ex hac demum resolutione explicatur, qualiter vniuersale sit opus intellectus, siue sit ens rationis. Nam vniuersale logicum inuoluit formam quæ proprijssimè est ens rationis obiectiuè sumptum & fictum, sicut in proprio tractatu explicauimus ens rationis. Vniuersale autem metaphysicum non ita inuoluit formam rationis: quinimo totum quod est, in rigore est reale. Ad summum enim inuoluit denominationem extrinsecam ab actu reali intellectus:si vnitas sumatur primo modo, quem diximus sect. 8. conclus. 4. & quæ sanè sufficit ad constituẽdum hoc vniuersale. Vnde quãdo dicitur vniuersale esse opus rationis, & vniuersalitatem esse formam rationis: De hoc vniuersali verum non est, nisi sumẽdo ens rõnis in alio sensu, scilicet subiectiuè in intellectu, & pro denominatione desũpta ab actibus qui sunt in intellectu.

Fũdamentũ vtriusque sententia soluitur. Hinc ad fundamentum vtriusq. sententiæ dicendum est. Ad fundamentum primæ, vniuersalitatem in rigore complecti & vnitatem & aptitudinem; & dici posse, vniuersalitas est aptitudo naturæ vnius, est vnitas naturæ aptæ esse in multis. Et quocunq. modo sumatur vniuersalitas,semper de illa valet dicere, fieri ab intellectu: tum si sumatur vniuersalitas pro aptitudine rationis: tum si sumatur pro vnitate; nã hæc etiã fit ab intellectu, modo tamen explicato. Tum etiam si sumatur pro aptitudine reali. Pro qua obseruandum est, aliud esse dicere, hæc aptitudo est, atq. hæc aptitudo est vniuersalitas, siue est vna: Asserimus enim esse à parte rei: negamus, à parte rei & independẽter prorsus ab intellectu esse vnam, siue esse vniuersalitatem. Ratio ergo vniuersalitatis omnino habetur opere intellectus, vel per formam rationis, vel per denominationem ab actu rationis.

Ad fundamentũ secundæ sententiæ dicendum est, ad vniuersale metaphysicum nihil plus requiri:tamẽ ad vniuersale logicum requiri vlteriorem illam aptitudinem, fundatam in vnitate naturæ præcisæ, & in se singulariter vnam. Ad confirmationem dicendum, prædicabilitatẽ pariter sumi posse: vel pro forma & aptitudine rationis; & hæc ordinatè fingitur ab intellectu post aptitudinem inessendi, quæ est vniuersalitas vniuersalis logici: vel pro denominatione à potentia intellectiua quæ apta est prædicare; & ad hãc sufficit vniuersale metaphysicum; & hæc etiam prædicabilitas sufficit ad exercitiũ prædicandi, vt intellectus scilicet affirmet naturam de inferioribus, nulla intercedente aptitudine ficta rationis.

SECTIO XI.

Per quam intellectus operationem, præsertim an per notitiam præcisiuam vel comparatiuam, perficiatur vniuersale.

Explicando hactenus essentiã & constitutionem vniuersalis,satis ostensum est, quanam sit causa faciens vniuersale; nempè intellectus.Solùm videndum superest, per quamnam operationem fiat ab intellectu vniuersale.

Prima sententia asserens fieri per operationem intellectus agentis. Prima sententia asserit, vniuersale fieri per operationem, quæ non sit actus cognitionis intellectiuæ, sed prauia quædã actio: fieri scilicet per operationẽ intellectus agẽtis, abstrahentis speciem intelligibilem repræsentatiuam naturæ communis absque conditionibus indiuiduantibus. Cùm enim nos acquiramus species intentionales ministerio sensuum, imprimũtur priùs species sensibiles in sensibus internis, & inde producuntur species intelligibiles ad vsum intellectus. Et intellectus agens est qui habet hoc munus producendi species: intellectus verò qui recipit species, & cognoscit obiectũ, dicitur intellectus patiens. Asserit ergo hęc sententia, intellectũ agentem producere speciem intelligibilẽ repræsentatiuã solius naturæ cõmunis, non vero singularium

in se: atq. adeò per hanc operationē primò fieri vniuersale. Ita significauit Auerr. 3 de Ani.com.8. Fauet S.Tho.1.p.q.85.ar.1. Defendit Sot.q.2.de Vniuer.& ex parte Fons.5.Met.c.28.q.6.sect.1. Et Didac. Masius sect.2.q.5. idē defendit de vniuersali specie, quod abstrahitur ab indiuiduis sensibilibus. Adhæret Sanc. quæst. 34.

Secunda asserēs fieri per notitiā præcisiuam. Secunda sentētia asserit, vniuersale fieri per notitiā præcisiuā, qua scilicet intellectus cognoscit seu apprehendit naturā cōem sine conditionibus indiuiduātibus. Ita indicat S.Tho. eodē loc. ad 1.& art.2. ad 2. & ar.3. ad 1.& 4. & 1.2.q.29.ar.6. & alibi. Dur. in 1.d.3.q.5.n.27. & in 2.d.3.q.7.n.11. Capr. in 1.d.8.q.2.ar.3. Heru. c.1.de Secun intent. & non pauci recentiores sequuntur, Tol.q.2.de Vniuers. & & q.2.de Prim.& secun.inten.Sot.q.3.de Vniuersal. Conimbr.q.4. Mas.lo.cit. Vall. de Vniuers.in cōmuni q.4.c.9.& alij. Vbi Petron.lib.4.q.1.ar.6. idem defendit, cōfundens notitiam abstractiuam cum operōne intellectus agentis,& notitiā cōparatiuā cū operōne intellectus possibilis.

Tertia asserens fieri per notitiā comparatiuā. Tertia sententia asserit, vniuersale fieri per notitiā comparatiuā, qua intellectus refert naturam cōem ad inferiora, cōcipiendo ipsam naturam aptam inesse illis. Ita significat S.Thom. Opusc.55.& de Ente & Essen. c.4. vbi Caiet.q.7. Scot. etiam 7.Met.q.11. Antonius Andr. q. 16. & alij Scotistæ. Item Suessan. lib. 7. Met. disp. 17. Suar. disp. 6. sect. 6. Et alij plures. Ruuius quæst.6.Vniuers. Et alij hoc loco.

Quarta asserens fieri per utrāque. Quarta sententia asserit, vniuersale fieri per notitiam præcisiuam comparatiuæ immixtam, sumendo scilicet comparationem inter ipsa inferiora: quia nempè intellectus conferendo plura inter se consimilia, abstrahit cōceptum illis omnibus communem, & ita facit vniuersale. Ita explicant Conimbr. quæst.4. Vniuersal. & Fons. 1. Met. cap. 2. quæst. 2. sect. 5. Vel aliter sumendo comparationem pro reflexione, qua intellectus considerat conceptum naturæ à se abstractæ, & confert cum rebus ipsis. Et ita aliqui dicunt, vniuersale fieri per notitiam reflexam. Et hoc indicat S. Thom. Opusc. 48. tract. 1. cap. 1.

Vniuersale nō fit p operatio- nem intellectus agentis. Dico primò. Vniuersale propriè fieri per actum aliquem notitiæ intellectiuæ, & non per operationem antecedentem intellectus agentis abstrahentis species, nisi fortè habitualiter seu in actu primo. Hæc conclusio est communis. Et dupliciter fundari potest. Primò, si dicamus intellectum agentem non abstrahere species intelligibiles à conditionibus indiuiduantibus; sed producere species repræsentatiuas, non solùm naturæ communis, sed etiam omnium singularium cum suis conditionibus indiuiduantibus: quia verò producit species spirituales; ideò dici abstrahere ipsas species a concretione materiæ. Sed hæc res nō est huius loci, spectatque ad libros de Anima.

Secundò Etiam si nunc admittamus intellectum agentem abstrahere eo modo species: tamen actu & formaliter vniuersale non dicetur fieri, nisi quando per actum cognitionis repræsentabitur ipsa natura communis sine conditionibus indiuiduantibus, siue natura generica sine differentijs specificis. Per abstractionem verò specierum intelligibilium ad summum dici poterit fieri habitualiter, & in actu primo. Neque in hoc oportet de nomine plus contendere.

Vniuersale, quoad vnitatem fit per notitiā præcisiuam, quoad aptitudinē per comparatiuam. Dico secundò. Vniuersale diuersimodè sumptū iuxta duplicem modum sect. præced. assignatū, fieri per notitiam vel præcisiuam vel comparatiuam. Vniuersale scilicet metaphysicum, quod nēpè completur per vnitatem, fieri per præcisiuam: logicum verò, quod completur per aptitudinem rationis, per comparatiuā. Probatur facilè, vnitas consistit in ipsa præcisione naturæ ab inferioribus: perficitur ergo in ipsa præcisione absque alia comparatione naturæ ad inferiora. Aptitudo autem rationis, cùm sit relatio, non potest cogitari nisi comparando naturam aptam inesse, ad ea in quibus apta est inesse, vt est clarissimum: & non potest fieri, nisi per talem cogitationem & considerationem intellectus: quod planè sequitur ex dictis suo loco de ente rationis. Et immeritò aliqui dicunt, per ipsammet notitiam abstractiuam, licèt non cogitetur hæc relatio, tamen effici & resultare. Id enim repugnat in terminis. Et ad summum dici potest in illa abstratione fundari, vt deinde alia cogitatione, quæ omnino sit comparatiua, actu fiat talis relatio. Vniuersale ergo quantùm ad vnitatem fit per notitiam præcisiuam

uam: sed quantùm ad aptitudinem rationis omnino fit per notitiam cóparatiuam.

In abstractione non oportet inuolui comparationem;

Dico tertiò. Ad faciendum vniuersale metaphysicum per abstractionem, necesse non est inuolui comparationem inter plura similia: ad cognoscendum tamen id esse verè vniuersale, necesse est cognoscere possibilia esse plura cósimilia in illo conceptu. Explicatur & probatur conclusio. Ad abstrahendam naturam aliquã ab aliqua re, non est simpliciter necessarium, considerare similitudinem vnius rei cum alia. Regulariter quidem solet ita fieri abstractio, quia intellectus perspiciens, v.g. Petrum & Paulum esse similes in operationibus humanis, abstrahit conceptum hominis in quo ambo conueniunt: tamen in rigore, etiam cogitando vnum tantùm singulare, potest ex illo abstrahere conceptum naturæ, considerando deinde ipsam naturam sine expressa consideratione talis indiuidui: sicut possumus nunc considerare naturam Solis, non expressè determinando hunc numero Solem. Et natura sic concepta, erit indifferens ad omnia indiuidua, ad eaquè applicabilis: nam post abstractionem ab hoc indiuiduo, non plus est illius quàm aliorum quorumcunque similium, alioqui non esset abstracta. Igitur non est simpliciter necessaria comparatio & collatio plurium singularium inter se consimilium ad faciendum vniuersale per abstrationem. Quod verò dixit Arist. primo Poster. tex. 134. impossibile esse vniuersalia speculari nisi per inductionem ex multis, etiam si per abstractionem dicatur: planè intellexit de vniuersalibus complexis, idest de propositionibus vniuersalibus, & docuit illarum veritatem inductione constare, idest illas ostendi veras in singulis sub illa vniuersalitate contentis. quare nihil dixit contra præsentem nostram doctrinam.

Ad cognoscendũ tamen id esse vniuersale, necesse est cognoscere possibilia esse plura consimilia in illo conceptu. Nam certè si non esset possibile nisi illud vnicum singulare à quo abstracta fuit natura, verè illa natura non esset vniuersalis, idest non esset apta inesse pluribus. Sicut si verum esset vnum solum Angelum singularem esse possibilem in qualibet natura specifica Angelica: talis natura non esset verè vniuersalis. Intantum ergo conceptus naturæ potest dici vniuersalis in abstractione, inquantũ per aptitudinẽ realẽ pōt esse in pluribus. Igitur vt intellectus cognoscat hmodi vniuersale, debet cognoscere esse tali modo aptum: & in hoc inuoluitur cognitio comparatiua.

In comparatione nõ oportet inuolui, sed sat est supponi abstractionem.

Dico quartò. Ad faciendum vniuersale logicum per comparationem, necesse non est per explicitam reflexionem considerari, sed satis est supponi priorem conceptum abstractionis. Explicatur & probatur conclusio: quando intellectus concipit & fingit in natura aptitudinem rationis essendi in pluribus, præsupponitur quidẽ cóceptus abstractionis, quo talis natura concepta est in se tanquã vna: & deinde eidem naturæ attribuitur ab intellectu aptitudo essendi in pluribus. Quod totum fieri potest, etiam si intellectus in secundo actu nõ consideret ipsam abstractionem prius factam, siue vnitatem naturæ in illo conceptu formatam. Non ergo necesse est, per explicitam reflexionem considerari; sed sat est supponi ipsam abstractionem. Si quis autẽ notitiam reflexam appellare velit illam quæ præsupponit aliã priorem, licèt non habeat eam pro obiecto, sed attingat alio nouo modo illud ipsum obiectum quod fuit repræsentatum in prima cognitione: sic talis notitia comparatiua dici poterit reflexa: & vniuersale quatenus fit per illam, dicetur fieri per notitiam reflexam.

Hinc multò minùs necesse est, ad faciẽdum vniuersale, reflexè cogitare de illamet aptitudine quatenus facta per directã comparationẽ. Sed solùm id requiritur ad cognoscendum vniuersale iam factum. Nam tunc fit aptitudo rationis, cùm primò concipitur: cùm autem denuò consideratur quatenus facta, nõ est illã fieri, sed factam cognosci. Ita notauit Scot. 5. Metaph. quæst. 11. Et prętereà satis manifestum manet ex dictis à nobis in proprio tractatu de ente rationis. Atq. iuxta has omnes cóclusiones debet intelligi S. Thom. varijs in locis, quibus omnes sententias relatas docuisse videbatur.

Cæterũ, si quæratur per quamnã ex tribus operationibus intellectus fiat vniuersale, resoluẽdũ id est ex dictis in vniuersum de ente rationis. Nempè per se primò fieri per primam operationem: magis autem determinatè fieri per notitiam iudica-

dicatiuam in secunda, vel tertia operatione, qua scilicet affirmari potest quod in prima erat simpliciter apprehensum. Vnde non intelligitur fieri per iudicium quo prædicetur actu de rebus, sed quo iudicetur apta prædicari.

Natura præcisa et non cōparata, quomodo sit vniuersalis.

Obiicies primò ad probādum, vniuersale penitus & adæquatè fieri per notitiā abstractiuam. Natura dū abstrahitur, iam non est singularis: ergo est penitus vniuersalis. Non est determinata ad vnum: ergo omnino indifferens & communicabilis pluribus Non est impedita ad essendum in pluribus: ergo est proximè apta. Est proximè prædicabilis: ergo & habet proximam aptitudinem quæ est vniuersalitas. Imo intellectus, actu sequenti, quo comparatiuè cognoscit naturam aptā inesse pluribus, non fingit aliquid nouum, sed cognoscit quod iam erat in primo conceptu: & si quid aliud fingit, id est inutile, ad nihil deseruiens: ergo per notitiam præcisiuam penitus factum erat vniuersale.

Respondetur. Hæc omnia solùm probare, per notitiam præcisiuam completè fieri vniuersale metaphysicum, constitutū per aptitudinem realem cū vnitate rationis & non repugnantia ad essendū in pluribus: quod vltrò concedimus. Sed adhuc præter id totum, verū est, posse alio actu cōparationis fingi quādā aptitudinē positiuam non realem, quæ non erat in priori actu abstractionis. Neq. verò hanc aptitudinem ponimus tanquam vtilē ad aliquid, cùm sit purum ens rationis: sed solùm tanquam fingibilem, & quæ sub vniversalis nomine solet inuolui.

Quomodo sit apta esse in multis.

Obijcies secundò. Statim atque natura abstrahitur, in illa resultat aptitudo rationis: ergo per abstractionem fit totum vniuersale. Assumptum probatur: tum quia statim posita essentia resultat passio: tum quia statim posito fundamēto & termino resultat relatio.

Respondetur, in abstractione fundari, non autē per illam statim fieri, aptitudinē rationis. Et in entibus quidē realibus verū est, statim resultare relationes & passiones: sed quādo sunt entia rationis, non resultare, nisi ab intellectu fiant, dum cogitantur atque finguntur.

Quomodo in præcisione sint diuersa vniuersalia.

Obijcies tertiò ad probandum, vniuersale omninò fieri per solam comparationem. Si fieret per abstractionē, non possent in illa distingui diuersa vniuersalia formaliter loquendo, videlicet genus, species, &c. Nam in omnibus idem est modus abstractionis & vnitatis.

Resp. 1. Esto id ita esset, non propterea sequitur per abstractionem non fieri vniuersale, licèt sine diuersitate in ipsa abstractione. Vnde Suar. d. 6. Met. sect. 8. n. 5. specialiter ad vniuersale cōparatiuè sumptum refert illam diuisionem. Secūdò etiam in ipsa abstractione datur varietas naturarum, & varia aptitudo realis: vel scilicet aptitudo essendi in pluribus speciebus, si sit natura generica: vel in pluribus indiuiduis, si sit natura specifica: siue quo alio modo explicetur varia aptitudo. Tertio, etiā in ipsa abstractione est similis diuersitas: quia vel natura abstrahitur à pluribus speciebus, vel indiuiduis, vel quo alio modo explicetur varietas in comparatione, inuenitur etiā suo modo in abstractione. Maiori tamen ratione asserendū videtur, duo vltima vniuersalia non differre à primis in abstractione; sed tm̄ in aptitudine. Nā natura accidentalis abstracta pōt comparari, vel ad ea quibus est essentialis, & sic pertinet ad priora vniuersalia: vel ad subiecta de quibus dicitur accidentaliter, & sic constituit duo vltima. Potest autem natura accidentalis abstracta considerari, vel secundùm vnā, vel secundùm aliam comparationē. Vnde diuersa vniuersalitas non in ipsa abstractione, sed tm̄ in cōparatione inuenietur.

An per notitiā abstractiuā etiam in sensibus fieri possit vniuersale.

Obijcies 4. Si vniuersale fit per abstractionē, sequitur ēt per operationē sensuū fieri: nā sensus pōt attingere obiectū sm̄ rationē cōem sine differentia determinante. V. g. imaginatio pōt apprehendere absolutè colorē, vel saltem albedinem, non determinando hanc aut illā: similiter calorem, dulcedinem, &c. Imo etiā per sensus externos, videmus, v. g. hominē procul venientem, & discernimus esse hominem, non discernimus quisnam sit: sic discernere possumus, esse animal, esse corpus, non discernendo cuius speciei.

Respondetur primò cum Fons. 5. Met. cap. 28. q. 6. in fine, in talibus casibus apprehendi indiuiduū, non tamen determinatè hoc vel illud, sed vagè, videlicet quēdam hominē, quoddam corpus: & ita non apprehendi rem in communi & vniuersa-

uersali. Secundò, sæpe per sensus percipiuntur quædam accidentia, & non omnia: vt in homine procul veniente percipimus motum, in corpore distanti molem quantitatiuam, non autem certam figuram. Illud autem quod percipitur, in singulari percipitur. Cuius rei signum clarum est, quòd videmus procul esse plures homines, plura corpora, non discernentes quinam illi sint: perquè illam pluralitatem manifestum est, videri homines in singulari, non hominem in vniuersali. Tertiò fortasse de sensibus internis admitti potest, posse ab ijs apprehendi speciem rei sensibilis abstrahendo ab omni indiuiduo, quod nec videtur ab experientia alienum. Et quando dicitur vniuersale non posse sentiri, potest intelligi vel de sensibus externis; vel de vniuersali logico; vel de perfecta cognitione ipsius naturæ vniuersalis.

An etiam ab intellectu Angelico.

Obijcies quintò. Sequitur, vniuersale posse etiam fieri ab intellectu Angelico. Nam non videtur perfectioni illius repugnare, apprehendere & cogitare naturam, actu non cogitando de certis indiuiduis eius. Neque apparet, cur non possit Angelus considerare naturam hominis, qualiter homo essentialiter sit animal rationale, & similia, nihil cogitando de Petro & Paulo & singularibus hominibus. Non enim cogitur Angelus, omnia quæ potest, simul actu considerare. Neque hoc esset fingere ens rationis, quod dicebamus non congruere perfectioni intellectus Angelici. Aliud enim est fingere quod non est, aliud non cogitare actu quicquid est: hoc enim secundum non dicit imperfectionem, quæ in fingendo inuoluitur.

Respondetur. Admittendo totum; quia id neque repugnat doctrinæ traditæ de ente rationis, quod dicebamus non fingi ab Angelo. Neque alia ex parte repugnare videtur. Et sic etiã potest admitti, Angelum posse, naturaliter loquendo, & seclusa visione beatifica, cogitare de vno attributo Diuino, nõ simul cogitando de omnibus: licèt nõ fingeret distinctionem rationis per modum relationis, sicut nos fingimus. Itaq. põt admitti, Angelũ in suo intellectu posse facere vniuersale metaphysicum, abstrahendo naturam; licèt nõ logicum, fingendo aptitudinem rationis.

SECTIO XII.

De Actu Naturæ vniuersalis essendi in multis.

POst vniuersale in se constitutum & consideratũ, plurimùm confert considerare & explicare actum ipsum essendi in multis, naturæ vniuersali conuenientem.

Triplex actus essendi distinguitur.

Et primò Triplex actus essendi distinguendus est, actus essendi quoad essentiam, quoad existentiam realem, & quoad existentiam obiectiuam. Quoad essentiam, quo humanitas. V. g. conuenit essentialiter Petro & Paulo, rationalitas homini, estque de eius essentia, etiam si nullus homo de facto realiter existeret, & antequam a quocunque intellectu cogitetur, Petrum esse hominem, hominem esse rationalem, & similia. Quoad existentiam realem, quo actualiter a parte rei & extra causam existunt singularia, & in illis sua natura: quo pacto nunc, v. g. existunt Petrus & Paulus homines, non autem Adamus, Antichristus, & præsertim illi qui nunquam fuerunt, nec futuri sunt. Quoad existentiam obiectiuam, qno ab intellectu actualiter prędicatur & affirmatur natura de suis rebus.

Atque hic triplex actus essendi, etiam in entibus rationis suo modo distingui potest. Nam etiam entibus rationis essentialiter cõueniunt sua prædicata quidditatiua. Item entia rationis actu existunt, quando ab intellectu fiunt, ad instar existentiæ realis entium realium. Et præterea actualiter ab intellectu cognoscuntur illa cognitione, qua dicuntur tantùm cognosci, & non fieri; ad instar existentiæ obiectiuæ entium realium.

Qualiter oẽs tres, naturæ vniuersali competant.

Secundò, ad probandum qualiter his essendi modis natura vniuersalis sit in rebus, præsertim an necessariò vel contingenter, facilè constat: naturam vniuersalem essentialem rebus, necessariò prorsus illis conuenire quoad essentiam. Nã ideò propositiones essentiales dicũtur necessariæ & æternæ veritatis. Natura autem accidentalis, videlicet pertinens ad accidens quintum prædicabile, non hoc modo conuenit suis subiectis, cùm non cõueniat essẽtialiter. Alijs duobus modis

essendi omnis natura vniuersalis contingenter & non necessariò erit in actu. Nulla enim res creata necessariò existit existentia reali, quia creaturæ non nisi liberè factæ sunt à Deo. Nec etiam necessarium est, res actualiter ab intellectu creato considerari, atque adeò in illo existere obiectiuè. Dico, intellectu creato: quia vltrò supponendum est, omnes veritates non posse non cognosci, & semper actu cogitari ab intellectu Diuino.

Quid sint y actus essendi. Tertiò, ad explicandum quidnam sint dicti essendi modi. Modus essendi obiectiuè non est aliud quàm denominatio extrinseca ab actu cognitionis: & per illum natura dicetur esse in rebus, tanquam prædicatum in subiecto, idest tanquam id quod affirmatur, in illo de quo affimatur. Modus existendi realiter, loquendo de natura essentiali rebus, non est aliud quàm ipsamet actualis entitas rei existentis: itaque nihil aliud est, humanitatem existere in Petro & Paulo, quàm Petrum & Paulum homines existere. Existentia autem naturæ quæ accidentaliter inest, formaliter dicit informationem ipsam, siue actuationem sibi proportionatam, per quam inest subiecto tanquam forma ab illo distincta. Modus demum essendi quoad essentiam, non est aliud quàm connexio seu identitas essentialis ipsorum prædicatorum essentialium, scilicet ipsius naturæ cum re cui conuenit essentialiter. Vnde non est putandum, antequam res actualiter existant, præcedere rerum essentias per alium realem actum essendi actualiter: quin potius ante existentiam solùm dicere valebit, res esse possibiles: & esse sic possibiliter, dicitur quidam status essendi essentialis rebus. Cæterùm hoc totum non potest pleniùs explicari, nisi tractando de essentia & existentia rerum, quod in Metaphysica præstandum erit.

Quis eorum sit de necessitate vniuersalis? Quartò, ex his difficultas oritur, vtrū de ratione & necessitate vniuersalis, sit actus essendi aliquo modo ex dictis. Aliqui significant, de necessitate vniuersalis Generis omnino esse, vt existat actu in pluribus speciebus: non tamen esse de necessitate vniuersalis Speciei, vt existat actu in pluribus indiuiduis, sed sufficeret vt existat tantùm in vno: vnde adhuc videntur requirere, vt saltem existat in vno. Auctores huius sententiæ referemus in quæst. de Genere.

Nō actus existentia realis. Dicendum tamen est, ad vniuersale non requiri actualem existentiam, nec realem nec obiectiuam: requiri tamen omnino modum essendi essentialiter, in ijs naturis quæ essentialiter dicuntur de rebus. Hæc est sine dubio communis Doctorum sententia. Et patet, non requiri existentiam realem. Tum quia vniuersale definitur, quod aptum est esse in multis: non verò quod actualiter existit in multis. Tum quia sine existentia actuali, natura essentialis est prædicabilis de suis rebus, vt est notissimum: ergo à fortiori est vniuersalis. Tum quia de vniuersalibus datur scientia: scientia autem datur de rebus abstrahendo ab existentia actuali: ergo ad vniuersale non requiritur existentia actualis. Tum etiam, supposita existentia actuali, quando fit vniuersale, abstrahitur ab ipsa existentia actuali: ergo per se non requiritur. Tum demum eadem est ratio de Genere ac de Specie: nam vtrunque est vniuersale, atque adeò respicit multa. Et eadem est ratio de omnibus indiuiduis: quòd sicut necessarium non est, omnia existere, vel tot, vel hæc aut illa; ita absolutè necesse non est, quæcunque existere. De accidente quidem aliquid peculiare concedendum est, nempè non posse prædicari de suo subiecto, nisi actu illi insit: sed adhuc, vt possit prædicari, saltem remotè loquendo, satis est quòd possit existere in subiecto.

Vel obiectiua. Patet etiam, non requiri actualem existentiam obiectiuam, quia necessaria non est prædicatio actualis. Sed sufficit aptitudo: neque enim vniuersale seu prædicabile dicitur, quod actu prædicatur, sed quod prædicari potest de multis.

Sed benè actus conuenientia essentialis. Patet verò, requiri modum essendi essentialem in naturis essentialibus. quia, vt dictum est, hic modus essendi dicit necessariam connexionem prædicatorum essentialium; ex qua impossibile est, rem existere, & non existere cum sua natura essentiali: & in hac necessitate fundatur prædicatio & veritas necessaria propositionū essentialium. Sicut ergo de necessitate vniuersalis est, posse existere in multis, & posse prædicari

cari

cari de multis, existere inquam & prædicari essentialiter: ita de necessitate ipsius vniuersalis est modus ille essendi essentialiter.

Per ordinem ad quē actū, dicatur aptitudo vniuersalis.

Quintò demum explicandum est, per ordinem ad quem actum essendi ex dictis, dicatur aptitudo qua vniuersale cōstituitur: aptitudo enim essendi vtriq. dicitur ad actum essendi: & vniuersale aptum inesse multis, vtrique intelligitur esse aptum habere aliquem actum essendi. Fonseca 5. Metaphys. cap. 28. quæst. 4. sect. 1. dixit, actum essendi per ordinem ad quem dicitur aptitudo vniuersalis, non esse actum existentiæ, sed esse actum conuenientiæ & identitatis essentialis. Probat ex eo quòd actus existentiæ non necessariò conuenit naturæ, & solus actus identitatis essentialis est qui necessariò conuenit.

Dicitur per ordinem ad actū existentiæ.

Dicendum tamen est, actū existentiæ, non verò actum identitatis essentialis ab actuali existentia præscindentem, esse illum per ordinem ad quem dicitur aptitudo constitutiua vniuersalis. Probatur tum quia aliud esset dicere, vniuersale constitui per actum essendi; & aliud est dicere, constitui per aptitudinem essendi. Dici quidem non potest vniuersale constitui per actum essendi quoad existentiam: quia nimirum natura est vniuersalis, etiam si non actu existat: sed optimè dicetur cōstitui per aptitudinem existendi: quia certè etiam si non actu existat, rectè dicitur aptum existere in multis; & dum natura concipitur vt tali modo apta, verè concipitur vniuersalis. Tum deinde non est excogitanda aptitudo essendi in multis essentialiter ante actum illum qui dicebatur cōuenientiæ & identitatis essentialis. Nam actus ipse est essentialis ratio & quidditas rerum: neque ante ipsam essentiam, excogitanda est aptitudo naturæ, siue essentiæ ad ipsam essentiam. Cogitatur quidem aptitudo ad existentiam, quoniam res non necessariò existunt cum sua natura: non autem aptitudo rerum ad essentiam. Vnde dicimus quidem, Petrus potest existere, homo potest existere: non tamen rectè diceremus, Petrus aptus est esse homo, homo aptus est esse animal. Sic è conuerso rectè dicemus, humanitas apta est existere realiter in Petro: item apta est affirmari de Petro: non autem rectè diceremus, apta est esse de essentia Petri, essentialiter conuenire Petro: sed dicimus absolutè, est de essentia Petri, conuenit essentialiter Petro.

Actus autem ipse conuenientis essentialis, dici potest vniuersalitas.

Hinc fit, non quidem aptitudinem essendi essentialiter, sed actum ipsum essendi essentialiter, dici posse vniuersalitatem naturæ: & vniuersale dici posse vnum quod est essentialiter in multis, idest quod est de essentia multorum, ijsquè conuenit essentialiter. Non ergo excludebamus actum essendi in multis essentialiter, quasi insufficientem ad vniuersale: sed quia talis actus non debet assignari, tanquam per ordinem ad ipsum dicatur vniuersalitas, sed tanquam per se ipsa vniuersalitas. In rigore autem hic actus essendi, est aptitudo ipsa existendi, cum necessitate conditionata, quòd res potest existere, non nisi tamen cum tali sua natura & essentialibus prædicatis: & ideò ipsa prædicata dicuntur ei necessariò conuenire. Vnde sicut dicebamus de aptitudine, posse sumi, vel realiter pro entitate vtriusque naturæ possibilis, vel per rationem pro relatione quæ in natura abstracta fingitur ab intellectu: ita hic actus essendi potest sumi, vel realiter pro entitate essentiali cuiusque rei, vel per rationem pro relatione quam intellectus tribuit naturæ, dum cogitat illam essentialiter conuenire multis, quasi referretur ad multa per talem actum essendi.

Quomodo vniuersale dicatur, quod actu vel potius aptitudine est in multis.

Vnde vlteriùs admitti potest aliqua diuersitas in modo concipiendi. Et asserendum est, vtroque modo, vel scilicet per modum aptitudinis, vel per modum actus, posse constitui & explicari ipsum vniuersale. Et hoc est quod insinuare voluimus sect. 4. vbi breuiter præmisimus constitutionem vniuersalis. Ideò autem solet vniuersale definiri & explicari potius per aptitudinem. Tum quia faciliùs intelligitur aptitudo existendi, & possibilitas existendi rerum. Tum nè præberetur occasio putandi, ante existentiam dari aliquod aliud esse actuale distinctum necessarium & æternum: cùm certè non ita intelligendum sit, se habere rerum essentias, vt suo loco tractabimus. Tū præterea si inter vniuersalia, etiam naturæ accidentales respectu suorum subiecto-

biectorum computandæ sint, illæ quidem non conueniunt essentialiter suis subiectis: sed aptæ sunt in illis existere.

Dicitur respectu existentiæ realis. An etiam obiectiuè. Postremò, quia actus existendi duplex est, realiter, & obiectiuè: certum quidem est, actum existendi realiter maximè esse per ordinem ad quem dicatur aptitudo vniuersalis. Sed an etiam actus existendi obiectiuè, sit huiusmodi, est eadem difficultas, atque an prædicabilitas sit vniuersalitas. Nam aptitudo essendi obiectiuè est aptitudo prædicationis. De hac autem agemus sect. 14.

SECTIO XIII.
De Contractione Naturæ vniuersalis ad essendum in multis.

Contractio abstractioni opponitur. Per abstractionē enim natura veluti separabatur à multis: per cōtractionem autem determinata est ad essendum in multis. Hæc contractio dicitur etiam descensus naturæ vniuersalis ad res ipsas: vniuersale enim se habet quasi superius; res velut inferiores. Et ita vniuersale dicitur descendere quasi superius ad inferiora.

Cōtractio est diuisio naturæ in plura. Ad explicandā ergo pleniùs hanc naturæ contractionem. Primò contractio naturæ, realiter non est aliud quàm diuisio & multiplicatio ipsiusmet naturæ, præcedens vtiq. abstractionem: imò hæc diuisio verè est à parte rei, & non ab intellectu dependet; abstractio autē non est nec fit nisi opere intellectus. De necessitate autē ipsius vniuersalis est, vt hæc cōtractio exerceatur per realē diuisionem & multiplicationē, non solùm rerum in quibus est natura, sed etiā ipsiusmet naturæ, quæ scilicet diuidi & multiplicari debet realiter. Vnde si eadē simplex natura existeret realiter in pluribus, sicut de facto natura Diuina est in tribus personis, & sicut esset vna forma, vna albedo, si Deus illam in pluribus subiectis collocaret: hæc verè non esset contractio naturæ vniuersalis ad multa. Quia licèt esset realis veluti applicatio naturæ ad plura subiecta: tamē non esset contractio & diuisio naturæ in multas naturas. Et hæc contractio est quæ conuenit naturæ vniuersali. Sed illa natura eo modo existens in multis, non naturis, sed subiectis, semper esset singularis. Quod totum satis patet ex antea dictis.

In plures scilicet naturas singulares. Hinc dixit optimè S. Thom. Opusc. 56. quando dicimus, vniuersale esse vnum in multis, idē esse, ac dicere, esse vnū & multa. Est multa realiter & à parte rei, homo, v. g. est in re ipsa plura, idest plures homines. Est vnum in cognitione: quia cùm ea quæ à parte rei sunt verè plura, sint etiam verè similia: ipsa plura secundùm quod similia sunt, constituunt vnum intellectum. Dum enim intellectus apprehendit hominem & brutum, inquantùm conueniunt in vna ratione, scilicet sensitiua, vnico conceptu apprehendit, quamuis in re sint multa. Vnde nec vnitas destruit multitudinem, nec multitudo impedit vnitatem: quia vnitas est tantùm per rationem & apprehensionem, fundata tamen in similitudine reali rerum: multitudo autem est realis in ipsis rebus. Pariter rectè alij notant, idem esse dicere, vniuersale esse vnum in multis, ac esse vnum & multiplex: quia nimirū ipsummet vniuersale est quod multiplicatur, & plurificatur, & non quasi vnum in se permanens & existens, sit in multis tanquam subiectis vnius indiuisæ formæ. Rectè demum etiam dici solet, vniuersale contrahi & diuidi in plura se ipsa: videlicet naturā in plures singulares naturas, hominem in plures homines.

Ita tamē quòd tota naturæ essentia sit in singulis. Secundò tamen addendum est, naturā ita cōtrahi per sui realē diuisionem, quòd tamen totam & integram suam essentiam habeat in singulis, & in vnoquoque eorum in quæ diuiditur. Natura humana, v. g. diuisa est in Petro & Paulo: sed tota hominis essentia est in Petro, & tota in Paulo. Patet: quia vterque est perfectè & essentialiter homo, nulliquè eorum quicquam deest, quod sit de essentiali ratione hominis: omniaquè prædicata essentialia hominis, sunt in singulis. Et alioqui si non tota essentia hominis esset in vnoquoque, quilibet esset veluti dimidiatus homo: imò simpliciter non esset homo; quia sublato aliquo prædicato essentiali hominis, simpliciter aufertur essentia hominis. In hoc enim sensu dixit Arist. species esse sicut numeros, quia sicut numerus variatur per additionem vel detra-

detractionē cuiuslibet vnitatis: ita quælibet essentia variatur per additionē aut detractionem cuiuslibet prædicati. Non ergo ita contrahitur natura communis, vt veluti distrahatur in partes,& vna pars descendat ad vnum, alia ad aliud indiuiduum: siue vnum prædicatum essentiale ad vnum, & aliud ad aliud. Sed tota secundùm partes suas essentiales & quidditatiua prædicata descendit in singula: & hæc propriè est contractio & diuisio naturæ vniuersalis.

Quomodo hæc totalitas cum diuisione cohæreat. Quia tamen hęc duo repugnare videntur; naturam esse diuisam in singulis, & non vnam in omnibus; simulquè esse totam essentialiter, & non per partes distractam in singulis. Quod enim diuiditur, in partes diuiditur: & è conuerso quod est totum, & non secundùm partes in singulis, non potest esse diuisum, sed erit vnum & idem in omnibus. Quam difficultatē vidit Boetius in proęm Porphyr. sui. Ideò vt hoc penitus explicetur, sciendum est, vniuersale dici quoddam totum. Sed duplex est modus totalitatis, & dupliciter pro hoc proposito dicitur totū:vno modo totum potentiale seu potestatiuum:alio modo totum essentiale seu quidditatiuum. Totum potentiale dicitur superius respectu inferiorū quæ dicitur continere in potētia:eo quòd inferiora non sunt de conceptu essentiali & quidditatiuo naturæ superioris: quia sic vbicunq. est natura communis, oporteret esse omnia simul eius inferiora, in quolibet v. g. animali omnes species animalium: quod planè repugnat. Hoc sensu Porphyr. cap de Differentia ait, genus potestate continere differentias quibus diuiditur, actu nullam. De hoc etiam modo totalitatis dixit Aristot. 1. Physic. tex. 4, *Vniuersale quoddam totum est, multa comprehendens vt partes*. Totum essentiale dicitur quęlibet res respectu suorum prædicatorum essentialium quæ formaliter & intrinsecè in sui constitutione & quidditate continet. Vniuersale ergo habet hanc duplicem totalitatem: Homo v. g. est totum potentiale respectu Petri & Pauli & cæterorum, est totum essentiale in se complectens animalitatem & rationalitatem, siue dicens totam suam quidditatem.

Quia sci- Iuxta hanc distinctionem duplicis totalitatis dicendum est, vniuersale diuidi quidem in plura;non tamen quatenus totum essentiale est; sed quatenus totum potentiale est. Nō quatenus totum essentiale, quasi in plures partes suæ essentiæ & ex homine, v. g animal contraheretur ad Petrum, rationale ad Paulum. Quinimo hoc modo nō diuiditur homo: sed tota essentia hominis, tàm rationalitas,quàm animalitas, communicatur perfectè cuilibet singulari homini. Diuiditur quatenus totum potentiale, in plures scilicet partes potestatiuas,idest in plura inferiora. Et ita non omnes partes potestatiuæ reperiuntur in quolibet indiuiduo. Quinimo in vno non nisi vna reperiri potest, scilicet propria entitas singularis eius: in Petro, v. g. non reperiuntur omnes homines qui sub homine in communi continentur, sed solus ipse Petrus. Hinc ergo patet,quàm optimè illa duo inter se cohæreant: naturam vniuersalem esse diuisā in singulis & tamē secundùm totam essentiam esse in singulis: quia diuiditur solùm secundùm totalitatē potestatiuam,nō autem secundùm totalitatem essentialem. Et hæc propriè est contractio naturæ secundùm totam suam essentiam ad singula inferiora, quæ dicuntur partes potestatiuæ ipsius vniuersalis. *licet vniuersale diuiditur quatenus totum potentiale, non quatenus totum essentiale.*

Quando autem dicimus, totum, essentiale: non oportet id intelligi positiuè & in rigore, quasi necesse sit, plura prædicata essentialia tanquam partes inuolui in ipsa essentia: sed sufficit intelligi negatiuè, idest quòd nulla pars essentiæ, siue nullum prædicatum essentiale desit, vbicunque est talis essentia: siue in illa includantur, siue non includantur plures partes seu prædicata essentialia. Vnde etiam ens communissimè sumptum,dici potest hoc modo totum essentiale, atque totum essentialiter, & secundùm totam entis essentiam in singulis entibus reperiri, idest nihil esse de essentiali ratione entis, quod non in singulis entibus reperiatur.Sed præterea simul cum essentia cointelligi possunt propriæ passiones, de quibus etiā similis ratio est,ac de prædicatis formaliter essentialibus: omnes enim huiusmodi passiones reperiri debēt in quolibet participante naturam communem, nec sunt dispersæ in diuersis per contractionem ipsius naturæ.

Tertiò

Cõtractio naturæ fit per differentias de quibus postea agendum est. Tertiò principaliter ad hanc contractionem pertinet, videre, an & quomodo fiat per differẽtias determinantes naturam communem ad plura & distincta: notissimum enim est, quod in hac materia dici & repeti solet, differentias esse quæ contrahunt, quæ diuidunt naturam communem, quæ faciunt differre illa quæ alioqui in ipsa natura conueniunt & vniuntur. Vbi Nominales quidem, sicut vniuersale in essendo negabant; ita etiam nullo modo has differentias agnoscunt. Scotus significauit, semper & vbicunque est natura communis, interuenire debere differentias à parte rei distinctas ab ipsa natura. Alij volunt, interuenire non posse à parte rei; sed debere saltem ratione distinctas. Hæc autem tota res prolixam discussionem exigit. & quia habemus tum contractionem naturæ vniuersalis ad vltima singularia, tum etiam ad alios conceptus intermedios, v. g. generis ad species: cõsiderandæ sunt differentiæ, tum indiuiduales, tum specificæ. Ideò de hac re distinctè differemus, de differentijs quidem indiuidualibus in proxima quæstione de ipso singulari & indiuiduo, de differentijs autem specificis in alia peculiari quæstione de Differentia genere & specie.

SECTIO XIV. *De Prædicabilitate Vniuersalis.*

Solet cum vniuersali prædicabile omnino coniungi, & ferè confundi; atque Prædicabilitas assignari, vel tanquam formaliter vniuersalitas, vel tanquã proxima & proprijssima passio eius. Oportet ergo nunc, de prædicabili, seu de vniuersalis prædicabilitate differere.

Omne vniuersale est de pluribus prædicabile. Primò quidem certum est, quod ab omnibus supponitur, omne vniuersale esse prædicabile, esse inquam de multis prædicabile. Patet inductione notissima de omnibus vniuersalibus, & ex ratione ipsius vniuersalis. Quod enim est, siue aptum est, esse in multis, potest vtique prædicari de illis: prædicari enim sequitur inesse, iuxta ea quæ hactenus dicta sunt. Idque planè intelligitur, prædicatione affirmatiua vera, idest potest vniuersale verè affirmari de multis.

Non prædicatur formaliter secundùm vniuersalitatem. Non prædicatur autem de rebus vniuersali subditis, ipsa formalis vniuersalitas, vel constitutum ex natura & vniuersalitate. Quinimo falsæ essent hæ prædicationes, Petrus est species humana, est specieitas, homo est genus animal, est genereitas, & sic de alijs. Sed prædicatur natura ipsa realis, quæ dicitur vniuersalis: Petrus est homo: homo est animal: & sic de alijs. Ita notauit optimè S. Thom. cap. 4. de Ente & Essentia, & Opusc. 56. dicens, vniuersale prædicari quoad naturam vniuersalitati subiectam, non autem quoad ipsam vniuersalitatem. Et est res clarissima. Et ratio euidens. Quia, non vniuersalitas, nec totum aggregatum ex natura & vniuersalitate, sed tantùm natura est in ipsis rebus vniuersali subditis: illud autem prædicatur de subiecto, quod est in subiecto. Sicut ergo antea dicebamus, vniuersale non secũdùm vniuersalitatẽ, sed tantùm secundùm naturam, esse in multis: ita non secundùm vniuersalitatem, sed secundùm naturam prædicatur de ijs.

Nec secũdùm singularitatem. Nec etiam necesse est, prædicari naturam quatenus singularem, seu quoad ipsam singularitatem formaliter, quæ constituit illud indiuiduum de quo natura prædicatur. Patet. tum quia alia prædicatio est, dicere, Petrus est homo, est animal; atque dicere, Petrus est hic homo qui dicitur Petrus, est hoc animal: alia enim significatio est in prædicato vnius, atque alterius propositionis. Dum ergo prædicatur vniuersale de singularibus, dicendo Petrus est homo, Paulus est homo; non importatur ex parte prædicati determinata singularitas Petri & Pauli. Tum quia alioqui nulla esset prædicatio ipsius vniuersalis de singularibus, idest vnius de multis: sed tantùm prædicaretur singulare de singulari. Quod esset destruere prædicabilitatem ipsius vniuersalis. Licèt ergo in re propositio verificetur ratione illius naturæ singularis quæ est in Petro: tamen non id exprimitur in vi & significatione illius propositionis, siue in conceptu obiectiuo intellectus qui formatur ex parte prædicati, non exprimitur nec determinatur singularitas ipsius Petri de quo fit prædicatio.

Prædi-

Sed secundùm essētiam. Prædicatur ergo natura secundùm suam essentiam, in qua non includitur neque vniuersalitas neque talis singularitas, sed tantùm inuoluuntur essentialia prædicata naturæ. Cum dicimus, Petrus est homo; prædicatur natura humana secundùm essentiam humanitatis. Ita docuit optimè S. Thomas Opuscul. 56. & probauit: quia terminus, idem prædicat quod significat: sed homo simpliciter significat hominem quoad humanam essentiam, non quoad vniuersalitatem, nec quoad hanc vel illam singularitatem: ergo in hac etiam significatione prædicatur, cum dicimus, Petrus est homo, Paulus est homo. sic etiam explicat Caiet. cap. 4. de Ente & Essentia com. 4. & Capreol. in 3. d. 5. q. 3. art. 3.

Sub vno conceptu obiectiuo. Et dum prædicatur natura de pluribus, adhuc prædicatur secundùm vnum conceptum obiectiuum: ita vt verum sit dicere, prædicari vnum de multis, non quidem vnum realiter, sed vnum ratione & præcisione. Declaratur: quia cùm intellectus affirmat, Petrus est homo, Paulus est homo, idem conceptus obiectiuus eademquè formalis apprehensio prædicari, idest idem ipse actus intellectus, quo apprehenditur absolutè homo, valet deseruire ad vtrąque illam propositionem; variatione facta ex parte subiecti, non ex parte prædicati: & sic ad omnem aliam similem propositionem. Vbi rursus dicere oportet, prædicari quidem conceptum vnum de pluribus: non tamen prædicari vnitatem ipsam. Quod satis patet ex supradictis. Dum enim dicebamus, prædicari naturam, non verò vniuersalitatem; sub vniuersalitate intelligebatur vtique vnitas quæ constituit vniuersale.

Nō destructa vnitate. Neque etiam per ipsam actualem prædicationem intellectus de pluribus, destruitur vniuersale in mente, eo quòd mente ipsa diuidatur in plura, & ita videatur destrui vnitas rationis & præcisionis. Nam oportet considerare, & conceptus se tenentes ex parte subiecti, idest de Petro Paulo & cæteris singularibus, & conceptum se tenentem ex parte prædicati, idest conceptum de homine absolutè. In conceptibus quidem ex parte subiecti datur diuisio, & non vnitas: & ita non illi conceptus sunt vniuersales, sed sunt singulares. At in conceptu ex parte prædicati adhuc saluatur vnitas: quia non dissoluitur ipse conceptus, sed permanens vnus, etiam obiectiuè in mente, applicatur singulis: & vnus conceptus prædicatur de multis, vnum obiectiuè prædicatum de multis subiectis. Et ita vniuersale est prædicabile de multis, sine destructione suæ vniuersalitatis, idest suæ vnitatis mentalis.

Non solū vniuersale est prædicabile. Secundò vlterius, vt videamus, An solum vniuersale sit prædicabile, & qualiter prædicabilitas sit propria ipsius vniuersalis: dicendum est, si prædicabilitas seu prædicatio amplè sumatur, non soli vniuersali competere, nec esse eius propriam: si tamen secundùm quasdam conditiones restringatur & designetur, posse ita accipi & explicari, vt sit omnino propria solius vniuersalis. Explicatur & probatur assertio. In primis possunt verè prædicari, non solùm superiora de inferioribus, sed etiam è conuerso inferiora de superioribus: valet enim dicere; animal, aliquod animal, est homo. Hæc autem prædicatio inferioris de superiori dicitur indirecta, & prædicatio superioris de inferiori dicitur directa. Limitari ergo debet prædicabilitas ad prædicationem directam. Item datur, non solùm prædicatum quod potest affirmari de pluribus, sed etiam quod potest affirmari de vno tantùm. Sic Porphyr. cap. de Specie, indiuiduum definiuit, quod de vno solo prædicatur. Imo differentia, ac etiam proprietas, quæ sit adæquata respectu suæ speciei siue naturæ, de illa sola prædicatur, & non de alijs speciebus: est ergo prædicabilis de sua specie, & non tamen est vniuersalis respectu plurium specierum. Sic, v g. equus est hinnibilis, animal est sensitiuum, & similia. Debet ergo addi, prædicabile de pluribus, ad hoc vt prædicabilitas restringatur ad vniuersale. Rursus potest esse vnum prædicabile de pluribus, quod sit in se indiuisum & singulare; sicut certè natura Diuina prædicatur de tribus personis, & vna numero albedo prædicaretur de pluribus subiectis, si in illis poneretur a Deo. Debet ergo addi, vt sit vnum prædicabile de multis, veluti de multis se ipsis: seu quod sit vnum tantùm ratione, & realiter sit diuisum ac multiplicatum. Prædicabilitas ergo cum

Nisi cum quibusdã conditionibus.

his conditionibus explicata, erit propria solius vniuersalis. Et vt breuiter dicatur, prædicabile de pluribus eo modo quo esse in pluribus constituit vniuersale, adæquatè conuertitur cum ipso vniuersali. Et præterea si vniuersale restringatur tantùm ad essentialia prędicata, vel ad solum genus & speciem, de qua re agemus sect. seq. etiam prædicabilitas poterit limitari ad prædicationē essētialē, aut etiã ad prædicationē in quid, vt sit omnino propria vniuersalis sic assignati.

Prædicabilitas dupliciter explicatur.

Tertiò deinde, ad explicandum quid sit prædicabilitas, dicendum est. Cùm prædicatio non sit aliud quàm actus intellectus affirmantis prædicatum de subiecto, prædicabilitatem esse potentiam seu capacitatem veluti passiuam, vt aliquid possit affirmari de subiecto. Debet enim considerari duplex potentia. Vna actiua ex parte intellectus potentis affirmare. Alia veluti passiua ex parte obiecti potentis affirmari. Vtquè prædicabilitas sit propria vniuersalis, debet intelligi, obiecti potentis affirmari cum conditionibus iam designatis. Et rursus hæc prædicabilitas potest sumi dupliciter. Vel pro entitate ipsa obiecti, & denominatione extrinseca à potentia intellectiua: sicut esse visibile v.g. sumi potest pro entitate coloris & denominatione extrinseca à potentia visiua. Et hoc modo prædicabilitas formaliter sumpta, consistit in denominatione reali extrinseca à dicta potentia. Vel prout concipi potest & solet ad instar formæ & aptitudinis seu relationis cuiusdam intrinsecę in ipso obiecto, idest in ipsa natura vniuersali, sicut dicebamus antea de vniuersalitate. Et sic est formaliter aptitudo & relatio rationis, habens pro termino prædicationem possibilem, qua natura vniuersalis potest de suis inferioribus affirmari.

Colligitur quid sit subijcibile.

Hinc patet pariter, quid sit subijcibile, quod prædicabili correspondet. Nam cùm prædicatio omnino fiat de aliquo subiecto; &, si datur prædicatum, datur subiectum: debet nominari subijcibile, quod aptum est esse prædicationis subiectum, de quo scilicet potest fieri affirmatio prædicati. Subijcibilitas ergo potest etiam explicari dupliciter, vel sine relatione rationis pro denominatione extrinseca ab intellectu quatenus potente subijcere, vel pro relatione rationis opposita relatiuè alteri relationi dictæ prædicabilitatis.

An prædicabilitas sit formaliter vniuersalitas.

Quartò, nunc examinare oportet, num prædicabilitas sit formaliter vniuersalitas, vel distinguatur ab ipsa vniuersalitate. Scot. q. 15. Vniuersalium indicauit, prædicabilitatem esse formaliter vniuersalitatem, & prædicabile idem formaliter ac vniuersale. Sequitur Hurtad. disp. 3. sect. 2. Fauet Porphyr. qui vniuersalia explicat, & definit per posse prædicari: Genus est quod potest prædicari de pluribus differentibus specie: species quæ de pluribus differentibus numero. Potestquè hæc sententia duplicem habere sensum: vel non distingui in natura communi duplicem aptitudinem, vnam ad esse, alteram ad prædicari de multis: sed vnam esse aptitudinem, quæ dicatur vniuersalitas, & prædicabilitas. Vel distingui quidem duplicem aptitudinem, & ipsammet aptitudinem ad prædicari de multis, esse vniuersalitatem. Cōmunis aliorũ sententia est, prędicabile formaliter ab vniuersali distingui, scilicet prædicabilitatem ab vniuersalitate.

Ab vniuersalitate distinguitur, & potest dici quædam vniuersalitas.

Dicendum ergo est, distingui aliquo modo debere duplicem aptitudinem in natura communi, primam ad esse, secundam ad prædicari de multis. Et licèt, non solùm prima, sed etiam secunda, dici possit vniuersalitas quædam: tamen magis propriè prima est quæ dicitur vniuersalitas. Hæc assertio tres habet partes. Prima pars probatur clarè: quia posse prædicari de multis, dicit vel denominationem extrinsecam à potentia intellectiua, vel aptitudinem & relationem rationis ad actum prædicationis possibilem, vt explicatum est: ergo differt ab aptitudine essendi in multis, intelligēdo scilicet actum essendi realiter, quæ aptitudo non dicit formaliter eam denominationem aut relationem rationis, vt patet. Secunda pars probatur. Quia etiam prædicatio de multis, est quoddam esse in multis, esse scilicet obiectiuè: ergo si dum vniuersale definitur aptum esse in multis, & vniuersalitas aptitudo essendi; quis sumere velit, esse, pro esse obiectiuè; sic ipsa prædicabilitas est quædam vniuersalitas, ab alia prima vni-

ma vniuersalitate distincta. Imo communi modo loquendi solet distinctis nominibus assignari, vniuersale in essendo, & vniuersale in prædicando. Hinc patet tertia pars: quia iuxta communem intelligentiam, & propriè loquendo, quando dicitur esse in multis, intelligitur esse realiter: & dum distinctè nominatur vniuersale, & prædicabile: & vniuersale dicitur aptum inesse, prædicabile aptum prædicari: iam sumitur esse realiter, ad distinctionem modi essendi obiectiuè per prædicationem. Igitur hæc aptitudo ad esse, non autem aptitudo ad prædicari, est propriè quæ dicitur vniuersalitas. Porphyr. autem non sibi proposuit tractare de genere & specie sub hoc rigore quatenus vniuersalia sunt: vel etiam quantùm ad hoc, illa explicauit per posse prædicari de multis, tanquam per aliquid intimè connexum cum ipsa vniuersalitate.

An prædicabilitas sit passio consequēs vniuersalitatem.

Quintò: stante hac distinctione, eadem communis sententia docet, prædicabilitatem esse passionem consequentem ex vniuersalitate. Quod tamen difficultate non caret. quia si prædicabilitas explicetur realiter; non potest esse passio vniuersalitatis formaliter sumptæ pro aptitudine rationis. Nec etiam si explicetur per relationem rationis. Nam non apparet necessarium, vt relatio ad prædicari, fingatur ab intellectu ex relatione ad essendum in multis: sed potest immediatè fingi post abstractionem naturæ. Vnde rursus post prædicabilitatem poterit fingi relatio inessendi. Videtur ergo prædicabilitas æquè primò, atque ipsa vniuersalitas, conuenire naturæ. Et præterea passio necessariò consequitur ad essentiam: ideoquè dicitur conuenire semper: at facilè fieri potest, vt intellectus fingat vniuersalitatem, non autem prædicabilitatem: ergo.

Explicatur quomodo consequatur, aut comitetur.

Propter hæc explicare magis oportet, quonam modo prædicabilitas se habeat ad vniuersalitatem. In primis ergo rectè dici potest passio necessariò consequens, si tum ipsa prædicabilitas, tum etiam aptitudo essendi, in ipso vniuersali explicetur realiter. Nam certè ideò prædicatum potest affirmari de subiecto, quia est in illo. Atque denominatio extrinseca ab intellectu potente affirmare, se habet vtrique tanquam passio consequens realitatem super quam cadere potest prædicatio. Similiter si prædicabilitas accipiatur pro relatione rationis. planè est quid consequens vniuersalitatem realiter acceptam. Si autem etiam ipsa vniuersalitas accipiatur pro aptitudine rationis: sic fatendum sanè est, posse quidem ab intellectu concipi & fingi relationem ad prædicari, etiam non præconcepta aptitudine rationis ad essendum in multis. Sicut planè potest & solet intellectus concipere relationes rationis prædicti & subiecti, non præconcepta alia relatione rationis, sed tantùm reali coniunctione prædicati & subiecti. Tamen adhuc valebit dicere, quòd si intellectus debeat concipere & fingere, tàm relationem essendi quàm relationem prædicandi, & debeat ordinatè concipere: tunc prius cogitabit relationem essendi, & consequenter relationem prædicandi: sicut ipsum esse præsupponitur ad prædicari. Et hoc modo debet explicari, prædicabilitatem esse passionem consequentem ad vniuersalitatem. Demum quando passiones sunt relationes rationis, non oportet seruari illum rigorem, vt statim posita essentia sequatur passio: sed satis est, tunc dari proximum fundamentum eius: vt verò actu resultet, expectatur operatio actualis intellectus fingentis.

Ad quē actū prædicationis prædicabilitas refertur.

Sextò adhuc superest explicandum, ad quem actum prædicationis referatur prædicabilitas ipsius vniuersalis. Duplex enim prædicatio distingui potest. Prima qua affirmetur prædicatum de subiecto tantùm secundùm essentiam, quomodo nunc verum est dicere, Adamus est homo, quamuis non existat. Secunda qua affirmetur secundùm existentiam, si dicatur, Petrus nunc actu existit extra causas homo. Aliqui supponunt, prædicabilitatem referri ad hanc secundam prædicationem: quia aptitudo prædicandi sequitur aptitudinem essendi: sed iste actus essendi intelligitur quoad existentiam realem: ergo etiam actus prædicandi est quo affirmatur existentia realis.

Maximè refertur ad prædicationem essētialē.

Dicendum tamen est, in ordine ad vtranque prædicationem posse explicari prædicabilitatem, sed potius explicari debere in ordine ad primam, in ijs in-

quam

quam vniuersalibus quæ essentialiter dicuntur de rebus. Et quidem posse vtroque modo explicari, patet: quia verè vtroque modo potest natura prædicari: ergo vtroque est prædicabilis. Debere autem potius primo modo explicari, manifestè probatur: quia ad faciendam & exercendam prædicationem ipsius vniuersalis de suis inferioribus, non est vtique expectanda actualis existentia rerum. Sed sicut vniuersale cogitamus abstrahendo à rerum existentia: ita etiam prædicamus & affirmamus: ipsæquè propositiones essentiales de rebus, Adamus est homo, Petrus est homo, quæ sunt æternæ veritatis, sunt maximè in quibus exercetur prædicatio vniuersalium, generis de speciebus, speciei de indiuiduis. Et natura, dum est vniuersalis, iam est proximè prædicabilis, idest tunc pôt prædicari de rebus, & non solùm remotè, quasi prius mediare debeat actus existētiæ realis, ad hoc vt exerceri possit prædicatio.

Vnde dici debet cōsequi actū essendi essentialiter.

Hinc sequitur, dici debere, prædicabilitatem proximè consequi actum essendi in multis, sumendo actum essendi essentialiter. Et quia diximus, vniuersale respectu huius actus essendi constitui, non per aptitudinem ad talem actum, sed per ipsum actum: ita nunc dici debet, prædicabilitatem non consequi ad aptitudinem essendi, quasi referendo aptitudinem ad actum essendi essentialiter; sed consequi ad vniuersale constitutum & explicatum per ipsum actum essendi. Neque mirum est, prædicabilitatem consequi, non ad solam aptitudinem, sed ad actum ipsum essendi. Nam verè dicimus, ideò hoc potest affirmari de illo, quia est in illo. Idq. apparebit clarius in prædicatis accidentalibus, quæ requirunt actualem existentiam ad veritatem prædicationis. Nam ex eo solùm quòd quis potest adipisci musicam, non possumus tunc affirmare, hic est musicus; sed quando musica actualiter illi inerit, tunc id poterimus affirmare. Prædicabilitas ergo proxima sequitur actum ipsum essendi.

Aptitudinem existēdi realiter.

Quia verò actus essendi essentialiter, re ipsa coincidit cum aptitudine existēdi realiter, propter quod dicebamus vniuersale rectè explicari per aptitudinem relatam ad hanc existentiam: ita pariter nunc dicendum est, prædicabilitatē rectè dici consequi ad ipsam aptitudinē existēdi: non quasi deinde ad exercendum actū prædicationis, expectare oporteat etiam actū existendi realiter: sed quia immediatè ex ipsa aptitudine existendi, quoniam coincidit cum actu essendi essentialiter, potest exerceri prædicatio penes propositiones essentiales. Et hinc patet ad rationem partis aduersæ. Actus enim prædicandi, non affirmat actum illum existendi realiter ad quem ea aptitudo refertur, sed affirmat aptitudinem ipsam existendi, seu actum essendi essentialiter: nec sequitur ad illū actū existendi, sed immediatè, & proximè sequitur aptitudinem quidem existendi, actū verò essendi essentialiter.

Qualiter prædicatio exercenda sit, differtur ad tractatum de secunda operatione.

Ceterùm quoad exercitium ipsum prędicationis, solent hic multa quæri atque tractari: quonam modo natura vniuersalis debeat de suis inferioribus prędicari, an solū in cōcreto, v.g. Petrus est homo, est albus; an etiā in abstracto, Petrus est humanitas, vel Petreitas est humanitas, vel est homo. Sed hæc quidē nō sunt propria vniuersalium: potius sunt communia ad omnia prædicata & subiecta, etiam seclusis vniuersalibus, & propriè spectāt ad secundā operationē intellectus, per quam prædicationes exercētur. Vnde ad peculiarē tractatū de ipsa secunda operatione suo loco instituendū, hāc rē differimus.

SECTIO XV.
De alijs Proprietatibus Vniuersalis.

Prima proprietas, prædicabilitas. Secunda, esse posterius singularibus. Tum quo ad existētiam realem.

Prima & præcipuè vniuersalis proprietas, erat Prædicabilitas, de qua satis egimus. Secūda proprietas vniuersalis assignatur, esse quodamodo posterius singularibus. Sumpta ex Ar. 1. de Ani. tex. 8. & solet explicari dupliciter.

Primò quoad existentiam realem: quia scilicet intātum natura vniuersalis quoad suā realitatē existit, inquantum singularia existunt: alioqui nullatenus posset existere separata. Et, cùm exercitium existentiæ non sit prædicatum essentiale & necessarium, sed potius contingēs, & dependēs ex actione quæ primariò versatur circa singularia: ideò dicitur primariò ipsis singularibus conuenire, & cōsequēter naturæ vniuersali quoad suā realitatem. Ita colligitur ex Ar. 1. Met. c. 1. Hoc autē totum

totū, solùm accipiendū est secūdùm quēdam explicandi modū: alioqui in rigore loquendo, vniuersale realiter sumptum quoad primam intentionem, in re est ipsummet singulare. vnde non potest dari ordo existentiæ realis, siue dependentiæ realis in existendo, naturæ vniuersalis à singularibus. Sed solùm quodā explicādi modo, ad denotandū vniuersale nō posse existere separatū, dicitur nō existere nisi ratione singulariū. Cùm etiam è conuerso valeat dicere, ipsa singularia nec posse existere separata à sua natura essentiali: sed non nisi cum illa posse existere.

Tū quoad obiectiuā. Secūdò illud explicatur quoad existētiam obiectiuam, siue quoad abstractionē naturæ vniuersalis, ac etiā quoad aptitudinem rationis quę illi ab intellectu tribuitur. Nam vniuersale abstrahitur à singularibus in quibus realiter esse supponitur: & abstractū accipit ab intellectu aptitudinē rationis. Vnde realiter ipsa natura inuēta in singularibus, & similitudo atque conueniētia realis eorū inter se, est fundamentū abstractionis & vniuersalitatis: sic ergo vniuersale formaliter dicitur esse posterius singularibus. Neque obstat, quòd potētia ad aliquē actū est prior ipso actu: natura autē in statu vniuersalitatis dicit potētiā ad essēdū in multis: vnde videri pôt, priorē esse statū vniuersalitatis statu singulariū. Non inquā obstat, quia illud verū est de potentia reali quæ realiter sit causa sui actus, nō autē de potentia rationis quæ fingitur ab intellectu. Cùm ergo aptitudo naturæ in statu vniuersalitatis sit ens rationis, nō debet pręcedere: quinimo potius è contra dicere valebit, ideò naturā concipi ab intellectu aptā esse in multis, quia realiter inuenitur natura similis in multis. Et hoc est fundamentum vniuersalitatis.

Tertia, esse alia rōne prius singularibus. Tertia proprietas est, secūdùm aliā cōsiderationē vniuersale dicitur prius singularibus. Quod etiā dupliciter explicatur. Primò secūdùm essentiā: quia scilicet natura vniuersalis est quæ essētialiter cōstituit singularia. Prædicata autē essentialia concipiūtur quodammodo priùs quā res quæ per illa cōstituitur & cōpletur. Secūdò quoad illationē essendi: secūdùm quā dicitur prius à quo non conuertitur subsistēdi cōsequētia, vt docet Ar. in Post-prædica. c. 2. videlicet ex eo quòd detur hoc singulare, benè infertur dari in illo naturā vniuersalē: sed nō è conuerso ex eo quòd detur natura vniuersalis, inferri potest dari hoc singulare, quia nimirum natura dari potest sine hoc singulari, sed non hoc singulare sine natura. Hoc modo explicat Porph. cap. vlt. agēs de discrimine generis & differētię, & generis & speciei: docēs, genus esse hoc modo prius suis differentijs & speciebus. Vbi etiā obseruandū est, hāc cōparationē nō fieri inter hanc naturā & hoc indiuiduum: sed inter naturā absolutè in tota sua amplitudine, & hoc indiuiduū. Vñ in rigore hęc prioritas nō est aliud quā maior amplitudo ipsius vniuersalis, quæ in plura se extēdit, quā quodlibet singulare: & sic genus quā species, & adæquatè oē vñle quod est in multis, quā vnū aliquod ex ipsis multis. Ex quo pariter fit, vt benè inferre valeat, hic est hō, ergo est animal: sed nō cōuertitur, est aīal, ergo est hō. Et sic de reliqs.

Rursus circa hūc ordinē prioris & posterioris, si vñle & singulare sumātur formaliter relatiuè, quatenus referuntur ad inuicē: sic dicere valebit esse simul: quia in vniuersū correlatiua dicūtur esse simul, quod suo loco explicandū est. Alia difficultas est, quidnā prius à nobis cognoscatur, vñle nè an singulare. Sed de hac re in propria quæst. de Cogn. ord. differemus.

Quarta, esse principiū rerum. Quarta proprietas assignanda videtur, vñle esse principiū rerū, quas sub se continet. Ita ait Porph. c. de Genere, genus esse principiū specierū quæ sub ipso sunt. Ar. aūt 3. Met. tex. 10. pluribus rōnibus ex vtraq. parte disputat, nū vñlia sint rerum principia. Sed res facilis est. Vñlia in essendo, de quibus loquimur, nō esse principia realiter rerū quas sub se cōtinēt, quasi per modū causæ: cū enim non sint à rebus distincta, non possunt hoc modo esse earū principia & causæ. Nostro tñ intelligendi modo, quatenus res concipiuntur constitui per prædicata vñlia, & quatenus vñle tanquā vnū in se intelligitur diuidi in plura in inferioribus: sic vñlia possunt dici quodammodo principia rerum.

Quinta, esse perfectius vel imperfectius singularibus. Quinta proprietas vniuersalis est, qua dicitur esse, vel perfectius, vel imperfectius singulari. Et quidem si sumatur vniuersale formaliter pro secūda intentione, idest pro ipsa vñlitate: sic est in infinitū imperfectius singulari: singulare enim

quoad

quoad singularitatem suam est verè reale. Quantum ergo præstat ens reale enti rationis, tantum præstat singulare vniuersali sic sumpto. Si autem sumatur vniuersale pro natura reali, & sumatur in tota sua amplitudine prout complectitur omnia quæ in illa conueniunt: sic dici potest vniuersale tantum excedere perfectione singulare, quantum tota multitudo singularium excedit vnū aliquod singulare. Si demum dicatur singulare, siue omne id quod sub vniuersali continetur, superaddere suam differentiam intrinsecam supra naturam communem: sic ratione talis differentiæ vniuersale erit minus singulari.

Sexta, esse intelligibile. Sexta proprietas vniuersalis est, esse intelligibile & scibile. Et videtur hæc proprietas assignari vniuersali ad differentiam singularis, dicendo singulare non esse per se intelligibile & scibile. Et sumitur ex Arist. 1. Post. tex. 182. vbi ait, vniuersale percipi intellectu, singulare verò sensu. Verùm negari non potest, etiam singulare posse intelligi, & non solùm sensui sed etiam intellectui obijci posse, vt iam prædiximus q. 3. vbi & locum Arist. explicauimus. Dum ergo assignatur tanquam proprietas vniuersalis, esse intelligibile: potius accipi debet ad exclusionem cognitionis sensitiuæ, idest esse ita purè intelligibile, quòd nō possit percipi sensu: singulare autem potest percipi sensu. Quod etiam debet intelligi iuxta ea quæ diximus sect. 11. Et prєterea posse percipi solo intellectu, commune est etiam singularibus spiritualibus. Imo etiam inter res materiales, substantia ipsa & pleraque accidentia non possunt immediatè sentiri, sed tantùm intelligi.

Et esse scibile. Dum verò assignatur proprietas vniuersalis, esse scibile: hoc magis dici solet ad differentiam singularis: quia non omnis cognitio intellectiua est scientia propriè dicta: sed scientia sumitur pro cognitione quadam perfecta secundùm conditiones quæ lib. 1. Poster. ab Arist. assignantur. Et hæc scientia dicitur esse tantùm de vniuersalibus. Et de singularibus dicitur non dari scientia. Quod adeò necessarium visum est, vt propterea illi antiqui qui vniuersalia non cognouerint, scientiam omnem abstulerint; & Plato, vt scientiam conseruaret, separata illa vniuersalia excogitauit. Verùm de hac re in proprio tractatu de scientia inter species cognitionis intellectiuę agemus: ibiq. examinabimus, quodnam obiectum scientiæ esse debeat.

Præter has demum, aliæ proprietates vniuersalis assignari solent: videlicet, esse ingenerabile & incorruptibile, esse semper & vbique, esse totum, & si quæ sunt aliæ similes: quæ satis in hac quæstione suis locis magis proprijs explicatæ sunt.

SECTIO XVI.

Quot & quæ sint Vniuersalia & Prædicabilia.

IN fine huius quæstionis, in qua considerauimus vniuersale in communi, examinare oportet, si plura vniuersalia sint, & quot & quæ sint, vt subinde de ijs singillatim agamus. Non autem nunc quærimus de numero & distinctione vniuersalium ex parte naturarum realium. Nam de hoc satis patet, quam copiosa sit multitudo, & quanta varietas naturarum, quæ postea in prædicam. distinctè recensendæ & collocandæ sunt. Sed quærimus ex parte vniuersalitatis & prędicabilitatis formalis, quot & qui sint modi diuersi vniuersalitatis.

Cōmunis sententia assignat quinq. Genus, speciem, differētiam, proprium, & accidens. Notissima & communissima sententia est, vniuersalia & prædicabilia esse illa quinque, quæ in suo libello à Porphyrio pertractantur videlicet, Genus, species, differentia, proprium, & accidens. Cuius diuisionis ratio & sufficientia duplex solet præcipuè assignari. Prima ex parte vniuersalitatis, quæ refertur ad essendum in multis. Secunda ex parte prædicabilitatis. Ex diuersa enim ratione essendi in multis, & similiter qua natura prædicatur de multis, hæc distinctio colligenda & comprobanda est. Quia inde desumitur diuersa aptitudo & relatio rationis, siue etiam diuersa abstractio & vnitas rationis.

Prima ratio ex parte vniuersalitatis. Prima ratio est huiusmodi. Natura vniuersalis, vel est in multis essentialiter, vel accidentaliter. Si essentialiter. Vel tāquam tota essentia: & hæc est species, quæ dicitur esse tota formalis indiuiduorum

uiduorũ eſſentia, quoniã cõditiones indiuiduãtes dicũtur ſe habere materialiter, non autẽ tanquã gradus eſſentiales formales. Vel tãquã pars eſſentiæ. Et tũc aut tanquã pars materialis: & hoc eſt genus. Aut tanquã pars formalis: & hæc eſt differentia. Nam genus & differentia. v. g. animal & rationale in homine, dicuntur ſe habere tãquam pars materialis & formalis. Quoniam genus concipitur veluti per ſe ſtans, ac recipiens differentiam, & tãquã indeterminatũ quid, determinabile per differentiam, ſicut materia ſe habet ad formam: differentia autem ſe habet tãquam forma actuans & determinans. Si deinde natura vniuerſalis ineſt accidentaliter. Vel ſaltem enaſcitur & promanat ab eſſentia rei: & hoc eſt proprium. Vel prouenit merè ab extrinſeco abſquè neceſſaria connexione vel dependentia ab eſſentia: & hoc eſt accidens. Quãuis enim etiam proprium ſit accidens: & poſſent hæc duo prædicabilia appellari, accidẽs proprium, & accidens commune: tamen breuitatis gratia, vnum appellatur abſolutè proprium, aliud accidens. Hanc rationem diſtinctionis reddit Suar. d. 6. ſect. 8. n. 7. & alij.

Secunda ex parte prædicabilitatis.

Secunda ratio ex parte prædicabilitatis eſt huiuſmodi. Natura vniuerſalis aut prædicatur in quid, ideſt per modũ termini ſubſtantiui & eſſentialiter. Et tũc aut de pluribus differẽtibus ſpecie, vt animal de homine & bruto: & hoc eſt genus. Aut de pluribus tantùm differẽtibus numero, vt homo de Petro & Paulo: & hæc eſt ſpecies. Aut deinde prædicatur in quale quid, ideſt per modũ termini adiectiui, ſed eſſentialiter, vt rationale de homine & ſingulis hominibus: & hæc eſt differentia. Aut tandẽ prædicatur in quale, ideſt per modum termini adiectiui, & accidentaliter. Et hoc: Vel eſt propriũ, ſi neceſſariò prædicatur, vt riſibile de homine. Vel eſt accidẽs, ſi tãtùm cõtingẽter dicitur de ſubiecto, vt albũ & ſimilia.

Alia ſententia aſſignãs tãtùm duo, Genus, & ſpeciem.

Alia ſententia videtur quorũdã veterum & grauiũ Auctorum, qui illa tãtùm vniuerſalia quæ eſſentialiter rebus cõpetũt, imo quæ ſubſtantiuè & in quid, ſcilicet genus & ſpeciem, & nõ alia, aſſignaſſe videntur. Ita ſignificant Auerr. in Antepradicam. cap. 2. Ammon. cap. 3. Boet. in Prædicam. com. 6. Simplic. com. 6. & 9. Dexippus cap. 14. & Porphyr. ipſe in Prędicam. interrogatione 35.

Alia ex aduerſo ſententia eſt quorundam recẽtiorum, qui prædicabiliũ numerum augere maluerunt Caiet cap. de Specie, addidit indiuiduũ vagũ, v. g. quidam homo; pôt enim dici de Petro & Paulo, & cæteris. Atq. definitionẽ, vt animal rationale: pariter enim dici pôt de pluribus. Et alij demum aliter alia addiderũt, quia plura ſanè sũt quę p̃dicari poſsũt, ac perinde debent inter prædicabilia cõputari.

Vniuerſale poteſt ita ſumi, vt ſolùm Genus & ſpecie cõplectatur.

Dico primò, poſſe ſine dubio accipi vñle & prædicabile, pro ſolis ijs naturis quæ eſſentialiter ſuis inferioribus conueniũt, ſiue vt ſolũmõ duo vñlia, ſcilicet genus & ſpeciẽ cõplectatur: atq. hanc acceptionẽ, non ſolũ eſſe in antiquitate fundatã, ſed etiã per ſe vtilẽ, & de facto vſitatã. Probatur primò, poſſe vñle ſic accipi, debereq. hanc acceptionẽ admitti. Tũ auctoritate tot grauiũ Auctorũ, qui ſic acceperũt vñle, vt allegauimus. Tũ præterea ex Porph. in hoc ipſo libro. Nã in proœm.

Ex Porphyrio.

cũ propoſuiſſet, explicare ſe velle quinq. illa, quæ ibi numerat; mox cõmemorans quæſtiones illas difficiles de vñlibus, illas non proponit de omnibus illis quinq; ſed ſignatè de generibus & ſpeciebus: vt iq. ſupponẽs, hæc & nõ alia eſſe vñlia, de quibus illæ quæſtiones procederent. & in tractatu ipſo ſingulorum, non de ijs omnibus egit quatenus vniuerſalia ſint, vt prænotauimus quæſt. præced. ſect. 2.

Ex Ariſt.

Tum inſuper idem ex Ariſt. nõ obſcurè colligitur, qui non ſolùm nullibi illa omnia tanquam vniuerſalia numerauit; vnde ſaltem habetur, aſſignationem illam quinque vniuerſalium non ex Ariſt. deſumptam, ſed nouiter excogitatã fuiſſe. Sed expreſsè ipſe Ariſt. ſub hoc nomine vniuerſalium, nõ niſi genera & ſpecies propoſuit: & quando diſputat cõtra Platonis ideas, quæ putantur vñlia ſeparata, non meminit niſi ſpecierũ & generũ, ſiue idearũ de ſpeciebus & generibus. Et hic in Logica, cũ in Antepræd c. 1. definiſſet vniuoca, quæ nomine & rõne conueniunt, in cap. de ſubſtãtia, negat accidẽtia de ſubiecto dici vniuocè, quia ſcilicet nõ eſſentialiter dñtur. Et ſimiliter 2. Top. c. 2. Vbi planè vniuoca accepit pro ſolis ijs, quę eſſentialiter dicũtur, & maximè pro gñibus & ſpeciebus. Hæc ergo vniuerſa-

lis acceptio. eſt magis peripatetica, & de mēte Ariſt. Tum demũ alij Auctores, dum diſputant de Platonis idæis, ſiue contra vniuerſalia ſeparata, aut cùm abſolutè de veris vniuerſalibus diſſerunt; determinatè de naturis eſſentialibus, de ſpeciebus generibuſquè, loquuntur.

Ex ratione vniuerſalis.

Secundò ratione probatur. quia cũ vniuerſale definitur, vnum aptum ineſſe multis, commodiſſimè poteſt intelligi, aptum ineſſe eſſentialiter, & quod aptũ eſt prędicari de multis eſſentialiter. Imo, ſicut ſect. 13. notauimus, perinde eſt dicere vniuerſale eſt vnum in multis, atque eſt vnum & multa. eſt vnum & multiplex: & dicitur vniuerſale diuidi in multa ſe ipſa: quæ maximè intelliguntur de ſpecie in multis indiuiduis, & de genere in multis ſpeciebus, vt patet. Et propterea Ariſt. in Anteprædicam. cap. 2. diſtinguit, eſſe in ſubiecto, & dici de ſubiecto: atquè, de ſubiecto dici, hominem de hoc homine: in ſubiecto autem eſſe, ſcientiam in anima, albedinẽ in corpore. Solùm ergo prędicata eſſentialia dicũtur de ſubiecto ex mente Ar. quãdo ergo vniuerſale & prędicabile dicitur, quod prędicatur de multis: optimè intelligetur, quod prædicatur eſſentialiter, tanquam genus aut ſpecies. Imo obſeruãdum eſt, Ar. ibi docere, quędã ſimul eſſe in ſubiecto & dici de ſubiecto: *Scientia*, inquit, *in ſubiecto eſt in anima, de ſubiecto dicitur de grammatica.* Vbi patet, ſcientiam de grammatica dici eſſentialiter, eſſequè genus eius: & reſpectu animæ ſe habere accidẽtaliter. In hac ergo acceptione, ſi accidentia comparentur ad ſua inferiora quibus eſſentialiter cõpetunt, v.g. color ad albedinem & nigredinem, albedo ad hanc & illam albedinẽ, verè ſunt vniuerſalia, ideſt aut genera aut ſpecies: ſi autem comparentur ad ſubiecta quibus inſunt, non ſunt reſpectu eorum vniuerſalia.

Ex vtilitate & vſu talis acceptionis.

Tertiò, vlterius oſtenditur, hanc vniuerſalis acceptionem eſſe vtilem & vſitatam. In coordinatione prædicamentorũ quæ vniuerſalibus perficiũtur, genera & ſpecies in recta linea componũtur, cætera tantùm à latere & reductiuè, & non tanquam noua vniuerſalia, ſed quatenus annexa ipſis vniuerſalibus, generibus & ſpeciebus, quæ in recto ponuntur. In diſpoſitione ſcientiarum, quæ penes gradus magis & minus vniuerſales ordinãtur, tãtùm genera & ſpecies per ſe conſiderantur ſub hoc ordine: alia autem nõ tanquã noua vniuerſalia, ſed per reductionẽ ad illa quæ per ſe conſiderãtur. Inſuper quãdo in cõmuni modo loquendi atque docendi, opponuntur vniuerſale & ſingulare, pro vniuerſali non cogitantur niſi genera & ſpecies: quando aſſignatur natura & ſingularitas, natura planè ſumitur pro eſſentia ſingulariũ. Quando item vniuerſale dicitur contrahi per differẽtias, quãdo dicitur poteſtate continere ſua inferiora, quando vniuerſale appellatur ſuperius reſpectu inferiorũ: non niſi de naturis quæ eſſentialiter dicũtur, ſcilicet de generibus & ſpeciebus, cogitamus. Et ſi demum attendantur quę in tota hac quęſtione de vniuerſali in communi tractata ſunt: ferè omnia de vniuerſali in hac acceptione maximè dicta inuenientur.

Cæterùm quia differentia quæ diuidit genus & conſtituit ſpeciem, verè eſt eſſẽtialis ipſi ſpeciei, & conſequenter omnibus inferioribus eius: poſſit quidem vno modo ſub hac acceptione tria vniuerſalia aſſignari, ſcilicet genus, ſpecies, & differẽtia. Sed quia alio modo poteſt dici, differentiam nõ eſſe vniuerſale diſtinctũ, ideſt non habere vniuerſalitatem eſſentiali er diuerſam ab vniuerſalitate generis & ſpeciei: ideò duo tantùm vniuerſalia, ſcilicet genus & ſpecies, in hac acceptione diſtinguũtur, nõ quidẽ excludendo, ſed cũ ijs inuoluẽdo differẽtiã. Sed an verè differẽtia ſit vniuerſale ab ijs diſtinctum, in proprio tractatu examinabimus.

Aliter põt ſumi, vt cõplectatur omnia quinque.

Dico ſecundò, poſſe etiã vniuerſale & prædicabile magis amplè & adæquatè ſumi, vt omnia illa quinque complectatur, eaquè omnia dicantur vniuerſalia & prędicabilia. Probatur primò: quia verè omnia illa quinque apta ſunt ſuo modo eſſe in pluribus, de iiſque prędicari: ergo poteſt vniuerſale & prædicabile in tota hac amplitudine ſumi. Aſſumptum patet, non ſolùm de genere & ſpecie ex dictis, ſed etiam quia differẽtia propriũ & accidẽs poſſunt ſumi in cõmuni, & ſic de pluribus dici: nõ dico ſolùm de pluribus ſuis ſpeciebus, ſed de pluribus ſubiectis: v. g. rationalitas, riſibilitas, albedo, non ſolùm de hac & illa rationalitate &c. ſed de hoc & illo homine. Vnde debent ſumi

hæc

hæc tria in cōi, ideſt differentia in cōi; proprium itē, quod eſt propriū reſpectu ſpeciei, eſt autem cōe reſpectu inferiorū talis ſpeciei;& accidēs in cōmuni:vt ſint hoc modo vſlia & prædicabilia. Alioqui hæc differētia, hæc proprietas ſingularis, videlicet hæc rōnalitas, hæc riſibilitas, nō eſt vtique vſalis & prædicabilis de pluribus. Deinde eſt hęc acceptio vniuerſalis & prædicabilis, tam cómunis vulgata & frequens, vt notiſſimum eſt: ergo omnino eſt admittenda & acceptanda. Atque Porphy. ipſe in cap. de Genere planè docet, hæc omnia quinque conuenire in eo quòd de pluribus prædicantur. Non per hoc verò modò approbare intendimus omnes illas rationes à prima ſententia adductas ad explicandam diſtinctionem horum quinque. Sed optima quidem eſt diſtinctio illa, eorum quæ eſſentialiter & quæ accidentaliter dicuntur: itemquè proprij & accidentis inter ſe: diſtinctio tamen aliorum trium inter ſe, maiori diſcuſſione indiget; quæ quoniam dependet ex propria ratione illorum ſingulorum, in proprios tractatus differenda eſt. Neque etiam dicimus, vniuerſale immediatè & æquè primò in ea quinque diuidi. Quinimò fatendum eſt, prius & immediatius in pauciora membra diuidi, videlicet in illud quod dicitur eſſentialiter, & quod dicitur accidentaliter; aliiſq. modis in explicatione cōis ſententiæ iā adductis. Sed aſſignantur illa quinque, in quæ verè reſoluitur diuiſio ipſius vniuerſalis.

Indiuiduū vagum, & definitio, non ſunt alia diſtincta prædicabilia.

Secundò, hæc diuiſio ita communiter adæquata cenſetur, vt præter eā quinque, nullum aliud addendum ſit. Et præſertim indiuiduum vagum & definitio non cenſentur diſtincta prædicabilia. Idquè à multis probari ſolet, quia ſunt termini complexi, prædicabile autē debet eſſe terminus incomplexus. Verùm hæc ratio potius cōfirmare videtur ſententiā Caiet. Nam fatebitur quidem ipſe, quinq. tantū eſſe illa prædicabilia incōplexa, ſed præter illa dicet dari alia complexa. Et ita quidem indicat Tolet. q.3. ad 2. Deinde non oportet ea ratione excludere terminos complexos. Nam multa prædicabilia poſſunt, vel per terminos incomplexos, vel per complexos, deſignari: v.g. perinde eſt dicere, homo eſt rationalis, eſt diſcurſiuus; atque eſt aptus diſcurrere, eſt aptus ridere: nix eſt alba, atq. eſt diſgregatiua viſus. Hęc ergo prędicata cōplexa, non ſunt excludenda, ſed potius cum incomplexis confundenda, ita vt nō ſint ab illis ſegreganda & diſtinguenda. Libenter ergo admittendum eſt, definitionē eſſe quoddā prædicabile: ſed dicendū, non eſſe diſtinctū a re definita. Sic animal rationale eſt idē prædicabile quod eſt homo, & ſic de alijs. Similiter indiuiduū vagum, ſi ſumatur quatenus prędicari poteſt cōiter de pluribus ſingularibus, erit vel ſpecies vel genus: ſi videlicet dicatur de pluribus differentibus numero, vt quidam hō de oībus hominibus; vel etiā dicatur de pluribus differētibus ſpecie, vt quoddā aīal, quædā ſubſtantia: quæ poterunt dici, ſpecies vaga, genus vagū. Imo ſic poterit etiam in omni alio prædicabili deſignari: v.g. in accidenti, nix eſt quoddam album. Et ſic de alijs.

Explicatur magis indiuiduum vagum.

Sed ad maiorē explicationē indiuidui vagi, notandū eſt, ly quidā hō poſſe ſumi dupliciter, vel pro cōceptu cōi omnibus & ſingulis hominibus, vt idē ſit ac ſingularis hō, de quo dicere poſſumus, Petrus eſt ſingularis homo. Sic videtur accepiſſe S.Tho. 1.p.q. 30. art.4.& q.9. de Potēt. ar. 2. ad 1. Vel pro vno tn̄ indiuiduo, nō tamē certo & ſignato, ſed vagè & indeterminatè:& hoc nō eſt aliud quā dicere ſub diſiunctione, vel hic vel ille vel alius hō.

Primo modo eſt vſale quoddā. Sed ibi inuoluitur difficultas, qūo ſingularitas in cōi, ſeu ſingularitas humana, ſe habeat ad hanc & illā ſingularitatē: de qua re nos diſſeremus qu.ſeq. agētes de ipſa ſingularitate: vbi dicemus, eodē modo proſus ſe hēre, quo ſe hēt nr̄a ad hāc & illā naturā.

Secundo modo propriè dicitur indiuiduū vagū. Et vt ſic, nō tā ſe habet vt prædicatū, quā potius vt ſubiectū. Signa enim vſlia & particularia propriè ponuntur ex parte ſubiecti, nō prædicati:& ly quidā hō deſeruit ad dicendū, quidā hō currit, loquitur, &c. Itē non tam ſe habet, vt quid cōe multis, quā potius vt quid proprium vni, non tn̄ determinatè huic, ſed indeterminatè & diſiunctiuè: Vnde nō propter cōitatem, ſed propter talē indeterminationē, poteſt applicari huic vel illi. Ideò ergo non dicitur eſſe vniuerſale & prædicabile, ſed dicitur indiuiduū, vagū tamen & incertū. Quæ tandē res efficaciter

ter cõfirmatur. quia terminis vnlibus apponimus syncategoremata, omnis, nullus, aliquis, omnis hõ, nullum rõnale, aliquod album, &c. & ita vnlia distribuimus per multa pro quibus supponunt. Indiuiduum verò vagũ, nec his signis affici põt, nec distribui: nõ enim dici: ur, oĩs quidã homo, aliquis quidam hõ: quia nimirũ cùm non supponat cõiter pro multis, sed solùm vagè pro vno, distributionem non recipit.

Non sunt plura alia prædicabilia præter vniuersalia.

Tertiò deinde non est negandũ; plura alia prædicata addi posse, si sumenda sint oĩa quæ quoquo mõ prædicari possũt. Sed prædicabilia hic sumũtur, quæ directè & formaliter possunt per modũ vnius diuisi in plura de pluribus prędicari, vt sect. 14. notauimus circa prædicabilitatẽ vnalis. In hoc sensu assignantur eadẽ quinq. prędicabilia, quæ sunt quinq. vnalia, nec alia superaddenda sunt. Et quantũ ad hoc non sunt audiẽdi aliqui, qui plura prædicabilia quã vnalia multiplicãt. Quia cũ in eo sensu quo accipitur vnale, accipiatur hic etiã prædicabile; debẽt pariter & æqualiter prædicabilia cum vnalibus assignari.

Addi potest sextũ vniuersale & prædicabile ex mysterio Incarnationis.

Quartò vlterius sextũ quoddã prædicabile à quibusdã Theologis ex mysterio Incarnationis excogitatũ est, quo videlicet natura substantialis assumpta dicitur de persona assumente: vnde vocarunt hoc prędicabile assumptiuũ. Verè enim dicimus, Deus est hõ, Filius Dei est hõ. Et posset etiã hoc prædicatũ dici de pluribus, si Pater & Spiritus sanctus aliã & aliam humanitatẽ, aut aliam naturã assumerent: & rursus eò magis, si etiã persona creata põt alienã naturã assumere. Vnde hoc, tàm sextũ vnale, quã sextũ prædicabile dicẽdũ videtur. Vasq. aĩt 3. p. d. 68. c. 4. contendit, huiusmodi prædicationẽ spectare ad quintũ prędicabile quod est accidẽs. quia prædicatũ põt adesse & abesse subiecto præter eius corruptionẽ: & quia ẽt substantia põt hoc modo prædicari, sicut cũ dicimus, circulus est ligneus; quoniã sic non est accidens prædicamentale, quod distinguitur à substantia, sed est accidẽs prædicabile, quod solùm distinguitur à prædicatis essentialibus.

Sed certè negari non potest, notabile discrimen esse inter hanc prædicationẽ & alias prædicõnes accidẽtales. Nã accidentia prædicabilia prædicari solent in quale & adiectiuè, ẽt si prędicatũ sit substantia, vt patet in eodẽ exẽplo allato: at in hac propõne, Deus est hõ, prædicatum dicitur in quid & substantiuè. Itẽ accidẽs prædicabile ita cõuenit accidentaliter, vt nõ cõstituat vnũ substantialiter: at natura substantialis cõstituit vnũ substantiale cũ persona assumente. Vñ Theologi docere solẽt, propõnes illas inter Deũ & hominem in Christo, esse per se & substãtiales, quia sunt in vnitate suppositi. Dicẽdũ ergo est, vel posse accipi quintum prædicabile, ita amplè, vt cõplectatur oẽ id quod prædicatur extra essẽtiã subiecti & cõtingẽter, siue in quale siue in quid, siue merè accidẽtaliter siue substantialiter: & sic dictam prædicõnẽ spectare ad quintũ prædicabile: ita tñ quo nõ negetur, hoc posse & debere diuidi in duas partes. Vel si quintũ prędicabile accipiatur solũ pro eo quod dicitur in quale & merè accidentaliter: sic dari sextum prædicabile, non ex Philosophia, sed ex doctrina Fidei cognitum.

Dicta uniuersalia: possunt in plura subdiuidi.

Quintò rursus addẽdũ est, dicta quinq. vnalia posse rursus diuidi in plura mẽbra: nõ quidẽ solũ penes diuersas nãras vnales: sed ẽt aliquo mõ formaliter pẽnes ipsã vnalitatẽ. Patet. quia genus, aliud est gnalissimũ, aliud subalternũ, vt diuidit ipse Porph. c. de Specie. Itẽ differẽtia, alia est generica, alia specifica. Similiter & propriũ. Sicut. n. diuidũtur, genus quod prædicatur de pluribus differentibus specie, & species quæ de pluribus differentibus numero: ita datur differẽtia & proprium cõueniẽs pluribus differẽtibus specie, vel tñ numero. Itẽ de 5. prædicabili iã diximus. Species ẽt põt diuidi, quæ dicatur de pluribus numero diuersis, vel per intrinsecas singularitates, vel per discõtinuationẽ partiũ, siue per extẽsionẽ, vel per intẽsionẽ, vel per successionẽ, aut alio mõ. Et dubitari põt, num hæ diuisiones sint verè essentiales in rõne formali vnalitatis, vel tñ accidentales: siue, vt dici solet, an dicta quinq. sint quædã genera sub se cõtinẽtia species essentialiter diuersas vnliũ, vel sint species infimæ ipsius vnalis. Sed qm hoc attingit proprias rõnes ipsorum vnliũ, in proprijs tractatibus discutietur.

Quænam vniuersalia spectẽt ad hãc diuisionem.

Postremò alia præcipua difficultas hic est, nũ vnle quod diuiditur in ea quinq. sit tantùm illud quod perfectè pręcindat ab inferioribus, vel potius vniuersale sumptum in tota latitudine, etiam pro illo

illo quod imperfectè præscindit. Item an diuidatur solùm vniuersale vniuocū, siue illud quod prædicamenta constituit, vel complectatur etiam analogum, atque prædicata transcendentalia, siue an detur vniuersale analogum atque trāscendens, præter duo iuxta primam, aut præter quinque iuxta secundam conclusionem; vel ad eorum aliquod reducatur. Sed hoc etiam omnino dependet ex tractatione ipsorū vniuersaliū: & tandē in proprio tractatu de analogis & de prædicamentis in communi penitus resoluetur.

Duo loca Arist. explicātur.

Sed contra tàm primam conclusionem in qua diximus esse duo, quàm secundā in qua diximus esse quinque vniuersalia & prædicabilia: Primò obstare videtur Aris. qui 1. Top. c. 3. tria prædicata distinguit, Genus, Proprium, & Accidēs; & expressè ait, differētiā inuolui cū genere: & propriū subdistinguit, in terminū, idest definitionem, & illud quod absolutè dicitur proprium. & 1. de Part. anim. c. 5. vniuersale videtur in tria membra diuidere, dum ait: *Alia proportione, alia genere, alia specie, rationem complent communitatis.*

Respondetur. Intentum Philosophi in priori loco non fuisse assignare prædicabilia de quibus modo agimus: sed tantùm terminos in quibus disputatio dialectica versatur: ad quem finem opportunum ei visum est, illa prædicata eo modo distinguere. Et per genus intellexit omne prædicatum essentiale, quod sit cōmune subiecto de quo disputandū est cum alijs rebus: per accidēs, prædicatū accidentale commune: per proprium, prædicatum ipsi subiecto peculiare; vel essentiale, & hoc dicit terminum seu definitionē; vel accidentale oriens ex essentia, & hoc dicit absolutè propriū. Ideò autem differentiā cum genere copulauit: quia supponebat differentiā nō esse adæquatā cū subiecto, sed latiùs patere, sicut genus. Et ideò prędicatum essentiale propriū assignauit definitionem: quia tota definitio est, quę cū subiecto adæquatur, de qua re agemus in tractatu de differentia. In alio autē loco Arist. per ea quæ proportione cōueniunt, intellexit analoga, de quibus iam diximus postea a nobis tractandum esse quomodo ad vniuersale se habeant. Itaque ille locus pro prima conclusione facit. Nec tamen destruit secūdā, iuxta diuersas acceptiones vniuersalis. Et alia argumēta quę objici possūt, ex dictis satis soluta manēt.

Nū vniuersale in communi sit genus ad quinq. vniuersalia.

Secūdò præcipuè dubitari potest, quomodo possit vniuersale in cōi diuersa sub se vniuersalia complecti. Sic enim ex vna parte videbitur illa sub se continere, sicut genus cōtinet suas species: & sic vniuersale in cōi erit genus ad diuersa vniuersalia, & hæc vniuersalia erūt species eius. Hoc aūt ex alia parte repugnare videtur & implicare in terminis: præsertim quia si vniuersale continet sub se genus tanquā speciem suam, quomodo potest esse in se genus? Et si continet non solùm genus, sed etiā alia vniuersalia quæ non sunt genus: quō potest esse genus ad omnia vniuersalia? Et cùm genus rursus sub se cōplectatur oīa illa quæ sunt genera: quō potest sub se cōplecti ipsum vṅale in cōi, quod potius sub se complecti supponitur ipsū genus? & cū vniuersale cōplectatur sub se alia quatuor vniuersalia: si ipsum vniuersale continetur sub genere, sequitur & alia quatuor vniuersalia contineri sub genere. Et demū cum omnia vniuersalia pręter speciē nō sint species, vt patet; genus enim non est species, sed est genus, & similiter alia: quō poterunt ipsa omnia vniuersalia esse species vniuersalis in cōi?

Duplex sententia.

Ad hoc dubiū Alber. tract. 2. Prędicab. c. 9. negat, vniuersale in cōi esse genus ad quinq. vniuersalia. Fauēt Boet. & Ammon. in cap. de Gen. Auicen. cap. 7. suæ Log. & quidam alij, & ex parte sequitur Vall. q. 7. de Vniuer. in cōi, c. 12. E cōtra id affirmat atq. defendit Scot. q. 8. Vniuersalium, cū quo sentiunt non solùm Scotistæ, sed alij recentiores cōiter circa hunc locum. Qm̄ planè vniuersale est quid cōe ad oīa vniuersalia: & de illo, respectu singulorū vniuersaliū dicere valet, esse aliquid vnū aptum inesse multis, siue aptum diuidi & multiplicari in plura vniuersalia: ergo oīno respectu illorū est vniuersale quid, & prædicabile de illis. Insuper prædicatur de illis in quid & essentialiter. Nam genus essentialiter est vṅale, genereitas est vṅlitas, & sic de cæteris; sicut hō essētialiter est animal: ergo oīno se habet ad illa sicut genus ad species. Neq. posset dici, accidens, aut propriū, aut differentia, aut species, respectu illorū. Neq. pōt dici esse analogū quid & nō vniuocū respectu ipsorū vniuersalium, ideòq. nō esse genus.

Nam vniuersale formaliter sumptum, seu vniuersalitas, dicit conceptum vnum secundùm rationem suam verè communem singulis vniuersalibus, & vniuersalitatibus, primariò conuenientem singulis, loquendo formaliter inter ipsas secundas intentiones: ergo dicit cóceptum vniuocum & genericum. Atque demum illa ipsa inconuenientia in dubitatione adducta, & maiora, sequuntur si vniuersale dicatur esse aliud vniuersale à genere, siue esse analogũ, quã si dicatur esse genus.

Vniuersale sump ũ pro natura, non est genus.

Pro solutione huius dubij, distinctè considerare oportet in omni vniuersali, & naturam realem, & vniuersalitatem formalem. Quantum ad naturam realem, ita se habet vniuersale in communi ad omnia quinque, sicut se habet natura absolutè dicta ad omnes naturas, siue sicut se habet ens ad omnia entia. quod magis communiter dicitur esse analogum, non verò vniuocum, neque genus: de qua re nos alibi disputabimus. neque hic est proprius sensus huius dubij. Et quantum ad hoc Fonf. 5. Metaph. cap. 28. q. 12. exponit primam sententiam. Quantum ergo ad vniuersalitatem formalem, rursus considerandum est. Sicut alijs naturis realibus intelligitur superaddi intentio vniuersalitatis per comparationem ad inferiora in quibus talis natura reperitur, quæ intentio vniuersalitatis non est de essentia ipsius naturæ, sed ad illam accidentaliter & denominatiuè se habet. Ita dicendum est, quia ipsamet vniuersalitas in communi comparatur ad varias vniuersalitates, tanquam superius ad inferiora: ipsam quidem se habere quasi naturam realem, eiquè intelligi superaddi intentionem quandam vniuersalitatis respectu suorum inferiorum; quæ formaliter non sit de essentia ipsius, sed ad eam accidentaliter & denominatiuè se habeat. Vnde sicut dicimus natura animalis est vniuersalis: ita dicemus natura vniuersalitatis est vniuersalis ad varias vniuersalitates. Atque hæc intentio vniuersalitatis illi superaddita, potest & debet omnino esse specialis quædam vniuersalitas ex quinque dictis. Nec potest dici alia quam intentio generis. Et ita vniuersalitas in communi, est vniuersale genus ad varias vniuersalitates. Vniuersalitas enim in communi dicit suam abstractionem à varijs vniuersalitatibus in speciali: & ita dicit suam vnitatem rationis; dicit etiam aptitudinem essendi in ipsis suis inferioribus: & se habet ad illa tanquam prædicatum commune essentialiter respiciens suas species. Itaque vniuersale in cõi formaliter sumptũ, est verè genus ad quinq. vniuersalia, non per genereitatẽ essentialẽ illi vt sic, sed per genereitatẽ illi superadditã, eiq. accidentalem, quasi secundam intentionem primæ.

Sumptum pro vniuersalite form li, est genus, non essentialiter, sed d nominatiuè.

Similiter quinque vniuersalia sunt species.

Similiter dicendum est, illa quinque vniuersalia esse species vniuersalis in communi, species inquam subijcibiles, per secundam intentionem huius speciei tatis, illis superadditam supra vniuersalitatem propriã. Insuper quodlibet ex his quinq. vniuersalibus in communi sumptum, erit genus siue species prædicabilis ad hæc & illa in singulari sumpta, v. g. vniuersale genus, est species ad hoc & illud genus, formaliter loquendo, idest genereitas in communi est species ad hanc & illam genereitatem, scilicet ad genereitatem substãtiæ, quantitatis, &c. Pariter vniuersale proprium est hoc modo species ad hoc & illud proprium, scilicet ad risibilitatem hominis & hinnibilitatem equi, & sic de alijs. Vbi semper talis vniuersalitas speciei, est intentio accidentaliter superaddita, ipsi generi, ipsi proprio, supra vniuersalitatem essentialem generis & proprij; eamquè accidentaliter afficiens, atque denominans.

Quomodo vniuersale in communi admittat intentionẽ generis.

Et per hoc facillimè satisfiet ad totam rationem dubitandi in contrarium allatam. Quia enim vniuersale in communi continet sub se genus, nõ est essentialiter in se genus: sicut animal non est in sua communitate essentialiter homo: sed benè potest esse genus per intentionem genereitatis ei accidentaliter superadditam. Et quia continet sub se alia vniuersalia, quæ non sunt genus; ideò est genus ad omnia per suam intentionẽ genereitatis: sicut quia animal continet sub se hominem, equum, leonem, &c. est genus ad hæc omnia, quæ tamen non ipsamet sunt genera. Et quia vniuersale continet sub se genus essentialiter: ideò, non quidem essentialiter, sed tamen accidentaliter potest vicissim contineri sub genere, idest potest affici quadam genereitate, quæ vtique est essentialiter quædam

dam vniuersalitas, & quoddam indiuiduũ essentialiter contentum sub ipsamet vniuersalitate, quam afficit, atque denominat. Sicut, v.g. quando intellectus intelligit intellectionem in communi, ille singularis actus intellectionis, continetur vtique essentialiter sub ipso conceptu obiectiuo intellectionis intellectæ. Et simul denominat accidentaliter extrinsecè ipsammet intellectionem, cùm dicimus intellectio intelligitur, non minus quam cùm dicimus substãtia intelligitur, quantitas intelligitur. Et quia vniuersale continetur hoc modo sub genere, siue est genus: valebit etiam dicere, omnia quinque vniuersalia contineri sub genere, non quasi ipsa sint genus, sed quia continentur sub vniuersali quod est ipsorum genus.

Et quinq. vniuersalia intentionẽ speciei.

Et demum cùm quatuor vniuersalia diuersa sint à specie, non sunt quidem essentialiter species, sed tamen possunt accidentaliter affici & denominari quadam intentione specieitatis, & ipsamet species afficitur etiam accidentaliter quadã sua intentione specieitatis, sicut & alia quatuor. Ita quòd sumendo, v. g. Genus: natura quidem realis, quæ suscipit hanc intentionem generis, est vniuersale genus respectu suorum inferiorum; animal respectu hominis & bruti: sed intentio ipsa generis, communis huic & illi genereitati est species prædicabilis respectu earũ, & est species subjicibilis respectu vniuersalis in cõi: hæc aũt vel illa genereitas in singulari, non est nec genus, nec species, sed indiuiduum quoddam & singulare. Et sic de alijs vniuersalibus.

QVÆSTIO NONA.

De Singulari seu Indiuiduo.

Ratio ordinis & necessitatis, qua singulare cum vniuersali cõiungitur.

NOn solet hic de Singulari seu Indiuiduo exactè tractari. Nisi quòd tantùm in cap. de Specie Porphyr. breuiter rationem indiuidui indicauit. Vbi pro explicatione textus, & per comparationem ad speciem, aliquid etiam de indiuiduo ab Auctoribus reductiuè tractatur. In Metaphysica autem ex professo & latè de principio indiuiduationis agunt aliqui. Verùm tam necessariam video connexionem inter vniuersale & singulare; & adeò requiri parem notitiam ipsius singularis ad perfectè capienda ea quæ de vniuersali dicta sunt: vt hæ duæ tractationes disiungi non possint. Sed vel etiam tota de vniuersali tractatio erat in Metaphysicã differenda: vel qua ratione de vniuersali hic in Logica agimus, etiam tractationem de singulari coniungendam esse statuimus. Nec possent hi duo tractatus distrahi: & vnus in Logica, alius in Metaphysica collocari. Atque ex rebus ipsis tractandis multò planius apparebit, quàm necessariò hæc tractatio hoc loco adiungi debebat; & ad logicum institutum, tum propter vniuersalia & prædicabilia, tùm propter prædicamenta, & alias partes Logicæ deseruiat.

Rectè etiã singularis & indiuidui nomina coniungũtur.

Coniungimus autem duo nomina, Singularis & Indiuidui, tanquam synonima, quia ambo æqualiter sunt in vsu: & nos vtroque promiscuè vtemur. Singulare dicitur per oppositionem cum vniuersali: vt satis ipsa nominis forma demonstrat. Indiuiduum dicitur, quasi non diuiduum, non diuisum; etiam per oppositionem cum vniuersali, quod pluribus communicatur, in plura diuiditur. Licèt enim singulare magis latinè sumatur pro eo quod ratum est siue excellens, aut in suo gradu vnicum: vt dicimus, singulare opus, singularis Poeta. Et indiuiduum quod non diuiditur, non separatur ab alio: sic dicitur indiuiduus comes. Tamen apud non solùm Logicos, sed Philosophos etiam ac Theologos, in hoc nostro significato sumitur.

Aureolus verò in 2. distinct. 9. quæst. 3. art. 2. quandam differentiam significationis inter hæc nomina assignauit. Singulare quidem dici omne illud quod non diuiditur in plura, etiam si sit vnicum in sua specie: Indiuiduum autem propriè

dici quod habeat alia sibi similia in eadem specie comparticipantia naturam communem. Verùm hæc diuersitas non est in vsu. quia communiter à peritis tàm indiuiduum quàm singulare pro eodem vsurpantur.

SECTIO PRIMA.
Vtrum quicquid est à parte rei Singulare sit & Indiuiduum.

PRo clariori resolutione certiorique doctrina, considerandum est, singulare & indiuiduum posse adhuc in sensu logico pluribus modis accipi, esse autem sumẽdum in sensu maximè proprio hic intento, vt videamus quomodo quicquid est, singulare sit & indiuiduum.

Nõ omne quod est, est indiuiduum relatum ad speciem.

Primò indiuiduum sumi potest precisè & formaliter, pro eo quod refertur ad speciem sub qua continetur, siue ad vniuersale cui substat, quodquè in prędicamentis collocatur. Sic dixit Porphyr. in cap. de Specie: *Indiuiduum est sub specie, species sub genere*. In hoc sensu necesse non est, quicquid est, esse indiuiduum. quia potest esse aliquid, quod non ad speciem referatur, non sub vniuersalibus concludatur, non in prædicamento collocetur. Huiusmodi est Deus: vt in progressu constabit. Insuper multi Auctores volunt, esse species quasdam in rebus, se ipsis singulares, & tales esse Angelos. Apud hos Auctores singuli Angeli non erunt talia indiuidua, quæ verè sub specie prædicabili contineantur, sed potius immediatè generi communi subdetur. Vnde saltem certum est alicui vniuersali subesse. Et quia non debent à prædicamentis excludi, vt suo loco dicemus: absolutè loquendo, debent etiam in hoc sensu logico indiuidua appellari. Itaque Deo excepto, nihil aliud apparet, quod in rerum natura sit, & non sit in hac prima significatione indiuiduum.

Non omne quod est, est singulare vnum numero.

Secundò. Singulare sumi potest quod est vnum numero vnitate numerali rigorosè dicta. Vnitas hæc numeralis est vnitas quantitatiua, quæ multiplicata conficit numerum de prædicamento quantitatis, constantem ex rebus quantis iuxta quorundam intelligentiam. In hoc sensu solæ res quantæ sunt singulares. Quia dum vnaquæque non est in plures partes diuisa & discontinuata, est vna numero: & si diuidatur in partes, tunc multiplicatur numero. In hoc sensu loquuti sunt aliqui Thomistæ, interdum dicentes, Angelos esse naturas separatas abstractas specificas, nõ esse singulares: vt indicauit Caiet. 3. p. q. 4. ar. 4. §. vbi statim, non esse scilicet singulares huiusmodi vnitate numerica. Ad eundem sensum spectant, quæ interdum Arist. ipse docet de vnitate numerica, dum ait, ea esse vnum numero quorum materia est vna, & plura numero quorum est diuisa materia. Et expressè 5. Metaph tex. 8. *Vnum dicuntur quæ continua sunt.* & tex. 11. *Est quidem, vt quodcunque dicamus continuatione vnũ esse, modo quantum & continuum sit.* Negari tamen non potest, vnum numero sumi posse, & apud Arist. ipsum sumi, magis amplè pro omni singulari, quod non est vniuersale. Sic accepit Arist. 3. Met. tex. 14. vbi opponens singulare vniuersali, ait, idem esse dicere singulare atq. vnũ numero: vniuersale verò esse quod est in multis. In hoc autem sensu quicquid est, non solùm de rebus materialibus & quãtis, sed etiam immaterialibus & Angelicis, est vnum numero, sicut dicimus esse singulare. Hanc duplicem acceptionem vnitatis numeralis explicauit Fonseca 5. Met. cap. 13. q. 1. st. 3.

Nõ omne quod est, est indiuiduum indiuisibile.

Tertiò. Indiuiduum dici potest ex opposito, quod prorsus diuidi, & in partes dissolui non possit. Sic nulla res quanta est indiuidua, quia potest diuidi & secari: nulla res cõposita & ex partibus conflata, est indiuidua, quia potest dissolui in partes quibus constat. Solæ res simplices & impartibiles erunt indiuiduæ. Sic indiuiduum sumitur pro indiuisibili: ac interdum apud Aristot. inuenitur. Verùm hæc acceptio & significatio indiuidui, quantò est magis arcta, tantò est minùs apta & vtilis ad doctrinam.

Nõ omne quod est, est singulare incõmunicabile.

Quartò. Singulare & indiuiduum dici potest, quod sit prorsus incommunicabile, non possit conuenire pluribus, nullo modo possit de pluribus dici & prædicari. Hoc modo accepit Boetius, quando personam definiuit, est rationalis naturæ indiuidua substantia. Sic Diuina natura

per se

per se sumpta, non est indiuidua substantia, non est suppositum & persona, quia est cõmunis tribus Diuinis personis. Et, si quæcunque alia natura possit per Dei potentiam in pluribus suppositis, vel forma in pluribus subiectis collocari, vt sic non est indiuidua. Imò si omninò indiuiduum pro solo supposito sumi placeat, quod scilicet nec pluribus, nec etiam soli vni communicari possit. Sic omnis res quæ non est suppositum, idest omnis forma, omnis pars, quæ communicatur subiecto, vel toti composito, non est tale indiuiduum. Hæc autem significatio non facit ad præsentem tractatum, sed benè ad alium de supposito & persona.

Omne quod est, est singulare & in diuiduũ oppositum vniuersali.

Quintò demum propriè ad rem præsentem indiuiduum & singulare sumitur, quod ita est realiter vnum, vt non sit commune multis per realem diuisionem sui ipsius in plura, quorum singula sint ipsum. Et est propriè oppositum vniuersali hactenus in præcedenti quæstione explicato. In hoc sensu asserendum est, quicquid est, vel esse potest, realiter esse singulare & indiuiduum. Est hoc tam certum & apud omnes indubitatũ, quàm certum & exploratũ est, non dari nec posse dari vniuersale realiter à singularibus separatum. Hinc enim patet, omnia quæ in re sunt, esse singularia & indiuidua. Et comprobatur magis.

Probatur inductione omniũ rerum.

Primò inductione, quilibet Angelus, quilibet homo, quæcunque alia res existens, non potest diuidi in plures Angelos, homines, pluresuè tales res, & non potest intelligi realiter existere hominem, qui possit diuidi in plures homines, quorum singuli sint ille homo diuisus. Potest quidẽ diuidi totum homogeneum in suas partes similares, v. g. aqua in plures portiones, de quarum etiam qualibet dicere valeat, hæc est aqua: tamen hæc est diuisio totius integralis in partes integrantes, non vniuersalis in singularia: non est diuisio in plura quorum singula sint illud primum quod de omnibus affirmetur nulla enim portio aquæ diuisæ erit illa aqua quæ diuisa est, sed erat pars. Nihil igitur inueniri põt in rebus, quod realiter singulare non sit.

Probatur ratione.

Secundò manifesta ratione. quicquid realiter est à parte rei, est realiter vnum sic enim vnum & ens conuertuntur. Sed quod est realiter vnum, non potest realiter diuidi & multiplicari in plura se ipsa. Nam si diuideretur in plura se ipsa: peto, an vnum ex ijs sit idem cum alio, vel distinctum. Si est idem: ergo non sunt plura: ergo illud non est diuisum & multiplicatum in plura. Si distinctum: ergo non sunt illud quod erat realiter vnum, quandoquidem sunt realiter plura. Itaque ea quæ sunt realiter plura, nullo modo possunt in eo in quo sunt plura, esse realiter vnum: ad summum possunt esse vnum ratione, idest habere vnitatem rationis per intellectum. Sic Petrus & Paulus sunt realiter plures homines: & homo communis vtrique non potest esse realiter vnus, sed tantùm ratione. Atque hoc est vniuersale quod fit ab intellectu. Igitur quicquid est realiter à parte rei, necessariò est realiter vnum inmultiplicabile in plura se ipsa. Est itaque singulare & indiuiduum.

Res fit vniuersalis per intellectum, est singularis à parte rei.

Tertiò non solùm dico, quicquid à parte rei est, esse singulare; sed esse à parte rei singulare: quia alioqui est etiam à parte rei natura quæ à nobis denominatur vniuersalis, non tamen est à parte rei vniuersalis. Sed quicquid est, est à parte rei singulare: Nam esse singulare consistit in esse realiter vnum inmultiplicabile: quicquid autem est, est re ipsa tale. Non propterea nego, posse singulare sumi relatiuè ad vniuersale, indiuiduum ad speciem, intelligendo relationem inferioris ad superius, subiecti ad prædicatum, quæ vtique non est nisi relatio rationis: sicut rationis est relatio vniuersalis ad sua inferiora. Sed singulare & indiuiduum verè & propriè sumitur pro re quæ à parte rei vna est, & realiter multiplicari non potest. Sic dicimus, omne quod est, esse, realiter singulare & indiuiduum.

Nihil põt esse & nõ esse singulare.

Quartò non solum dico, quicquid est, sed etiam quicquid realiter esse potest: quia non solum omnes res de facto existentes, aut aliquando futuræ: sed omnes res possibiles realiter, non sunt aliter possibiles, nisi quòd vt sint in re debent esse singulares & indiuiduæ. Prorsus enim implicat contradictionem: esse quicquam à parte rei & non esse realiter singulare.

SECTIO SECVNDA.

Quid sit Singulare & Indiuiduum.

An debeat assignari differentia singularitatis & principium indiuiduationis, quo formaliter constituatur.

Indiuiduū quomodo possit definiri.

ARistoteles 7. Metaphys. text. 53. ex professo docuit, & probauit, non posse definiri & designari, quid sit indiuiduum. Videtur ergo non posse à nobis quæri quid sit indiuiduum. Verùm Arist. ibi loquutus fuit de singulis indiuiduis determinatis & signatis, v. g. de Platone, Socrate: & negauit posse tradi definitionem propriam & certam vniuscuiusque indiuidui per se. Sed hoc etiam examinauimus, cum de definitione egimus. Negari autem non potest, nec Arist. negare voluit, posse adæquatè designari quid sit indiuiduum, atque sic definiri seu describi, definitione quæ communis sit omnibus & singulis indiuiduis. Ita explicauit S. Thomas prima parte quæst. 29. art. 1. ad 1.

Prima definitio Porphyr.

Duobus modis Porphyr. in cap. de Specie, indiuiduum definit. Primò: *Indiuiduum est, quod de vno solo prædicatur*. Voluit hoc modo ad instar aliorum prædicabilium definire. Debet autem accipi hæc definitio de indiuiduo, & omnis alia similis, non quidem secundùm suppositionem simplicem hoc est secundùm communem indiuidui conceptum. Nam sic nomē & ratio indiuidui, nō de vno solo, imo de omnibus indiuiduis possibilibus prædicatur. Sed secundùm suppositionem personalem, hoc est accipiendo omnia & singula quæque indiuidua: ita vt de vnoquoque intelligatur, quòd de vno solo prædicatur. Sic Petrus de vno solo dicitur, Paulus similiter, & sic de singulis.

Hæc autem definitio, cùm sit quædam propositio exceptiua, duas habet partes, vnam affirmantem indiuiduum prædicari de vno, alteram negantem prædicari de pluribus. Vtraque pars difficultate no vacat. Quia ex vna parte videri potest nec prædicari de vno: nam Arist. in Ante prædic. cap. 2. & in Prædicam. cap. de substantia & 7. Metaph. tex. 7. ait, primam substantiam, idest indiuiduum substantiæ, de nullo subiecto prædicari. Ex altera parte videtur indiuiduum posse de pluribus prædicari: nam hæ omnes propositiones veræ sunt hic homo est Petrus, hoc album est Petrus, hoc animal est Petrus: vbi idem determinatum indiuiduum de pluribus prædicatur.

Indiuiduū verè prædicatur de vno.

Sed dicendum est, verè quodlibet indiuiduum prædicari de vno. Potest in primis prædicari quodlibet de se ipso, vt Petrus est Petrus: quæ est propositio identica, verissima quidem, sed impropria: prædicatio enim propria requirit, vt prædicatum explicet aliquid quod subiectum non explicabat. Has autem prædicationes identicas adeò detestatur Auerr. 1. Prior. in digres. de 4. figura, vt dixerit, idē de se ipso prædicari esse in fine abominationis. His tamen prædicationibus vtitur ipse Arist. 5. Metaphys. 23. homo est homo: & 2. Periherm. cap. vltimo in fine, bonum est bonum. Deinde potest etiam indiuiduum magis propriè & non identicè prædicari: indiuiduum accidentis prædicatur de suo subiecto, Petrus est hoc album: etiam indiuiduum substātiæ prædicatur, Petrus est hic homo, hic homo est Petrus. Prioribus autem locis Aristoteles tantùm docere voluit, indiuiduum substātiæ non prædicari de subiecto, hoc est inferiori, sicut prædicantur secundæ substantiæ seu de subiecto inhæsionis, sicut accidentia prædicantur.

Non prædicatur de pluribus.

Similiter verum est, indiuiduum non de pluribus prædicari. Sic docuit etiam Aristoteles 1. Periherm. cap. 5. Et patet: quia cum indiuiduum non sit in pluribus, non pōt de pluribus affirmari. Si aūt eadē numero forma, v. g. albedo, per Diuinam potentiam in pluribus subiectis poneretur: tunc posset quidem de illis omnibus prædicari. Tamen non hoc fieret per diuisionem ipsius albedinis in plures, eo modo quo de pluribus prædicatur natura communis per sui diuisionem. In illis autem propositionibus, quæ antea afferebantur, semper prædicatum dicitur de vno eodemquè indiuiduo: quia vnum & idem indiuiduum est, hic homo, hoc album, hoc animal. Vnde Petrus non prædicatur de pluribus diuersis ac separatis,

sicut

sicut vniuersale prædicatur de pluribus, quorum vnum non est aliud.

Secunda definitio Porphyr. Secundo modo Porphyr. indiuiduum definiuit: *Quod ex proprietatibus constitit, quarum collectio nunquam in alio eadem erit*. Prior definitio erat magis logica. Hæc est magis philosophica: attingit difficilem quæstionem de principio indiuiduationis, & significat hoc principium esse collectionem accidentium. Verùm de hoc iam latè disputandum erit.

Alijs modis indiuiduum definitur. Præterea duobus alijs modis potest indiuiduum definiri. Vno modo negatiuè, quod non potest esse in pluribus, non potest pluribus communicari, non potest diuidi in plura, in eo sensu & explicatione, qua sectione præcedenti vltimo loco dicebamus. Alio modo relatiuè per relationem ad speciem, quod immediatè subijcitur speciei, de quo species proximè prædicatur, cui species primò inest. Ita colligitur ex dictis de vniuersali. His autem modis indiuiduum definimus: non quasi velimus, esse penitus negatiuum quid, aut relatiuum rationis. Quinimò vltra asserimus, indiuiduum esse positiuum & reale in se: loquimur enim de entibus realibus indiuiduis. Sed per negationem, aut relationem rationis, ipsa positiua & realis ratio indiuidui explicatur.

De principio indiuiduationis. Maxima autem difficultas est, quomodo in re, & per quid formaliter constituatur singulare, per quid indiuiduetur natura communis. Et in primis videre oportet, an assignanda sit quædam differentia singularitatis, qua contrahatur natura communis ad singula indiuidua; siue principium formale indiuiduationis, quo constituantur & distinguantur singularia quæ in natura communi conueniunt.

Nominales negāt principiū indiuiduationis. Nominales qui vniuersale negabant, coherenter dicebant, non oportere quærere aliam differentiam singularitatis, siue principium indiuiduationis: sed omnes res esse per se ipsas singulares, omnemquè naturam quæ nobis videtur vniuersalis, per se ipsam indiuiduari & determinari in omnibus & singulis indiuiduis. Ita Ocham. in 1. dist. 2. quæst. 4. & 6. Gabr. quæst. 6. 7. & 9. Adamus distinct. 33. quæst. 8. art. 5. Sed & alij etiam vniuersalia non negantes, dixerunt, non oportere quærere aliud indiuiduationis principium; sed naturam per se ipsam esse singularem. Indicauit Durandus in 2. dist. 3. quæst. 2. Quia cùm eadem natura sit vniuersalis & singularis, est vniuersalis prout est in intellectu, est singularis prout est in re: ideò oportuisse assignari, per quid & quomodo natura fiat vniuersalis: sed non oportere assignari aliud quàm ipsammet naturam in re, quo fiat realiter singularis. *Item Durandus.* Item Aureolus in 2. dist. 9. quæst. 3. art. 1. & 2. tenet, indiuiduum non constitui, nec naturam specificam indiuiduari per aliquē gradum seu differentiam superadditam. *Aureolus* Et art. 2. inquit, conceptum specificum & indiuiduale, videlicet hominis & huius hominis, se habere tanquam disparatos, quorum vnus non includat alium: sed conceptus specificus se habeat per modum similitudinis, conceptus indiuidualis per modum dissimilitudinis.

Et ex parte Thomistæ. Hanc opinionem negantem principiū indiuiduationis aliud à natura, alij Auctores valdè communiter reijciūt & explodunt, tam ex schola S. Thom. quam Scoti, & cæteri. Verùm, eorum non pauci re ipsa magna ex parte eam amplecti videtur, præsertim ex Thomist. Schola. Thomistæ enim assignant quidem in rebus materialibus principium indiuiduationis, & dicunt esse materiam aut quantitatem. In rebus autem spiritualibus, nempè in Angelis, non aliud principium indiuiduationis agnoscunt, quàm ipsammet naturam specificam, quam volunt esse per se ipsam in singulis Angelis indiuiduam. Et præterea aliqui declarant, in ipsis rebus materialibus materiam vel quantitatem esse principium indiuiduationis, quantùm ad distinctionem numeralem & quantitatiuam indiuiduorum, non autem quantum ad distinctionem transcendentalem & entitatiuam. Vnde etiam vt sic, non aliud indiuiduationis principium, quàm ipsam rerum naturam, agnoscunt: vt in sequentibus afferemus.

Nonquærimus vt principiū indiuiduationis sit perfectè à na- Modò pro resolutione præsentis dubij, breuiter distinguendum est. Dupliciter potest intelligi, an detur principium indiuiduationis. Vno modo, an detur distinctum ab ipsa re singulari, siue à natura quæ indiuiduatur, distinctum scilicet, aut à parte rei, aut ratione cum perfe-

tura distinctum. perfecta præcisione ab ipsa natura. In hoc sensu dico, esse magna ex parte sententiam valde frequentem, & apud multos grauesq. Auctores satis communem, non dari hoc modo principium indiuiduationis aliud a natura. Et nostro etiam iudicio hanc sentẽtiam verã arbitramur. Et hoc totum in progressu ostendemus.

Aliquo modo oportet assignare principiũ indiuiduationis. Alio modo, an detur, & assignari aliquatenus debeat, differentia singularitatis, & principium indiuiduationis, in vnoquoq. singulari, saltem cum aliquali distinctione rationis, & imperfecta præcisione ab ipsa natura. Hoc modo dico, oportere concedi & assignari in omnibus rebus suum indiuiduationis principium.

Probatur primò. Dictum iam & probatum est, dari naturam vniuersalem & cõmunem singularibus, dum abstrahitur, & consideratur vt vna cõmunicabilis multis. Oportet ergo assignare, à quibus differentijs præscindat, differentijs vtique constitutiuis singularium, & diuisiuis ipsius naturæ in plura. Quia quandocunque habemus conceptum vnum communem multis, consideramus differentias, per quas contrahitur talis conceptus, & determinatur ac multiplicatur in illis.

Secundò. Natura, dum concipitur vniuersalis, non concipitur indiuiduata in hoc aut illo singulari: ergo dum concipitur indiuiduari in hoc singulari, oportet assignare per quid concipiatur indiuiduari, quid concipiatur apponi ipsi naturæ, quiduè plus dicat natura indiuiduata in hoc singulari, quod non dicebat quando concipiebatur vniuersalis abstracta.

Quod nõ sit de conceptu essẽtiali naturæ communis. Tertiò. Datur vtique conceptus naturæ humanæ v.g. qui essentialiter prædicatur de Petro & Paulo & singulis hominibus: ergo non includit essentialiter id per quod indiuiduatur & determinatur in esse Petri. Nam si essentialiter includeret, id secum ferret vbicunq. essentialiter reperitur: atque de vnoquoque indiuiduo diceretur secundùm omnes conceptus proprios aliorum indiuiduorum, vnde omnia indiuidua includerentur in singulis, & demum sequeretur inter se non esse distincta. Ergo dici non potest natura humana essentialiter in suo conceptu includere id per quod indiuiduatur & determinatur in singulis indiuiduis. Nec dici potest indiuiduari per se ipsam, quasi per suam essentiam. Sed oportet assignare differẽtias indiuiduantes, quæ non sint de conceptu essentiali ipsius naturæ.

Quo indiuidua differant. Quartò. Indiuidua quæ alicui rationi communi subduntur, vtique conueniunt inter se, & differunt: assignamus in quo conueniunt, videlicet conceptum communem: ergo oportet etiam assignare in quo differant, nempè proprias singularitates quibus in suo esse determinato constituantur.

Quintò. Intelligi non potest, quod dicebat Aureolus, conceptum specificum & singularem se habere tanquam disparatos, quorum vnus non includat alium. Nam nisi redeant vniuersalia separata, planum est conceptum specificum non posse esse disparatum & extraneũ à conceptibus indiuiduorum: sed omnino ipse conceptus naturæ specificæ est qui dicitur indiuiduari. Et hic homo dicit totum conceptum essentialem, quem dicit homo, additquè vt sit hic homo. Oportet ergo omnino assignare hanc rationem indiuiduationis in quolibet singulari.

Tã in rebus spiritualibus, quàm materialibus Sextò. Hæc probant, non tantùm in rebus materialibus, sed etiam spiritualibus, ipsisquè Angelis, oportere huiusmodi indiuiduantes differentias assignare. Nam Angeli vtique inter se conueniunt aliquo conceptu vniuersali, sibiquè communi: & sub illo per proprias differentias distinguuntur. Cumquè sine dubio sint singulares & indiuidui, realiter discreti; differentias per quas in suo esse distinguuntur, appellamus differentias indiuiduãtes. Vnde quamuis Thomistæ dicant, naturam specificam in Angelo esse per se indiuiduam: tamen negare non possunt, nec negant, in ipsa natura posse distinctè considerari, & rationem communem in qua vnus Angelus cum alio conueniat, & rationem propriam per quam differant, & rationes singulares quibus indiuiduentur.

Argumenta quæ contra hanc rem fieri possunt, petunt difficultates de huiusmodi differentijs, quid sint, & quomodo se habeant. quæ difficultates mox discutiendæ sequuntur. Illud verò quod dicebatur, quia natura fit tantùm per ratio-

nem

nem vniuersalis, estquè in re singularis, non habet vim contra resolutionem traditã. Quia ad summũ probat, naturam per aliquid reale indiuiduari: non aũt obstat, quominus quærendum sit & assignandum.

SECTIO TERTIA.

Vtrum Singulare formaliter indiuiduetur per negationes vel per propriam existentiam.

Henricus per negationes affirmat.

HEnricus quodl. 5. quæst. 8. & 15. significauit, singulare formaliter indiuiduari per negationem, solamq negationem addi supra naturã specificam, vt determinetur inesse indiuiduo, assignãdo duplicem negationem; vna est negatio diuisionis in se siue in plura entia; altera est negatio identitatis cum quolibet alio ente. Principium autem positiuum indiuiduationis, non aliud videtur agnoscere, quàm principium effectiuum à quo res in suo esse producitur.

Præcipuum fundamentum huius sententiæ est, quia vnitas transcendentalis adæquatè cõuenit enti: & solũ dicit, ac supra ens addit, huiusmodi negationẽ: sed indiuiduum formaliter nihil aliud dicit quã vnitatem indiuidualem; & vnitas indiuidualis erit negatio diuisionis in plura indiuidua, & identitatis cum quolibet alio indiuiduo: ergo non aliud est principiũ indiuiduationis, quàm hæc negatio. Est & aliud fundamentum, quia nõ potest facilè assignari aliquid positiuũ, quod sit principium indiuiduationis: sed quicquid dicetur, impugnabitur: ergo non est aliud, quàm negatio.

Hæc sententia, si neget prorsus principiũ indiuiduationis positiuũ, reincidit in sententiã iam oppugnatã. Illa enim non negabat negationem diuisionis in indiuiduo. Et solũ differt in mõ assignandi: quia illa dicebat, principiũ indiuiduationis esse ipsã naturã, hæc dicit esse negationẽ. Si aũt solùm negare velit principiũ positiuũ distinctũ à natura: & in hoc sensu dicat, non esse aliã formã indiuiduationis à natura distinctã, nisi negationẽ. Sic in re verũ habebit sensum. Sed non adhuc quærimus quodnam sit, sed an sit assignandum principium positiuum indiuiduationis.

Singulare habet quidẽ negationem.

Dicendũ est, dari quidẽ negationẽ prędictã in indiuiduo: sed oportere omninò assignare principiũ positiuũ indiuiduationis intrinsecũ, quod sit fundamentũ talis negationis. Hanc conclusionẽ sm̃ vtrãq. partẽ tradidit Scot. in 2. dist. 3. q. 2. & alij cõiter approbant. Prima pars est manifesta. Nã verissimũ est, indiuiduũ non esse diuisum, nec posse diuidi in plura seipsa: itẽ vnum indiuiduũ non esse aliud, nõ esse idem cum alio indiuiduo. Admittimus etiam vnitatem indiuidualẽ, quæ est passio indiuidui, esse hanc negationẽ formaliter, supponendo vnitatẽ quæ est passio entis formaliter in negatione consistere.

Hĩc principium positiuũ indiuiduationis & ipsius negationis.

Secũda pars probatur nõ solũ ex dictis sect. præced. Sed præterea primò, quia singulare oĩno dicit positiuũ quid in re, v.g. quòd Petrus sit hic singularis hõ, non solũ dicit, quòd nõ est plures homines, & quòd non est Paulus Antonius & cęteri: sed positiuè dicit, quòd sit hic determinatus hõ Petrus: ex quo prouenit quòd nõ sit plures, nec sit vnus ex alijs. Imo perfectius quid est singulare, quàm natura cõis: ait enim Philosophus in prædicamento substantiæ: prima substantia est maximè substantia, & magis quã secũda. Ergo (infert Scotus) non põt dici constitui in esse singularis solùm per negationẽ additam naturæ cõi. Itẽ singulare est principiũ operationũ, est terminus productionis. quod non potest saluari per solam negationem. Sed oportet dicere, singulare quatenus singulare esse aliquid positiuum.

Et alioqui nec negatio ipsa subsistit.

Secundò perspicuè demonstratur sic. Sumatur aliquod singulare, v. g. Petrus, huic repugnat diuidi in plures se ipsos: & hæc repugnãtia, prout formaliter dicit nõ posse diuidi, est vtiq. negõ. Peto nũc, an in Petro sit aliquid positiuũ, per quod illi hæc repugnãtia conueniat, idest quo stante repugnet prorsus Petrũ diuidi: vel nihil tale est in Petro. Hoc secundũ dici non põt: quia planè sequeretur, totã entitatẽ positiuã Petri posse trãsire à negatione diuisionis ad diuisionẽ, posseq. diuidi: quod certissimũ est, indiuiduo repugnare, alioqui nõ esset indiuiduum. Ergo oportet fateri primũ. Illudq. positiuũ dicimus esse principiũ indiuiduationis, fundamentum talis repugnantiæ atque negationis.

Nec per solas ne-

Tertiò, quado cõcipitur natura humana in cõi, & postea concipitur determinatè

in in-

gationes potest cõtrahi natura communis.

in indiuiduo, in hoc homine, non potest intelligi determinari solùm per additionem negationis. Nam naturæ humanæ prius conceptæ nõ repugnabat diuidi, imo ea erat diuisibilis in plura, postea huic naturæ repugnat diuidi: ergo datur principium positiuum indiuiduationis, seu indiuisibilitatis indiuidualis.

Et indiuidua distingui.

Quartò. Inter ipsa indiuidua, Petrus differt à Paulo, non vtique sola negatione, quasi solùm negatio quædam sit in Petro, quæ non sit in Paulo: sed omninò differt sua entitate positiua, quia est quædam entitas in Petro, quæ non est eadem in Paulo, & in hac entitate fundatur ista negatio. Nec intelligi potest, aliqua duo ita differre, vt tota entitas positiua sit communis & eadem, solæque negationes distinguant. In entitate ergo positiua vnius singularis, quæ nõ est in alio, oportet agnoscere indiuiduationis principium positiuum. Atque hæc planè probant principium intrinsecum in ipso indiuiduo. Frustrà ergo Henricus assignabat principium effectiuum, de quo non oportet loqui, quia vltrò constat dari causam efficientem indiuidui.

Fundamentum oppositum, potius iuuat ad eandem veritatem confirmandam. Nã vnitas entis præsupponit entitatem positiuam, in qua fundatur: ita ergo vnitas indiuidualis præsupponit entitatem positiuam indiuidualem, in qua fundatur. & hæc entitas est principium ipsius indiuiduationis & vnitatis. Ad aliud fundamentum, assignando verum indiuiduationis principium, satisfiet.

Aliqui per existentiã dixerunt indiuiduari.

Supposito ergo quòd detur indiuiduationis principium positiuum, dixerunt aliqui apud Scotum in 2. distinct. 3. quæstione 3. hoc principium esse propriam existentiam superadditam essentiæ rei. Fundamentum est, quia per Aristot. 7. Metaphys. tex. 49. actus est qui distinguit: sed existentia est vltimus naturæ actus: ergo ipsa est quæ indiuidua constituit, & constituta distinguit.

Oportet assignare principiũ præscindẽs ab existentia.

Hanc sententiã meritò Scot. impugnat: atque omnino aliquod aliud indiuiduationis principium assignandum est. Primò quia indiuidua sunt verè indiuidua, atque inter se considerantur esse distincta, præscindendo ab actuali existentia. Singulares enim sunt, & inter se distincti, homines qui in mente Dei vt possibiles cognoscuntur. Secundò, sicut essentia ita etiam existentia rerum potest considerari in communi, & deinde in singulari: ergo oportet assignare principium, quo & ipsa existentia simul cum essentia indiuiduetur. Tertiò, tota coordinatio prædicamentalis, inquit Scotus, perfici potest absque existentia, quæ velut accidentaliter se habet ad rerũ essentias: sed indiuidua verè sunt, quæ complent & claudunt totam prædicamenti seriem, quia vltimo loco ponuntur: ergo sine existentia suo indiuiduationis principio gaudent.

Ad fundamentum oppositum facilè dicitur, actum esse qui distinguit, atque adeò vltimum actum indiuidualem esse, qui indiuidua distinguit & constituit. Hic autem actus potest considerari præcisè ab existentia, sicut & gradus superiores qui indiuiduantur.

SECTIO QVARTA.

Vtrum substantia singularis formaliter indiuiduetur per collectionem suorum accidentium.

AD vlterius inquirendum verum modum, quo singulare indiuiduari dicatur. Quia extant varia Auctorum placita, de diuersis rebus diuerso modo philosophantium, videlicet de substantia & accidenti, & inter substantias de substantia spirituali & materiali. Ideò oportet distinctè hæc omnia percurrere.

In primis ergo loquendo de substantia singulari, illam per collectionem suorum accidentium indiuiduari, affirmasse videtur Porphyrius cap. de Specie, dum dixit: *Indiuidua dicuntur, quoniam ex proprietatibus consistit vnumquodque eorum, quarũ collectio nunquam in alio eadẽ erit: Socratis enim proprietates nunquam in aliquo alio particularium erunt eadem.* Et planè de proprietatibus accidentalibus loquutus est. Item Auic. 5. Metaph. cap. 2. & 4. Boet. cap. de Specie, & libro 1. de Trinitate cap. 1. idem docuisse videntur. Insuper Damascen. in sua Dialectica

Affirmare videntur Porphyr. & alij.

cap.

cap. 30. & 42. ait, accidentia esse characteristicas proprietates quibus tanquam certis notis hypostasis exprimitur. Et lib. Primar. Institut. cap. 3. & 4. *Inter vnum & alterum hominem hoc interest, quòd hic longus, ille breuis; hic albus, ille ater; hic valet, ille egrotat; hic pater est, ille filius*. Idem repetit alijs locis. Et Basilius in epist. de Differentia nat. & hypost. Nissenus in lib. de Differentia essentiæ & hypost. idem indicarunt. Imo S. Thom. 1. part. quæst. 3. art. 3. & pluribus alijs in locis, planè sensisse videtur, singulare in rebus materialibus indiuiduari per collectionẽ suorum accidentium. Et Quodl. 2. art. 4. ad 1. in hoc distinguit substantias materiales à spiritualibus. Quidam etiam Thomistæ, dum defendunt, principium indiuiduationis esse quantitatem, explicant hoc intelligi de quãtitate affecta alijs accidentibus.

Resolutio negatiua probatur ex distinctione sub stantiali indiuiduorum.

Veruntamen rectè dici non potest, singulare formaliter indiuiduari per accidentia eorumuè collectionem. Probatur 1. quia si sumantur duo aliqua indiuidua vnius speciei: vel quicquid substantiale est in vtroque, est vnum & idem prorsus, solaque eorum accidentia differunt: vel entitas substantialis illorum realiter diuersa est. Primum dici non potest: quia sine dubio in duobus indiuiduis substantialibus substantia ipsa distincta est. Nam si esset vna à parte rei, non esset vna vnitate vniuersali, sed potius singulari: sicut natura Diuina est vna singularis in tribus personis, & materia modò sub vna modò sub alia forma, modò sub his modò sub alijs accidentibus. Oportet ergo dicere secundum. Igitur si non sola accidẽtia distinguuntur in duobus indiuiduis, sed est duplex entitas substantialis eorũ: agnoscenda est differentia substantialis singulis propria, constitutiua & distinctiua eorum.

Ex separabilitate accidẽtium.

Secundò Possunt optimè intelligi duo indiuidua alicuius speciei substantialis, seclusis omnibus accidentibus: & adhuc distincta realiter essent, quia adhuc haberent suas entitates substantiales, & vnũ non esset aliud. Ergo non per sua accidentia, sed per substantiales differentias distinguuntur. Insuper, de facto sæpe mutantur accidentia in vno eodemquè indiuiduo, atque adeò fit diuersa collectio accidentium: & certè semper remanet idem substantiæ indiuiduum.

Ex conuenientia accidẽtium in pluribus indiuiduis.

Tertiò. Si aliqua duo indiuidua habeant prorsus inter se similia accidẽtia: adhuc reuera distincta sunt. Quãuis enim de facto in hominibus alijsuè rebus, per disparata & dissimilia accidentia discernamus distinctionem eorum, & cognoscamus quis sit Petrus quis Paulus: tamẽ in rebus homogeneis sæpe inueniuntur accidentia prorsus similia, vt in duabus aquis, duobus lignis: & idem potest sine dubio in hominibus euenire, iuxta illud quod de duobus fratribus cecinit Poeta Aeneid. 10.

D. ucia Laridis Timberq. simillima proles, Indiscreta suis gratusquè parentibus error.

& Valer. Max. lib. 9. cap. 14. multa exempla refert hominum inter se simillimorum. Atque Aristot. ipse 7. Metaph. text. 54 hac ratione probauit, indiuidua non posse per sua accidẽtia definiri: quia possunt plura indiuidua in omnibus accidentibus conuenire & assimilari. Nec sufficit quod indicauit Boetius loco cit. de Tri. saltem loca fore diuersa: Nam per diuinam potentiam possunt etiam in eodem loco constitui, & naturaliter possunt successiuè; quod etiam taliter fieri potest, vt sensu non discernatur talis successio: Item possunt duo indiuidua inter se commutare loca: & tamen vnumquodque semper remanet idem cum eadem differentia indiuiduali.

Ex prioritate substãtiæ respectu accidentiũ.

Quartò. Accidentia præsupponunt subiectum, & præsupponere debent subiectum singulare & indiuiduum. Nam exercitium recipiendi, sicut & agendi, supponit causam singularem: quia actiones non sunt nisi singularium. Ergo dici non potest, substantiam, idest subiectum accidentium, per ipsa accidentia formaliter indiuiduari: quasi antecedenter ad accidentia non intelligeretur substantia nisi vniuersalis. Imo è conuerso dicuntur accidentia indiuiduari per subiectum.

Quintò. Substantia independenter ab accidentibus habet totum id quod requiritur vt in suo prædicamento reponatur: sed in prædicamento ponuntur non solùm genera & species, sed vltima etiã indiuidua: ergo independenter ab accidentibus substantia est singularis & indiuidua. Dum enim ponitur indiuiduum in præ-

in prædicamento, vtiq. non ponitur quaſi aggregatum quoddam per accidens, ſed tanquam ens per ſe vnum: igitur non conſtituitur formaliter in eſſe indiuiduo per accidentia, ſed intrinſecè per indiuiduationem ſubſtantialem.

Plura hic adijci poſſent. Sed ea meliùs afferemus ſectione ſequenti ſpecialiter contra quantitatem. Et rurſus ſect. 6. oſtendemus, nec etiam dici poſſe, ſubſtantiam ſeu materiam, per ordinem ad accidentia indiuiduari, vel indiuiduare.

Per accidentia tamen ſolet diſcerni diſtinctio indiuiduorum.

Ad auctoritates initio allegatas dicendum eſt, vt plurimum intelligi quantum ad noſtram cognitionem, quia nos ſenſu non diſcernimus vnum indiuiduum ab alio, niſi quatenus in ſuis accidentibus diſconueniunt. Vel ſolere diſſimilia accidentia comitari ſeu conſequi indiuidua ſubſtantialia diuerſa. Et ideò inquit Scot. in 2. diſt. 3. q. 4. §. ad auctoritates, quando aſſignata eſt differentia indiuiduorum per accidentia, non aſſignata eſt prima, ſed ſecundaria differentia, quæ ſolet comitari primam. Sed neque hoc ita debet intelligi, quaſi ſemper oporteat diſſimilia accidentia in diſtinctis indiuiduis inueniri: ſed ſufficit, vt plurimum ita eſſe. Et in hoc ſenſu valet quod dicebat Boet. Si aliqua indiuidua in reliquis prorſus ſimilia ſint: tamen dum in diſtinctis locis conſpiciuntur, per hoc apparere ſenſui diuerſitatem eorum. Vel demum aliquando inter proprietates accidentales etiam indiuidualis differentia computatur: non quòd verè accidens ſit: ſed quia veluti accidit naturæ ſpecificæ, quoniam non eſt de intrinſeca quidditate eius.

Præterea illi Patres loquuti non ſunt de indiuiduo præciſè, ſed de hypoſtaſi & ſuppoſito. Suppoſitum ſumentes pro eo, quod ſimpliciter omnibus ſubſtat, non ſolùm ſuis eſſentialibus prædicatis, ſed etiam accidentibus. Et ſic voluerunt ſuppoſitum inuoluere accidentia, vt ſuo loco videbimus. Et S. Thom. ipſe illis locis de ſuppoſito loquutus eſt in hoc eodem ſenſu.

Imo cùm ipſe frequenter doceat, peculiariter quantitatem, ſiue materiam ſignatam quantitate, eſſe indiuiduationis principium: interdum ſignificauit, hoc etiam intelligi per concomitantiam, vel quantum ad noſtram cognitionem ſeu deſignationem. Sic Opuſc. 29. quod eſt de principio indiuiduationis, non multùm ante finẽ ait: *Quantitas determinata dicitur principiũ indiuiduationis, non quòd aliquo modo cauſet ſubiectum ſuum quod eſt prima ſubſtantia, ſed concomitatur eã inſeparabiliter, & determinat eã ad hic & nũc; & quòd cadat ſub ſenſu exteriori, eſt per quantitatem.* Et clariſſimè Opuſc. 32. cap. 3. in fine docuit, indiuiduum ſubſtantiale conſtitui per ſuam entitatem circumſcriptis omnibus dimenſionibus, ſed per certas dimenſiones conſtitui indiuiduum demonſtrabile ſicut per ſignum. Alijs tamen locis, S. D. plus planè voluit, quando dixit quantitatem ſeu materiam ſignatam eſſe principium indiuiduationis, vt iam tractabimus.

SECTIO QVINTA.

Vtrum Subſtantia materialis indiuiduetur formaliter per quantitatem.

QVoniam ſubſtantia rurſus duplex eſt, ſpiritualis, & materialis; diſtinctè etiam de vtraque ob varias opiniones quærendum eſt. Verùm de ſubſtantia ſpirituali quæ complectitur Angelos, cùm ſit res ſuperior, nolumus hic diſtinctè tractare: ſed relinquimus rem conſiderandã in proprio Tractatu Theologico de Angelis cum D. Thom. aliiſq. Theologis, & obiter de ijs aliquid in ſequentibus attingemus. Specialiter autem de indiuiduatione ſubſtantiæ materialis, quia res eſt magis familiaris, agere proſequemur.

Sententia affirmatiua.

Peruulgata ſatis eſt & celebris ſententia S. Thom. Materiam ſignatam quãtitate, ſeu ſtantem ſub certis dimenſionibus quãtitatis, eſſe indiuiduationis principium. Ita aſſerit prima parte quæſt. 50. art. 4. 1. contra Gen. cap. 21. de Ente & Eſſentia cap. 2. Opuſculis ſupra citatis, & alibi ſæpiùs. Vnde infert, vbi non eſt quantitas ſignans & determinans, nullum eſſe aliud indiuiduationis principium, ſed naturam ſpecificã eſſe per ſe formaliter ſingularem, nec poſſe eſſe plura indiuidua intra eandem ſpeciem. Et ita ſentit

sentit de substantijs immaterialibus, idest Angelis.

Fūdatur in Arist. Fundamentum huius sententiæ non aliud ferè inuenio, quàm authoritatem Arist. multis in locis significantis, solùm per materiam indiuidua esse diuersa: quæ loca quia propriè de materia loquuntur, sect. seq. commodiùs afferemus. Et alijs in locis significat Arist. indiuiduum esse vnum per quantitatem. Nam 3. Metaph. text. 11. ait. *Vnum est, quod indiuisibile est: omne verò indiuisibile, aut secundùm quantum, aut secundùm speciem.* Indiuisibile secundùm speciem intelligit ipsam speciem: indiuisibile secundùm quantum intelligit indiuiduum quod non est in sua quantitate indiuisum. Et 5. Metaphy. cap. 6. vnitatem indiuidualem constituere videtur in vnitate continuatiua per quantitatem, & distinctionem in distinctione quantitatis. Et rursus cap. 13. ait, quantum esse diuisibile in ea quæ sibi insunt, quorum vnumquodque aptum est esse vnum quid.

Explicatur ab eius Authoribus. Hanc D. Thomæ sententiam adeo difficilem viderunt ipsi Thomistæ, vt in ea explicanda ac defendēda in diuersas partes distracti sint. Eorum aliqui sic intellexerunt sententiam S. Tho. vt verè formaliter & in recto ipsa quantitas simul cum materia sit indiuiduationis principium. Ita Capreol. in 2. d. 3. quæst. 1. art. 1. & 3. Ferr. 1. cont Gent. cap. 21. Soncin. 7. Metaphy. quæst. 33. & 34. & alij, qui rem ita explicant. Indiuiduum in sua vnitate duo dicit, & esse incommunicabile pluribus ad differentiam vniuersalis, & esse distinctum à quocunque alio. Primum habet per materiam, per quam fit incommunicabile. Secundum habet formaliter per ipsam quantitatem. Hunc explicandi & sentiendi modum planè indicauit ipse Sanctus Thomas 3. par. quæst. 77. artic. 2. in 4. d. 12. quæst. 1. artic. 1. quæstiuncula 3. in Opusculo citato de Princip. indiuiduat. & alibi, in recto dicens, quantitatem simul cum materia esse principium indiuiduationis. Præterea absolutè Gotfredus quodlib. 6. quæst. 16. & quodl. 7. quæst. 5. tenuit, quantitatem esse indiuiduationis principium. Et ex parte adhæret Aureolus in 2. distinctione nona quæstione tertia articulo tertio.

Pro resolutione nunc valde deseruiet duplex acceptio indiuidui, seu vnitatis numeralis, explicata sect. 1. Vno modo sumitur hæc vnitas pro vnitate quantitatiua & prædicamentali. Alio modo pro vnitate entitatiua & substantiali. Cùm enim vnitas sit indiuisio rei in se, & distinctio à quocunque alio: vno modo accipitur indiuisio in plura se ipsa, & distinctio suæ entitatis ab omni alia re; & hæc est vnitas entitatiua: alio modo accipitur indiuisio rei quantæ in plures partes, seu continuatio omnium partium, & distinctio discōtinuatiua ab omni alia re quanta; & hæc est vnitas quantitatiua, de qua loquebatur Aristot. 5. Metaphy. tex. 8. & 11. Vnitas entitatiua conuenit omnibus rebus existentibus: vnitas autem quantitatiua solis rebus materialibus & quantis: & hæ solæ res sunt singulares & indiuiduæ per vnitatem numeralem eo modo dictam vt ibi notauimus. *Duplex acceptio indiuidui.*

Dico primò, Indiuiduum in sua vnitate entitatiua non constitui formaliter per quantitatem, imo esse singulare & indiuiduum independenter & antecedenter ad quantitatem. Hæc concl. est Scoti in 2. d. 3. quæst. 4. & omnium aliorum qui impugnant illam sententiam de materia signata. Est etiam eorum Thomistarum qui alio modo explicant materiam signatam, vt referemus sect. seq. Imo videtur etiam eorundem qui supra dicebant, quantitatem esse principium indiuiduationis, vt referemus conclus. sequen. Videtur demum ipsius S. Thom. qui prima parte quæstione vigesimanona articulo primo, planè dixit, substantiam indiuiduari per se ipsam, accidens per substantiam: & loquutus est de omni substantia, etiam materiali. *Singulare in sua vnitate entitatiua nō indiuiduatur per quantitatem.*

Probatur efficaciter hæc assertio ijsdem argumentis, quibus in vniuersū probatum est, substantiam non indiuiduari per accidentia, quorum vnum est quantitas. Quæ argumenta, quoniam hæc res est præcipua, iuuabit specialiter nunc de quantitate vrgere, nouisque viribus roborare, & alia de nouo addere.

Primò omne indiuiduum substantiale est ens & est hoc ens in sua entitate substantiali: vnumquodque, in quo gradu est ens, est etiam vnum & indiuisum, ab alijsque distinctum in tali entitate: *Quomodo substātia debet indiuiduari per se.*

ferẽtiam substãtialem.

Vnde eodem principio formaliter quo constituitur in esse talis entis, constituitur etiam in ratione vnius. Sed indiuiduum substantiale, vtique non per quantitatem, sed per entitatem substantialem, in suo esse constituitur. Ergo sic etiam in esse vno & indiuiduo.

Confirmatur, sicut species substantialis habere debet su.m intrinsecam differentiam qua in suo esse specifico constituatur: ita etiam indiuiduum debet habere intrinsecã differentiam. Quantitas autem non potest dici intrinseca ipsi indiuiduo substãtiali, eiusq. constitutiua. Nec dici potest natura specifica contrahi ad indiuidua per plures quantitates tãquam per differentias. Igitur omnino aliam, indiuiduationis formam præter quantitatem concedere oportebit.

Et possũt indiuidua distingui, quantitatibus ablatis, aut permutatis.

Secundò. Possent sine dubio à Deo cõseruari duæ substantiæ materiales sine quantitate, & adhuc quælibet esset vna in se, & ambæ essent inter se distinctæ, essentquè verè indiuiduæ & singulares: ergo haberent vtique suas differentias indiuiduantes, per quas constituerentur: quæ differentiæ non tunc de nouo fierent, quia sine dubio illæ substantiæ manerent eædem quæ antea erant: igitur de facto non per quantitatem, sed per intrinsecas differentias indiuiduantur.

Item posset Deus in vna eademq. substantia ponere vnam vel aliam quantitatem: & ipsa substantia semper maneret eadẽ singularis. E conuerso posset Deus vnam eamdemq. quantitatem in alia vel alia substantia collocare: vt quando conseruat quantitatem panis in Sacramento destructa substantia panis, posset alium panem sub illa eadem quantitate denouo creare: & semper tales substantiæ manerent distinctæ in suo esse intrinseco. Demum posset Deus duarum substantiarum quantitates permutare: in quo casu non vtiq. substantiæ permutarentur, quasi hæc fieret illa, & illa hæc: sed vnaquæque semper maneret eadem quæ fuit, & quæ ab æterno erat possibilis. Ex his omnibus ergo patet, singulare non indiuiduari formaliter per quantitatem.

Nec forma nec materia dici potest

Tertiò. De facto quando corrumpitur vnum indiuiduum, & aliud generatur, & vna forma substantialis succedit alteri in eadem materia: vel remanet in materia eadem numero quantitas, vel mutatur. Si dicatur primum. ponamus casum, quòd aliqua forma succedat eiusdem speciei cum prima: quod saltem per Dei potentiam fieri potest, ac etiam naturaliter, si non in prima, saltem in alia transmutatione. Tunc sine dubio vna forma esset distincta ab alia: & non vtique per quantitatem, quæ eadem semper manet: ergo. Nec iuuat quod dixit Herueus quodl. 3. quæst. 9. quantitatem poni solùm ad distinguenda illa indiuidua quæ actu existunt; quia alioqui, illa quorum vnum existit, aliud non existit, satis distinguuntur per esse & non esse. Hoc inquam, non iuuat: quia esse & non esse, distinguit quantum ad existentiam; non verò quantum ad entitatem, quæ ab existentia præscindi potest: ideò non poterat existẽtia constitui indiuiduationis principium. Et omnia indiuidua possunt considerari quatenus possibilia, in quo statu adhuc distincta sunt. Ergo nec pro ijs quæ non simul extant, nec pro ijs quæ simul existunt, potest quantitas indiuiduationis principium assignari.

indiuiduari per quantitatem.

Secundum Thomistæ dicunt, scilicet mutari quantitatem in genito & corrupto. Sed certum est, materiam semper remanere eandem indiuiduam. Ergo materia non indiuiduatur, nec constituitur hæc per hanc quantitatem: igitur aliud indiuiduationis principium agnoscendum est.

Nec per solã quãtitatẽ res materiales inter se distinguuntur.

Quartò rursus dici non potest distinctio inter substantias materiales numero diuersas solùm haberi per diuisionẽ quantitatis. Nam considerare possumus, vel duas res discontinuas, vel partes vnius rei continuæ. Si sumamus duas aquas non continuas: verum quidem est, illas esse quantitate diuisas & discretas. Sed præter hoc, habet sine dubio hæc aqua suam entitatem substantialem, quæ non est entitas illius aquæ: ergo in hoc formaliter non distinguuntur per quantitatem, sed per ipsas suas entitates.

Si deinde consideremus partes vnius aquæ continuæ: hæ partes adhuc sunt aliquo modo distinctæ. Dico aliquo modo: quia aliqui volunt distingui tantùm in potentia, aliqui per designationem: à qua quæstione nunc abstraho. Sed intelligo distinctas, ita quòd realiter non est in sub-

in substantia quanta & continua vna simplex entitas quasi replicata; sicut si Deus vnum palmũ aquæ replicaret in quatuor locis coniunctis, appareret aqua quadripalmaris: sed reuera sint plures partes entitatiuæ diuisibiles & separabiles: hanc dico distinctionẽ entitatiuam aquæ. Hæc itaque distinctio non habetur per diuisionem quantitatis, quia etiam sine tali diuisione habetur. Et, si partes aquæ diuidãtur, solùm acquirent distinctionem quam voco quantitatiuam, nempè per discontinuationem quantitatis: non autẽ acquirit de nouo, sed retinent quam habebant, distinctionẽ entitatiuã. Itẽ si auferatur pars ab ista aqua, & vniatur cum alia aqua, Deus vtiq. sẽper videt, quæ sit talis pars, prius in vna, & postea in alia aqua. Et sẽper remanet vna & eadem in sua entitate substantiali talis partialis aqua, solumquè mutat vnitatem continuationis, modo cũ vna, modò cum alia aqua totali. Igitur indiuiduationem entitatiuam res habet nõ per cõtinuationẽ vel diuisionẽ quãtitatis.

Pariter quãdo ab aliquo continuò abscinditur aliqua pars, & hæc per se permanet separata: adhuc vtique est eadẽ ipsa quæ antea erat quoad suam entitatem. Propter quod, dum Hostia consecrata diuiditur, in singulis partibus permanet Christus, quia etiam post separationem partes quantitatis & omniũ accidentium quæ in illa sunt, sunt entitatiuè eædẽ quæ antea erant. Sicut & quando vni quantitati interponitur & cõtinuatur alia quãtitas, omnis permanet entitatiuè illa eadem quæ antea erat. Atque hoc totũ expressum habetur ab ipso S. Tho. 3. p. q. 77. art. 8. ad 4. & clariùs in 4. d 12. q. 1. art. 2. quæstiuncula 6. & quodl. 10. art. 3. vbi propterea ait, per diuisionem, aut additionem, quantitatem diuersificari solùm quoad terminationem, & quoad determinationem mensuræ, non autẽ quoad eius entitatem: & ideò permanere Christum in partibus consecratis, non obstante diuisione vel additione.

Quãtitas ipsa quomodo indiuiduetur. Quintò prætereà, quantitas ipsa in singulari vtiq. est hæc & indiuidua, & plures quantitates inter se distinctæ sunt: per quid ergo indiuiduatur vna quantitas in se, & ab alia distinguitur? Non põt respõderi, solùm per se ipsam, abiq. alia assignatione. Quia sicut in alijs rebus, ita & in quantitate cõsideratur natura communis, v. g. linea communis huic & illi lineæ: assignare ergo oportet per quid contrahatur natura communis, & indiuidueur in tali singulari.

Arguit etiam Scot. qu. cit. §. ex quarta via: quantitas est forma: ergo si per se distinguitur ab alia quantitate, distinguitur specie. Quoniã fundamentum sententiæ asserentis, distinctionem numeralem haberi per materiam & quantitatem, est: quia omnis distinctio formalis est specifica. Et, si excipiatur quãtitas ab ista propositione fundamentali ædificij ruinosi, inquit Scot. nec etiam in alijs rebus poterit ostendi, omnem distinctionem formalem esse specificam.

Respondet Caiet. q. 5. de Ente & essen. ad 6. irridens argum. Scoti, aliud esse dicere distinctionem formarum, & distinctionem formalẽ: atq. solùm sequi inter duas quantitates esse distinctionẽ formarũ, sicut distinguuntur duæ formæ ignis: sed non oẽm distinctionem formarũ esse formalem, atq. adeò specificam. Sed hęc responsio cadit in id quod Scot. intendit: quia Thomistæ ideò volunt, distinctionẽ numeralem nõ haberi abiq. materia, quia putant oẽm distinctionem quæ habetur per formam, esse formalem & specificam. Si ergo concedunt, per formam posse haberi distinctionem numeralem non specificam: fateri debebunt, dari posse formam siue differentiam indiuiduantẽ præscindendo a materia; ac etiam in rebus immaterialibus dãtem distinctionem indiuidualem non specificam: quod intendebat Scotus.

Si aliter dicatur quantitas indiuiduari per subiectum: ita planè apparebit vitiosus & inutilis circulus, cùm subiectũ itẽ supponatur indiuiduari per quantitatem. Dicere enim valebit: quantitas est hæc, quia est in hoc subiecto: & subiectum est hoc, quia habet hanc quantitatem. Et nec etiam in diuerso genere causæ id saluari põt: quia absolutè loquendo saltem vnũ è duobus deberet præsupponi iam singulare & hoc, vt alterum dici posset indiuiduari per ipsum. Vnde S. Tho. 1. p. q. 29. art. 1. non dixit accidentia indiuiduari per substantiam, & substantiam per accidentia: sed accidentia per substantiam, substantiam per se ipsam.



Si demum dicantur quantitates indiuiduari atque distingui per proprios situs seu positiones: vt indicauit S.Thom. 3. p. quæst.72. art.2. & quodl. 7. art. 10. Vel intelligitur per situs atque positiones in loco. Et hoc certè accidentaliter se habet ad quantitatem: quia potest variare & mutare situs & loca sine variatione suæ indiuiduationis & distinctionis. Et ad summum hoc valebit quoad nostram cognitionem: quia dum videmus quantitates in distinctis locis, cognoscimus illas esse distinctas. Vel intelligitur pro situ intrinseco quantitati in ordine ad se, idest, per distinctionē & ordinē partium in ipsa quantitate, sicut planè explicauit ipse S.Tho.4. contra Gen. cap.65. Et sic cū omnis quantitas conueniat in hoc quòd habeat partes & partes: oportebit adhuc assignare, per quid quantitas fiat hæc determinata singularis. Vel demum intelligi debet, singulas quantitates indiuiduari per differentias intrinsecas proprias, qua vnaquæque constituatur in suo esse hæc indiuidua singularis. Et hoc modo etiam de alijs rebus dici poterat & debebat, indiuiduari per intrinsecas differentias in sua vnitate entitatiua.

Ex cōuersione sacramētali in Eucharistia confirmatur assertio. Sextò, potest sumi aliud argumentum ex sacramento Eucharistiæ. Si quantitas esset formale principiū indiuiduationis, sequeretur in sacramento poni ex vi conuersionis & verborum, ac non per concomitantiam, quantitatem corporis & sanguinis Christi. Sequela probatur, quia ex vi cōuersionis ponitur omninò corpus singulare; nam dicitur, hoc est corpus meum, & ponitur corpus Christi: ergo ponitur ex vi conuersionis ratio formalis constitutiua talis corporis singularis: sicut sine dubio ponitur ex vi conuersionis differentia constitutiua corporis humani. Consequens autē est contra S. Tho. 3.par.q.75.art.4. vbi ex professo docet in sacramento quantitatem poni per concomitantiam, & non ex vi sacramenti seu conuersionis sacramentalis: sed ex vi cōuersionis poni substātiam corporis Christi, in quam conuertitur substantia panis. Fateri ergo oportet, corpus Christi esse substantialiter singulare per suam entitatem intrinsecam, & non per quantitatem, & similiter omnem aliam substantiam.

Singulare in vnitate quadā indiuiduatur per quantitatem. Dico secundo. Indiuiduum materiale quod constituitur quantū formaliter per quantitatem, eadē etiā quantitate constituitur in ratione vnitatis numeralis quantitatiuæ. Hanc concl. docere voluerūt illi Thomistæ initio allegati. Nā planè distinguunt duplicē in indiuiduo vnitatē: primā vocant transcendentē: secundam vocant quantitatiuā. Hanc secundā declarant haberi à quātitate. De prima pro certo cōcedunt, conuenire substantiæ antecedenter, & indepēdenter à quantitate. Sic perspicuè explicarūt. Sonc.q.34.Ferr. & alij. Et hoc etiam magna ex parte est de mēte S.Tho. Verū, quia S.Tho. cōiungendo materiam cum quantitate, in assignādo principio indiuiduōnis, aliquid amplius voluisse videtur; plura addemus sect. seq.

Iuxta Arist. Probatur primò auctor. Arist. qui hoc ad minus voluit in illis locis initio allegatis, & in alijs postea allegandis.

In vnitate quantitatiua. Secundò manifesta rōne. Hæc indiuiduatio & vnitas consistit in hoc, quòd res sit indiuisa in se per continuationē quantitatiuā suarum partium, & diuisa ab omni alia re per discontinuationem ab illa. Sic ista aqua v.g. est vna indiuisa in se, diuisa ab omni alia. Sed ista continuatio & discontinuatio habetur per quantitatem, vt patet. Igitur in hoc sensu quantitas, quatenus continua in se, & discontinua ab omni alia, est principium indiuiduationis huiusmodi.

Numerali. Tertiò. Multi docent, numerum qui ponitur in prædicam. quantitatis, & dicitur quantitas discreta, esse tantùm illum qui conflatur ex rebus quantis: sic ergo quantitates sunt, quæ constituunt vnitates, ex quibus consurgit talis numerus: igitur quantitas est principium vnitatis & distinctionis huiusmodi.

Prædicamentali. Quartò. Etiam in alijs prædicamentis, res continua, v.g. aqua, ponitur vt vnum indiuiduum, vnum scilicet integraliter & totaliter; partes autem ponuntur tanquam inclusæ in ipso toto: res verò discōtinuæ ponuntur vt plura indiuidua, v.g. plures aquæ. Sed partes aquæ vniri vel diuidi, fit ratione quantitatis. Ergo quantitas est principium vnitatis & distinctionis prædicamētalis huiusmodi: quātitas est ratio per quā fit, vt res materiales possint vniri aut diuidi, & ita reponi per modū vnius aut pluriū in suo prædicam.

Nec

Nec absurdum est, res aliorum prædicamentorum quantùm ad hoc dependere à quantitate: quoniam adhuc saluatur optimè, res quidem ipsas non secum trahere suas quantitates ad sua prædicamenta, sed quantitates remanere in suo proprio prædicamento: & ita prædicamenta permanent impermixta.

Demum patet, singulare hoc modo habere à quantitate, non solùm distinctionē ab omni alia re, sed etiā vnitatem & indiuisionem in se ratione continuationis: quod etiam afferebat Soncinas ibi quæst. 34.

Arist. explicatur. Ad fundamentum primæ sent. ex Arist. desumptum, vbi Arist. non aliam vnitatē vel distinctionem indiuidualem, nisi per quantitatem assignare videbatur; dicendum est: fortasse Arist. non agnouisse multiplicationem indiuiduorum intra eandem speciem, nisi in rebus materialibus & quantis; atque adeo in eius sententia dicere valeat, omnia indiuidua, quæ sunt vnum specie, differre diuisione quantitatiua, & vnumquodque eorum esse vnum vnitate quantitatiua, non considerãdo distinctionem quæ est inter partes eiusdem rei continuæ, sed solùm distinctionem inter res integras & totales. Non autem negauit Aristot. nec negare potuit, in ijsdem rebus inueniri vnitatem & distinctionem entitatiuam. Neque dixit, principium indiuiduationis esse solummodò quantitatem. Nec negauit, dari principium entitatiuum intrinsecum præter quantitatem. Aliquando etiam Aristot. tantum considerauit vnitatem totalem rei in se, & distinctionem ab omni alia: quod in rebus materialibus exercetur per quantitatem. Sic quantum est diuisibile in plura; quorum vnumquodque post diuisionem est vnum totum integrale, cùm ante diuisionem esset tantum pars. Quod, vt patet, nihil facit contra nos.

Aduersus secundam conclusionem non occurrit argumentum alicuius momenti: quia quæ probant quantitatem non esse principium indiuiduationis, tantùm probant in sensu primæ conclusionis.

SECTIO SEXTA.

Vtrum Substantia materialis indiuiduetur per materiam signatam.

Affirmāt S. Thom. & sequaces. QVia S.Tho. coniungebat materiam & quantitatem, atque dicebat, materiam signatam quantitate, siue vt stantem sub dimensionibus terminatis, esse indiuiduationis principium: ideo Capreol. Ferr. Sonci. supra dicebant, materiam dare indiuiduo incommunicabilitatem, qoniam materia est vltimum incommunicabile; quantitatem dare distinctionem.

Et materiā signatam explicant. Alij plures Thomistæ, nolentes in hac re quantitatem formaliter associare materiæ, & in principio indiuiduationis includere, materiæ soli hoc munus in recto attribuunt, dicentes; materiam, non quatenus formaliter quantam, sed quatenus in potentia ad quantitatem, esse indiuiduationis principium: Et hanc dici materiam signatam. Ita Caiet. de Ente & Essentia quæst. 5. Aegid. quodl. 1. q. 5. art. 1. Iauell. 5. Met. q 15. Bagn. 1. par. q. 3. art 2. Zumel. ibidem, & alij. Quia dicunt, materia per actionem præuiam agentis appropriatur alicui certæ quantitati, & determinatur atque signatur, vt sit capax talis certæ quantitatis, & non alterius, quæ certa quantitas est debita tali indiuiduo producendo per actionem agentis: quoniam ex Arist. 2. de Anima textu 41. *Omnium natura constantium determinata est ratio magnitudinis & augmenti*. Supponunt autem Thomistæ, simul cum forma substantiali omnia accidentia consequenter de nouo produci, destructis omnibus quæ præerant. Et ita dicūt materiam sic signatam esse principium indiuiduationis.

Verùm hanc sententiam postea reprobauit ipsemet Caietanus 1. parte quæst. 29. artic. 1. quia cogitauit, potentiam illam materiæ ad quantitatem esse etiam de prædicamēto quantitatis, cùm potentia pertineat ad prædicamentum sui actus: atque adeò eadem difficultas redit de ipsa potentia, quæ erat de quantitate. Aliter ergo ibi explicat materiam signatā, quatenus est fundamentum radix

& causa quantitatis, & quasi præhabens naturam quantitatis.

Circa quod Suar. disp. 5. Metaph. sect. 3. num. 18. ait, nihil aliud esse materiam sic sumptam, nisi quatenus est in potentia passiua ad quantitatem. Sed Bagn. significat, materiam esse quantitatis principium, sicut est essentia passionum, & forma aliorum accidentium, & non solùm esse subiectum recipiens quantitatem, sed esse radicem ratione cuius quantitas conuenit & debetur rebus materialibus. Verùm, si per hoc velit tribuere materiæ causalitatem actiuam erga quantitatem, incurrit nouam difficultatem, dum facit materiam actiuam: & non euadit priorem, quia si potentia passiua, pariter actiua, esset de eodem prædicamento quantitatis. Caiet. igitur in 2. loco videtur intellexisse materiam prout est principium radicale exigitiuum quantitatis per semmet essentiam substantialem; ex quo fit, vt habeat potentiam proximam receptiuam quantitatis.

Loca Ari. pro hac sententia. Fundamentum commune asserẽdi, materiam esse principium indiuiduationis, non est aliud quàm auctoritas Arist. qui id passim docuisse videtur. Cuius præcipua loca hæc sunt. Primò 1. Cæli textu 92. quærens an possint esse plures Cæli, idest Mundi, supponit ibi esse plura in aliqua specie, vbi est materia. Et tex. 94. 95. & 96. negat esse plures Mundos, quia non possunt per materiam multiplicari, cùm in hoc vno Mundo sit tota materia. 2. 5. Metaph. tex 12. *Vnum numero sunt, quorum materia est vna*; & è contra quædam sunt plura, eò quòd non sunt continua. 3. 7. Metaph. tex. 28. *Calliam & Socratem esse diuersos propter materiam, cùm sint idem specie: & formam in his carnibus & ossibus, esse Socratem aut Calliam.* 4. 7. Metaph. tex. 35. *Vniuersale quidem ex forma & materia: singulare verò ex vltima materia iam Socrates est*. 5. 12. Metaph. tex. 49. *Quæcunque sunt multa numero, materiam habent*: & hac ratione probat, vnum tantùm esse primum Motorem, quia non habet materiam. 6. demum 7. Metaph. tex. 41. & lib. 8. tex. 8. significat, quidditatem in rebus immaterialibus esse idem cum re cuius est quidditas, idest cum singulari: in rebus autem materialibus esse distinctam. Quod videtur dicere propter singularitatem rei quæ sumitur à materia. & 3. de Anima tex. 9. similiter ait, non idem esse magnitudinem & magnitudinis esse, idest rem corpoream singularem & naturam eius.

Singulare non indiuiduatur per materiam absolutè sũptam. Dico primò, singulare non indiuiduari per materiam absolutè sumptam, nec etiã quoad illam incommunicabilitatem quæ est de ratione indiuidui. Probatur primò auctorit. Arist. qui multis in locis docuit, materiam includi simul cum forma in conceptu naturæ vniuersalis, & hanc materiam simul cum hac forma cõstituere rem singularem. Ita dixit 7. Metaph. tex. 35. rursus tex. 39. Item 12. Metaph. 27. & alibi. Ergo dici non potest materia absolutè sumpta esse principium indiuiduationis. Insuper Sanctus Thomas ipse cap. 2. de Ente & Essentia, in fine, id expresè docuit, atque probauit. Idem dixit primo contra Gentes cap. 21. Ideòquè affirmauit, materiam signatam esse principium indiuiduationis.

Neque per certã materiã singularem. Secundo. Nec etiam dici potest, materiam in particulari sumptam, hanc vel illam, esse principium indiuiduationis, quasi quælibet forma esset determinata ad certam singularem materiam, & per hoc indiuiduetur: quod de animabus ipsis rationalibus significauit Sanctus Thomas 2. contra Gent. cap. 75. & 81. Hoc inquam, dici non potest. Tum quia oportebat antea assignare, quomodo materia ipsa erat hæc indiuidua, quod assignatum non est. Tum quia sicut quæcunque materia est per se indifferens ad omnem formam, & tamen est in se singularis: ita intelligi potest optimè, quamcunque formam indifferenter respicere omnem materiam, & adhuc esse in se singularem. Tum demum verum non est, talem formam esse ex vi sua determinatam ad talem materiam. Imo de facto constat, eandem animam rationalem decursu tẽporis informare diuersas & varias materiæ partes: ac per accidens prorsus est, vt hæc vel illa materia, ex his vel illis cibis, humano corpori aggregetur. Idemquè procedit de animabus aliorum perfectorum animalium, in sententia eorum qui volunt, has etiam animas esse indiuisibiles. Et sic tandem de omnibus formis putandum est, non esse certam formam huic

huic vel illi materiæ ab intrinseco alligatam.

Neq. incōmunicabilitatem indiuidualem, singulare recipit à materia.

Tertiò præcipuè ostenditur, indiuiduū non habere ex parte materiæ incommunicabilitatem indiuidualem. Nam multiplex communicatio hîc considerari potest. Prima est qua forma communicatur suo subiecto per informationem. In hoc sensu verum est, materiam esse vltimum incommunicabile. At non est hæc incommunicabilitas de ratione singularis. Nam accidens singulare, & forma singularis, non solùm est incommunicabilis, sed actu communicata. Et è contra, de materia, atque etiam de Angelo, non solùm in particulari, sed etiam in vniuersali dici potest, non posse communicari alteri, tanquam forma subiecto.

Alia communicatio est per modum partis respectu totius. In hoc sensu materia, non solùm non est incommunicabilis, sed maximè communicatur pluribus & pluribus compositis successiuè. Et forma potius multum habet de incōmunicabilitate: quia ita est propria vni composito, vt nulli alteri competere possit. Non ergo à materia, sed plus à forma hæc incommunicabilitas habetur. Et præterea non est de ratione indiuidui.

Alia ergo communicatio est, qua potest conceptus aliquis communicari & multiplicari in plura per diuisionem sui ipsius, eo modo quo de natura dicimus posse esse in multis. Incommunicabilitas huic communicationi opposita, est verè de ratione singularis, ad differentiam vniuersalis. Hanc autem indiuiduum non plus habet a materia quàm à forma. Nam materia potest sumi, & in cōmuni, & in particulari, vt fatetur Sanctus Thomas vbi supra. In communi sumpta potest communicari, & communicatur huic & illi materiæ: sed hæc particularis materia communicari non potest. At similiter forma, v.g. forma ignis, in communi sumpta, est quidem communicabilis huic & illi formæ: sed in particulari hæc forma amplius sic communicari non potest. Et in vniuersum inde habet quæcunque res hanc incommunicabilitatem, vnde habet suam indiuiduationem, quod adhuc sufficienter assignatum non est.

Vidit hæc Soncin. 7. Metaph. qu. 33. Et propterea aliam communicationem adiecit, qua natura substantialis potest veluti per informationem communicari supposito, v.g. humanitas Petro. Et ait de ratione substantiæ singularis esse, etiā hoc modo communicari non posse. Atq. hanc incōmunicabilitatem haberi à materia. Sed nullo modo satisfacit. Tum quia non est de ratione substantiæ singularis, sed tantùm de ratione suppositi, nō posse hoc modo communicari. Nam natura quæ à supposito distinguitur, eiquè communicatur, singularis est, videlicet hæc humanitas in Petro. Tum etiam suppositum ipsum hanc incommunicabilitatem non habet à materia; imò & materia ipsa singularis communicatur supposito: sed habet à modo subsistentiæ, distincto tam à materia quàm a forma, vt suo loco videbimus. Igitur neque hac ratione quantum ad hanc incommunicabilitatem substātia singularis indiuiduatur in sua entitate per materiam.

Neq. indiuiduatur per materiā signatam quatenus capacem certæ quātitatis.

Dico secundò. Singulare non indiuiduatur per materiam signatam, quatenus capacem certæ quantitatis, siue quatenus habentem potentiam ad certam quantitatem.

Probari potest primò hæc conclusio ex ipso Caietano per illam rationem, quæ ipsū à priori sentētia dimouit: quoniam potentia materiæ ad quantitatem, est etiam accidens pertinens ad idem prædicamentum quantitatis: ergo redit tota difficultas, quæ erat in dicendo quantitatem, aliauè accidentia, esse indiuiduationis principium. Ad hanc tamen rationem conatus est respondere Iauell in priori Caietani sententia persistens, quem imitatus est Bagn. dicentes, potentiam materiæ esse substantialem; quoniā primariò respicit formam, secundariò quantitatem. Tamen contra Iauellū eandem rationem vrget Fons. 5. Metaph. capite 6. quæst. 4. sect. 4. dicens, potentiam materiæ, saltem quatenus respicit quantitatem, reduci ad prædicamentum quantitatis. Contra Fonsecam, responsionem Iauelli defendit Suarez disp. 5. sect. 3. num. 20. dicens, satis esse potentiam materiæ realiter esse substantialem.

Quia ipsa capacitas est accidētalis.

Alio tamen modo, ratio illa Caietani refelli potest: quia necesse non est, potentiam pertinere ad idem prædicamentum, in quo est actus. Quinimo potentia

quæ ab essentia rei distinguitur, constituit certam speciem qualitatis, & in eo prædicamento ponitur. Ita potentia respiciens motum & præsentiam localem, non ponitur in prædicamento Vbi, sed Qualitatis, & sic de potentia respiciente alios effectus.

Hinc auté aliter potest illa ratio proponi & vrgeri pro conclusione: quia potentia, siue effectiua, siue receptiua quantitatis, si distincta est ab essentia substantiæ, de qua re alius erit disputandi locus; est verè accidens: atque, si non est quantitas, est qualitas, ita vt non possit formaliter includi in ipso indiuiduationis principio.

Et quia nulla est determinatio materiæ ad certam quātitatem.

Secundò efficaciter probatur conclusio: quia materia secundùm naturam suā & potentiam innatā, respicit indifferēter omnem quantitatem, nec est determinata ad hanc vel illam: ergo non potest per se ipsam dici indiuiduationis principiū, quatenus signata seu capax certæ quantitatis. Si autem ab agente determinatur ad certam quantitatem, petendum est, per quid formaliter determinetur, quidué sit hæc determinatio, an dispositiones præuiæ, an actio ipsa agentis, an modus aliquis superadditus. Omnino enim debet esse aliquid distinctum ab ipsa materia: cùm non sit illi innata, sitquè variabilis. At illa omnia sunt accidentalia & extrinseca ipsi indiuiduo substantiali: imo nullus modus excogitari potest præter ipsas dispositiones materiæ. Ergo prorsus non potest hoc modo indiuiduationis principium assignari.

Potius debebat referri ad certā formam.

Tertiò, quando Caiet. dicebat materiam determinari ab agente ad certam quantitatem: tolerabilius dicere potuisset determinari ad certam formam, & secundùm hanc potius determinationem esse indiuiduationis principium. Imo dixit quidem Caiet. agens particulare appropriare materiam ad hanc formam & hoc indiuiduum, & ideò illi deberi certam quantitatem. Si ergo materia prius determinatur ad certam formam, & consequenter ratione formæ ad certam quātitatem; & eò magis, quòd apud Thomistas materia prius natura recipit formam quàm accidentia, & in materia simul & forma recipiuntur accidentia: potius dici debebat materia vt determinata ad certam formam esse indiuiduationis principium. Et præterea si ideò materia designatur ad certam quantitatem, quia ad certam formam: iam forma ipsa non indiuiduatur per materiam vt ordinatam ad certam quantitatem; sed potius è conuerso per ipsam formam determinaretur certa quantitas. Et sic potius forma esset indiuiduationis principium, nō materia.

Nec antecedenter determinatur materia ad certā numero formam aut quantitatem.

Quartò. Non benè supponebatur, materiam ita determinari ad certam quantitatem, vt reddatur capax huius, & non illius: ita determinari ad certam formā, vt hanc & non illam numero recipere debeat: rursus tali formæ talem certam quantitatem deberi. Imo multorum sententia est, hanc determinationem indiuidualem esse penitus ab extrinseco, & accidentaliter se habere ad res ipsas: sed tantùm ad species effectuum determinari res à causis naturalibus. Ac præterea non esse diuersam quantitatem cum vna, vel alia forma, sed semper esse eandem numero in materia. De quibus rebus proprijs in locis agendum erit. Nec quicquam Caiet. prodest illa auctoritas Aristotelis. Solùm enim docuit, vinentia determinare sibi certam mensuram & magnitudinem quantitatis, quam non possint excedere. Insuper saltem sub hypotesi certum esse debet, quòd etiam si materia non determinetur ad certam quantitaté, adhuc remanet singularis, & forma erit singularis. Non ergo debet illo modo indiuiduationis principiū assignari.

Nec per talem signationē materia ipsa aut forma indiuiduari potest.

Quintò. Quando dicitur materia illo modo signata esse principium indiuiduationis, vel intelligitur quòd ipsa materia per eam signationem indiuiduetur, vel quòd sit causa indiuiduationis formæ. Primum dici non potest: quia materia apud aduersarios, modò determinatur ad vnam, modò ad aliam quantitatem: & semper permanet in se eadem numero. Vnde nec etiam dicendum erit secūdum: quia petere possumus, per quidnam ipsa materia indiuiduetur. Et si dicatur indiuiduari per se ipsam, quia non per ordinem ad certam quantitatem: pariter dicemus nos, formam indiuiduari per se ipsam, non per ordinem ad certam quantitatē. Imo si ideò materia determinatur ad certam quantitatem, quia ad certam formam: prorsus dici non potest; ideò

for-

formam esse hanc, quia recipitur in materia determinata ad hanc quantitatem, & ideò determinatã ad hanc quantitatẽ, quia determinatam ad hanc formam. Hæc esset enim aperta nugatio.

Sextò demum præsens assertio probari etiam potest iisdem ferè argumentis, quibus probatum est, accidentia ipsa & quãtitatem in recto, non esse indiuiduationis principiũ: quia pariter probãt indiuiduationẽ non esse sumendã per ordinẽ ad accidẽtia & quãtitatẽ, vt cõsiderãti patebit.

Materia radicaliter dici potest principiũ vt indiuidua multiplicentur.

Dico tertiò. Materia est aliquo modo indiuiduationis principiũ radicaliter in rebus materialibus, idest est causa & ratio qua multiplicari possint indiuidua in his rebus. Hæc concl. est de mente S. Tho. Et probari potest primò auctorit. Arist. qui hoc ad minus voluit in locis antea allegatis, & infra explicandis. Non enim rectè Scot in 2. d. 3. q. 6. §. ad quæst. 5. tentauit explicare, per materiã debere intelligi ipsam differentiam indiuiduantẽ; quã ait, rectè posse nomine materiæ intelligi, quia sicut materia est vltimum subiectum physicum, ita differentia indiuidualis est vltima & infima in compositione metaphysica, subijciens indiuiduũ omnibus superioribus prædicatis. Hæc inquã expositio non potest menti & verbis Philosophi adaptari. Quia satis manifestè apparet in textu Aristot. intellexisse materiam physicam, vt verè & propriè ipsum nomen materiæ sonat.

Nam propter copiã materiæ, formæ multiplicantur.

Secundò ratione probatur & explicatur. Intantum multiplicari possunt plura & plura indiuidua in rebus materialibus, inquãtũ materia ex natura sua habet plures partes, potest diuidi in plures portiones in quibus plures formas recipere queat. Et intantum formæ ipsæ multiplicari possunt, inquantum habent materiæ copiam: ac etiam animæ rationales per ordinẽ ad materiã ideò multiplicari possunt, quia ex parte materiæ esse possunt plura corpora. Sic ergo materia est causa, vt indiuidua multiplicari possint. Et in hoc planè sensu significauit S. Thom 4. contra Gen. cap 60. quantitatem, seu materiam sub quantitate, esse radicem multiplicationis indiuiduorum.

Fateor hac ratione etiam dici posse, materiam esse causam vt in rebus materialibus species quoque rerum multiplicentur: quia intantum plures formarum species multiplicari possunt, inquantum habent copiam materiæ, quam informent. Fateor etiam hoc propriè valere, vt simul esse possint plura indiuidua, plures formæ: alioqui saltem successiuè esse possunt in eadem prorsus materia.

Sic materia signabilis quantitate, est principiũ indiuiduationis.

Tertiò hinc patet, materiam esse in hoc sensu principium indiuiduationis, quatenus capacem quantitatis, siue quatenus diuisibilẽ in plures portiones. Vbi non oportet sumere hanc capacitatem pro alia accidentali potentia, vel dispositione. Sed præstat accipere essentiam ipsam materiæ, quatenus in sua substãtia radicaliter exigitiuam quantitatis. Vnde materia signata debet intelligi potentialiter seu radicaliter. Melius diceretur: materia signabilis quãtitate. Et si hoc voluit Caiet. illo loco 1. par. benè dixit. Patet etiam hoc modo non esse per se causam indiuiduationis determinatè, sed potius in cõfuso: idest materia nõ est causa, vt talis res seu forma sit hoc indiuiduum: sed solùm est causa, vt possint esse plures & plures res singulares & indiuiduæ. Quòd autem vnaquæque res & forma sit hæc aut illa, aliundè habebit. Concedimus verò libenter, cõpositum ex materia & forma constitutum vltimò indiuiduari per hanc materiam, & hanc formam: vt sect. sequenti commodiùs explicabimus.

An sit vnicum & necessariũ principium.

Quartò demum præcipua difficultas est, an materia taliter sit vnicum principium, & causa necessaria, vt indiuidua intra certam speciẽ multiplicari possint, quòd vbi nõ est materia, videlicet in substantijs spiritualibus, talis multitudo esse nõ possit, sed singulæ species in singulis tantũ indiuiduis concludantur. Hoc enim S. Tho. putasse videtur, & Arist. docuisse. Sed hæc iam est noua quæstio pertinens ad Angelos, num possint esse plures Angeli eiusdem speciei solo numero differentes: de qua in prima parte Theologiæ in tract. de Angelis disputabimus.

Loca Arist. explicantur.

Restat modò ad fundamentum primæ sententiæ respondere, hoc est loca Arist. explicare, nè nostras priores conclusiones videantur infringere. In primo loco, cùm Aristoteles quæreret de vnitate Cœli, seu Mundi, qui materia constat; benè potuit asserere, vnicum esse Mundum, quia

quia hic vnus Mundus includit totam materiam. Quòd si per hoc putauit, non esse penitus possibilem aliam materiam, aliumquè Mundum, deceptus est, si respiciamus ad Dei potentiam absolutam. In secundo loco planè voluit, illa esse vnum numero vnitate continuatiua & integrali, quæ habent materiam vnam, id est continuam; & illa esse plura, quæ non sunt continua. In tertio loco optimè intelligi potest iuxta vltimam conclusionem, scilicet homines multiplicari propter diuisibilitatem materiæ. In quarto loco, cùm dixerit, vniuersale constare ex materia & forma, verum est singulare constare ex hac materia: & subintelligitur etiam ex hac forma, quod alijs in locis conclusione 1. citatis expressit. In quinto loco ad summum significauit, non posse indiuidua multiplicari numero, nisi vbi est materia, & ita materiam esse principium requisitum vt indiuidua multiplicari possint: de qua re, vt diximus, proprio loco de Angelis agendum erit. Quæ sexto denique loco afferuntur, commodiùs explicabimus postea sectione decima.

SECTIO SEPTIMA.

Vtrum Substantia materialis indiuiduetur per formam.

Sententia affirmās. Affirmare videtur Auerr. multis in locis, 3. Physs. com. 60 4. Phys. com. 38. 1. de Anima com. 7. 2. de Anima com. 2. & alibi. Sequuntur Zimara Theorem. 97. & in quæst de Princip indiuiduat. Sebastianus Oxomensis in lib. 2. de Anima text. 2. & quidam alij. Item ex Theologis Durand. in 2. d. 3. quæst. 2. num. 15. indicat, & in 4. d. 44 quæst. 1. à num. 6. plenius docet, non solùm compositum, sed ipsam quoque materiam indiuiduari per formam. Vnde infert, posse in resurrectione animam cuiusque hominis vniri indifferẽter cuicunque materiæ, & ratione ipsius animæ fore vndequaque vnum & eundem hominem resurgentem, qui prius tali anima vixerat. Imo S. Thom. ipse 2. cont. Gent. cap. 40. probans, materiam non esse primam causam distinctionis rerum, tandem ratione 5. significat potius formam esse rationẽ distinctionis in materia: & licèt præcipuè loquutus sit de distinctione specifica, tamen par ratio est de distinctione numerica.

Fūdatur in Arist. Habet & hæc sententia in Arist. fundamentum, qui 1. Physic. textu 69. formam appellauit hoc aliquid, & 2. de Animā tex. 2. perspicuè air, substantiam, aliam esse materiam quæ secundùm se quidem non est hoc aliquid, aliam esse formam secundùm quam iam dicitur hoc aliquid: sed hoc aliquid non est aliud quàm indiuiduum: ergo de mente Arist. compositum, imo & ipsa materia, indiuiduatur per formam. Ait etiam ibi Arist. materiam esse potentiam, formam esse actum: sed in doctrina Peripatetica actus est qui separat & distinguit 7. Metaph. tex. 49. Ergo forma est, quæ indiuidua separat & distinguit: ergo forma est principium indiuiduationis. Insuper 2. Phys. tex. 91. ait, materiam esse propter formam, tanquam propter finem, & ex eo quòd finis sit hoc, determinari etiā id quod est ad finem, vt sit hoc: forma ergo est quæ determinat compositum & materiam in esse indiuiduo.

Forma nō est adæquatum indiuiduationis principiū. Dico primò. Forma non est adæquatum & totale indiuiduationis principiū: dico non esse adæquatum & totale, idest non esse solam formam per quam indiuiduetur compositum ex materia formaquè conflatum, nec esse ipsam formam, per quam materia in suo esse indiuiduari dicatur. Hæc conclusio est communis de mẽte Doctorum. Probatur primò: compositum intrinsecè includit materiā & formam: ergo hoc compositum hanc materiam & hanc formam: igitur non sola hæc forma est principium intrinsecum indiuiduationis; quod idem est, ac dicere, hoc compositum non constat solùm ex hac forma, sed etiam ex hac materia, quod est clarissimum.

Materia non indiuiduatur per formam. Probatur secundò, materiam ipsam non indiuiduari per formam. Non potest dici indiuiduari intrinsecè per formam quasi inclusam in ipsa materia singulari, ad modum differentiæ constitutiuæ. Nam materia est vtique realiter & essentialiter a forma distincta, & hæc materia ab hac forma in hoc composito: atqui materia quatenus sic distincta, & antecedens formam ordine naturæ, est hæc & singularis;

gularis; nec enim forma intelligitur aduenire & inesse materiæ vniuersali, sed huic materiæ singulari. Igitur materia non constituitur intrinsecè per ipsam formam in esse singulari & indiuiduo. Confirmatur. materia, quatenus hæc distincta à forma, habet suam entitatem, vtiq. singularem realiter distinctam ab entitate formæ: est ergo singularis per ipsam suam entitatem singularem, & non per formam.

Nec per ordinem ad formã

Tertiò. Dici non potest, materiam indiuiduari, si non intrinsecè per formam, saltem per ordinem ad certam formam, ita vt fiat hæc per respectum ad hãc formam. Nam materia ex se indifferenter respicit omnem formam, & non magis vnam quàm aliam. Et hæc materia, omnisquè materia singularis, est hoc modo indifferens. Neque hæc materia, respicit determinatè hanc formam, illa illã, & sic de singulis. Non ergo indiuiduatur materia per ordinem ad certam formam. Addit S.Thom. 1 par. quæst. 75. art. 7. si materiæ sint diuersæ per habitudinem ad diuersas formas, sequi diuersitatem secundùm speciem, & inæqualitatem naturalem: quia supponit, diuersitatem quæ habetur ex forma esse specificam. Hoc tñ necessarium non est: quia ex forma quatenus hac & singulari necesse non est differentiam quæ oritur esse specificam.

Quartò, in omni transmutatione substãtiali in qua vna forma succedit alteri, permanet eadẽ materia singularis, quod est in Philosophia certissimum: igitur materia non indiuiduatur per formam: quandoquidẽ cum omnibus diuersis formis materia semper permanet eadem indiuidua. Atque si per Dei potentiam materiæ commutent inter se formas, non vtique permutatur inter se ipsæ materiæ, quasi hæc fiat illa, & illa fiat hæc; quod prorsus implicat: sed vnaquæquè remanet illa ipsa quæ præerat: & Deus planè videret, materiam quæ postea est sub vna forma, esse illam ipsam, quæ erat sub alia forma; sicut de facto videt, quęnam materia has, quæ illas, quæ alias formas, successiuè susceperit. Igitur materia est per se hæc & indiuidua, & semper est vna eademquè numero: non ergo indiuiduatur per formam, per hanc vel illam formam.

Ad perfectam vnitatem cõpositi requiritur vnitas formæ et materiæ.

Quintò demum communis Theologorum sententia est, ad perfectam veritatem resurrectionis, & vnitatem hominis resurgentis, spectare vt singulę animę resumant eadem corpora, quæ prius informauerant, ita vt omnis homo sit & corpore & anima idem post resurrectionem, qui fuerat antea. Imo si fieri potest, vt anima resumat, vel idem, vel diuersum corpus ab illo quod antea informauerat: vtique valeret dicere, ista anima resumit idem corpus quod antea possidebat, illa sumit diuersũ corpus à priori. Quòd si materia non indiuiduaretur nisi per formam, potius valeret dicere, semper eandem animam resumere idem corpus, quia per eandem animam esset idem numero corpus. Illud ergo est signum clarissimum, corpus esse hoc vel illud, non quia habet hanc vel illam animam, sed quia habet suam certam entitatem; ideoq. discerni posset, an hæc anima sumeret idem corpus quod antea informauit, vel aliud diuersum. Non ergo materia indiuiduatur per formam, nec compositum per solam formam.

Compositum indiuiduatur per formã & materiam singularem.

Dico secundò. Singulare ex materia & forma compositum indiuiduatur per formam simul cum materia, hoc compositum per hanc formam & hanc materiam; magis tamen præcipuè per formam. Ita notauit Suar. disp. 5. sect. 4. Et videtur ad mentem Arist. Prima pars planè sequitur ex modò dictis. Cum enim compositum physicè ex materia & forma consistat, intantùm compositum est hoc aut illud, inquantùm constat ex hac & illa forma & materia. Quia autem ad constituendum compositum, concurrit vnio materiæ & formæ, etiam hæc vnio singularis suo modo concurrit, vt compositum sit vndequaquè hoc secundùm totam suam entitatem. Sed quia partes compositi sunt materia & forma, vnio autem se habet solùm vt nexus partium: ideò sufficit dicere, compositum indiuiduari per suam formam & materiam: quia intelligitur per materiam & formam vnitas. Quòd si inter materiam & formam alicuius compositi vnio varietur: tunc absolutè quidem dicetur vnum & idem compositum, quia habet vtranque partem eandẽ, sed quantùm ad vnionem deberet dici diuersum.

Secun-

Magis præcipuè per formam. Secunda pars conclusionis facilè ostēditur. Tum quia forma est magis præcipua pars compositi. Tum quia de facto eadem materia transire solet ab vna ad aliam formam, & ita est pluribus indiuiduis composi. is successiuè communis: at vna forma transire non solet ab vna materia in aliam: ergo compositum magis determinatur ex hac forma quàm ex hac materia. Tum demum si vna forma esset modò in vna modo in alia materia, & è contra vna materia modò sub vna, modò sub alia forma: magis diceretur idem indiuiduum per vnitatem formæ, quàm per vnitatem materiæ.

Cæterùm non per hæc dico esse sufficienter assignatū principium indiuiduationis in ipso composito: quoniam hoc modo tantùm physicè assignatur, non autem per modum differentiæ contrahentis & determinantis naturam specificam. Quod tamen hic præcipuè quæritur. Et prætereà adhuc assignādum superest, per quidnam ipsa forma, ipsaquè materia, indiuiduetur.

Arist. explicatur. Ad auctoritates Arist. initio allegatas, dicendum est, illis non probari, formam solam esse adæquatum indiuiduationis principium: sed ad summum formam simul cum materia, & magis præcipuè ipsam formam in indiuiduatione compositi.

Materia quomodo possit per se habere vnitatē. Obijcies præterea primò ex Durando. Materia secundùm se est pura potentia, nullam habens actualitatem nisi per formam, & non habens esse nisi per formā: sed res non potest habere vnitatem in se & distinctionem ab alijs rebus, nisi ab eodem principio à quo habet actualitatem & esse: ergo materia secundùm se est in potentia, vt sit hæc vel illa: fit autem hæc vel illa singularis per formam.

Respondetur. Non esse in hunc locum inuehendam quæstionem, an & quomodo materia sit pura potentia, an ex se habeat aliquam actualitatem & esse. Sed breuiter satis est dicere, materiam secundùm se, non esse vtique in potentia vt sit materia: sed esse verè materiam. Et hoc quod est esse materiam, vtique non habet à forma, sed per se habet. Sic ergo vt sit hæc vel illa singularis materia, per se habebit, & non per formam. Esto quātùm ad omnem aliam actualitatem & esse quod habet à forma, constituatur per formam.

Quomodo sit idē viuens nō obstante successiua mutatione materiæ. Obijcies secundò ex eodem. Nisi tota vnitas materiæ & compositi esset à forma: sequeretur, animal quod nutritur, non esse idem post ac ante nutritionem: quia per nutritionem acquirit nouam materiam. Imo progressu temporis fieri potest, vt homo per actionē caloris naturalis mutet totam materiam: ergo esset diuersus homo.

Respondetur. Hoc argumentum fieri posse etiam contra vnitatem formæ. Nam in illis viuentibus quorum anima non est indiuisibilis, simul cum partibus materiæ mutantur etiam partes formæ. Dicendum ergo est, reuera per mutationem successiuam materiæ, hominem manere semper eundem quantùm ad animam, & quantùm ad illam materiæ portionem quæ non mutatur, tamen mutari quantùm ad aliam materiæ partem. Imo dum dicuntur mutari materiæ partes sub eadem forma: cogitur Durand. concedere, materiam non indiuiduari per ipsam formam, sed per se esse hanc vel illam. Quando etiam ipsa forma simul cum materia variatur in alijs viuentibus, dicitur idem viuens, quia non fit mutatio tota simul, sed per partes valde exiguas, & successiuè: vt plenius suo loco de nutritione tractandum erit.

Quō materia dici possit indiuiduari per habitudinē ad formam. Obijcies rursus tertiò. Materia in suo esse essentiali constituitur per habitudinem ad formam: ergo etiam in suo esse indiuiduali: quia non solùm materia, sed hæc materia intrinsecè ordinatur ad formam.

Respondetur. Dupliciter posse intelligi materiam indiuiduari per habitudinem ad formam. Vel per habitudinem ad certam formam. Et hoc falsum est: quia potius constat, quamlibet singularem materiam dicere habitudinem indifferentem ad omnem formam. Vel indiuiduari per certam habitudinē ad formam, idest hanc materiam per hanc habitudinem. Et hoc verum est: quia cùm materia dicat essentialiter habitudinem ad formam, hæc materia dicit hanc habitudinem, illa illam, & sic indiuiduatur.

Quomodo forma vno modo Obijcies quartò contra 2. concl. Ex dictis de materia videbatur sequi, potius materiam esse magis præcipuum indiuiduationis

materia alio sit magis præcipua ratio indiuiduationis

duationis principium: ergo non forma.

Respondetur 1. cum Fonf. 5. Metaph. cap. 6. q. 4. sect. 6. id esse verum quantùm ad nostram cognitionem: quia nos magis per accidentia quæ materiæ insunt dignoscimus indiuidua distincta. Secundò melius. Id verum esse, quantùm ad multiplicationem indiuiduorum absolutè, vt dicebamus: quia cùm materia sit primum subiectum & fundamentum tam formæ quàm quantitatis; ex copia materiæ fit radicaliter, vt indiuidua multiplicari queant. Tamen, vt indiuiduum sit hoc vel illud determinatè, magis præcipuè haberi per formam. Tertiò addi potest, secundùm appropriationem & accomodationem quandam, differentiam indiuiduantem magis adscribi materiæ quàm formæ: eo quòd maiorem præ se ferat similitudinem cum materia, vt ex Scoto adducebamus sect. præced. concl. 3.

SECTIO OCTAVA.

Vtrum Accidens singulare indiuiduetur per subiectum, specialiter accidens materiale per quantitatem & materiam.

Sententia affirmãs.

Sanctus Thomas 1. par. q. 29. art. 1. 4. cont. Gent. cap. 65. & alibi, affirmauit & docuit, accidentia indiuiduari per subiectum, quod est substantia. Dicitur enim, inquit, hæc albedo, inquantùm est in hoc subiecto. Idem communiter Thomistæ sequuntur: & intelligunt tàm de accidentibus spiritualibus, quàm materialibus. Sed quia in rebus corporeis adæquatum indiuiduationis principium facere voluerunt materiam signatam quantitate: consequenter asserunt alia accidentia materialia indiuiduari per quantitatem, seu per materiam signatam quantitate. Ipsam verò quantitatem dicunt indiuiduari per se ipsam, vel per propriũ situm, in quo vna quantitas etiam separata à subiecto potest esse distincta ab alia.

Ex hac doctrina infert S. Thom. quædam notatu digna. Infert, non posse conseruari etiam per potentiam absolutam Dei accidens aliquod indiuiduum separatum à subiecto & quantitate. Non negat omnino posse separari: sed ait, posse quidem Deum conseruare naturam albedinis sine quantitate: sed non posse facere, vt esset indiuidua sine quantitate. Vnde si esset separata, esset potius quædam forma intelligibilis, ad modum formarum quas Plato posuit. Ita habet quodl. 7 art. 10. Et propterea 4. cõt. Gent. cap. 65. declarat, accidentia panis & vini in sacramento esse indiuidua, quia licèt non sint in substãtiali subiecto, insunt quantitati. Item infert, non posse intelligi plura accidentia eiusdem speciei, inter se distincta, separata à subiecto, plures albedines sine quantitate, sicut possunt intelligi plures quantitates. Ita asserit ibi quodl. 7. & 1. par. q. 50. art. 4. q. 75. art. 7. & alibi. Demum infert, fieri non posse, vt plura accidentia solo numero diuersa, idest eiusdem speciei, eidem subiecto insint. Ita asserit 3. par. q. 35. art. 5. 5. Metaph. lect. 12. & alibi. Quod aliqui intelligunt, non solùm simul, sed etiam successiuè.

Accidens non indiuiduatur per certũ singulare subiectũ.

Dico primò. Non oportet accidens indiuiduari propriè per subiectum, ita vt certum singulare accidens constituatur per certum singulare subiectum: & specialiter accidens materiale non indiuiduatur propriè per quantitatẽ aut materiam. Hæc conclusio est de mente Scoti & aliorum negantium, quantitatẽ, seu materiam signatam, esse principium indiuiduationis.

Probatur primò. Quia vel intelligeretur indiuiduari per subiectum formaliter & intrinsecè, ita vt accidens quatenus singulare formaliter includeret subiectũ tanquam differentiam contrahentem naturam specificam accidentis: vel tantùm concomitàter & veluti terminatiuè, quia hoc accidens constituatur per ordinem ad hoc subiectum. Primum nec dici nec cogitari potest. Quia accidẽs, & hoc singulare accidẽs, v.g. hæc albedo, distinguitur essentialiter & realiter à subiecto, tàm a quantitate, quàm à materia: non est aggregatũ quoddam ex qualitate & quãtitate aut materia: per se ponitur in suo prædicamento, etiam quatenus singulare & indiuiduum: nulloquè modo fingi potest, in hac albedine solùm esse naturam specificam albedinis, & quantitatem atque materiam illi coniunctam, sed non potest non intelligi talis albedo esse in

se.

se intrinsecè hæc & singularis intra suam speciem. Si dicatur secundùm: quærendum est, quidnam sit ille ordo huius albedinis ad hoc subiectum. Hæc erit vtique differentia indiuidualis intrinseca huic albedini. Igitur fateri oportet, albedinem formaliter & propriè indiuiduari per suam propriam differentiam.

Imo respicit indifferēter omne subiectum.

Secundò vlterius potest intelligi optimè, omne singulare accidens quantùm est de se, æquè indifferenter respicere quodcunquè subiectum in specie sua proportionatum: & hanc albedinem non plus petere inesse huic quàm illi portioni materiæ & quantitatis. Nam tota materia, totaquè quantitas, est prorsus similis & homogenea. Et simul cum hoc optimè intelligi poterit, plures albedines distingui numero per se ipsas; quia vna est hæc, alia est illa, & qualibet est certa quædam singularis in se: sicut hæc & illa materia, hæc & illa quantitas, distinguuntur. Ergo non est cur dicatur accidens indiuiduari per ordinem ad certum subiectum.

Et separatum à subiecto, adhuc esset singulare.

Tertiò, potest Deus aliquod accidens, aliquam albedinem, vel ab initio creare absque subiecto & quantitate, vel modò separare & per se conseruare. Tunc omnino talis albedo esset singularis & indiuidua; quia prorsus repugnat, existere naturam à parte rei non indiuiduam: & nihil absurdius dici potest, quam talem albedinem in eo casu euadere vniuersalem, & realiter existere separatā ab omnibus singularibus. Neque credibile est, S. Thom. voluisse oppositum asserere: quē propterea infra explicare conabimur. Deinde posset Deus, non solùm vnam, sed plures albedines hoc modo à subiecto separare. Quæ etiam tunc remanerent distinctæ. Non enim deberent fieri vna per continuationem. Neque possent fieri vna per omnimodam identitatem entitatiuam: quia prorsus implicat, duas res prius distinctas, hoc modo in vnam confundi. Nec etiam credibile est, S.Thom. oppositum docuisse. Patet igitur accidens non indiuiduari per subiectum.

Nec exigeret certū numero subiectū.

Fateor, quòd dicere quis posset, accidens separatum remanere indiuiduum per ordinem ad certum suum subiectum; & plura separata, posse esse distincta per ordinem ad sua distincta subiecta: & sic indiuiduari per ordinem ad subiectum. Sed hoc neque S. Thom. ipse dixit. Et sine fundamento diceretur. Et præterea negari non potest, posse rursus fieri; vt illa albedo quæ abstracta erat ab hoc subiecto, reponeretur in alio; & quæ erat in alio, reponeretur in hoc. Vbi æquè connaturaliter vnaquæquè albedo esset in hoc aut illo subiecto, tribuens suum effectum formalem. Non oportet ergo accidens indiuiduari per subiectum.

Et possunt esse distincta numero accidētia in eodem subiecto.

Quartò, negandum etiam non est, posse plura accidentia solo numero diuersa saltem successiuè esse in eodem subiecto. Sic aqua sępius frigescit et incalescit, aer illuminatur, & alia innumera: & non est idem numero accidens quod redit. Non ergo accidens indiuiduatur per certum subiectum, siue per ordinem ad tale subiectum. quia alioqui nec etiam successiuè plura accidentia possent in eodem subiecto distingui. Et si quis dicat, distingui per diuersitatem aliarum circunstantiarum, saltem temporis. Iam non indiuiduantur per subiectum. Nec etiam per alias circunstantias dici possunt indiuiduari intrinsecè. Et frustra diceretur indiuiduari per ordinem ad tales circunstantias, siue per exigentiam illarum. quia & hoc sine vtilitate & sine fundamento diceretur. Imo videtur æquè benè, hoc accidens, hæc albedo, in hoc vel illo tēpore, produci & existere posse De qua re plura in Philosophia dicemus. Sed præstabit dicere, vnumquodquè accidens in se indiuiduari per propriam differentiam & singularitatem, qua fiat hoc distinctum ab omnibus alijs.

Quintò. An possint etiam simul esse plura accidentia solo numero diuersa in eodem subiecto, est alia quæstio, quæ nō solùm dependet ex hoc, sed ex alijs etiā principijs: ideoque in Philosophia examinanda erit. Modò satis sit dicere, ex hac parte non repugnare, quominus saltē à Deo possint poni plura accidētia solò numero diuersa in eodē subiecto, sine prçiudicio indiuiduationis & distinctionis eorum: quia benè possent intelligi hoc & hoc accidens per proprias differentias in vno eodemquè subiecto, illa videlicet accidentia quæ possent intelligi saltem successiuè distincta.

Cæte-

Quædam accidentia, & modi, fortasse individuantur per ordinẽ ad certũ subiectũ.

Cęterùm fortasse de quibusdam peculiaribus generibus accidentium non absurdè dici posset, indiuiduari per ordinem ad subiectum: de accidentibus videlicet inseparabilibus, & quæ sunt propriæ passiones. Nã si dicamus, potentias animæ v. g. ita se habere, vt hic numero intellectus, hæc numero voluntas, non nisi huic animæ possit inesse: & huic animæ, non alius intellectus, aliane voluntas, possit inesse. Sic de his defendi posset optimè, indiuiduari per ordinem ad subiectum. Similiter idem dici posset de quibusdam modis substantialibus, & intimis ipsarũ rerũ: v. g. de modo vnionis inter hanc animam & hoc corpus, de modo existentiæ aut subsistantiæ huius naturæ. Sed neque hoc satis in omnibus probari potest. Neque est necessarium ad declarandam indiuiduationem. Ideoque in vniuersum dicebamus, non oportere accidentia per subiectum, siue per ordinem ad illud, indiuiduari.

Ex multitudine subiectorum, accidentia habẽt posse multiplicari.

Dico secundò. Aliquo modo saluari potest, accidentia indiuiduari, idest multiplicari numero, ratione subiecti: et specialiter accidentia materialia ratione quantitatis & materiæ. Declaratur & probatur facilè, sicut antea explicauimus, materiam capacem quantitatis esse causam multiplicationis indiuiduorum. Nam ex eo quod sint plura subiecta similia, & apta recipere aliquam speciem accidentium, dependet multiplicabilitas accidentium intra talem speciem. Quoniam si non possent esse plura huiusmodi subiecta, nec etiam oportebat esse plura accidentia eiusdem speciei numero differentia. Et hoc valet tàm in rebus spiritualibus quàm materialibus. Et proriè ad hoc vt simul sint plura accidentia: alioqui vnicum subiectum satis esset, vt saltem successiuè esse possent plura accidentia indiuidua in eodem. Non autem valet ad hoc, vt debeant singula quæque accidentia respicere certum singulare subiectum. quia non oportet vt hoc accidens determinet sibi hoc subiectũ, & sic de singulis: sed benè possunt singula esse indifferentia ad omnia subiecta suæ speciei proportionatã, vt dicebamus.

Ex quantitate habent accidentia materialia vnitatem vel distinctionẽ continuatiuam.

Præter hoc, specialiter accidentia materialia à quantitate habent vnitatem continuatiuam, quòd hæc albedo sit vna continua; vel distinctionem oppositam, quòd hæc & illa albedo discõtinuæ sint; iuxta id quod de materiali ipsa substantia supra diximus. Habent etiam, vt videntes nos hæc accidẽtia in distinctis subiectis cognoscamus distinctionem numeralem eorum.

Explicatur S. Thomas.

Iuxta hæc fortasse poterit intelligi Sãctus Thomas, quando dixit accidentia indiuiduari per subiectum. Et quando dixit, albedinẽ separatam non posse esse indiuiduam; planè dixit, non posse esse hanc sensibilem, idest hanc demonstrabilem & signabilem, quæ sensu discerni possit. Sed esse quandam formam intelligibilem, ad modum formarum quas Plato posuit: non dixit, fore vniuersalem, sed intelligibilem ad differẽtiam rei sensibilis; & in hoc eã assimilauit idæis Platonis. Vnde non negauit, albedinem separatam fore indiuiduam & singularem entitatiuè: nec oppositum erat imaginabile. Similiter dixit, non posse esse plures albedines separatas distinctas, idest distinctas sensibiliter & quantitatiuè. De quantitate autem, diciquidẽ poterit, intantùm esse possibilem in magna copia, inquantùm est possibilis materia in qua recipiatur, & in hoc depẽdere à materia: tamen diuisibilitatem, & propriè extensionem, in qua res modò continuari, modò seiungi possunt, quantitas ex se habet, & ipsa communicat in genere causæ formalis, tàm substantiæ, quàm accidentibus materialibus. Habet etiam quantitas per se, & ratione sui intrinseci situs, vt etiam si sit sine subiecto, possit esse sensibiliter indiuidua & distincta ab alia quantitate: sicut videmus in pluribus hostijs consecratis.

Demum ex eo quod diximus, multitudinem numericã accidentiũ simul actualiter existentium fundari in multitudine subiectorum, benè sequitur saltem naturaliter non posse esse simul plura accidẽtia solo numero diuersa in eodem subiecto: quia non est, ad quid vel vnde talia accidentia multiplicentur. Imo hoc verũ est, non solùm de alijs accidentibus, sed etiam de ipsa quantitate, quæ alioqui dicebatur, non per subiectum, sed per proprium situm indiuiduari. Nam non possunt esse simul in eadẽ materia duæ quantitates. Itaque quod non possint esse simul in ea-

in eadem materia duæ quantitates. Itaque quòd non possint esse plura accidentia solo numero diuersa simul in eodem subiecto, non prouenit specialiter ex eo quòd singula indiuiduentur per ordinem ad certum subiectum: sed quia vagè & in confuso valet dicere, quia sunt plura subiecta posse esse plura accidentia in illis. Si tamen aliqua accidentia dicantur solo numero differre, sed non sint prorsus similia, sed differant etiam ex parte termini, alioue modo, vt duæ visiones, duæ species visiuæ duorum colorum; hæc poterunt optimè esse simul. De qua re, quia vt diximus dependet ex alijs principijs philosophicis, alibi plenius differemus.

SECTIO IX.

Vtrum Singulare in omnibus tãdem rebus indiuiduetur per differentiam positiuam intrinsecam.

NEgasse videntur omnes Auctores qui alijs modis conati sunt indiuiduationem singularium explicare. Et præsertim Thomistæ impugnare solent sententiam Scoti, qui dixit principium indiuiduationis esse differentiam intrinsecam singulari, quam vocauit hæcceitatem.

Affirmat Scot. Affirmant Scotus in 2. d. 3. q. 6. & sequaces ibidem, & latè defendit Rada Tomo 2. Controu. 3. art. 4. Sequuntur item Fonf. 5. Metaph. cap. 6. q. 5. Suar. disp. 5. sect. 2. & alij recentiores frequenter. Imo in re eidem sententiæ videntur adhærere Thomistæ: quorũ aliqui distinxerũt in indiuiduo vnitatem entitatiuam & quantitatiuã: aliqui apertè dixerunt, singulare indiuiduari per ordinem ad aliquid à se distinctum, fatentes talem ordinẽ esse differentiam intrinsecam indiuiduationis. Et expressè Caiet. de Ente & Essent. q. 5. pũto 4. ad finem, admittit differentiam indiuiduantem, quam tamen contendit à materia signata desumi: & in hoc ait se dissentire à Scoto, quamuis supra absolutè impugnasset sententiã Scoti de hecceitate. Item 1. par. q. 85. art. 7. §. ad hæc argumenta, concedit dari differentiam indiuiduantem ita intrinsecam rei singularis, sicut est differentia specifica speciei.

Fauet Sãctus Thomas. Fauet insuper S. Thom. 1. par. q. 29. artic. 1. quando dixit substantiam indiuiduari per se ipsam. Non enim negare prorsus voluit omne principium indiuiduationis: sed docere voluit substantiam indiuiduari per differentiam suam substãtialem intrinsecam. In omnibus etiam locis in quibus S. Thom. docet, vniuersale abstrahi à singularibus, & contrahi per differentias, planè supponebat dari has differentias indiuiduantes. Præterea Fonf. q. cit. sect. 1. ad finem ait, dubitari non debere, hanc fuisse sententiam Arist. atque adeò D. Thomæ de principio indiuiduationis rerum omnium præter quàm substantiarum separatarum.

Per differentiã intrinsecam optimè explicatur indiuiduatio singulariũ. Cum hac sententia asserendum est, non aliter assignandum esse, quomodo singulare indiuiduetur, & quodnam sit indiuiduationis proximum formaleque principium, nisi vno eodemque modo de omnibus rebus dicendo, omne singulare indiuiduari per differentiam positiuam sibi intrinsecam, quæ ipsum constituat in esse talis indiuidui, & ab omni alio distinguat. Hæc assertio primò ex dictis planè deducitur: quia probatum est per singulas aliorum opiniones, non posse alio modo indiuiduationis principium assignari. Et quando ab initio ostensum est debere assignari, per quid formaliter singulare indiuiduetur, & natura specifica ad singula quæque indiuidua contrahatur: non nisi de huiusmodi differentia indiuiduante id conuincebatur.

In omnibus rebus, etiam in substãtijs separatis. Secundò, hic est modus communis & adæquatus pro omnibus rebus, ita vt non oporteat in varijs rerũ generibus varijs modis indiuiduationis principium assignare. Et præsertim verificatur, non tantùm pro rebus materialibus, sed etiam pro rebus spiritualibus & substantijs separatis. Nam cùm omnis substantia spiritualis sit vtique in se indiuidua & singularis, non potest illi proprium indiuiduationis principium denegari. Quod si S. Thom. dixit, in substantijs spiritualibus naturam specificã esse per se ipsam in singulis Angelis indiuiduam, non propterea indiuiduationis principium denegauit. Imo sic dicendo assignauit eandem ipsam differentiam specificam, quæ simul esset indiuidualis: solumque voluit, non posse intra eandem differentiam & natu-

naturam ſpecificam plura indiuidua per plures alias differentias diſtingui, ſicut in rebus materialibus.

Differentia indiuidualis cōſtituit ſingulare, & diſtinguit ab alijs.

Tertiò. Vt explicetur magis quid & quæ ſit iſta differentia indiuidualis, dicebamus hanc eſſe quæ conſtituit indiuiduum in proprio eſſe indiuiduali, & diſtinguit ab alijs indiuiduis. Sicut enim differentia ſpecifica eſt, quæ conſtituit ſpeciem in propria natura, & diſtinguit ab alijs ſpeciebus ſub eodem genere contentis: ita ſe habet differentia indiuidualis in conſtituendis & diſtinguendis indiuiduis, quæ in natura ſpecifica conueniebant. Differentia item indiuidualis eſt vltimus gradus in coordinatione rerum. Eſt vltima ratio indiuiſibilitatis & incommunicabilitatatis: quia quicquid eſt ſupra indiuidua, eſt communicabile multis, eſt diuiſibile in plura ſe ipſa, & ita eſt vniuerſale: differentia autem indiuidualis eſt quæ vltimò determinat omnes gradus ſuperiores, ſiſtens & terminans totam communicabilitatem eorum. Differentia demum indiuidualis in vnoquoque indiuiduo propria eius ſingularitas dici debet. Quæ etiam more philoſophico non ineptè à Scoto hæcceitas appellata eſt: quia per illam ſingulare fit hoc certum determinatum. Et, vt in ſingulis quibuſque indiuiduis propria ſingularitas proprio nomine denotetur, dicitur de Petro Petreitas, & ſic de alijs.

Differentia indiuidualis, num dici poſſit formalis & eſſentialis.

In contrarium Obijcies primò, id quod Scotus appellauit fundamentum ſententiæ oppoſitæ. Si datur hæc differentia indiuidualis, ſe habet tanquam forma indiuidui: ergo diſtinctio vnius indiuidui ab alio eſt diſtinctio formalis: ergo ſpecifica. Vel ſic poteſt difficultas vrgeri magis. Hæc differentia eſt intrinſeca indiuiduo: ergo eſt illi eſſentialis & quidditatiua: igitur facit illud eſsētialiter & quidditatiuè ab alijs differre. Quod planè repugnat.

Reſpondetur. Hanc differentiam in quodam ſenſu dici poſſe ſe habere tanquam formam, quatenus vltimò conſtituit indiuiduum, & determinat naturam ſpecificam. In alio ſenſu imitari materiam, quatenus vltimò ſubijcit indiuiduum omnibus ſuperioribus prædicatis, facitque indiuiduum vltimò incommunicabile. Vnde pariter diſtinctio ab hac differentia proueniens, licèt dici poſſit in quodam ſenſu formalis: tamen potius dici ſolet materialis; atque magis propriè dici debet numeralis & indiuidualis. Tunc autem diſtinctio formalis eſt ſpecifica, quando habetur per gradum qui poteſt adhuc alijs ſub ſe pluribus communicari: qualis eſt differentia ſpecifica, non autem indiuidualis.

Similiter dicendum, ſi eſſentia & quidditas rei ſumatur pro tota entitate intrinſeca, includendo omnem gradum: ſic dici poſſe indiuidua differre eſſentialiter & quidditatiuè ex parte differentiæ indiuidualis ſibi intrinſecæ. quod non eſſet differre ſpecie, ſed numero: nec eſt contra conuenientiam quam habent indiuidua in ſua ſpecie. Alio tamen modo in communi vſu loquendi quidditas & eſſentia ſumitur pro natura rei quaſi condiſtincta ab indiuiduatione. In hoc ſenſu differentia indiuidualis non dicetur eſſentialis & quidditatiua. Et reddi poteſt ratio huius modi loquendi: quia eſſentia & quidditas rei appellatur illa, per quam reſpondetur ad quæſtionem Quid eſt: ad quam ſolet reſponderi, aſſignando naturam ſpecificam rei. Per differentiam verò indiuidualem reſponderi ſolet ad quæſtionem Quis eſt. Nam ſi quæratur, quid eſt ille: reſpondebitur, eſt animal rationale. Tunc autem reſpondebitur, eſt Petrus: quando quæritur, quis eſt ille.

Quomodo ſpecies ſit totum eſſe indiuiduorum.

Obijcies ſecundò. Si datur hæc differentia indiuidualis, ſequitur quòd ſpecies non ſit totum eſſe indiuiduorum: quod eſt contra Porphyrium cap. de Specie & cap. vlt. Item ſequitur indiuiduum poſſe definiri: contra Ariſtot. 7. Metaph. textu 53. Poſſe etiam de indiuiduo dari ſcientiam & demonſtrationem: contra eundem ibidem & primo Poſter.

Reſpondetur, Porphyriū ad ſummum voluiſſe, ſpeciem eſſe totum eſſe eſſentiale & quidditatiuum indiuiduorum modo nunc explicato. Vel potius ſolùm voluit, ſpeciem eſſe totum potentiale reſpectu indiuiduorum. Et pariter ait, genus eſſe totum, ſcilicet potentiale, reſpectu ſpecierum. Item Ariſtot.

 ad ſum-

An de indiuiduo possit definitio ac demõstratio fieri.

ad summum voluisse, indiuiduum non posse definiri alia definitione explicante essentiam & quidditatem in sensu supradicto, nisi tantùm definitione speciei. Similiter de indiuiduo dari, non scientiam & demonstrationem propriam, quasi de aliqua propria passione, sed tantùm de passionibus communibus speciei. Quia, vt notauit Scot. quæstione citata §. Et per hoc, in fine, indiuiduum non habet aliquam passionem propriam, sed tantùm speciei. Vel non posse de indiuiduo confici definitionem aut demonstrationem, sumendo indiuiduum quatenus actualiter existens, & quoad accidentalia prædicata. Fundamentum enim Aristotelis fuit, quia indiuidua sunt corruptibilia, de qua re plura suo loco dicemus.

Singularitas, non præsupponit, sed facit naturam esse singularem.

Obijcies tertio ex Caietano. Omnis actus singularis præexigit potentiam singularem quam actuat: ergo hecceitas, si datur, præexigit potentiam singularem. Sed illa potentia est natura indiuidui: ergo natura indiuidui est singularis ante hæcceitatem. Non ergo hæcceitas est indiuiduationis principium. Maiorem, in qua est difficultas, probat Caietanus auctoritate eiusdem Scoti. Et præterea Aristotelis secundo Physic. tex. 38. Et confirmat: quia si hoc verificatur, quando actus & potētia realiter distinguuntur: debet etiam verificari, quando non realiter distinguuntur, quia adhuc debent eundem seruare ordinem.

Respondetur. Omnem actum singularem, vel præexigere, vel constituere potentiam siue naturam singularem. Et quidem actus singularis, qui est ipsamet singularitas, non potest præexigere nec præsupponere; sed primò constituit naturam singularem. Omnis autem alius actus singularis, iam præsupponet potentiam seu naturam singularem. Et hoc solum est quod voluit Scot. Aristoteles etiam tantùm dixit, causas esse singulares effectuum singularium: & loquutus est de causis & effectibus realiter distinctis, quod non facit ad rem. Quando autem actus distinguitur realiter à potentia; omninò præsupponit illam esse singularem: quia iam non illam constituit.

Non præ-

Obijcies quartò ex eodem. Quod conuenit vni indiuiduo, & repugnat alteri eiusdem speciei, præexigit necessariò ipsorum distinctionem: sed differentia indiuidualis, si datur, v. g. Sorteitas, conuenit Sorti, & repugnat Platoni: ergo præexigit distinctionem Sortis à Platone. Igitur differentia indiuidualis non est quæ primò distinguit indiuidua: ergo non datur. Maiorem, in qua est difficultas, probat Caietanus auctorit. Scoti quodl. 2. vbi illam propositionem in terminis posuit.

supponit, sed facit distinctionem indiuiduorũ.

Respondetur. Illud quod ita conuenit vni indiuiduo, & repugnat alteri, quòd sit prima ratio constitutiua indiuidui, nullo modo potest præsupponere distinctionem indiuiduorum. At post constituta indiuidua, quicquid superuenit, præsupponit distinctionem eorum. Et hoc solùm est quod voluit ibi Scotus §. prima ratio, versiculo tunc arguo, loquens de aptitudine animæ ad corpus, quam ait non esse primam rationem constitutiuam animæ.

In composito ex materia & forma triplex est.

Obijcies quintò ex Soncin. 7. Metaph. quæst. 32. Si omnes res indiuiduantur per suam hæcceitatem: sequitur in composito physico esse tres hæcceitates, videlicet materiæ, formæ, & ipsius compositi; atque adeò esse tria indiuidua. Quod probat Sonc. esse absurdum: quia pariter sequeretur, in composito esse plures existentias: sequeretur etiam formam vniri materiæ mediante aliqua realitate, scilicet hæcceitate formæ: & præterea materiam etiam separatam ab omni forma, esse in actu formali, quia sua hæcceitas est illi actus formalis.

Respondetur, vtique in composito esse duas hæcceitates partiales, alteram materiæ, alteram formæ. Quod est necessariò concedendum. Esse etiam in composito hæcceitatem totalem ipsius. Hanc Fonseca quæstione citata sectione 3. ad 5. obiect. vult esse distinctam à duabus prædictis etiam simul sumptis. Sed satis est dicere, hæcceitatem compositi non esse aliam, quàm hæcceitates materiæ & formæ simul sumptas. Et hinc vlterius concedendum est, in composito esse duo indiuidua partialia, idest duas partes indiuiduas, & vnum totale quod est ipsum compositum. Neque etiam absurdum est, quod vlterius inferebant de exi-

de existentia. Nec necessariò infertur: quia hæcceitas se tenet ex parte essentiæ, præscindens ab existentia. Non etiã absurdũ est, formã vniri materiæ mediãte sua hæcceitate, quod idem est, ac mediante se ipsa singulari, quia non nisi forma singularis potest vniri materiæ. Demum non sequitur, materiam separatam habere actum formalem, sumendo actum formalem pro forma substantiali. Et absurdum non est, habere actum formalem, si sumatur pro quocunque actu determinante & actuante materiam.

In rebus continuis vel diuisis semper est eadẽ.

Objicies præterea sextò. Si dantur hæ differentiæ indiuiduales, sequeretur; quando partes aquæ diuiduntur, de nouo acquirere suas certas differentias; & quando rursus vniuntur, amittere. Sequela probatur: quia partes aquæ diuisæ distinguuntur, vnitę sunt vna aqua. Consequens est contra doctrinam traditam: quia dicebamus differentias indiuiduantes esse intrinsecas rebus.

Respondetur. Partes aquæ, siue vnitas, siue diuisas, semper seruare suam vnitatem & distinctionem entitatiuam, & sic etiam suas differentias indiuiduantes: mutare autem vnitatem & distinctionem quantitatiuam, quam dicebamus haberi per quantitatem. Itaque in partibus aquę diuisis, valebit dicere hęcceitatem vnius esse diuisam ab hæcceitate alterius: & in partibus vnitis esse vnitam. Et sicut hæc aqua, siue diuisa, siue vnita cum illa, semper est in se vna & eadem entitatiuè; vna & eadem cum se ipsa: ita semper permanet in se vna & eadem hęcceitas intrinseca talis aquę: nec potest aliter de nouo produci, aut amitti; nisi dum producitur, aut destruitur talis aqua.

Alia demum argumenta congeri possent: quæ ex dictis facillimè solui poterunt. Alia sunt quæ petunt distinctionem & connexionem differentiæ indiuiduantis cum natura, de qua re modò sequitur disputandum.

SECTIO X.

Vtrum Differentia indiuidualis à parte rei à natura indiuidui distinguatur.

Scotus affirmat.

Scotus, dum suam differentiam indiuiduantem præter naturam indiuidui assignauit, voluisse videtur, hanc differentiam esse à parte rei á natura distinctam: non quidem realiter, tanquam rem à re: sed formaliter, tanquam vnam formalitatem seu realitatem ab alia. Et hanc distinctionem formalem esse à parte rei antecedenter ad omnem operationem rationis. Ita philosophatur in 2. d. 3. quæst. 1. & in Quodl. quæst. 2. & 7. Metaph. quæst. 16. Atque in hoc sensu Scoti sententiam intelligunt & sequuntur Scotistæ circa eadem loca, & Rada tomo secundo Controuersia tertia articulo quarto conclusione nona; & renaciter amplectitur Fonseca septimo Metaph. cap. 12. quæst. vnica sectione 11. & sequentibus.

Resolutio negatiua.

Dicendum tamen est, differentiam indiuidualem non distingui actu à parte rei à natura indiuidui: sed naturam & singularitatem indiuidui esse prorsus idem a parte rei. Hæc assertio est aliorum Doctorum communis. Et probatur clarè.

Quia natura à parte rei in se est singularis.

Primò. Si differẽtia indiuidualis à parte rei distinguitur á natura, ipsa natura quatenus sic distincta est adhuc realiter singularis. Ergo nullatenus dicendũ est, singularitatem esse a parte rei a natura distinctam. Assumptum probatur. Quicquid realiter existit, si sumatur præcisè quatenus ab omni alia entitate reali distinctum, necessariò est singulare. Nec enim fieri aut intelligi potest, rem in sua entitate, in qua existit a parte rei, ab omni alia entitate distinctam, non esse singularem: vt ex dictis ab initio manifeste deducitur. Ergo iam frustra & falsò supra talem naturam indiuidualis differentia superadditur. Quinimo ex ipsis terminis planè repugnat, naturam quatenus a singularitate distinctam esse adhuc singularem.

Secundò. In quolibet indiuiduo, in quo natura & singularitas esse dicuntur, non solùm singularis est ipsa singularitas; sed etiam ipsa natura: illa inquam entitas naturæ, quæ realiter est in indiuiduo, & á singularitate dicitur esse distincta. Sed hæc entitas vt sic à singulari ate distincta dici non potest esse singularis per ipsam differentiam, à qua distinguitur: & omninò dici debet esse singularis per suam intrinsecam entitatem. Ergo ad nihil amplius illi deseruiet, sed impossibilis prorsus erit, illa alia singularitas à natura distincta.

Est etiam incõmunicabilis et indiuisibilis.

Tertiò. Natura indiuidui, quatenus à parte rei à singularitate distincta, dici non potest esse communicabilis & diuisibilis in plura, sed omnino dici debet incommunicabilis & indiuisibilis: ergo vt sic haberet vnitatem indiuidualem: non ergo indiget alia singularitate distincta. Probatur assumptum: quia vtique natura humana, quæ est in Petro, non potest in plures homines dispertiri: non solùm inquam singularitas Petri, sed humanitas Petri etiam si dicatur à singularitate distingui. Entitas ipsius naturæ, quatenus in se sola, & ab omni entitate ac realitate distincta, est verè icommunicabilis & indiuisibilis in plura: ergo per se habet vnitatem indiuidualem.

Est distincta ab omni aliena natura.

Quartò. Natura cuiuscunque indiuidui secundùm propriam entitatem, non est à parte rei eadem cum natura alterius indiuidui, sed realiter ab omni alia natura distinguitur: ergo etiam secundùm propriam entitatem habet distinctionem indiuidualem ab omni alio indiuiduo, quæ distinctio vltimò complet vnitatem. Ergo vlterius natura non indiget alia singularitate distincta, qua vnum indiuiduum ab alio distinguatur. Assumptum probatur: quia verè natura quæ est in Petro, non est realiter illa natura quæ est in Paulo, & sic de singulis indiuiduis: non solùm inquam singularitas quæ est in Petro: sed maximè entitas naturæ quæ est in Petro. Et illa entitas quæ dicebatur à singularitate distingui, alia vtique est in Petro, alia in Paulo. Ergo præter ipsas naturas sic distinctas, nullæ aliæ singularitates excogitandæ sunt.

Attingit ex parte hoc argumentum Rada. Et, vt respondeat, concedit quod negare non poterat, duas illas naturas, vt præcisas à singularitatibus, esse inter se realiter distinctas. Negat tamen inde sequi, esse indiuiduas & singulares, differreque numero. Sed inquit, illas naturas vt sic, nec numero, nec specie distingui. sicut natura ipsa & singularitas, genus & differentia distinguuntur, & tamen nec numero nec specie.

Et ideò nō indiget alia singularitate.

Verùm illæ naturæ planè realiter distinguuntur. Nam sunt realiter separatæ, & vna sine alia existere potest: ergo negari non potest in se numero distingui. Præterea si distinguuntur: ergo valet dicere, hæc & illa natura: igitur sunt singulares & indiuiduæ. Demum distinctio, quocunque nomine appelletur, inter duas illas naturas, nō habetur ex vi naturæ humanæ in specie sumptæ, sed diuisæ in plura atque contractæ: igitur illæ naturæ, in eo ipso formaliter in quo distinctæ sunt atque diuisæ, sunt singulares & indiuiduæ. Vnde dicemus, nihil aliud esse in Petro, quàm illam naturam humanam, quæ etiam vt à singularitate præcisa, concedebatur à natura Pauli distingui: nullamque aliam singularitatem esse fingendam.

Denique à fortiori ex resolutione & rationibus afferendis sectione sequenti, præsens assertio multò efficacius confirmata manebit. Et rursus ex dicendis quæst. 13. circa distinctionem differentiæ à natura generis.

Contra hanc verò doctrinam non aliud ferè est argumentum pro opposita sententia: nisi quæ generatim afferuntur ad probandam distinctionem formalem ex natura rei inter gradus entitatiuos rerum, inter naturas quæ contrahuntur, & differentias contrahentes. Quæ tamen nihil probant: & quæst. 13. soluenda sunt.

Quomodo Arist. dixit quidditatē rei distingui à re.

Obijci nunc specialiter possunt quædam Aristotelis loca: quæ, cùm Scotus in secundo distinctione tertia quæstione quinta, adduxisset pro materia signata, ipse quæst. 6. §. ad quæst. quintam, retorquet pro sua sententia de distinctione differentiæ indiuiduantis à natura.

Loca

Loca Aristotelis sunt. septimo Metaphys. textu 41. vbi ait, quidditatem esse idem cum re cuius est quidditas in primis substantijs, & explicat primas substantias quæ non constant ex materia & forma: in ijs verò quæ sunt cum materia docet, quidditatem non esse idem cum re cuius est quidditas. Simile quid repetit 8. Metaph. textu octauo dicens: *Anima & esse animæ idem est: homini verò & homo non idem*. Et tertio de Anima textu nono: *Aliud est magnitudo & magnitudinis esse, aqua & aquæ esse, & sic in multis alijs. sed non in omnibus, quia in quibusdam idem est*. Ex his locis Thomistæ colligunt, distingui rem singularem à sua natura rône materiæ signatæ per quam dicit indiuiduari. Scot. verò, per materiã intelligens differentiam indiuiduantem, sic exponit: in rebus sine materia, idest consideratis abstractè à differentijs indiuiduantibus, idem est quidditas cum sua re, humanitas cum homine: in rebus autem cum materia, idest in rebus indiuiduis, est aliud, propter distinctionem naturæ & differentiæ indiuiduantis.

Verùm pro neutra parte hæc Aristotelis loca vim habent. Et quia obscura sunt, varijs alijs modis possunt & solent exponi. Aliqui exponunt, Aristot. voluisse in rebus materialibus distingui suppositum à natura, non autem in rebus spiritualibus. Hæc expositio rem trahit ad aliam quæstionem de distinctione suppositi à natura. Est tamen ab Aristotele & a veritate aliena. Quia Aristot. nè cogitare quidem potuit de distinctione suppositi a natura, quæ solùm ex mysterio Incarnationis cognita à Theologis est. Et præterea in rei veritate dici debet, tàm in substantijs spiritualibus quàm materialibus distingui suppositum à natura.

Non intellexit de distinctione naturæ à supposito.

Alij exponunt, Aristot. esse loquutum de ente per se, & ente per accidens: atque dixisse, quidditatem esse idem cum ente per se, non cum ente per accidens: humanitatem esse idem cum homine, non cum homine albo aut musico. Et ita accomodant verba Aristot. in 7. Metaph. fauetquè quod ipse dixerat textu 20. & 21. vbi id planè docuerat. & rursus fauet quod subdit textu 41. commemorans illa quæ tantum secundùm accidens sunt vnum.

Sed uel de distinctione quidditatis ab ente per accidens.

Alij exponunt, Aristot. per quidditatem intellexisse formam rei, & in rebus spiritualibus formam esse ipsam simplicem essentiam, in substantijs materialibus esse illam quæ informat materiam & constituit compositum: Sicquè in substantijs materialibus quidditatem distingui à re, in spiritualibus non distingui. Fauet ipse Aristot. qui non solùm alijs in locis, quinto Metaphysic. textu 3. lib. 7. textu 35. & 39. & alibi, formam quæ à materia distinguitur appellat quidditatem & substantiam rei: sed etiam ibi tex. 21. & 40. ait, substantiam, idest quidditatem compositi, esse formam, hominis esse animam; & materiam non includi in ipsa substantia, sed simul cum substantia includi in toto composito. Et iuxta hunc locum facilè exponentur etiam alia duo loca allegata.

Vel forma à composito.

Iuxta has verò expositiones, loca Arist. nihil faciunt contra nos, nec pro materia signata, nec pro distinctione differentiæ indiuiduantis a natura: quia nec de indiuiduis, nec de indiuiduatione loquuntur.

Sed tandem, etiam si illa loca explicare velimus pro indiuiduatione rerum possumus explicare, tam pro materia signata, quam pro differentia indiuiduante, iuxta doctrinam traditam. Pro materia signata dicendo, in rebus materialibus distingui naturam ab indiuiduo sumpto quoad vnitatem, non quidem solùm entitatiuam, sed quantitatiuam. Pro differentia indiuiduante dicendo, quidditatem esse simpliciter idem cum re, abstrahendo a materia, idest ab ipsa differentia indiuiduante, vt volebat Scotus; humanitatem cum homine: sed non esse ita omnino idem cum re in materia, idest indiuidua & singulari, hominẽ ab hoc homine: non quia differentia indiuidualis debeat à parte rei à natura distingui: sed quia aliquo modo ratione distinguenda est. Nec etiam dici debet perfecta rationis præcisione distingui, sed saltem imperfecta, vt modo disputandum est.

Aut tandem de distinctione aliqua naturæ ab indiuiduo.

SECTIO XI.

Vtrum Differentia indiuidualis perfecta præcisione rationis à natura indiuidui distinguatur.

Sententia affirmatiua.

Inter Auctores qui rerum indiuiduationem per indiuiduales differentias explicabant, alij quibus non placuit distinctio formalis à parte rei, volunt differentiam indiuiduantem, saltem per intellectum cum fundamento in re, perfecta præcisione rationis, à natura distingui. Ita quòd natura & singularitas indiuidui dici debeant, à parte rei distingui fundamentaliter & virtualiter, per intellectum verò actualiter formaliter. Et singularitas non includat in suo conceptu præciso naturā, neque natura inuoluat differentias indiuiduantes. Hanc sententiam tradit atque defendit Suarez disp. 5. Metaph. sect. 2.

Resolutio negatiua.

Verùm re benè perspecta atque considerata, dicendum videtur, differentiam indiuidualem, nec etiam per intellectum perfecta rationis præcisione, à natura distingui, quasi nec explicitè, nec implicitè, singularitas naturam, & natura singluaritates includat. Pro hac conclusione faciunt omnes illi, qui supra sectione secunda non aliud indiuiduationis principium assignare volebāt præter ipsas res singulares & indiuiduas. Nam præcipuè volebant, non esse necessarium aliquod indiuiduationis principium ab indiuidui natura distinctum. Facit etiam Aristot. 4. Metaphys. textu 3. dicens: *Idem enim vnus homo, & ens homo, ac homo. Et non significat diuersum aliquid secundùm dictionem repetitam, idest homo & homo & vnus homo.* Per quod planè significat, nihil plus denotari, nec quicquam distinctum addi, dicendo homo & homo singularis, humanitas & humanitas singularis.

Fundamentum sumitur ex ipsamet differentia indiuiduante.

Probatur concl. primò. Si differentia indiuidualis perfecta rationis præcisione à natura distinguitur, sumantur & considerentur plures hæcceitates constituentes & distinguentes plura indiuidua: hæ singularitates etiam inter se conueniunt in conceptu communi singularitatis: & distinguuntur, quia vna est hæc, alia illa. Petendum est ergo, per quid determinetur singularitas in communi ad hāc & illam, per quid hæc & illa singularitas distinguantur. Vel per alias differentias pariter perfectè præcisas à singularitate in communi. Vel non. Si dicatur primum: redibit rursus idem argumentū de his alijs differentijs. Nam pariter inter se conuenire atq distingui inuenientur. Et sic daretur processus in infinitum. quod nullo modo est admittendum. Si dicatur secundum: ergo sic etiam nō minus ab initio dici poterat, naturā humanam, v. g. determinari ad sua indiuidua, et ipsa indiuidua inter se distingui, nō per alias differentias perfectè præcisas.

Prima responsio Scoti refellitur.

Vidit difficultatem Scot in 2. d. 3. q. 6. §. vlterius, vers. & per hoc apparet. Et conatus est respondere dicendo, differentias indiuiduantes, sicut & specificas, non conuenire in aliquo conceptu communi, quia sunt primò diuersæ, idest se ipsis primò differunt, & non per alias differentias.

At certè datur iste conceptus, qui exprimitur hoc nomine, singularitas, hæcceitas, differentia indiuidualis. Non enim hæc sunt pura nomina sine re significata. Sed in isto conceptu communi singularitatis, conueniunt hæc & illa & omnis alia singularitas: nam singularitas Petri est singularitas, petreitas est hæcceitas, & sic de singulis & omnibus. Imò quantum conueniunt naturæ rerum in conceptu naturæ communi, humanitas Petri & Pauli in cōi humanitatis cōceptu, nihil minus conuenire videntur hæc & illa singularitas in suo communi conceptu. Si ergo propter conuenientiam in conceptu naturæ, distinguebantur differentiæ à natura: sequeretur pariter, propter conuenientiam in conceptu singularitatis esse alias differentias distinguendas. Vel si hoc non est necessarium, vt verè non est: nec erat necessarium ab initio distinguere differentias indiuiduantes à natura quod intendimus.

Secunda responsio Rada refellitur.

Apposuit aliquid amplius addere Rada ad responsionem Scoti, dicens articulo citato conclus. 6. ad 2. differentias indiuiduantes esse primò diuersas, quia non conueniunt in aliquo conceptu eis quid-

quidditatiuè communi: conuenire tamen concomitanter & reductiuè per identitatem realem quã habent cum natura, quæ natura est indiuiduis quidditatiuè communis: sicquè non indigere alijs proprijs differentijs, sed ipsas esse vltimas ac simplicissimas differentias contractiuas naturæ communis.

Sed hæc addita responsio nihil plus satisfacit. Solùm enim cogitauit Rada conuenientiam huius & illius singularitatis in ipsa natura, quam contrahere dicebantur: & ideò dixit conuenire concomitanter, non quidditatiuè. At certè in ratione singularitatis ita quidditatiuè & directè conueniunt, sicut quæcunque alia inferiora in suo superiori, sicut hæc & illa natura in communi conceptu naturæ, hæc & illa humanitas in conceptu humanitatis. Nam prorsus quidditatiuè & directè singularitas Petri est singularitas, & sic de omibus & singulis. Non ergo effugere potest vim difficultatis.

Tertia responsio Fonseca refellitur.

Aliter respondet Fonseca quinto Metaphys. cap. 6. quæst. 5. sect. 3. ad 1. Differentias indiuiduantes conuenire inter se, non vniuocè, sed analogicè analogia proportionis: quia sicut Socrates est hic per hanc suam singularitatem, ita Plato per suam: & ideò non indigere alijs differentijs, quia solùm quæ conueniunt vniuocè indigent differentijs.

Sed quicquid dicat, adhuc in eadem difficultate versatur. Aut enim ideò dicit, non cõuenire vniuocè, sed analogicè; quòd nõ conueniant in aliquo conceptu singulis intrinseco, & omnibus communi; sed tantùm habeant proportionem quandam inter se. Et hoc satis impugnatũ est. Conueniunt enim in ratione & conceptu hæcceitatis, qui conceptus est singulis differentijs prorsus intrinsecus, & omnibus adæquatè communis, non minus quàm ratio humanitatis huic & illi humanitati. Alioqui pariter dicet quis, humanitatem Petri & Pauli tantùm analogicè proportionaliter conuenire, quia sicut Socrates est homo per suam humanitatem, ita Plato per suam. Et quicquid contra hoc dicetur, statim contra responsionẽ datam poterit retorqueri. Et quicquid afferetur ad probandam conuenientiam naturarum in ratione humanitatis, pariter cõuertetur ad probandam similem conuenientiam in ratione hæcceitatis. Aut ideò dicit, non conuenire vniuocè, sed analogicè: quia conueniant quidem in conceptu intrinseco & communi; tamen non addant aliquid de nouo supra talem conceptum, sicut illa quæ conueniunt vniuocè, sed tantùm determinentur per maiorem expressionem & explicationem. Et hæc erit sequẽs responsio, modò afferenda & impugnanda. Accedit quòd S. Thom. 1. par. q. 30 art. 4. significauit, rationem indiuidui esse vniuocè communem singulis indiuiduis.

Quarta responsio Suarij refellitur.

Respondet denique Suar. sect. 2. cit. num. 20. Differentias indiuiduantes conuenire quidem in conceptu sibi communi singularitatis & hæcceitatis; tamen non habere in se alias differentias ratione distinctas ab isto cõceptu in quo conueniunt: sed in se ipsis determinari non per aliquam nouam additionem, sed solùm per maiorẽ expressionem illius conceptus. Nec dicere compositionem rationis ex conceptu communi & differentia contrahente. Ipsum autem indiuiduũ, v. g. Petrus, intelligatur habere hanc cõpositionem rationis ex natura humana & propria singularitate ob distinctionem rationis inter vtranquè.

Redditquè discriminis rationes. Tum quia si hæc compositio etiam huic singularitati tribueretur, inferri posset processus in infinitum, qui tamen non infertur, sit talis compositio ipsi primo indiuiduo & non vlterius concedatur. Tum quia de ratione differentiæ est, vt sit simplex, & non componatur ex vna ratione communi & alia propria: at de ratione indiuidui, v g. Petri, potius est cõpositio metaphysica, iuxta communem modum concipiendi & loquendi Philosophorum: sicut de ratione speciei est compositio ex genere & differentia. Tum demum cùm differentia sit ipsa formalis ratio differendi, non indiget alia differentia: sicut actio non indiget alia actione, vnio alia vnione, præsentia localis alia præsentia locali; quia actio est ipsa formalis ratio agendi, & sic de alijs.

Hæc etiam responsio non satisfacit. Quia si in ipsis differentijs omnia ritè saluantur absque alia distinctione & compositione rationis: pariter & non minus benè saluari potest quicquid opus est, de indi-

indiuiduis, v. g. Petro & Paulo, absque tali distinctione & compositione. Et si quid esset, quod cogeret vel suaderet, talem distinctionem in indiuiduis reperiri, pariter procederet in ipsis differentijs. Nam si indiuidua conueniunt in cõmuni conceptu naturæ, Petrus & Paulus in ratione humanæ naturæ, & tamen inter se realiter distinguuntur: ita etiam ipsæ differentiæ inter se conueniunt, & realiter distinguuntur. Et cætera similia pari passu currunt. At vbi necesse non est, tales formalitates seu realitates in rebus esse aut distingui, impossibile est illas esse atque distingui. Ergo non debet illa compositio & distinctio rationis in ipsis indiuiduis cogitari.

Rationes quoque allatæ discriminis non sufficiunt. Non prima. Quia si ipsi primo indiuiduo, v.g. Petro, talis distinctio & compositio tribuatur; à paritate sequitur, debere etiam tribui ipsi differentiæ Petri, & vlterius vsquè in infinitum: præstat ergo illam ab initio denegare, cùm etiam sine illa benè possint omnia in ipso Petro saluari. Alioqui dicet quis, se velle talem distinctionem & compositionem tribuere solùm primæ differentiæ Petri, & non vlterius: vel etiam secundæ: & non vlterius. Quia sic vitabit processum in infinitum, & hanc ipsam rationem discriminis pro se afferret.

Nec secunda ratio valet. Quia si ita potest saluari constitutio Petri indiuidui absque illa distinctione & compositione ex natura & singularitate, sicut saluatur constitutio ipsius singularitatis: ad quid talis modus distinctionis & compositionis in Petro, vel quare debuit excogitari? imo quomodo poterit in illo dari? Fortasse ob communem concipiendi & loquendi modum Philosophorum. Est is quidem modus concipiendi & loquendi eorum Philosophorum, qui hæcceitatem à natura distinguunt: non tamen aliorum qui oppositum sentiunt. Illorum autem auctoritate nolumus nos conuinci, nisi rationibus conuincamur. Imo facilius est conuincere contra illos, non debere hæcceitatem à natura illo modo distingui.

Nec demum tertia ratiò vim nostri argumenti frangit, aut fugit. quia verum sanè est, differentiam esse ipsam formalè rationem differendi, non indigentem alia differentia. Tamen hæc differentia non est eo modo distinguenda ab ipsa natura, sed in illa imbibitur. Vnde dicimus, ipsam naturam non indigere alia differẽtia distincta per quam sit hæc indiuidua.

Et exempla allata potius nobis fauent. Nam si nulla esset ratio quæ suaderet, actionem à termino, vnionem à partibus, præsentiam à re locata, distingui; quæ non pariter suaderet esse debere aliam actionem propter primam actionem, & sic de cæteris: planè sequeretur, nec etiam ab initio debuisse actionem à termino distingui. Reuera autem datur ratio persuadens, actionem à termino distingui, non probans vlterius de ipsa actione. Quia nempè terminus fit ab agente, & postea permanet sine dependentia ab agente: ipsa autem actio non potest esse nisi actualiter exiens ab agente. Vnde oportet distinguere actionem à termino, sed non aliam actionẽ ab actione. Quòd si actio posset esse, vel dependenter, vel indepẽdenter ab agente: tunc non minus conuinceretur ad ipsam actionẽ dari debere aliam actionem distinctam. Cùm igitur in casu nostro non adsit alia ratio distinguendi hæcceitatem à natura, nisi quæ pariter suaderet distinguendam esse aliam hæcceitatem ab hęcceitate, vt ostensum est: dici debet neutrum probare. Nulla ergo necessitas cogit, nulla ratio persuadet, ponere talem distinctionem. Imo sicut fictitium est & impossibile, talem distinctionem ponere in ipsa hæcceitate: ita etiam in ipso Petro inter naturam & hæcceitatem.

Deinde secundo loco principaliter probatur conclusio. Si differentia indiuidualis eo modo à natura distinguitur: vel differentiæ indiuiduorum in vna certa specie conueniunt in quodam conceptu peculiari specifico: vel sunt potius disparatæ, & solùm in communissimo singularitatis conceptu cõueniunt. v.g. hæcceitas Petri & Pauli & singulorum hominum, vel conueniunt in quodam conceptu sibi proprio singularitatis humanæ: vel non plus singularitas Petri conuenit cum singularitate Pauli, *Secundo loco resolutio tradita probatur.*

Pauli, quàm cum singularitate huius equi, huius lapidis, huius albedinis. Neutrum commodè dici posse videtur, sustinendo distinctionem illam inter singularitatem atque naturam.

Non potest dici secundum, vt hinc incipiamus. Tum quia credi non potest, tàm disparatas esse, & non plus conuenire, hæcceitates Petri & Pauli, quàm Petri & huius albedinis: & veluti per se notum apparet, plus conuenire. Tum quia negari non potest, singularitatem omnium substantiarum esse in se formaliter substantialem, idquè Scotistæ concedunt, & sumitur ex Scoto in secundo distinctione tertia quæstione quarta; & singularitatem omnium accidentium esse accidentalem; similiter omnium rerum materialium esse materialem, spiritualium spiritualem: ergo dici non possunt omnes hæcceitates esse æqualiter disparatæ absque conuenientia in aliquo conceptu intermedio vsque ad hæcceitatem communissimè sumptam: sed dantur conceptus peculiares in omnibus generibus & speciebus, quia eadem erit omnium ratio. Tum etiam si consideretur communissimus singularitatis conceptus, est trascendens super omnia prædicamenta, & in se abstractissimus: ergo contrahi debet per gradus intermedios vsque ad vltima indiuidua. Nam sicut propterea conceptus entitatis descendit per lineam inferiorum graduum: ita necesse est dicere de singularitate. Et sicut dicimus ens in communi; ita etiam singulare in communi. Et sicut diuiditur ens in substantiale & accidentale, entitas in substantialem & accidentalem: ita prorsus singulare & singularitas. Et sic in omnibus generibus & gradibus entium.

Nec etiam commodè poterit dici primum. Quia si hæcceitates Petri & Pauli conueniunt inter se in proximo conceptu hæcceitatis humanæ, per quem differunt ab hæcceitate brutali, & omnis alterius speciei; similiter hæcceitas omnis hominis, & omnis alterius substantiæ conueniunt in conceptu hæcceitatis substantialis; & sic in omnibus alijs entium gradibus: iam negari non poterit, dari differentias intermedias à communissimo singularitatis conceptu vsque ad vltimas singularitates. Nam ita fit coordinatio in gradibus hæcceitatum, sicut in gradibus naturarum. Et eo modo quo contrahitur ens ad substantiam & accidens, substantia ad materialem & spiritualem, & sic deinceps; contrahitur etiam singularitas ad singularitatem substantialem & accidentalem, substantialis ad materialem & spiritualem. Ergo qua ratione ponuntur differentiæ afficientes naturas in contractione earum: ita ponendæ erunt differentiæ afficientes singularitates in propria contractione. Et qualem distinctionem habent differentiæ naturarum ab ipsis naturis: talem habere debebunt differentiæ singularitatum ab ipsis singularitatibus. vt tandem duplex coordinatio, altera naturarum, altera singularitatum, in quolibet prædicamento distinguenda sit. Quod planè est absurdum, & nullo modo dicendum. Hoc totum, inquam, sequitur: si ab initio hæcceitas à natura indiuidui illo modo distingui putetur.

Demum tertiò conclusio sic probatur. Sicut consideratur homo communis singulis hominibus, ita considerari & nominari potest homo singularis, v iq. conueniens omnibus hominibus singularibus. Et sic per omnes gradus considerari potest etiam in ipso ente, ens & singulare ens. Quando ergo dicitur singularis homo, qui prædicari potest de Petro & Paulo & singulis hominibus. Vel per ly singularis intelligitur addi aliqua formalitas ratione distincta à natura humana. Vel potius non plus dicit singularis homo, quàm dicebat homo absolutè. Primum existimo nullo modo dici posse: quia in rei veritate homo realiter possibilis, non est nisi singularis homo, & realiter intelligitur quando absolutè dicitur homo. Nullaquè prorsus ratio occurrit, quæ cogat dicere, hominem singularem addere aliquam formalitatem in communi supra ipsam naturam humanam. Nam rationes quæ probant, dari singularitatem in indiuiduis, nullatenus probant, dari debere istam rationem singularitatis in communi distinctam ab ipsa natura. Sic etiā idem prorsus est dicere substantia singularis, ac substantia absolutè, acci-

Tertiò rursus cōclusio confirmatur.

accidens singulare ac accidens absolutè, ens singulare ac ens absolutè. Oportet ergo dicere secundum, nempè hominem singularem non addere aliquam formalitatem ratione singularitatis à natura humana perfectè præcisam.

Tunc vlterius quando consideramus & nominamus certos homines singulares. Aut intelligitur addi noua formalitas, idest hæcceitas determinata huius indiuidui perfectè præscindens ab illo toto cóceptu, qui significabatur per ly singularis homo. Aut non intelligitur addi noua formalitas hoc modo distincta. Primum dici non potest. quia cùm in illo conceptu, singularis homo, detur planè conceptus singularitatis in communi: si ly Petrus addit aliquam aliam formalitatem distinctam: ergo planè hæcceitas Petri addit aliquam aliam propriam differentiam ratione distinctam ab hæcceitate in communi. quod nullatenus potest admitti: vt patet ex dictis. Ergo oportet dicere secundum, nempè Petrum non addere supra ly singularis homo aliquam formalitatem eo modo ratione distinctâ. Sed nec homo singularis addebat formalitatem eo modo ab humana natura distinctam. Ergo tandem Petrus, siue hæcceitas Petri, non dicit nouam rationem ab ipsa natura Petri, idest ab humanitate, perfecta præcisione distinctam.

Argumenta aliqua, quæ contra hanc resolutionem possunt obijci, commodiùs afferemus atque soluemus sect. seq.

SECTIO XII.

Vtrum Differentia indiuidualis imperfecta solùm præcisione rationis à natura indiuidui distinguatur.

Conclusio affirmatiua. Concludendum iam est ex dictis, quomodo tandem differentia indiuidualis se habeat ad naturam quam contrahit, & pariter ad indiuiduum quod constituit. Atque dicendum, differentiam indiuidualem imperfecta solùm præcisione rationis ab indiuidui natura distingui, Petreitatem ab humanitate, & sic de singulis. Hanc resolutioné non obscurè insinuauit Durand. in 2. d. 3. q. 2. Et alij etiam ex Auctoribus qui principium indiuiduationis assignare nolebant, ab hac nostra cócl. non dissentirent. Hæc verò conclusio vlteriori probatione non indiget præter ea quæ hactenus dicta & probata sunt.

Explicatur magis. Explicatur tamen magis, vt rectè percipiatur. Et supponimus iam ex præterita quæst. quænam sit distinctio seu præcisio perfecta aut imperfecta rationis. Hoc supposito, quando consideratur & nominatur certa aliqua singularitas, vltima & propria alicuius certi indiuidui, v. g. Petreitas: non debet intelligi quasi noua entitas condistincta ab humanitate: sed potius formaliter & intrinsecè dicit ipsam humanitatem; ac si diceretur talis humanitas, humanitas Petri: dicitque totam entitatem Petri, quatenus est hic homo singularis. Rursus quando consideratur & nominatur homo seu humanitas in communi: non debet intelligi quasi natura ita præcisa, vt sit formaliter extra rationem differétiarum contrahentium, & tanquam pars quædam indiuiduorum, tanquam pars entitatis Petri: sed potius debet intelligi, quòd in se inuoluat totum esse omnium indiuiduorum hominum, implicitè dicens totam entitatem singulorum. Et hoc modo differentia indiuidualis distinguitur à natura, solùm per imperfectam præcisionem rationis, penes implicitum & explicitum. Ita videlicet, quòd Petreitas expressè dicit & declarat hanc humanitatem Petri: humanitas autem absolutè concepta, non hoc dicit explicitè, sed implicitè inuoluit hanc & illam & omnem singularem humanitatem omnium indiuiduorum hominum.

Sicut se habent substantia & accidens respectu entis. Ens intelligitur contrahi ad substantiam & accidés per illas differentias quæ dicuntur perseitas & inaleitas. Verùm perseitas non addit aliquid supra ens, quasi ipsa non includeret ipsum ens: cùm potius quicquid dicit, sit omnino ens. Et ipsum ens non præscindit à substantia seu à perseitate, quasi non diceret quicquid ibi est: sed ens implicitè dicit omne quod est: substantia autem & perseitas explicitè dicit esse per se. Et alia plura sunt exempla similia.

Cæte-

Ima singularitas humana nullo modo ab humanitate distinguitur, & sic de alijs.

Cæterùm si sumatur differentia indiuidualis, non quidem vltima & propria certi indiuidui: sed secundùm communitatem aliquam, v.g. si nominetur singularitas humana absolutè: apud nos nullatenus distinguetur ab ipsa humanitate: qua perinde putamus esse, dicere humanitatem, atque humanitatem singularem, & singularitatem humanam absolutè. Similiter si nominetur singularitas brutalis, singularitas angelica: ac etiã singularitas substantialis. Et si demum in supremo gradu singularitas, nullatenus ab entitate distinguitur.

Vnde rationes quæ probabant, & quæ probare possunt, admittenda esse vniuersalia: nullo modo probãt, nec probare possunt, dari hominem v.g. in vniuersali distinctè ab homine singulari in communi. Sed nihil plus probant, quàm dari conceptum hominis in quo Petrus & Paulus & alij singuli conueniant: hi autem conueniunt in hoc quòd omnes & singuli sunt homines singulares. Conceptus ergo hominis singularis est ijs omnibus adæquatè communis. Et non alium video dari debere cõceptum hominis in vniuersali. Et negãdũ est, dari alio modo vniuersalia: nec necessariũ est alio modo dari: nec possibile iuxta rei veritatem.

An in quolibet indiuiduo sit vnica uel multiplex singularitas.

Hinc facilè resoluetur dubium quoddam circa vnitatem vel multiplicitatem singularitatis in quolibet singulari. Quod plerisque non modicam difficultatem affert. An videlicet in Petro sit vnica singularitas, indiuiduans omnia superiora prædicata: immediatè quidem afficiens humanitatem; & quia in humanitate includitur gradus animalis, & in animali gradus viuentis, & sic vsque ad ens: hæc omnia per illam vnicam & vltimam singularitatem indiuiduari dicantur. Vel aliter quot sunt gradus essentiales in Petro subordinati, tot sint etiam in illo singularitates, vel formaliter a parte rei, vel tantùm ratione distinctæ: singulæ afficientes immediatè suos gradus, & inter se pariter subordinatæ.

Auctores qui differentias indiuiduantes à natura distinguunt, alij volunt esse vnicam solùm in quolibet singulari. Ita Fons. 5. Metaph. cap.6. q. 5. sect.3. ad 4. & Suar. disp.6. Metaph. sect. 9. num. 15. & 16. alij esse multiplicem. Sed vtrique non leui difficultate premuntur. Illi qui volunt esse vnicam, opponunt contra alios, quòd frustra & sine necessitate plures multiplicare malint, quando vna sufficiebat: difficilioremque reddant suã sententiam apud aduersarios, qui cùm nè vnicam quidem singularitatem admittant, audire cogantur tot singularitates in quolibet indiuiduo. Et alia quæ Suarez congerit. Qui autem volunt, esse multiplicem, dicunt sic esse cohærenter philosophandum: quoniam si absolutè loquendo datur singularitas à natura distincta: cùm non solùm dicere valeat, homo singularis, sed immediatè etiam dici possit, animal singulare, hoc animal, substantia singularis, hæc substantia; & sicut animal præscindit ab homine, ita animal singulare ab homine singulari: ita demũ sicut animal ad homine distinguitur, distingui debeat singularitas animalis & hominis, & sic de omnibus gradibus essentialibus in eodem indiuiduo repertis.

In nostra autem sententia hæc difficultas locum non habet: quia cùm non distinguamus vltimam singularitatem ab indiuiduo, Petreitatem à Petro, & sic etiam non distinguamus alias denominationes singularitatis à gradibus superioribus, singularitatem humanam ab humanitate, substantialem a substantia: non alias singularitates agnoscere cogimur præter ipsos gradus essentiales. Nec etiam nouam distinctionẽ inuehere præter eam quæ est inter ipsos gradus essentiales, vel penès perfectam, vel tantùm imperfectam præcisionem rationis, iuxta conditionem & assignationem ipsorum graduum, ex doctrina quæst. præcedenti iam tradita.

An differentia indiuidualis sit excellentior natura cõmuni.

Resolui etiam potest aliud dubium quod eosdem vexat Auctores, an differentia indiuidualis sit magis vel minùs nobilis & excellens quàm ipsa natura. Alij dicunt esse magis, quoniam ad instar formæ actuat perficitq. naturam. Alij dicunt esse minùs, quoniam est differentia materialis potius quam formalis, subijcitque rem omnibus superioribus prædicatis. Hoc autem apud nos difficultatem non habet. quia cùm non distinguatur à natura, nisi per maiorem expressionem conceptus, talem comparationem non susci-

suscipit; sed talis est ipsa differentia, qualis est ipsa natura.

Comparatur constitutio indiuidui ex natura & singularitate cũ compositione speciei ex genere & differentia,

Contra hanc nostram resolutionem Obijcies primò. Sicut in specie reperitur compositio ex genere & differentia, ob distinctionem rationis cum perfecta præcisione inter naturam generis & rationem differentiæ: ita etiam in indiuiduo debet par distinctio & compositio admitti ex natura speciei & differentia indiuiduante. Pobatur consequentia à paritate rationis: quia tota ratio cognoscendi & cocedendi illam distinctionem in specie, sumpta est ex eo quòd videmus, vnam speciem cum alia partim conuenire, partim differre: sed idē reperitur in indiuiduis sub specie contentis: ergo idē de illis dicendū ac sentiendū est.

Respondetur primò, nec semper in specie reperiri compositionem & distinctionem rationis cum perfecta præcisione: sed sæpe reperiri solùm distinctionem penes implicitum & explicitum. Et præsertim si differentia sit ita propria speciei, vt nulli alteri conueniat, non perfectè præscindet à natura generis. Secũdò etiam si in specie admittatur talis compositio & distinctio, est adhuc neganda in indiuiduis. Nam possunt quidem reperiri gradus essentiales, quorum vnus formaliter non includat alium: qui possunt esse gradus determinati & præcisi. Sed ratio singularitatis, vt nos dicebamus, necessariò inest omni gradui, estquè per omnia transcendens, atque ita in omnibus imbibitur, vt distingui non possit singularitas humana ab humanitate, substantialis à substantia, & sic de omnibus. Vnde Suar. ipse num. 19. ait, naturam generis, non solùm prout mente abstractam, sed etiam prout in re existentem, posse præscindi & ratione distingui à differentia specifica. Naturā autem specificam, solùm prout mente abstractam, & non prout in re existentem, posse ratione præscindi à differentia indiuiduali. Hanc ergo præcisionem non immeritò nos dicimus esse tantùm imperfectam per confusam conceptionem indiuiduorum per modum vnius.

Cōparantur differentiæ indiuiduantes cum specificis.

Obijcies secundò. Sicut reperiuntur aliæ differentiæ constitutiuæ & distinctiuæ rerum: nec propterea sequitur, ipsas differentias debere per alias constitui atque distingui; sicquè procedi debere in infinitum. Ita dari poterunt differentiæ indiuiduantes à natura distinctæ: nec propterea sequatur, in illis alias esse rursus differentias distinguendas.

Respondetur primò, alias etiam rerū differentias reperiri, quæ solùm per imperfectam præcisionem distinguantur à rebus: & de quibus, si perfecta præcisione dicerentur distingui, pariter sequeretur, in illis fore alias differentias distinguendas, & sic in infinitum: illis ergo comparandæ sunt differentiæ indiuiduantes.

Secundò. Difficile non est, disparitatem afferre inter illas differentias, quæ perfecta, & illas quæ imperfecta solùm præcisione distinguuntur à rebus. Illæ enim quæ non sunt secundùm se vltimæ & propriæ talis rei, poterunt perfecta præcisione distingui ab alio gradu in eadem re inuento. Sed quæ sunt propriæ & vltimæ rerum, dicunt totam rei entitatem. Vnde non possunt perfecta præcisione distingui. Item illæ, quæ non necessariò comitantur gradum aliquem essentialem, sed reperiri possunt vbi non sit talis gradus essentialis, & ipse gradus essentialis possit reperiri vbi non sint tales differentiæ: perfectè præscindent. At illa præcipuè differentia quæ se habet transcendenter ad omnē entitatis gradum: sicut est differentia essentialis, quia nullum ens reperitur nisi singulare, nulla substantia nisi singularis, nullus homo nisi singularis & sic de omnibus: nec potest nec debet a rerum naturis perfecta præcisione distingui. Demum tunc differentia ab alio naturæ gradu distinguitur, absque eo quòd sequatur, esse rursus in ipsa differentia aliam differentiam distinguendam: quando datur fundamentum tale primæ differentiæ eo modo distinctæ, quod non pariter suadeat aliam differentiam vlterius debere distingui. Sed quando non est aliud fundamentum, nisi tale, quod si ab initio vim haberet, consequenter traheret rem in infinitum, vnde appareat nullam vim habere: tunc patet non fuisse ab initio illam differentiā eo modo distinguēdam.

Explicatur distinctio inter vniuersa-

Obijcies tertio. Ex dictis sequi videtur, non debere, nec posse distingui, ens vniuersale & singulare, substantiam vniuersalem & singularem, & sic de cæteris.

Dixi-

le et singulare.

Diximus enim, idem esse dicere, substantiam ac substãtiam singularem,&c. Consequens autem non solùm est contra Aristot. & omnes Philosophos distinctè loquentes de vniuersali & singulari, & distinguentes substantiam primam & secundam: sed etiam contra nos ipsos, qui non solùm hanc distinctionem passim supponimus, sed duos integros tractatus iam nunc distinguimus de vniuersali & singulari.

Respondetur. Quando nominatur singulare, dupliciter posse sumi. Vno modo secundùm suppositionem absolutam seu simplicem, ita vt sumatur pro singulari in communi, quod vtique prædicatur de omnibus singularibus. Alio modo secundùm suppositionem personalem, ita vt intelligatur accipi pro hoc & illo & alio singulari. Primo modo vltrò concedimus, non distingui singulare & vniuersale. Secundo modo concedimus distingui vniuersale & singulare. Quod idem est, ac dicere. Ens potest sumi, vel in vniuersali complectendo omnia entia, vel in singulari pro certo aliquo ente hoc aut illo. Homo potest sumi siue etiam apud nos homo singularis, potest sumi: vel communiter complectendo omnes homines singulares secundùm conceptum confusum in quo conueniunt. Et sic sumitur in vniuersali. Vel determinatè pro certo homine, pro hoc, illo, alio, & sic de singulis. Hoc modo sumitur in singulari, prout singulare ab vniuersali distinguitur. Et ita saluamus distinctionem substantię primę & secundę, entis vniuersalis & singularis, & sic in omnibus rerum gradibus.

Quomodo dici possit singulare est vniuersale.

Obijcies quartò. Ex hac nostra doctrina rursus sequitur, valere dicere, singulare est vniuersale, homo sigularis est vniuersalis: quod videtur contradicere in terminis. Nam è contra verum est dicere, singulare non est vniuersale, homo singularis non est vniuersalis, & similia.

Respondetur. De singulari, seu de homine singulari sumpto secundùm suppositionem absolutam seu simplicem, verum esse dicere, quòd sit vniuersale: sumpto autem secundùm suppositionem personalem pro hoc aut illo, valet dicere, quòd non est vniuersale. Neque illud est mirum, aut ex nostra sententia nouum: quia omnes tenentur fateri, singulare illo modo sumptum, esse commune multis, esse prædicabile de pluribus, esse diuisibile & multiplicabile in plura, esse transcendens. Quæ non minus singulari repugnare videbantur. Imo vlterius, si quis inferat, ergo singulare illo modo sumptum non est singulare: id erit ab omnibus concedendum, sumendo singulare ex parte subiecti illo primo modo, ex parte prædicati secundo modo. Quod idem est, ac dicere: singulare, prout est commune singularibus, non est incommunicabile pluribus; & prout est vniuersale seu commune, non est certum aliquod determinatum singulare.

Obijci adhuc possunt aliæ difficultates, communes ad præcisionem generis à differentijs. De qua tamen re proprio loco agemus.

SECTIO XIII.

Vtrum Differentiæ indiuiduantes, Et Indiuidua sub certa specie, sint in sua entitate intrinseca, prorsus similia.

Sensus huius dubij est, an differentiæ indiuiduantes, ipsaque indiuidua constituta per eas intra suam speciem, ita in omnibus & per omnia conueniant, quòd solùm differant & distinguantur in eo quòd differentiæ indiuiduantes sunt hæc & illa, & indiuidua sunt hoc & illud: vel possint aliquam aliam disconuenientiam habere, per quam differant: in sua scilicet entitate intrinseca: quia alioqui manifestum est in varijs accidentibus, & denominationibus, quæ nõ sunt de intrinseca entitate eorum, sine difficultate posse differre.

Ratio dubitandi pro parte negatiua.

Ratio dubitandi est Quia ex vna parte videtur, indiuidua quæ eiusdem speciei censentur, posse differre plusquã per esse hoc & illud: posse scilicet differre vel per respectus intrinsecos ad diuersos terminos, vel per aliquam aliam huiusmodi diuersitatẽ. V.g. actus visionis quo cõspicitur albedo A, ab actu visionis quo cõspicitur albedo B, nõ solùm differt, eo quòd sint

sint hæc & illa visio: sed eo etiam quòd vna sit visio albedinis A, alia albedinis B. similiter in actibus aliorum sensuum, & intellectus, ac voluntatis. Item actiones quibus efficiuntur vnus & alius ignis, & motus locales, atque præsentiæ, quibus res mouetur aut quiescit in vno aut alio loco. Aliaquè possunt afferri huius generis exempla.

Pro parte affirmatiua. Ex alia parte videtur, indiuidua quæ tali modo differunt, differre plusquàm numero, differre specie: atque adeò indiuidua quæ solo numero differant sub certa specie, debere esse prorsus similia, & in omnibus ac per omnia conuenire; solumquè differre posse per esse hoc & illud. Nam in ijsdem exemplis allatis, hæc visio albedinis A, plus differt ab alia visione albedinis B, quàm ab alia visione eiusdem A: ergo differt plus quàm numero, differt specie. Item hæc & illa & omnis alia visio albedinis A, conueniunt in hoc conceptu visionis terminatæ ad albedinem A, per quem differunt ab alijs visionibus terminatis ad albedinem B. Et iste conceptus est intrinsecus ipsis visionibus, & non est variabilis: quia fieri non potest, vt illa ipsa visio quæ respicit albedinem A, transeat ad respiciendam aliam: ergo talis conceptus est essentialis omnibus illis actibus visionis. Cumquè dicatur de pluribus actibus numero differentibus, planè est species prædicabilis secundùm definitionem Porphyr. Nec apparet quid illi desit ad rationem talis speciei. Itaque omnis visio albedinis A, differt specie ab omni visione albedinis B. Ergo iam illæ solæ visiones differunt numero, quæ sunt ita prorsus similes & conformes, vt habeant idem obiectum, & in cæteris assimilentur, ac solùm differant in hoc quòd sint hæc & illa visio: & si plus quàm per hoc differunt, hæc differentia erit specifica, non numerica. Et sic in alijs exemplis allatis, & omnibus alijs rebus.

In hac re non inuenio alias Auctorũ sententias: nisi quòd ea quæ in exemplum allata sunt, tanquam certæ rerum species nominari solent: v. g. motum localem in quacunque parte fiat, præsentiam localem in quacunque parte sit, visionem cuiuscunquè albedinis, & sic de similibus, esse vnam speciem. Accedunt etiam ij qui affirmant, posse intra eandem speciem indiuidua inæqualis perfectionis intrinsecæ contineri, vt referemus sect. seq. Alij qui è contra id negant, cohærenter sentire debent, omnia indiuidua sub infima specie debere esse prorsus similia, & alioqui differre specie.

Species dupliciter sumi potest, vel logicè vel physicè. Pro resolutione huius rei distinguendum videtur; speciem, quantùm ad præsentem causam pertinet, dupliciter posse sumi: vno modo logicè: alio modo physicè. Speciem logicè sumptam intelligimus pro specie infima prædicabili: quæ ita de pluribus differẽtibus numero prædicatur, vt sit primum ac proximum prædicatum intrinsecum, in quo ipsa indiuidua conueniunt, nullaquè alia dentur prædicata media inter talem speciẽ & vltima indiuidua. Speciẽ physicè sumptam intelligimus, quæ à Philosophis in suis tractatibus, siue etiam à Theologis in rebus theologicis, tanquam vna certa species reputatur: quia nimirum ad suas tractationes ita expedit illam vsurpare. & de illa tractant tanquam de specie ab alijs distincta, & non tractant sub illa vlterius de diuersis sub ea contentis, quasi de diuersis alijs speciebus.

Esse autem hanc distinctionem admittendam, quòd aliquæ physico modo dicantur species, & non logico modo, patet: quia satis notum est, in sententia S. Thom. & sequacium dici omnes Angelos differre specie, ita vt qualibet species naturæ angelicæ in vno tantùm indiuiduo reperiri possit, vbi patet hanc dici speciem, quæ tamen non de pluribus differentibus numero more logico prædicatur: non dicitur ergo species logicè loquendo.

Vnde duplici ex capite fieri potest, aliquam dici speciẽ physicè loquendo, non autem logicè. Vel per defectum communitatis, quia non sit prædicabilis de pluribus differentibus numero, vt in exemplo posito. Vel per excessum communitatis, quia scilicet non sit infimum & proximum prædicatum indiuiduis commune: sed inter ipsum & vltima indiuidua medient adhuc alia communia prædicata: tamen adhuc physicè loquendo dicatur species, quia videlicet in tractando de rebus illis, in illo conceptu sistitur,

sistitur, nec descenditur ad consideranda distinctè alia inferiora prædicata. Quod rursus pluribus rationibus accidere potest. Vel quia hæc inferiora prædicata multiplicari possunt in infinitum. Vnde locū habebit regula illa Platonis, qui vsque ad specialissima descendere iubebat, ibique quiescere, infinita verò quæ sub illis distingui poterant relinquere, quoniam non potest eorum haberi scientia. Vel quia tanta sit conuenientia inferiorum in illo conceptu communi, aut connexio inter se, & similitudo proprietatum & passionum; vt in illo sistendum esse tanquam in vltima specie meritò iudicetur.

Sub specie logicè sūpta omnia indiuidua debēt esse prorsus similia.

Hoc supposito Dico primò, sub specie logicè sumpta omnia indiuidua debere esse in omnibus intrinsecis prædicatis prorsus similia, & in omnibus ac per omnia conuenire: solùmquè posse differre atque distingui per esse hoc & illud. Hæc conclusio planè conuinci videtur ex ratione dubitandi pro secunda parte adducta. Quoniam si plus differant: vel oporteret dicere in ea vlteriori ratione in qua hoc indiuiduum differret ab illo, non conuenire cum quopiam alio indiuiduo, sed esse vnicum & solum in illa ratione: & ita illa ratio non constitueret speciem prædicabilem de pluribus numero differentibus: sed constitueret vltimam differentiam indiuiduantem. Vel si cum aliquo alio conuenit in illa ratione, vt supponimus: iam ab illo quidem solo numero differet, ab alijs autem cum quibus in illa ratione non conuenit, imo per illam differt, iam differet specie. Quoniam illa ratio erit species prædicabilis quæ dicitur de pluribus numero differentibus quæ sub se continet. Et, vt præter exemplum actuum vitalium, in aliquo alio exemplo hoc demonstremus. præsentia v.g. localis affixa certo spatio, quæ inest huic corpori dum est in hoc spatio; intrinsecè per entitatem suam affixa est huic spatio, ita vt per nullam potentiam in alio spatio posset locare corpus, quia esset manifesta implicantia in terminis. Si ergo vna sola numero præsentia esset possibilis ad locandum corpus in hoc spatio, tunc dici posset numero differre per suam vltimam singularitatem ab omni alia præsentia locatiua eiusdem corporis in alijs partibus spatij: sed sic est, quod sunt possibiles plures & plures præsentiæ, omnes respicientes idem illud spatium, ibiquè locatiuæ eiusdem corporis, & de facto extant saltem successiuè, quando corpus inde discedit, & rursus illò redit: ergo hæc præsentia conuenit cum alia præsentia affixa illi spatio, in hoc conceptu intrinseco qui est respicere tale spatium, per quem conceptum intrinsecè differt ab omni alia præsentia respiciēte omne aliud spatium. Et ille conceptus prædicatur intrinsecè de omnibus alijs præsentijs in illo spatio possibilibus. Igitur ille est conceptus specificus, est species prædicabilis, & hæc præsentia solo quidem numero differet ab illis alijs præsentijs, cum quibus per omnia conuenit, etiam inquam in respiciendo hoc spatium; & à quibus solùm differt, quia est hæc præsentia, & illa est illa, alia est alia, respectu eiusdem spatij: ab omni autem alia præsentia à qua plus differt, scilicet in respiciendò vnum & aliud spatium, iam differt plusquàm numero, & differt specie logicè prædicabili. Igitur sub specie infima logicè prædicabili indiuidua debent in omnibus conuenire & assimilari, solumquè differre possunt eo modo quo diximus. Cæterùm multò plura & validiora pro hac assertione afferemus sect. seq. quia res est communis cum æqualitate indiuiduorum intra suam speciem.

Sub specie physicè sūpta possūt plus minusuè assimilari.

Dico secundò. Posse prædicatum aliquod physicè sumi tanquam vnam speciem, sub qua contineantur indiuidua, quæ non in omnibus sint similia, sed differant plusquàm per esse hoc & illud. Hæc concl. sequitur ex ratione dubitandi pro prima parte adducta: & deseruiet ad saluandum communem loquendi & philosophandi modum. Et alia probatione non indiget, præter rationes supra redditas, quare soleat hoc modo sumi species, & præter exempla ipsa allata. Nam præsentia localis corporum tanquam vna species à Philosophis accipitur. Similiter actio productiua ignis, actio productiua caloris. Actus visionis circa certam speciem coloris: & sic de omnibus actibus vitalibus circa certas species obiectorum. Relatio similitudinis alicuius rei ad alias res eiusdem speciei,

ciei, v. g. albedinis ad alias albedines, in sententia distinguente relationes etiã in eodem subiecto ad multos terminos. Et sic in alijs huiusmodi exemplis.

Vbi accedit tandem alia ratio, quare physicè sic sumantur hæ species: quoniam huiusmodi entia quæ essentialiter respiciunt alias res tanquam terminos, dicuntur specificari per ipsos terminos seu obiecta. Vnde quando obiecta & termini non distinguuntur specie: omnia illa quæ conueniunt in respiciendo certam speciem obiecti aut termini, considerantur tanquam vnius speciei, nec Philosophi curant descendere ad distinguẽdas sub illis prædicatis varias species. Plura demum pro hac tota re videnda sunt sect. sequenti.

SECTIO XIV.

Vtrum Differentiæ indiuiduantes, Et Indiuidua ratione ipsarum, sint in sua perfectione intrinseca intra eandem speciem æqualia vel inæqualia.

Quæstionis sensus.

NOn quærimus de inæqualitate accidentali, nec etiam intensiua, aut extensiua indiuiduorum. Nam sic perspicuum est, illa indiuidua quæ accidentalibus perfectionibus exornantur, solere esse ex hac parte inæqualia; vnus homo fortior, pulchrior, doctior alio: illa etiam quæ extensionem admittunt, esse aliud alio magis aut minus intensum vel extensum: calor vt octo est intensior calore vt septem, linea bipalmaris est longior palmari, & sic de alijs similibus: & in his valet illa regula, magis & minus non variat speciem. Sed tantùm difficultas est de perfectione intrinseca & entitatiua, quæ in singulis indiuiduis variari non potest, & consistit in differentijs indiuiduantibus constitutiuis ipsorum singularium.

Sententia affirmans esse inæqualia.

Est sententia asserens, differentias indiuiduantes intra eandem speciem esse intrinsecè inæqualis perfectionis, atque adeò ipsa indiuidua. Et quoniam hæc res præcipuè de animabus rationalibus disputari solet: ita tenent omnes qui volunt, animas rationales esse intrinsecè indiuidualiter inæquales. Tenet Caiet. 1. par. quęst. 85. art. 7. & alij non pauci. Ac nouissimè defendit noster Gueuara lib. 1. de Inter sensu tract. 7. cap. 5. Et videtur sententia S. Thom. ibi, & in 2. d. 32. q. 2. art. 3. & alibi. Potest autem hæc sententia duplicem habere sensum. Vel quòd necesse sit, omnia indiuidua intra quamlibet speciem esse inæqualia, & repugnet duo æqualia reperiri. Ita interpetratur sentẽtiam eorum Auctorum Fons. 5. Metaph. cap. 28. q. 16. Vel solùm quòd possint indiuidua esse inæqualia: non tamen hoc sit necessarium, sed possint etiam æqualia reperiri. Nec in omni specie possint esse inæqualia: sed tantùm vbi appareat fundamentum & modus talis inęqualitatis. Et in hoc potius sensu equidem arbitror, Auctores illius sententiæ esse loquutos.

Sententia affirmans esse æqualia.

Opposita sententia asserit, omnia indiuidua eiusdem speciei necessariò esse intrinsecè in sua differentia & entitate indiuiduali prorsus æqualia: nec posse intra eandem speciem vnum indiuiduum esse alio in sua entitate magis minusuè perfectum. Ita sentire videntur omnes qui negant, animas rationales esse intrinsecè inæquales: significant enim inæqualitatem inter indiuidua eiusdem speciei non esse possibilem. Et ita vniuersaliter sentit Fons. loc. cit. Fauet S. Thom. 1. par. q. 93. art. 3. ad 3. dicens, non participari speciem substantiæ à diuersis indiuiduis secundùm magis & minus. & Quodl. 3. art. 6. respondens ad argum. ait: *In eadem specie non potest esse vnum prius alio propriè loquendo in ordine naturæ, quia species prædicatur æqualiter de omnibus indiuiduis*. Fauet etiam Arist. 3. Metaphys. tex. 11. dicens, in indiuiduis vnius speciei, non esse aliud prius, aliud posterius: & per prius & posterius planè intelligit magis & minus perfectum. ait enim: *Vbicunque aliud melius aliud deterius est, prius est quod melius est*. Neque benè dicunt aliqui, Arist. & S. Thom. tantùm voluisse, indiuidua non esse inæqualia in ipsa natura specifica: non verò negasse, esse inæqualia in suis differentijs indiuiduantibus. Nam simul ijsdem locis docuerunt, inter species eiusdem generis dari prius & posterius: & quod affirmarunt de speciebus, negarunt de indiui-

indiuiduis. Sed certè species sunt inæquales per suas differentias specificas, & non in ipsa natura generica: non enim homo est magis animal quàm brutum; sed rõnalitas est irrationalitate perfectior. Ergo maximè negare voluerunt, indiuidua esse in suis differẽtijs indiuidualibus inæqualia.

Nõ est necesse, omnia indiuidua speciei esse inæqualia.

Dico primò. Nõ est necesse omnia indiuidua alicuius speciei esse inæqualis perfectionis indiuidualis: sed possunt intra quamcunque speciem æqualia prorsus indiuidua reperiri. Probatur concl. 1. quia intelligitur optimè, indiuidua eiusdem speciei esse posse distincta, absque eo quòd indiuidualis differentia vnius sit perfectior & excellentior differentia indiuiduali alterius: sed eò solùm quòd sint hoc & illud & aliud indiuiduum: licèt inter se prorsus ęqualis perfectionis. Nec est alia ratio vnde prouenire possit tàm necessaria inequalitas. Nullaquè repugnantia reddi potest, cur non possit Deus plura & plura indiuidua prorsus æqualia intra eandem speciem constituere. Et dato quocunque indiuiduo, nullo modo est dicendum non esse possibile aliud æquale, solùmquè esse possibile aliud magis aut minus perfectum in tali specie.

Secundò. Illi Auctores qui faciunt indiuidua inæqualia, maximè id propter animas rationales docuerunt; & volunt, aĩas esse indiuidualiter inæquales, quia vna respicit & informat corpus melius dispositum quàm alia. Sed adhuc in eorum sententia negari non potest, posse vnum aliquod corpus æquali prorsus dispositione cum alio esse affectum, quia hę dispositiones cõsistunt in qualitatibus & proportionibus organorũ corporis: possunt autẽ sine dubio hę qualitates & proportiones æqualiter se habere in vno & alio & pluribus corporibus: nullaq. ratione oppositum dici potest. Ergo iuxta eorum sententiam poterunt animæ æquales indiuidualiter reperiri. Et similiter nulla alia species erit, in qua non nisi inęqualia indiuidua multiplicari queant. Nullumquè intra quamcunque speciem indiuiduum reperitur, cui solùm inæqualia, non autem æqualia indiuidua, associari possint.

In quibusdã speciebus nõ possũt indiuidua esse inæqualia.

Dico Secundò. In quibusdam rerum speciebus non possunt indiuidua esse inęqualia, sed necessariò debent esse æqualia, etiam iuxta sententiam eorum qui animas rationales faciunt inæquales. Probatur concl. 1. quia aliquę rerum species sunt, in quibus non apparet, vnde aut quomodo, posset hæc inæqualitas desumi atque saluari. V.g. in ipsa materia prima, hæc & illa materia indiuidualiter distinguuntur: & certè non apparet, quomodo possit hæc materia esse aut dici in sua entitate indiuiduali magis minusuè perfecta quàm illa. Similiter non apparet, quomodo hæc quantitas possit esse excellentior illa, nisi aut quia sit maior, quæ est inæqualitas extensiua; aut quia sit melius figurata vel affecta, quæ non est inęqualitas intrinseca per indiuiduales differentias quantitatis, sed per alias affectiones accidentales. Item non apparet quo hic calor, hoc frigus, hæc albedo, hæc lux, & similia, possint præ alijs indiuiduis earundem specierum excellere, nisi per maiorem intensionem. In huiusmodi ergo speciebus non possunt indiuidua per intrinsecas differentias indiuiduales inæqualia reperiri.

Secundò. Intantum illi Auctores dicebant, esse animas inæquales, inquantum videbant animas informare corpora inæqualiter affecta, & aliam alia melius ac perfectius operari. Sed in quampluribus rerum speciebus nihil tale inuenitur, aut inueniri potest. V.g. quælibet materia est de se æquè indifferens ad omnem formam omnemquè dispositionem, siue magis siue minus nobilem & perfectam. Multæ aliæ formæ, tàm substãtiales, quàm accidentales, non habent huiusmodi respectus, quibus dici possint affixę inæqualibus subiectis aut dispositionibus. Et in qualitatibus quæ suscipiunt magis & minus, tota diuersitas saluari potest per inęqualitatem intensionis. Vnde inter duos primus gradus eiusdem qualitatis, & sic inter reliquos, nõ potest inęqualitas perfectionis intrinsecæ reperiri.

Deinde vt videamus, num absolutè possint sub aliqua specie inueniri indiuidua inæqualis perfectionis, & nostram in hac re sententiam proponamus: supponenda est distinctio tradita sect. praeced. qualiter species sumi possit, vel in rigore logico pro infima specie prędicabili, vel physicè magis amplè.

In nulla specie logicè sumpta possūt esse indiuidua inæqualia.

Dico ergo 3. Sub nulla specie infima logicè sumpta possunt inueniri aut multiplicari indiuidua inæqualis perfectionis intrinsecæ per suas differētias indiuiduātes: sed necessariò oīa debent esse in sua entitate indiuiduali æqualia. Conclusionem hanc probare nolumus ijs rationibus quibus Auctores posterioris sententiæ illam confirmare nituntur. Et quia contra sequentem nostram conclusionem possent opponi, postea soluentur.

Quia vel debent esse omnia inæqualia vel omnia æqualia.

Sed fundam. huius cōcl. nobis est. quia vel dicere oporteret, omnia indiuidua speciei hoc modo sumptæ esse inæqualia, nec posse duo æqualia inueniri. Aut dicere oportebit oīa esse ęqualia, nec posse duo intrinsecè inæqualia reperiri. Ex his duobus magis eligendum est hoc secundum: quia, vt iam ostendimus, non est credibile, non posse in quacunq. specie prædicabili, vnicuique indiuiduo dato aliud & alia æqualia associari.

Oportere aūt alterutrum ex illis duobus asserere, sic probamus. Nō aliud mediū inter illa excogitari pōt, nisi dicēdo: posse intra speciē, signando certū aliquod indiuiduum, reperiri alia ipsi æqualia, & alia magis aut minùs perfecta. Si aūt hoc dicatur. Iā considerētur omnia indiuidua inter se ęqualia in certo perfectionis gradu, & alia rursus inter se æqualia in alio, aut maiori, aut minori perfectionis gradu, & sic de omnibus perfectionis gradibus intra illam speciē possibilibus. Tunc planè probamus intentum. quia in his indiuiduorum classibus, dantur hi cōceptus & hæc prædicata, indiuiduum tantæ aut tantę perfectionis; v.g. Anima rōnalis tātæ perfectionis: quilibet ex his cōceptibus est cōis omnibus singularibus participātibus intrinsecè eū perfectionis gradum: ergo hic est cōceptus proximè cōis ipsis singularibus, qui prædicatur de pluribus numero differentibus: ergo hic est cōceptus speciei infimæ prædicabilis logicè loquendo: & omnia hæc huiusmodi prædicata mediant inter illam primā quę dicebatur species & vltima indiuidua. Ergo illa non erat species infima logicè loquendo: sed potius habet cōitatem genericam, & proximè diuiditur in conceptus illos inæqualis perfectionis: & tandē hi diuiduntur in vltima singularia, vnusquisq. in singularia inter se intrinsecè paria. Itaq. fieri nō pōt, vt sub cōceptu speciei infimę logicè sumptę, indiuidua sint, nisi æqualis pfectionis indiuidualis.

Alioquî qua inæqualia sunt, differūt specie.

Respōderi pōt 1. ad hoc argum. Illos conceptus designantes certos perfectionis gradus, non esse specificos: quia illa determinatio tantæ vel tantæ perfectionis includitur in differentijs indiuidualibus, quatenus in natura specifica condistinctis, & tota illa inæqualitas in solis singularitatibus exercetur: & sic solū sequi, indiuidua esse inæqualia in suis entitatibus singularibus, non autem penès conceptus specificos.

Hæc responsio sibi ipsi repugnat. Nā in ipsis entitatibus seu differētijs indiuiduorū attendi debent duo cōceptus. Vnus est quo indiuidua habent entitatē tantæ perfectionis in certo gradu. Alius est quo indiuiduū est hoc aut illud. In primo cōceptu conueniunt oīa talia indiuidua. In secūdo distinguuntur. Ergo primus ille cōceptus non est differētia indiuidualis huius aut illius indiuidui: sed planè est cōceptus specificus, de pluribus differentibus numero prædicabilis. Et differentia indiuidualis solùm erit vltima hęcceitas, qua dicitur indiuiduū esse hoc aut illud. Ergo iā illa determinatio tantæ aut tantæ perfectionis, dici nō pōt includi in differentijs indiuiduantibus prout à natura specifica condistinctis, seu prout ab omni gradu cōi atq. cōicabili distinguuntur. Et illa inæqualitas dici non pōt in solis differentijs indiuiduātibus exerceri: nisi dicerent, nullum indiuiduum posse æquale alteri, cum eoquè conueniens in gradu illo tantæ perfectionis, reperiri.

Atq. si dicatur inæqualitas inuolui in ipsis differētijs indiuiduantibus:

Responderi pōt 2. addendo ad præcedentē responsionē, Vltimam hæcceitatem huius aut illius indiuidui, non distingui perfecta præcisione rōnis ab illo cōceptu qui importabat determinationē tātæ perfectionis: sed ad summum posse distingui eo modo quo hæc singularitas à singularitate in cōi. Et ideò dici determinationē illā tātæ perfectionis includi in ipsis singularitatibus. Et propterea conceptū illū non habere cōitatē specificā nec vniuocam respectu suorū indiuiduorum, sed tm̄ analogicā: quia ad cōitatem specificā & vniuocā requiritur perfecta præcisio. Et ideò nō impedire, quominùs prima illa quæ dicebatur species, sit propriè species logicè

logicè loquendo, dum iam non habet sub se alias species prædicabiles.

Non minuitur difficultas. Hæc responsio est adhuc insufficiens, nec sibi suisq. fundamentis cohæret. Et primò non pôt habere locũ in nostra sententia, qua vniuersaliter dicebamus, differentias indiuiduantes nõ distingui perfecta præcisione à natura specifica, & non plus distingui quã ab ipsa singularitate in cõi. Vnde conceptus ille dicens determinationem tantæ perfectionis, non minùs habebit communitatem vniuocã & specificam, quàm omnis alia natura specifica.

Imo augetur. Secũdò deinde hæc respõsio facit mediare conceptus analogos, & ideò non specificos, inter illã quã dicit speciem, & vltima indiuidua: atque adeò fateri cogitur, speciẽ immediatè diuidi in cõceptus illos analogicos, immediatè ad illos descẽdere & contrahi, ac per illos tandẽ ad vltima indiuidua. V.g. Aĩa prius diuidetur in aĩam tantæ, aut tantæ perfectionis. Et postea aĩa tantæ perfectionis diuidetur in hanc & illã aiam. Vnde adhuc illa species non est proximũ & vltimũ prędicatũ cõe indiuiduis: nisi fortè minùs absurdũ sit, interponere cõceptus hos analogicos quã vniuocos. Equidẽ arbitror, potius esse absurdũ, cõceptus analogicos interponere. Quia ex quo incipit contractio supremi gradus vniuoci ad inferiora: semper fieri debet per gradus vniuocos intermedios, non aũt analogicos, vsq. ad vltima indiuidua. Neq. apparet, quare nõ præstet dicere, illos cõceptus esse vniuocos sicut cæteros. Et eos qui hoc dixerint, nulla ratione in contrarium poterunt conuincere aduersarij.

Nec dicitur coherenter. Tertiò præcipuè eadẽ prorsus rõ est de vltimis hæcceitatibus indiuiduorũ respectu illius conceptus cõis, quę in vniuersũ est de singularitatibus rerũ respectu naturæ specificæ: ergo vel oẽs, vel nullæ, dici debent perfecta rõnis præcisione esse distinctæ. Esse aũt eandẽ ronẽ patet. quia ita indiuidua æqualis perfectionis coueniunt in illo conceptu cõi, sicut couenire solẽt indiuidua in natura specifica; & subinde per hęcceitates proprias distinguũtur: & oĩa alia paria sunt. Quod vt magis appareat: dicamus nos, ita esse in vniuersum de rerũ hæcceitatibus sentiendũ, videlicet non distingui à natura specifica: vt videamus quã rõnem opponãt. Et ita-tim eadẽ rõ paribus vicibus retorquebitur cõtra id quod dicitur hęcceitates vltimas non esse ab illo cõi cõceptu distinctas. Et, si vt hoc defendatur, soluetur ratio: eadẽ solutione vtemur nos, dum nobis illa ratio opponebatur.

Quartò. Vel illa ratio determinationis tantæ perfectionis, distinguitur perfecta præcisione à natura cõi, vel non. Si nõ distinguitur. Cũ rursus vltimæ hæcceitates dicantur non esse ab illa rõne distinctæ: ergo nec distinctæ sunt à natura cõi. Et tota responsio ruit. Si distinguitur. Tunc eadẽ rõ apparebit, vt hæcceitates debeãt ab illo cõceptu tãtæ perfectionis esse distinctæ. Nam sicut se habet ad aĩam in cõi differẽtia quæ additur tãtæ perfectionis: ita ad aĩam tantæ perfectionis differentia quæ additur talis hæcceitatis. Et quęcũq. rõ afferatur: facilè ostendetur, vel vtranq. distinctionẽ, vel nullam posse cõuincere. *Eadem q. ratio est de omni natura cõmuni in singularibus.*

Dico 4. Posse sub aliqua specie physicè sumpta, indiuidua inæqualia reperiri, seu inæquales indiuiduorũ classes, quarũ alia sit magis, alia minùs perfecta, & in qualibet sint vel esse possint plura ac plura indiuidua inter se æqualia Concl. probatur exẽplis. Et præcipuè exemplo aiæ rõnalis propter quã maximè hæc inæqualitas indiuiduorũ excogitata est. Anima rõnalis accipitur physicè tanquã vna species: & facillimè intelligitur, intra hãc speciẽ esse possibilẽ aliã aĩam maioris virtutis in operando ex vi sua intrinseca, quę meliùs vti possit organis corporeis, speciebus intentionalibus, ac etiam separata à corpore meliùs quã alia operari possit. Et sic plures ac varij sint gradus inæquales aiæ: & in quolibet ex his gradibus plures aiæ inter se prorsus similes & æquales multiplicari possint. Similiter in speciebus aliarum animarum, sensitiuarum, ac vegetatiuarum. Idem insuper intelligi pôt in alijs formis. v. g. in specie aquæ, vnam formam esse validiorem ad restituendas sibi suas qualitates, quando imminutæ fuerint, aut alijs similibus modis. Et in ipsis qualitatibus, illi qui volũt gradus esse æterogeneos, faciunt gradus intrinsecè inæquales: & tamẽ vna est physicè species caloris, vna frigoris; quia omnes gradus inter se continuari possũt, vt vnus sit in subiecto calor totalis vt octo, frigus vt octo. *Sub specie physicè sũpta possũt indiuidua inæqualia reperiri.*

Cæterùm nō propterea dicimus, rē de facto in huiuſmodi indiuiduis ita ſe habere Sed modò tantùm inquirimus quod poſſibile eſt,& ad hūc effect ī exēpla ponimus. Quid ſit autem de facto ſentiendum, ad propria rerum loca remittimus.

Iuxta has duas conclusiones fortaſſe conciliari poſsūt loca S.Thom Quādo ſignificauit indiuidua nō poſſe eſſe inæqualia,intelligatur iuxta concl.3.Quādo dixit eſſe animas inæquales, intelligatur iuxta concl.4.In ſenſu etiam concl.3. debet intelligi Ariſt. pro 2. ſent. allegatus. Plura autē ſunt quæ circa animā rationalem ſpecialiter dicenda forent. Sed hæc non ſunt huius loci: & differenda ſunt vſque ad proprium tractatum philoſophicum in libris de Anima.

Ex æqualitate ſingularitatū non ſequitur vniuocatio.

In contrariū Obijcies 1. ad probandū, oēs differentias indiuiduātes eſſe debere inæquales. Si eſſent æquales,conuenirent inter ſe vniuocè: quia quæ æqualia ſunt, in quo ſunt æqualia,vniuocè conueniunt. Conſequens eſt abſurdū: qm vlterius ſequeretur,differētias indiuiduantes debere per alias differētias eſſe diſtinctas: vnde ſequeretur tandē proceſſus in infinitū.

Reſpondetur 1. Hoc argum. in noſtra ſententia nullā habere vim.Iā enim diximus,quò differentiæ indiuiduantes in cōceptu cōi conueniant: nec indigeāt aliis differentijs, quibus adinuicē diſtinguantur. Secundò. In nulla ſent. habet vim: quia conuenientia vniuoca nō ſumitur ex æqualitate perfectionis.Sed ſiue differentiæ ſint æquales, ſiue inæquales, ſtare pōt conuenientia vniuoca, ſi aliud nō obſtet. Quòd ſi quid aliud obſtet, non ſufficit æqualitas differentiarum ad fundandam conuenientiam vniuocam.

Quamuis differentiæ ſpecificæ, non autē indiuiduales, ſint inæquales.

Obijcies 2. ad probandū poſſe vltimā ſpeciē contrahi ad indiuidua per differētias inæquales.Genus contrahitur ad ſpecies per differētias ſpecificas inæquales, quarū vna ſit perfectior alia: ergo pariter poterit ſpēs ad indiuidua vltima cōtrahi per differentias indiuiduantes inæquales.

Reſp. Illam ſpeciē apud nos non poſſe contrahi per differentias inæquales, quæ ita eſt vltima,vt in ſuo conceptu intrinſeco dicat certū perfectionis gradū: qui,vt ſupponimus,pōt non ſolūm in vno,ſed in pluribus indiuiduis reperiri, & qui etiā dicit totalē æqualitatē inter ipſa indiuidua. Vnde patet ex terminis repugnare, talē gradū contrahi per differentias inæquales;et inter talia indiuidua,alia magis, alia minus perfecta in proprijs entitatibus inueniri.Omne autē genus,ſiue omne prædicatū, quod non determinat certum perfectionis gradū in ſuis inferioribus, ſeu in quo conueniunt illa quæ ſunt in proprijs rationibus inæqualia, vltrò contrahitur per differentias inæquales, & ſub ſe continet ſpecies inæqualis perfectionis.

Indiuidua ſubſtantiæ, ſi ſunt inæqualia,nō ſuſcipiunt magis & minus.

Obijcies deinde 3.ad probandū ex oppoſito,nec etiā ſub ſpecie phyſicè ſumpta poſſe eſſe indiuidua inęqualia,ex Durādo in 2. d. 32. q.3. num.8. In illis formis, in quibus intra eandē ſpeciē dicitur magis & minus perfectum, hoc non pōt eſſe niſi ſecundùm intenſionem, & ſecundùm magis & minus: ita quòd daretur magis & minus homo, magis & minus ignis. Sed hoc,formis ſubſtantialibus repugnat: quia ſubſtantia non ſuſcipit magis & minus. Ergo in formis ſubſtantialibus eſt impoſſibilis hæc inæqualitas.

Ad hoc benè reſpondet Caiet.Subſtantiæ repugnare, vt eadem forma ſubſtantialis poſſit intendi & remitti,poſſit ſucceſſiuè recipere magis & minus,ſicut accidit in qualitatibus. Sed non repugnare, quòd vna forma inuariabiliter ſit perfectior alia. Nec propterea ſequitur, dici debere magis aut minus homo, &c. quia hoc ſolùm dicitur in qualitatibus: ſed tantùm dici debere, magis aut minus perfectus homo. Sicut etiam non dicimus, homo eſt magis animal quàm brutum, ſed eſt magis perfectum animal.

Nō ſequitur, Mundum eſſe in ſua perfectione inſtabilē.

Obijcies quartò ex Fonſeca. Si indiuidua eſſent inter ſe inæqualia, ſequeretur Mundum non ſemper eſſe æquè perfectum ſecundùm ſubſtantiam: quoniam modò exiſterent indiuidua nobiliora, modò ignobiliora. Conſequens autem eſt falſum: quia omnes Philoſophi docent, & ſacræ litteræ ſignificant, Mundum eſſe perfectum & optimè conſtitutū.

Reſpondetur in primis negando conſequentiam. Quia etſi poſſibilia ſint indiuidua inæqualia, atque eſto etiam de facto eſſent: tamen dici poſſet, pro indiuiduis quæ deperduntur alia æqualia ſuccedere, & ſic ſemper Mundum in eodem ſtatu conſeruari. Secundò, admit-

mittendo consequens: & dicendo, Mundum semper esse æquè perfectum secundùm species rerum; sed non oportere semper esse æquè perfectum secundùm indiuidua. Quod in omnium sententia manifestè probatur. Nam non solùm in accidentibus, in quibus etiam Mundus perfectus est & optimè institutus: sed etiam in substantijs, modò existunt plura, modò pauciora indiuidua specierum: modò abundat magis indiuiduis species aliqua magis perfecta, modò alia species minùs perfecta. Nec ergo esset inconueniens intra eandem speciem inæqualia indiuidua variari.

Nõ sequitur de indiuiduis dari definitiones ac demonstrationes.

Obijcies quintò ex eodem. Si indiuidua essent inæqualia, sequeretur de ijs posse formari definitiones & confici demonstrationes: quia ipsa indiuidua haberent proprias quidditates, proprias etiam passiones. Consequens autem est contra Aristot. & cæteros Philosophos.

Respondetur. Siue indiuidua sint æqualia siue inæqualia, dũmodò dicantur proprias differentias indiuiduantes habere; posse hanc difficultatem moueri. Sed non cõuincit: vt patet supra sect. 9. ad 2. Quòd si ratione inæqualitatis sequitur, magis propriè de indiuiduis inæqualibus dari posse suas definitiones & demonstrationes: iam dicimus, conceptus illos proximos, in quibus omnia indiuidua inter se æqualia conueniunt, esse species prædicabiles. Et de ijs poterũt magis propriè definitiones demonstrationesq. concedi.

Non sequitur indiuidua semper deteriora produci.

Obijcies 6. Si indiuidua essent inæqualia, sequeretur quòd dum vnum indiuiduum producit aliud vel minus vel magis perfectũ, semper esset causa æquiuoca, non vniuoca. Imò semper deberet producere minus perfectũ, si producit inæquale. At inconueniens esset dicere, rerum indiuidua semper in deterius commutari.

Respon. In primis posse produci æqualia ab æqualibus. Secundò. Etiã inter inæqualia, causa dicenda est vniuoca: quia hæc denominatio maximè sumitur ex cõueniẽtia in specie physicè appellata. qua ratione etiam dum calor vt octo producit calorem vt vnum, dicitur causa vniuoca. Tertiò. Non oporteret semper indiuidua minus perfecta produci: quia quæ à causis æquiuocis, v. g. à causis cælestibus, fiunt, possunt perfectiora præ alijs prioribus effici: & ex consortio earundem causarum possunt etiam à minùs perfectis indiuiduis interdum perfectiora produci.

QVÆSTIO DECIMA.

De Genere.

OPortet iam de singulis vniuersalibus in speciali differere. Et primo loco de Genere. Quod, cùm dicatur essentialiter, & in quid, & de pluribus speciebus; proculdubio præcedere debet alia duo quæ dicuntur acciden aliter, & differentiam quæ dicitur in quale, & speciem quæ dicitur solùm de indiuiduis; & ob alias rationes quæ facilè cogitari possunt. Quomodo autem hic accipiatur nomen generis, & ex dictis in Instit. & ex textu Porphyrij satis constat.

SECTIO PRIMA.
Quid sit Genus: Et qua ratione differat ab alijs vniuersalibus.

QVia vt notissimum supponitur, genus esse: statim inquirimus quid sit genus. Et quia satis iam dictum est de vniersali in quo genus cum alijs cõuenit, solùm superest explicare quæ sit propria ratio generis, per quam ab alijs vniuersalibus discernatur. Vbi etiam satis constat, genus inesse suis inferioribus essentialiter: & per hoc satis differre à proprio & accidenti. Difficultas autem est, quæ sit propria ratio eius, per quam à specie & differentia, quæ etiam essentialiter insunt, distinguatur. De qua re aliquot pauci dicendi modi afferendi & examinandi sunt.

Prima sẽ-

Primus dicendi modus satis frequens

tentia, genus esse quid inest per modū partis materialis. inter recentiores Auctores est, propriã rationem generis, idest vniuersalitatem genericam, in eo sitam esse, quòd natura generica apta est in suis inferioribus tanquam pars materialis essentiæ reperiri. Quia per hoc quòd inest tanquam pars, differt à specie quæ inest tanquam tota essentia: per hoc quod inest tanquã pars materialis, differt à differentia, quæ inest tanquam pars formalis. Et putant Auctores huius sententiæ, hunc esse vnicum & necessarium modum illa tria vniuersalia distinguendi: & alioqui non sufficienter & essentialiter distingui genus à specie eo solùm, quòd genus inest pluribus speciebus, species indiuiduis. Quia illa quidem diuersitas sumitur ex parte modi essendi, & ita per se & formaliter se habet. Hæc autem diuersitas non est ex parte modi essendi, sed solùm ex parte eorum in quibus genus & species inest, atque adeò per accidens se habet.

Hæc sententia nõ est vera. Hic tamen dicendi modus nobis probari non potest, iuxta alia quæ dicturi sumus in sequentibus.

Primò & præcipuè. quia supponit, genus & differentiam debere omnino se habere tanquam duas partes essentiales constituentes speciem, ad quod sequitur saltem rationis distinctio cum perfecta præcisione vnius gradus ab alio. At nos postea dicemus, id non esse necessarium. Quin potius genus posse & solere inuoluere totam essentiam rerum à quibus sumitur, non relinquendo differentias à se condistinctas: atque adeò differentias non se habere ad modum partis superadditæ, sed solùm per modum conceptus magis expliciti. Non ergo potest ratio generis eo modo designari, quod habet inesse per modum partis materialis.

Non benè distinguit genus à specie. Secundò vlterius, si genus omnino debet habere differentias sibi superadditas: etiam species dum ad indiuidua contrahitur, debet habere suas differentias singulares; & ita quidem supponunt Auctores illius sententiæ. Ergo in rigore etiam species est pars, & non tota entitas intrinseca indiuidui. Dicunt autem differentiam indiuidualem esse gradum tantùm materialem, non verò formalem & essentialem: ita non obstare, quominus natura specifica dicatur tota essentia indiuidui. Sed certè negare non possunt, ita esse intrinsecam & constitutiuam indiuidui suam differentiam indiuidualem, sicut speciei suam differentiam specificam. Atque adeò, si essentia sumatur pro tota entitate intrinseca rei, quo pacto vnum indiuiduum habet vtique essentiam suam propriam distinctam intrinsecè ab essentia alterius, verè vltimam differentiam esse gradum essentialem indiuidui, qui gradus concipitur etiam præscindendo ab existentia actuali per modum meræ essentiæ, & potest vt sic prædicari de suo indiuiduo per propositionem æternæ veritatis. Imo sicut genus dicitur pars materialis respectu differentiæ à qua determinatur: ita natura specifica dicetur pars materialis respectu singularitatis à qua pariter determinatur. Solùm ergo hoc discrimen interuenit, quòd differentia indiuidualis est gradus infimus vlterius incommunicabilis pluribus, & ideo subijcit rem omnibus prædicatis communibus, & propterea dicitur gradus materialis: differentia autem specifica est adhuc communicabilis pluribus indiuiduis, & ideo dicitur gradus formalis & essentialis. Igitur totum discrimen recurrit ad hoc, quòd naturæ specificę superadditur differentia vltimą incommunicabilis, naturæ verò genericæ differentia specifica communicabilis: in modo tamen essendi per modum partis respectu totius entitatis ambæ conueniunt. Hoc autem non est aliud, quàm dicere, genus posse esse in pluribus speciebus, speciem solùm in pluribus indiuiduis. Iam ergo solùm ex hac parte, & non ex modo inessendi, sumitur diuersitas generis & speciei.

Tertiò præterea non benè distinguitur genus à differentia per discrimen partis materialis & formalis. Nam natura vniuersalis debet comparari ad ea multa respectu quorum est vniuersalis: & propria ratio vniuersalis debet sumi ex certo respectu naturæ ad ipsa multa in ordine ad quæ est vniuersalis, siue ex modo essendi in ipsis multis. Sed esto differentia respectu generis, siue respectu speciei quam simul cum genere constituit, se habeat tanquam pars formalis: tamen si comparetur ad inferiora respectu quorum est vniuersalis, & in quibus contrahitur *Nec etiã à differentia.*

& di-

& diuiditur; planè se habet tanquam pars materialis, non minus quàm ipsum genus. Nam se habet tanquam pars determinabilis per vlteriores differentias contractiuas, & se habet quasi in se recipiens ipsas differentias per quas contrahitur. Vnde quando genus subalternum constitutum ex alio genere superiori & sua differentia contrahitur ad species inferiores: totum quod est in ipso genere, etiã differentia cõstitutiua eius, subit talem determinationem & contractionem, per modum partis materialis, respectu speciei ad quam contrahitur, siue differentiæ contractiuæ ad talem speciem. Igitur nullatenus possunt illo modo distingui duæ vniuersalitates sub ratione formali vniuersalitatis, quæ constituant duo vniuersalia essentialiter diuersa.

Quartò videtur etiam illa sententia supponere, semper in omni specie interuenire differentiam propriam eius, contractiuam generis ad ipsam speciem, cum perfecta præcisione rationis inter genus & differentiam. Quod si ex opposito dicamus, vt de facto dicemus in q. 13. non semper talem differentiam inueniri: sed sæpe differentiam ipsam esse communem etiam alijs speciebus extra illud genus: & non nisi per combinationem talis generis & differẽtiæ, haberi rationem propriam talis speciei, non communem alijs: sic certè non plus dici potest, hunc gradum genericum se habere materialiter, quia determinatur per differentiam; quàm è contra dici possit, illum gradum qui dicebatur differentia, se habere materialiter, quia determinatur per illum qui dicebatur gradus genericus. Nec est ratio discriminis, cur vni vel alteri gradui tribuatur vniuersalitas essendi per modum partis materialis vel formalis. Frustra ergo illo modo genus & differentia distinguebantur.

Secunda sententia, genus esse quod multiplicatur per intrinsecas differentias. Secundus modus dicendi est aliorum asserentium, propriam generis rationem, & discrimen à specie, consistere in hoc, quòd species est illa quæ multiplicatur in plura tantùm per materialem seu integralem diuisionem partium, idest per discontinuationem quantitatiuam, eo modo quo præcedenti quæst. dicebamus principium indiuiduationis esse quantitatem per continuationem vel disconti-nuationem: genus autem esse quod multiplicatur & diuiditur in plura per intrinsecas entitatiuas differentias. Vel aliter, speciem esse quæ multiplicatur in plura quæ apta sunt continuari inter se, siue actualiter sint continua, siue discontinua: genus autem esse quod ita intrinsecè & essentialiter multiplicatur in plura, vt hæc non possint inter se continuari, & efficere integraliter vnum. Et hoc modo intelligi, genus esse quod dicitur de pluribus differentibus specie, speciem quæ de pluribus differentibus numero: differre enim specie aut numero, intelligi duplici modo multiplicationis dicto. Atque hic dicendi modus est sanè valde conformis doctrinæ S. Thom. & aliorum dicentium, principium indiuiduationis esse quantitatem: atque in substantijs spiritualibus quæ non subduntur quantitati non multiplicari indiuidua sub vna specie, & Angelos omnes inter se necessariò differre specie, & conceptum communem quibuslibet pluribus Angelis, non esse speciem prædicabilem, sed esse genus vniuersale. Et Sotus hic in quæst. de Specie ad. 2. ita planè supponit differre genus ac speciem.

Iuxta hunc dicendi modum asserendũ videtur, posse hoc quidem modo distingui duo vniuersalia, duasque vniuersalitates formales essentialiter differentes. Nam sine dubio datur dictus duplex modus multiplicationis, atque adeò duplex modus essendi in pluribus. Vnde etiam diuersa aptitudo resultat ad essendum vno vel alio modo, & ita diuersa vniuersalitas. Imo iam quæstione præcedenti affirmauimus, posse vno modo sumi indiuiduum & principium indiuiduationis illa ratione quæ in hac sententia supponitur: iuxta illam ergo acceptionẽ indiuidui, benè procedit hæc distinctio duplicis vniuersalis. quia vnum vniuersale dicitur per respectum ad indiuidua eo modo sumpta: aliud vniuersale per respectum ad ea quæ plusquam eo modo diuiduntur, scilicet per intrinsecas & quidditatiuas differentias. *Hæc sententia distinguit quidẽ plura vniuersalia.*

Attamen quod attinet ad explicationem & discrimen assignandum generis ac speciei, nimis benè tali modo designatur genus & species: sed species quidem nimis restringitur genus autem *Sed nõ rectè assignat genus et speciem.*

 nimis

nimis ampliatur contra vsitatum magis & commodum loquendi modum. Nam duplex etiam modus assignandi in dicta sententia continetur. Prior quidem videtur magis seruare rigorem illius distinctionis, sed magis à recta via aberrare, supposita doctrina à nobis tradita de distinctione indiuiduorũ. Nam diximus, etiam illa indiuidua quę dicuntur per determinationem quantitatis distingui distinctione numerali; verè, imo principaliter, distingui intrinsecè & entitatiuè per suas intimas differentias: quam distinctionem æquè retinent, siue talia indiuidua diuisa & discreta, siue vnita & continuata sint. Sequeretur ergo, conceptum cõmunem talibus indiuiduis, consideratum quatenus aptum diuidi in illis per intrinsecas entitatiuas differentias, esse genus. V. g. conceptum aquæ communem huic & illi aquæ, huic & illi parti vnius aquæ continuæ, esse genericum. Quod tamen est contra omnium loquendi modum, & nullatenus admittendum.

Nam species etiã multiplicari potest per intrinsecas differentias.

Posterior autem assignãdi modus euadit quidem hoc inconueniens: quia dicit, illa omnia quæ apta sunt continuari, etiam quatenus differunt entitatiuè per intrinsecas differentias, differre solùm numero non specie; & conceptum ijs communem esse specificum, non autem genericum. Illum autem conceptum esse genericum, qui aptus est diuidi per tales differentias entitatiuas, quæ non compatiantur secum continuationem earum rerum quæ sic diuiduntur; non verò omnem illum conceptum qui vtcunque aptus est diuidi per differentias entitatiuas. Vnde sine dubio hic modus est longè præferendus priori modo. Attamen habet adhuc aliud inconueniens. quia cogitur admittere; quæcunque sint diuisa per intrinsecas differentias, ita vt inter se continuari non possint, esse species immediate contentas sub genere; & conceptum ijs communem esse genericum: etiamsi ipsa sint vltima singularia, quæ in alia plura diuidi non possint. Quod quidem vltro asserũt Auctores illius sententiæ, & in Angelis de facto volunt ita esse. Sed est contra magis probatum sentiendi & loquendi modum. Nam potius genus dicitur illud, quod sub se habeat plures species prædicabiles, quæ scilicet species habeant plura indiuidua, & conceptus proximè communis singularibus incõmunicabilibus, potius censetur vniuersale species, non vniuersale genus. Ita ostendemus in sequenti modo dicendi. Imo etiam ab eorummet sententia videtur alienum consequens illatum: quatenus ipsi intantum dicunt, singulos Angelos differre specie, & immediatè contineri sub genere, inquantum supponũt omnes esse inter se ita differentis naturæ, vt essentialiter natura vnius sit perfectior natura alterius: nec possint inueniri duo æqualis perfectionis, & naturæ prorsus similis. Quod si crederent, possibiles esse plures, similes prorsus & æquales essentialiter, solummodò differentes per esse hic & ille, sicut differunt hæc & illa aqua: non credo dicere, tales differre specie, & conceptũ naturæ tãtæ vel tantæ perfectionis illis immediate communem, esse genericum. Quin potius dicerent, illos differre tantùm indiuidualiter, & talem eorum communẽ conceptũ esse specificum. Non ergo rectè dicetur genus esse illud, quod aptũ est vtcunque multiplicari in plura taliter diuisa vt inter se cõtinuari nõ possint.

Tertius modus dicendi hinc posset sumi, dicendo: genus esse illud quod multiplicari potest in plura, quæ sint dissimilis & inæqualis perfectionis essentialis, & ideo dicantur differre specie. Verùm hic etiam deficit. Tum quia adhuc sequetur, etiam si ista plura non possent rursus multiplicari in indiuidua, illud esse genus: quod non est admittendum. Tum quia è contra benè intelligi potest, vt dicemus in quæst. de specie, inueniri naturas inter se essentialiter diuersas, & tamen æqualis perfectionis, quæ rursus diuidi possent in plura indiuidua; quæ naturæ verè essent species prædicabiles, atque adeo contentæ sub genere: ergo non est de necessitate generis, posse multiplicari in species inæquales. Tum specialiter illi qui volunt etiam inter indiuidua eiusdem speciei inueniri posse inæqualitatem perfectionis intrinsecæ, non possunt tali modo explicare genus.

Tertia sententia, genus esse quod multiplicatur per differẽtias inæquales.

Quartus ergo & optimus dicendi modus est: vniuersale genus esse illud, quod potest essentialiter multiplicari in plures species, species scilicet prædicabiles de pluri-

Vera sententia, genus esse quod con-

uenit pluribus speciebus, seu pluribus vniuersalibus.

pluribus alijs sub se contentis, seu in plura vniuersalia: & in hoc differre à specie vniuersali, quòd species tantùm pôt multiplicari in indiuidua. Itaq; vñle genus cõsistit in hoc, quòd habet sub se alia vñlia: cùm vniuersale species non habeat sub se, nisi tantùm singularia. Hic dicendi modus primò est planè de mente Porph. qui sic expressè definiuit & explicauit genus, atque à specie distinxit. Cap. de Genere ait, genus differre à specie, quia species dicitur tantùm de differentibus numero, vt hõ de Socrate & Platone: genus verò de differentibus specie, vt animal de homine & boue & equo. Et cap. de Specie docet, species alias esse specialissimas & infimas, quę scilicet sunt species prædicabiles; alias subalternas & intermedias, quæ sũt quidẽ species subijcibiles respectu generis superioris, sed sunt genera respectu aliarũ specierũ sibi subditarũ. Itaq; assignat quidẽ quasdam species subijcibiles & non prædicabiles: non tñ quasi vlla species subijcibilis sit, quæ non dicatur de pluribus, nõ solùm indiuiduis, sed etiã speciebus. Et omninò vult, oẽm speciẽ dici de pluribus, & omne genus habere sub se alia vniuersalia, & non esse infimum vniuersale. Et capite vltimo eadem repetit.

Est de mẽte Porph.

Imo Aristotelis.

Secundò. Hoc etiam modo Arist. vbiq; accepit & intellexit genus, atq; à specie distinxit: vt videre est 1. Met. 3 3. 7. Me. 51. 1. Top. c. 4. 1 de Part. aĩal. c. 5. & vbicunq; hac de re meminit. Eadẽ planè fuit sententia aliorũ Peripateticorũ, & veterũ, qui nõ aliter nominarũt genus vñle, nisi quod continet sub se alia vñlia, & species quæ sint adhuc cões pluribus. Nec putarunt genus esse quod sit infimum vniuersale, prædicabile de solis vltimis singularibus.

Est rationi conformis.

Tertiò. Ratione nõ alia hæc res debet ostẽdi; nisi quia manifestũ de se est, dari hãc distinctionẽ inter vniuersalia & prędicata essentialia, quòd aliud dicatur de solis vltimis singularibus, aliud habeat sub se etiã vniuersalia. Et hæc duo poterãt vtique distinctè nominari, & assignari. De facto autẽ ex cõmuni & antiquissimo loquendi modo cõstat, vnũ ex his appellatũ esse genus, aliud speciẽ. Sic ergo debet genus explicari, & a specie distingui.

Benè distinguit genus à specie.

Quartò. Inter hos duos modos vniuersalitatis, benè dici potest dari diuersitatẽ essentialẽ, qualis in secũdis intẽtionibus interuenire potest. Nã vniuersalitas generis fit per abstractionẽ ab alijs vniuersalibus, & per comparationem ad alia vniuersalia sub ipso contenta: vniuersalitas autem speciei per abstractionem & comparationem solùm ad singularia. quæ diuersitas est planè sufficiens: licèt genus & species non aliter differant in modo essendi in suis inferioribus: nisi modus essendi appelletur, esse in pluribus vniuersalibus, aut solùm singularibus. Imo etiam in entibus realibus solent aptitudines & relationes essentialiter distingui solùm per respectum ad diuersos terminos: licèt alioqui in modo respiciendi conueniant.

Fundat coordinationẽ prædicamentorum.

Quintò. Hic modus assignandi & distinguendi genus & speciem est, qui maximè deseruit ad prædicamenta coordinanda, vbi disponuntur prædicata superiora & inferiora incipiendo à genere generalissimo, & descendẽdo per genera intermedia & species, vsq; ad singularia quæ vlterius nõ multiplicantur in plura: Igitur hic modus omnino retinendus est.

Cæterùm fateor, per hunc modum non traditum esse discrimen generis à differẽtia. Sed si quidẽ sumatur differẽtia specifica, ab hac planè differt genus, sicut ab ipsa specie. Si autem sumatur differentia generica, fortasse non oportet illam à genere distinguere in ratione vniuersalis. Sed de hac tota re propria quæstione de differentia agemus. Item fateor, non adhuc explicatum esse discrimen generis à prædicatis quæ dicuntur trãscendentalia, & superant omnia genera etiam generalissima, vt ens, res, & similia. Sed de hac quoque re in sequentibus agemus.

An sequatur, plura alia vniuers. lia debere distingui.

In contrariũ Obijcies primò. Si sufficit sola diuersitas inferiorum ad distinguẽda vniuersalia absque alia diuersitate in modo respiciendi illa: ergo innumera distinguenda erunt vniuersalia: quia est infinita diuersitas rerum. Et omnis natura diuersa ab alia, erit vniuersale distinctum, non solùm materialiter, sed etiam formaliter & essentialiter, quod est contra omnes Doctores.

Respondetur. Reuera quidem tot esse vniuersalia diuersa, quot sunt naturæ vniuersales: alia enim est species hominis, alia leonis, & sic de alijs. Imo hæc diuersitas non solùm est in ipsa natura;

sed

sed etiam suo modo in ipsa vniuersalitate: alia est enim vnitas, aliaquè aptitudo & relatio naturæ humanæ ad homines, atque naturæ leoninæ ad leones. Hæc tamen diuersitas appellatur materialis, quia tota prouenit ex parte primæ intentionis. Sed præter hanc, alia diuersitas est quæ prouenit ex parte secundarum intentionum. Quòd scilicet vnus modus vniuersalitatis sit respicere plura vniuersalia, alius respicere solùm plura singularia. Et hæc dicetur diuersitas formalis in ratione vniuersalis, quæ in re præsenti non quidem innumera, sed duo vniuersalia distinguit, scilicet genus & speciem.

Obijcies secundò. Saltem sequitur intra ipsum genus plura adhuc vniuersalia formaliter distingui, nempe genus generalissimum quod habet sub se genera, & genus subalternum quod habet sub se tantùm species: imo tot genera, quot gradus intermedij esse possunt inter summũ & infimum genus.

Respondetur, verè debere distingui hæc omnia genera. Quomodo tamen distinguantur, & quòd non tanta distinctione sicut genus à specie, tractabimus sect. vltima.

Obijcies tertiò. Si eo modo distinguuntur duo vniuersalia, genus & species: ergo etiam debent distingui duo vniuersalia differentiæ, ac etiam proprij: datur enim differentia & proprium conueniens pluribus speciebus, & conueniens tantùm pluribus indiuiduis.

Respondetur, verè dari hanc diuersitatem etiam intra latitudinem differentiæ & proprij: & ideò an propterea debeant in illis plura vniuersalia formaliter distingui, proprijs locis agemus.

Quomodo differat multiplicatio generis & speciei in plura. Obijcies quartò. Terminus immediatus ad quem vniuersale refertur, est actus essendi in pluribus, siue actus ipse multiplicationis: ergo si hic non est diuersus, etiam si ipsa plura diuersa sint, non fiunt diuersa vniuersalia. Sed non est diuersus actus multiplicationis generis in species, ac speciei in indiuidua: nam vtrunque multiplicatur & diuiditur essentialiter in plura se ipsa: ergo.

Respondetur. Hunc actum esse pariter diuersum, sicut differunt ipsæ species ab indiuiduis. Nam actus generis est multiplicari in plura se ipsa quæ sint rursus vniuersalia, & est ita esse in illis vt non sit vltimò determinatum, sed possit adhuc contrahi, in quo planè differt ab vniuersalitate speciei.

SECTIO SECVNDA.

An Genus definiri possit: Et quo sensu dici debeat definiri.

Difficultatis ratio. Qvia per definitionem optimè explicatur quid res sit: tradenda nunc est generis definitio. Sed prius videndum, quatenus genus definiri possit ac debeat. Quod sanè difficultate non vacat. quia cùm genus dicat & naturam realem & rationem formalem genereitatis, possitquè vel quoad alteram tantùm; vel quoad vtramque simul, quasi ex vtraque constitutum, accipi: difficultas est, quonã ex his modis sit definitionis capax, ac de facto debeat definiri. Quæ dubitatio aliter proponi solet, an definiatur prima intentio generis, vel secunda, vel vtraque simul. Vnde non quærimus, quomodo definiatur quodlibet genus secundùm se, nempè animal, corpus, substantia: sed quærimus de genere in communi, de quo hic agimus.

Opiniones variæ. Ammon. in c. de Gen. negasse videtur, genus vllo modo posse definiri. Scotus quæst. 14. Vniuersal. Caietanus cap. de Gen. Masius sect. 1. quæst. 6. Sanc. quæst. 41. Vallius quæst. 1. de Genere cap. 11. & quidam alij sentiunt, de facto definiri genus formaliter quoad secundam intentionem, non quidem in abstracto sumptam sub nomine genereitatis, sed in concreto sub nomine generis. Sotus quæstione vn. ca de Gen. art. 1. significat, definiri in recto quidem secundam intentionem, connotando tamen primam: idest definiri genereitatem, prout afficit naturam realem. Alij sunt qui è contra asserunt, in recto definiri genus quoad primam intentionem connotando secundam. Et fauet S. Thom. cap. 4. de Ente & essen. & multi explicant, secundam intentionem se habere vt conditionem sine qua non ita definiretur natura realis.

Dico

Genus potest suo modo definiri.

Dico primò. Genus non potest propriè definiri, sumptum præcisè pro natura reali, vel directè pro toto constituto ex prima & secunda intentione. Sed potius definiri potest sumptum formaliter pro ipsa genereitate, seu pro natura quatenus genereitati substrata. Explicatur & probatur conclusio. Genus sumptum pro natura reali comprehendit naturas omnes, tùm substantiæ, tum accidentium, omniumquè entium: ergo non plus potest definiri genus sic sumptum, quàm definiri possit ens in tota sua latitudine: quod sanè non potest propriè definiri, vt satis constat. Sumptum verò genus pro toto constituto, non est quid per se vnū; cùm sit aggregatū quoddam ex ente reali & rationis: non ergo potest vna definitione propriè definiri. Qua ratione nec etiam aggregatum ex rebus diuersorum prædicamentorum, aut compositum accidentale ex substantia & accidente, propriè definiri potest, vt omnes docent. Genus autem sumptum formaliter pro genereitate, seu genereitas ipsa; licèt sit ens rationis; tamen potest suo modo definiri, eo pacto quo vnum ex entibus rationis. Et cùm antea dictum fuerit, vniuersale in communi esse genus ad quinque vniuersalia formaliter sumpta: vt sic poterit genus propriè definiri per suum genus, addita differentia contrahente vniuersale in cōmuni, & determinante ad rationem talis vniuersalis. Et perinde est, si dicamus: definiri posse genus, in recto quidem sumptum pro natura reali, tamen quatenus stat sub ratione formali genereitatis, secundùm quam formalitatem sit capax definitionis, vt magis conclusione tertia explicabimus.

Dici non de et definiri directè quoad secūdam intentionem.

Dico secundò. Genus de facto in consuetis definitionibus nō definitur precisè sumptum pro secunda intentione, nec tantum pro prima, nec pro toto constituto, nec directè pro secunda intentione connotando primam. Probatur prima conclusionis pars. Genus definiri solet: quod aptum est esse in pluribus, prædicari de pluribus, &c. Sed hæ definitiones non verificantur de genereitate ipsa formali. Non enim hæc est, quæ apta est esse & prædicari de speciebus generi subditis: quinimo falsum esset dicere, genereitas animalis est in homine, vel homo est genus. Nec satisfacit Caiet. dicens, secundam intētionem esse in speciebus, & prædicari de illis, vt quo, non vt quod: idest esse rationem formalem, per quam fit prædicatio, non autem esse id quod prædicatur. Nam hæc ratio facit quidem, vt genereitas ipsa definiri possit dicendo, est ratio seu forma per quam natura realis constituitur apta esse in speciebus, & dici de illis. Sed quando definitur genus, quod aptum est prædicari, intelligitur planè quòd ipsummet genus prædicetur vt quod. Ita enim patet: tum ex rigore ipso verborum: tum ex communiori intelligentia: tum ex mente Porphyrij, qui ita sine dubio intellexit suam definitionem generis; statim enim proposuit pro exemplo, animal, quod vtique est id quod prædicatur; & sic in singulis vniuersalibus Porphyrius vtitur exemplis naturarum realium, non secundarum intentionum: tum demum quia præcipuum Logicæ intentum, non est directè considerare secūdas intentiones, sed potius res quæ ijs afficiuntur.

Nec etiam satisfaciunt alij Thomistæ dicentes, non solùm vt quo, sed etiam vt quod, secundam intentionem generis posse prædicari, illiquè hoc essentialiter conuenire. Et explicant prædicari per referri. Nam aliud est, secundam intentionem esse aptitudinem ipsam prædicationis, & relationem ipsam ad species; hoc enim verum est: & aliud est dicere, esse id quod est aptum prædicari, quod potest essentialiter prædicari, quod refertur essentialiter ad species: hoc enim apertè falsum est: quia potius illi repugnat prædicari de speciebus, & esse in speciebus, vt per se patet.

Neq. præcisè quoad naturam realem.

Probatur deinde secunda conclusionis pars, quia natura præcisè secundùm se, non est genus, non est vniuersale: quando ergo definitur vniuersale genus, non definitur natura realis præcisè sumpta. Fateor, definitionem posse tradi de natura reali quatenus fundamentum est vniuersalitatis, & quatenus eius aptitudo potest explicari realiter, vt suo loco diximus: tñ ad maiorem cōmoditatem vniuersalia sumuntur prout dicūt statum & aptitudinē rõnis, atque vt sic definiuntur.

Proba-

Neq. quoad vtrũq. vel quoad secundam intentionẽ connotan. do primã.

Probatur tertia & quarta conclusionis pars, sicut prima, quia nec totum constitutum ex prima & secunda intentione, nec secunda intentio connotans primam, est quæ de inferioribus generis prædicatur, vt manifestum est: in illis ergo definitionibus generis, definitum non est, vel totum aggregatum, vel secunda intentio ita sumpta. Sed si quis velit hæc vtcunque definire, alio modo definire deberet, per definitionem seu descriptionem quæ verè illis competeret.

Sed directè quoad naturam realẽ sub ratione formali secunda intentionis.

Dico tertiò. In consuetis definitionibus generis, definitur genus directè sumptum pro natura reali connotando secundam intentionem tanquam rationem formalem sub qua definiatur. Hæc est magis communis sententia doctorum hoc loco. Indicatur a D. Thom. de Ente & Essent. cap. 4. Et sequitur ex conclusione præcedenti: non enim alius modus superest. Et præterea probatur primò. Genus à Porphyr. definitur, quod aptum est prædicari &c. Sed propriè natura realis affecta vniuersalitate seu prædicabilitate, atque per ipsam formam prædicabilitatis, est huiusmodi: ergo omnino definitum in tali definitione, omniquè alia simili, est genus dicto modo sumptũ.

Secundò. Illud est definitum, cui conuenit, & de quo dicitur definitio; illa est ratio formalis, quæ est forma per quam definitio conuenit definito: sed in præsenti definitione, illud quod potest prædicari est natura generis: forma per quã constituitur apta prædicari, est prædicabilitas. igitur ipsa natura est definitum, prædicabilitas siue vniuersalitas, quæ est secunda intentio, est ratio formalis sub qua natura definitur.

Secunda intẽtio debet dici ratio formalis, nõ conditio.

Tertiò. Minus benè dicebant illi, qui secundam intentionem appellabant conditionem. Nam ad constituendam naturam aptam prædicari, prædicabilitas non se habet tanquam conditio, sed propriè tanquam forma: sed definitur genus quatenus aptum prædicari: ergo ipsa prædicabilitas non se habet vt mera conditio, sed potius vt ratio formalis huius definitionis, per quam scilicet formaliter natura constituitur & denominatur apta.

Quartò. Si quis definiret album, est coloratum disgregatiuum visus; certè definitum in hac definitione esset subiectum affectum albedine, & ratio formalis ipsa albedo. Nam subiectum ipsum propriè est coloratum disgregatiuum visus. Non enim ipsa albedo dici potest colorata, sed dicitur color: albedo autem est forma constitutiua subiecti in hoc statu, vt sit coloratum disgregatiuum visus. Sed ita prorsus se habet definitio generis. Ergo pari modo de hac definitione sentiendum & loquendum est. Atque quod modò dicimus de generis definitione, eodem pacto intelligendum est de definitione vniuersalis in communi suo loco tradita, ac de definitionibus cæterorum vniuersalium deinceps tradendis.

Genus definiri potest, quia est species vniuersalis.

Obijcies primò. Arist. 7. Metaph. cap. 11. dixit, speciem esse quæ definiri potest, quia species habet supra se genus per quod definiri possit: ergo genus definiri non potest.

Respondetur. Genus ipsum esse speciem vniuersalis in communi: & hoc esse genus generis & aliorum vniuersalium, per quod tàm ipsum genus, quàm cætera, definiri potest.

Habet vnitatẽ sufficiẽtem ad definitionem.

Obijcies secundò. Definitum debet esse vnum: sed natura quatenus secundæ intentioni substracta non est quid vnum: ergo non potest vt sic definiri.

Respondetur. Ad hoc vt res definiri possit, sufficere vnitatem rationis formalis sub qua definiatur, quando res definitur quatenus substat tali formæ. Tradi enim potest tunc definitio vna, per genus & differentiam quæ conueniant definito, eo modo quo illi conuenit ipsa forma. Si quis tamen quærere vellet definitionem ita perfectam, quæ esset de re, non solùm secundùm se, sed etiam cum sua ratione formali vna; fatemur, non dari, nec esse talem, definitionem generis.

Natura sub secunda intentione competit definitio.

Obijcies tertiò. Definitio debet competere rationi formali: sed definitio generis non competit secundæ intentioni: ergo hæc non est ratio formalis.

Respondetur. Negando antecedens: vt patet etiam exemplo, albi supra definitis nec enim dici poterat albedo est colorata. Et ratio à priori est: quia forma de qua nunc loquimur, non est id quod definitur, sed sub qua res alia definitur: nõ ergo debet illi cõpetere definitio, sed debet cõpetere rei ratione ipsius formæ.

Obijcies

Secunda intentio quo constituit definitum.

Obijcies quartò. Ratio formalis est quæ constituit rem: ergo si secunda intentio est ratio formalis in definitione generis, est quia constituit genus definitum. Ergo definitum est constitutum ex secunda intentione atque natura: vel secunda intentio non est ratio formalis.

Respondetur, rationem formalem posse considerari dupliciter. Primò vt constitutiuam illius concreti quod resultat ex ipsa forma & subiecto. Secundò vt afficientem ipsum subiectum. V. g. albedo consideratur; & vt forma constituens concretum accidentale ex pariete & albedine, cuius concreti ipsa albedo est pars intrinseca; & vt afficiens parietem, respectu cuius non est vtique pars constitutiua intrinseca. Et in composito substantiali forma aliter refertur ad ipsum totum cuius est pars, & ad materiam quam informat. In præsenti ergo definitione, secunda intentio non se habet vt forma & pars intrinseca constituens definitum, sed vt forma afficiens & denominans definitum: idest definitum non est constitutum ex secunda intentione tanquam ex parte intrinseca, sed est subiectum quod afficitur & denominatur ab illa tanquam forma.

SECTIO TERTIA.

Quomodo Genus definiatur, atq. de speciebus prædicetur.

Definitiones generis assignãtur.

PORPHYRIUS definit Genus: *Quod de pluribus & differentibus specie in eo quod quid est prædicatur.* Vel per esse in multis debet genus definiri: quod aptum est inesse essentialiter pluribus speciebus, siue pluribus differentibus specie. Illi autem qui genus constituebant per respectum essendi in multis tanquam pars materialis essentiæ, vel essendi in multis per intrinsecas, aut inæquales differentias: pariter his modis genus definire debent. Quocunque autem ex his modis definiatur genus, debet in definitione subintelligi vniuersale, vt notauit Albert. exponens definitionem Porphyr. Nam cùm vniuersale sit genus omnium vniuersalium, per illud debent singula definiri. Vel melius poterit expressè apponi: genus est vniuersale aptum inesse essentialiter, aptum prædicari de pluribus differentibus specie. Neque sic definiendo essent superfluæ eæ particulę, aptum inesse pluribus, vtpote iam contentæ in ly vniuersale. Ponuntur enim ad determinandam propriam rationem generis per vltimam particulam, differentibus specie, quæ sine illis intermedijs collocari, & cum ly vniuersali connecti non posset, vt per se patet. Vel clarius poterit genus per definitionem ipsius vniuersalis ex integro positam definiri: est aliquid vnum aptum inesse pluribus specie differentibus. Nam optimus modus definiendi est, quando loco illius generis quod deberet in definitione poni, ponitur integra definitio eius.

Vniuersale est genus in definitione generis.

Ordo ad species est propria differentia.

Sic ergo supposito & in definitione præmisso genere generis, explicatur propria & peculiaris differentia constitutiua generis, dicendo: quod inest pluribus differentibus specie: vel iuxta aliorum sententias, quod inest tanquam pars materialis, aliouè modo. Et sic definitur essentialiter genus, quatenus quoddam vniuersale est, per ipsam essentialem suam vniuersalitatem. Porphyrius autem definiuit, quod prædicatur: & intellexit aptitudine, siue quod aptum est prædicari. Est enim manifestum, ita debere intelligi. Scotus verò q. 15. Vniuers. significat, hoc modo etiam definiri genus essentialiter, quia scilicet sua prædicabilitas sit de essentia generis. Verùm communiter alij notant, & rectè, aptitudinem prædicationis esse proprietatem generis quatenus vniuersale est: & ita per illam genus describi, non autem essentialiter definiri: quamuis dici possit definiri quatenus prædicabile est. Et quidem ipse Porphyr. dicit, genus eo modo describi. Maluit autem sic describere genus, quàm essentialiter definire. Tum quia sic illud explicauit Arist. 1. Topic. cap. 4. Tum quia talis modus explicandi erat apud alios frequens. Vnde Porphyr. ait: Philosophos describentes genus, assignasse illam explicationem. Tum quia cùm proprietates soleant esse nobis notiores, faciliùs per eas declaratur, quod definiri intenditur.

Dicitur autẽ genus prædicari de pluribus speciebus, seu de pluribus differenti-

rentibus specie, sumendo species vniuersales generi subditas, & intelligendo etiam de indiuiduis quæ specie vniuersali distinguuntur, idest quæ continentur sub speciebus vniuersalibus, vt in sequentibus dicemus magis.

Genus prædicatur in quid de speciebus: cùm differētia prædicetur in quale.

Dicuntur prædicari in eo quod quid est, siue in quid, ad differentiam non solùm prædicabilium accidentaliū quæ dicuntur prædicari in quale, sed etiam differentiæ quæ à Porphyr. dicitur prædicari in quale quid. Itaque Porphyr. distinguere voluit genus etiā à differentia generica. Atquè genus prædicari in quid, differētiam in quale. quia per genus respondemus ad quæstionem quid est, per differentiam ad quæstionē quale est. Quęrentibus enim quid est homo, respondemus est animal: interogantibus verò quale quid est, seu quale animal est homo, respondemus rationale. Idq. sumptum est ex Arist. 5. Met. c. 28. vbi ex professo agens de genere inquit, genus esse quod dicitur in eo quod quid est, cuius differētiæ sunt qualitates. & 2. Top. cap. 2. vbi docet, genus non prædicari denominatiuè de speciebus, nec rectè dici albedinem colorari, ambulationem moueri: cùm dici debeat, albedo est color, ambulatio est motus. Propter quod explicare nunc oportet hunc modum prædicationis in quid.

Aliqui explicant, prædicari in quid esse prædicari per modum totius: in quale per modum partis vel formæ. Et ita genus prædicari in quid de speciebus, quia prædicatur tanquam totum; & similiter speciem de indiuiduis: alia tria prædicari in quale, quia dicuntur per modum partis vel formæ. Ita refert & approbat Suar. d. 15. Met. sect. 11. n. 16.

Prædicari in quid nō est prædicari per modū totius.

Verùm hæc explicatio, & obscura est, & non satis solida. Aut enim genus dicitur totum, quia in se inuoluat totam essentiam & quidditatem specierum. Et hoc in primis est contra eos qui volunt genus esse partem materialem essentiæ. Deinde etiam in nostra sententia, sæpe inuenitur genus quod non inuoluat totam essentiam speciei, sed dicat tantùm partem, cui addatur alia pars, perfecta rationis præcisione distincta: & adhuc tunc prædicatur vtique in quid. Aut genus dicitur totum solùm potestatiuè, quia potestate continet suas species omnesquè differentias. Et hoc modo Porphyr. cap. vlt. §. de conuenientia generis & differentiæ, planè docet, etiam differentiam continere species de quibus dicitur; & vtique intelligitur continere potestatiuè: & tamen differentia non prædicatur in quid, sed in quale. Et præterea ratio quare genus prædicatur tali modo de specie, non est continentia potestatiua aliarum specierum: sed sola conuenientia talis prædicati essentialis huic speciei. Adeò vt etiam si implicarent aliæ omnes species, adhuc tale prædicatum verè diceretur de hac specie. Aut genus dicitur totum, quia licèt formaliter dicat tantùm vnam partem essentiæ: tamen veluti virtualiter continet etiam differentiam speciei, sicut materia dicitur cōtinere in potētia formas, & formæ dicuntur educi de potētia materiæ. Et hoc etiā non sufficit. Tum quia non hæc ratio potentialis continentiæ, sed absolutè conuenientia ipsius naturæ genericæ suæ speciei, est fundamentum prædicationis. Tum quia illa continentia virtualis non est alia nisi quòd genus aptum est esse in tali specie per contractionem talis differentiæ: at etiam è conuerso dicere licebit, differentia apta est coniungi tali generi & constituere speciem: Neque refert, si dicatur, genus esse aptum per modum materiæ, differentiam per modum formæ. Nam sicut in vera materia & forma hoc discrimen non efficit, vt alio modo materia quàm forma prædicetur de toto composito: ita etiam non efficiet, vt alio modo prædicetur genus quàm differentia, nisi fortè recurratur ad sequentem dicendi modū.

Quidam ergo explicant, prædicari in quid esse prædicari ad modum rei per se stantis, in quale verò ad modum formæ adiacentis seu adhærentis. Et ita genus se habeat, tanquam quid prius, & per se stans, non receptum in alio: differentia autem tanquam forma adueniens & adhærens ipsi generi. Hac ergo ratione genus prædicatur in quid, differētia in quale. Indicat hoc totum Arist. 5. Met. c. 28. vbi ait, genus esse quod primum inest, & quod est subiectum; differentiam verò se habere vt qualitatem eius. & c. 14. dixerat qualitatem vno modo sumi pro differentia substantiali. & Porphyr. cap. vlt. §. de di-

Prædicari in quid videtur esse prædicari per modū per se stantis.

discrimine generis & speciei, ait: *Genera preiacere oportet, & informata specificis differentijs perficere species.* Et capite de Differentia, exemplo materiæ & formæ explicat, cur genus prædicetur in quid, & differentia in quale. Vbi eodem modo id explicat Boet. dicens, species ad similitudinem materiæ & formæ habere priores antiquioresquè naturas, super quas differentiæ venientes efficiunt aliquid.

Nõ quasi ex natura rei genus in hoc differat à differẽtia.

Verùm si hoc ita intelligatur, quasi ex natura rei determinata sint duo prædicata essentialia in specie, quorum vnum præcedat ad modum per se stantis, aliud adueniat ad modum adiacentis; illudquè propterea debeat prædicari in quid, hoc in quale: falsum id est. Nam vel genus & differentiã non distinguuntur tanquam duæ rationes cum perfecta præcisione rationis, sed solùm per magis aut minus explicitum conceptum. Et tunc, tàm sub conceptu explicito, quàm implicito, poterit sine dubio fieri prædicatio in quid. Vel etiam quando genus & differentia eo modo distinguuntur: non est determinatum ex natura rei, vt hoc prædicatum præcedat vt per se stans, aliud sequatur vt adiacens; sed potius indifferenter se habent. V. g. in homine non est ex natura rei determinatum, vt potius esse sensitiuum præcedat, quàm esse rationale seu intellectiuum; vt illud se habeat veluti per se stans, hoc veluti adiacens: quin pariter è conuerso oppositum dici possit. Ita clarè Arist. 7. Metaph. tex. 43. ad finem, vbi agens de prędicatis essentialibus, ait: *Ordo non est in substantia. Quonanque modo intelligere oportet, hoc quidem prius, illud vero posterius?*

Quinimo oia prædicata essẽtialia possunt sic prædicari.

Et præsertim vrgetur difficultas, considerando differentiã, quatenus ipsa etiam potest esse communis alijs speciebus, vt supponit Porphyr. de ipsamet rationalitate, quam ait esse communem Angelis: imo hominem ab Angelo, nec etiam per rationem animalis, sed per rationẽ mortalis distinguit; in qua tamẽ ratione mortalis, homo conuenit cum alijs viuẽtibus corporeis. Iuxta ergo hanc considerationem certè non apparet, cur potius esse animal quod est esse sensitiuum, vel esse rationale, vel esse mortale, dicatur ex natura rei per se stare, aut debere concipi vt per se stans: cùm per quamcumque ex his rationibus homo cum quibusdam rebus conueniat, & à quibusdam differat; & ita benè vna, sicut alia ratio, præmitti potest, aut superaddi. Similiter quando diuiditur substãtia in incorporeã & corpoream, & substantia corporea est genus quod dicitur corpus, & hoc rursus diuiditur in viuens & non viuens, vbi viuens se habet vt differentia; pari modo prorsus diuidi poterat ab initio substantia in viuentem & non viuẽtem, ac postea viuens in incorpoream et corpoream, vbi viuens est genus, esse corporeum est differentia. Non plus ergo vna quàm alia ratio, est ex natura rei prior, vel per se stans, aut petit concipi talis.

Sed terminus substantiuus prædicatur in quid, adiectiuus in quale.

Dicendum ergo est, prædicari in quid aut in quale, nihil aliud esse, nisi prædicari substantiuè vel adiectiuè, siue esse terminum substantiuum aut adiectiuum qui prædicatur. Et terminus quidem substãtiuus profertur & predicatur quasi per se stans, adiectiuus quasi adiacens: vt nomina ipsa declarant. Loquendo autem de Genere & Differentia, siue de prædicatis essentialibus rei, non est sanè determinatum ex natura & exigentia ipsorum prędicatorum, vt vnum prędicetur substantiuè, aliud adiectiuè. Quinimo sæpè vnum & idem prędicatum, potest vno vel alio modo sumi. V. g. viuens, item rationale, mortale, & alia. Sæpè etiam per variationem nominis idem prædicatum potest dici vno vel alio modo. V. g. sub nomine animalis natura sensitiua dicitur substantiuè, sub nomine sensitiui dici potest adiectiuè. Sæpè etiam non habetur vnum simplex nomen sustantiuum ad significandum id quod substantiuè dici deberet, & oportet vti voce adiectiua. V. g. ad significandum quantitatem permanentem & successiuam, quæ sunt duo genera quantitatis; qualitatem spiritualem & corporalem, per quæ duo genera poterit diuidi qualitas; & sic in alijs.

Et, prædicatũ substãtiuum appellatur genus, adiectiuũ differẽtia.

Adhuc tamen saluandum aliquo modo est, genus prædicari in quid seu substantiuè differentiam in quale seu adiectiuè: quia videlicet quando simul duplex prædicatum essentiale affirmamus de subiecto, nõ coniũgẽdo illa duo per particulam coniunctiuam, &; sed immediatè

per

per se ipsa; oportet vnum ponere substantiuè, aliud adiectiuè: primum per modum per se stantis, secundum per modum adiacentis. Illud ergo quod ponitur substantiuè dicitur genus, quod ponitur adiectiuè dicitur differentia: quamuis conuerti possint; vt quod dicebatur substantiuè dicatur adiectiuè, & tunc appellabitur differentia; quod dicebatur adiectiuè dicatur substantiuè, & tunc appellabitur genus. V.g. dicendo homo est corpus viuens; ratio corporei dicitur substantiuè, & sic dicitur vt genus; ratio viuentis dicitur adiectiuè, & vt differentia. è conuerso dici potest, homo est viuens corporeum: vbi ratio viuentis dicitur substantiuè vt genus; ratio corporei adiectiuè vt differentia. Et hoc totum consonat doctrinæ postea tradendæ de differentia eiusquè discrimine à genere. Et iuxta hoc debent explicari Porphyr. & Arist. supra relati. Et sic præcipuè debet intelligi, quod ipsi docent, per genus responderi ad quæstionem quid est, per differentiam ad quæst. quale est. Nam interroganti quid res sit, solet responderi per primum prædicatum substantiuè dictum: & interroganti rursus quale quid res sit, respondetur addendo secundum aliud prædicatum adiectiuè supra primum. Quid est homo, respondemus est animal: quale animal est homo, respondemus rationale animal. Cùm tamen etiam è conuerso responderi posset: quid est homo, est rationale quid: quale rationale est homo, est rationale sensitiuum ac mortale. Et sic in alijs rebus.

Quomodo genus prædicetur, nō solùm de speciebus, sed etiam in diuiduis, alijsq. generibus.

Obijcies primò contra definitionem generis. Genus non tantùm prædicatur de speciebus, sed etiam de indiuiduis: imo potest prædicari de generibus; substantia enim prædicatur de corpore & spiritu, quæ & ipsa sunt genera. Similiter si definitio tradatur per inesse, genus potest inesse & indiuiduis & generibus: ergo diminuta est definitio, quæ tantùm tradita est per ordinem ad species.

Respondetur. Genus prædicari de indiuiduis, mediantibus speciebus; & ideò non oportuisse præter species distinctè nominare indiuidua: eò magis quòd necessariò subintelligitur talis prædicatio, iuxta regulam prædicatorum essentialium traditam ab Arist. in Antepræd.

Deinde si in definitione dicatur, genus prædicari de pluribus differentibus specie, id per se intelligitur etiam de indiuiduis, quæ contenta sub speciebus vtique specie differunt. Sed de respectu generis ad indiuidua plenius agemus sect. 5. De generibus verò non omne genus prædicatur: & ideò non poterat per hunc respectum genus in communi definiri. Sed dum dicitur genus prædicari de speciebus: vel intelligitur de speciebus subijcibilibus, quæ respectu quidem generis sibi superioris dicuntur species, respectu autem aliorum suorum inferiorum, possunt esse vel genera vel species prædicabiles. Vel etiam si determinatè intelligatur de speciebus infimis prædicabilibus: benè adhuc definitur genus: quia omne genus de his speciebus prædicatur, siue prædicetur de generibus sub quibus tandem hæ species continentur, siue tantùm de talibus speciebus.

Quomodo Arist. dixerit, substantiam vniuersalem prædicari in quale.

Obijcies secundò contra prædicationem dictam generis. Arist. 7. Metaph. tex. 48. & in Prædicam. cap. de substa. ait, secundas substantias, quæ scilicet sunt substantiæ vniuersales, prædicari in quale quid, & non in quid: ergo falsum est, genus prædicari in quid.

Respōdetur. Arist. ijs locis tantùm voluisse, substantias vniuersales non dicere naturas per se subsistentes extra singularia; sed dicere naturas existentes in ipsis singularibus: nō esse hoc aliquid ita per se existens, sicut ipsa indiuidua quæ vocat primas substantias; sed ad differentiam illarum esse quale aliquid. Non ergo accepit dici in quid & in quale, sensu supra tradito: sed hoc alio modo.

Quomodo aliàs dixerit, differentiam prædicari in quid.

Obijcies tertiò. Idem Arist. 2. Post. tex. 79. & 7. Topic. cap. 2. ait, differentiam prædicari in quid. Et ratione probatur: quia differentia est gradus essentialis. Ergo non distinguitur genus à differentia per prædicari in quid.

Respōdetur. Dupliciter explicari posse prædicationem in quid & in quale. Primò prædicationem in quid esse essentialem, in quale accidentalem. Secundò, sicut dicebamus, per modum termini substantiui vel adiectiui. Primo modo vltro dicendum est, tàm differentiam quàm genus prædicari in quid, & non in quale: & hoc voluit ibi Arist. Secundò modo dictum

dictum est ex eodem Aristot. genus prædicari in quid, differentiam in quale. Sed quia differentia prædicatur essentialiter adiectiuè, ideò dicitur prædicari in quale quid, ad differentiam tum generis, tum accidentium quæ absolutè dicuntur prædicari in quale.

Quòd dixerit, partē non prædicari de toto. Obijcies 4. Arist. 4. Topic. c. 5. dixit, partem non posse prædicari de toto. Et patet: quia dici non potest, homo est caput, est brachium, est anima, & similia: quod maximè intelligitur de prædicatione in quid. ergo non potest saluari genus prædicari in quid, nisi dicendo prædicari vt totum.

Respondetur. Aristot. ibi planè loquutum esse de partibus physicis: quæ, quia realiter distinguuntur à toto, non possunt sic prædicari, vt patet in exemplis adductis: sed partes metaphysicæ, idest gradus essentiales, quia non ita distinguuntur à toto, possunt optimè prædicari. Neque ex hac parte prædicatio generis impeditur.

SECTIO QVARTA.

An & quomodo Genus requirat plures species.

Prima sententia, nō requirere plures species. AD exactam explicationem generis, hoc dubium modo examinandum est. In quo duæ extremæ sententiæ extant. Prima quorundam defendentium, genus per se non requirere plures species etiam possibiles: sed ei sufficere plura singularia, ad hoc vt respectu eorum sit verum vniuersale genus. vel saltem non requirere plures species vniuersales, sed singularia ipsa posse immediatè differre specie, & ita sufficere ad rationem generis. Inducti sunt autem ad hoc dicendum ex eo fundamento, quòd ratio generis consistat in eo vt insit pluribus tanquam pars materialis essentiæ, vel ex alijs modis dicendi sect. prima relatis: his enim modis genus potest se habere immediatè ad singularia sine alijs speciebus intermedijs: sicut, v. g. non solùm materia corporum inferiorum quæ est capax diuersarum formarum, sed etiam materia corporum cælestium, dato quod non sit capax nisi vnius tantùm formæ, adhuc est verè materia & pars materialis compositi. Atque de facto, dicunt, genus licèt habeat sub se species, & mediantibus speciebus singularia, habet rationem generis non solùm respectu specierum, sed etiam respectu singularium eiusdem speciei: ergo per se non requirit pluralitatem specierum.

Secunda sententia, requirere actu existentes. Secunda celebris sententia quorundam grauium Auctorum est, genus requirere plures species, non tantùm possibiles, sed actu existentes. Et hoc quidem esse peculiare ipsi generi: quamuis alioqui ad alia vniuersalia, præsertim ad speciem, sufficiant plura inferiora solùm possibilia. Ita tenet Boetius lib. de Diuisionibus. Alexandr. lib. 1. Naturalium qq. cap. 11. Albert. tract. 4. Prædicab. cap. 6. D. Tho. primo Post. lec. 12. & in 1. d. 19. q. 4. art. 2. & ex recentioribus Tolet. q. de Specie ad 3. Sot. q. de Specie ad 2. & quidam alij. Inducti sunt autem ad hoc dicendum fere ex eodem illo fundamento, discrimen assignantes inter genus & speciem: quia natura generica, cùm sit partialis & incompleta, indiget pluribus differentijs vt compleatur & perficiatur, nec potest in vna tantùm specie habere totam suam perfectionem: & natura specifica est per se totalis & completa, & propterea illi sufficit si vel in vno tantùm indiuiduo reperiatur. Et quia differentiæ specificæ sunt oppositæ, & veluti contrariæ: existente autem vno cōtrariorum, debet existere & aliud, ex Aristotele 2. Cæli. 18. Et quia potentia generis ad plures species est potentia naturalis, quæ debet reduci ad actum ne frustra sit. Et Aristoteles tertio Metaphysic. 10. dixit: *Necesse est vniuscuiusque generis differentias esse, & vnamquamque vnam esse*. Præter hos Fonseca quinto Metaphysic. cap. 28. quæstione 15. Masius sectione 2. de Genere quæstione 1. & alij recentiores, cum quibusdam distinctionibus docent, genus quodam sensu requirere, & quodam non requirere plures species; & partim conuenire, partim differre à specie.

Prima cōclusio, requirere plures species possibiles. Dico primò. Genus omninò requirere plures species saltem possibiles: & hoc intelligitur de speciebus quæ & ipsa sint vniuersalia quædam. Hæc est magis communis sententia. Probatur

primò, auctoritate tum Porphyr. tum Arist. tum aliorum, qui definiunt genus, quod potest prædicari de pluribus specie differentibus: & certè non possunt intelligi plura differentia specie, nisi intelligendo plures species: & Porphyr. expressè ait, genus non de vna sola, sed de pluribus speciebus debere dici, & cap. de Specie semper in plures species diuisionē generis fieri. Et Arist. 4. Top. cap. 3. loco 29. dixit, omne genus habere plures species: & si contingat alteram speciem non esse dicti generis, id non esse genus omnino. Et cap 6. loco 71. Idemque supponit 3. Met. 10. 7. Met. 42. 10. Met. 14. & alibi sæpè. Et hoc totum dictum est de speciebus vniuersalibus continētibus sub se plura indiuidua, & de differentibus specie vniuersali, vt antea diximus.

Secundò ratione probatur. Quia de ratione communi vniuersalis est, posse inesse pluribus vt suo loco ostendimus; de ratione autem generis, vt distinguatur à specie, esse debet posse esse in pluribus speciebus. Si enim genus non potest esse, nisi in pluribus indiuiduis, iam esset species, non genus. Et plures species debent intelligi vniuersales, quia aliter nō potest rectè distingui genus à specie, vt ostensum est sect. 1. Imo etiam ij qui constituunt genus per respectum essendi ad modum partis materialis, idem asserere debent. Nam intantùm dicebant, genus esse partem essentiæ, & non totam essentiam, inquantum generi addebant talem differentiam quæ nō esset vltimus gradus incommunicabilis, sed esset gradus formalis essentiæ, qui debet posse vlterius communicari. Neque dicere possunt, posse fieri, vt genus in vna tantùm specie per vnam tantùm differentiam sic affici possit. Nam si genus non esset quid communius tali specie & tali differentia; non contraheretur ad eam speciem per talem differentiam: sed esset formaliter vltimus gradus communicabilis. Debent ergo fateri, de ratione generis esse, vt habeat sub se plures species vniuersales, sicquè contrahibile per plures differentias formales, quæ scilicet sint vlterius communicabiles pluribus.

Nō tamē in certo numero. Tertiò. Ad hanc conclusionem pertinet explicare, num genus requirat certum ac determinatum numerum specierum. Nam Porphyrius cap. de Specie ait, species quidem generis esse finitas; indiuidua verò speciei esse infinita. Sed dicendum est, non esse de ratione generis in communi, habere certum numerum specierum. Sed aliquod quidem genus diuidi per differentias taliter oppositas, vt per illas determinetur ad tot species & non plures. V. g. substantia adæquatè diuiditur in substantiam corpoream & spiritualem, nec extra has est alia possibilis: similiter animal in rationale & irrationale. Alia verò genera esse, sub quibus in infinitum saltem per Dei potentiam multiplicari possint species: quod præsertim in speciebus specialissimis verificatur. V. g. sub genere substantiæ spiritualis, infinitæ Angelorum species sunt sine dubio possibiles: sub genere item coloris infinitæ colorum species. Naturaliter tamen & de facto, certæ sunt & determinatæ rerum species; quia non omnes species possibiles, sunt de facto conditæ. Et in hoc sensu debet explicari dictum Porphyrij. Et discrimen generis à specie debet sic intelligi: quòd licèt nec etiam indiuidua de facto multiplicentur in infinitum, nisi recurratur ad falsam opinionem de æternitate Mundi; tamen indiuidua semper magis ac magis de nouo multiplicantur in rebus corruptibilibus, & quotidie noua indiuidua emergunt. At non ita multiplicantur & innouantur species, sed in certo ac determinato numero sub suis generibus recensentur.

Dico secundò. Absolutè loquendo, genus non requirere species actu existentes, sed sufficere possibiles. Hæc est communior recentiorum sententia. Et probatur planè. quia vel requiritur actualis existentia specierum, ad hoc vt natura generica habere possit intentionem vniuersalis generis. Et hoc dici non potest, vt satis probatum est quæst. 8. lectione 12. Nam vniuersale est, quod aptū est esse in multis; & genus est, quod aptum est esse in pluribus speciebus: vnde non solùm non requiritur quòd existant plures species, sed nec vna quidem; sed sine existentia genus potest essentialiter prædicari de suis speciebus, & ad hoc per accidens se habet existentia actualis. Vel requiritur ad hoc, vt natura *Secunda conclusio, non requirere actu existētes.*

tura generica realiter existat. Et hoc modo verissimum sanè est, requiri existentiam saltem vnius speciei: quia vniuersale non potest existere separatum. Et ad hoc vt absolutè existat natura generica, imo & existat secundùm totam suam essentiam, sufficit existentia vnius speciei: nam in quolibet inferiori vniuersalium, reperitur tota essentia naturæ, idest secundùm omnia prædicata essentialia, vt in vniuersum dictum est quæstione octaua sectione 13. Vel demum requiritur ad hoc, vt natura generica adæquatè existat, idest etiam secundùm partes suas potentiales. Et sic quidem fateor, vt adæquatè existat requiri, non solùm plurium, sed omnium prorsus specierum sub genere possibilium, existentiam. Nam illæ omnes sunt partes potentiales generis, & in illis omnibus potest natura generica existere. Sed hoc modo etiam ad existentiam adæquatam speciei, requiritur existentia omnium indiuiduorum possibilium. Nam ea omnia pariter sunt partes potentiales speciei, & in ijs omnibus species apta est realiter existere. Et quando existit vnum solum indiuiduum speciei; reuera deest tota illa entitas realis possibilis intra eandem speciem, quam haberent alia indiuidua si existerent. quæ entitas non minus esset de perfectione speciei, quàm sit illa quæ existit in eo vno indiuiduo: imo tantò magis, quantò entitas tot indiuiduorum possibilium præponderat entitati vnius solius indiuidui. Non ergo ex hac parte plus requirit genus existentiam suarum specierum, quàm species suorum indiuiduorum.

Differt tamè genus à specie. Dico tertiò. Propter auctoritatem tam grauium Auctorum, qui oppositum dicere videbantur, esse aliquo modo concedendum, genus requirere plures species, in quo differat à specie non requirente plura indiuidua. Et primò hoc explicatur: *Primò.* quia naturaliter loquendo sub omni genere nobis noto, inueniuntur plures species existentes: licet per Diuinam potentiam posset vna sola existere. At aliquæ species sunt quę tantùm in vno indiuiduo conseruantur, videlicet species Solis, Lunæ, & aliarum rerum similium incorruptibilium. Item magis per se est, vt sub genere existant plures species: cùm veluti per accidens sit, vt sub vna specie existant plura indiuidua, propter conseruationem scilicet ipsius speciei in rebus corruptibilibus. Ita significat Sotus loco citato. Cõsultò autem dixi, sub omni genere nobis noto, quod scilicet solet assignari & considerari tanquam genus. Alioqui facilè dici potest, esse possibilem aliquam aliam rerum speciem, quæ ita conueniat cum aliqua nunc existente, vt vnum genus cum illa participet; & tamen de facto non nisi vna species inueniatur: & propterea non cogitari naturam genericam communem sub ratione generis, sed tantùm sub ratione certæ speciei nobis notæ.

Secundò. Secundò explicatur. quia differentiæ contractiuæ generis, & ipsæ species contentæ sub genere, solent esse inæqualis perfectionis: indiuidua verò speciei sunt in sua entitate prorsus similia & æqualia. Ad hoc ergo vt existat genus secundùm varios gradus perfectionis, requiritur existentia specierum: quod non habet locum in specie & indiuiduis. Ita Fonseca quæst. cit. sect. 9 concl. 3. qui in hoc sensu ait, intelligendos esse antiquiores illos Auctores ...

Tertiò. Tertiò explicatur. quia differentiæ contractiuæ generis dicuntur gradus formales & essentiales: vltimæ autem differentiæ indiuiduantes dicuntur gradus materiales. Vt ergo existat genus secundùm plures gradus formales essentiales, requiritur existẽtia specierũ: quod nõ dicitur dę existentia speciei in indiuiduis.

Quartò. Quartò demum. quia multò magis confert ad splendorem vniuersi, & ad varietatem rerum, multiplicatio specierum, quàm indiuiduorum, vt patet. Sic ergo maiori ratione dicitur genus requirere plures species existentes, quàm species plura indiuidua. Vnde insuper ad existentiam generis secundùm totam eius latitudinem adæquatam, oportet sanè existere omnes species eius possibiles: tamen ad existentiam proportionatam & consentaneam huic vniuerso secundùm pręsentem ordinationem, qua a Deo constitutum est, sufficit existere plures, etsi non omnes, illas scilicet quæ præsenti rerum vniuersitati deseruiunt.

Opposit. fund. a solun tur. Ex his facillimè respondetur ad fundamentum primæ sententiæ. Rationem generis non posse saluari sine ordine

ad plures species saltem possibiles: Imo etiam si ratio generis consisteret in aptitudine essendi per modum partis materialis: idipsum saluari non poterat sine pluralitate specierum vniuersalium, quāuis materia physica possit benè saluari per ordinem ad vnam formam. Et disparitas est manifesta. Quia intantum natura generica dicebatur pars materialis, & non tota essentia, inquantum differentia contrahens erat gradus communicabilis alijs pluribus: alioqui etiam natura specifica dici deberet pars & non tota essentia. An autem de facto vniuersalitas generica saluetur, non tantùm respectu specierum, sed etiam singularium sub speciebus, tractabimus sect. seq.

Item patet ad fundamentum secundæ sententiæ. Non enim probat, propter ipsam vniuersalitatem generis requiri species actu existentes, sed solùm ad existentiam perfectam naturæ genericæ. Quod ipsum intelligendum est iuxta explicationem traditam. Nec probat, esse simpliciter necessarium naturam genericam tali modo existere, sed ad summum naturaliter ita esse debere. Sed præterea quando Aristoteles dixit, contraria debere existere, loquutus est de contrarijs propriè dictis, non de omnibus oppositis. Imo de his ait in Postprædicam. cap. 1. non esse necessarium, existente vno oppositorum existere & aliud. Dum verò dicitur potentia generis esse potentia naturalis. Vel sensus est, fundata & radicata in natura essentiali generis. Et hanc potentiam necesse non est reduci ad actum: non enim omnia quæ essentialiter possibilia sunt, actu sunt. Vel sensus est de potentia causarum naturalium de facto existentium ad producendas species generis. Et necesse non est, potentiam generis esse hoc modo naturalem, vt patet ex dictis de vniuersali in communi sectione quarta. Demum quando Aristoteles dixit, necessariò differentias generis esse: non est loquutus de existentia actuali: sed esse dixit, idest dari tales differentias essentialiter loquendo: quia nempè necessarium est, genus posse diuidi per differentias. Et ita clarè patet ex textu.

SECTIO V.

An & quomodo Genus respiciat etiam indiuidua specierum.

QVia sub speciebus indiuidua continentur: oportet ad complementum generis videre, num habitudo generis ad ipsa indiuidua extendatur, siue quo pacto genus ad illa se habeat. Et præcipuè difficultas est, an eadem vel diuersa habitudine qua species, respiciat earum indiuidua: & an respectu ipsorum indiuiduorum habitudo naturæ genericæ sit verè habitudo & vniuersalitas generis, vel quænam sit.

Doctores Louanien. opinati sunt, relationem generis ad indiuidua esse diuersam essentialiter & specificè à relatione eiusdem generis ad suas species: & per ordinem quidem ad species, genus esse verè genus: per ordinem verò ad indiuidua, constitui quandam aliam speciē vniuersalis distinctam ab alijs vniuersalibus: & quam, quia non habet peculiare nomē, nominant innominatam. *Opiniones variæ.*

Alij Doctores magis communiter sentiunt vel supponunt, genus eadem habitudine referri, non solùm ad species, sed etiam ad earum indiuidua: proximè quidem & primariò ad species, remotè & secundariò ad indiuidua. Ita Scot. q. 17. Vniuer. Conimbr. q. 1. de Specie. Masius sect. 2. de Genere q. 3. & 4. Fons. 5. Met. c. 28. q. 14. sect. 3. Et alij apud ipsum.

Deinde, siue distincta, siue eadem habitudo sit: Aliqui etiam volunt, respectu indiuiduorum esse verè habitudinem genericā: ita vt animal v.g. etiā respectu singulariū hominū et brutorū sit verè genus. Alij aūt volunt, esse potius habitudinē specificā, sicut hominis ad singulares homines. Aliqui demū apud Louaniens. opinati sunt, genus quodlibet primò & adæquatè referri ad aliquid cōe tum speciebus tum indiuiduis: quod vocarūt subijcibile in quæstione quid est incōpletè. Cū enim genus dicatur simili mō in quid, non solùm de speciebus, sed & de indiuiduis; hoc cōe speciebus & indiuiduis, nec solæ species, sicut nec sola indiuidua, erit adæquatus terminus habitudinis genericæ, siue adæquatum correlatiuum gene-

generis. Et ita defendit Hurtad. disp. 5. sect. 1. §. 5.

Genus respicit etiã indiuidua.

Dico primò. Genus verè respicit non solùm species, sed etiam indiuidua: estq; respectu eorum vniuersale ac prædicabile. Est certa conclusio. Et patet euidenter. quia natura generica apta est inesse, & de facto inest, apta est prædicari, & de facto solet prædicari de ipsis indiuiduis. Imo necessarium prorsus est, vt si dicitur de speciebus, dicatur etiam de indiuiduis: quoniam omnia essentialia prædicata speciei, conueniunt necessario indiuiduis. Et hoc totum notauit Porphyr. in cap. de Specie. Atque in vniuersum dicere valebit, quodcunque genus non solùm respicere species sibi immediatas, sed quæcunque alia sub ijs speciebus rursus contineantur, vsque ad vltima indiuidua. Nam genus generalissimum essentialiter respicit omnes species & genera intermedia, & tandem sistit in indiuiduis: deque ijs omnibus essentialiter prædicatur.

Vna habitudine adæquatè sũpta respicit species et indiuidua.

Dico 2. Genus vna & eadẽ aptitudine adæquatè sumpta, qua respicit species, respicit etiam indiuidua. Explicatur & probatur primò de aptitudine reali, quæ non est alia quam entitas ipsius naturæ: eadem vtique entitas naturæ est in specie ac in indiuiduo, idem actus essendi: & inseparabile prorsus est, esse in indiuiduo ab esse in specie; ita vt nulla potentia fieri possit, vt natura generica sit in aliqua specie, & non in aliquo indiuiduo talis speciei: siue è conuerso in aliquo indiuiduo, & non in specie talis indiuidui. Eadem ergo indiuisibilis est hæc aptitudo.

Secundò. Id verificatur etiam de aptitudine rationis, si adæquatè sumatur & cogitetur secundùm totum suum fundamẽtum. Nam cùm genus realiter sit in ipsis indiuiduis inseparabiliter à speciebus modo dicto; si cogitari debeat adæquatè habitudo generis ad omnia sua inferiora, & secundùm totum fundamentum quod in re subest, vtique cogitabitur habitudo non solùm ad species, sed etiam ad indiuidua. Ita tamen quòd recto ordine primariò & proximè concipiatur in ordine ad species, consequenter & mediantibus speciebus in ordine ad indiuidua.

Tertio idem confirmatur. Si natura generica esset realiter separata habens realem aptitudinem ad essendum in speciebus & indiuiduis: vtique eadem reali habitudine hæc omnia respiceret. imo de facto forma accidentalis quæ habet potentiam realem ad essendum in subiecto, eandem realem potentiam habet, siue cogitetur ad subiectum in communi, siue ad singularia subiecta. Igitur quando cogitatur aptitudo rationis in natura generica ad sua inferiora, si cogitetur adæquatè, concipietur vna aptitudo, attingens pro suo termino proximè species, & consequenter indiuidua.

Possunt tamẽ distingui plures habitudines.

Dico tertiò. Potest distinctè & inadæquatè cogitari habitudo naturæ genericæ ad species non cogitando expressè de indiuiduis, & è contra immediatè ad indiuidua non cogitando de speciebus. Fundamentum huius conclusionis est ipsa experientia: possumus enim & solemus vtroque modo cogitare, vt cuique compertum est. Et possumus ac solemus prædicare genus de speciebus sistendo in illis: item immediatè de indiuiduis, Petrus est animal, Bucephalus est animal. Neque oportet, vt inter conceptus singularium & conceptum genericum animalis, simul obuersentur in mente conceptus vniuersales specifici de homine & equo.

Ita ergo fieri potest, vt in mente detur quædam aptitudo rationis, attingens solùm species & non indiuidua, vel è contra solùm & immediatè indiuidua & non species. Quando ergo intellectus cogitabit aptitudinem ad hæc omnia, erit alia habitudo, adæquata scilicet & completa iuxta præcedentem conclusionem. Et ratio à priori huius rei est. quia cùm aptitudo non sit realis, sed tantùm sit opus rationis, potest per operationem ipsius intellectus per plures & varios conceptus his omnibus modis efformari. Cùm tamen, si esset aptitudo realis, omnino semper esset adæquata circa omnem suum terminum, & non posset taliter diuidi & dispertiri.

Ex hac & præced. concl. sequitur, posse etiam ab intellectu concipi aptitudinẽ naturæ genericæ ad sua inferiora, non distinctè cogitando, nec species, nec indiuidua, vtraque cõplectendo sub conceptu communi inferiorum generis, siue eorum

quæ differunt specie. Nam quando nominamus inferiora generis, vtique non exprimimus nec species nec indiuidua determinatè: & vtique datur conceptus in mente correspódens huic loquutioni. Potest ergo hoc etiam modo cogitari aptitudo generica.

Habitudo ad indiuidua specie differentia, est verè generica.

Dico iam quartò, habitudinem naturæ genericæ quæ refertur ad indiuidua quæ differunt specie, esse verè habitudinem genericam. Si verò referatur ad indiuidua quæ non differunt specie, non esse habitudinem genericam, sed esse potius habitudinem specificam. Prima conclusionis pars videtur de mente Porph. cap. de Specie, cùm docet: genus posse dici, non solùm de ipsis speciebus differentibus, sed etiam de indiuiduis contentis sub ijs speciebus, & videtur loqui formaliter de genere vt genus est. Imo consonat ratio & definitio generis, quod prædicatur de pluribus differentibus specie. Consulto enim dictum videtur de differentibus specie, & non de speciebus: quia certè in toto rigore indiuidua diuersarum specierum, licèt non dicantur species diuersæ, tamen dicuntur differre specie. Genus ergo est genus, non solùm inquantum aptum est prædicari de speciebus, sed etiam de indiuiduis specie differentibus. Vnde animal, v. g. comparatum ad Petrum hominem & Bucephalum equum, dici debet vniuersale genus, sicut dicitur respectu hominis & equi absolutè. Et iuxta hoc debet intelligi quod antea dicebamus, genus dici debere de pluribus speciebus vniuersalibus. Non ita scilicet, vt omne id ad quod refertur vniuersalitas generica, esse debeat species, quæ sit vniuersalis: sed ita quòd genus debet omninò continere tales species, vt dicatur genus respectu quoruncunque differētium per ipsas species vniuersales, iuxta conuenientem & receceptum loquendi modum.

Non verò ad indiuidua eiusdem speciei.

Probatur deinde secunda conclusionis pars, ex eadē ipsa definitione generis, & ex doctrina superius tradita. Quia dū genus comparatur solùm ad indiuidua vnius speciei, non potest dici respectu illorum prædicari de pluribus differentibus specie: sed sicut si diceretur de illa tantùm specie, non esset genus, sed esset species; quia de ratione generis est pluralitas specierum: ita pluralitas indiuiduorum in vna specie conuenientium non est sufficiens ad denominationem generis. Et nisi quis cogitet, naturam illam communem ita dici de indiuiduis vnius speciei, vt non sit ad illa coarctata, sed possit etiam dici de alijs specie differentibus; non cogitabit, nec poterit affirmare, illam naturam esse genericam. Sicut si penitus ignoraret, eam naturam esse communem pluribus specie differentibus, sed putaret esse propriam vni tantùm speciei & indiuiduis eius, vtique omnino ignoraret illam naturam esse genericam. Quando ergo non cogitat illam communitatem, licèt aliàs sibi notam, non cogitat communitatem genericam.

Sed potius est specifica.

Hinc sequitur tertia conclusionis pars. Tum quia dum natura alioqui genetica comparatur ad indiuidua vnius tantùm speciei, est vtique vniuersalis & prædicabilis in quid: non potest autem in hoc fingi tertia vniuersalitatis species præter genus & speciem: ergo est vniuersalis vniuersalitate specifica. Præterea illi optimè conuenit tota definitio speciei: est enim vniuersale aptum præd cari in quid de pluribus numero differentibus: ergo est vniuersale species. Tum etiam quando de facto cogitatur aliqua species, ad suaque indiuidua refertur: vtique tota essentia ipsius speciei, in qua certè includitur genus eius, imò vsque ad genus generalissimum, subit vniuersalitatem specificam: ergo comparatio cuiuscunque naturæ ad indiuidua eiusdē speciei & solo numero differētia, constituit vniuersalitatē specificam. Tum demū si sub animali dicamus, hoc animal & illud animal, non dicendo hoc animal hominem, & illud animal equum: vtique animal respectu illorum terminorum est species & non genus, vt benè notauit Rubius quæst. 5. de Specie, conclus. 1. Nam prorsus ita se habet, sicut homo ad hunc hominem & illum hominem: cùm tamen, si dicamus animal est commune ad hoc animal hominem, & illud animal equum, tunc fit verè genus. Natura ergo communis si comparetur ad plura indiuidua, seclusa diuersitate specifica, constituit vniuersale speciem, & non genus.

Quod

Potest cogitari habitudo abstrahens à generica, & specifica.

Quod si quis tantùm cogitet, naturam esse communem essentialiter pluribus inferioribus, de quibus possit dici in quid, nec cogitando diuersitatem, nec conuenientiam specificam inter illa, sed præscindendo ab vtraque: tunc sanè nec erit vniuersale genus, nec species: neque tamen hæc erit tertia vniuersalitatis species. Sed erit genus quoddam vniuersalitatis commune ad vniuersalitatem genericam & specificam. Quando enim in diuisione vniuersalis, declarando sufficientiam eius dicebatur. Vniuersale vel est commune pluribus essentialiter, vel accidentaliter: vtique non erant aliæ species vniuersalitatis distinctæ à quinque; sed erant tanquam genera magis propinqua, vnum complectens primas tres species, aliud complectens vltimas duas species vniuersalitatis. Et restringendo adhuc vniuersale essentialiter cõmune, & quod prędicatur in quid: est quoddam genus complectens genus & speciem. Sicut ergo si quis cogitet aliquam naturam esse communem accidentaliter, nec cogitet an conueniat ab intrinseco vel ab extrinseco; non efficit tertiam speciẽ vniuersalitatis à proprio & accidenti, sed cogitat tantùm genus quoddam vniuersalis commune proprio & accidenti. Ita prorsus res se habet circa genus & speciem.

Infertur quod sit adæquatũ correlatiuum generis.

Ex hac conclusione inferendum est, quisnam principaliter & adæquatè sit terminus habitudinis genericæ, seu quodnam sit adæquatum correlatiuum generis. Si enim quæratur id ad quod proximè & primariò referri debet genus: hæ sunt species vniuersales quæ immediatè ipsi generi substant. Si autem quæratur totum id ad quod genus referri potest: sic non sunt solæ species, sed etiam indiuidua. Et benè assignari poterit correlatiuum adæquatum generis sub hoc nomine, subijcibile generi, siue ea quæ differunt specie. Qui est vtique conceptus communis tàm indiuiduis, quàm speciebus. Non quidem quasi genus dici debeat immediatè solùm referri ad talem conceptum communem. Sed quia immediatè potest referri formaliter vt genus est, siue ad talem conceptum communem, siue ad species, siue ad indiuidua. Nec est inconueniens concedere talem conceptum communem speciebus & indiuiduis simul: quia est conceptus secundæ intentionis, quæ accidentaliter dicitur de subiecto: & iuxta varias operationes intellectus facillimè potest varijs modis efformari. Sicut vtique admitti debet conceptus subijcibilis essentialiter, qui complectitur subijcibile tribus primis vniuersalibus; similiter subijcibile accidentaliter, & sic alijs modis.

Num species et indiuidua eadẽ vel diuersa habitudine referantur ad genus.

Obijcies primò, quòd genus non possit vnica habitudine respicere indiuidua cum speciebus. Indiuidua & species referuntur vtique relatione subijcibilitatis ad genus: sed non eadem relatione, vt videtur manifestum: ergo è conuerso genus non potest vna eademque relatione vtraque respicere.

Respondetur primò: negatur consequentia. Et ratio est manifesta: quia licèt non possit esse vna relatio in duplici subiecto ad vnum terminum: tamen benè potest esse vna relatio in vno subiecto ad duplicem terminum. Nam vnitas relationis magis sumitur ex parte subiecti, quàm termini. Et eò magis potest esse vna relatio in vno subiecto ad duplicem terminũ, quando ordinatè respicit vtrunque, vnum mediante alio. Sic in entibus ipsis realibus duplex est habitudo potentiæ atque habitus ad actum: vna autem ipsius actus ad potentiam & habitum simul. Atque, vt notauit Sanctus Thomas 3. parte quæst. 35. artic. 5. duplex est relatio Patris & Matris ad Filium, vna Filij ad vtrunque: plures sunt relationes Discipulorum ad Magistrum, vna Magistri ad Discipulos: & sic in alijs plurimis exemplis. Atque in casu nostro, vna est relatio generis ad plures species, speciei ad plurima indiuidua; licèt plures sint relationes ex parte singularum specierum ad genus, indiuiduorum ad speciem. Secundò vlteriùs potest etiam esse vna relatio specierum & indiuiduorum ad genus. Cùm enim hæ sint relationes rationis, potest intellectus vno conceptu cogitare species ac indiuidua referri ad genus: & tunc vna erit omnium relatio. Et eò faciliùs, quòd species ab indiuiduis nõ realiter distinguuntur. Quinimo etiam omnium ipsarum specierum, quæ inter se non solùm distinctæ, sed oppositæ sunt, potest intellectus

vno conceptu cogitare respectum ad genus.

Nam indiuidua eadē vel diuersa habitudine respiciant genus & speciem.

Obijcies secundò. Ipsum indiuiduum refertur tum ad genus tum ad speciem: sed non vnica relatione; nam ad speciem refertur completè, ad genus incompletè: ergo pariter genus non potest vnica relatione referri ad species & indiuidua.

Respondetur primò, disparitatem esse inpromptu: quia genus non diuerso sed eodem modo respicit species & indiuidua. Secundò etiam ipsum indiuiduum potest cogitari vnica relatione referri ad speciem immediatè, ad genus mediatè: atque, etiam si dicatur ad speciem referri completè, ad genus incompletè: quia respectu diuersorum potest diuersimodè denominari.

Quo detur habitudo generica respectu indiuiduorum.

Obijcies tertiò, quod non possit genus diuersis relationibus respicere indiuidua ac species. Quia hæ relationes inter se specificè differrent. Vnde cùm dictum sit, genus etiam respectu indiuiduorum esse genus, sequitur dari diuersas specie relationes genericas, atque adeò genus non esse speciem infimam vniuersalis.

Respondetur. Hoc totum non esse inconueniens, vt dicemus sectione sequenti.

Obijcies quartò, quòd respectu indiuiduorum non possit saluari ratio generis. Genus necessariò ac sufficienter definitur per ordinem ad species. Sic notauit Porphyrius cap. de Specie, ex necessitate genus debuisse definiri per speciem. Ergo solùm per respectum ad species saluatur ratio generis.

Respondetur primò. Sufficienter definiri genus per ordinem ad species, quia respicit primariò species: & dum dicitur respicere species, virtualiter dicitur etiam respicere indiuidua. Secundò, genus necessariò quidem definiri per ordinem ad species: tamen adæquatè definiri per ordinem ad ea omnia quæ differūt specie, complectendo etiam indiuidua differentia specie.

Quomodo dari possit conceptus subijcibilis communis speciebus & indiuiduis respectu generis.

Obijcies quintò ex Fonseca, quòd non detur conceptus ille subijcibilis communis speciebus & indiuiduis. Quia sic daretur etiam conceptus prædicabilis in quid cōmunis generi & speciei, ad quod proximè referatur indiuiduum. Quod tamen nemo concedit. Et præterea conceptus ille subijcibilis esset quædam species infima subijcibilis: vnde non potest explicari, quomodo sub illo species cum indiuiduis vniantur.

Respondetur in primis, non solùm dari conceptum subijcibilis communem speciebus & indiuiduis respectu generis. Sed etiam dari cōceptum subijcibilis in quid complectens, tàm subijcibile generi vt genus est, quàm subijcibile speciei vt species est. Et sic etiam esse concedendum conceptum illum prædicabilis, quem Auctores non negant. Imò multi notant, in diuisione vniuersalis dari conceptus intermedios inter vniuersale in communi & quinque species vniuersalis. An verò indiuiduum proximè ad illum conceptum prædicabilis referatur, explicandum est eodem modo, quò dictum est genus posse ad sua subijcibilia referri. Videlicet posse cogitari relationem indiuiduorum ad speciem, item immediatè ad genus, ac demum adæquatè ad omne prædicabile in quid, cui ipsa possunt subijci. Deinde non oportet dicere, conceptum illum communem subijcibilis esse speciem infimam subijcibilis: sed dici potest, posse diuidi in duas species; in species subijcibiles, & indiuidua subijcibilia. Nimirum cùm nec sit necessarium dicere, habitudinem genericam esse speciem quandam infimam, quæ non possit diuidi in plures species. Si autem dicatur esse species infima, benè sub illa vniantur species & indiuidua, tanquam subiecta indiuidualia talis relationis subijcibilitatis, tanquam formæ accidentalis, & de ijs prædicabilis in quale. Imo in omnium sententia sub conceptu subijcibilis generi dici debent conuenire omnes species subijcibiles, participando relationem ipsam subijcibilitatis; ita vt signari possit, hæc species subijcibilis, & illa species: vbi hæc & illa species se habeāt tanquam subiecta indiuidualia, de quibus dicitur secunda intentio subijcibilitatis.

SECTIO

SECTIO SEXTA.

Quotuplex sit Genus.

Communiter ferè sentire videntur, tàm Genus, quàm alia quatuor vniuersalia, esse species infimas vniuersalis: & nō dari plures & diuersas species generis formaliter loquendo, idest species genereitatis: sed vnam solam esse genereitatis speciem in quacunque natura generica. cùm tamen ipsæ naturæ diuersissimæ sint: atque adeò ex parte naturæ, genus non solùm non sit species infima, sed sit valde multiplex iuxta varietatem omnium naturarum. Omninò tamen tradendæ sunt aliquæ generis diuisiones & breuiter videndum, an formaliter in ratione generis detur aliqua diuersitas, diuersæ scilicet genereitatis species.

Genus valdè multiplex est ex parte naturæ. Et primò quidem, quatenus genus diuidi potest ex parte naturæ, videlicet aliud genus est substantia, aliud quantitas, aliud qualitas &c. dici potest, diuersitatem essentialem non esse tantùm in ipsa natura, sed in genereitate formaliter sumpta, deriuatam tamen ex diuersitate naturæ, vt indicauimus sectione prima ad primum. Probatur, quia de facto cùm detur similitudo realis inter ea *Diuersitas redundat etiam in ipsam generitatem.* quæ participant naturam cōmunem, alia vtique est similitudo hominis cum equo in ratione animalis, corporis cum spiritu in ratione substantiæ: atque lineæ cum superficie in ratione quantitatis: habitus cum potentia in ratione qualitatis: & sic de alijs. Vbi, si hæ censeantur esse relationes à parte rei distinctæ ab ipsis rebus, vtique sunt diuersæ relationis species. Pariter ergo communitas ipsa naturæ, siue aptitudo quæ illi tribuitur, & vniuersalitas fundata in tali similitudine, dici non debet esse vnius infimæ speciei: sed potius esse multiplex speciei, sicut ipsæ relationes similitudinis & cōuenientiæ essentialis à parte rei.

Secundò. Si natura vniuersalis esset separata, & haberet aptitudinem realem essendi in multis: esset planè essentialiter diuersa aptitudo substantiæ ad essendum in suis speciebus, & quantitatis in suis, & sic de reliquis. Atque de facto aptitudo realis vniuscuiusque naturæ ad essendū in re, quæ est ipsamet essentia naturæ, est maximè diuersa iuxta varietatem naturarum: ergo etiam in aptitudine, quæ per rationem effingitur, & in ipsa vniuersalitate formali, est hæc diuersitas agnoscenda.

Tertiò. Plus sine dubio differt aptitudo, quæ cogitatur vno actu, substantiæ ad sua inferiora, ab aptitudine quæ cogitatur quantitatis ad sua; quàm differat ab aptitudine, quæ alio actu, siue ab alio intellectu, cogitatur etiam substantiæ ad sua inferiora. Et quidem quando varijs actibus cogitatur semper aptitudo substantiæ ad suas species, hæ sunt aptitudines solo numero diuersæ & eiusdem speciei. Sed inter aptitudinem substantiæ & quantitatis tanta est diuersitas, vt meritò dicendum videatur, aliam esse speciem habitudinis, quæ cogitatur in substantia, ab ea quæ cogitatur in quantitate, & sic de reliquis: quæ omnes conueniant sanè in communi ratione aptitudinis genericæ: sed in speciali differant, quòd alia est aptitudo substantiæ, alia quantitatis.

Quartò vlterius sequitur, iuxta varias conuenientias & diuersitates ipsarum naturarum, esse quodam pari modo varios gradus in ipsis vniuersalitatibus distinguendos. Videlicet cùm in prædicamento substantiæ sint plura genera; dabitur conceptus vniuersalitatis genericæ, conueniens naturis substantialibus, in quo omnia genera substantiæ conueniunt, & per quidem differunt ab omnibus generibus, quæ sunt in prædicamento quantitatis, & in alijs prædicamentis. Et ita plura excogitari possunt.

Quintò. Ratio à priori huius rei est, quia diuersitas relationis & aptitudinis, non solùm sumitur ex diuerso modo respiciendi, sed etiam ex diuersitate subiectorum & terminorum. Nam de ratione relationis & aptitudinis, non solùm est talis vel talis modus respiciendi; sed etiam ordo ad talem vel talē terminum, & ordo talis vel talis subiecti: ex reali ergo diuersitate eorum, resultat etiā formalis diuersitas in ipsa relatione & aptitudine. Quod ergo realiter in veris entibus reperitur, etiam in entibus rationis suo modo concedendum est. Sic

certè

certè alia essentialiter dicetur relatio visi quæ cogitatur in colore, & relatio auditi quæ cogitatur in sono; quamuis eodem modo se habere cogitentur: sicut si hæ relationes essent reales, essentialiter vtique differrent.

Genus, aliud generalissimũ aliud subalternũ.

Secundò præcipuè diuidendum est genus magis formaliter sumendo diuisionem ex parte vniuersalitatis, in genus supremum & genus intermedium, siue genus generalissimum & genus quod dicitur subalternum. Hanc diuisionem tradit Porphyrius cap. de Specie; & alij omnes approbant. Estquè necessaria & maximè opportuna ad coordinationem prædicamentorum. Genus supremum & generalissimum est, quod non habet supra se aliud genus. Genus intermedium & subalternum est, quod habet supra se aliud genus: atque adeò respectu eius dicitur species, species scilicet subijcibilis, & appellatur genus simul & species. Dubitari autem potest, num genus generalissimum sit illud quod prorsus nõ habet supra se genus, vel quod in coordinatione certi prædicamenti non habet supra se genus: esto aliàs detur extra prædicamentum aliquod genus supra ipsum. Quod idem est, ac quærere, num prædicata transcendentalia quæ sunt superiora & communia prædicamentis, sint genera vel non. Hoc autem propriè spectat ad ipsa prædicamenta, ibiq. id examinabimus.

Aliud infimum aliud superius.

Vel alio modo potest diuidi genus, in genus infimum & genus superius. Genus infimum dicimus quod est vltimum genus in suo ordine, non habens sub se alia genera, sed tantùm species specialissimas. Genus superius dicimus, quod habet sub se alia genera, quæ rursus de alijs speciebus prædicantur. Et in hoc dubitari potest; quomodo differant genus infimum & genus superius in ipsa formali ratione generis. Et quidem admitti potest, differre suo modo essentialiter. Nam aliquo modo diuersa vniuersalitas est, esse vniuersale generum, ac esse vniuersale tantùm specierum: sicut dicebamus diuersam vniuersalitatem esse, esse vniuersale specierum, ac tantùm indiuiduorum. Sed tamen non est tanta omnino diuersitas: quia omnis vniuersalitas generis conuenit in hoc, quòd genus sit vniuersale aliorum vniuersalium, in quo differt ab vniuersalitate speciei specialissimæ. Vnde benè assignari & distingui poterunt, vniuersale genus & vniuersale species. Et nunc benè diuidi potest genus, quod est genus generum, vel vltimarum specierum: siue genus cuius species subijcibiles sunt vniuersalia genera, & genus, cuius species subijcibiles sunt species infimæ prædicabiles.

Genus, aliud perfectè, aliud imperfectè præscindens.

Tertiò præterea, si verum est, aliquod genus esse quod perfectè à suis differentijs præscindat, aliquod verò quod solum imperfectè: de qua re agemus in quæst. de differentia: Hæc est sanè maxima ratio diuidendi genus. Et sine dubio his duo modi vniuersalitatis essentialiter formaliter distinguuntur. Nam in abstractione ipsa ab inferioribus, siue à differentijs, est notabilis diuersitas. Imo tanta est, vt conceptus illi qui ab inferioribus non perfectè præscindunt, soleant ab omnibus quinque vniuersalibus penitus ablegari: si ergo inter vniuersalia admittantur, omnino magna diuersitas formalis est inter eos, qui perfectè & qui imperfectè præscindunt.

Quartò demum, quia prædictum est, in eodem genere posse distinctè cogitari habitudinem ad species atque ad indiuidua: admittẽdum est in eadem natura generica plures habitudines, omnesquè genericas, considerari posse suo modo distinctas, & dici posse distingui essentialiter ex diuersitate terminorum in conceptibus intellectus. Quamuis enim ipsi termini, videlicet species & indiuidua, quoad naturas reales non condistinguantur essentialiter. Tamen quia conceptus secundarum intentionũ determinatur vel ad hæc vel illa, possunt dici hoc modo distingui: sicut certè distinctæ secundæ intentiones dantur, in natura generica, in natura specifica, atque in indiuiduo quod accipit secundam intentionem subijcibilitatis: & in ipsa specie diuersa est intentio prædicabilitatis ad indiuidua, subijcibilitatis ad genus: licèt quoad naturas reales hæc omnia non condistinguantur essentialiter, sicut ipsæ secundæ intentiones contradistinguuntur.

Porrò hæ habitudines in natura generica pluribus modis distingui & multiplicari possunt. Potest enim cogitari habitudo

bitudo ad species & indiuidua, cum ordine quo respiciat species tanquam terminum primarium, indiuidua tanquam secundarium. Vel habitudo ad species tantùm: vel habitudo ad indiuidua tantùm. Vel habitudo ad ea quæ differunt specie, non explicando species vniuersales, aut indiuidua contenta sub specie. Vel si quo alio modo intellectus possit naturam genericam ad inferiora comparare atque conferre.

QVÆSTIO VNDECIMA.

De Specie.

PORPHYRIUS in Procemio, Speciem non secundo, sed tertio loco numerauit; inter Genus & Speciem interponens Differentiam. Et insuper, quia genus & differentia sunt rationes cõstitutiuæ speciei: prius tàm de differentia quã de genere ante speciem videbatur agendum. Rectè tamen ipse Porphyr. in tractatione, immediatè post genus & ante differentiam collocauit speciem: & rectè Boet. Ammon. Albert. alijque Expositores in cap. de Specie notant, hunc ordinem esse seruandum. Tum quia genus & species correlatiuè dicuntur: vnde immediatè debent in tractatione coniungi, quia correlatiua dicuntur esse simul natura & cognitione. Tum quia genus descendit & contrahitur ad species per differentias: prius ergo post genus agendum erat de speciebus ad quas genus descendit, & postea de differentijs per quas descendit. Tum quia vniuersalia quæ prædicantur in quid, præcedere debent ea quæ prædicantur in quale. Tum demum quia sic doctrinæ tradendæ commodius est. Et hæ omnes rationes præponderant, vt species differentiæ præferatur.

Species autem in præsenti proposito duplicem sensum habet. Vnum per respectum ad genus sub quo continetur: sic homo & brutum v. g. dicuntur species animalis. Et in hoc sensu species appellatur subijcibilis. Alium sensum habet per respectum ad indiuidua: sic homo dicitur species Petri & Pauli & cæterorum. Et in hoc sensu appellatur species prædicabilis. Atque in vtroque sensu agendum modò est de specie. De specie quidem prædicabili, quatenus vniuersale quoddam vnum ex quinque. De specie autem subijcibili, ad maiorem ipsius generis explicationem, plenioremquè notitiam.

SECTIO PRIMA.

Quid sit Species vniuersalis seu prædicabilis: qua ratione differat ab alijs vniuersalibus: & quomodo sit definienda.

EX dictis de genere ferè constat, quo modo speciei ratio explicanda sit, eiusquè discrimen tàm à genere quàm à cæteris vniuersalibus. Et breuiter pauca quædam hìc colligenda & adnotanda sunt.

De ratione speciei est, conuenire pluribus indiuiduis. Primò Caiet. dicebat, ad rationem speciei vniuersalis non requiri, posse esse re-uera in multis, sed sufficere si cogitaretur vtcunque in multis, etiam illa natura quæ essentialiter esset inmultiplicabilis & determinata ad vnum. Idquè dicebat ad hoc vt etiam in substantijs spiritualibus, quarum naturas supponebat esse inmultiplicabiles in plura singularia, defenderet esse species, & inter se differre specie. Verùm quantum ad hoc, iam diximus quæst. 8. sect. 4. esse rationem communem omnis vniuersalis, atque adeò etiam speciei, posse multiplicari in plura; esseque necessarium vt sint realiter possibilia plura inter se similia & conuenientia in ea natura quæ dici debet vniuersalis. Supponere ergo oportet, hanc multiplicabilitatem esse de ratione speciei vniuersalis. Ita tamen quòd non requiratur actualis existencia plurium: imo nec etiam possibilitas naturalis, per vires

vires scilicet causarum naturalium, quæ dici solet potentia physica: sed sufficit possibilitas saltem per Dei potentiam absolutam.

Quenam indiuidua dicātur differre numero.

Secundò. Alij ex Thomistis, id totum vltro supponentes, atque concedentes speciem debere esse communem pluribus numero differentibus iuxtà eius definitionem, asserunt ea solùm dici differre numero, quæ diuisione quantitatiua differunt, & non per intrinsecas differentias: sed hæc dicunt differre specie. Vnde inferunt, species vniuersales & prædicabiles, in substantijs tantùm materialibus, non autem spiritualibus, reperiri. Concedunt etiam reperiri in accidentibus, non tantùm materialibus, sed etiam spiritualibus: quia scilicet accidentia distinguuntur penes subiectum, quod est eorum veluti materia, est causa materialis & subiectiua. Quando autem dicuntur substantiæ spirituales differre specie: volunt id intelligi, specie tantùm subijcibili, non prædicabili; eo quòd conuenientes sub conceptu communi, inter se per intrinsecas differentias distinguuntur: vnde dicunt, illum conceptum habere vniuersalitatem generis, & singularia sub ipso contenta esse species subiectas tali generi.

Non solū quæ differūt diuisione quātitatiua, sed etiam quæ per intrinsecas differentias.

Dicendum tamen est, illa plura per ordinem ad quæ species constituitur quoddam vniuersale & prædicabile, esse illa quæ numero differunt, sumendo differentiam numeralem pro quacunque differentia indiuiduali, quæ scilicet versatur inter singularia, per singularia intelligendo quæ vlterius communicari pluribus ad modum vniuersalium non possunt. Hæc est magis communis sententia. Et sine dubio est de mente Porphyrij, qui cùm speciem definisset, quæ prædicatur de pluribus numero differentibus, idest de pluribus indiuiduis: definit etiam indiuiduum, dicens, quod de vno solo prędicatur: non dixit, quod diuisione quantitatiua ab alio differt; sed quod de vno solo dicitur. Et satis probata manet hęc assertio ex dictis de genere. Nam natura communis, quæ non potest multiplicari in alia plura vniuersalia, sed tantùm in singularia vlterius inmultiplicabilia, non est vniuersale genus: ergo est Vniuersale species, etiam si per intrinsecas differentias diuidatur. Imo omnis natura communis quatenus communis, non potest non diuidi per differentias intrinsecas ipsis inferioribus in quæ diuiditur; etiam si hæc singularia sint, vt ostensum est in propria quæst. de singulari. Quare etiam in substantijs spiritualibus agnoscendæ sunt species vniuersales prædicabiles, penes quas illæ dicantur differre specie, non solùm subijcibili, sed etiam prædicabili. Et rursus sect. sequenti dicemus, nullam esse speciem subijcibilem, quæ in se non sit vniuersale quoddam.

Omnis & sola natura cōmunicabilis proximè indiuiduis, constituit vniuersale speciem.

Tertiò. Ex aduerso aliqui significant, non sufficere ad rationem speciei prædicabilis, continere sub se plura numero differentia, de quibus secundùm conuenientiam intrinsecam dicatur, atque adeò non omnem conceptum proximè cōmunem indiuiduis esse speciem. Simulquè volunt, naturam aliquam communem sub qua inueniantur alij conceptus rursus communes pluribus indiuiduis, esse vniuersale speciem, & non genus. Hi sunt illi, qui inter indiuidua eiusdem quam vocant infimæ speciei, constituunt dissimilitudinem seu inæqualitatem: ita tamen quòd in quolibet gradu talis inæqualitatis, inueniantur plurima inter se quidem æqualia, & ita tot classes indiuiduorum, quot gradus inæqualitatis sunt possibiles in illa specie. Nam dicunt, conceptum seu gradum tantæ vel tantæ perfectionis, licèt communem pluribus indiuiduis, non esse speciem: sed naturam illam communem participabilem inæqualiter, licèt dicatur de pluribus gradibus inæqualibus, quorum singuli sunt rursus communes pluribus indiuiduis inter se æqualibus, esse adhuc vniuersale speciem. Verùm in quæst. de singulari ad finem, satis ostendimus, logicè loquēdo, & secundùm diuisionem vniuersalium hic traditam, naturam illam communicabilem pluribus gradibus inæqualibus, quorum singuli sint communes pluribus indiuiduis, esse vniuersale genus, non speciem; & gradus atque conceptus illos intermedios esse species. Quod sane ex distinctione tradita inter genus & speciem planè conuincitur. Imo mirandum fortasse videatur; aliquos, præsertim Caietanū, ex vna parte dixisse, etiam naturam prorsus inmultiplicabilem

bilem esse speciem vniuersalem, & naturam aliquam communem proximè singularibus incommunicabilibus esse genus & non speciem; & ex alia parte dicere conceptum communem pluribus indiuiduis non esse speciem, & naturam communem pluribus his conceptibus seu gradibus communicabilibus non esse genus. Concludendum ergo est, omnem & solam illam naturam quæ est proximè communis pluribus singularibus, idest quæ non sunt vlterius communicabilia pluribus, habere adæquatam rationem speciei vniuersalis & prædicabilis.

Et ratio speciei formaliter cōsistit in respiciendo sola indiuidua.

Quartò. Hoc supposito aliqui volunt, rationē propriā huius vniuersalitatis nō in hoc formaliter cōsistere, sed potius in eo quòd species possit inesse pluribus tanquam tota essentia: & per hoc distingui à genere & differentia, quæ dicebant inesse tanquam partes essentiæ, vt supra de genere retulimus. Dicendum tamen est, propriam & essentialem rationem speciei vniuersalis, per hoc optimè assignari, quòd species sit vniuersale habens sub se non alia vniuersalia, sed tantùm vltima singularia. Patet ex dictis de genere, & ex alijs modò dictis. Nam ille modus dicendi de inesse per modum totius essentiæ, vel nihil affert diuersum, vel falsus est. Nam intantùm dicunt, speciem inesse tanquam totam essentiam: non quia negent in indiuiduis reperiri differentias indiuiduantes, sicut volunt genus adiunctas habere differentias specificas: nec quia negent differentias indiuiduantes esse intrinsecas ipsis indiuiduis, sicut sunt differentiæ specificæ speciebus: sed solùm quia sunt infimi gradus amplius incommunicabiles, ideoque vocant materiales, non formales essentiales. Quod, vt patet, in idem prorsus redit, quod nos dicebamus. Aliqui autem plus velle videtur: ideò scilicet speciem esse totam essentiam, quia præter naturam specificam, pro differentijs indiuiduantibus sunt accidentia, quæ non sunt de intrinseca entitate rerum; vel diuisio quantitatiua, quæ etiam accidit rebus. Sic autem talis dicendi modus est prorsus falsus ex dictis iam in quæst. de singulari. quia seclusis omnibus accidentibus, & diuisione ipsa quantitatiua, adhuc singularia extant cum intrinseca distinctione quam inter se habent: nec natura specifica remanet velut vniuersalis sine differentijs determinantibus ad singularia.

Et per hoc differt à genere.

Quintò. Ex his satis manifestum relinquitur, quo pacto species ab alijs vniuersalibus differat. Differt à duobus vltimis, quia inest & prædicatur essentialiter. Differt à genere, quia genus continet sub se vniuersalia, species tantùm singularia: genus dicitur de pluribus inter se differentibus per conceptus alios vniuersales, species tantùm de ijs quæ vltimo indiuiduali conceptu differunt. Per hoc differt etiam species a differentia generica, idest illa quæ etiam dicitur de pluribus speciebus. An verò & quomodo differant species & differentia specifica, magis examinabimus quæst. sequenti; & mox indicabimus.

Species definitur.

Sextò demum. Quia species definiri potest & debet eo sensu quo diximus de genere: Porphyr. speciem prædicabilem definit: *Species est quæ de pluribus & differentibus numero in eo quod quid est prædicatur.* Vel per inesse, species sic definiretur: quæ apta est inesse essentialiter pluribus tantùm singularibus. Neque opus est, hìc repetere ea quæ dicta sunt circa definitionem generis, quantum ad ea quæ communia sunt vtrique. Quantum verò ad id in quo differunt: intelligi omnino debet in descriptione Porphyr. speciem esse quæ adæquatè, siue quæ immediatè, siue quæ tantùm de differentibus numero prædicatur: alioqui etiam genus prædicatur de ipsis pluribus numero differentibus, nempe de omnibus indiuiduis sub speciebus, vt notauit ipse Porphyr. ex cuius contextu planè constat, definitionem speciei quam tradit ita esse intelligendam: licèt non ipsamet definitione ipse talem determinationem expresserit.

Sotus verò hic quæst. de Specie ad 2. conf. 2. argumenti, vult, debere subintelligi duplicem particulam exclusiuam: species est quæ solùm prædicatur de pluribus solo numero differentibus. Quia si tantùm diceretur, est quæ prædicatur de solo numero differentibus: etiam genus prædicatur de illis indiuiduis quæ solo numero differunt. Et, si tantùm diceretur, quæ solùm prædicatur de numero differentibus: etiam indiuidua diuersarum specie-

specierum de quibus genus prædicatur, differunt numero; sed non solùm numero, quia etiam specie. Potest tamen sufficere vna particula exclusiua, per quam dicatur, illa plura de quibus species dicitur esse tantùm singularia: quia hoc est dicere, speciem non dici de pluribus vniuersalibus, per quod planè differt à genere, quod ita dicitur de singularibus, vt dicatur etiam de vniuersalibus.

Quomodo indiuidua etiã spiritualia differant numero.

In contrarium obijci potest primò ad probandum, illa tantùm differre numero, quæ differunt diuisione quantitatiua, quæ sola efficit numerum, & de quibus dixit Arist. illa esse vnum numero vel plura numero, quorum est materia vna vel multiplex. Verùm hæc omnia satis explicata sunt in sua quæst. de singulari. Vnde constat, numerum debere sumi entitatiuè, & differentiam numeralem pro differentia indiuiduali intrinseca, quæ non ex diuisione quantitatiua desumitur. Et loca Arist. ibi explicauimus.

Quomodo species explicetur quidē, nō tamen cōstituatur, per negationem.

Obijcies secundò. Non benè explicari rationem essentialem speciei, per hoc quod refertur solùm ad indiuidua, cùm genus referatur ad species. quia sic species videtur constitui per negationem, quia scilicet nō habet sub se vniuersalia: nam in eo quòd est sub se habere singularia, conuenit cum genere, & tantùm differt per illam exclusionem. Hoc autem est absurdum: quia vniuersalitas speciei est vtrique positiua, sicut vniuersalitas ipsius generis.

Respondetur. Sæpè solere, per negationes explicari rationes positiuas: sicut cùm diuiditur animal per rationale & irrationale, substantia per corpoream & incorpoream. Sic ergo in casu nostro, vniuersalitas speciei quæ positiua est, explicatur per negationem: quasi dicatur vniuersalitas speciei est talis forma positiua, quæ habet pro termino suo adæquato singularia. Et natura specifica est talis natura positiua, cui repugnat diuidi in plura vniuersalia. Imò ipsummet singulare ad differentiam vniuersalis solet sic per negationem explicari. Indiuiduum est quod de vno solo dicitur, idest non pluſquam de vno, seu non de pluribus. Singulare est quod est incommunicabile, quod non potest multiplicari in plura: & tamen multò magis est positiua ratio singularis quæ est realis, quàm ratio vniuersalis quæ est rationis.

Quomodo per diuersa inferiora, vel per diuersum modū communicationis, species à genere differat.

Obijcies tertiò. Vniuersalia constituuntur per ordinem ad multa, nō materialiter vt multa sunt, sed formaliter prout communicantia in ipsa natura vniuersali: ergo per diuersum modum communicationis, & non per diuersitatem eorum quæ communicant, debent distingui vniuersalia: & alioqui non distinguuntur in ratione formali vniuersalis. Melius ergo assignabitur species, quæ potest inesse tanquam tota essentia, quam quæ potest inesse singularibus. Et certè prima tria vniuersalia distinguuntur à duobus vltimis per diuersum modum cōmunicationis, & etiam hæc duo vltima inter se: ergo non minùs oportet distingui illa prima inter se.

Respondetur Vniuersale in communi constitui in primis per ordinem ad multa. Deinde diuidi in plures species: vel per diuersum modum respiciendi ipsa multa, & sic distinguuntur alia quæ dicta sunt: vel per diuersitatem eorum multorum quæ respiciuntur, & hoc etiam sufficit ad distinctionem vniuersalium; præsertim dum diuersitas ipsa multorum non est extranea à ratione vniuersalis, imò cōsistit in distinctione vniuersalium & singularium. Diuersa ergo vniuersalitas est eius naturæ, quæ est communicabilis tantùm pluribus singularibus, ab vniuersalitate eius naturæ quæ est communicabilis pluribus vniuersalibus. Imo saluari etiam potest, hanc diuersitatem consistere in modo communicationis. Nam species ita est communicabilis multis, vt in illis eo ipso fiat incommunicabilis vlterius: genus autem ita est communicabile multis, vt rursus ab illis multis possit vlterius communicari atque descendere.

SECTIO SECVNDA.

Quid sit species subijcibilis: quomodo referatur ad genus: & quomodo sit definienda.

IN primis videri potest, solam speciem prædicabilem quæ est vniuersale distinctum

stinctā à genere, esse subijcibile respectu generis, quia ideò factum esse videtur, vt vnum speciei nomen vtrunque significatum habeat: quoniam vni eidemquè naturæ, vtraque speciei denominatio tribuenda est. Ex opposito non solùm species prædicabiles, & genera subalterna, sed etiam vltima singularia, posse esse species subijcibiles, licèt in se vniuersalia non sint, opinantur illi qui volunt, vniuersale genus posse esse immediatè commune singularibus, quiquè in substantijs spiritualibus non agnoscunt speciem prædicabilem de pluribus, sed omnem naturam specificam ad vnum singulare determinant.

Species subijcibilis debet esse in se vniuersalis.

Dicendum tamen est, species subijcibiles generi, debere quidem esse in se ipsis vniuersales; non tamen oportere vt sint species prædicabiles, quæ ab vniuersali genere distinguuntur, sed posse esse vel species infimas vel genera subalterna. Prima pars satis patet ex sæpè dictis. Et manifestè Porphyrius in toto hoc tractatu nullam speciem agnoscit, nec prædicabilem, nec etiam subijcibilem, quæ vniuersale quoddam non sit commune pluribus. Aristoteles etiam quando nominauit species quæ generi subduntur, per species non nisi vniuersalia quædam intellexit. Similiter loquuti sunt veteres Peripatetici, & communiter Expositores hoc loco. Ratione verò non alia probanda est, nisi ex eo quod statutum est, vniuersale genus esse quod habet sub se vniuersalia: ex quo planè sequitur, species subijcibiles, quæ scilicet sunt illæ quæ immediatè subduntur generi, debere esse in se vniuersalia quædam.

Vel scilicet species prædicabilis, vel genus.

Secunda pars deinde clarè ostenditur, quia non solùm datur genus infimum, quod non habet sub se nisi illas species quæ tantùm de vltimis singularibus prædicantur: sed dantur etiam genera superiora & generalissima, quæ in plura genera diuiduntur; & genera diuidentia dicuntur species respectu generis diuisi, species scilicet illi subditæ, quæ sunt species subijcibiles. Et hic est communissimus loquendi modus. Sic dicimus corpus & spiritum esse species substantiæ in communi: qualitas diuiditur in quatuor species: & sic de alijs. Hinc orta est distinctio duplicis speciei: alia dicitur species specialissima: alia subalterna. Illa appellatur etiam species infima, quia non habet sub se alias species; & species atoma, quia non potest diuidi in plures species. Alia dicitur species intermedia, quia & habet supra se genus, & sub se alias species. Species specialissima habet duplicem denominationem speciei: est enim species subijcibilis respectu generis: & est species prædicabilis, sumendo speciem prædicabilem, prout est vniuersale quoddam distinctum à genere, respectu suorum inferiorum nempe singularium. Species autem subalterna vnam tantùm denominationem speciei habet, nempe speciei subijcibilis respectu generis; respectu autem suorum inferiorum, nempe aliarum specierum quas sub se habet, est vniuersale genus. Vnde huiusmodi prædicata intermedia, dicuntur species simul & genera, videlicet respectu diuersorum: species respectu prædicati superioris, & genera respectu subiectorum inferiorum. Hoc totum prosequitur latè Porphyr. hoc cap. de Specie. Vnde non ideò idem speciei nomen vtrumque respectum significat, quòd sola species infima sit etiam subijcibilis, sed propter aliam rationem quam sect. 3. reddemus.

Omnis species prædicabilis est etiā subijcibilis.

Secundò deinde dixerunt aliqui, non omnem speciem prædicabilem esse etiam speciem subijcibilem; sicut non omnis species subijcibilis, est etiam species prædicabilis. Quia videtur dari aliqua species prædicabilis, quæ nulli generi subdatur. V. g. punctum quantitatis, quod vtique non est sub genere quantitatis, quia punctum non est quantitas. Et materia prima, iuxta illam sententiam, quæ negat in corporibus cælestibus esse materiā diuersæ rationis specificæ à materia corporum inferiorum: nam sic materia esset species infima; & tamen non est sub genere substantiæ in prædicamento. Et si quæ sunt alia similia exempla. Fauetquè huic sententiæ Caietanus in cap. de Specie.

Dicendum tamen est, omnem speciem prædicabilem esse etiam subijcibilem, eo quòd habeat genus aliquod, sub quo per se contineatur. Vt autem id probetur, considerandum est: aliud esse dicere omnem speciem esse sub genere prædicamentali, idest quod in prædicamento

aliquo

aliquo directè collocetur; & omnem speciem esse sub aliquo genere, siue in prædicamento siue extra. In primo sensu certè non omnis species est sub genere prædicamentali: nam non omnes naturæ genericæ & specificæ ponuntur directè in prædicamentis, vt præsertim de naturis incompletis & partialibus constat. Sed adhuc dicere valebit, omnis species prædicamentalis ponitur sub genere prædicamentali: quia sic debet tàm species quam genus in eodem ordine sumi. In secundo sensu omnis species absolutè subijcitur alicui generi, saltem extra prædicamentum. Et ratio est: quia omnis natura specifica conueniet cum aliqua alia natura per similitudinem intrinsecam in aliquo gradu essentiali, & sic dabitur genus commune, cui tales species subijciuntur. Idquè inductione patere potest in omnibus rebus. Et patet manifestè in exemplis allatis. In puncto quantitatis, præcipuè quia datur etiam instans temporis, cum quo conuenit in conceptu indiuisibilis continuatiui & terminatiui partium, abstrahendo à quantitate permanēti & successiua. In materia prima, quia cùm detur etiam forma substantialis, ambæ conueniunt sub conceptu partis physicę essentialis. Et sic omnis alia species inuenietur habere aliam cum qua conueniat, atque adeò genus in quo conueniat, & cuius sit species subijcibilis.

Species subijcibilis dupliciter refertur ad genus.

Tertiò. Iam explicanda est ipsa formalis ratio subijcibilitatis, & ordo speciei ad genus. Et quidē potest dupliciter accipi & explicari. Sicut enim genus potest accipi & quatenus vniuersale & quatenus prædicabile, & hac duplici ratione refertur ad sua inferiora. Ita è cōuerso species subijcibilis dupliciter potest accipi. Et licèt nomē subijcibilis denotet potius respectū correspondentē ad genus quatenus prędicabile: tamen, cū non habeatur duo nomina ita accomodata, sicut illa, vniuersalis & prędicabilis; vtimur eodē vno nomine subijcibilis. Potest ergo in specie considerari respectu generis vnus ordo correspondens relationi vniuersalitatis. Et hic ordo propriè est, quatenus concipitur species apta habere in se naturam genericam. Vt enim genus consideratur aptum esse in speciebus: ita species habere in se genus. Et potest in specie considerari ordo correspondens relationi prædicabilitatis: quatenus nempe species concipitur apta subijci ab intellectu in propositione affirmatiua generis de ipsa specie. Et ita sunt duæ relationes mutuæ inter genus & speciem tanquam inter correlatiua. Potest tamen subijcibilitas explicari etiam per modum denominationis extrinsecæ a potentia intellectiua, sicut in communi diximus de prædicabilitate. quia reale quid est, intellectum posse verè prædicare genus & subijcere speciem: & hæc potentia realis, apta est denominare extrinsecè obiectum. Sicut etiam actu prædicari & subijci, possunt sumi pro denominatione extrinseca ab actu intellectus, sine alia relatione rationis & ficta.

Species subijcibilis à Porph. definitur.

Quartò. Pro definitione speciei subijcibilis, Porphyrius prius ait: *Species dicitur quæ est sub assignato genere*. Et paulò infra subdit: *Species est quæ ponitur sub genere: & de qua genus in eo quod quid est prædicatur*. Has aliqui contendunt, esse tres distinctas definitiones seu descriptiones. Et colligunt ex Porphyrio qui postea illas vocat in plurali numero assignationes seu definitiones speciei. Aliqui è contra, esse vnam tantùm, diuersis vocabulis traditam, & posteriori loco magis explicatam quàm primo. Dici tamen potest, esse duas definitiones. Nam non videntur differre: species est sub assignato genere: & species ponitur sub genere. Non enim nisi in voce differunt ly est & ponitur. Nec habet aliquam peculiarem vim, quod priori loco dicitur sub assignato genere. Vel enim denotat sub certo & determinato genere: & hoc non refert, quia ita satis est dicere sub genere. Vel tantùm denotat sub assignato, idest sub genere quod Porphyr. iam descripserat. Sic enim ipse sæpius vtitur hoc verbo assignandi. Hæc est ergo prima definitio speciei. Secūda quæ dici potest distincta, est, species est de qua genus prædicatur in quid. Et distinctio huius definitionis à prima explicanda est, per duplicem considerationem dictam speciei subijcibilis. Nam prima definitio optimè quadrat speciei subijcibili prout correspondet generi quatenus vniuersali. Secunda verò prout correspondet generi quatenus prædicabili. Vel dici potest, secundam defini-

definitionem esse illam totam, species est quæ ponitur sub genere, & de qua genus prædicatur in quid: ita vt prima pars huius definitionis non sit veluti repetitio prioris definitionis: sed ly ponitur, sumatur pro subijcitur. & ita pertinet ad eundē sensum secūdæ definitionis, in qua additur, de qua genus prædicatur in quid: quia in priori parte explicatur solùm subiectio speciei ad genus, in hac posteriori parte explicatur modus subiectionis, nēpe subijci in quid. Et ideò hæc sola posterior pars pôt esse sufficiēs definitio: nō tñ prior pars sine hac posteriori, ad explicādū hūc modū prędicationis in quid.

Definitio explicatur.

Præterea ad proprietatē & rigorē omnis huiusmodi definitionis, oportet aliquid addere, seu subintelligere: alioqui etiam de indiuiduis verū est dicere, poni sub genere, & de ijs genus prædicari in quid. Aliqui dicūt, debere intelligi seu addi, species est quæ proximè & immediatè ponitur sub genere, vel de qua proximè & immediatè genus prædicatur. Qui modus dicēdi potest esse quidē sufficiens: sed quia etiam de indiuiduis potest genus immediatè prædicari, Petrus est animal; non totā difficultatē exhaurit, nec omnino rem explicat. Aliqui addūt, species est quæ ponitur sub genere tanquā sub totali principio: quia, dicunt, licèt species addat supra genus suā differentiam, tamen differētia promanat à genere in quo potestatiuè cōtinetur, & ita genus est totale principium. Hic modus dicendi potest in aliquo sensu verificari, nō obstante quòd pariter dici debeant differētię indiuiduales à natura promanare. Nā hæ dicētur promanare nō à solo genere, sed à tota natura specifica in qua potestatiuè dicerentur contineri: sed differentiæ specificæ à solo genere: & ita genus proximè dicetur totum principiū speciei; nō autem proximè totum principiū indiuiduorū. Tamen hic modus dicendi nō est aptus ad definitionem. Est enim obscurus, & tanta explicatione indiget ad sui verificationem.

Optimus ergo dicēdi modus erit: species est vniuersale quoddā quod essētialiter sub genere ponitur, siue de quo genus essētialiter prædicatur. Sic enim manifestè exprimitur distinctio speciei ab indiuiduis: exprimitur etiā quod dicebamus, speciem subijcibilē debere esse vniuersalem: & hoc clarius ex textu ipsiusquè Porphyr. discursu deducitur.

Quomodo species per genus, & genus per speciē definiri possit.

Postremò præcipua difficultas circa hūc modū definiendi speciē est, quā vidit & tractauit idē Porph. quomodo species definiatur per genus, cùm genus definitū fuerit per species. Videtur enim hic esse vitiosus quidā circulus, & inutilis ac nugatoria repetitio. Definitio enim tradi debet per priora & notiora, vt docet Ar. 6. Topic. cap 3. relatiua autē dicūtur esse simul natura & cognitione. Vnde vnū nō est prius nec notius alio. Quòd si esset, tunc vnū ex ijs solùm posset definiri per aliud, & nō vicissim hoc aliud per illud. Augetur difficultas. quia cū species definitur per genus, potest vtiq. in definitione speciei loco ipsius generis poni definitio eiusdē generis: & tunc diceretur species est de qua prædicatur in quid illud quod prædicatur in quid de speciebus. Quod planè esset explicare idē per idem, & petere principium.

Propter hoc nō defuerūt qui dixerint, non debere genus & speciem sic per ordinem mutuū definiri, & malè Porph. tali modo definisse. Cōmuniter tamē Expositores has definitiones approbāt & defendunt: supponētes insuper genus & speciē necessario sic definiri debere, vt Porphy. docuit, eo quòd sunt inter se correlatiua. Et patet: quia certè vniuersale non potest definiri nisi per ordinem ad multa, quod scilicet aptū est esse in multis, prædicari de multis: & vnūquodq. vniuersale nō poterit definiri nisi per ordinē ad sua multa, genus non nisi per ordinē ad species, species per ordinē ad indiuidua. E cōuerso subijcibilia vniuersaliū, nō poterūt formaliter definiri nisi per ipsū ordinē subiectionis. Et ratio cōmunis est: quia relatiuū nō pôt explicari nisi per ordinē ad terminū, qm in ipso ordine essētialiter cōsistit.

Pluribus modis defenditur.

Ad difficultatē verò propositā, in tractatu de relationibus vidēdū est, quomodo relatiua possint vnū per aliud mutuò definiri. Interim dici potest, vel excipiēda esse relatiua ab illa regula de definitione tradēda per priora & notiora, vt significauit ibi ipse Philosoph. ita vt possint relatiua per se inuicē, cùm sint simul natura & cognitione, definiri. Vel licèt genus & species per se nominata, nō sint vnū notius alio: tamē totam simul propositionē,

genus est quod pôt dici de pluribus speciebus, species est quæ subditur generi, esse notiorẽ, & sic definitionẽ esse clariorẽ definito. Vel melius dicendũ debere in his cõsiderari, & entitatẽ absolutã singulorũ extremorũ, & relationẽ mutuã inter ea: & relõnes quidã ipsas esse illas quæ dicuntur simul natura & cognitione: definiri aũt vnũ relatiuum per ordinẽ, non quidẽ ad aliã mutuã relationẽ, sed ad entitatem absolutam alterius extremi, quæ prior & notior dici debet. Hoc est definitur genus per ordinẽ ad speciẽ, non formaliter vt mutuò relatã ad genus, sed absolutè sumptã in se: ac si dicatur, genus est vniuersale quoddam, quod dicitur de pluribus vñlibus sub se cõtentis: & è cõuerso, species est vñle quoddã, quod hẽt supra se aliud vñle. Vnde non est acceptanda illa repetitio, quæ in argumento afferebatur: quia id esset definire vnũ relatiuũ per aliud quatenus formaliter relatiuum est: & quia definitio debet tradi modo vtili & cõuenienti ad explicõnem definiti, & nõ eo modo inutili & otioso.

SECTIO TERTIA.

Quomodo in eadem Specie conueniant habitudo vniuersalitatis ad inferiora, & subijcibilitatis ad genus.

QVia ostẽsum est, semper hãc vtranq. habitudinẽ simul in vna eadẽq. specie cõuenire: omnis enim species vñlis est etiã subijcibilis, & omnis subijcibilis est vñlis, vel per vñlitatẽ specificam & infimã, vel per genericam: superest modo ad plenã speciei tũ prædicabilis, tum subijcibilis notitiã, hanc vtranq. habitudinem in eadem specie coniunctim cõsiderare.

Primò ergo Porph. in cap. de Specie circa medium ait, in specie specialissima vnicã esse habitudinẽ simul attingentẽ & genus sub quo est species, & indiuidua quæ sunt sub ipsa spẽ: in specie aũt subalterna duplicẽ ac distinctã esse habitudinẽ, vnã ad superiora, alteram ad inferiora.

Hæ duæ habitudines in omni specie distinguũtur. Dicendũ tñ oĩno est, in omni specie ẽt infima esse duplicẽ essentialiter diuersã habitudinẽ, vnã vñlitatis ad inferiora, alterã subijcibilitatis ad superiora. Est res certa. Et patet. quia maximũ discrimẽ est inter vtranq. habitudinẽ. Et in vniuersum quidẽ hæ sunt relõnes oppositæ, sicut relationes patris & filij, domini & subditi, aliæq. similes. Deinde qñ respectu diuersorũ in eodẽ subiecto inueniũtur, differunt tñ ex parte termini, quia vna est ad terminũ superiorẽ, altera ad inferiorẽ: tũ ex parte modi, quia vna est relatio cõtẽti ad continens, altera cõtinentis ad cõtenta, vt notauit ipse Porph. vna est tanquam partis potentialis ad totũ, altera tanquã totius potẽtialis ad partes, vt in fine cap. indicauit idẽ Porph. vna demũ est tanquã multorũ ad vñle, altera tanquã vñlis ad multa: vna tanquã subiecti ad prædicatũ, altera tanquã prædicati ad subiectũ. Plus ergo differunt hæ duæ habitudines inter se, licèt in vno eodẽq. subiecto vniantur, quã differant adinuicem quotquot variæ vñlitates inueniãtur. Nã hæ oẽs cõueniũt in rõne cõi vñlitatis, in qua tñ differunt à rõne subijcibilitatis, vt magis infra dicemus. Porph. aũt solũ dicere voluit, in specie specialissima vnũ esse nomen vtriusq. habitudinis: nã dicitur species tã respectu indiuiduorũ, quã respectu generis, licèt in diuerso sẽsu. In specie aũt subalterna diuersimodè vtraq. habitudinẽ nominari: nam respectu superioris appellatur species, respectu autẽ inferiorum genus.

Non conueniunt vniuocè, sed tantũ analogicè in nomine. Secundò dubitari põt, nũ sicut hæc duplex habitudo in specie specialissima in eodẽ nomine cõuenit: ita et conueniat in rõne aliqua vniuoca, & cõceptu significato ipso noĩe speciei: vel tñ velut æquiuocè in solo noĩe conueniat. Sot. in hoc cap. Maſ. sect. 1. q. 4. Sanc. q. 53. volunt cõuenire tñ æquiuocè. Sed ex alia parte negari non potest, cõuenire in cõceptu cõi relationis, atque secundæ intentionis.

Dicendũ est, non cõuenire in cõceptu aliquo adæquato & peculiari, qui conuenit tñ speciei vñli & subijcibili, & non alijs; atq. adeò in ipso noĩe speciei conuenire velut æquiuocè, seu analogicè. Patet. quia non datur, nec põt afferri, definitio vna cõis. quæ importet conceptũ vnũ, cõem vtriq. relationi, seu speciei vtroque modo sũptæ, sub ipso nomine speciei: sed quælibet hẽt suam definitionẽ diuersã. Et præterea ex mõ dictis patet, tantã esse diuersitatẽ inter vtranq. vt non possit assignari rõ aliqua peculiaris significata noĩe speciei, adæquata speciei prædicabili & subijcibili, & non alijs. Conueniunt ergo tantùm

tantùm in nõie speciei. Cũ aliqua tñ analogia, & non merè æquiuocè à casu. quia scilicet nomen speciei sumptũ est à decore & pulchritudine: & dicitur species subijcibilis respectu generis, quia est veluti decor generis, quod sua differentia perficit atque ornat: dicitur etiam species prædicabilis, respectu indiuiduorum quæ essentialiter constituit, tanquam forma & perfectio essentialis eorum.

Quænam sit principalis in specie.

Tertiò videndũ est, quænã ex his duabus rõnibus sit principalior in ipsa natura specifica. Aliqui affirmant, esse rõnẽ subiectionis. Tũ quia species subijcibilis est magis ampla. Tũ præterea in sciẽtijs spẽs consideratur potius sub rõne subiecti, de quo prædicata essentialia affirmantur & passiones demõstrantur, quã sub rõne prędicati: q̃nquidẽ sciẽtiæ non curãt de indiuiduis de quibus spẽs est prædicabilis. Tũ ẽt in prædicamentis spẽs ponitur potius quatenus subijcibilis, quàm quatenus prædicabilis. Tũ quia hac ẽt rõne magis consideratur hìc à Porph. qui agit de spẽ maximè quatenus est correlatiuũ generis. Tũ pręsertim spẽs refertur ad genus essẽtialiter tanquam ad suum prædicatum essentiale: ad indiuidua verò tantùm accidentaliter, quia per accidens diuiditur per conditiones indiuiduantes, seu per diuisionem materiæ & quantitatis.

Dicendũ tamen, secundùm varias considerationes, posse tam vnam, quàm alteram ex his rationibus præferri. Nam si species sumatur quatenus inter quinque vniuersalia & prædicabilia numeratur, quatenus continebatur sub vniuersali in communi, de quo antea egimus, quatenus à singulari distinguitur, aliasq. similes considerationes: vtique principaliter dicit rationem vniuersalis & prædicabilis. Et sine dubio nobilior est ratio vniuersalitatis quàm subijcibilitatis: quia vniuersale continet, subijcibile continetur; vñle est superius, subijcibile est inferius. Si verò attendantur duæ primæ rationes antea allatæ: præferenda est ratio subiectionis. Dico, duæ primæ rationes. quia aliæ non subsistunt. Nam species in prædicamẽtis ponitur, & à Porph. alijsq. omnibus hic consideratur, non solũ quatenus subijcibilis, sed etiam & fortasse magis, quatenus vniuersalis & prædicabilis. Et diuiditur in sua inferiora non accidẽtaliter, sed intrinsecè per differentias entitatiuas, vt suo loco probatũ est.

Quartò præcipuè dubitatur, an hæ habitudines sint inter se prorsus disparatæ & inconnexæ, vel vna sit de ratione alterius, siue vna fundamentum & origo alterius. Albert. tractatu 4. Prædicab. cap. 2. significat, & alij asserunt, esse disparatas: ita vt vna veluti per accidens se habeat ad aliam. quia nec subijci generi, est per se de ratione vniuersalis ac prædicabilis de multis: nec etiã esse vñle & prædicabile, est de ratione subijcibilis. Sed optimè potest & solet, vna ex his rationibus sine alia inueniri. Caiet. verò in hoc cap. significat, rationẽ vniuersalis & prædicabilis in specie, cõsequi ad rationem subijcibilis: ita vt dicere valeat, ideò species apta est de indiuiduis prædicari quia subijcitur generi. E contra Tolet. q. de specie circa 1. argum. concẽdit, rationẽ vñlis per se esse de ratione subijcibilis in specie & supponi ad rõnẽ subijcibilis: ita vt dicere valeat, ideò est species subijcibilis. quia est vñle quid in se. Idem tenet Sanc. q. 33.

Num vna sit de ratione alterius.

Pro resolutione distinctè considerare oportet rationẽ subijcibilis & prædicabilis absolutè & secũdùm se, atque denominationẽ speciei subijcibilis & prædicabilis; idest hoc totũ cõplexũ, species subijcibilis, spẽs prędicabilis. Primò modo dicẽdũ ẽ, illas rationes nõ esse vnã de ratione alterius, non esse per se connexas, sed vnam per se non requiri ad aliam, & veluti per accidẽs vniri simul in vno subiecto. Patet ex ratione primæ sententiæ. quia indiuiduum est subijcibile & tamen nõ est vniuersale nec prædicabile de pluribus: genus summum est prædicabile, & tamen nulli generi subijcitur. Patet etiam à priori. quia ad hoc vt prædicatum aliquod possit de suo subiecto affirmari: non oportet, vt idẽ prædicatũ sit subiectũ alterius prædicati: & si sit, id nõ per se facit ad prædicationem eius de alio subiecto. Similiter ad hoc vt aliquid possit subijci alicui prædicato, non oportet vt ipsum possit prædicari de alio subiecto: & si possit, id non per se facit ad subiectionem eius respectu alterius prædicati.

Absolutè loquendo non est.

Secundo modo dicendũ est, denominationẽ speciei vniuersalis & prædicabilis connotare rõnem subijcibilis. Patet. quia licet

Denominatio tamen spe-

ciei vniuersalis, connotat etiam rationẽ subiicibilis.

licèt natura nõ subiecta alteri prædicato superiori, possit esse vnlis et prædicabilis; tñ non dicetur species vnlis & prædicabilis, sed genus vnle, imo genus summũ: de rõne ergo illius denominationis, & de constitutione totius huius cõplexi, verè est ipsa subiicibilitas. Nimirũ quia idẽ est dicere species vnlis, atq. natura subdita generi sibi superiori, vnlis respectu suorũ inferiorũ. Sicut etiã dicendo genus subalternũ, inuoluitur vtiq. subiectio generis ad aliud genus, quæ non inuoluitur absolutè dicendo genus, atq. excluditur dicendo genus generalissimũ. Hoc autẽ procedit, supposito quod nulla detur species infima prædicabilis, quæ nõ subdatur generi sibi superiori, vt antea diximus: alioqui si daretur; tunc species vnlis simpliciter nõ cõnotaret rõnem subijcibilis.

Et denominatio speciei subiicibilis, inuoluit etiã rõnẽ vniuersalis.

Multò magis dicendum est, è conuerso denominationem speciei subiicibilis inuoluere rõnem vnlis & prædicabilis. Patet: quia licèt indiuiduũ quod vnle nõ est, sit verè subiicibile; tñ nõ dicetur species subiicibilis: ergo de rõne huius denominationis, & de cõstitutione huius cõplexi, verè est vnlitas speciei: quia etiã idẽ est dicere species subiicibilis, atq. vnle quoddã subditũ alteri vnli. Species igitur subiicibilis oĩno importat rõnem vnlis & prædicabilis. Sicut ẽt in eodẽ exẽplo allato, genus subalternũ quod idẽ est ac genus subiicibile, inuoluit vtiq. vnlitatẽ generis: alioqui diceretur quidẽ alio modo subalternũ siue subiectũ, nõ tñ genus subalternũ. Nomen ergo speciei in toto rigore sonat vnle quid subiectũ alteri vnli. Et alterutra ex his cõditionibus deficiente, non dicetur species: sed loco speciei inuenietur indiuiduũ, si deficiat cõditio vnlitatis: vel genus generalissimũ, si deficiat conditio subiectionis. Siue ergo dicatur species vniuersalis, inuoluit subiectionem: siue dicatur species subiicibilis, inuoluit vniuersalitatem.

Nõ tamẽ hæ duæ rationes formaliter cõfundun tur.

Ita tñ quòd nõ intelligatur species esse vnlis respectu eiusdẽ termini, respectu cuius est subiicibilis: nec è conuerso. Est res clarissima. Species enim subiicibilis non est vnlis respectu generis, cui subiicitur: nec species prædicabilis est subiicibilis respectu indiuiduorum, de quibus est prædicabilis. Implicat enim respectu eiusdẽ habere vtranq. relõnem in sensu quo nũc loquimur: quia hæ sunt relõnes oppositæ. Sicut implicat eundẽ hominem esse patrẽ & filiũ respectu eiusdẽ, eandẽ quãtitatẽ esse maiorẽ & minorẽ respectu eiusdẽ, & sic in aliis similibus. Neq. intelligatur eadẽ ipsa relatio subiicibilitatis esse relõ vnlitatis: vel è conuerso. Sunt enim inter se ita diuersæ, ꝙ vna formaliter non sit alia: nec ipsa relatio subiicibilitatis denominet speciem vnlem, nec relõ vnlitatis denominet speciẽ subiicibilẽ. Et hoc tñ est, quod oẽs ferè veteres docuerũt, vt testatur Alber. & refert Caiet. speciẽ quatenus subiicibilẽ non esse vnlem, idest non esse vnlem respectu generis, cui est subiicibilis. Nec voluerunt negare, speciẽ quatenus denominatur species subiicibilis, inuoluere rõnem suam vnlis, referendo vnlitatẽ nõ ad genus, sed ad inferiora illi subdita: quæ vniuersalitas, ipso speciei nomine importatur.

Sed ratio vniuersalitatis fundat relationẽ subiicibilitatis specificæ.

Tertiò demũ dicendũ est, quia verè in ipsa specie distinguuntur hę duæ habitudines subiectionis ad genus & vnlitatis ad inferiora, dicendũ inquã est, talẽ habitudinẽ subiectionis, quæ est propria speciei, quodãmodo consequi ad aliã habitudinẽ vnlitatis, in eaquè veluti fundari. Explicatur & probatur. Sicut diximus, distinctã esse vnlitatẽ generis quæ refertur ad species, atque speciei quæ refertur ad indiuidua: ita pariter dici debet, diuersã esse subiicibilitatẽ specierũ ad genus, atque indiuiduorũ ad speciẽ. Nã vnlitati & prædicabilitati correspondet subiicibilitas; & quantã diuersitatem illa hẽt, tantã & hæc participat. Sed tota diuersitas subiicibilitatis specierũ à subiicibilitate indiuiduorũ consistit in hoc, ꝙ illa est subiicibilitas vnliũ ad aliud vnle superius; hæc verò singulariũ ad proximũ sibi vniuersale. Ergo subiicibilitas speciei ad genus, quatenus talis est, idest quatenus diuersa à subiicibilitate indiuiduorũ, cõsequitur quodãmodo ad vnlitatẽ speciei, in eaq. fundatur. Verũ est tñ, nõ esse simpliciter necessariũ ad hoc vt intellectus effingat talẽ relationem subijcibilitatis, vt prius vel tẽpore vel naturae effinxerit relationẽ vniuersalitatis: quia põt sufficere abstractio naturæ specificę ab indiuiduis, in quo statu natura specifica potẽst etiam dici vniuersalis. Neque verò sequitur è conuerso, relationem vniuersalitatis in specie

specie præsupponere rationem subijcibilitatis. Quoniam non est diuersa vniuersalitas illius vniuersalis quod subijcitur alteri, ab vniuersalitate illius quod non subijcitur, quantum est ex hac parte subiectionis, vt patere potest ex dictis de genere; & ideo non oportet ad relationem talis vniuersalitatis quæ conuenit speciei subijcibili, præsupponi ipsam subijcibilitatem. Et si ex hypotesi inueniretur aliqua species infima habens sub se singularia, quæ non haberet supra se genus: hæc species esset eiusdem rationis in ratione vniuersalis & prædicabilis.

Quomodo species formaliter vt species sit vniuersalis vel subijcibilis.

In contrarium obijcies primò ad probandum, speciem per eandem formalem relationem subijcibilitatis esse vniuersalē. Species vt species formaliter est vniuersalis, & numeratur vnum ex quinque vniuersalibus: ergo quatenus subijcibilis formaliter est vniuersalis; & per eam formam qua constituitur subijcibilis, constituitur vniuersalis. Vel sic: species subijcibilis omnino debet esse vniuersalis: ergo quatenus subijcibilis est vniuersalis. Hoc dubium Caiet. fatetur, se propter eius difficultatem maluisse omittere quàm tractare.

Sed respondetur facilè. Species quatenus species formaliter potest sumi dupliciter: vel quatenus species vniuersalis, & sic est verè vniuersalis & ponitur vnum ex quinque: vel quatenus species subijcibilis, & sic non formaliter quatenus subijcibilis, idest per ipsam subijcibilitatem, est vniuersalis. Debet quidem omnino species subijcibilis esse vniuersalis: sed non per ipsam subijcibilitatem, nec quatenus subijcibilis debet esse vniuersalis. Vbi notari pōt, aliud esse dicere: species quatenus subijcibilis est vniuersalis, & aliud quatenus species subijcibilis: quia secundo modo reduplicatur non solùm ratio subijcibilitatis, sed tota etiam denominatio speciei, & quicquid ad talem denominationem requiritur: vnde perinde se habet, ac si dicatur quatenus vniuersale quoddam subijcibile. Primo ergo modo negandum est, species quatenus subijcibilis est vniuersalis. Secundo modo concedendum est, quatenus species subijcibilis, idest quatenus vniuersale quoddā subijcibile, est vniuersalis: non vtique per ipsam subijcibilitatem, sed per vniuersalitatem, quæ etiam reduplicatur. Sicut dicere non valeret homo quatenus rationalis est sensitiuus: sed tamen quatenus animal rationale, quia sic non per rationalitatem, sed per animalitatem constituitur sensitiuus.

Quomodo species vt vniuersales vel subijcibilis respiciantur à genere vel respiciat genus.

Obijcies 2. Genus quatenus genus formaliter respicit species quatenus vniuersales: per hoc enim constituitur propria ratio generis ad differentiā speciei prædicabilis: ergo ipsæ species quatenus vniuersales sunt, subduntur generi, & referūtur ad genus. Vel ergo ipsa ratio vnlitatis constituit species subijcibiles generi: vel ipsa subijcibilitas constituit species vniuersales, quod in idem redit.

Respondetur. Genus respicere species quatenus vnles. ita vt vniuersalitas specierū non sit relatio mutua ad ipsum genus. Sed tn̄ sit ratio terminandi relationē generis. Correlatiuū enim habet, & relationē qua refertur ad aliud, & rōnē qua terminat relōnem eius ad se. Vnlitas ergo speciei est tn̄ rō terminandi relōnem generis, ac ēt est fundamentū relationis quā ēt hēt ipsa species. Species ergo quatenus vnles sunt, subduntur generi terminando relationē generis, & referuntur fundando relationē speciei subijcibilis. Non itaque ipsa vnlitas formaliter refert species ad genus: sicut nec subijcibilitas refert species ad indiuidua. nec ēt necesse est, vt vnlitas sumpta pro relōne fundet relationē subijcibilitatis in specie, sed sufficit vniuersalitas in statu abstractionis, vt antea dicebamus.

Quæ ratio vniuersalis fundet rationem subijcibilis in specie.

Obijcies 3. ad probandū, rōnem vnlis nihil facere ab rōnem subijcibilis in specie. Quia vel per se pertinet ad speciē subijcibilem vnlitas generica, vel specialissima: sed neutra dici pōt: ergo. Et quidem quòd alterutra dici deberet, patet. quia si rō vniuersalis per se spectat ad aliquam naturā, necessariò debet inueniri aliqua specialis vniuersalitas quæ ad illam pertinet: non enim potest animal esse de ratione alicuius corporis, quod non pertineat ad speciem aliquā animalis. Quòd autem neutra dici possit, patet. quia species infima est species subijcibilis, & tamen non est genus: ergo non potest dici vniuersalitas generica per se pertinere ad speciē subijcibilē. E cōtra species subalterna est species subijcibilis, & tamē non

vires scilicet causarum naturalium, quæ dici solet potentia physica: sed sufficiat possibilitas saltem per Dei potentiam absolutam.

Quænam indiuidua dicātur differre numero.

Secundò. Alij ex Thomistis, id totum vltro supponentes, atque concedentes speciem debere esse communem pluribus numero differentibus iuxta eius definitionem, asserunt ea solùm dici differre numero, quæ diuisione quantitatiua differunt, & non per intrinsecas differentias: sed hæc dicunt differre specie. Vnde inferunt, species vniuersales & prædicabiles, in substantijs tantùm materialibus, non autem spiritualibus, reperiri. Concedunt etiam reperiri in accidentibus, non tantùm materialibus, sed etiam spiritualibus: quia scilicet accidentia distinguuntur penes subiectum, quod est eorum veluti materia, est causa materialis & subiectiua. Quando autem dicuntur substantiæ spirituales differre specie: volunt id intelligi, specie tantùm subijcibili, non prædicabili; eo quòd conuenientes sub conceptu communi, inter se per intrinsecas differentias distinguuntur: vnde dicunt, illum conceptum habere vniuersalitatem generis, & singularia sub ipso contenta esse species subiectas tali generi.

Non solū quæ differūt diuisione quātitatiua, sed etiam quæ per intrinsecas differentias.

Dicendum tamen est, illa plura per ordinem ad quæ species constituitur quoddam vniuersale & prædicabile, esse illa quæ numero differunt, sumendo differentiam numeralem pro quacunque differentia indiuiduali, quæ scilicet versatur inter singularia, per singularia intelligendo quæ vlterius communicari pluribus ad modum vniuersalium non possunt. Hæc est magis communis sententia. Et sine dubio est de mente Porphyrij, qui cùm speciem definisset, quæ prædicatur de pluribus numero differentibus, idest de pluribus indiuiduis: definit etiam indiuiduum, dicens, quod de vno solo prędicatur: non dixit, quod diuisione quantitatiua ab alio differt; sed quod de vno solo dicitur. Et satis probata manet hęc assertio ex dictis de genere. Nam natura communis, quæ non potest multiplicari in alia plura vniuersalia, sed tantùm in singularia vlterius inmultiplicabilia, non est vniuersale genus: ergo est vniuersale species, etiam si per intrinsecas differentias diuidatur. Imo omnis natura communis quatenus communis, non potest non diuidi per differentias intrinsecas ipsis inferioribus in quæ diuiditur; etiam si hæc singularia sint, vt ostensum est in propria quæst. de singulari. Quare etiam in substantijs spiritualibus agnoscendæ sunt species vniuersales prædicabiles, penes quas illæ dicantur differre specie, non solùm subijcibili, sed etiam prædicabili. Et rursus sect. sequenti dicemus, nullam esse speciem subijcibilem, quæ in se non sit vniuersale quoddam.

Omnis & sola natura cōmunicabilis proximè indiuiduis, constituit vniuersale speciem.

Tertiò. Ex aduerso aliqui significant, non sufficere ad rationem speciei prædicabilis, continere sub se plura numero differentia, de quibus secundùm conuenientiam intrinsecam dicatur, atque adeò non omnem conceptum proximè cōmunem indiuiduis esse speciem. Simulque volunt, naturam aliquam communem sub qua inueniantur alij conceptus rursus communes pluribus indiuiduis, esse vniuersale speciem, & non genus. Hi sunt illi, qui inter indiuidua eiusdem quam vocant infimæ speciei, constituunt dissimilitudinem seu inæqualitatem: ita tamen quòd in quolibet gradu talis inæqualitatis, inueniantur plurima inter se quidem æqualia, & ita tot classes indiuiduorum, quot gradus inæqualitatis sunt possibiles in illa specie. Nam dicunt, conceptum seu gradum tantæ vel tantæ perfectionis, licèt communem pluribus indiuiduis, non esse speciem: sed naturam illam communem participabilem inæqualiter, licèt dicatur de pluribus gradibus inæqualibus, quorum singuli sunt rursus communes pluribus indiuiduis inter se æqualibus, esse adhuc vniuersale speciem. Verùm in quæst. de singulari ad finem, satis ostendimus, logicè loquēdo, & secundùm diuisionem vniuersalium hic traditam, naturam illam communicabilem pluribus gradibus inæqualibus, quorum singuli sint communes pluribus indiuiduis, esse vniuersale genus, non speciem; & gradus atque conceptus illos intermedios esse species. Quod sane ex distinctione tradita inter genus & speciem planè conuincitur. Imo mirandum fortasse videatur; aliquos, præsertim Caietanū, ex vna parte dixisse, etiam naturam prorsus inmultiplicabilem

bilem esse speciem vniuersalem, & naturam aliquam communem proximè singularibus incommunicabilibus esse genus & non speciem; & ex alia parte dicere conceptum communem pluribus indiuiduis non esse speciem, & naturam communem pluribus his conceptibus seu gradibus communicabilibus non esse genus. Concludendum ergo est, omnem & solam illam naturam quæ est proximè communis pluribus singularibus, idest quæ non sunt vlterius communicabilia pluribus, habere adæquatam rationem speciei vniuersalis & prædicabilis.

Et ratio speciei formaliter cõsistit in respiciendo sola indiuidua.

Quartò. Hoc supposito aliqui volunt, rationẽ propriã huius vniuersalitatis nõ in hoc formaliter cõsistere, sed potius in eo quòd species possit inesse pluribus tanquam tota essentia: & per hoc distingui à genere & differentia, quæ dicebant inesse tanquam partes essentiæ, vt supra de genere retulimus. Dicendum tamen est, propriam & essentialem rationem speciei vniuersalis, per hoc optimè assignari, quòd species sit vniuersale habens sub se non alia vniuersalia, sed tantùm vltima singularia. Patet ex dictis de genere, & ex alijs modò dictis. Nam ille modus dicendi inesse per modum totius essentiæ, vel nihil affert diuersum, vel falsus est. Nam intantùm dicunt, speciem inesse tanquam totam essentiam: non quia negent in indiuiduis reperiri differentias indiuiduantes, sicut volunt genus adiunctas habere differentias specificas: nec quia negent differentias indiuiduantes esse intrinsecas ipsis indiuiduis, sicut sunt differentiæ specificæ speciebus: sed solùm quia sunt infimi gradus amplius incommunicabiles, ideoquè vocant materiales, non formales essentiales. Quod, vt patet, in idem prorsus redit, quod nos dicebamus. Aliqui autem plus velle videtur: ideò scilicet speciem esse totam essentiam, quia præter naturam specificam, pro differentijs indiuiduantibus sunt accidentia, quæ non sunt de intrinseca entitate rerum; vel diuisio quantitatiua, quæ etiam accidit rebus. Sic autem talis dicendi modus est prorsus falsus ex dictis iam in quæst. de singulari. quia seclusis omnibus accidentibus, & diuisione ipsa quantitatiua, adhuc singularia extant cum intrinseca distinctione quam inter se habent: nec natura specifica remanet velut vniuersalis sine differentijs determinantibus ad singularia.

Et per hoc differt à genere.

Quintò. Ex his satis manifestum relinquitur, quo pacto species ab alijs vniuersalibus differat. Differt à duobus vltimis, quia inest & prædicatur essentialiter. Differt à genere, quia genus continet sub se vniuersalia, species tantùm singularia: genus dicitur de pluribus inter se differentibus per conceptus alios vniuersales, species tantùm de ijs quæ vltimo indiuiduali conceptu differunt. Per hoc differt etiam species a differentia generica, idest illa quæ etiam dicitur de pluribus speciebus. An verò & quomodo differant species & differentia specifica, magis examinabimus quæst. sequenti; & mox indicabimus.

Species definitur.

Sextò demum. Quia species definiri potest & debet eo sensu quo diximus de genere: Porphyr. speciem prædicabilem definit: *Species est quæ de pluribus & differentibus numero in eo quod quid est prædicatur.* Vel per inesse, species sic definiretur: quæ apta est inesse essentialiter pluribus tantùm singularibus. Neque opus est, hic repetere ea quæ dicta sunt circa definitionem generis, quantum ad ea quæ communia sunt vtrique. Quantum verò ad id in quo differunt: intelligi omnino debet in descriptione Porphyr. speciem esse quæ adæquatè, siue quæ immediatè, siue quæ tantùm de differentibus numero prædicatur: alioqui etiam genus prædicatur de ipsis pluribus numero differentibus, nempe de omnibus indiuiduis sub speciebus, vt notauit ipse Porphyr. ex cuius contextu planè constat, definitionem speciei quam tradit ita esse intelligendam: licèt non ipsamet definitione ipse talem determinationem expresserit.

Sotus verò hic quæst. de Specie ad 2. conf. 2. argumenti, vult, debere subintelligi duplicem particulam exclusiuam: species est quæ solùm prædicatur de pluribus solo numero differentibus. Quia si tantùm diceretur, est quæ prædicatur de solo numero differentibus: etiam genus prædicatur de illis indiuiduis quæ solo numero differunt. Et, si tantùm diceretur, quæ solùm prædicatur de numero differentibus: etiam indiuidua diuersarum specie-

specierum de quibus genus prædicatur, differunt numero; sed non solùm numero, quia etiam specie. Potest tamen sufficere vna particula exclusiua, per quam dicatur, illa plura de quibus species dicitur esse tantùm singularia: quia hoc est dicere, speciem non dici de pluribus vniuersalibus, per quod planè differt à genere, quod ita dicitur de singularibus, vt dicatur etiam de vniuersalibus.

Quomodo indiuidua etiã spiritualia differant numero.

In contrarium obijci potest primò ad probandum, illa tantùm differre numero, quæ differunt diuisione quantitatiua, quæ sola efficit numerum, & de quibus dixit Arist. illa esse vnum numero vel plura numero, quorum est materia vna vel multiplex. Verùm hæc omnia satis explicata sunt in sua quæst. de singulari. Vnde constat, numerum debere sumi entitatiuè, & differentiam numeralem pro differentia indiuiduali intrinseca, quæ non ex diuisione quantitatiua desumitur. Et loca Arist. ibi explicauimus.

Quomodo species explicetur quiaẽ, nõ tamen cõstituatur, per negationem.

Obijcies secundò. Non benè explicari rationem essentialem speciei, per hoc quod refertur solùm ad indiuidua, cùm genus referatur ad species. quia sic species videtur constitui per negationem, quia scilicet nõ habet sub se vniuersalia: nam in eo quòd est sub se habere singularia, conuenit cum genere, & tantùm differt per illam exclusionem. Hoc autem est absurdum: quia vniuersalitas speciei est vtique positiua, sicut vniuersalitas ipsius generis.

Respondetur. Sæpè solere, per negationes explicari rationes positiuas: sicut cum diuiditur animal per rationale & irrationale, substantia per corpoream & incorpoream. Sic ergo in casu nostro, vniuersalitas speciei quæ positiua est, explicatur per negationem: quasi dicatur vniuersalitas speciei est talis forma positiua, quæ habet pro termino suo adæquato singularia. Et natura specifica est talis natura positiua, cui repugnat diuidi in plura vniuersalia. Imò ipsummet singulare ad differentiam vniuersalis solet sic per negationem explicari. Indiuiduum est quod de vno solo dicitur, idest non plusquam de vno, seu non de pluribus. Singulare est quod est incommunicabile, quod non potest multiplicari in plura: & tamen multo magis est positiua ratio singularis quæ est realis, quàm ratio vniuersalis quæ est rationis.

Quomodo per diuersa inferiora, vel per diuersum modũ communicationis, species à genere differat.

Obijcies tertiò. Vniuersalia constituuntur per ordinem ad multa, nõ materialiter vt multa sunt, sed formaliter prout communicantia in ipsa natura vniuersali: ergo per diuersum modum communicationis, & non per diuersitatem eorum quæ communicant, debent distingui vniuersalia: & alioqui non distinguuntur in ratione formali vniuersalis. Melius ergo assignabitur species, quæ potest inesse tanquam tota essentia, quam quæ potest inesse singularibus. Et certè prima tria vniuersalia distinguuntur à duobus vltimis per diuersum modum cõmunicationis, & etiam hæc duo vltima inter se: ergo non minùs oportet distingui illa prima inter se.

Respondetur Vniuersale in communi constitui in primis per ordinem ad multa. Deinde diuidi in plures species: vel per diuersum modum respiciendi ipsa multa, & sic distinguuntur alia quæ dicta sunt: vel per diuersitatem eorum multorum quæ respiciuntur, & hoc etiam sufficit ad distinctionem vniuersalium; præsertim dum diuersitas ipsa multorum non est extranea à ratione vniuersalis, imò cõsistit in distinctione vniuersalium & singularium. Diuersa ergo vniuersalitas est eius naturæ, quæ est communicabilis tantùm pluribus singularibus, ab vniuersalitate eius naturæ quæ est communicabilis pluribus vniuersalibus. Imo saluari etiam potest, hanc diuersitatem consistere in modo communicationis. Nam species ita est communicabilis multis, vt in illis eo ipso fiat incommunicabilis vlterius: genus autem ita est communicabile multis, vt rursus ab illis multis possit vlterius communicari atque descendere.

SECTIO SECVNDA.

Quid sit Species subijcibilis: quomodo referatur ad genus: & quomodo sit definienda.

IN primis videri potest, solam speciem prædicabilem quæ est vniuersale distinctum

stinctũ à genere, esse subijcibilẽ respectu generis, quia ideò factum esse videtur, vt vnum speciei nomen vtrunque significatum habeat: quoniam vni eidemquè naturæ, vtraque speciei denominatio tribuenda est. Ex opposito non solùm species prædicabiles, & genera subalterna, sed etiam vltima singularia, posse esse species subijcibiles, licèt in se vniuersalia non sint, opinantur illi qui volunt, vniuersale genus posse esse immediatè commune singularibus, quiquè in substantijs spiritualibus non agnoscunt speciem prædicabilem de pluribus, sed omnem naturam specificam ad vnum singulare determinant.

Species subijcibilis debet esse in se vniuersalis.

Dicendum tamen est, species subijcibiles generi, debere quidem esse in se ipsis vniuersales; non tamen oportere vt sint species prædicabiles, quæ ab vniuersali genere distinguuntur, sed posse esse vel species infimas vel genera subalterna. Prima pars satis patet ex sæpè dictis. Et manifestè Porphyrius in toto hoc tractatu nullam speciem agnoscit, nec prædicabilem, nec etiam subijcibilem, quæ vniuersale quoddam non sit communè pluribus. Aristoteles etiam quando nominauit species quæ generi subduntur, per species non nisi vniuersalia quædam intellexit. Similiter loquuti sunt veteres Peripatetici, & communiter Expositores hoc loco. Ratione verò non alia probanda est, nisi ex eo quod statutum est, vniuersale genus esse quod habet sub se vniuersaliā: ex quo planè sequitur, species subijcibiles, quæ scilicet sunt illæ quæ immediatè subduntur generi, debere esse in se vniuersalia quædam.

Vel scilicet species prædicabilis, vel genus.

Secunda pars deinde clarè ostenditur. quia non solùm datur genus infimum, quod non habet sub se nisi illas species quæ tantùm de vltimis singularibus prædicantur: sed dantur etiam genera superiora & generalissima, quæ in plura genera diuiduntur; & genera diuidentia dicuntur species respectu generis diuisi, species scilicet illi subditæ, quæ sunt species subijcibiles. Et hic est communissimus loquendi modus. Sic dicimus corpus & spiritum esse species substantiæ in communi: qualitas diuiditur in quatuor species: & sic de alijs. Hinc orta est distinctio duplicis speciei: alia dicitur species specialissima: alia subalterna. Illa appellatur etiam species infima, quia non habet sub se alias species; & species atoma, quia non potest diuidi in plures species. Alia dicitur species intermedia, quia & habet supra se genus, & sub se alias species. Species specialissima habet duplicem denominationem speciei: est enim species subijcibilis respectu generis: & est species prædicabilis, sumendo speciem prædicabilem, prout est vniuersale quoddam distinctum à genere, respectu suorum inferiorum nempe singularium. Species autem subalterna vnam tantùm denominationem speciei habet, nempe speciei subijcibilis respectu generis; respectu autem suorum inferiorum, nempe aliarum specierum quas sub se habet, est vniuersale genus. Vnde huiusmodi prædicata intermedia, dicuntur species simul & genera, videlicet respectu diuersorum: species respectu prædicati superioris, & genera respectu subiectorum inferiorum. Hoc totum prosequitur latè Porphyr. hoc cap. de Specie. Vnde non ideò idem speciei nomen vtrumque respectum significat, quòd sola species infima sit etiam subijcibilis, sed propter aliam rationem quam sect. 3. reddemus.

Omnis species prædicabilis est etiã subijcibilis.

Secundò deinde dixerunt aliqui, non omnem speciem prædicabilem esse etiam speciem subijcibilem; sicut non omnis species subijcibilis, est etiam species prædicabilis. Quia videtur dari aliqua species prædicabilis, quæ nulli generi subdatur. V. g. punctum quantitatis, quod vtique non est sub genere quantitatis, quia punctum non est quantitas. Et materia prima, iuxta illam sententiam, quæ negat in corporibus cælestibus esse materiā diuersæ rationis specificæ à materia corporum inferiorum: nam sic materia esset species infima; & tamen non est sub genere substantiæ in prædicamento. Et si quæ sunt alia similia exempla. Fauetquè huic sententiæ Caietanus in cap. de Specie.

Dicendum tamen est, omnem speciem prædicabilem esse etiam subijcibilem, eo quòd habeat genus aliquod, sub quo per se contineatur. Vt autem id probetur, considerandum est: aliud esse dicere omnem speciem esse sub genere prædicamentali, idest quod in prædicamento aliquo

aliquo directè collocetur;& omnem speciem esse sub aliquo genere, siue in prædicamento siue extra. In primo sensu certè non omnis species est sub genere prædicamentali: nam non omnes naturæ genericæ & specificæ ponuntur directè in prædicamentis, vt præsertim de naturis incompletis & partialibus constat. Sed adhuc dicere valebit, omnis species prædicamentalis ponitur sub genere prædicamentali: quia sic debet tam species quam genus in eodem ordine sumi. In secundo sensu omnis species absolutè subijcitur alicui generi, saltem extra prædicamentum. Et ratio est: quia omnis natura specifica conueniet cum aliqua alia natura per similitudinem intrinsecam in aliquo gradu essentiali, & sic dabitur genus commune, cui tales species subijciuntur. Idque inductione patere potest in omnibus rebus. Et patet manifestè in exemplis allatis. In puncto quantitatis, præcipuè quia datur etiam instans temporis, cum quo conuenit in conceptu indiuisibilis continuatiui & terminatiui partium, abstrahendo à quantitate permanēti & successiua. In materia prima, quia cùm detur etiam forma substantialis, ambæ conueniunt sub conceptu partis physicę essentialis. Et sic omnis alia species inuenietur habere aliam cum qua conueniat, atque adeò genus in quo conueniat, & cuius sit species subijcibilis.

Species subijcibilis dupliciter refertur ad genus.

Tertiò. Iam explicanda est ipsa formalis ratio subijcibilitatis, & ordo speciei ad genus. Et quidē potest dupliciter accipi & explicari. Sicut enim genus potest accipi & quatenus vniuersale & quatenus prædicabile, & hac duplici ratione refertur ad sua inferiora. Ita è cōuerso species subijcibilis dupliciter potest accipi. Et licèt nomē subijcibilis denotet potius respectū correspondentē ad genus quatenus prędicabile: tamen, cū non habeatur duo nomina ita accomodata, sicut illa, vniuersalis & prędicabilis, vtimur eodē vno nomine subijcibilis. Potest ergo in specie considerari respectu generis vnus ordo correspondens relationi vniuersalitatis. Et hic ordo propriè est, quatenus concipitur species apta habere in se naturam genericam. Vt enim genus consideratur aptum esse in speciebus: ita species habere in se genus. Et potest in specie considerari ordo correspondens relationi prædicabilitatis: quatenus nempe species concipitur apta subijci ab intellectu in propositione affirmatiua generis de ipsa specie. Et ita sunt duæ relationes mutuæ inter genus & speciem tanquam inter correlatiua. Potest tamen subijcibilitas explicari etiam per modum denominationis extrinsecæ a potentia intellectiua, sicut in communi diximus de prædicabilitate. quia reale quid est, intellectum posse verè prædicare genus & subijcere speciem: & hæc potentia realis, apta est denominare extrinsecè obiectum. Sicut etiam actu prædicari & subijci, possunt sumi pro denominatione extrinseca ab actu intellectus, sine alia relatione rationis & ficta.

Species subijcibilis à Porph. definitur.

Quartò. Pro definitione speciei subijcibilis, Porphyrius prius ait: *Species dicitur quæ est sub assignato genere*. Et paulò infra subdit: *Species est quæ ponitur sub genere: & de qua genus in eo quod quid est prædicatur*. Has aliqui contendunt, esse tres distinctas definitiones seu descriptiones. Et colligunt ex Porphyrio qui postea illas vocat in plurali numero assignationes seu definitiones speciei. Aliqui è contra, esse vnam tantùm, diuersis vocabulis traditam, & posteriori loco magis explicatam quam primo. Dici tamen potest, esse duas definitiones. Nam non videntur differre: species est sub assignato genere: & species ponitur sub genere. Non enim nisi in voce differunt ly est & ponitur. Nec habet aliquam peculiarem vim, quod priori loco dicitur sub assignato genere. Vel enim denotat sub certo & determinato genere: & hoc non refert, quia ita satis est dicere sub genere. Vel tantùm denotat sub assignato, idest sub genere quod Porphyr. iam descripserat. Sic enim ipse sæpius vtitur hoc verbo assignandi. Hæc est ergo prima definitio speciei. Secūda quæ dici potest distincta, est, species est de qua genus prædicatur in quid. Et distinctio huius definitionis à prima explicanda est, per duplicem considerationem dictam speciei subijcibilis. Nam prima definitio optimè quadrat speciei subijcibili prout correspondet generi quatenus vniuersali. Secunda verò prout correspondet generi quatenus prædicabili. Vel dici potest, secundam defini-

definitionem esse illam totam, species est quæ ponitur sub genere, & de qua genus prædicatur in quid: ita vt prima pars huius definitionis non sit veluti repetitio prioris definitionis: sed ly ponitur, sumatur pro subijcitur. & ita pertinet ad eundē sensum secūdæ definitionis, in qua additur, de qua genus prædicatur in quid: quia in priori parte explicatur solùm subiectio speciei ad genus, in hac posteriori parte explicatur modus subiectionis, nēpe subijci in quid. Et ideò hæc sola posterior pars pōt esse sufficiēs definitio: nō tñ prior pars sine hac posteriori, ad explicādū hūc modū prędicationis in quid.

Definitio explicatur.

Præterea ad proprietatē & rigorē omnis huiusmodi definitionis, oportet aliquid addere, seu subintelligere: alioqui etiam de indiuiduis verū est dicere, poni sub genere, & de ijs genus prædicari in quid. Aliqui dicūt, debere intelligi seu addi, species est quæ proximè & immediatè ponitur sub genere, vel de qua proximè & immediatè genus prædicatur. Qui modus dicēdi potest esse quidē sufficiens: sed quia etiam de indiuiduis potest genus immediatè prædicari, Petrus est animal; non totā difficultatē exhaurit, nec omnino rem explicat. Aliqui addūt, species est quæ ponitur sub genere tanquā sub totali principio: quia, dicunt, licèt species addat supra genus suā differentiam, tamen differētia promanat à genere in quo potestatiuè cōtinetur, & ita genus est totale principium. Hic modus dicendi potest in aliquo sensu verificari, nō obstante quòd pariter dici debeant differētię indiuiduales à natura promanare. Nā hæ dicētur promanare nō à solo genere, sed à tota natura specifica in qua potestatiuè dicerentur contineri: sed differentiæ specificæ à solo genere: & ita genus proximè dicetur totum principiū speciei; nō autem proximè totum principiū indiuiduorū. Tamen hic modus dicendi nō est aptus ad definitionem. Est enim obscurus, & tanta explicatione indiget ad sui verificationem.

Optimus ergo dicēdi modus erit: species est vniuersale quoddā quod essētialiter sub genere ponitur, siue de quo genus essētialiter prædicatur. Sic enim manifestè exprimitur distinctio speciei ab indiuiduis: exprimitur etiā quod dicebamus, speciem subijcibilē debere esse vniuersalem: & hoc clarius ex textu ipsiusquè Porphyr. discursu deducitur.

Quomodo species per genus, & genus per speciē definiri possit.

Postremò præcipua difficultas circa hūc modū definiendi speciē est, quā vidit & tractauit idē Porph. quomodo species definiatur per genus, cùm genus definitū fuerit per species. Videtur enim hic esse vitiosus quidā circulus, & inutilis ac nugatoria repetitio. Definitio enim tradi debet per priora & notiora, vt docet Ar. 6. Topic. cap 3. relatiua autē dicūtur esse simul natura & cognitione. Vnde vnū nō est prius nec notius alio. Quòd si esset, tunc vnū ex ijs solùm posset definiri per aliud, & nō vicissim hoc aliud per illud. Augetur difficultas. quia cū species definitur per genus, potest vtiq. in definitione speciei loco ipsius generis poni definitio eiusdē generis: & tunc diceretur species est de qua prædicatur in quid illud quod prædicatur in quid de speciebus. Quod planè esset explicare idē per idem, & petere principium.

Propter hoc nō defuerūt qui dixerint, non debere genus & speciem sic per ordinem mutuū definiri, & malè Porph. tali modo definisse. Cōmuniter tamē Expositores has definitiones approbāt & defendunt: supponētes insuper genus & speciē necessario sic definiri debere, vt Porphy. docuit, eo quòd sunt inter se correlatiua. Et patet: quia certè vniuersale non potest definiri nisi per ordinem ad multa, quod scilicet aptū est esse in multis, prædicari de multis: & vnūquodq. vniuersale nō poterit definiri nisi per ordinē ad sua multa, genus non nisi per ordinē ad species, species per ordinē ad indiuidua. E cōuerso subijcibilia vniuersaliū, nō poterūt formaliter definiri nisi per ipsū ordinē subiectionis. Et ratio cōmunis est: quia relatiuū nō pōt explicari nisi per ordinē ad terminū, qm in ipso ordine essētialiter cōsistit.

Pluribus modis defenditur.

Ad difficultatē verò propositā, in tractatu de relationibus videdū est, quomodo relatiua possint vnū per aliud mutuò definiri. Interim dici potest, vel excipiēda esse relatiua ab illa regula de definitione tradēda per priora & notiora, vt significauit ibi ipse Philosoph. ita vt possint relatiua per se inuicē, cùm sint simul natura & cognitione, definiri. Vel licèt genus & species per se nominata, nō sint vnū notius alio: tamē totam simul propositionē,

aliquo directè collocetur;& omnem speciem esse sub aliquo genere, siue in prædicamento siue extra. In primo sensu certè non omnis species est sub genere prædicamentali: nam non omnes naturæ genericæ & specificæ ponuntur directè in prædicamentis, vt præsertim de naturis incompletis & partialibus constat. Sed adhuc dicere valebit, omnis species prædicamentalis ponitur sub genere prædicamentali: quia sic debet tàm species quàm genus in eodem ordine sumi. In secundo sensu omnis species absolutè subijcitur alicui generi, saltem extra prædicamentum. Et ratio est: quia omnis natura specifica conueniet cum aliqua alia natura per similitudinem intrinsecam in aliquo gradu essentiali, & sic dabitur genus commune, cui tales species subijciuntur. Idquè inductione patere potest in omnibus rebus. Et patet manifestè in exemplis allatis. In puncto quantitatis,præcipuè quia datur etiam instans temporis, cum quo conuenit in conceptu indiuisibilis continuatiui & terminatiui partium,abstrahendo à quantitate permanẽti & successiua. In materia prima, quia cùm detur etiam forma substantialis,ambæ conueniunt sub conceptu partis physicę essentialis. Et sic omnis alia species inuenietur habere aliam cum qua conueniat,atque adeò genus in quo conueniat, & cuius sit species subijcibilis.

Species subijcibilis dupliciter refertur ad genus.

Tertiò. Iam explicanda est ipsa formalis ratio subijcibilitatis, & ordo speciei ad genus. Et quidẽ potest dupliciter accipi & explicari. Sicut enim genus potest accipi & quatenus vniuersale & quatenus prædicabile,& hac duplici ratione refertur ad sua inferiora.Ita è cõuerso species subijcibilis dupliciter potest accipi. Et licèt nomẽ subijcibilis denotet potius respectũ correspondentẽ ad genus quatenus prędicabile: tamen,cũ non habeatur duo nomina ita accomodata, sicut illa, vniuersalis & prędicabilis;vtimur eodẽ vno nomine subijcibilis.Potest ergo in specie considerari respectu generis vnus ordo correspondens relationi vniuersalitatis. Et hic ordo propriè est, quatenus concipitur species apta habere in se naturam genericam. Vt enim genus consideratur aptum esse in speciebus: ita species habere in se genus. Et potest in specie considerari ordo correspondens relationi prædicabilitatis:quatenus nempe species concipitur apta subijci ab intellectu in propositione affirmatiua generis de ipsa specie. Et ita sunt duæ relationes mutuæ inter genus & speciem tanquam inter correlatiua. Potest tamen subijcibilitas explicari etiam per modum denominationis extrinsecæ a potentia intellectiua, sicut in communi diximus de prædicabilitate. quia reale quid est, intellectum posse verè prædicare genus & subijcere speciem: & hæc potentia realis, apta est denominare extrinsecè obiectum. Sicut etiam actu prædicari & subijci, possunt sumi pro denominatione extrinseca ab actu intellectus, sine alia relatione rationis & ficta.

Species subijcibilis à Porph. definitur.

Quartò. Pro definitione speciei subijcibilis, Porphyrius prius ait: *Species dicitur quæ est sub assignato genere*. Et paulò infra subdit: *Species est quæ ponitur sub genere:& de qua genus in eo quod quid est prædicatur*. Has aliqui contendunt,esse tres distinctas definitiones seu descriptiones. Et colligunt ex Porphyrio qui postea illas vocat in plurali numero assignationes seu definitiones speciei.Aliqui è contra, esse vnam tantùm, diuersis vocabulis traditam,& posteriori loco magis explicatam quàm primo. Dici tamen potest, esse duas definitiones. Nam non videntur differre: species est sub assignato genere:& species ponitur sub genere. Non enim nisi in voce differunt ly est & ponitur. Nec habet aliquam peculiarem vim, quod priori loco dicitur sub assignato genere. Vel enim denotat sub certo & determinato genere: & hoc non refert, quia ita satis est dicere sub genere. Vel tantùm denotat sub assignato, idest sub genere quod Porphyr. iam descripserat. Sic enim ipse sæpius vtitur hoc verbo assignandi. Hæc est ergo prima definitio speciei. Secũda quæ dici potest distincta, est, species est de qua genus prædicatur in quid. Et distinctio huius definitionis à prima explicanda est, per duplicem considerationem dictam speciei subijcibilis. Nam prima definitio optimè quadrat speciei subijcibili prout correspondet generi quatenus vniuersali. Secunda verò prout correspondet generi quatenus prædicabili. Vel dici potest, secundam defini-

definitionem esse illam totam, species est quæ ponitur sub genere, & de qua genus prædicatur in quid: ita vt prima pars huius definitionis non sit veluti repetitio prioris definitionis: sed ly ponitur, sumatur pro subijcitur. & ita pertinet ad eundẽ sensum secũdæ definitionis, in qua additur, de qua genus prædicatur in quid: quia in priori parte explicatur solùm subiectio speciei ad genus, in hac posteriori parte explicatur modus subiectionis, nẽpe subijci in quid. Et ideò hæc sola posterior pars põt esse sufficiẽs definitio: nõ tñ prior pars sine hac posteriori, ad explicãdũ hũc modũ prędicationis in quid.

Definitio explicatur.

Præterea ad proprietatẽ & rigorẽ omnis huiusmodi definitionis, oportet aliquid addere, seu subintelligere: alioqui etiam de indiuiduis verũ est dicere, poni sub genere, & de ijs genus prædicari in quid. Aliqui dicũt, debere intelligi seu addi, species est quæ proximè & immediatè ponitur sub genere, vel de qua proximè & immediatè genus prædicatur. Qui modus dicẽdi potest esse quidẽ sufficiens: sed quia etiam de indiuiduis potest genus immediatè prædicari, Petrus est animal; non totã difficultatẽ exhaurit, nec omnino rem explicat. Aliqui addũt, species est quæ ponitur sub genere tanquã sub totali principio: quia, dicunt, licèt species addat supra genus suã differentiam, tamen differẽtia promanat à genere in quo potestatiuè cõtinetur, & ita genus est totale principium. Hic modus dicendi potest in aliquo sensu verificari, nõ obstante quòd pariter dici debeant differẽtię indiuiduales à natura promanare. Nã hæ dicẽtur promanare nõ à solo genere, sed à tota natura specifica in qua potestatiuè dicerentur contineri: sed differentiæ specificæ à solo genere: & ita genus proximè dicetur totum principiũ speciei; nõ autem proximè totum principiũ indiuiduorũ. Tamen hic modus dicendi nõ est aptus ad definitionem. Est enim obscurus, & tanta explicatione indiget ad sui verificationem.

Optimus ergo dicẽdi modus erit: species est vniuersale quoddã quod essẽtialiter sub genere ponitur, siue de quo genus essẽtialiter prædicatur. Sic enim manifestè exprimitur distinctio speciei ab indiuiduis: exprimitur etiã quod dicebamus, speciem subijcibilẽ debere esse vniuersalem: & hoc clarius ex textu ipsiusquè Porphyr. discursu deducitur.

Quomodo species per genus, & genus per speciẽ definiri possit.

Postremò præcipua difficultas circa hũc modũ definiendi speciẽ est, quã vidit & tractauit idẽ Porph. quomodo species definiatur per genus, cùm genus definitũ fuerit per species. Videtur enim hic esse vitiosus quidã circulus, & inutilis ac nugatoria repetitio. Definitio enim tradi debet per priora & notiora, vt docet Ar. 6. Topic. cap 3. relatiua autẽ dicũtur esse simul natura & cognitione. Vnde vnũ nõ est prius nec notius alio. Quòd si esset, tunc vnũ ex ijs solùm posset definiri per aliud, & nõ vicissim hoc aliud per illud. Augetur difficultas. quia cũ species definitur per genus, potest vtiq. in definitione speciei loco ipsius generis poni definitio eiusdẽ generis: & tunc diceretur species est de qua prædicatur in quid illud quod prædicatur in quid de speciebus. Quod planè esset explicare idẽ per idem, & petere principium.

Propter hoc nõ defuerũt qui dixerint, non debere genus & speciem sic per ordinem mutuũ definiri, & malè Porph. tali modo definisse. Cõmuniter tamẽ Expositores has definitiones approbãt & defendunt: supponẽtes insuper genus & speciẽ necessario sic definiri debere, vt Porphy. docuit, eo quòd sunt inter se correlatiua. Et patet: quia certè vniuersale non potest definiri nisi per ordinem ad multa, quod scilicet aptũ est esse in multis, prædicari de multis: & vnũquodq. vniuersale nõ poterit definiri nisi per ordinẽ ad sua multa, genus non nisi per ordinẽ ad species, species per ordinẽ ad indiuidua. E cõuerso subijcibilia vniuersaliũ, nõ poterũt formaliter definiri nisi per ipsũ ordinẽ subiectionis. Et ratio cõmunis est: quia relatiuũ nõ põt explicari nisi per ordinẽ ad terminũ, qm̃ in ipso ordine essẽtialiter cõsistit.

Pluribus modis defenditur.

Ad difficultatẽ verò propositã, in tractatu de relationibus vidẽdũ est, quomodo relatiua possint vnũ per aliud mutuò definiri. Interim dici potest, vel excipiẽda esse relatiua ab illa regula de definitione tradẽda per priora & notiora, vt significauit ibi ipse Philosoph. ita vt possint relatiua per se inuicẽ, cùm sint simul natura & cognitione, definiri. Vel licèt genus & species per se nominata, nõ sint vnũ notius alio: tamẽ totam simul propositionẽ,

S genus

genus est quod pôt dici de pluribus speciebus, species est quæ subditur generi, esse notiorē, & sic definitionē esse clariorē definito Vel melius dicendū debere in his cōsiderari,& entitatē absolutā singulorū extremorū, & relationē mutuā inter ea : & relōnes quidā ipsas esse illas quæ dicuntur simul natura & cognitione: definiri aūt vnū relatiuum per ordinē, non quidē ad aliā mutuā relationē,sed ad entitatem absolutam alterius extremi, quæ prior & notior dici debet. Hocest definitur genus per ordinē ad speciē, non formaliter vt mutuò relatā ad genus,sed absolutè sumptā in se : ac si dicatur, genus est vniuersale quoddam, quod dicitur de pluribus vnlibus sub se cōtentis: & ē cōuerso, species est vnle quoddā, quod hēt supra se aliud vnle. Vnde non est acceptanda illa repetitio, quæ in argumento afferebatur: quia id esset definire vnū relatiuū per aliud quatenus formaliter relatiuum est : & quia definitio debet tradi modo vtili & cōuenienti ad explicōnem definiti,& nō eo modo inutili & otioso.

SECTIO TERTIA.

Quomodo in eadem Specie conueniant habitudo vniuersalitatis ad inferiora, & subijcibilitatis ad genus.

QVia ostēsum est,semper hāc vtranq. habitudinē simul in vna eadēq. specie cōuenire:omnis enim species vnlis est etiā subijcibilis, & omnis subijcibilis est vnlis, vel per vnlitatē specificam & infimā, vel per genericam: superest modo ad plenā speciei tū prædicabilis, tum subijcibilis notitiā,hanc vtranq. habitudinem in eadem specie coniunctim cōsiderare.

Primò ergo Porph. in cap. de Specie circa medium ait,in specie specialissima vnicā esse habitudinē simul attingentē & genus sub quo est species, & indiuidua quæ sunt sub ipsa spē: in specie aūt subalterna duplicē ac distinctā essehabitudinē, vnā ad superiora, alteram ad inferiora.

Hæ duæ habitudines in omni specie distinguūtur. Dicendū tū oīno est, in omni specie ēt infima esse duplicē essentialiter diuersā habitudinē,vnā vnlitatis ad inferiora,alterā subijcibilitatis ad superiora. Est res certa. Et patet.quia maximū discrimē est inter vtranq. habitudinē.Et in vniuersum quidē hæ sunt relōnes oppositæ, sicut relationes patris & filij, domini & subditi, aliæq. similes.Deinde qū respectu diuersorū in eodē subiecto inueniūtur, differunt tū ex parte termini,quia vna est ad terminū superiorē,altera ad inferiorē:tū ex parte modi, quia vna est relatio cōtēti ad continens, altera cōtinentis ad cōtenta,vt notauit ipse Porph. vna est tanquam partis potentialis ad totū, altera tanquā totius potēcialis ad partes,vt in fine cap. indicauit idē Porph.vna demū est tanquā multorū ad vnle, altera tanquā vnlis ad multa: vna tanquā subiecti ad prædicatū, altera tanquā prædicati ad subiectū. Plus ergo differunt hæ duæ habitudines inter se,licèt in vno eodēq. subiecto vniantur, quā differant adinuicem quotquot variæ vnlitates inueniātur.Nā hæ oēs cōueniūt in rōne cōi vnlitatis,in qua tū differunt à rōne subijcibilitatis,vt magis infra dicemus.Porph.aūt solū dicere voluit, in specie specialissima vnū esse nomen vtriusq. habitudinis : nā dicitur species tā respectu indiuiduorū,quā respectu generis,licèt in diuerso sēsu.In specie aūt subalterna diuersimodè vtrāq. habitudinē nominari : nam respectu superioris appellatur species, respectu autē inferiorum genus.

Non conueniunt vniuocè, sed tantū analogicè in nomine. Secundò dubitari pôt, nū sicut hæc duplex habitudo in specie specialissima in eodē nomine cōuenit:ita ēt conueniat in rōne aliqua vniuoca,& cōceptu significato ipso noīe speciei : vel tm̄ velut æquiuocè in solo noīe conueniat. Sot. in hoc cap.Mas.sect.1.q.4. Sanc.q.53.volunt cōuenire tm̄ æquiuocè.Sed ex alia parte negari non potest, cōuenire in cōceptu cōi relationis, atque secundæ intentionis.

Dicendū est, non cōuenire in cōceptu aliquo adæquato & peculiari,qui conuenit tm̄ speciei vnli & subijcibili, & non alijs; atq. adeò in ipso noīe speciei conuenire velut æquiuocè,seu analogicè.Patet.quia non datur,nec pôt afferri,definitio vna cōis.quæ importet conceptū vnū, cōem vtriq. relationi, seu speciei vtroque modo sūptæ,sub ipso nomine speciei:sed quælibet hēt suam definitionē diuersā.Et præterea ex mō dictis patet,tantā esse diuersitatē inter vtranq. vt non possit assignari rō aliqua peculiaris significata noīe speciei, adæquata speciei prædicabili & subijcibili,& non alijs. Conueniunt ergo

tantùm

tantùm in noīe speciei. Cũ aliqua eſt analogia, & non merè a quiuocè à caſu. quia ſcilicet nomen ſpeciei ſumptũ eſt à decore & pulchritudine: & dicitur ſpecies ſubijcibilis reſpectu generis, quia eſt veluti decor generis, quod ſua differentia perficit atque ornat: dicitur etiam ſpecies prædicabilis, reſpectu indiuiduorum quæ eſſentialiter conſtituit, tanquam forma & perfectio eſſentialis eorum.

Quænam ſit principalis in ſpecie. Tertiò videndũ eſt, quænã ex his duabus rõnibus ſit principalior in ipſa natura ſpecifica. Aliqui affirmant, eſſe rõnẽ ſubiectionis. Tũ quia ſpecies ſubijcibilis eſt magis ampla. Tũ præterea in ſciẽtijs ſpẽs conſideratur potius ſub rõne ſubiecti, de quo prædicata eſſentialia affirmantur & paſſiones demõſtrantur, quã ſub rõne prędicati: qñquidẽ ſciẽtiæ non curãt de indiuiduis de quibus ſpẽs eſt prædicabilis. Tũ ẽt in prædicamentis ſpẽs ponitur potius quatenus ſubijcibilis, quàm quatenus prædicabilis. Tũ quia hac ẽt rõne magis conſideratur hic à Porph. qui agit de ſpẽ maximè quatenus eſt correlatiuũ generis. Tũ pręſertim ſpẽs refertur ad genus eſſẽtialiter tanquam ad ſuum prædicatum eſſentiale: ad indiuidua verò tantùm accidentaliter, quia per accidens diuiditur per conditiones indiuiduantes, ſeu per diuiſionem materiæ & quantitatis.

Dicendũ tamen, ſecundùm varias conſiderationes, poſſe tàm vnam, quàm alteram ex his rationibus præferri. Nam ſi ſpecies ſumatur quatenus inter quinque vniuerſalia & prædicabilia numeratur, quatenus continebatur ſub vniuerſali in communi, de quo antea egimus, quatenus à ſingulari diſtinguitur, aliaſq. ſimiles conſiderationes: vtique principaliter dicit rationem vniuerſalis & prædicabilis. Et ſine dubio nobilior eſt ratio vniuerſalitatis quàm ſubijcibilitatis: quia vniuerſale continet, ſubijcibile continetur; vñle eſt ſuperius, ſubijcibile eſt inferius. Si verò attendantur duæ primæ rationes antea allatæ: præferenda eſt ratio ſubiectionis. Dico, duæ primæ rationes. quia aliæ non ſubſiſtunt. Nam ſpecies in prædicamẽtis ponitur, & à Porph. aliiſq. omnibus hic conſideratur, non ſolũ quatenus ſubijcibilis, ſed etiam & fortaſſe magis, quatenus vniuerſalis & prædicabilis. Et diuiditur in ſua inferiora non accidẽtaliter, ſed intrinſecè per differentias entitatiuas, vt ſuo loco probatũ eſt.

Num vna ſit de ratione alterius. Quartò præcipuè dubitatur, an hæ habitudines ſint inter ſe prorſus diſparatæ & inconnexæ, vel vna ſit de ratione alterius, ſiue vna fundamentum & origo alterius. Albert. tractatu 4. Prædicab. cap. 2. ſignificat, & alij aſſerunt, eſſe diſparatas: ita vt vna veluti per accidens ſe habeat ad aliam. quia nec ſubijci generi, eſt per ſe de ratione vniuerſalis ac prædicabilis de multis: nec etiã eſſe vñle & prædicabile, eſt de ratione ſubijcibilis. Sed optimè poteſt & ſolet, vna ex his rationibus ſine alia inueniri. Caiet. verò in hoc cap. ſignificat, rationẽ vniuerſalis & prædicabilis in ſpecie, cõſequi ad rationem ſubijcibilis: ita vt dicere valeat, ideò ſpecies apta eſt de indiuiduis prædicari quia ſubijcitur generi. E contra Tolet. q. de ſpecie circa 1. argum. contẽdit, rationẽ vñlis per ſe eſſe de ratione ſubijcibilis in ſpecie & ſupponĩ ad rõnẽ ſubijcibilis: ita vt dicere valeat, ideò eſt ſpecies ſubijcibilis. quia eſt vñle quid in ſe. Idem tenet Sanc. q. 33.

Abſolutè loquendo non eſt. Pro reſolutione diſtinctè conſiderare oportet rationẽ ſubijcibilis & prædicabilis abſolutè & ſecũdùm ſe, atque denominationẽ ſpeciei ſubijcibilis & prædicabilis; idest hoc totũ cõplexũ, ſpecies ſubijcibilis, ſpẽs prędicabilis. Primò modo dicẽdũ ẽ, illas rationes nõ eſſe vnã de ratione alterius, non eſſe per ſe connexas, ſed vnam per ſe non requiri ad aliam, & veluti per accidẽs vniri ſimul in vno ſubiecto. Patet ex ratione primæ ſententiæ. quia indiuiduum eſt ſubijcibile & tamen nõ eſt vniuerſale nec prædicabile de pluribus: genus ſummum eſt prædicabile, & tamen nulli generi ſubijcitur. Patet etiam à priori. quia ad hoc vt prædicatum aliquod poſſit de ſuo ſubiecto affirmari: non oportet, vt idẽ prædicatũ ſit ſubiectũ alterius prædicati: & ſi ſit, id nõ per ſe facit ad prædicationem eius de alio ſubiecto. Similiter ad hoc vt aliquid poſſit ſubijci alicui prædicato, non oportet vt ipſum poſſit prædicari de alio ſubiecto: & ſi poſſit, id non per ſe facit ad ſubiectionem eius reſpectu alterius prædicati.

Denominatio tamen ſpe- Secundo modo dicendũ eſt, denominationẽ ſpeciei vniuerſalis & prædicabilis connotare rõnem ſubijcibilis. Patet. quia

ſpecie præſupponere rationem ſubijcibilitatis. Quoniam non eſt diuerſa vniuerſalitas illius vniuerſalis quod ſubijcitur alteri, ab vniuerſalitate illius quod non ſubijcitur, quantum eſt ex hac parte ſubiectionis, vt patere poteſt ex dictis de genere; & ideo non oportet ad relationem talis vniuerſalitatis quæ conuenit ſpeciei ſubijcibili, præſupponi ipſam ſubijcibilitatem. Et ſi ex hypoteſi inueniretur aliqua ſpecies infima habens ſub ſe ſingularia, quæ non haberet ſupra ſe genus: hæc ſpecies eſſet eiuſdem rationis in ratione vniuerſalis & prædicabilis.

Quomodo ſpecies formaliter vt ſpecies ſit vniuerſalis vel ſubijcibilis.

In contrarium obijcies primò ad probandum, ſpeciem per eandem formalem relationem ſubijcibilitatis eſſe vniuerſalē. Species vt ſpecies formaliter eſt vniuerſalis, & numeratur vnum ex quinque vniuerſalibus: ergo quatenus ſubijcibilis formaliter eſt vniuerſalis; & per eandem formam qua conſtituitur ſubijcibilis, conſtituitur vniuerſalis. Vel ſic: ſpecies ſubijcibilis omnino debet eſſe vniuerſalis: ergo quatenus ſubijcibilis eſt vniuerſalis. Hoc dubium Caiet. fatetur, ſe propter eius difficultatem maluiſſe omittere, quàm tractare.

Sed reſpondetur facilè. Species quatenus ſpecies formaliter poteſt ſumi dupliciter: vel quatenus ſpecies vniuerſalis, & ſic eſt verè vniuerſalis & ponitur vnum ex quinque: vel quatenus ſpecies ſubijcibilis, & ſic non formaliter quatenus ſubijcibilis, ideſt per ipſam ſubijcibilitatem, eſt vniuerſalis. Debet quidem omnino ſpecies ſubijcibilis eſſe vniuerſalis: ſed non per ipſam ſubijcibilitatem, nec quatenus ſubijcibilis debet eſſe vniuerſalis. Vbi notari pōt, aliud eſſe dicere; ſpecies quatenus ſubijcibilis eſt vniuerſalis, & aliud quatenus ſpecies ſubijcibilis: quia ſecundo modo reduplicatur non ſolùm ratio ſubijcibilitatis, ſed tota etiam denominatio ſpeciei, & quicquid ad talem denominationem requiritur: vnde perinde ſe habet, ac ſi dicatur quatenus vniuerſale quoddam ſubijcibile. Primo ergo modo negandum eſt, ſpecies quatenus ſubijcibilis eſt vniuerſalis. Secundo modo concedendum eſt, quatenus ſpecies ſubijcibilis, ideſt quatenus vniuerſale quoddā ſubijcibile, eſt vniuerſalis: non vtique per ipſam ſubijcibilitatem, ſed per vniuerſalitatem, quæ etiam reduplicatur. Sicut dicere non valeret homo quatenus rationalis eſt ſenſitiuus: ſed tamen quatenus animal rationale, quia ſic non per rationalitatem, ſed per animalitatem conſtituitur ſenſitiuus.

Quomodo ſpecies vt vniuerſalis vel ſubijcibilis reſpiciatur à genere vel reſpiciat genus.

Obijcies 2. Genus quatenus genus formaliter reſpicit ſpecies quatenus vniuerſales: per hoc enim conſtituitur propria ratio generis ad differentiā ſpeciei prædicabilis: ergo ipſæ ſpecies quatenus vniuerſales ſunt, ſubduntur generi, & referūtur ad genus. Vel ergo ipſa ratio vſalitatis conſtituit ſpecies ſubijcibiles generi: vel ipſa ſubijcibilitas conſtituit ſpecies vniuerſales, quod in idem redit.

Reſpondetur. Genus reſpicere ſpecies quatenus vſales. ita vt vniuerſalitas ſpecierū non ſit relatio mutua ad ipſum genus. Sed tñ ſit ratio terminandi relationē generis. Correlatiuū enim habet, & relationē qua refertur ad aliud, & rōnē qua terminat relōnem eius ad ſe. Vſalitas ergo ſpeciei eſt tñ rō terminandi relōnem generis, ac ēt eſt fundamentū relationis quā ēt hēt ipſa ſpecies. Species ergo quatenus vſales ſunt, ſubduntur generi terminando relationē generis, & referuntur fundando relationē ſpeciei ſubijcibilis. Non itaque ipſa vſalitas formaliter refert ſpecies ad genus: ſicut nec ſubijcibilitas refert ſpecies ad indiuidua. nec ēt neceſſe eſt, vt vſalitas ſumpta pro relōne fundet relationē ſubijcibilitatis in ſpecie, ſed ſufficit vniuerſalitas in ſtatu abſtractionis, vt antea dicebamus.

Quæ ratio vniuerſalis fundet rationem ſubijcibilis in ſpecie.

Obijcies 3. ad probandū, rōnem vſalis nihil facere ab rōnem ſubijcibilis in ſpecie. Quia vel per ſe pertinet ad ſpeciē ſubijcibilem vſalitas generica, vel ſpecialiſſima: ſed neutra dici pōt: ergo. Et quidem quòd alterutra dici deberet, patet. quia ſi rō vniuerſalis per ſe ſpectat ad aliquam naturā, neceſſariò debet inueniri aliqua ſpecialis vniuerſalitas quæ ad illam pertinet: non enim poteſt animal eſſe de ratione alicuius corporis, quod non pertineat ad ſpeciem aliquā animalis. Quòd autem neutra dici poſſit, patet. quia ſpecies infima eſt ſpecies ſubijcibilis, & tamen non eſt genus: ergo non poteſt dici vniuerſalitas generica per ſe pertinere ad ſpeciē ſubijcibilē. E cōtra ſpecies ſubalterna eſt ſpecies ſubijcibilis, & tamē

non est species infima: ergo nec vniuersalitas specialissima per se pertinet ad speciem subijcibilem.

Respondetur facilè. Speciem subijcibilem posse sumi, vel in communi ad omnem speciem subijcibilem, vel determinatè hæc aut illa species subijcibilis. Primo modo de ratione speciei subijcibilis, est vniuersalitas pariter in communi ad vniuersalitatem genericam & specialissimam: nimirum quia species subijcibilis potest esse vel genus vel species infima. Secundo modo verissimum est, quamlibet speciem subijcibilem determinatè dicere vnam vel alteram vniuersalitatem. V. g. animal est genus, & est species subijcibilis viuentis. Homo est species infima. Et sic in alijs quibuscunque.

Quomodo subijcibilitas sit passio vniuersalis. Obijcies quartò. Subijcibilitas speciei consequitur ad rationem vniuersalis: ergo est passio ipsius vniuersalis: & ita erunt duæ passiones vniuersalis, scilicet prædicabilitas & subijcibilitas. Quod quidem Tolet. planè asserit. Sed videtur hactenus inauditum, & prorsus absurdum, subijcibilitatem cum prædicabilitate esse passionem vniuersalis.

Respondetur. Solam prædicabilitatem, & non subijcibilitatem, esse passionem vniuersalis in communi: quia vniuersale potest esse quod non sit subijcibile, sed non quod non sit prædicabile. Si autem sumatur vniuersale, quod subditur alteri vniuersali sibi superiori: passio vtique huius est, posse subijci, non quidem eo formaliter quòd vniuersale est, sed eo quòd subditum est: cum etiam indiuiduis commune sit posse subijci. Si insuper sumatur talis subijcibilitas, quæ correspondeat immediatè superioritati genericæ, siue dicatur subijcibilitas qua vnum vniuersale subdatur alteri, siue clariùs subijcibilitas qua aliqua natura ita subijcitur vt secum subijciat multa quæ sub se continet, siue demũ subijcibilitas qua quod subijcitur non sit vltimum subijcibile. Hæc planè subijcibilitas est propria vniuersalis, & non communis indiuiduo: & est veluti passio ipsius formalis vniuersalitatis, non quidem omnis, sed vniuersalitatis non supremæ. Et hoc non solùm non est absurdum, sed ab omnibus concedendum.

SECTIO IV.

Quotuplex sit Species, tum subijcibilis, tum prædicabilis.

SVpposita diuisione speciei subijcibilis & prædicabilis, videndum est quotuplex vtraque sit, & quam & quantam diuersitatem admittat.

Species subijcibilis, alia infima, alia subalterna. Primò ergo satis nota est diuisio speciei in specialissimam & subalternam, quæ diuisio propriè spectat ad speciem subijcibilem. Nam tam in specie subalterna quàm infima appellatur subijcibilitas specifica. Nec per se spectat ad speciem prędicabilem: quoniam species subalterna non est species prædicabilis, sed genus prædicabile; eiusquè vniuersalitas non dicitur specifica, sed generica. Ex quo manifestum est, diuersam esse formaliter hanc duplicem vniuersalitatem, sicut differunt ea duo vniuersalia, genus & species. In specie autem subijcibili, docere vel supponere solent, non differre formaliter in ratione ipsa subijcibilitatis speciem subalternam ac specialissimam: quoniam vtraque refertur ad genus: sed genus est eiusdem rationis, siue infimum, siue superius: ergo etiam species subijcibilis quæ est eius correlatiuum, siue ipsa subijcibilitas, semper est eiusdem rationis; siue sumatur species specialissima, quæ subijcitur generi infimo, siue subalterna quæ subijcitur generi superiori.

Differunt aliquomodo formaliter. Potest tamen constitui aliqua formalis diuersitas in duplici specie subijcibili: licèt non tanta, quanta est inter subiectionem specierum ad genus & indiuiduorũ ad suam speciem. Idquè sequitur ex dictis de Genere sectione vltima, posse videlicet constitui aliquam diuersitatem formalem inter genus infimum non habens sub se nisi species specialissimas, & genus superius habens sub se genera. Ita ergo in præsenti, cùm species subijcibilis sit vniuersale quid in se, vel est genus quod subijcitur generi superiori, vel est species infima quæ subditur suo generi. Concedi ergo potest aliqua diuersitas formalis subijcibilitatis. Tum quia supponitur hæc diuersitas ex parte generis, cui refertur hæc subijcibilitas. Tum ex parte subiecti & fundamenti, quia vna

subij-

subijcibilitas fundatur in vniuersalitate generica, altera in specifica. Tum ex parte ipsius subijcibilitatis: quia vna talis est, vt natura quæ subijcitur, subijciat secum etiã plura vniuersalia quæ sub se cõtinet; altera talis est, vt solũ subijciat plura indiuidua sub specie infima contenta.

Aliæ etiam diuisiones, quas mox tradedemus de specie infima prædicabili, possunt suo modo redundare in speciem infimam subijcibilem.

Species prædicabilis duplex, per duplicem multiplicationis modũ.

Secundò. Species infima prædicabilis præcipuè diuidenda est, in illam, quæ multiplicatur in sua indiuidua solùm per accidentalẽ diuisionẽ quãtitatiuã, & in illã quę multiplicatur in sua indiuidua per intrinsecas differentias. Hanc diuersitatẽ in specie prædicabili inueniri, sequitur planè ex sæpè dictis. Nam certè datur multiplicatio per diuisionẽ quantitatiuã, per quam potest, v. g. fieri ex vna aqua plures aquæ, & sic de alijs. Et tunc aqua communis huic & illi aquæ est vtique species. Datur etiam multiplicatio indiuiduorum per intrinsecas differentias: vt satis ostensum est. Et natura proximè cõis his indiuiduis, est species prædicabilis, & non genus, vt etiam ostensum est.

Est autem valde notabilis diuersitas, & prorsus formalis, inter hos duos modos vniuersalitatis specificæ: vt per se notum apparet. Et ostenditur magis. Vniuersale est, quod potest esse in multis, siue potest multiplicari in plura: ergo cùm sint tàm diuersi modi multiplicationis, diuersa est planè vniuersalitas. Et multiplicatio quidem per diuisionem quantitatiuam, est accidentalis seu contingens: quia illa quæ erant vnum per continuationem, possunt fieri multa; & quæ erant multa, possunt fieri vnum. Fitquè hæc multiplicatio, non per entitates intrinsecas ipsarum rerum, sed per ablationem vnionis continuatiuæ, siue per distinctionem duorum indiuisibilium terminantium illa quæ diuiduntur: & tota distinctio quæ de nouo fit inter partes quæ diuiduntur, consistit in carentia illius vnionis, seu in terminatione; qua illa quæ erant partes, vel possunt esse partes vnius totius integralis, idest vnius continui, fiunt in se duo tota integralia. Multiplicatio autem per intrinsecas differentias, est prorsus necessaria & immutabilis: nullaquè potentia fieri potest, vt quæ erant vnum fiant multa, vel è conuerso. Fitquè hæc multiplicatio per intrinsecam entitatem singulorum indiuiduorum: & distinctio consistit in ipsis entitatibus, hac & illa, quarum hæc non est, nec esse potest illa, Petrus non potest esse Paulus, hæc anima non potest esse illa anima.

Qualiter sit assignã da species quæ multiplicatur per diuisionẽ quãtitatiuã.

Vt autem rectè assignetur natura specifica communis indiuiduis discretis per diuisionem quantitatiuam, sic debet assignari, v.g. aqua totalis integraliter, siue dicatur aqua quæ sit totum continuum, & sic de alijs. Ratio est, quia hic quidem erit conceptus adæquatè communis huic & illi aquæ, quæ diuisæ sunt inter se, & vnaquæquè est aqua totalis integraliter in se ipsa, cùm sit tota & terminata in se, & non sit pars alterius aquæ totalis per continuationem cum alia aqua, licèt in se habeat suam propriam continuationem partium suarum. Atque iste conceptus aquæ, multiplicatur per diuisionem quantitatiuam: tunc enim sub aqua totali fiunt multa indiuidua, idest multæ aquæ totales, quando ipsæ aquæ sunt diuisæ, & singulæ in se totales. Et aqua sub isto conceptu est quæ directè ponitur in prædicamẽto; supposito quod sola entia completa, non autem partes, etiam si sint partes integrales, ponantur per se & directè in prędicamento, sed tñ ponantur per reductionem & inclusionem in toto, vt suo loco dicemus. Si verò dicatur aqua absolutè, prout prædicari potest de qualibet parte aquæ, nam quælibet pars vnius aquæ continuæ, est quidẽm aqua, non tamen aqua totalis & integra: Aqua, inquam sic dicta, non sumeretur tanquam species potens multiplicari in plura indiuidua per diuisionem quantitatiuam: sed potius tanquam species habens sub se infinita indiuidua distincta per intrinsecas differentias & proprias entitates, iuxta sequentem diuisionem.

Alia diuisio duplicis speciei.

Tertiò. Species quæ multiplicari potest per intrinsecas differentias, adhuc diuidenda est, in illam quæ ita multiplicari potest, vt eius indiuidua non possint inter se continuari: sic planè se habent res spirituales; & in rebus etiam corporeis non potest ex natura sua anima vnius equi continuari cum anima alterius equi,

& sic in alijs rebus similibus, licèt omnes hæ formæ sint in materia quæ potest ex natura sua tota esse continua. Et in aliam speciem quæ multiplicari potest in indiuidua quæ inter se continuari apta sunt. Ita se habent quamplures species rerum materialium, & species ipsa materiæ, & quantitatis seu magnitudinis quæ illam comitatur. Valde autem differt hic modus speciei ab alio modo assignato diuisione præcedenti, licèt in ijsdem rebus vterque inueniatur. Nam hoc modo quem nunc dicimus, consideratur distinctio & multiplicatio quæ consistit in intrinseca entitate indiuiduali rerum, quæ permanet etiam quando ipsæ res inter se continuantur: illo autem modo considerabatur distinctio consistens in discontinuatione quantitatiua. Illo modo non differebant numero vnus & alius palmus vnius aquæ bipalmaris: sed hoc modo verè distinguuntur. Illo modo non erant illi palmi plura indiuidua speciei: hoc aũt mõ sunt plura indiuidua Et sic de ombus partibus, considerando earum multiplicitatẽ & distinctionem vnius ab alia.

Inter se autem differunt duo membra huius diuisionis præsentis, distinctione oriente potius ex parte naturæ specificæ: quia videlicet vna natura specifica est quantitatiua, & ideò continuationis capax, alia expers quantitatis, & ideò continuationis incapax. Cùm alioqui in modo vniuersalitatis, & multiplicationis entitatiuæ cõueniant. Sed adhuc hæc distinctio videtur attingere etiam modũ ipsum vniuersalitatis & multiplicationis. Quinimo aliqui sũt qui multiplicationẽ indiuidualẽ sub vna eademq. specie, tantùm agnoscũt in illis rebus quę cõtinuari possunt, & nõ in alijs. Si ergo in his alijs etiã admittatur, non immeritò distinctè assignatur hic duplex modus multiplicationis in indiuiduis, atque adeò vniuersalitatis in speciebus.

Alia diuisio speciei in tria membra.

Quartò vlterius species prædicabilis in rebus quãtitatiuis, siue sumatur prout multiplicatur per diuisionẽ, siue per intrinsecas differẽtias in ea quæ apta sunt continuari; põt rursus diuidi iuxta varios modos quãtitatis seu continuationis possibilis. Et specialiter põt in tria capita distingui. Alia enim est quantitas continua permanẽs, quæ etiã dicitur magnitudo, & est propria rerũ corporalium; in qua, tanquã notiori, exempla iam attulimus. Alia est quãtitas continua successiua, quæ cõsistit in motu & tempore. In qua pariter potest fieri multiplicatio indiuiduorum modis dictis. Nã vnus motus localis nũc factus, & alius post aliquod interuallum sequẽs, sic etiam in alteratione, sunt motus distincti per diuisionẽ & discõtinuationem: daturq. etiã distinctio per intrinsecas entitates indiuiduales inter ipsos motus, & inter partes successiuas eiusdẽ motus continui. Alia est quantitas intensiua, quæ quidẽ non solet inter quantitates collocari, sed spectat propriè ad qualitatẽ: tñ in hac re imitatur prorsus quãtitatẽ dictãm, præsertim si intẽsio fiat per additionẽ & continuationẽ partiũ qualitatis in eodẽ subiecto. In hac ergo quantitate intensiua põt considerari multiplicatio per diuisionẽ & discontinuationẽ. Sicut certè distinguũtur calor in vno subiecto, & in alio subiecto: præter distinctionẽ entitatiuam, quæ est etiã inter gradus eiusdẽ caloris intensi. Sicq. põt dupliciter assignari species caloris. & sic in alijs qualitatibus. In hac ergo tria membra potest distingui species in rebus quãtitatiuis ita latè sumptis.

Hęc tñ distinctio sumitur ex diuersitate ipsarũ naturarũ, vt patet, Sed non est aliena ab ipsa vñlitate specifica. Nã et illi qui principiũ indiuiduationis, idest quo indiuidua sub eadẽ specie multiplicãtur, assignabant materiã signatã, vel quantitatem: id solũ dicebant pro rebus materialibus & corporeis, quibus competit huiusmodi extensio: & propterea distinctè assignabãt principiũ indiuiduationis aliorũ accidẽtiũ esse subiectũ; quod pertinebat ad distinguendas qualitates quatenus sunt capaces intensionis: & insuper cogebantur p interruptionẽ tẽporis distinguere motus successiuę se habentes. Sicut ergo distinctè considerantur hæ rõnes in multiplicatione indiuiduorũ: ita possunt & debent cõsiderari in constituenda vniuersalitate specifica naturarũ supra indiuidua.

Possẽt postremò & aliæ speciei diuisiones excogitari, & tradi; quæ tñ quia merè ex parte naturæ, & non ex parte modi vñlitatis, peti viderẽtur, nõ sunt hic afferẽdæ: sed postea in singulis prędicamẽtis variæ oĩum rerũ species collocãdæ erũt.

SECTIO V.

Vtrum Species diuersæ debeant omninò esse inæquales, vel possint esse æquales in perfectione essentiali.

NOn solet hæc quæstio à Doctoribus disputari. Sed solet sæpè tanquam certum sine disputatione supponi, omnes species sub aliquo genere conuenientes, debere omnino esse inæqualis perfectionis essentialis. Sed res est examine digna: & propriè hoc loco tractanda.

Ex vna parte videri potest, non posse species quæ sub vno genere conueniant esse inæqualis perfectionis. Nam inter analoga assignari solent, illa quæ dicuntur analoga inæqualitatis, & propriè sunt illa quæ dicunt inæqualem perfectionem essentialem, cùm vnum sit essentialiter perfectius alio: sed analoga ab vniuocis distinguuntur, & genera omnia sunt vtique vniuoca; & omnes species quæ conueniunt in aliquo genere, vniuocè conueniunt: ergo videtur fieri non posse, vt sub genere quod verè sit genus vniuocum, species sint inæqualis perfectionis essentialis.

Ex opposito frequens sententia est, non posse inueniri duas species sub quocunq. genere æqualis perfectionis essentialis: sed necessariò omnes naturas specificè differentes, esse vnam essentialiter perfectiorem alia. Ita passim omnes supponere solent, & ex professo tractat & probat Sonc. 12. Met. q. 4. & attingit Fonf. 5. Met. c. 28. q. 16. sect. 2. & Suar. dis. 29. Met. sect. 13. nu. 16. qui ait, hanc esse receptam Philosophorum sententiam, non tamen esse euidentem, & minus verificari in relationibus, quàm in entibus absolutis. Eandemquè sententiam videtur supponere S. Thom. 1. par. quæst. 93. art. 3. ad 3. & quæst. de Spiritualibus creaturis, art. 8. & Quodl. 3. art. 6. Imo videtur tradidisse Aristot. locis postea citandis & explicandis, circa quæ Expositores idem docere solent.

Species diuersæ possunt & solent esse inæquales.

Dico primò. Possunt atq. vt plurimum solent species diuersæ, quæ in suo genere conueniunt, esse inter se inæqualis perfectionis essentialis. Est res certa, & explorata, quam videtur docuisse Arist. & cũ illo alij graues Auctores. Et ostenditur manifestè frequenti inductione. Sub genere animalis lógè perfectior species est animal rationale, quàm irrationale: sub genere substantiæ substantia spiritualis, quã corporea: sub genere qualitatis potentia, quàm habitus: & sic passim discurrendo per alia genera & species. A priori autẽ suadetur. quia in tanta diuersitate rerũ possibilis vtiq. est inæqualitas essentialis, qua vna res sit essẽtialiter perfectior alia. Neq. hæc inæqualitas repugnat, quominus tales res possint assimilari & conuenire in aliqua ratione cõi: quia inæqualitas potest consistere in differentijs proprijs constitutiuis talium rerum. Vnde adhuc concipi potest natura communis sui cõuenientiam essentialem, sine expressione differentiarum. Nam semper quidẽ ipsæ differentiæ sunt diuersæ: & siue sint inter se æquales, siue inæquales, non minùs quantũ est ex hac parte, potest præscindi natura communis, & subire vniuersalitatem genericam: ergo omnino possibilis est hæc inæqualitas essentialis inter species eiusdem generis.

Atq. adeò quando assignantur analoga inæqualitatis: oẽs notant, hæc quidem analoga nõ contradistingui ab vniuocis, quæ sunt genera & species, sed in ipsis vniuocis inueniri hanc analogiã inæqualitatis. Vnde constat, passim inueniri hanc inæqualitatẽ in ijs naturis quæ assignãtur pro generibus & speciebus. Alia aũt sunt analoga, quæ ab vniuocis distinguuntur, quæ dicũtur attributionis, & proportionalitatis; quæ non propter inæqualitatem, sed longè alia ratione, non dicuntur vniuoca, nec genera, nec species.

Non apparet, cur nõ sint possibiles aliquæ æquales.

Dico secundò. Non apparet tanta necessitas, vt oẽs species debeãt sub suo genere esse inæqualis perfectionis essentialis: quinimo potius videtur inueniri posse, & de facto inueniri aliquæ, quæ diuersæ quidẽ sint, tamẽ essentialiter æquales, ita vt vna non sit quidditatiuè perfectior alia. Et primò quidẽ sufficiens fundamentũ huius conclusionis est: quia non apparet talis necessitas, nec ratio adeò cogẽs, vt oẽs prorsus species diuersæ debeãt esse inæquales: & nec saltẽ per Dei potẽtiã absolutã fieri possint aliquę equales. quinimo saluari põt optimè diuersitas specifica & essentialis sine inæqualitate perfectionis.

ctionis. Aliud enim est, hoc esse diuersum ab illo, atq. esse magis aut minus perfectũ illo: & saluari potest optimè primum sine secundo. Nullam autem esse talem necessitatem, & rationem quæ cogat, ex obiectionum solutione constabit.

De facto relationes diuinæ sunt inter se æquales.

Secundò vlteriùs de facto sumi potest argumentum ex perfectionibus & præsertim ex relationibus diuinis. Nam ex Sancto Thoma 1. par. quæst. 32. art. 2. & quæst. 10. de Potent. art. 2. ad 12. alijsq. Theologis, relationes diuinæ distinguũtur inter se veluti specie. Quod ita explicatur: non quasi paternitas diuina sit species vniuersalis ad plures paternitates; nam in Deo vnus est pater non tres patres, & ita vnica tantùm paternitas: sed quia ipsa singularis paternitas in ratione formali paternitatis distinguitur a filiatione, sicut distinguuntur inter se relationes, quæ dicũtur disquiparãtiæ, & sunt oppositæ, videlicet paternitas & filiatio in rebus creatis; quæ non tantùm numero, sicut duæ paternitates, sed specie distinguuntur. Neque hæc distinctio minuitur in Diuinis, eo quòd paternitas sit singularis & vnica, ac similiter filiatio: pariter ab ijs duabus distinguitur relatio spirationis. Imo concipi potest in ipso Deo relatio fundata in intellectu, qui conceptus est communis duabus relationibus paternitatis & filiationis: & relatio fundata in voluntate, qui conceptus conuenit duabus alijs relationibus spirationis actiuæ & passiuæ: atque hi duo conceptus inter se formaliter distinguuntur. Sed sic est, quòd relationes diuinæ inter se sunt prorsus æquales, nec vna est perfectior alia, vt est certum, & patet ex Symbolo Athanasij: *In hac Trinitate nihil maius aut minus: sed totæ tres personæ sibi sunt coæquales.* Ergo absolutè non repugnat, inueniri species diuersas essentialiter æquales: ita vt etiam in rebus creatis inueniri possint.

Et ex ijs potest duci argumentum ad species rerũ creatarum.

Ad hoc argumentum respondere potest. Vel relationes diuinas non importare perfectionem, vt multi sentiunt; & ideò in illis non habere locum regulam communem de inæqualitate specierum. Imo Vasq. 1. par. disp. 122. num. 12. hinc probat relationes diuinas non dicere perfectionem, quia alioqui cùm specie differant, deberent omnino esse inæqualis perfectionis. Vel dicendo, relationes diuinas ideò esse æqualis perfectionis, quia sunt idem cum essentia, aut eam in suo conceptu formali includunt, quæ essẽtia est vnica in omnibus. Siue quia cum infinitæ sint, sunt incapaces inæqualitatis. Atque adeò diuersam esse rationem earum a speciebus rerum creatarum.

Verùm nos præsupponimus, quod suo loco ostendemus, relationes diuinas verè dicere perfectionem relatiuam. Et præterea præscindendo à nomine perfectionis, nullus negare potest, omnem relationem diuinam habere in se suam entitatem, & esse formam conuenientem ipsi Deo: sed nihilominus vna relatio non est maior alia, nec est magis aut minus conueniens: ergo vt sic sunt æquales. Et sanè Athanasius appellauit personas æquales, & intellexit etiam quoad relationes, nè quis ponat in illis inæqualitatem. Insuper saltem concedere tenentur omnes, illas non esse inæquales: ergo non omnes species sunt inquales: & saltem in speciebus relationum creatarum idem cogentur admittere.

Deinde licèt relationes diuinæ sint idem cum vnica essentia, tamen possunt & debent considerari quatenus ab illa ratione distinguuntur, siue quatenus inter se opponuntur, sumendo paternitatem quoad respectum genitoris, qui est in Patre, & non est in Filio, similiter filiationem quoad respectum geniti: & adhuc vt sic relationes diuinæ sũt æquales, & non solùm æqualitas est quantum ad essentiam omnibus tribus personis cõmunem. Ergo non repugnat talis æqualitas rerum in ijs rationibus, in quibus distinguuntur: & in rebus creatis non repugnabit ęqualitas specierum, etiam in ijs differentijs in quibus differunt. Quòd autem perfectiones diuinæ sunt incapaces inæqualitatis, efficit sanè, vt in Deo non possint esse rationes inæquales; possint autem esse in rebus creatis: sed non efficit, vt non possint esse rationes æquales in rebus creatis. Non enim dici debent entia creata esse incapacia æqualitatis. Et ita quædam poterunt esse æqualia, quædam inæqualia.

De facto etiam inueniũtur

Tertiò. Per se in ipsis rebus creatis efficaciter probari potest inueniri species æquales ex dictis quæst. 8. sect. 14.

Sumen-

Species rerum creatarum æquales. Sumēdo species eo modo logicè pro naturis in aliqua ratione disconuenientibus & dissimilibus, v. g. præsentiam localem constitutiuam in hoc spatio, & præsentiam constitutiuam in alio spatio: certè hæ naturæ sunt prorsus æquales, & sunt specificæ, quælibet habens sub se sua indiuidua, & inter se differentes penès rationes suas formales quidditatiuas. Aliaquè plurima huiusmodi exēpla possunt afferri. Et ne redeat quæstio de his speciebus: saltem absolutè loquendo debent concedi conceptus illi inter se differentes, & singuli communes pluribus, atque contenti sub conceptu magis communi præsentiæ localis. Et hos conceptus dicimus inter se æquales. Ad quod parum refert, si quis nolit illos appellare specificos, & hunc genericum. Neque afferri potest disparitas, cur in his conceptibus dari possit æqualitas: non autem in alijs speciebus sub alijs generibus.

Nisi quis dicat, nomine speciei tantùm intelligi illam naturam, quæ habeat gradum perfectionis inæqualem cum omni alia specie, & per ea quæ differunt specie tantùm intelligi illa quæ differunt per gradus inæqualis perfectionis. At si quis ita vocabula explicet, & hanc significationē in ijs supponat: nugatoriā planè reddet quæstionē. Nam idē esset quærere, nū plures species possint esse æquales, ac si dicatur, nū plures naturæ essentialiter inæquales sint essentialiter æquales. Alia ergo significatio in speciei noīe præsupponitur: nempè species in hac re sumitur pro natura essentiali suis indiuiduis, diuersa ab alia natura, cū qua in alio cōceptu naturæ communioris conuenit: & de his naturis in quæstionem adducitur, num possint esse æquales. Vel demum nè quæstio de re transeat in quæstionem de nomine: concedemus vltrò, in illa significatione speciei euidentissimè implicare inueniri species æquales: dummodò concedatur etiam in alia significatione modò à nobis posita inueniri species æquales. Hoc enim tantùm intendimus.

Sæpè dubia est inæqualitas specierū. Quartò demum. Alia plurima exempla earum specierum, quæ ab omnibus supponuntur esse species diuersæ, possunt afferri. Sed quia id esset inuoluere alias peculiares quæstiones de perfectione ipsarum rerum, ab hoc loco penitus alienas; præstat nunc ab ijs supersedere: sed in varijs materiis occurrent. Nunc verò monere sufficiet, sæpè inter Philosophos taliter controuerti de quibusdam speciebus, quænam earū sit perfectior, v. g. de intellectu & voluntate inter Thomistas & Scotistas, alijsquè similibus rebus: vt planè appareat hanc esse perfectiorem illa secundùm certam aliquam rationem & considerationem, & mutuò illam esse perfectiorem secundùm certam aliā considerationem: nec satis definiri possit, quænam sit simpliciter perfectior. Neque apparet, cur necessarium sit, vt semper vna species sit simpliciter & absolutè perfectior alia. Sæpè etiam in quibusdam generibus, quædam species dicuntur perfectiores alijs, potius ob moralē aliquam commoditatem & vsum, quàm ob physicam entitatem: vt in varijs figuris quantitatis, in varijs sitibus corporum, in varijs coloribus, in diuersis potentijs, & operationibus, atque etiam in diuersis substantijs.

In contrarium Obijcit primò Sōcinas rationem ex Aristotele depromptam, quam vocat demōstrationē. Omnes differentiæ constitutiuæ diuersarum specierum, sunt inter se inæquales: ergo & ipsæ species. Consequentia est euidens. Anteced ns est Aristot. 10. Metaphysic. tex. 16. Vbi ait, semper vnam differentiarum se habere vt formam, alteram vt priuationem: & priuationem sumit pro quadam ignobilitate, seu minori perfectione, vt exponit Commentator. *Quomodo Arist. dixerit, vnā speciē dicere priuationē alterius.*

Respondetur. In primis Arist. ibi non loqui de omnibus speciebus diuersis, sed tantùm de contrarijs, vt patet in textu. Deinde Arist. ibi planè ait, in omni contrarietate vnum contrarium habere priuationem alterius: sed non omnia similiter. Et sensus est, omnem quidem formam contrariam inducere priuationem alterius: sed non similiter & eodem modo in omnibus contrariis. quia scilicet in quibusdam contrarijs magis consideratur priuatio ex parte vnius formæ quàm alterius. Quod potest euenire ex eo quòd forma vna explicetur per modum rei positiuæ, altera per modum priuationis. Et ideò affert exempla: inæqualitas dicit priuationem æqualitatis, dissimilitudo similitudinis, & vitium virtutis: nam etiam

etiam vitium solet assignari & explicari penes carentiam debitæ rectitudinis. Alioqui certè non apparet, cur inæqualitas sit positiuè loquendo ignobilior æqualitate: maximè si sumatur inæqualitas maioritatis: quare enim perfectior est æqualitas quantitatis bipalmaris cum alia bipalmari, quàm maioritas respectu quantitatis palmaris? Potest etiam prouenire ex eo quòd vna forma sit ignobilior altera:& pro hac parte accipi potest exēplū virtutis & vitij. Sed nō dixit Aristot. sēper hoc modo inueniri priuationē in omni cōtrarietate. Quinimo dixit, absolutè quidem semper in omni inueniri priuationem, saltem quia vna forma tollit aliam:sed non in omni eodem modo; quia scilicet aliquo peculiari modo inuenitur in aliqua contrarietate, vt nunc dictum est.

Quomodo species possint differre sine inæqualitate.

Obijcit secundò. Species non possunt inter se distingui nisi per differentias inæquales. Nam si differentiæ sunt æquales, æqualiter distant à primo ente & à non ente. Vnde non potest assignari ratio qua diuersæ sint. Ergo species, si diuersæ sunt, nō possunt esse æquales. Quam rationem attulit etiam Suar. vbi supra.

Respondetur. Etiam si species & differentiæ æqualiter distent à primo ente & à non ente, posse esse diuersas. Quia non tota ratio diuersitatis consistit in maiori & minori distantia: sed in alia & alia entitate intrinseca, licèt æquè distanti. Vt manifestè patet in exemplis pro conclusione adductis: & etiam in indiuiduis, quæ vtique cum æquali distantia distinguuntur.

Et esse dissimiles.

Obijcit tertiò. Quæcunque sunt omnino æqualis perfectionis, sunt omnino similia: sed quæ differunt specie non possunt esse omnino similia; quia sic essentialiter non differrent: ergo.

Respondetur. Negando maiorem. Nam intelligitur optimè, quædam esse dissimilia in suis rationibus proprijs essentialibus, & tamen esse æqualia: sicut certè differunt inter se relationes diuinæ, quarum vna est paternitas alia filiatio &c. & tamen sunt æquales: differunt præsentia locatiua in hoc spatio & illo spatio, nec sunt prorsus similes, sicut hæc & illa præsentia in hoc spatio, & tamen sunt æquales.

Obijcit quartò. Quilibet experitur, intellectum diuidentem genus in differentias & species, concipere alteram earum vt perfectam, alteram vt imperfectam: ergo.

Respondetur. Id quidem vt plurimum, non tamen necessariò & semper in omnibus generibus & speciebus verificari.

Quomodo in speciebus sit prius & posterius.

Obijcies præterea 5. Arist. 3. Metaph. tex. 11. docet, sub genere inter species inueniri prius & posterius, seu melius & deterius. & lib. 8. tex. 10. asserit, essentias rerum esse sicut species numerorum: vt ergo non inueniuntur duæ species numerorum æquales, ita nec aliæ specificæ essentiæ rerum.

Respondetur. Arist. priori loco indefinitè esse loquutum, & tantùm docuisse intra genus inter species posse & solere illum ordinem inueniri, quem negat posse inueniri inter indiuidua eiusdem infimæ speciei. In posteriori loco ipsemet apertè declarauit, quanam ratione fecerit illam comparationem. quia inquit: *Sicut de numero, ablato aut addito aliquo ex quibus numerus est, non est amplius idem numerus, sed diuersus: ita nec definitio nec ipsum quid erat esse, erit amplius, ablato aliquo aut addito.* Quantum ad illam verò inæqualitatem est peculiaris ratio de speciebus numerorum: quia hæ species formaliter sumptæ non dicuntur multiplicari, per hoc quòd numerus sit harum vel illarum rerum: sed solùm per hoc quòd numerus sit maior aut minor, addita vel detracta aliqua vnitate: quæ ratio non procedit in omnibus speciebus. Sed etiam quædam alia genera sunt, in quibus non potest intelligi multiplicatio specierum, nisi per inæqualitatem perfectionis. V. g. in genere Angelorum, non aliter distingui possunt species; nisi quòd vnus Angelus habeat perfectiorem vim intelligēdi, aut aliàs operandi, quàm alius: quod non tollit, quo minus in aliquo alio genere possit inueniri diuersitas absque inæqualitate.

Quo species sint sicut numeri.

Quare indiuidua sint æqualia, & nō oēs species sint inæquales.

Obijcies sextò. Indiuidua omnia quæ solo numero differunt, sunt inter se æqualia:& ideò differunt solo numero, & non specie; quia sunt æqualia: ergo omnes species, & omnia ea quæ differunt specie, debent esse inæqualis perfectionis.

Respondetur. Negando consequentiā.

Quoniam indiuidua debent in omnibus & per omnia conuenire, & solùm distingui penes hoc & illud: ex quo potius sequitur, illa omnia quæ differunt, vel per gradus inæqualis perfectionis, vel per differentias equales quidem, tamen diuersæ & dissimilis rationis, differre specie. Quia ergo ex vtroque capite potest prouenire diuersitas specifica, species possunt esse, vel inæqualis, vel æqualis perfectionis essentialis: dummodo distinguantur per suas specificas differentias.

Quomodo species diuersæ possint inter se cōmensurari.


Obijcies septimò ex Vasquez loco supra citato. Quæcunque sunt æqualia, possunt inter se cōmensurari: sed quæ sunt diuersæ rationis non possunt inter se commensuari: ergo. Imo eo ipso quod aliqua sunt diuersæ rationis, diuersam quantitatem perfectionis habent. Et Aristoteles quarto Metaphysic. textu 18. infert, ea quæ non sunt similia, esse vnum maius alio.

Respondetur. Negando primam illam minorem. Quinimo quando dicuntur aliqua non posse commensurari; non solùm sensus est, non posse esse æqualia, sed nec etiam vnum esse maius alio. Sic dicimus, quantitatem permanētem & successiuam non posse commensuari, idest non posse dici vnum palmum, v. g. esse æqualem, aut maiorem, aut minorem vna hora. E contra autem ea inter quæ hæ comparationes fieri possunt, dicuntur commensurari: imo est regula vniuersalis; primum in vnoquoque genere esse mensuram reliquorum. Argumentum ergo probaret, species quę sunt diuersę rationis, nec posse dici æquales, nec inæquales. Cùm ergo non obstante diuersitate possunt ita commensurari vt vna dicatur perfectior alia: ita ex hac parte nullatenus repugnabit aliquas esse æquales. Dum verò species sunt diuersæ rationis, habent vtique diuersam quantitatem perfectionis, idest diuersam perfectionem: sed non necessariò diuersam, idest inæqualem. Aristot. autem ibi loquutus est in quodam casu particulari: dicit enim, non eodem modo mentiri qui dicit quatuor esse quinque, & qui dicit esse mille: sed si non similiter, idest æqualiter mentitur, patet quòd alter minus: quia scilicet ibi non erat alia diuersitas, nisi penes maiorem aut minorem à veritate recessum.

An et quomodo species æquales possint sese causare.

Obijcies octauò. Si diuersæ rerum species possunt esse æquales, poterit vna habere vim producendi aliam: & tunc erit causa quæ dicitur æquiuoca. At omnino causa æquiuoca debet esse essentialiter perfectior suo effectu, quia illum continet eminenter. Ergo repugnat, species diuersas esse æquales. Imo sequeretur, tales res posse mutuò se causare in diuersis indiuiduis: & sic effectum æquiuocū posse esse causam æquiuocā alterius indiuidui eiusdem speciei cum sua causa: quod est apud Pphilosophos inauditum.

Respondetur. In primis non esse necessarium, vt inter illas species detur vis productiua: sic certè præsentia rei in hoc loco, non est per se effectiua præsentiæ in alio loco. Deinde, quia nec apparet repugnantia, vt sint possibiles tales species quarum vna sit productiua alterius: tunc dici posset causa vniuoca, si hæc sumatur pro omni causa æqualis perfectionis: vel causa æquiuoca, si hæc sumatur pro omni causa diuersæ speciei, quæ dicetur continere eminenter, idest virtualiter effectum, hoc est habere virtutem producendi effectum. Vel si causa vniuoca dicatur tantùm quæ est eiusdem speciei, & causa æquiuoca tantùm quæ est maioris perfectionis: hoc esset aliud tertiū genus causæ. Demum nec etiam repugnabit illa mutua causalitas. Imo videtur ita sequi in rebus creatis, si illæ res essent æqualis perfectionis. Alioqui si vna sola species sit productiua alterius, iam erit ex hac parte perfectior. Neque id est inconueniens. Quoniam licèt sit inauditum de facto inter species nobis notas: tamen non ostenditur impossibile. Imo de facto aliqui volunt, ita se hbere actus & habitus. Nam actus efficiunt habitus, & habitus eliciunt actus.



QVÆSTIO I

QVÆSTIO DVODECIMA.
De Differentia.

Differentia hìc sumitur pro illa ratione seu gradu entitatis, qui facit differre vnam rem ab alia, dum conuenit vni & non conuenit alteri. Sicut ingelligentia nomen Angelis applicatum, significat substantiam intelligentem. Verùm differentia hìc consideratur, non solum sub dicto motiuo differendi: sed adæquatè secundùm totam suam rationem, etiam quatenus diuidit genus, quatenus constituit speciem, & quatenus ad plura refertur. Atque specialiter consideratur differentia quæ pluribus sit communis, quæ speciei generique coniungitur. Nam de vltimis differentijs indiuiduantibus, satis iam antea egimus. Meritò autem agitur de differentia post genus & speciem, ante proprium & accidens, ob rationes iam ex superioribus manifestas.

SECTIO PRIMA. *An & quæ sit Differentia.*

Differētia triplex: cōmunis, propria, et proprijssima.

IN primis Porphyrius triplicem differentiam dictinguit, Communem, Propriam, & Proprijssimam. Communis est accidens aliquod separabile per quod subiectum differt vel a se ipso vel ab alio: vt Socrates stans differt à se ipso sedente, & à Platone sedente. Propria est accidens inseparabile; vt cæcitas, siue vt alij legunt, cæsitas oculorum, vel nasi curuitas, vel cicatrix ex vulnere relicta. Proprijssima est ratio intrinseca & essentialis per quam vna species differt ab alia; vt rationalitas per quam homo differt à bruto. Item alio modo tradit hanc diuisionem. Differentia duplex est, alia separabilis, alia inseparabilis. Separabilis est idem ac differentia communis. Inseparabilis duplex est; vel quæ per accidens separari non potest, & hæc est idem ac differentia propria: vel quæ per se separari nō potest, & hæc est differentia proprijssima. Alius etiam modus diuidendi ex textu colligitur. Differentia duplex est. Vna quæ facit aliud, idest per quam dicere valet hoc est aliud ab illo: & hæc est differentia proprijssima. Alia quæ facit alteratum, idest per quam subiectum suscipit mutationem accidentalem: & hęc differentia vel est propria vel communis.

An hæc diuisio omnem differentiam complectatur.

Secundò circa hanc diuisionem dubitari solet, an sit sufficiens & adæquata, complectens omnem differentiam: vel supersit aliqua alia differentia. Datur enim differentia indiuidualis, quæ non videtur in aliqua ex assignatis differentijs contineri. Item ipsamet genera possunt dici differentiæ, quia animal v.g. facit vtique differre hominem à planta: & substantia ipsa quæ est genus generalissimum, facit differre omnes substantias ab omni accidenti. Insuper forma substantialis physica facit differre vnum compositum ab alio, v.g. distinguit corpus animatum ab inanimato. Passiones etiam quæ fluunt ab essentia, faciunt differre: v.g. risibilitas distinguit hominem ab omnibus brutis, hinnibilitas equum à cunctis alijs animalibus. Et hæc omnia non videntur in tradita diuisione differentiæ contineri.

Ad hanc totam difficultatem, aliqui, vt defendant diuisionem esse penitus adęquatam, conantur hæc omnia ad illa tria membra reducere. Aliqui verò fatentur, diuisionem illam non esse penitus adæquatam: sed præter illas tres, alias differentias inueniri. Alij verò quædam ex ijs quæ enumerata sunt reducunt, quædam excludunt. Dicendum tamen videtur, posse quidem ita adęquatam omnis differentiæ diuisionem tradi, & diuisionem illam triplicis differentiæ taliter explicari; vt ea omnia quæ addita sunt, in illa includantur: tamen id non esse necessarium de mente Porphyrij, cuius intentū non tàm fuit omnē penitus differētiam assignare, quàm potius terminos illos explicare, & ea proponere quæ ad doctrinā logicā magis necessaria videbatur. Quod totum breuiter discurrendo per ea omnia quæ addebantur, innotescet.

An differētias indiuiduales.

Differentiam indiuidualē aliqui reducunt ad differentiam communem & propriā. Fauetquè Porph. cap. de Specie prope finē, dū ait indiuidua differre per collectionem suarum proprietatū, vtique accidentaliū. Verùm hoc solùm dici potest de differētia indiuiduali sūpta prout solet

cogno-

cognosci & explicare per accidentia. At supponere oportet, dari differentiā indiuidualē entitatiuā intrinsecā. Hanc ergo aliqui reducūt ad differētiā proprijssimā. Verùm potest quidē differētia proprijssima tā amplè assignari, vt etiā indiuidualem cōplectatur, si videlicet sumatur pro omni differentia entitatiua, constitutiua rei. Tamen non in hoc sensu videtur à Porphyr. assignata: quin potius planè constat, differentiam proprijssimam ab eo sumptum esse solùm pro ea quæ conuenit speciebus. Dici ergo debet, Porphyr. tantùm voluisse diuidere differentiam quæ sit vniuersalis & de pluribus prædicabilis: ideoq. numericam omisisse.

An genericas naturas. Naturas deinde genericas, aliqui dicunt non esse differentias: quia differentia est tantum illa quæ prædicatur in quale. Aliqui verò dicunt, quia differentia ita debet esse principium differendi, vt non sit etiam conueniendi: at genus, si secundùm vnam rationem facit differre, secundùm aliam facit conuenire. Vel si sumatur genus generalissimum, hoc non facit differre ea quæ sub eodem genere conueniunt, quod tamen est de ratione differentiæ. Sed certè negari non potest, posse differentiam amplè sumi pro omni ratione quæ facit differre: & sic differentia proprijssima esset quodcunque prædicatum essentiale faciens differre vnam rem ab alia. Et hoc modo etiam naturæ genericæ quatenus faciunt differre, includuntur in diuisione totius differentiæ. Porphyr. tamen potius accepit differentiam vt contradistinctam à genere. Et in vniuersum accepit differentiam pro ea ratione, quæ concipitur superuenire rei, quatenus conuenienti cum alia re per aliquam rationem prius conceptam; & ita distinguentem ipsam rem ab alia: genus autem non ita se habet, vt patet: sed ipsum concipitur tanquam ratio prima, & concipitur potius vt faciens conuenire vnam speciem cum alia, quàm vt faciens differre. Admittendum tamen est, eundem gradum essentialem, qui sumitur vt genus, posse etiam alio modo sumi vt differentiam, vt dicemus sect. seq. ita vt in toto rigore sub differentia proprijssima includatur.

An formas substātiales. Formas substātiales aliqui excludunt, dicentes, in hac diuisione solùm assignari differentias metaphysicas: illas autem esse potius differentias physicas. Verùm si velint in tota diuisione non includi differentias physicas, excludi etiam debebant differentia communis & propria: hæ enim non sunt vtique gradus metaphysici, sed sunt formæ accidentales physicæ, distinctæ à formis substantialibus. Si autem velint, in sola differentia proprijssima non includi differētias physicas: debent reddere rationem, cur in hac diuisione ponantur duo membra de differentijs physicis accidentalibus, & formæ substantiales penitus omittantur. Alij ergo formas substantiales includunt sub differentia proprijssima. Sed hoc est planè præter mentem Porphyr. eiusquè doctrinam de differētia propriissima, vt est perspicuum. Dicendum ergo, differētiam hìc sumi pro prædicato quod affirmari potest de re. Et ita si forma substantialis sumatur sub proprio nomine in se, excludi quia non prædicatur de re: non enim dicimus homo est anima. Si autem ex forma substantiali accipiatur prædicatum quod affirmari possit de re, videlicet homo est animatus, sic in toto rigore ad differētiam proprijssimam pertinere: & in tale prædicatum optimè cadere quæcunque Porphyr. de differentia proprijssima docet.

An passiones ab essētia premanātes. Demum passiones quæ ab essentia fluunt, non desunt qui penitus à diuisione excludant. Sed non apparet, qual iter id excusari possit. Sunt alij qui sub differentia proprijssima videntur includere. Tum quia differentia communis est separabilis, propria est inseparabilis per accidens: at passio manans ab essentia est inseparabilis per se, quod conuenit differentiæ proprijssimæ. Tum etiam differentia communis & propria suscipit magis & minus, non verò differentia proprijssima, vt Porphyr. docet: sed passio fluens ab essentia non suscipit magis & minus, vt de proprio significat idem Porphyr. cap. vlt. in fine: ergo. Dicendum tamen est, huiusmodi passionem, ad differētiam propriam, non ad proprijssimam pertinere. Patet: quia prorsus non possunt his passionibus accomodari quæ Porphyr. de differentia proprijssima docet, vt patet ex tex. possunt autem quæ de differerentia propria. Nam proprijssima est essentialis rei,

pro-

propria autem est accidens inseparabile. Atq. passiones dici possunt esse inseparabiles per accidens, idest tanquam formæ accidentales, quæ non sunt formaliter de essentia. A quibusdam etiam dicuntur, posse suscipere magis & minus. Sed neque a Porphyr. dicitur de omni differentia communi & propria, posse suscipere magis & minus: neque dici poterat: nam pleraque accidentia sunt, quæ non suscipiunt magis & minus, vt præsentia localis, figura, & alia: sed tantùm dictum est indefinitè: & magis examinandum erit, cùm agemus de proprio & accidenti. Non ergo obstat, quo minus passiones non suscipientes magis & minus, possint ad differentiam propriam pertinere.

Illæ differentiæ distinguuntur varijs modis. Tertiò dubitari solet, qualiter inter se distinguantur tres species differentiæ assignatæ. Aliqui enim volunt, distingui materialiter ex parte formæ quæ facit differre. Aliqui, solùm formaliter ex parte modi differendi. Aliqui volunt, distingui essentialiter. Aliqui, solùm accidentaliter. Dicendum autem est, vtroque modo distingui. Nam interdum solùm formaliter: v.g. esse disgregatiuum visus, est differentia proprijssima albedinis, propria niuis, communis parietis. Aliàs autem differentiæ distinguuntur etiam materialiter ex parte formæ: v. g. in homine rationalitas est differentia proprijssima; certa habitudo corporis, propria; frigiditas, communis. Similiter aliqua ex parte differentiæ distinguuntur essentialiter in modo faciendi differre. Sic distinguitur differentia proprijssima ab alijs duabus: diuersus enim essentialiter est modus differendi essentialiter atque accidentaliter. Aliqua autem ex parte distinguuntur accidentaliter. Sic distinguuntur communis & propria inter se, solùm per hoc quòd possit aut non possit separari.

Et diuisio est analogica. Quartò vlterius communiter docere solent, hanc diuisionem non esse vniuocam, sed esse analogi in analogata. Tamen Louan. significat esse vniuocam, Petrus Niger q. 52. significat esse æquiuocam. Et quidem, si accipiatur differentia materialiter pro forma quæ facit differre: res est clara. Nam diuisio complectitur formas diuersissimas, nempe positiuas & negatiuas, reales & rationis. Imo sic, etiam differētia proprijssima, & genus de varijs generibus, species de speciebus, non dicitur vniuocè. Si autem accipiatur quoad rationem formalem differendi: sic videtur quodammodo dici vniuocè, quia cogitari potest conceptus differendi communis ad differre essentialiter atque accidentaliter, separabiliter & inseparabiliter. Quia tamen ea quæ differunt essentialiter, verè & propriè differunt; quæ verò accidentaliter, non tàm differunt ipsamet, quàm potius recipiunt in se accidentia differentia: nam hic modus differendi reperitur in vno eodemquè subiecto, dum accidentaliter transmutatur; & idem subiectū vtique semper est idem, suscipit autem diuersa accidētia, & ideò denominatur differre accidentaliter. Propter hoc, inquam, diuisio dicitur potius analogica, scilicet analogi in analogata, sicut dicitur analogicè sanitas de animali cui propriè inest, & de causis & signis quæ minus propriè denominat.


Differentia essentialis est primum analogatum. Et primum quidem analogatum, est differentia essentialis, secundum est accidentalis. Nec obstat quod Porphyr. ait, differentias communem & propriam absolutè & simpliciter appellari differentias: essentiales verò vocari cum addito specificas. Quin potius ex hoc cōfirmatur quod dicimus. Nā, vt notauit optimè ad hanc rem Caiet. duplici ex capite potest nomen aliquod attribui cum addito. Vel quia ratio significata per nomen non inuenitur in re verè & perfectè; & tunc apponitur additum tanquam conditio diminuens. Sic imago hominis appellatur cum addito homo pictus, ad differentiam veri hominis qui sine addito appellatur homo. Vel è contra quia ratio significata melius & perfectius inuenitur in tali re; & tunc illi tribuitur nomen cum addito significante maiorem perfectionem, tanquam cum conditione augente. Hoc modo sæpè nomine animalium absolutè prolato intelliguntur bruta, homo autem appellatur animal rationale. Ob hanc ergo secundam rationem differentia essentialis appellatur cum addito differentia specifica.

Differentia essentialis est proprijssi- Quintò his præmissis de multiplici differentia, statuendum est, differentiam de qua hic agere intendimus, esse solam proprijssimam; & ideò hæc diuisio præmittenda

ma, sola est de qua hic agitur. tenda fuit ad eligendam illam differentiam quæ ad hanc pertinet quæstionem. Differentia enim proprijssima est quæ generi & speciei coniungitur, quæ tertio loco inter vniuersalia & prædicabilia collocatur; cùm alioqui aliæ differentiæ pertineant ad alia duo prædicabilia Proprium & Accidens. Atque ipse Porphyr. post traditas differentiæ diuisiones, solam proprijssimam deinceps definit & explicat. Et cùm in fine capitis adduxisset quandam definitionem, quam non illi soli conuenire videbat: statim eam correxit; addens vt debeat ad rei essentiam pertinere, ad excludendas alias differentias.

Datur verè hæc differentia. Sextò tandem de differentia in hoc sensu sumpta refertur sententia Nominalium, qui cùm vniuersale in essendo negauerint, etiam differentias negare debuerunt, quæ ponuntur ad hoc vt contrahant & determinent naturam vniuersalem, genusquè diuidant in plures species. Omnino tamen hæ differentiæ concedendæ sunt absolutè loquendo. Est communis omnium aliorum sententia. & est res notissima in doctrina Arist. qui valde frequenter de ijs differentijs meminit. Et patet inductione in omnibus rebus. Et ratione: quia cùm res reuera differant, debent differentiæ, idest rationes per quas differant, assignari; præsertim cum ita differant, vt simul in aliqua ratione conueniant: oportet ergo assignare differentias per quas natura illa communis contrahatur & diuidatur, atque ita genus in plures species distrahatur.

Dico autem, absolutè loquendo: quia multi volūt & explicant differentias dari, sumendo differentias cum quibusdam conditionibus quas in eis requirunt. Modò ergo non determinamus, dari differentias, cum talibus conditionibus acceptas; sed de his conditionibus in hoc tractatu disputaturi sumus. Vnde ab ijs præscindendo, nunc statuimus, quod certum & indubitatum esse debet, dari differentias. Et ita est absolutè loquendum, vt deinceps de hac re agere sequamur.



SECTIO SECVNDA.
Quid sit Differentia: & quomodò sit definienda.

POst traditas illas differentiæ diuisiones, Porphyrius pluribus modis, & varijs definitionibus, conatus est rationem differentiæ explicare, differentiæ scilicet proprijssimæ. Et quidem quatuor differentiæ definitiones attulit. Vt autem nos totam differentiæ rationem distinctè & clarè explicemus; ante omnia distinguendum censemus, quot modis differentia sumenda sit, siue quot munera exerceat, vt iuxta singulas formalitates exactè definiatur & explicetur.

Differentia ergo quatuor modis considerandа est. Primò enim differentia diuidit siue contrahit & determinat genus. *Differētia quatuor modis cōsideranda est & definienda.* Secundò, constituit & perficit speciem, & sumitur species non pro sola specie infima prædicabili, sed pro omni specie subijcibili, ad quā genus cōtrahitur. Porph. hanc tradit tanquam diuisionem differētiæ, assignans differentias diuisiuas generis & constitutiuas specierum. Sed ipsemet explicat, easdem ipsas differentias, hæc duo munera exercere. Tertiò, differentia distinguit suā speciem ab alijs speciebus: & secundùm hanc considerationem propriè habet differentiæ nomen. Quartò, refertur ad inferiora ipsius speciei, de ijsq. prædicatur: & sm̄ hanc considerationem propriè sortitur rationem cuiusdam vniuersalis, & prædicabilis.

Differentiæ 1. modo sumptæ potest accomodari definitio quā Porph. 3 loco affert: *Differētia est quæ apta est diuidere ea quæ sub eodem genere sunt.* *Quatenus diuisiua generis.* Licèt enim his verbis directè exprimi videatur diuisio ipsarum specierū inter se: tamen quia hic expressè nominatur genus, & vt hæc definitio sit ab alijs diuersa: potest accipi pro differentia quatenus diuidit genus in species. Et clarius sic dici potest: differentia est ratio quæ diuidit genus, & contrahit ad certam speciem. Genus enim in sua vniuersalitate & abstractione non dicit diuisionē, sed vnitatē: & differentia concipitur diuidere genus ab illa vnitate & cōtrahere ab illa abstractione. Vbi dubitari pōt, num hæc ratio, siue hoc officiū differentiæ, sit reale quid, vel potius sit

 inten-

intentio rationis. Et breuiter dicendum, realiter quidem & à parte rei genus esse diuisum, & potius vnitas est per rationem: tamen diuisio concepta tanquam diuisio naturæ vnius, & contractio concepta quasi restrictio ab vniuersalitate ad certam speciem, dicit conceptum rationis: quia cùm non supponatur realiter vnitas & abstractio naturæ, non datur realiter diuisio & contractio sic concepta: sicut datur realiter diuisio vnius continui in plures partes, & adductio vnius rei ad aliam per operationem realem.

Quatenus constitutiua speciei. Differentiæ secundo modo sumptę potest accomodari definitio, quam Porphyr. primo loco tradit dicens: *Differentia est qua abundat species à genere*, idest qua species excedit genus, siue quam species addit supra genus. Genus enim non includit essentialiter differentiam, quia sic includeret differentias oppositas, & ad quancunque speciem simul secum afferret differentias oppositas: quod repugnat: species autem includit essentialiter, tum ipsum genus, tum etiam suam peculiarem differentiam. Vnde clariùs sic dici potest: Differentia est ratio quæ simul cum genere essentialiter constituit speciem. Quomodo autem differentia intelligatur addi supra genus quoad rationem aliquam conceptam, vel solùm quoad maiorem explicationem in modo concipiendi, postea inquiremus. Si autem quæratur, num hæc additio & constitutio sit reale quid: Illi quidem, qui differentiam distinguunt ex natura rei à natura generica, debent affirmare. Sed quia ostẽdemus nequaquam distingui nisi per rationem, fateri oportet talem additionem & constitutionem non esse actum quendam realem, sed per rationem cogitari.

Quatenus distinctiua vnius speciei ab alijs. Differentiæ tertio modo sumptæ, conuenit quarta definitio Porph. *Differentia est quę differunt à se singula.* Species enim non differunt secundùm genus, homo & equus non differunt in genere animalis: differentia autem rationalitatis est per quam differt homo ab equo. Addit Porphyr. differentiam mortalitatis distinguere hominem à Dijs, idest Angelis: videtur enim supponere, Angelos esse corporeos, & conuenire cum homine in genere animalis rationalis. Quod tamen falsum est. Vidit quoque Porphyr. definitionem sic traditam esse diminutam, quia etiam per accidentia possunt res differre: ideò addit exactiorem definitionem differentiæ, quæ videri posset noua definitio: sed reuera est complemẽtum prioris. Addit ergo differentiam debere esse essentialem. Sic ergo poterit differentia definiri: est ratio essentialis speciei, distinguens illam ab alijs speciebus: vel est ratio qua vna species essentialiter differt ab alijs. Cæterùm reale quidem est, vnam speciẽ differre ab alijs. Nam reuera ipsæ species distinguuntur inter se. Tamen concipiendo differentias inter species tanquam inter naturas conuenientes & vnitas in genere: ita vt distinctio concipiatur quasi superueniens vnitati præsuppositæ in genere: sic dicit conceptum rationis.

Quatenus vniuersalis est, & refertur ad plura. Differentię demum quarto modo sumptæ propriè conuenit definitio quam Porph. secundo loco ponit: *Differentia est quę de pluribus & differentibus specie in quale quid prædicatur.* Per hunc autem modum prædicationis, distinguere voluit differentiam à genere quod definierat prædicari in quid. Nec sibi repugnat, cùm in fine cap. concludit, differentias accipi in eo quod quid erat esse: per hoc enim tantùm docere voluit, differentias esse essentiales rebus. Per illam etiam particulam videtur distingui differentia à proprio & accidenti: quæ non in quale quid, sed solùm in quale prædicari dicentur. Verùm ipse Porphyr. capite de Genere, in fine, communiter de omnibus accidentibus dixit, prædicari in quale quid. Non ergo distinxit duplicem modum prædicationis, in quale, & in quale quid. Et potius videtur supposuisse distinctionem differentiæ ab accidentibus, ex eo quòd differentia prædicatur essentialiter, quod non expressit in ipsa definitione. Vel ideò tandem ad finem capitis dixit, ad exactam definitionem differentiæ debere addi: *Quę spectat ad quid erat esse*: vtique supplens defectum qui in antecedentibus definitionibus erat. Iam tamen vsu factum est, vt differentia dicatur prædicari in quale quid, accidentia autem solùm in quale.

Dum

Differẽtia prædicatur in quale quid.

Dum ergo dicitur differentia prædicari in quale quid, sensus est prædicari essentialiter adiectiuè, vt patet ex dictis de genere. Et ratio quare differentia dicatur sic prædicari, est: quia illud prædicatum essentiale dicitur differentia, quod secũdo loco inter prædicata essentialia nominatur, vt cùm dicimus homo est animal rationale: & concipitur veluti afficere primũ prędicatum, eiq. adiacere, & illi adiectiuè coniungitur. Et quia forma afficiens rem, dicitur communi vocabulo qualitas rei; & dum afficit, dicitur qualificare: ideò Arist. 5. Met. c. 28. differentias appellauit generis qualitates: & ideò hic modus prędicationis appellatur in quale. Atq ad illius exercitiũ oportet omnino differẽtiam sumere in cõncreto, quia vt sic prædicatur in quale, dicendo homo est rationalis, est animal rationale, non autem est rationalitas. Propter quod S. Tho. c. 4. de Ente & essen. & alij communiter approbant dictum illud Auicen. tract. 5. Met. cap. 6. Rationalitas non est differentia, sed est principium differentiæ: quia scilicet differentia debet sumi in concreto, vt prædicetur modo sibidebito

Quomodo dicatur prædicari de pluribus differentibus specie.

Maxima autẽ difficultas est in eo quod in definitione dicitur, de pluribus differentibus specie: nam non solùm dantur differentiæ genericæ, de quibus id verum est; sed etiam specificæ ac propriæ infimarum specierum, quæ proinde differentiæ non de pluribus differentibus specie, sed tantùm numero prædicatur, vt patet.

Ad hoc Albert. tract. 5. Præd. c. 6. referens Alpharab. Auic. Auer. respondet, hic definiri differẽtiam vt differentia est, supra quam differentia specifica addit esse propriam vnius speciei, quod non est de rõne differentiæ sm̃ se: vnde nõ tollit quominus sit benè definita differentia vt differentia est, Verũ dici non põt definiri differentia vt differẽtia est, nisi definitio conueniat omni differentiæ, tam specificæ, quam genericæ. Quia si definitio conuenit soli differentiæ genericæ: ergo sola illa definitur. Et quidem posse prædicari de pluribus speciebus, cõuenit differentiæ genericæ vt generica est. Sicut si quis definiret differentiam, quæ prædicatur de pluribus numero differentibus: vtique nõ definiret differentiam vt differentia est, scilicet in communi ad specificam & genericam, sed tantùm specificam. Si autem Albert. voluit solas differentias genericas esse veras differentias, sic rectè dixit definiri differentiam vt differentia est. Sed certè negari non debent absolutè loquendo differentiæ specificæ.

Id non dicitur de differẽtijs vltimis specificis.

Caiet. in hoc c. de Differẽtia, quẽ sequitur Sot. respõdet, definitionẽ explicãs negatiuè: differentia prædicatur de pluribus speciebus, idest non repugnat differentiæ inquantum differentia est, prædicari de pluribus speciebus: & hoc conuenire etiam specificis differẽtijs, quibus non vtique eo quòd differentiæ sunt, sed eo quòd specificæ sũt, repugnat de pluribus speciebus prædicari. Sed hæc respõsio non magis satisfacit. Tum quia non debet certè natura communis definiri per hoc quod illi non repugnat aliqua proprietas, quæ in vna tantùm eius specie reperitur. quia sic liceret definire animal, est viuens rationale, quia animali, & ipsi bruto, non repugnat rationalitas inquantum animal est. Tum quia sic pariter posset differentia definiri, quæ potest de vna sola specie prædicari: quoniam etiam hæc determinatio non repugnat differentiæ, nec differentiæ genericæ, inquantum differentia est. Tum demum hæc responsio est planè præter mentem Porphyrij, qui assertiuè affirmauit, differentiam esse quæ prædicatur de pluribus differentibus specie. Idquè fatetur ipse Caiet. Sed dicit, definitionem in illo sensu negatiuè explicatam, magis accedere ad rei naturam: At certè si tradenda sit definitio adæquata omni differentiæ; non oportebit assumere eandem definitionem Porphyr. & ad sensum alienum atque ineptum detorquere: sed satius erit definitionem aliter assignare.

Porphyr. definiuit differentiam vniuersalem genericã.

Dicendum ergo est, Porphyr. voluisse in ea definitione solas differentias genericas definire. Ita quamplures docent Scot. quæst. 27. Vniuersal. Simplic. cap. 3. Antepræd. reg. 2. Burl. in cap. de Differ. Anton. Andr. Tatarer. Ægid. & alij ibidem: & apertè Boet. lib. 4 in Porph. suum in explicatione huius definitionis. Et patet clarè ex verbis manifestis ipsius definitionis. Sicut enim dixerat Porphyrius, genus est quod prædicatur de pluribus differentibus specie: ita ijsdem verbis hæc docet de differentia. Ratio au-

tem quare Porphyr. sic differentiam pro solis differentijs genericis definierit; Vel est, quia putauit omnes prorsus differentias esse genericas, nullasque dari specificas, proprias vni soli infimæ speciei, de qua re postea disputabimus: Vel si has etiam cognouit, voluit solas genericas, tanquam notiores & frequentiores, ea definitione complecti.

Adæquatè differētia definitur. Facillimè autē & optimè poterit differentia adæquatè definiri, ita vt tàm genericas quàm etiam specificas & vltimas complectatur, omittendo ly differentibus specie, dicendo, quæ de pluribus prædicatur: sub qua communitate deinde poterunt distinctè differentia generica per respectum ad plures species, & specifica per respectum ad sola indiuidua, definiri. Solent autem differentiam quatenus vniuersale quoddam est, essentialiter definire: quæ potest inesse multis tanquam pars formalis essentiæ. Sed de hac re, & simpliciter de vniuersalitate ipsius differentiæ, mox agemus.

Differētia non suscipit magis & minus. Postremò ad rationem huius differentiæ proprijssimæ pertinet, quod Porph. docet, differentias essentiales non suscipere magis & minus, & in hoc differre à differentijs accidentalibus, quæ etiam si inseparabiles sint, suscipiunt magis & minus. Hoc autem videtur difficile, quia differentiæ essentiales accidentium suscipiunt vtique magis & minus, sicut ipsa accidentia: albedo, v. g. intensa, est magis disgregatiua visus, quàm albedo remissa, & sic de alijs similibus differētijs. Ad hoc Zimar. Theor. 1. & quidam alij respondent, dictum Porphyrij esse intelligendum tantùm de differentijs substantiarum. Sed certè patet, Porphyrium esse absolutè loquutum de differentijs essentialibus, quæ tàm accidentibus, quàm substantijs conueniunt. Et in hoc sensu dictum eius verum est. Differentia ergo non suscipit per se magis & minus, immutata manente re cuius est differentia: sed benè suscipit per incrementum, aut decrementum ipsius rei. Sic certè non potest augeri aut minui differentia eiusdem albedinis inuariatæ. Sed si augetur albedo, siue additur nouus gradus albedinis: sic augetur siue additur differentia. Imo hoc est necessarium ad rationem differentiæ essentialis. Accidentia autem suscipiunt magis & minus, eodem permanente subiecto, cuius sunt accidentia. Et hoc planè est quod voluit Porph. Imo Arist. id ipsum planè docuit 6. Top. loc. 50. & quibusdam sequ. hoc signum assignans ad cognoscendum, quando prædicatum sit rei essentiale vel accidentale: esse scilicet essentiale, quando simul cum re augetur vel minuitur & non aliter; esse autem accidentale, quando vel ipsum augetur & minuitur non aucta vel imminuta re, vel è conuerso.

SECTIO TERTIA.

Quomodo Differentia sit Vniuersale.

Differētia nō est vniuersale respectu generis. Cvm differentia attingat genus quod contrahit, speciem quā cōstituit, & inferiora speciei in quæ multiplicatur; & de ijs omnibus prædicetur: explicandum est, quonam modo, & per quem respectum, siue respectu cuius termini, habet rationem vniuersalis. Et quidem respectu generis, tanquam certum supponi solet, differentiam non habere rationem vniuersalis. Tum quia dicitur de vno & non de pluribus generibus. Tum quia non prædicatur essentialiter de ipso genere. Veruntamen dicendū est, licèt differētia nō habeat vniuersalitatem differentiæ respectu generis: tamen posse habere aliam vniuersalitatem, videlicet accidentis.

Nisi ad modū accidentis. Probatur quia differētia concipitur inesse naturæ genericæ, quasi forma subiecto: & pōt verè de ipso genere prædicari prædicatione formali, vt oēs concedunt; v.g. aīal est rōnale: sed hæc non est prædicatio essentialis; qm̄ rationalitas nō est de essentia aīalis, sicut est de essētia hōis: ergo non habet quidē vn̄litatem differētiæ respectu generis; qm̄ differentia dici debet essentialiter. Tū illa prædicatio debet pertinere ad aliquod prædicabile; & reuera se hēt sicut prædicatio accidētalis de ipso genere: & dicitur de illo, nō quidē de omni, sicut dici debet proprium; nō enim omne aīal est rōnale, & sic de alijs generibus & differentijs. Ergo reduci debet ad quintum prædicabile. Potest etiā aliqua differentia dici, non solùm de vno, sed de pluribus generibus: videlicet si sumatur in conceptu ita cōmuni, in quo

non sit adæquata vni soli generi. V. g. cùm quantitas continua diuiditur in permanentem & successiuam, hæc ratio successiui est differentia quantitatis continuæ: at etiam quantitas discreta diuiditur in permanentem & successiuam, & sic ratio successiui est etiam differentia huius generis, & de vtroque genere prædicatur. Item si sumantur duo genera substantiæ, viuentis & non viuentis: vtrunque diuiditur per differentias corporei & incorporei. Et alia plurima sunt huiusmodi exempla.

Respectu speciei est, vel formaliter, vel virtualiter.

Respectu speciei, quam differentia constituit, admittit Tolet. hoc capit. dub. 4. differentiam esse vniuersale: quia, inquit, de subiecto vniuersali prædicatur. Alij id prorsus negant: quia vniuersale formaliter refertur ad plura, species autem ad quam differentia refertur est vna. Ita contendit Sanc. quæst 63. Dicendum tamen est, alias differentias esse, quæ per se de pluribus speciebus prædicantur, alias quæ adæquantur vni speciei. V. g. In exemplis illis allatis, illa differentia successionis dicitur de pluribus speciebus sub diuersis generibus: at è contra aliæ differentiæ sunt, quæ sunt adæquatæ & affixæ certis speciebus. De qua re latè agemus quæstione sequēti. Illæ ergo priores differentiæ planè sunt vniuersales respectu ipsarum specierum: nam dicuntur de pluribus speciebus. Hæ autem posteriores differentiæ dici poterunt respectu speciei vniuersales virtualiter, non formaliter. Quia enim differentia dicitur de vna tantùm specie, non de pluribus speciebus, non est vniuersalis formaliter respectu specierum: sed quia ipsa vna species continet sub se plura, differentia etiam talis speciei, habet vt dicatur de pluribus. Et hoc voluit ibi Tolet. dicens, differentiam esse vniuersale, quia prædicatur de subiecto vniuersali, vnde & de contentis sub ipso subiecto vniuersali.

Propriè est respectu inferiorum speciei.

Respectu demū inferiorum ipsius speciei dubitari potest, quomodo differentia sit verè vniuersale: quia natura dici debet vniuersalis, maximè respectu eorum, de quibus primariò & immediatè prædicatur: sed differentia primariò & immediatè prædicatur de ipsa specie, & mediante specie de inferioribus: ergo. Hinc Petron. quæst. 3. de Differ. art. 4. contendit, differentiam non habere rationem vniuersalis respectu indiuiduorū speciei, sed tantùm respectu ipsius speciei. Sed certum est, differentiam quæ sit adæquata vni speciei, habere propriè & formaliter rationem vniuersalis respectu inferiorum ipsius speciei. Patet quia hæc sunt illa plura, de quibus differentia prædicatur essentialiter, sicut oportet ad rationem huius vniuersalis. Ad rationem autem dubitandi dicendum est, naturam posse esse vniuersalem, etiam respectu eorum de quibus mediatè dicitur; sicut est genus respectu indiuiduorum. Deinde differentiam dici suo modo immediatè de inferioribus speciei, idest non mediantibus alijs, respectu quorum prius differentia sit vniuersalis. Hoc est inferiora speciei sunt immediatè plura, de quibus differentia dicitur. Differentia enim non dicitur de alijs pluribus ante ipsa inferiora; quia si dicitur de specie, species supponitur esse vna species, & ipsa differentia nō contrahitur per alias differentias, antequam per illas differentias quibus determinatur ad inferiora speciei, sed his differentijs immediatè afficitur: quia ad speciem communem ijs inferioribus, non determinatur per aliam differentiam. Quando inquam differentia est adæquata ipsi vni speciei. Alioqui si differentia per se ad plures species referatur, iam diximus esse primariò vniuersale respectu ipsarum specierum; & tunc erit secundariò respectu inferiorum quæ sub ijs speciebus continentur, eo prorsus modo quo se habet genus ad inferiora contenta sub speciebus de quibus immediatè dicitur. Et fortasse, quia ad hunc modum vniuersalitatis respexit Porphyrius in definienda differentia: ideò illam definiuit, quæ de pluribus differentibus specie prædicatur.

Potest etiā referri ad propria inferiora.

Præter hæc aliqui addunt, differentiā habere etiā sm̄ se sua inferiora, & respectu eorū suam vniuersalitatē. V.g. rōnale directè refertur ad hoc & illud rōnale, siue rationalitas ad hanc vel illā rōnalitatē. Item sensitiuum, quæ est differentia animalis, directè referri potest ad sensitiuum rationale, & sensitiuum irrationale. Fonf. 5. Metaphys. cap 28. quest. 18. sect. 2. contendit, differentiam cōmuniter

acceptam non eſſe vniuerſale quid, non eſſe genus reſpectu talium cõplexorum, in quibus coniungitur differentia communior cum alia differentia eam determinante, vt in exemplis allatis. Et probat quia tale complexum non eſt quid per ſe vnum, vt poſſit eſſe ſpecies prædicati ſuperioris. Nam duæ differentiæ ambæ ſunt actus tertij, ſcilicet reſpectu generis, nec vna eſt forma ſeu actus alterius: ſicut illi qui ponunt plures formas ſubſtantiales in compoſito, non dicunt vnam eſſe formam & actum reſpectu alterius, ſed omnes reſpectu materiæ: ergo illæ differentiæ non conficiunt per ſe vnum, nec illud complexum eſt per ſe vnum.

Sed reſpectu rorum ſe habet vt genus vel ſpecies.

Dicendum tamen eſt, differentiam eſſe verè & propriè vniuerſale reſpectu ſuorummet inferiorum, quæ illo modo rectè accipi & nominari poſſunt: tamen ſub illo modo dicendi & nominandi, habere in toto rigore modum generis, vel ſpeciei. Patet: quia manifeſtum eſt, differentiam eo modo poſſe prædicari de pluribus, & habere quicquid ad rationem vniuerſalis poteſt requiri: ergo vt ſic eſt verè vniuerſale. Atque eo modo prædicatur potius in quid, quàm in quale: dicendo enim hoc rationale eſt rationale, ly rationale ſumitur ſubſtantiuè, neque ſumitur quaſi forma adiacens, ſicut ſi dicatur hæc rationalitas eſt rationalitas, dicitur vtique ſubſtantiuè: ſimiliter dicendo ſenſitiuum rationale, eſt ſenſitiuum, ſicut ſi diceretur animal rationale eſt animal. Habet ergo proprium modum generis, ſi dicatur de pluribus ſubiectis in ſpecie ſumptis: modum ſpeciei, ſi dicatur tantùm de vltimis indiuiduis. Imò ſic etiam ſe habent proprium & accidens. Nam riſibile de hoc & illo riſibili, album de hoc & illo albo, formaliter loquendo dicitur propriè tanquam vniuerſale ſpecies: & coloratum de colorato albo & nigro, ſiue diſgregatiuo & congregatiuo viſus, dicitur tanquam genus.

Nec obſtat ratio Fonſecæ. Tum quia etiam inter ea quę non ſunt per ſe vnum, poſſunt vniuerſalia aſſignari, & prædicationes vniuerſales optimè exerceri. Tum quia complexum illud ſe habet, vt per ſe vnum. Nec enim ſe habet, vt aggregatum accidenrale. Et optimè dici poteſt, ſecundam differentiam ſe habere tãquam formam & actũ reſpectu primæ, rationale reſpectu ſenſitiui: quinimo perinde ſe habet rationale ad ſenſitiuum, atque ad ipſum animal, & animal vltimò conſtituitur per ſenſitiuum; vnde determinatur animal per rationale, dum determinatur eſſe ſenſitiuum per coniunctionem rationalitatis. Nec eſt par ratio cum formis phyſicis, quæ omnes ſunt à materia realiter condiſtinctæ. Nam in compoſitione metaphyſica non datur hæc diſtinctio, & differentia ipſa communior, eſt intima formalis ratio quæ conſtituit genus.

Differentiam complexã vniuerſalem negat Fõſeca.

Deinde. Ex parte differentiæ idem Fonſeca ibi contendit, differentiam, vt ſit vniuerſalis, debere eſſe ſimplicem quandam formam ſeu gradum, nec poſſe accipi complexionem ex duplici differẽtia, quæ complexio ſit vniuerſale differẽtiæ. Probat. Tum quia nulla differentia conſtat ex genere & differentia; ſed debet eſſe ſimpliciter ſimplex: illa autem complexio conſtat ex genere & differentia, vt ſequitur ex modò dictis. Tum quia omnis differentia mediat inter genus aliquod quod diuidit & ſpeciem quã conſtituit: ſed talis complexio, v.g. ſenſitiuum rationale, non ita ſe habet: non enim mediat inter animal & hominem, quia ſenſitiuum non eſt differentia diuiſiua animalis, & contractiua ad hominẽ: nec mediat inter viuens & animal, quia rationale non eſt differentia diuiſiua viuentis & contractiua ad animal: ergo tota complexio non eſt differentia. Tum demum quia ex regula Ariſt. non poteſt eadem differentia diuidere duo genera non ſubalternata: ſed ſi ſenſitiuum eſſet genus quod diuidatur per rationale, ſic rationale diuideret duo genera non ſubalternata, nempè animal & ſenſitiuum: ergo.

Dicendum tamen eſt, non requiri ad vniuerſalitãtem differentiæ, vt differentia ſit forma ſimplex: ſed etiam complexionem ex duplici differentia poſſe eſſe optimè vniuerſale differentiam. Probatur, quia talis complexio poteſt & ſolet prædicari de pluribus in quale: ergo habet totam vniuerſalitatem differentiæ. Nam vtique dicimus, Petrus eſt ſenſitiuus rationalis, ſic etiam Paulus & cæteri homi-

homines. Item addendo genus, Petrus est viuens sensitiuum rationale, & sic de alijs; tempus est quantitas continua successiua, vbi continuum successiuum est differentia, & sic in alijs innumeris exemplis.

Soluūtur rationes oppositæ. Ad rationes autem in oppositum dicendum est. Ad primam, differentiam quidem simplicem non constare ex genere & differentia: sed differentiam complexam posse constare, quandoquidem in illa plura prædicata iunguntur. Neque hoc obstat rationi ipsius differentiæ, sicut non est contra rationē generis, constare ex alio genere & differentia. Ad secundam, etiam illam complexionem mediare inter genus & speciem, si non inter genus & speciem quæ proximè coniunguntur, saltem inter genus & speciem quæ remotè iunguntur. Sic sensitiuum rationale mediat inter viuens & hominem. Nec mirum est, quando differentia conflatur ex huiusmodi duobus prædicatis. Ad tertiam, præter quam quòd illa regula postea examinanda erit: ad summum procedit de generibus disparatis, quæ nec sunt inter se subalternata, nec in idem redeunt: imo minus distant quæ in idem redeunt, & inter se conuertuntur. Si ergo potest eadem differentia diuidere genera subalternata: multo faciliùs, quæ in idem redeunt, & inter se conuertuntur; ita vt vnum adæquatè sit aliud, sicut se habent animal & sensitiuum, vt notum est. Nullaque difficultas prorsus apparet, in hoc quod eadem rationalitatis differentia diuidat sensitiuum & animal. Imo id est necessarium, dum sensitiuum est propria ratio constitutiua animalis.

SECTIO IV.

An & quomodo Differentia ab alijs vniuersalibus differat. Et quotuplex sit.

COmmunis sententia est, differentiam in sua vniuersalitate essentialiter differre ab alijs vniuersalibus, sicut ipsa alia differunt inter se. Propria autem vniuersalitas differentiæ, & discrimen ab alijs vniuersalibus, solet frequenter assignari per hoc, quòd differentia apta est inesse pluribus tanquam pars formalis essentiæ.

In contrarium est, quod Arist. 1. Topic. cap. 3. plura prædicata distinguens, non solùm non assignat differentiam distinctè ab alijs, sed clarissimè ait. *Differentia cùm sit generalis, cum genere ordinanda est.* Vbi planè differentiam reducit ad genus. Igitur non est vniuersale distinctum à genere. Deinde ille modus distinguendi differentiam à genere & specie, non est idoneus, vt probauimus de ipso genere q. 10. sect. 1.

Dico ergo primò. Differentia in ratione suæ vniuersalitatis, non ita differt ab alijs vniuersalibus, nempè à genere & specie, sicut differunt hæc alia vniuersalia inter se. *Differentia quomodo non differat in ratione vniuersalis à genere & specie.* Fundamentum est, quia planè quidem distinguitur differentia à proprio & accidente, per hoc quòd inest essentialiter rebus, & in hoc conuenit cum genere & specie. Sed non differt à specie per hoc quòd species insit tanquam tota essentia, differentia tanquam pars. Tum quia dicto loco ostendimus, tàm de specie, quàm de genere, seu differentia, communem esse rationem in modo essendi. Tum præterea interdum differentia dicit totam essentiam suæ speciei, quando videlicet nō perfectè præscindit a gradu generico, sed tñ differt eo quòd dicit conceptum magis explicitum, vt postea ostēdemus: ergo non ex hac parte vniuersale differētia differt ab vniuersali specie. Nec etiam differentia differt a genere, per hoc quòd genus insit vt pars materialis, differentia vt pars formalis. Tum quia eodem loco notauimus, differentiam respectu multorum, ad quæ debet contrahi per rationes determinantes, ita se habere vt partem materialem, sicut se habet ipsum genus. Et hoc indicauit Aristot. 7. Metahp. tex. 43. vbi docet, ita differentiam sicut genus diuidi & contrahi ad inferiora per alias differentias illam determinantes. Tum quia quando differentia nō dicit totam essentiam speciei, sed tantùm dicit certum quendam gradum essentialem, non est ex natura rei determinatum, vt potius hic vel ille gradus essencialis se habeat materialiter aut formaliter, siue supponatur aut adueniat, siue determinetur aut determinet: sed mutuò dici potest, vnum

per alterum determinari, & hic vel ille potest prius aut posterius concipi, siue materialiter aut formaliter, vt etiam postea magis ostendemus. Non ergo eo modo differt differentia à genere, quasi in ipsa rei natura determinatè fundetur hoc discrimen, vt talis gradus sit genus, talis sit differentia: sicut illa sententia intendit: & sicut alia vniuersalia inter se, & genus ipsum & species distinguuntur.

Et quomodo differat. Dico secundò. Differentia, licèt possit cum genere & specie confundi seu inuolui: tamen aliquatenus in modo prædicationis ab illis distinguitur. Fundamentum est: quia genus sumi potest adæquatè pro prædicato essentiali communi pluribus speciebus, species pro prædicato essentiali communi vltimis tantùm indiuiduis. Omnis autem differentia est prædicatum essentiale, aut commune pluribus speciebus, aut tantùm pluribus indiuiduis. Sic ergo potest cum genere & specie confundi. Sic planè Arist. eo loco Topic. quia solùm respexit illam differentiam, quæ est communis pluribus speciebus, quam ibi vocauit generalem, reduxit ad genus. & 1. de Part. animal cap. 5. prædicata essentialia & communia diuisit in genera & species, nulla facta distincta mentione differentiarum.

At verò hæc prædicata essentialia possunt & solent dupliciter nominari & de rebus affirmari, vel per modum termini substantiui, vel adiectiui, vt compertum est. Per modum termini substantiui dicuntur prædicari in quid, & vt sic appellantur magis pressè genera & species. Per modum termini adiectiui dicuntur prædicari in quale, & vt sic appellantur differentiæ. Ita quòd idem prædicatum essentiale vtroque modo dici possit, & vno modo appellabitur genus, alio modo differentia. V. g. viuens substantiuè dictum, vt quando affirmamus animal est viuens corporeum, dicetur genus; adiectiuè autem dictum, vt quando affirmamus animal est corpus viuens, dicetur differentia. Et sic ex duobus prædicatis essentialibus mutuò vnum vel alterum dici poterit genus vel differentia, vt in eodem exemplo, in prima propositione prædicatum viuentis se habet vt genus, corporei vt differentia; in secundo è conuerso. Solùm ergo sic in modo prædicandi & concipiendi consistit totum discrimen differentiæ à genere & specie. Ita etiam notauimus de genere sect. 3. Vel dici potest, idem prædicatum essentiale appellari genus quatenus comparatur ad illa quæ in eo conueniunt, appellari differentiam quatenus comparatur ad alia quæ in illo differunt. Vt in eodem exemplo, viuens est genus animalium plantarum & Angelorum, quia hæc omnia in illo conueniunt: estque differentia eorum à substantijs non viuentibus. E conuerso, corpus est genus animalium & plantarum & aliarum substantiarum corporearum: estque differentia horum omnium ab Angelis, vt est manifestum.

Differentia dupl. x. generica & specifica, distingui debet. Dico tertiò. Ex his, duplex omnino differentia distinguenda est, vna generica, alia specifica: quæ ita differunt inter se, sicut differunt adinuicem genus & species. Hæc conclusio manifesta manet ex dictis. Et declaratur magis. Sicut distinguuntur duo prædicata in quid, vnum commune speciebus, aliud solis indiuiduis: ita non minus debent distingui duo prædicata in quale, seu quæ adiectiuè dicantur.

Conantur tamen alij defendere, licèt dentur differentiæ tàm specificæ quàm genericæ: tamen non constituere duo vniuersalia distincta, ad instar generis & speciei. Et rationem afferunt insistendo in illo modo distinguendi vniuersalia. quia differentia, siue in pluribus speciebus, siue tantùm indiuiduis, semper inest eodem modo, scilicet tanquam pars essentiæ, pars nempe formalis: at genus & species habent diuersum modum essendi, nempe per modum partis & totius. Verùm præter ea quæ in superioribus dicta sunt, impugnatur adhuc hæc responsio. quia intantùm dicunt, speciem esse totam essentiam, inquantum illi solùm adduntur differentiæ indiuiduantes quæ non dicuntur aliæ partes essentiales: generi autem adduntur differentiæ specificæ quæ dicuntur partes & gradus essentiales. At certè differentia, licèt dicatur respectu generis & respectu speciei quam constituit, siue hæc sit species specialissima siue subalterna, eodem modo semper se habere tanquam pars formalis essentiæ: tamen si comparetur ad inferiora respectu quorum est vniuersalis, negari non potest

test diuerso modo se habere, in hoc quòd ipsi differentiæ subalternæ additur rursus aliæ differentiæ, quæ etiam sunt partes essentiæ, quia sunt gradus essentiales: at differentiæ specialissimæ vt contrahatur ad indiuidua, solùm adduntur differentiæ indiuiduantes, quæ non dicebantur partes essentiæ nec gradus essentiales. Ergo respectu huiusmodi differentiarum contrahentium tantam prorsus diuersitatem habent differentia generica & specifica, quantam habent genus & species: sic igitur respectu inferiorum in ordine ad quæ debet sumi atque distingui vniuersale, par est ratio distinctionis.

Cur non fuerit ab initio distincta. Nec obstat, quod in diuisione vniuersalium, distinctè assignantur duo vniuersalia genus & species, non autem duo sed tantùm vnum vniuersale differentiæ. In primis enim, Porphyrius qui illa quinque distinxit, ad solas differentias genericas respexisse videtur. Deindè necesse non erat, vt in prima diuisione vniuersalium omnia distinctè numerari deberent, sed sub vno membro diuisionis poterant plura includi, quod esset postea subdiuidendum. Commodum autem apparuit, in prima diuisione distinguere genus & speciem, etiam si tunc non fuerit distincta multiplex differentia, quia ita ad tractationem prosequendam opportunum videbatur. Demum, quia differentia præcipuè sumi & considerari hic debet, quatenus contrahit genus, & constituit speciem, siue subalternam siue infimam: meritò hæc tria distincta sunt ab initio, genus, species, & differentia.

Cæterum cùm dictum sit, differentiam ad genus & speciem reuocari, aliæ distinctiones quæ traditæ sunt de genere & specie, possunt etiam ipsi differentiæ adaptari: sed necesse non est illas repetere.

QVÆSTIO DECIMATERTIA.

De Habitudine Generis & Differentiæ in constituenda Specie.

ID quod præcipuè in hac re circa hos gradus essentiales considerari debet, est constitutio speciei, & habitudo ipsorum graduum quantum ad entitatem essentialem rei. Quæ sanè consideratio multò magis dirigit intellectum ad perspiciendas rerum naturas, multoquè vtilior ad reliquas scientias est, quàm consideratio vniuersalitatis & secundarum intentionum. Et quia non ad vnum solùm ex tribus nominatis pertinet; sed omnia simul amplectitur: ideò hac distincta & peculiari quæstione hac de re agere cogitauimus.

SECTIO PRIMA.

An & quomodo in constituenda Specie debeant Genus et Differentia designari.

DVrandus in 2. d. 3. quæst. 1. à num. 12. singularem quandam sententiam tradidisse videtur, tractans de Angelis, & dicens, non in omni specie quæ est sub genere posse differentiam designari. Sed ad solas substantias compositas restringit combinationem generis & differentiæ: in substantijs autem simplicibus & accidentibus non illam agnoscit.

Alij autem docere aut supponere solent, ita in omni specie suum genus & differentiam designari debere; vt vnum aliquod prædicatum certum ac determinatum, sit proximum genus; aliud etiam certum ac determinatum, sit differentia affixa tali generi, & constitutiua speciei: nec possit nisi vno certo modo genus & differentia talis speciei designari.

Et ita

Et ita videtur supponere ipse Porphyr. qui in cap. de Specie, seriem quandam generum specierum & differentiarum ita contexit, quasi non aliter possint in Prædicamento substantiæ designari. Et cap. vlt. agens de discrimine generis & differentiæ, ait, genus vnum esse secundùm vnamquamque speciem, vt hominis animal: & licèt dicat differentias esse plures, non intellexit posse vnam aut aliā differentiam vno aut alio modo designari: sed intellexit plures simul cōiunctas, ita vt illæ & non aliæ sint, v. g. in homine rationale mortale. Videtur etiam hic dicendi modus necessarius ad constructionem prædicamentorum: quia hæc a loqui non possent vno certo modo contexi, si non essent certa ac determinata genera & differentiæ specierum, ita vt vno certo modo & non aliter designāda sint. Atque ita de facto obseruatur in ipsis prædicamentis, vt notum est.

In omni specie debent genus et differentia designari.

Dico primò. In omni specie possunt, ac debent genus & differentia designari ad constitutionem ipsius speciei. Conclusio est communis & certa. Patet quia omnis species est sub aliquo genere communi ipsi speciei & alijs etiam rebus, alioqui non esset species: & nomen speciei in hac re omninò denotat essentiam subiectam generi, & sic dicitur species subijcibilis. Ideòq. consulto dicimus in omni specie, & non in omni essentia: quia excipienda est essentia prędicati adeò supremi, vt ipsum sit genus omnium specierum sub se contentarum, nulliusquè generis supra se stantis sit species. Dum autem species est sub genere, oportet etiam differentiam assignare. Nam genus nōn nisi per differentias potest diuidi ac determinari ad certas species. Et species debet per suam essentiam & aliquod suū prædicatum essentiale distingui ab alijs speciebus, cum quibus conueniebat secundùm commune genus. Ergo oportet omnino in omni specie differentiam cum genere designare. Et præterea manifesta inductione poterunt in omnibus speciebus differētiæ simul cum generibus inueniri. Vbi non dicimus differentiam debere esse hoc vel illo modo distinctam: sed de hoc postea disputabimus. Et fortasse Durandus solùm negare voluit differentiam à natura generis distinctam; & ideò in solis compositis illā concessit.

Possunt pluribus modis in vna specie designari.

Dico secundò. Necesse non est in omni specie genus & differentiam vno aliquo certo modo designari: quinimò potius possunt varijs modis constitui. Ita quòd non solùm vnum certum ac determinatum, sed plura & varia, scilicet vel vnum vel aliud quoddam prædicatum essentiale, potest pro genere proximo designari; & similiter vnum vel aliud pro differentia.

Hæc conclusio probatur primò, exemplis & inductione. Et in primis afferatur exemplum in hac re familiarissimum. Solet genus hominis assignari animal, & differētia rationale. At æquè benè potest genus hominis assignari substantia intellectualis, quod est ipsi commune cum Angelis: & deinde differentia potest assignari, esse discursiuum, vel esse corporeum, aut mortale, aut alia. Rursus genus animalis assignari solet corpus animatum seu viuens, in quo conuenit cum plantis differt ab Angelis. At æquè benè potest assignari viuens cognoscitiuum, in quo conuenit cum Angelis, differt à plantis: & differentia erit, esse sensitiuum, vel corporeum, aut mortale, aut alia. Et vt aliquod exemplum etiam in accidentibus afferatur. Solet assignari genus scientiæ habitus, in quo conuenit cum habitibus aliarum potētiarum, differt ab actibus intellectus: & differentia assignatur, intellectualis certus & euidens: At æquè benè potest assignari genus scientiæ qualitas intellectualis, in quo conuenit cum actibus intellectus, differt ab omnibus qualitatibus aliarum potētiarum: & differentia poterit assignari, habitualis, vt distinguatur ab actibus cum quibus in illo genere conueniebat. Et ita facillimè poterit in alijs omnium prædicamentorum speciebus obseruari.

Sicut idē genus potest pluribus modis diuidi.

Secundo. A paritate probatur quia si è conuerso incipiamus ab aliquo genere, hoc non vno solùm modo potest immediatè diuidi & contrahi, sed varijs modis per varias differentias. V. g. substantia vno modo diuiditur in incorpoream & corpoream: at alio modo immediatè diuidi potest in viuentem & non viuentem: alio modo in incorruptibilem & corruptibilem. Quantitas potest immediatè diuidi, vel in continuam & discre-

scretam, vel in permanentem & successiuam. Et cùm animal soleat vno modo diuidi in rationale & irrationale: Arist. 7. metaph. tex. 43. alio modo diuisit per differentias habentis & non habentis pedes; habentis & non habentis plumas: & in Antepræd. cap. 4. per gressibile & aquatile & volatile. Et passim plures varijque modi diuidendi vnum & idem genus inueniuntur. Generis ergo differentiæ & species immediatæ, non vno solo ac certo modo, sed pluribus ac varijs possunt designari. Pariter ergo genera & differentiæ specierum, non vno solo certo modo, sed pluribus ac varijs possunt. Imo ex varijs diuisionibus & partitionibus generum, necessariò suboriuntur plures ac varij modi, quibus genera & differentię specierum designari queant.

Et sicut varia sũt cõuenientia & distinctiones rerum.

Tertiò. A priori probatur quia vna, eademque species potest essentialiter conuenire & assimilari, vel in vna vel in alia ratione, cum alijs varijs speciebus: vt homo in virtute sentiendi conuenit cum brutis, in virtute intelligendi cum Angelis: & inter ipsa animalia conueniunt inter se illa quæ habent omnes sensus internos & externos, & alia quæ non habent omnes: illa quæ habent pedes, & alia quæ non habent: & plures huiusmodi conuenientiæ excogitari possunt; quæ sunt vtique essentiales, si referantur ad principium exigitiuum intimum ipsis rerum essentijs. Potest autem ab intellectu concipi omnis gradus essentialis, in quo plura conueniunt. Et gradus in quo conueniunt plures species, erit vtique genericus: præter quem oportebit assignare differentias per quas distinguantur illæ quæ in ipso genere conueniunt. Ergo iuxta has omnes varias cõuenientias vnius rei, cum vna, vel cum alia re; & varias distinctionis rationes, vel ab vna, vel ab alia: possunt varijs modis genera & differentiæ assignari, idest possunt varia prędicata essentialia pro generibus & differentijs singularum specierum constitui.

Vnde prædicamenta varijs modis coordinari possunt.

Atque hinc sequitur, reuera posse prædicamenta pluribus modis construi & ordinari. Porphyr. quidem vnum modum proposuit pro prædicamento substantiæ. Sed certè alij plures modi idonei esse possunt. Quare autem vno potius modo, quàm alio, singula prædicamenta disponantur; non alia potest esse ratio, nisi maioris commoditatis: assumendo scilicet diuisiones generum & specierum, vel notiores & frequentiores, vel magis aptas & idoneas ad distinctam rerum notitiam exhibẽdam: vel merum arbitrium. Quando verò Porphyr. dixit, speciei genus esse vnum, differentias plures: negare non voluit, genus vnum posse varijs modis assignari. Sed solùm docere voluit: quandocunquè prædicata essentialia speciei coniungimus, vnum quidem dici substantiuè, plura adiectiuè: vt homo est animal rationale mortale disciplinabile &c. Et ideò genus esse vnum, differentias plures. At poterant etiam alio modo prædicata essentialia hominis designari: est vniuens intellectuale discursiuum corporeum &c. Vbi rursus vnus est terminus substãtiuus, plures adiectiui; vnus dicitur in quid, plures in quales; vnum est genus, differentiæ plures.

Quomodo de rebus simplicibus differẽtiæ prædicentur.

Contra primam conclusionem obijcit 1. Durand. Differentia prædicatur in quale, & non in quid: sed nullum prædicatum essentiale in rebus simplicibus prædicatur in quale: ergo. Minorem probat, quia illud dicitur in quale, quod dicit partem & non totam essentiam: sed in simplicibus non sunt partes: ergo.

Respondetur primò. Non ideò prædicatum dici in quale, quia dicit partem: sed quia dicitur adiectiuè, etiam si dicat totum. Secundò in simplicibus non sunt partes physicæ: sed possunt esse metaphysicæ, idest gradus essentiales. Et certè etiam in compositis physicis, non ideò differentia dicitur in quale, quòd dicat partem physicam Et omnium etiam loquentium vsu exploratum est, non minus de rebus simplicibus, quàm compositis, plurima prædicata solere dici in quale adiectiuè.

Quomodo simul cũ generibus designentur.

Obijcit secundò. In rebus simplicibus non possunt differre conceptus speciei & differentiæ: non enim differunt vt totum & pars. Essent etiam æquè determinati: Ergo non est distinctè assignanda differentia in ipsa specie.

Respondetur. Possunt differre, vel vt totum & pars metaphysica, vel per conceptum implicitum & explicitum: siue sint æquè, siue non æquè determinati: sicut dicemus in sequentibus. Nec quicquam

quam

quam refert, num res sint physicè compositæ vel simplices.

Obijcit tertiò. Simplicia se ipsis constituuntur, & ab alijs distinguuntur: ergo non adsunt differentiæ quæ in illis designentur. Differentia enim non deseruit nisi ad constituendam & distinguendam speciem. Et demum addit Durand. nullus vnquam assignauit differentias accidentium: nec definitiones ex genere & differentia nisi in substantijs compositis.

Respondetur. Simplicia constitui & distingui se ipsis, idest non per partes physicas distinctas: benè tamen per gradus essentiales metaphysicos. Possunt demum, & passim solent, differentiæ & definitiones ex genere & differentia, non minus in rebus simplicibus, quàm in compositis assignari.

Quomodo species sit essentialiter vna. Obijcies deinde quartò contra secundam conclusionem. Nisi vnaquæque species habeat vnum tantùm certum genus certamque differentiam: erit veluti congeries quædam prædicatorum essentialium sine ordine & proportione. ergo non erit essentia verè & per se vna: sed potius erit velut accidentalis quidam aceruus, quod est prorsus absurdum. Sicut compositum physicum intantum est per se vnum, inquantum constat vna certa materia certaque forma: & alioqui esset aggregatum quoddam per accidens.

Respondetur. Negatur consequentia: quia prædicata essentialia non sunt partes ex natura rei distinctæ, vt ita debeant esse certæ, & vno tantum modo designatæ: sed solùm concipiuntur per diuersos actus intellectus; dum natura speciei, vel in vna vel in alia ratione assimilatur, vel cum vna vel cum alia natura: & sic etiam per vnam vel aliam rationem differt ab vna vel alia natura. Et hinc fit, vt formentur plures conceptus de prædicatis in quibus exercetur talis conuenientia vel differentia. Longè ergo diuersa ratio est de compositione physica & metaphysica. Neque multitudo prædicatorum essentialium obstat vnitati per se singularum specierum.

An infinitis modis possint genera & Obijcies quintò. Ex illa conclusione sequitur, posse pluribus & pluribus modis in infinitum sine termino genus & differentiam vnius speciei designari. Non enim certa aliqua ratione finiri & terminari poterunt. Ergo dantur infinita prædicata essentialia in vna specie, & potest in ijs procedi in infinitum. Quod planè est contra Aristot. 2. Metaph. cap. 2. Et omnino falsum. quia sic species constans tot prædicatis, esset infinitè perfecta, & haberet infinitas proprietates; & nunquam posset perfectè definiri atque cognosci: vt probant Suar. disp. 15. sect. 11. Fonseca & alij circa eum locum Aristotelis. *differentiæ designari.*

Respondetur. Tot modis posse genera & differentias in speciebus singulis designari, quot rationes conuenientiæ essentialis, atque distinctionis, respectu aliarum specierum siue existentium siue possibilium, in illis reperiuntur, & à nobis considerari possunt. Ac proinde si huiusmodi conceptus possunt in infinitum multiplicari & variari, etiam prædicata essentialia esse infinita, quæ per modum generis & differentiæ designari queant. Itaque cùm sub genere animalis, v. g. sint possibiles infinitæ species, si homo in quodam conceptu conuenit cum vna specie in quo differat ab alijs, in alio conceptu cum alijs speciebus, & sic de infinitis alijs speciebus possibilibus; sic etiam inter plantas, inter colores, inter substantias spirituales, & inter alias rerum species: sic inquam, non solùm non est absurdum, sed est necessarium concedere talem infinitatem. Et Aristot. ipse 3. Metaph. text. 10. infert, si differentiæ sunt rerum principia, sequi infinita etiam principia, & videtur intelligere infinita in vna re, supponens differentias esse infinitas.

Ad illum autem locum Arist. qui obijciebatur, dicendum est. Vel Arist. tantùm negare voluisse processum infinitum in prædicatis subordinatis, quorum vnum directè & adæquatè sub alio contineatur. Nam hoc modo certum est, dari supremum prædicatum & infimã speciem. Vel etiam negare voluisse infinitatem prædicatorum concomitantium, quatenus à nobis de facto cognosci & considerari possunt iuxta rerum species actu existentes. *Etiã infinita sint essentialia prædicata.*

Ad rationes dicendum, non sequi perfectionem infinitam: quia essentia tota rei est determinata & limitata intra latitudinem entis: licèt possit cum infinitis alijs

alijs essentijs varijs modis conuenire atque differre. Et si hanc quis velit dicere infinitatem, hæc non excedit limites entis creati & terminati, ad differentiam entis propriè & simpliciter infiniti per essentiam, qui est Deus. Nec etiam sequuntur proprietates infinitæ positiuæ: quia necesse non est, ad omnem conuenientiam essentialem consequi peculiarem proprietatem positiuam. possunt tamen admitti infinitæ negatiuæ, idest variæ negationes, quæ singulis prædicatis affigi possunt. Nec demum sequitur, rem non posse perfectè definiri & cognosci, eo modo qui intellectui humano debetur. Satis enim est, si cognoscamus prædicata, in quibus res côuenit vel differt respectu aliarum rerum quæ nobis notæ sunt. Licèt non cognoscamus adeò perfectè, etiam respectu rerum possibilium quas ignoramus. Vnde verum est, ab intellectu comprehendente has etiam res, longè exactiùs atque perfectiùs singula quæque cognosci.

SECTIO SECVNDA. *Vtrum Genus & Differentia debeant ex distinctis partibus, vel ex tota Speciei entitate desumi.*

Variæ sententiæ. DIuus Thomas 1. par. quæst. 50. art. 2. ad 1. 2. cont. Gent. cap. 95. de Ente & essentia cap. 3. & sequent. quæst. vnica de Spiritual. Creatur. art. 1. & alibi sæpè, Caiet. eod. Opusc. de Ente & essentia, Ferrar. eo loco cont. Gent. Soncin. 10. Metaph. q. 25. Masius sect. 2. de Differ. q. 5. Et alij Thomistæ asserunt, in corporibus ex materia & forma constantibus, genus à materia, differentiam à forma desumi: licèt in alijs rebus, siue substantijs, siue accidentibus, absque tali distinctione, tum genus tum differentia à tota entitate sumatur.

Fundatur hæc sent. in quibusdam loquendi modis Porphyr. cap. de Differ. & cap. vlt. §. de Discrimine generis & differ. atque Arist. 8. Met. cap. 2. & 3. qui genus appropriant materiæ, differentiã formæ. Afferunt etiam rationem, quia genus est potentiale quid, differentia est actus; sed materia est potentia, forma est actus: igitur in rebus ex materia & forma cõpositis, genus est à materia, differentia à forma. Omnis enim potentialitas oriri debet à materia, omnis actus à forma.

Aliqui vlteriùs voluerunt, quia plura sunt genera subalterna inter generalissimum & vltimam speciem, quæ omnia in ipsa specie adunantur: plures distingui debere formas substantiales, ex quibus illa genera, siue differẽtiæ subalternæ talium generum constitutiuæ, desumantur. Ita refertur sensisse Auiceb. in lib. Fontis vitæ, & quidam alij. Vel saltem quantùm ad aliquos gradus essentiales, aliqui posuerunt distinctas formas substantiales: videlicet formam corporeitatis propter gradum corporis substantialis; vnã animã vegetatiuam propter gradum viuentis, & aliam sensitiuam propter gradum animalis, & aliam rationalem propter gradum humanitatis in eadem specie humana.

Aliqui etiã Thomistæ dixerũt, in rebus nõ compositis ex materia & forma, saltẽ inueniri cõpositionem ex essentia & existentia: & ex his diuersis partibus, genus ab essentia, differentiã ab existentia deriuari: quia pariter essentia se hẽt vt quid potẽtiale, existẽtia tanquã vlt. actualitas. Ita significat Ferrar. ibi 2. cont. Gen. c. 95.

His omnibus opposita sententia docet, non posse genus & differentiam cum tali distributione ex diuersis partibus, specialiter genus ex materia, differentiam ex forma desumi: sed indifferenter omnia & singula prædicata desumi ex tota entitate physica speciei. Ita Alexan. lib. 2. Natural. quæstion. cap. vlt. Iacobus Pauesius disput. 2. Metaph. cap. 9. Suar. disput. 6. Met. sect. 11. Scot. q. 16. Vniuersal. Sanc. etiam quæst. 45. afferens plura loca D. Thom. pro hac parte, & alij cõmuniter hoc loco. Et satis clarè Arist. 7. Metaph. tex. 35. vbi ait: *Vniuersale totum quiddam est ex hac materia & hac forma tanquam vniuersali.* Vult ergo vniuersale, siue genus sit, siue differentia, sumi ex vtraque parte, idest ex tota entitate physica speciei.

Dico primò. Non repugnare prædicata essentialia sumi ex diuersis partibus physicis rei compositæ, ita vt possint de ipsa tota re affirmari, & possint per modũ generis & differentiæ assignari: & de facto assignari debent aliqua huiusmodi *Posiũt interdũ genus et differẽtia ex distinctis partibus desumi.*

modi prædicata. Probatur conclus. quia diuersis partibus physicis rei conueniunt fine dubio sua essentialia prædicata propria: materia enim habet sua essentialia prædicata, & forma pariter habet sua. Aliqua autem prædicata sunt, quæ ita dicuntur de ipsis partibus, vt non dicantur de toto: qualia sunt hæc ipsa prædicata, pars, materia, forma, & similia expresse denotantia rationem partis, & oppositionem quandam cum toto, vel cum alia parte. Alia prædicata sunt, quæ possunt etiam dici de toto: v.g. esse susceptiuum quantitatis & aliorum accidentium materialium, essentialiter conuenit materiæ, & ratione materiæ dicitur de toto composito, etiam in sententia eorum qui dicunt accidentia subiectari in sola materia. Similiter esse intellectiuum essentialiter conuenit animæ rationali, & est prædicatum illi commune cum Angelis, & ratione animæ rectè affirmatur de homine. Exemplum etiam clarissimum huius rei habetur in Christo, de quo dicuntur prædicata essentialia, tum Deitatis, tum humanitatis. Licet autem hæ duæ naturæ non dicantur partes, tamen verè dicuntur constituere & componere Christum.

Ex illis autem duobus prędicatis dictis de homine, potest vtique vnum pro genere, alterum pro differentia assignari. Vel constituendo intellectiuum pro genere communi cum Angelis, & susceptiuum quantitatis pro differentia ab illis distinctiua. Vel susceptiuum quantitatis pro genere communi cum alijs corporibus, & intellectiuum pro differentia ab ijs distinctiua. Neque huic conclus. repugnat Arist. loco allegato pro vltima sent. qui optimè intelligetur iuxta conclus. sequentem.

Regulariter ex tota Physica entitate sumuntur.

Dico secundò. Non esse necessarium, diuersa prædicata essentialia ex diuersis partibus desumi: quinimo non solùm in alijs rebus, sed etiam in substantijs compositis ex materia & forma, possunt & regulariter solent, genus & differentia ex tota physica entitate desumi. Probatur primò: quia in substantijs spiritualibus & in accidentibus non datur compositio ex materia & forma, & tamen datur genus & differentia: ergo non est necessaria hæc distinctio partium, ad hoc vt ex materia sumatur genus, & ex differentia forma. Vnde nec etiam in substantijs physicè compositis erit necessaria hæc distributio: sed poterunt hæc prædicata desumi ex tota physica entitate.

Secundò. Genus & differentia quæ assignari solent, regulariter dicunt totam entitatem physicam & omnes partes: ita vt in altera sola parte non inueniatur tale genus, talis differentia. Videlicet genus corporis seu compositi, & genus substantiæ totalis, vtique dicit totum compositum, totam physicam entitatem, nec plus ex vna quàm ex alia parte desumitur. Similiter animal, mixtum, elementum, & alia genera quæ in substantijs compositis inueniuntur, non saluantur in vna tantùm parte, in sola materia, sed in toto composito; vt patet. Sic etiam se habent vt plurimum differentiæ; quæ non vnam tantùm partem, non solam formam, sed totam physicam entitatem importare solent: quæ inquam non de ipsa forma per se sumpta, sed solùm de toto composito prædicantur.

Nō genus ex materia, differentia, ex forma.

Tertiò. Si genus sumitur à materia, differentia à forma: petendum est, vnde sumantur differentiæ constitutiuæ generum subalternorum, eorum scilicet quæ mediant inter genus generalissimum substantiæ & aliquam speciem infimam vt hominem. Vel enim sumuntur à forma: & sic solum genus generalissimum sumetur à materia, subalterna autem sumentur à forma, & ita non saluatur, gradus potentiales sumi à materia. Vel sumuntur à materia: & sic sola differentia vltima sumetur à forma, & omnia prorsus prædicata superiora sumentur à materia: in ijs tamen prædicatis continentur differentiæ subalternæ, quæ habent rationem actus respectu generum quæ contrahunt & determinant; habent etiam distinguere varias naturas, distinctio autem naturarum prouenire debet potius à forma quàm a materia. Et præsertim inductione potest ostendi, nec à materia, nec à forma, per se & singillatim desumi huiusmodi genera & differentias.

Nec alijs modis ex distinctis partibus.

Quartò. Falsum prorsus est, dari plures formas substantiales ex quibus diuersi gradus essentiales desumantur. Falsum, dari formam corporeitatis distinctam a singu-

singulis alijs formis. Falsum quoque, distingui in eodem viuente plures animas propter gradus illos subordinatos. quod totum in Philosophia ostendendum est. Falsum demum, genus sumi ab essentia, differentiam ab existentia. quia clarissimum est, non minus differentiam quàm genus, esse de essentia, esse gradum essentialem speciei. Et alijs rationibus ex toto processu huius materiæ, possunt ij omnes dicendi modi efficaciter impugnari.

Assimilantur tamē genus materiæ, & differētia formæ.

Ad auctoritates Porphyr. & Aristot. sensus est clarus. Solùm enim dixerunt, genus assimilari materiæ, differentiam formæ. Et S. Thom. ipse quandoquè hunc sensum expressit. Et hinc dictum videtur ab illis Auctoribus, genus sumi à materia differentiam à forma, solùm secundùm appropriationem & accomodationem quandam, ratione alicuius proportionis & similitudinis. Inde etiam factum est, vt genus acceperit nomen partis materialis, differētia nomē partis formalis, in constituenda essentia speciei.

Habent autem genus & differentia hanc proportionem & similitudinem cum materia & forma. Quia sicut materia est per se existens, forma verò recipitur in materia: ita genus concipitur tanquam per se existens, & dicitur in quid; differentia verò tanquam afficiens genus, & dicitur in quale. Sicut materia est in potentia ad formam: ita genus concipitur esse in potentia ad differentias per quas est aptum contrahi & determinari. Sicut materia respicit plures formas: ita genus plures differentias. Et sicut materia, vna cùm sit, trahitur ad diuersas essentias per diuersas formas: ita genus, quod in se concipitur vnum, contrahitur ad diuersas species per differentias. Et aliæ similes comparationes cogitari possunt.

Quæ tamen procedunt, non solùm in substantijs compositis, sed etiam in alijs, quæcunquè ex genere & differentia constant. Hoc autem discrimen potest assignari, quòd in substantijs compositis hæc similitudo est intrinseca, quatenus sumitur in ordine ad partes ipsis intrinsecas: in alijs rebus est extrinseca. Et ideò potius de illis dictum est, genus sumi à materia, differentiam à forma. Fatendum est etiam, quando idem essentialiter prædicatum potest sumi, vel vt genus, vel vt differentia, vt dicebamus sect. præcedenti; posse secundùm varias considerationes comparari, vel materiæ, vel formæ. Reuera autem maximè differt compositio metaphysica ex genere & differentia à compositione physica ex materia & forma: vt explicant Alens. loc. supra cit. Auerr. 1. Metaph com. 17. D. Thom. & Scot. 10. Metaph. tex. 24. Et est res clarissima.

Ad rationem demum illius sententiæ facilè patet, potentialitatem quidem physicam consistere in materia, actualitatem in forma. At gradus metaphysici, siue sumantur vt potentiales, siue vt actuales, non per hoc debent sumi potius à materia vel à forma. Sed solùm secundùm quandam proportionem assimilantur magis, vel materiæ, vel formæ. Cùm tamen realiter, non in diuersis partibus, sed in tota entitate physica speciei consistant.

SECTIO TERTIA.

An Differentia constitutiua speciei, esse debeat ei eiusquè generi propria.

Dvobus modis intelligi possunt se habere genus & differentia in constitutione speciei; vel ita vt differentia sit propria & adæquata tali speciei & generi, nulliquè alteri speciei in alio genere conueniat: vel ita vt sit magis ampla, & alijs etiam speciebus in alijs generibus conueniat; & non nisi tota combinatio, solaquè collectio, ex tali genere & differentia, sit propria & adæquata ipsi speciei. De qua re duæ oppositæ sententiæ extant.

Prima sētentia negat.

Vna docet, non dari differentias proprias, & singulis speciebus adæquatas: sed omnem differentiam esse pluribus speciebus communem. Ita Alex. 1. Top. cap. 3. circa med. Simplic. in Prædicam. com. 10. cum Iamblico quem refert, Boet. lib. 4. in Porphyr. suum explicans 2. definitionem differentiæ, & Dialogo 2. in Porphyr. Victorini circa initium, & lib Diuisionum cap. 4. Soncin. 4. Metaph. q. 2. art. 2. conclus. 1. Lincon. 2. Post. com. 30. Bur-

Burl.in cap.de Differ.& alij plures ibidẽ.

Hæc ipsa videtur aperta sent. Porphyr. non solùm quia differentiam definiuit, *quæ de pluribus differentibus specie prædicatur:* sed quia cap. de Spec. & cap. de Differ. duplicem differentiam assignat homini, rationale & mortale; rationale commune cum Angelis; mortale cum brutis. Et clarissimè cap.vlt. hoc discrimen assignat inter genus & differentiam, quòd genus quidem vnum est, differentiæ plures sunt in vna specie: planè supponens nullam differentiam per se sumptam esse propriam speciei.

Imo Arist. ipse perspicuè eandem sententiam docuit 1. Top cap. 3. & lib. 6. loco 34. & 41. concedens eandem differentiam in pluribus generibus inueniri. Et 2.Post. tex.17. alias 69.& 70. ait in definitionibus collocanda esse plura prædicata essentialia, quorum quodlibet extendatur in plus quam definitum, omnia verò simul sumpta adæquentur ipsi definito. Et affert exemplum: Ternarius definitur, numerus impar primus: impar enim conuenit alijs numeris imparibus, primus conuenit etiam binario: impar primus non est nisi ternarius.

Secunda affirmat. Alia sententia docet, differentias debere esse proprias & adæquatas suis speciebus quas constituunt, & generibus quæ diuidunt: ita vt non possint in alijs speciebus & generibus inueniri. Ita Auerr. 7.Metaph. com.42.& cap. vlt. Prædicab. in princ. D. Thom. 2. Post.lect.13. & 7. Met. lect.12. Bonau. in 2.d. 1. art.6.q.2. Albert.tract. 5. Prædicab. cap.6. Scot. q. 27. Vniuersal. Philopo. 1. Prior. cap. 1. com.4. & 5. Zabar.2.Post.tex. 70. Fons. 5. Metaph. cap. 28. q. 17. Suar. disp. 15. sect 11.num.23. Paulus Venet. Tolet. Sotus Masius Sanc. & alij in cap. de Differ. Adhæret etiam Boet.lib. 1. in Prædicam. com. 7. & de Diuisio. cap.4.

Atque Porphyr. ipse cap.vlt. agens de discrimine speciei & differ. ait: *Differẽtia in pluribus sæpe speciebus consideratur: Differentia de pluribus speciebus dicitur sæpe.* Vbi dicens sæpe, insinuat non semper. Et ita apertè declarauit in Prædicam. interrog. 38. Vbi, cùm quæsisset, num omnis differentia prædicetur de pluribus speciebus respondet: *Non ita planè; sed plerunque sic esse euenit.*

Arist. etiam 1. de Part. animal. cap. 2. agnoscit vnam solam differentiam ad speciei constitutionẽ & 7.Metaph. tex.42.& 43. apertè concedit differentias vltimas adæquatas speciebus. Et 6. Top. loc. 39. indicat aliquas differentias esse speciebus æquales, iuxta expos. Auerr. loco suo 5. de differentijs. Clarius 4. Top. loco 20. ait, aliam differentiam esse, quæ dicitur de pluribus quàm species; aliam, quæ de æqualibus, quæ conuertibilis est cum specie, eiquè adæquata. Et in Antepr. cap.4. docet, diuersorum generum diuersas esse species & differentias, quando vnum genus non est subalternatum alteri.

Pro resolutione Dico quasdam differentias esse adæquatas & proprias speciebus quas constituunt, & generibus quæ diuidunt: quasdam esse magis amplas, & in pluribus generibus inueniri. Probatur primò manifesta induct. & exẽplis, discurrendo per plures ac varias differentias assignari consuetas. *Quædam differẽtiæ sunt propriæ, quædam non.*

In genere viuentis, sensitiuum est differentia propria & adæquata animalis quæ est species illius generis: nec in alia specie vel genere inuenitur. In genere magnitudinis, longitudo sine latitudine est differentia propria & adæquata lineæ: longitudo cum latitudine & sine profunditate, propria superficiei. Et sic sunt aliæ plurimæ. Ex alia parte quãdo corpus substantiale diuiditur in viuẽs & nõ viuens, differentia viuentis est magis ampla, & reperitur in alia specie extra genus corporis, nempe in substantijs spiritualibus. Et quando quantitas continua diuiditur in permanentem & successiuam, & per has differentias constituuntur duæ species, magnitudo & tempus: hæ differentiæ reperiuntur etiam in genere quantitatis discretæ, ibiquè constituunt duas alias species, numerum & orationem. Habitus intellectualis sub genere habitus constituitur per differentiam intellectualis: & tamen hæc differentia conuenit etiam actibus intellectus. Et ita nec ratio habitus, nec ratio intellectualis, per se, est propria illi speciei: sed vna conuenit alijs habitibus, altera conuenit & actibus intellectus: sed tota combinatio est propria illi speciei. Nec oportet plura exempla congerere.

De

Rationalitas an sit propria hominis.

De rationalitatis differentia dubitari potest vtro modo se habeat. Porphy. planè illam facit non propriam homini, sed communem & Angelis. Imo cap. de Specie ponit in prædicam. substantiæ rationale animal tanquam genus. Et adijcit aliam differentiam mortalitatis, communem quidem brutis, ad distinguendum hominem ab Angelis. Alij defendere conantur, eam differentiam esse propriam homini: dicentes, non debere sumi rationale pro intellectiuo in communi, sed pro discursiuo, quia Angeli non per discursum intelligunt. At certè, etiam si Angeli intelligerent per discursum, adhuc homo differret ab Angelo: ergo non oportet sic illam differētiam explicare. Imo Scotus putat, Angelos discurrere. Et saltem ex parte id verum est: vt 1. part. tractabitur. Et adhuc vtique in tali sententia homo differt ab Angelo. Atque etiam, si possibilis est substantia spiritualis discursiua, adhuc vtique homo ab illa differt. Melius ergo dicetur, rationale sumi posse pro eo quod est intellectiuum per conuersionem ad phātasmata, seu dependenter à sensibus, siue per species acquisitas ministerio sensuum. Iuxta quod, si dicatur, esse discursiuum absolutè non posse vlli substantiæ merè spirituali etiā possibili conuenire. Id fundabitur in hoc quòd modus intelligendi per discursum, necessariò inuoluat dependentiam à cognitione sensitiua. Et ita in idē redit Rationale ergo sic explicatum, est differentia propria & adęquata homini: nec extra genus animalis inueniri potest: vt euidenter patet.

Possūt inueniri differētia propria, possunt sufficere communes.

Secūdò ratione probatur assertio, quia nullum impedimentum apparet in hoc, quominus ad distinguendam speciem ab alijs rebus, formetur talis conceptus, qui ita sit ei proprius & adæquatus vt nulli alteri rei conueniat. Etsi autem talis conceptus dicat totam rei essentiam: tamen quatenus magis explicitè dicens, & quatenus formans prædicatum quod essentialiter affirmatur de ipsa re, & quatenus per coniunctionem cùm genere prædicatur in quale: vt sic optimè dicitur differentia. Ex alia parte nihil etiam obstat, quominus in vna specie intelligantur plura prædicata, quorum quodlibet per se in plus se habeat quàm ipsa species: simul tamen iuncta conuertantur cum ipsa specie. Et hoc modo species intelligitur optimè differre ab omnibus alijs. Nam ab illis cum quibus conuenit per vnum prædicatum, differt per aliud. Et illud prædicatum quod dicitur adiectiuè, appellabitur differentia: cui sufficiet quòd distinguat speciem ab alijs speciebus, cū quibus conueniebat per genus præuium: quamuis faciat eam conuenire cum alijs rebus, à quibus tamen supponebatur distingui per ipsum genus.

Differētia communis, quo per ipsum genus determinetur ad speciē.

Tertiò. Non benè conantur aliqui defendere, etiam quando differentia quæ additur generi, videtur in plus extendi, esse adhuc propriam & adæquatam tali speciei & generi: dicentes, non debere sumi in tota sua amplitudine & communitate, sed sub ratione magis propria & determinata. v. g. successionem quæ est differentia constitutiua temporis, esse talem successionem, quæ non est communis orationi sub genere quantitatis discretæ: & saltem determinari per hoc quòd dicere valeat, esse talem successionem quæ exigat affigi quantitati continuæ: & sic esse omnino propriam suæ speciei temporis, & suo generi quantitatis continuæ. Hoc, inquam, non benè dicitur. quia vel intelligitur illa differentia solùm determinari per ipsummet genus cui adiungitur, videlicet dicendo successio continua: vel per aliquam aliam peculiarem rationem inclusam in conceptu differentiæ, etiam vt præcisa ab ipso genere.

Si dicatur primum. Hoc planè est quod intendimus; scilicet differentiam vt præcisam ab illo genere, esse communem alteri speciei & generi, determinari autē ad hanc vel illam speciem per hoc vel illud genus. Sicut prorsus ipsum genus in sua quidem præcisione est coe pluribus: sed in sua contractione determinatur per hanc vel illam differētiam. Si dicatur secundum. Est prorsus falsum. Nam differētia vt præcisa ab illo genere, v. g. successio à quantitate continua, est prorsus indifferens ad quantitatem cōtinuam & discretam: nihilquè peculiare in suo conceptu includit, quo determinetur ad quantitatem continuam potius quam discretam, ad tempus potius quam ad orationem: sed non nisi per ipsam

continuationem determinatur. Sicut è conuerso ratio ipsa continuationis, per nullam aliam rationem determinatur ad speciem temporis, nisi per ipsam successionem. Et, cùm inter has rationes, non sit distinctio à parte rei, sed tantùm per rationem: non potest dici differentia, v. g. successio, determinari per hoc quòd sit talis successio exigitiua continuationis. Sicut è conuerso continuatio quæ ponebatur loco generis, non potest dici determinari per hoc quod sit exigitiua successionis. Sed vna ex his rationibus, non determinatur, nisi formaliter per alteram. Et, si sumantur prout vna præscindit ab alia, non sunt determinatæ, sed indifferentes.

Quæ differentiæ sint propriæ, quæ communes.

Quartò deinde pro exacta notitia huius rei, superest explicandum, quænam differentiæ sint propriæ & adæquatæ suis speciebus, quæ verò magis amplæ & communes. Aliqui significant, omnes species subalternas constitui differentijs sibi proprijs & adæquatis, species verò infimas constitui per collectionem differentiarum subalternarum. Verùm hoc non benè dicitur, quin potius sæpè etiam species subalternæ explicantur per plures differentias communiores, & species aliquæ infimæ per differentias sibi adæquatas. Vt patet in exemplis allatis, & in alijs plurimis. Hinc alij dixerunt, nullam certam regulam tradi posse. Sed in quibusdam speciebus inueniri differentias proprias, in quibusdam non inueniri, pro varia natura & conditione ipsarum specierum, in ipsis singulis obseruanda.

Attamen si res penitus inspiciatur, certa & constans regula apparebit. Quandocunque differentia ita accipitur, vt perfectè præscindat & non includat in conceptu suo essentiali genus: tunc potest extra tale genus inueniri; atque adeò non est propria speciei quam sub tali genere constituit. Quandocunque autem non perfectè præscindit, sed includit in suo conceptu essentiali ipsum genus: tunc non potest extra tale genus inueniri; atque adeò est propria speciei quam sub tali genere constituit. Cæterùm hoc prorsus dependet ex dicendis de distinctione & præcisione differentiæ à genere: & ex ijs perspicuè apparebit.

Loca Porphyr. & Arist. conciliantur.

Quintò, Iuxta resolutionem traditam, & regulam indicatam, debent accipi & conciliari loca Porphyrij & Aristotelis, quæ pro vtraque sententia afferebantur. Quæ sic efficaciter confirmant nostram sententiam. Et licèt aliqui Auctores secundæ sententiæ, explicare tentauerint loca primæ sententiæ, non de differentijs essentialibus, sed accidentalibus aliisuè modis. Tamen adeò manifestus est sensus de differentijs essentialibus; & adeò manifestè in illis locis assignantur differentiæ communiores speciebus, sicut in alijs locis secundæ sententiæ assignantur differentiæ propriæ speciebus: vt superfluum esset in ijs expendendis amplius immorari.

Quomodo species cõstituatur per cõiunctionẽ plurium prædicatorũ communium.

Sed objicies primò ad probandum, omnem differentiam debere esse propriam speciei quam constituit. Species vltimò completur per differentiam. & ita constituitur vt distinguatur ab omnibus alijs, atque species specialissima non possit diuidi in plures species: ergo ipsa differentia quæ dat hos effectus formales speciei, debet omnino esse propria illi, & non communicabilis alijs, nec diuisibilis in plures species.

Respondetur. Speciem ita vltimò constitui per differentiam, vt non per ipsam solam debeat distingui ab omnibus alijs: sed sufficit, si per eam distinguatur ab alijs sub eodem genere contentis: per ipsam autem combinationem generis & differẽtiæ distinguatur ab omnibus prorsus alijs speciebus. Per quam similiter combinationem, species specialissima constituitur indiuisibilis in plures alias species: quamuis singula prædicata essentialia eius, sint communia ipsi & alijs speciebus.

Quomodo differẽtia contrahẽs genus con trahatur per genus.

Objicies secundò. Si differentia non est propria speciei quam constituit: ergo debet determinari & contrahi: sed non apparet per quam aliam differentiam contrahatur. Nec dici potest determinari per genus cui adiungitur. Nam potius differentia contrahit & determinat genus. Vnde idem respectu eiusdem esset contrahens & contractum, esset minus commune & magis commune, esset veluti forma & veluti materia, esset actus & potentia, esset posterius & prius, esset differentia, & genus.

quæ

quæ planè repugnare videntur.

Respondetur. Nullū esse inconueniens, duo prædicata communia mutuò se determinare. Quod sanè manifestum est in exemplis allatis. Et à priori patet: quia hæc determinatio non est aliquis actus seu causalitas realis: sed est quidam conceptus nostræ mentis, qui pro vtraque parte exerceri potest, cum non minori fundamento ex vna quàm ex altera parte. Et sic etiam verum est, vnum esse magis & minus commune altero, tamen respectu diuersorum. quia, v.g. successio conuenit alteri speciei cui non conuenit continuitas, & continuitas alteri cui non conuenit successio. Potest etiam mutuò, vel vnum vel aliud, prius concipi per modum materiæ & potentiæ, & aliud per modum formæ & actus. Et sic demum per modum generis & differentiæ iuxta doctrinam antea traditam.

Quomodo plures differētia subalternæ constituāt speciem vnam.

Obijcies tertiò. Non potest species constitui essentialiter per plures differentias, siue per combinationem earum: sed debet constitui per vnicam differentiam, atque adeo sibi adæquatam. Tum quia, vt indicat S. Thom. 2. Post. lect. 13. differentia se habet ad genus, sicut forma ad materiam: sed non potest ex multiplici forma constitui vna essentia. Tum quia essentia constituta ex duplici differentia subalterna, non esset in se vna species, sed esset coniunctio duplicis speciei subalternæ. Tum quia species habet suam vnicam proprietatem sibi adæquatam: proprietas autem nascitur ex differentia: ergo species supponitur constitui per vnicam adæquatam differentiam.

Respondetur. Non in omnibus valere comparationem materiæ & formæ. Nam certè in compositione metaphysica plura genera & differentiæ saltem subalternatim cogitantur, ac etiam non subalternatim ex dictis sect. præced. Et ratio est clara: quia materia & forma realiter sunt partes, quæ realiter distinguuntur: at prædicata essentialia cogitantur secundùm conuenientiam vel differentiam variarum rerum. Et essentia sic constituta, est verè vna species, licèt dicatur constare ex duplici specie seu differentia subalterna. Ad eamque benè potest consequi peculiaris proprietas; consurgens, non ex vna sola differentia, sed ex collectione talium prædicatorum essentialium. Vt risibilitas in homine sequitur ex coniunctione gradus intellectiui cum sensitiuo in corpore idoneo ad talem operationem. Et postremò non negamus, differentiam posse adæquatè ita designari, vt sit propria speciei: si videlicet sumatur includendo omnia prædicata essentialia. Sic enim est proprijssima & adæquata ratio speciei.

Differenti propria quomodo verè sit differētia.

Obijcies hinc quartò pro parte opposita. Si non aliter datur differentia propria speciei, nisi includendo omnia prædicata essentialia: hæc non erit differentia. Nam differentia concipitur tanquam pars metaphysica superaddita generi.

Respondetur. Rectè sequi, non dari talem differentiam, quæ sit solùm pars non dicens totam essentiam, & non includens alia prædicata, quæ sit propria & adæquata speciei. Tamen appellando differentiam, etiā illam, quæ licèt dicat totam essentiam, prædicatur in quale, & concipitur contrahere genus, & distinguere speciem ab alijs, intercedente aliqua distinctione inter talem differentiam & genus & speciem, saltem in modo concipiendi: in hoc sensu solùm asserimus, dari differentias proprias & adæquatas suis speciebus, iuxta ea quæ dicemus de distinctione & præcisione differentiæ à natura generica.

Num omnis species habeat suam vnā differētiā. propriam & plures communes.

Obijcies quintò. Hac ratione dici non poterit aliquas species constitui per differentias proprias, aliquas vero per cōbinationem differentiarum communium: sed potius in vnaquaq. specie poterunt, & plures differentiæ communes, & vna propria includens omnia prædicata, designari.

Respondetur primò. Id non esse contra nos. Non enim dicimus quasdam species constitui vno, quasdam alio modo: sed quasdā differētias se habere vno, quasdam alio modo, quod potest optimè intelligi respectu singularum specierum. Secundò. Aliquod discrimen in tanta specierū multitudine inuenitur, quòd in quibusdam solent communi vsu & explicatione apponi differentiæ propriæ, in quibusdam communes: vt in varijs exemplis considerari potest. Item quòd interdum non potest aliter differentia veri ge-

netis ad certam speciem assignari, nisi quæ sit adæquata & propria: v. g. viuentis ad animal, magnitudinis ad lineam, & alijs huiusmodi. Licèt in alijs assignetur differentia magis ampla & communis. Demum in quibusdam rebus habentur nomina simplicia adiectiua, quæ significant differentias adæquatas, vtpotè significantia totam essentiam speciei: & tunc assignari dicitur vna differentia: vt sensitiuum in animali. In quibusdam autem non habentur talia nomina: sed oportet plura coniungere ad indicandam rationem propriam speciei: vt Porphyr. dixit in homine, rationale mortale: & Aristot. in ternario, impar primus: & in tempore oportet dicere, quantitatem continuam successiuam. Et tunc dicuntur plures differentiæ assignari.

SECTIO QVARTA.

An Genus & Differentia in constitutione Speciei, distinguantur à parte rei, vel tantùm ratione.

Prima sententia. PRima sententia est, quæ affirmat distingui à parte rei. Et quidem Auicebron in libro Fontis vitæ, relatus à D. Thoma 1. par. quæst. 50. art. 2. & Iand. 2. Met. q. 9. significant, distingui realiter, tanquam vnam rem ab alia re. Scot. verò in 2. dist. 3. q. 1. & 7. Met. q. 16. quē Scotistæ sequuntur, vult distingui minùs quā realiter, distingui scilicet formaliter à parte rei, idest tanquam duas formalitates eiusdem rei. Sequitur Fons. 7. Met. cap. 12. q. vnica. sect. 11. & seq. Imo hanc sententiam attribuit S. Tho. & cum eo affert Caiet. & Ferr. Satis tamen notum est, quàm sit aliena hæc sent. à mente D. Tho. & Thomistarum, qui nè nomen quidem distinctionis formalis à parte rei agnoscunt; sed assignant distinctionem rationis in conceptibus intellectus.

Secunda sententia. Secunda sententia est, quæ negat omnem prorsus distinctionem, etiam rationis, inter genus & differentiam. Hæc tribuitur Nominalibus, qui prorsus vniuersalia genera & differentias negare videbantur.

Tertia sententia. Tertia media sent. est, quæ negat genus & differentiam distingui à parte rei: affirmat ratione distingui per intellectū cum fundamento in re. Ita planè S. Tho. 1. par. q. 50 art. 2. & q. 76. art. 3. ad 4. de Ente & essen. cap. 3. & 4. Ibiquè Caiet. Durand. in 1. d. 2. q. 2. nu. 6. & 8. Herueus quodl. 1. q. 9. Capreol. in 1. d 8. q. 2. art. 3. Ferrar. 1. contra Gen. cap. 24. §. ad euidentiam, & lib. 2 cap. 95. Soncin. 7. Met. q. 36. Iauell. q. 18. Masius sect. 2. de Differ. q 4. & alij Thomistæ cōmuniter. Itē Suessan. 7. Met. disp. 15. Suar. disp. 6. Met. sect. 9. Vasq. 1. par. disp. 179. num. 2. & disput. 118. nu. 14. Refertur etiam Alens. 7. Metaph tex. 11. Alijquè vt plurimùm hanc sententiam approbant.

Quædam prædicata essentialia distinguuntur realiter. Dico primò. In quibusdam rebus quædam prædicata essentialia, quæ possunt pro generibus & differentijs assignari, distinguuntur à parte rei realiter. Hæc conclusio in sensu quem intendimus non est contra communem sententiam: imo negari non potest. Explicatur & probatur: quia in illis rebus quæ essentialiter & realiter ex partibus physicis componuntur, possunt considerari plura prædicata essentialia, ratione diuersarum partium, vt dicebamus sect. 2. Et hæc prædicata ita distinguuntur, sicut ipsæ partes ex quibus desumuntur. Exemplum manifestum est in homine inter illa duo prædicata, esse susceptiuum quantitatis, & intellectiuum; vnum sumptum ex materia, aliud ex forma. Eam ergo distinctionem quam in homine habent materia & anima, habent hæc duo prædicata, distinctionem vtique realem. Et sicut ipsæ partes sunt realiter separabiles: ita & hæc prædicata. Et sicut vna ex his partibus potest in aliud compositum transferri, dum materia transit de vna ad aliam formam: ita idem prædicatum ex tali parte desumptum, potest de vno ad aliud compositum transferri. Possunt autem ea prædicata respectu ipsius hominis designari per modum generis & differentiæ, sicut alia similia prædicata.

Sed non propterea putandum est, hæc prædicata non aliter contrahi, nec per alias differentias, nisi per mutuam coniunctionem. Quinimò, cùm possint inter se separari, & separata existere: necesse est dicere, vnumquodque habere suam

suam differentiam & contractionem propriam & inseparabilem. Ac proinde communis adhuc superest difficultas, quomodo in omnibus rebus genus & differentia distinguantur.

Absolutè genus & differẽtia non distinguuntur à parte rei.

Dico secundò. Genus & differentia in constitutione speciei, nullo modo distinguuntur actu à parte rei. Probatur primò ex dictis quæstione nona, vbi ostẽdimus, differentias indiuiduantes non distingui à parte rei à natura vniuersali. Idem enim nunc dicere oportet de differentijs specificis respectu naturæ genericæ. Tum quia par est prorsus ratio. Tum quia cùm omnes gradus essentiales, omniaq. essentialia prædicata, sint omnino idem cum vltima singularitate indiuidui: debent esse etiam inter se omnino idem à parte rei. Nam quæ sunt eadem vni tertio, sunt idem inter se.

Secundò ex dictis quæst. 8. de Vniuersali, naturam non habere à parte rei vnitatem indiuisionis in pluribus, & aptitudinem essendi per modum vnius in pluribus; imo esse omnino multiplicem & diuisam à parte rei. Sed certè natura multiplicatur & diuiditur per differentias: ergo non potest dici distingui ex natura rei à differentijs. Confirmatur. Si natura generis distinguitur à sua differentia: petendum est, num animalitas quæ est in homine, secundùm illam entitatem qua dicitur distingui à rationalitate, sit à parte rei determinata, & distincta ab animalitate quæ est in equo, vel indifferens & non distincta. Si dicatur primum: planè sequitur, in ea formalitate dicere differentiam determinantem & distinguentem, atque adeò non ab ea distingui à parte rei. Secundum dici nõn potest. quia vtique entitas ipsa animalitatis quæ est in homine, prout est à parte rei, est reuera distincta ab animalitate equi, & est in se determinata. Non ergo cogitanda est distinctio à parte rei inter genus & differentiam.

Nec realiter, nec modaliter, nec formaliter.

Tertiò. Genus & differentia dici certè non possunt distingui realiter tanquam duæ res, siue modaliter tanquam res & modus: vt notissimum est. Nec verò addi debet aliud genus distinctionis à parte rei, quæ dicatur distinctio formalis: nec dici debent genus & differentia distingui formaliter à parte rei. Quia ex tali distinctione inferretur potius distinctio realis. Tum quia illæ duæ formalitates essent veræ res: ergo distinguuntur tanquam duæ res. Quamuis vniantur in vna re composita. Nam materia & forma vniuntur in eodem composito, & adhuc distinguuntur realiter. Tum præterea si illi duo gradus habent distinctas formalitates essentiales siue essentias à parte rei: ergo habent etiam distinctas existentias siue entitates actuales. Existentia enim seu entitas actualis est ipsa essentia posita in actu, vt nunc supponimus. Dum ergo species actu existit, darentur in illa duæ entitates actuales distinctæ, generis & differentiæ. Quod quidem vltro concedit Fonseca sectione decimaquarta ad primum. Sed hinc sequitur, tales gradus non solùm distingui formaliter ratione essentiæ, sed etiam realiter ratione existentiæ. Ex qua distinctione existentiæ potest vlterius inferri, posse saltem per Dei potentiã realiter separari. quod prorsus implicat.

Sicut nec alia similia distinguuntur.

Quartò vlterius, si in essentijs creatis distinguerentur à parte rei prædicata essentialia, ob diuersam rationem eorum, & quia veluti diuersa munera exercent: non minori, imò maiori necessitate, oporteret concedere similem distinctionem in Deo inter attributa Diuina, & essentiam ac relationes. Vbi Scotus quidem & sequaces id totum asserunt. Sed contra communem sensum aliorum Theologorum, & contra debitum sentiendi modum de simplicitate Diuina. Imò Auerroes ipse 12. Metaph. com. 39. in fine, dixit, distinctionem & multiplicationem attributorum Dei esse tantùm in intellectu, & non in esse. Insuper Scot. eam distinctionẽ quam posuit in essentijs specificis inter genus & differentiam, posuit etiã in summis generibus inter ipsum ens & differentias contractiuas entis. Quod communiter à reliquis Philosophis reprobatur. Sed sanè si quæ ratio probaret distinctionem in alijs, probaret etiam in his: ergo in omnibus est neganda distinctio. Et malè Fonseca, cùm in alijs neget cum communi sententia, concedit inter genera & differentias, cum Scoto.

Postremò ex solutione argumentorum quæ probare possunt distinctionem: cùm alioqui non oporteat sine vrgenti ratione illam inuehere: & à fortiori ex alijs quæ dicemus sect. seq. circa distinctionem rationis: hæc veritas amplius confirmata manebit.

Genus & differẽtia distinguũtur ratione cũ fundamento in re.

Dico tertiò. Debet inter prædicata essentialia, genus & differentiam, concedi aliqua distinctio rationis cum fundamento in re. Probatur facilè. Tùm ex hactenus dictis. quia aliter constare non possunt vniuersalia, eorum præcisiones, & contractiones, sine hac saltem distinctione. Tum quia experientia ipsa constat concipi à nobis diuersis actibus & conceptibus prædicata essentialia rerum, sensitiuum & intellectiuum in homine, esse viuens & esse corporeum, animal in communi, & tale animal in speciali, & sic de alijs. Tum quia ideò dicimus, vnam speciem in vno prædicato conuenire cum alia specie, per aliud prædicatum differre, & similia; quæ planè ostẽdunt distinctionem nostrorum conceptuum. Tum demum hoc totum habet fundamentum in ipsa similitudine reali, & distinctione rerum, & in ipsa essentiali ratione prædicatorum. Ideò genus & differentia dicuntur distingui, si non actualiter, saltem fundamentaliter & virtualiter in re.

Porph. & Arist. explicãtur.

Contra secundam conclusionem. Obijcies primò. Porphyrius dixit, differentiam esse, qua species superabundat generi: quod debet intelligi re ipsa: ergo differentia re ipsa distinguitur à genere, eiquè additur. Aristot. 7. Metaph. textu 37. dixit, partes definitionis correspondere partibus definiti: hæ autem partes vtique sunt genus & differentia. Et non solùm sunt partes in definitione, idest in nostro conceptu: sed in definito, idest in re. Et tex. 42. & 43. diligenter quærit, quomodo ex genere & differentia fiat essentia & definitio vna. Et explicat, quia illa se habent tanquam materia & forma. Esset autem quæstio inutilis, & responsio falsa; si genus & differentia non à parte rei distinguerentur.

Respondetur, dictum Porphyrij sufficienter intelligi per distinctionem nostrorum conceptuum cum fundamento in re. Sic etiam dictum Aristotelis de partibus definitionis & definiti. quia distinctio partium formaliter est in intellectu definiente, fundamentaliter in re definita. Sic demum intelligitur quæstio illa & responsio de vnitate essentiæ. Nec enim inutiliter quærebatur, quod nondum constabat. Et comparatio cum materia & forma intelligitur secundùm habitudinem rationis, quia differentia concipitur actuare & determinare genus. Imo potius Arist. ibi voluit, interdum dum assignatur genus, assignari id quod est materia physica: vt vox est materia diuersarum modificationum, quæ in varijs vocibus contingunt. Et ita exponit ibi S. Thom. alijquè frequenter.

Fundamẽtum Scoti soluitur.

Obijcies secundò fundamentum Scoti. Natura communis & differentia contrahens habent diuersas rationes essentiales: alia est enim ratio sensitiui, & alia rationalis in homine; & vna non est de essentia alterius; quia sic vbicunque esset ratio sensitiui, esset etiam rationalitas. Idquè totum verificatur à parte rei. At hæc propriè est distinctio formalis à parte rei: ergo.

Respondetur. A parte rei quidem dari omnes has rationes in essentijs rerum: tamen non à parte rei hanc esse aliam, idest distinctam ab illa. Quinimo à parte rei sunt vna simplex entitas, in qua deinde per plures conceptus, intellectus distinctè recogitat illas rationes in vna essentia. Adeò vt vbicunque est illa ratio sensitiui quæ in alijs animalibus reperitur; omninò sit etiam rationalitas. Tamen prout distinguuntur in mente, potest fieri, vt vna ratio non sit de essentia alterius, idest in conceptu vnius non includatur conceptus alterius. Atque etiã dici potest, vna ratio non est de essentia alterius à parte rei, idest res ipsa non affert necessitatem intellectui, vt vno cõceptu complectatur omnia, imò potiùs præbet fundamentum, vt formentur distincti conceptus.

Alia argumenta soluũtur.

Obijcies tertiò. Per gradum genericum natura specifica conuenit cum alia specie eiusdem generis: per differentiam autem differt. Et verè à parte rei conuenit & differt. Sed non potest per vnam simplicem entitatem à parte rei conuenire simul & differre. Ergo à parte rei sunt distinctæ formalitates.


Respon-

Respondetur, à parte rei conuenit, idest assimilatur: & differt, idest, distinguitur. Hoc autem totum potest optimè præstari per vnam simplicem entitatem: maximè fundamentaliter & virtualiter multiplicem.

Obijcies quartò. Si distinctio generis & differentiæ non est plusquàm rationis, posset etiam reperiri in Deo, in quo sine difficultate concedi solet distinctio rationis. Communiter tamen negatur in Deo compositio ex genere & differentia. Item frustra dicerentur genera summa, & differentiæ vltimæ rerum, simpliciter simplices, eo quòd non constent genere & differentia. Nam distinctio rationis non repugnat perfectæ simplicitati. Præterea non satis distingui possent vniuoca & analoga. Quoniam etiam in analogis non repugnabit inueniri naturam communem & differentias contrahentes cum sola distinctione rationis. Et destrui videtur vniuocatio naturæ communis, si à parte rei non sit ita vna vt à differentijs distinguatur.

Respondetur. Imo si distinctio generis & differentiæ est plusquàm rationis, deberet etiam in his alijs reperiri: quia alia argumenta allata, pariter de ijs possunt vrgeri. Non ergo ob distinctionem generis & differentiæ, sed ob aliam peculiarem rationem, negantur in Deo genus & differentia: vt suo loco videbimus. Genera autem summa & differentiæ vltimæ dici solent ita simplices, vt etiam compositionem rationis per distinctionem conceptuum non admittant. Idquè propter ipsam maximam abstractionem. Denique vniuoca ab analogis, non differunt per distinctionem à parte rei inter naturam communem & differentias, sed alio modo postea explicando. Neque destruitur vniuocatio, quæ dicere debet vnitatem naturæ solùm per rationem, dum negatur illa distinctio à parte rei.

Alia adhuc argumenta congerit Fonseca, quæ nullam afferunt nouam difficultatem. Sed omnia ex dictis soluta manent.



SECTIO QVINTA.

Vtrum Genus & Differentia distinguantur perfecta vel imperfecta præcisione rationis.

CVm duplex esse possit distinctio & præcisio rationis, perfecta, & imperfecta; vt explicauimus q. 8. sect. 8. & cùm modò statutum sit, genus & differentiam non à parte rei, sed tantùm ratione distingui: videndum consequenter est, perfectanè, an solùm imperfecta præcisione rationis distinguantur.

Et in primis præter Scotum & alios quosdam, qui dicentes, etiam Ens in communi perfectè præscindere ab omnibus entibus, sensisse videntur, omnem naturam communem in qua plura cõueniunt, debere perfectè præscindere à differentijs contrahentibus, ita vt sit extra conceptum essentialem earum: Communis valde & recepta sententia est, saltem omnem naturam quæ sit propriè vniuersalis, & maximè omnem naturam genericam, sumendo genus quod primum ex quinque vniuersalibus assignatur, & sumendo illas naturas genericas per quas prædicamenta construuntur & ordinantur, debere omnino perfectè præscindere à differentijs contrahentibus: ita vt ipsi naturæ genericæ intelligantur addi vlteriores differentiæ non includentes in suo essentiali conceptu eandem ipsam naturam genericam. Et alioqui omne illud prædicatum quod non ita perfectè præscindat, non esse genus, non esse vniuocum, sed esse analogum, non poni in prædicamentis, nec inter propriè dicta vniuersalia computari. *Sententia affirmans perfectè præscindere.*

Ita communiter sentire solent ij qui de vniuersalibus tractant. Et multi sunt qui expresè docent, differentias specierum inferiorum non posse includere in suo conceptu differentias constitutiuas generum superiorum, siue differentias specificas nõ includere subalternas, item differentias esse simplices, esse primò diuersas, non distingui per alias differentias. Ita S. Thom. 1. par. q. 3. art. 8. ad 3. & 1. cont. Gent. cap. 17. Capreol. in 1.

 d. 2.

d. 2. quæst. 2. Gabr. Zerbus 7. Metaphyſ. quæſt. 16. Sueſſan. diſput. 16. Fonſec. 5. Metaphyſ. cap. 28. quæſt. 18. Suarez diſput. 6. ſect. 9 Maſius ſect. 2. de Differen. quæſt. 3. Ruuius quæſt. 5. & alij frequenter hoc loco.

Sententia negãs perfectè præſcindere. Oppoſita ſententia eſſe poteſt, omnem naturam communem à ſuis inferioribus, & omne genus à ſuis differentijs, non poſſe perfectè, ſed tantùm imperfectè præſcindere: ita vt eſſentialiter includatur in omnibus differentijs & formalitatibus, quæ in ipſis inferioribus excogitari poſſunt. Ita videntur ſentire Auctores, dum docent, genus eſſe totam eſſentiam ſpecierum, & in confuſo atque implicitè continere omnes differentias ſpecierum. Non dicunt ſolùm continere poteſtatiuè, ſed ſignificant actualiter continere, non explicitè, ſed implicitè. Et ita planè loquutus eſt S. Thomas 7. Metaph. lect. 12. par. 5. & cap. 3. de Ente & eſſen. vbi idem ſæpè repetit: & pariter ait, differentiam non addi quaſi eſſentiam diuerſam à genere, ſed etiam ipſam differentiam importare totam eſſentiam ſpeciei. Idem docet cap. 4. Et alij plures ſic loquuti ſunt. Item alij qui dicunt, differentias ſpecificas includere in ſuo conceptu eſſentiali ſubalternas, ſiue omnes ſuperiores. quod defendit Sôcin. 7. Met. quæſt. 37. qui etiam quæſt. 39. ait, tàm genus, quàm differentiam, dicere totam eſſentiam ſpeciei: ſed diuerſo modo, genus confuſè, differentiam diſtinctè. Et aliqui recentiores hoc loco idem defendere ſolent.

Inter genera & differentias non proprias datur perfecta præciſio. Dico primò. Aliqua prædicata eſſentialia ſunt, quæ perfecta præciſione rationis ab inuicem diſtinguuntur, & per modum generis & differentiæ deſignari poſſunt. Hæc concluſio verificatur in illis prædicatis, quorum vtrunque poteſt mutuò alterum ſine altero reperiri, & ambo ſe habent ſicut excedens & exceſſum. id eſt, quando ſicut genus poteſt in alia ſpecie, & ſine tali differentia reperiri, ita è contra differentia non eſt propria ipſi generi, & adæquata certæ ſpeciei ſub tali genere. ſed in alio etiam genere reperitur. De his prædicatis probatur planè concluſio. quia cùm differentia poſſit in alio genere reperiri, non poteſt eſſentialiter in ſuo cõceptu includere illud primum genus: ſicut genus, cùm poſſit in pluribus ſpeciebus inueniri, non poteſt includere in ſuo conceptu eſſentialiter vnam vel aliam ſpeciem. Exemplum perſpicuum huius rei ſit in homine inter ſenſitiuum & intellectiuum, quæ ambo ſunt prædicata eſſentialia eius, & poteſt alterum pro genere, alterum pro differentia deſignari. Et vnum ab alio ita perfectè præſcindit, quòd neutrum includat alterum in ſuo conceptu eſſentiali: dum ſenſitiuum reperiri poteſt etiam in brutis quæ non intelligunt, & intellectiuum in Angelis qui non ſentiunt.

Inter genera & differentias proprias non datur perfecta præciſio. Dico ſecundò. Quandocunque differentia eſt propria certæ naturæ communi, ſeu certo generi, non diſtinguitur perfecta præciſione rationis, quinimò includit in ſuo conceptu eſſentiali ipſam naturam communem. Atq. hoc non repugnat vniuerſalitati genericæ ipſius naturæ, imo verificatur etiam in illis generibus quæ in prædicamentis diſponuntur.

Ariſt. auctoritate probatur. Probatur concluſio primò auctoritate Ariſt. qui hanc veritatem clarè docuiſſe videtur. Lib. 7. Met. tex. 43. ait, genera & differẽtias communiores diuidi per alias differentias ſpeciales: non debere autem diuidi per alias differentias velut diſparatas, niſi quando aliter diuidi non poſſit: ſed debere diuidi per differentias proportionatas & proprias, quæ includant illam naturam communem quæ diuiditur. Ponit exemplum. Si diuidatur animal per differentias habentis pedes & non habentis pedes: poſtea habens pedes, non debere diuidi per plumiferum & implume, ſed per habens pedes fiſſos vel non fiſſos: *Fiſſio namque pedum*, inquit, *aliqua peditas eſt*. Vbi planè vult, differentiam diuiſiuam naturæ ſuperioris eſſentialiter includere naturã diuiſam, ita vt hæc de illa eſſentialiter prædicetur etiam in abſtracto.

Nec ſatisfaciunt aliqui dicentes, ſenſum Ariſt. eſſe: aliqua peditas eſt, id eſt eſt differentia peditatis. Nam Ariſt. diſtinctè ait: *Hæ pedis differentiæ ſunt, quia fiſſio pedum aliqua peditas eſt*. Vbi probat eſſe differentiam peditatis, quia eſt quædam peditas. Et ex re ipſa eſt manifeſtum, differentiam ſic aſſignatam includere naturam diuiſam, vt ſit illi propria: habere namque pedes fiſſos, eſſentia-

sentialiter includit habere pedes. Imò hinc patet, hunc modum diuidendi, & designandi differentias, esse optimum, & hunc esse seruandum quandocunque seruari potest, nec esse vtendum differentijs disparatis, nisi quando aliter fieri non potest. Id enim totum Aristoteles ibi docet.

Rursus infert inde Aristoteles, differentiam vltimam esse rei substantiam & definitionem, esse speciem ipsam & substantiam, in qua superiora prædicata essentialiter includantur. Itaque planè intendit, differentiam vltimam importare totam essentiam speciei constitutæ, atque adeò non perfectè præscindere à superioribus prædicatis. quod nos intendimus. Et hoc modo rem totam exponit ibi Sanctus Thomas, & alij quamplures.

Præterea 7. Physic. tex. 31. apertè inquit: *Genus non est vnum quid, sed in eo latent multa*, idest non est quid perfectè vnum præscindens a multis, quin potius implicitè continet multa, multas species multas differentias. De his etiam generibus & differentijs, quæ non distinguuntur perfecta præcisione, docet in Anteprædicam. cap. 4. diuersorum generum, & nō subalternatorum, diuersas esse differentias: subalternorum verò generum posse easdem esse differentias, quia semper superiora de inferioribus prædicantur. Demum quod Arist. dixit 1. Phys. tex. 4. & alibi, & Porphyr. cap. de Spec. in fine, vniuersale esse totum, genus esse totum, cuius partes sunt species, multi sic declarant, quia genus implicitè continet totam essentiam specierum. Si autem perfectè præscinderet à differentijs specierum, magis se haberet vt pars singularum specierum, quàm vt totum.

Exemplis & inductione ostēditur. Secundò exemplis & inductione probatur assertio. Et quidem saltem in prædicatis transcendentibus non inueniri perfectam præcisionem à differētijs, communiter solet concedi. Nam si sumatur Ens in tota sua latitudine pro omni eo quod non est nihil, nulla differentia esse potest quæ non sit essentialiter ens. Et de hac re proprio loco latiùs agendum erit. Et saltem de hæcceitate communi ad omnes & singulas hæcceitates, id Scotus ipse fateri tenetur; vt notauimus q. 8. sect. 8. Sed præcipuè ostenditur in veris generibus & differentijs, quibus prædicamenta ipsa construuntur.

In genere substātia. Et vt incipiamus ab ipso primo Prædicam. & genere summo substantiæ: Substantia diuiditur in spiritualem & corpoream: hæ rationes corporei & spiritualis, dici debent substantiales, & ita communiter solent censeri & appellari. quoniam species substantiæ non possunt nisi substantialibus differentijs, sicut accidentia accidentalibus, constitui. Et alioqui si differentiæ contrahentes substantiam, dicantur præscindere ab esse substantiali & accidentali: ipsæ erunt magis communes, & magis indigebunt determinatione & contractione, quàm ipsum substantiæ genus. Sed quia adhuc aliqui hoc totum admittentes, dicunt, illas differentias non esse essentialiter substantiales, sed præscindere; quia etiam in accidentibus inueniuntur, quæ alia sunt spiritualia alia corporalia. Ideò sic euidenter arguendum est. Vel eæ differentiæ sumuntur vt communes etiam accidentibus: & sic vtique non includunt rationem entis substantialis, sed præscindunt. Vel si placeat illas sumere vt proprias substantiæ: sic non aliter possunt sumi, nisi spiritualitas substantialis, corporalitas substantialis: & vt sic tales differentiæ planè dicunt essentialiter in suo conceptu ipsam substantiæ rationem, quod intendimus.

In alijs generibus eiusdem prædicamenti. Rursus descendendo ad inferiora genera substantiæ: Substantia spiritualis diuiditur in varias species Angelorum. Et similiter nisi differentiæ contrahentes sint communes ad substantias corporales, erūt essentialiter spirituales, includentes in suo conceptu essentiali genus quod contrahunt. Pariter discurrendum est de substantia corporea, dum diuiditur per suas differentias in suas species. Et præsertim quædam genera sunt, quæ commodè non nisi per differentias includentes genus diuidi possunt. Vt viuens diuiditur in intellectiuum, sensitiuum, & vegetatiuum. Vbi viuens est quod potest immanenter operari, & dicitur mouere se ipsum. Intellectiuum autem est quod potest exercere talem operationem immanentem, nempe intellectionem, & sic de alijs. Et substantia intellectualis angelica non

non poteſt aliter diuidi in varias ſpecies, niſi per differentias tantæ vel tantæ perfectionis in intelligendo, quæ planè includit ipſam rationem eſſentialem principij intellectiui. Demum de rationalitate, qua diuiditur animal & conſtituitur homo, iam diximus ſect. 3. quomodo vel ſit differentia cõmunis, & ita præſcindat à genere animalis; vel ſit propria, & ita includat eſſentialiter ipſum genus.

Et in alijs prædicamentis. Deinde in Prædicam. quantitatis, cùm diuiditur quantitas in continuam & diſcretam, continua in permanentem & ſucceſſiuam: ſi differentiæ ſumi debeant tanquam propriæ, planè inuenientur includere ipſum genus, v. g. permanentia & ſucceſſio continua: & alioqui ſi ſumantur præſcindendo, iam erunt communes alteri generi Imo cum diuiditur tandem magnitudo in lineam ſuperficiem & corpus: non aliter poſſunt differentiæ deſignari, niſi longitudo ſine latitudine pro linea, cum latitudine pro ſuperficie, cum profunditate pro corpore: longitudo autem latitudo & profunditas eſſentialiter dicunt rationem ipſam extẽſionis & magnitudinis.

Pari ratione facile eſt diſcurrere in prædicam. qualitatis. Atque etiam relationis. Vel enim relatio diuiditur per differentias relatiuas, vel per differentias abſtrahẽtes à relatiuo & abſoluto. certè enim non poteſt contrahi per differentias abſolutas. Si per differentias abſtrahentes: hæ erunt communes etiam entibus abſolutis. Si autem debeant aſſignari differentiæ propriæ, non poſſunt aſſignari, niſi eſſentialiter relatiuæ, atque adeò includentes ipſam relationis rationem. Et ſanè non apparet, quomodo poſſint aliter aſſignari differentiæ ſimilitudinis & diſſimilitudinis, æqualitatis & inæqualitatis, & ſic de aliarũ relationum ſpeciebus, niſi includendo eſſentialiter rationem reſpectus & relationis. Et ita demum inductione poſſet oſtendi per omnia prædicamenta, eorumque genera, ſpecies, differentias.

Nec poſſunt genus et differẽtia diſtingui, Tertiò. Impugnandus eſt quidam dicendi modus, quo aliqui explicare conati ſunt differentias proprias generibus ab ijſque præciſas, quem indicauit Fonſ. 5. Metaph. cap. 8. q. 2. ſect. 3. Genera eſſe ſe ipſis gradus quoſdam completos & totales, differentias verò eſſe gradus incompletos & partiales. Vnde ſubſtantia v.g. debeat ſumi pro ſubſtantia completa, vt ſit verum genus; differentiæ autem contrahentes ſint quidem ſubſtantiales, non tamen ſint ſubſtantia completa, & ita non includant in ſuo conceptu eſſentiali ipſum genus. Si autem ſumatur ſubſtantia ſub conceptu communiſſimo, vt complectatur omnes ſubſtantias etiam incompletas, atque adeò differentias ſubſtantiales, non eſſe verum genus, ſed eſſe analogum quoddam. Et ideò debere ſumi ſubſtantiam completam ad conſtituendum in recto prædicamentum & genus generaliſſimum ſubſtantiæ. Et ſimiliter eſſe philoſophandum in alijs prædicamentis atque generibus. *tanquam ratio completa & incompleta.*

Non, ſumendo cõpletũ pro gradu totali, incompletũ pro partiali. Hic modus dicendi eſt prorſus inutilis & inſufficiens ad rem explicandam, & difficultatem enodandam. Vel enim gradus completus intelligitur ille, qui ita eſt totalis, vt non ſit pars alterius: & ſic apud ipſos aduerſarios nullum genus eſt gradus completus; quoniam eſt pars eſſentialis ſpeciei, atque adeò ita incompletus & partialis, ſicut differentia. Vel intelligitur gradus completus, qui in ſe eſt compoſitus ex ſuis partibus, ex genere & differentia, reſpectu quarum partium ſit totum quoddam: & hoc modo ipſum genus generaliſſimum apud aduerſarios non eſſet gradus completus; quia non componitur ex genere & differentia. Et præterea in generibus ſubalternis nullum eſt hoc diſcrimen inter ipſa genera & differentias proprias rerum. Nam differentia propria dicit totam entitatem rei cuius eſt propria, vt oſtendimus; & in ſe includit gradum illum communem qui erat genus ipſius rei. V.g. ita ſenſitiuum, ſicut animal, includit rationem viuentis, ideſt potẽtis vitaliter operari; & ita lõgitudo latitudo & profunditas, ſicut linea ſuperficies & corpus, dicit eſſentialiter extenſionem. Neque apparet quonam modo dici poſſit; lineã quidem eſſe magnitudinẽ cõpletã, quia ex genere & differentia conſtat; longitudinẽ autẽ nequaquam. Quænam enim compoſitio aſſignabitur in linea, quæ non inueniatur in longitudine? vel quæ diſtinctio & perfecta præciſio vnius gradus completi, alterius incompleti, niſi merè ficitia, & ſolo vo-

lo vocabulorum lusu, poterit cogitari.

Nec sumẽdo cõpletũ pro gradu subsistẽte, incompletum pro adiacẽte.

Vel intelligitur gradus completus ille, qui prædicatur in quid, & se habet ad modum per se stantis; gradus verò incompletus, qui se habet ad modum adiacentis, & prædicatur in quale. Sic explicat Fons. 5. Metaph. cap. 7. quæst. 7. sect. 2. qui præterea genera appellat cõpleta secundùm quid, indiuidua verò appellat simpliciter, quæ non possunt esse partes componentes tertium quid per se vnum.

At hoc nullius prorsus est momenti. quia hæc distinctio non est nisi in modo nominandi & concipiendi prædicatum, per modum termini substantiui vel adiectiui: nec vllo modo facit, vt sint plures rationes obiectiuæ, quarum vna perfectè præscindat ab alia. Imò ex dictis patet, posse idem prædicatum essentiale nominari & concipi vtroque modo. Nec apparet, qualiter ex hoc solùm distinguantur duæ rationes & formalitates in vna essentia, quòd vna formalitas dicatur in quid, alia in quale, si nulla alia distinctio inter illas adsit.

Et ad maiorem euidentiam ponatur exemplum. Qualiter enim in linea dici potest, esse vna ratio magnitudinis completa, eo quòd prædicetur in quid de linea; & alia distincta ratio magnitudinis incompleta, inclusa essentialiter in differentia longitudinis, eo quod dicatur in quale? Similiter quòd in animali sit vna ratio viuentis completa, quæ dicatur in quid, alia incompleta, inclusa in differentia sensitiui, quæ dicatur in quale? Imo sicut substantia completa dicitur in quid de omnibus completis: ita prorsus incompleta de ijs quæ dicuntur substantiæ incompletæ. Et dicendo, spiritualitas est entitas substantialis, rationalitas est vitalitas; ita prædicatio est in quid: sicut dicendo, spiritus est ens substantiale, est substantia, homo est viuens: & sic de alijs. Nullatenus ergo possunt illa ratione duo gradus essentiales condistingui.

Sed tollenda est perfecta præcisio.

Vel demum genus dicitur esse quid completum; quia, si non explicitè, saltem in confuso continet quicquid in inferioribus inuenitur. Sic explicat Suar. disput. 33. sectione prima, numero 21. & 22. Vbi expresse ait: ***Homo nihil aliud est, quàm ipsa indiuidua, vt inter se simil in confuse concepta per modum vnius, & ideo saltem confuse continet totã substantiam indiuiduam, & idem est de superioribus prædicatis.*** At hoc planè est dicere, speciē & genus nō perfectè præscindere à suis inferioribus & differentijs contrahentibus. Neque hoc modo distinguitur duplex ratio substantiæ in substantia spirituali, duplex ratio vitalitatis in animali; vna completa, altera inconpleta; vna quæ sit genus, altera quæ in differentia includatur, perfectè præscindens ab ipso genere. Neque ex opposito differentia dici debebit incompleta, quasi non dicat totam essentiam speciei. Imo differentia dicit magis explicitè & determinatè. Sed discrimen solùm est, quòd genus in confuso dicit omnes species, differentia vnam tantùm quam dicit explicitè: & genus dicitur per modum termini substantiui, differentia adiectiui.

Perfecta præcisionõ iuuat, nec sufficit ad saluandã vniuersalitatẽ genericam.

Quartò vlterius conclus. comprobatur. quia perfecta præcisio, non est necessaria, nec sufficens, ad saluandam vniuersalitatem genericam, & statuēdum discrimen inter genera quæ constituunt prædicamenta, & prædicata transcendentia, quæ sunt supra prædicamenta, & dicuntur analoga, & non assignantur vt genera. Nam qua ratione assignantur differentiæ perfectè præscindentes ab illis generibus, assignandæ etiam erunt respectu horum prædicamentorum. Si enim assignantur per distinctionem completi & incompleti, pariter omnino distingui deberet, ens completum commune generibus, & ens incompletum pro differentijs. Atque ita sicut dicebatur de substantia: Licèt ens communissimum non perfectè præscindat à completo & incompleto: tamen ens completum perfectè præscinderet. Et præterea quacunque ratione attribuantur substantiæ, differentiæ non includentes eandem ipsam substantiæ rationem: non minus attribui debebunt accidenti communi ad accidentia. Similiter enti creato in communi, sub quo prædicato omnia prædicamenta continentur. Non ergo ex defectu perfectæ præcisionis hæc prædicata non sunt genera. Sed si ob aliam rationem dicantur non esse genera, quamuis habeant æqualem præcisionem: eadem

ratio

ratio militabit, & idem discrimen adhuc poterit assignari, etiam si nec alia genera dicantur perfectè præscindere.

Nullaque alia apparet necessitas rationis, cur debeant differentiæ cum perfecta præcisione rationis à generibus designari, siue cur debeant talia genera constitui, quæ à speciebus & generibus debeant perfectè præscindere. Et alioqui præstabit dicere, non esse necessarium genera dari, sed sufficere prædicata cum imperfecta præcisione a differentijs, quando hæ sunt illis propriæ. Si quod autem argumentum aliquam difficultatem afferat, fundatur potius in auctoritate quàm in ratione. Sed non debet in his rebus auctoritas rationi præferri. Et ipsæ auctoritates poterunt explicari.

Ratione à priori probatur assertio.

Quintò demum ratione à priori conclusio suadetur. quia in his prædicatis vniuersalibus & communibus, intantum aliquod prædicatum potest ratione præscindi à subiecto de quo dicitur, inquantum potest dici de alio etiam subiecto præter illud, & ita potest sumi sub conceptu communi prædicabili de vtroque subiecto. Si autem accipiatur prædicatum ita determinatum, quod non possit de alio, quàm de tali certo subiecto dici: sic vtique non ab illo præscindit, sed in suo conceptu essentiali dicet propriam rationem talis subiecti, & propterea non potest alteri subiecto conuenire. Vnde nō dicetur prędicatū aliquod præscindere ab vna specie, si illi soli sit essentiale.

Hinc sequitur adæquata ratio nostræ conclusionis. Quæcunque differentia sumatur, siue quodcunque prædicatum assignetur pro differentia diuisiua generis & constitutiua certæ speciei: si est ita proprium talis generis & speciei, vt de nullo alio dicatur; sic iam non præscindit, sed includit in suo conceptu essentiali ipsum genus, & alioqui posset etiam alteri generi conuenire: tunc autem poterit perfectè præscindere, quando est commune, tum illi, tum alteri etiam generi. Quandocunque ergo differentia sumitur sub conceptu qui sit proprius & adæquatus tali generi & speciei, non perfectè præscindit, sed includit essentialiter ipsum genus. Et è conuerso genus non relinquit præter se differentiam in specie, dicentem aliam essentialiter rationem ab ipso genere: sed in se inuoluit totam entitatem speciei, eamquè simul cum alijs speciebus dicit in confuso. Ita quòd diuerso modo differentia dicatur includere genus, & genus species ac differentias. Differentia enim dicetur includere genus propriè essentialiter: genus verò continet omnes & singulas differentias ac species per modum collectionis & confusionis. Sicut se habet ens cum suis differentijs per quas diuiditur, & ad sua genera in quæ diuiditur,

Qualiter genus & differentia propria, imperfecta præcisione distinguātur.

Dico tertiò. Inter genera & dictas differentias proprias datur imperfecta præcisio rationis. Sequitur planè ex dictis. Prius enim ostendimus debere ratione distingui: modò probamus non distingui perfecta præcisione: sola ergo superest imperfecta præcisio. Explicatur autem magis hic modus præcisionis. Genus, v. g. viuens, dicit implicitè & in confuso omnes suas species & differentias; indeterminatè tamen, scilicet non plus vnam quàm aliam: intellectiuum autem dicit explicitè & determinatè talem gradum viuentis. Ita quòd in ipso viuente intellectiuo non ita distinguantur duæ rationes, vna viuentis, & alia intellectiui; quasi vna non includens aliam. Quin potius ratio intellectiui essentialiter includit rationem viuentis, nec potest penitus ab illa præscindi: & ratio viuentis in confuso dicit totam essentiam viuentis intellectiui, quia non relinquit præter se aliquam aliam rationem quæ non sit essentialiter ratio viuentis. Et hæc vocatur imperfecta præcisio. Et iuxta hoc videtur dixisse S. Thom. 1. par. q. 50. art. 2. ad 1. inquantum intellectus noster considerat rem vt indeterminatè, accipit rationem generis: inquantum verò considerat vt determinatè, accipit rationem differentiæ.

Porphyr. & Arist. explicantur.

In contrarium obijcies 1. Porphyr. cap. de Diff. definit differentiam, per quam species abundat a genere. quod vtique non verificatur, si differentia non perfectè præscindat a genere. Et Arist. clarè 4. Top. loc. 14. & 7. Metaph. tex. 42. asserit, genus non esse particeps differentiarum. Et 3. Metaph. tex. 10. genus non prædicari de differentijs; & ideò ens non esse genus, quia non habet differentias in quibus non includatur.

Respon-

Respondetur. Porphyr. perspicuè esse loquutum de differentijs quæ non sunt propriæ vni speciei & generi. Arist. verò in prioribus locis tantùm voluit, genus non esse particeps essentialiter differentiarum, idest differentias non esse de essentia generis, quasi de quocunquè subiecto dicatur genus, debeant de illo dici omnes differentiæ talis generis: sed non negauit genus implicitè & in confuso inuoluere differentias. In vltimo loco non est loquutus assertiuè, sed tantùm dubitatiuè, inquirendo, & dubitationes mouendo: vt constat in toto ferè libro, & specialiter in illo cap. & tex u. Et præterea ibi disputabat de sent. quorundam, qui dicebant genera rerum esse rerum principia: agebat enim de principijs. Et ad hominē cōtra illos dubitabat: ex vna parte sequi, maximè ens & vnum esse principia, tanquam suprema omnium generum: & ex alia parte hac non posse esse genera & principia: quia genera quæ ab illis dicebantur principia, ponebantur tanquam elementa rerum, ex quibus res tanquam ex partibus constarent. Vnde oportebat, præter talia genera dari differentias de quibus ipsa genera non prædicarentur: ens autem & vnum de omnibus differentijs prædicantur. Igitur ad summum hac ratione probauit, ex defectu distinctionis à differentijs, ens & vnum nō esse illa genera, quæ essent principia, eo modo quo ab illis veteribus ponebantur.

Alia argumenta soluũtur. Objicies secundò. Illa prædicata quæ non perfectè præscindunt à differentijs & ab inferioribus de quibus dicũtur, non sunt vniuoca, sed analoga: & alioqui non satis distinguerẽtur vniuoca ab analogis. Sola autem vniuoca possunt esse genera & species. Ergo repugnat dicere, genera non perfectè præscindere.

Respondetur. Etiam prædicata quæ non perfectè præscindunt, dici debere vniuoca & non analoga. Aliudquè esse discrimen assignandum inter vniuoca & analoga: vt suo loco videbimus.

Objicies tertiò. Ex nostra sent. sequitur, etiam transcendentia, Ens, Res, Accidens quoque, & alia, esse genera: atque adeò non esse tecē prædicamenta, decem genera generalissima, illa quæ assignãtur.

Respondetur. Imo hanc difficultatem esse communem in omni sententia, vt supra ostendimus: eamquè discutiemus suo loco de prædicamentis.

Obijci hìc possent aliæ difficultates, quæ tamen communes essent ad omnia prædicata, etiam transcendentia, & maximè circa præcisionem entis solent afferri. Quia tamen nunc supponimus, ens & similia prædicata non perfectè præscindere, solùmquè specialiter de generibus ostendere voluimus, etiam genera posse non perfectè præscindere: ideò plura in Metaphysicam differimus, vbi de præcisione entis specialiter differemus.

SECTIO SEXTA.

Quonam modo Species ex Genere & Differentia constituatur.

IVxta modum distinctionis, explicãdus est modus constitutionis. Vnde si distinctio inter genus & differentiã est realis, compositio speciei ex genere & differ. erit dicenda realis. Scotus & alij qui genus & differẽtiam distinguunt formaliter à parte rei, pariter dicere debebunt, cōpositionem esse formalem à parte rei. Alij qui solam rationis distinctionem agnoscunt, etiam compositionē vocant rationis. Et qui volunt genus & differentiã distingui tanquã duos gradus perfectè præcisos, speciem dicunt constitui ex genere & differentia per modum compositionis, tanquã ex duabus partibus metaphysicis.

S. Thom. verò cap. 2. de Ente & essent. explicat speciē constare ex genere & differ. non tanquã rem tertiã ex duabus rebus, sed tanquam intellectum tertium ex duobus intellectibus. Vbi Caiet. eo cap. com. 6. §. aduerte, vt rem magis explicet, distinguit, genus differentiam & speciem tripliciter posse accipi. Vno mō pro secũdis intentionibus, idest pro relõnibus tõnis. Alio modo pro primis intentionibus, idest pro naturis realibus. Alio modo pro cōceptibus formalibus qui sunt in mẽte. Hinc docet, compositionē in his non esse ex secũdis intẽtionibus. Quia hæ sunt relones inter se oppositæ. Nec certè secunda intentio speciei constat vel cōponitur ex secũdis in ẽtionibus generis & differentiæ. Sicut pariter secunda intẽtio propositionis non construitur ex secunda intẽtione prædicati & subiecti: sed est quædã relō attributa immediatè ab intellectu

toti

toti complexo. Docet etiam, compositionem non esse inter primas intentiones, idest naturas reales. quia hæ sunt idem realiter inter se.

Itaque concludit Caiet. compositionem esse penes conceptus formales. conceptus, inquit, formalis speciei integratur ex conceptu formali generis & conceptu formali differentiæ, tanquam ex duabus partibus. Hoc deinde magis explicat, dicens, se accipere conceptus formales, tàm pro conceptibus obiectiuis, quàm formalibus propriè dictis; & compositionem ait fieri, tum ex conceptibus obiectiuis, tum ex formalibus, sumptis tamen in repræsentando non in essendo.

Constitutio speciei interdũest per modũ explicationis, interdũ per modũ cõpositionis.

Dico primò. Constitutio speciei ex genere & differentia, non semper se habet per modum compositionis quasi ex partibus: sed interdum per modum compositionis, interdum verò solùm per modum explicationis. Hæc conclus. sequitur manifestè ex dictis. Si enim sumatur differentia quæ est propria generi & adæquata speciei, & quæ non perfectè præscindit: constitutio non est per modum compositionis, sed per modum explicationis. Patet: quia genus & differẽtia sic sumpta, non se habent tanquam duæ partes condistinctæ, quarum vna addatur alteri: sed se habent per modum conceptus impliciti & expliciti eiusdem essentiæ. Non ergo debemus concipere, speciem constitui ex genere & tali differẽtia, quasi componatur ex duabus partibus: sed solùm quòd in conceptu differentiæ explicetur & determinetur, quod in conceptu generis implicitè & indeterminatè continebatur. Sic substantia non intelligitur constitui per modum compositionis ex ente & perseitate: & sic de alijs similibus.

Si autem sumatur differentia communis & perfectè præscindens: sic constitutio est per modum compositionis. quia genus & differentia concipiuntur tanquam duæ partes, neutra per se dicens nec explicitè nec implicitè totam essentiam speciei: sed ex vtroque prædicato simul iuncto intelligitur consurgere tota essentia speciei: sic ergo constitutio speciei se habet per modum compositionis.

Cõpositio est rõnis.

Dico secundò. Hæc constitutio & compositio, non est realis nec à parte rei, sed est rationis & in intellectu: quando scilicet genus & differentia considerantur in eadem re, & non in diuersis partibus physicis. Probatur manifestè: quia si realiter & à parte rei non datur distinctio partium, sed omnia prædicata essentialia sunt vna simplex entitas: ergo non datur à parte rei compositio. Compositio enim dicit partes & totum, dicit plura & vnum, plura componentia & vnum compositum: sed vbi non datur distinctio, non dantur plura & vnum, partes & totum. Qua ratione in Deo ipso, quia perfectiones diuinæ non distinguuntur à parte rei ab essentia, nullam faciunt à parte rei compositionem, sed Deus est simplicissimus. Compositio igitur ex genere & differentia, non est realis, nec à parte rei.

Sicut autem ratione distinguuntur genus & differentia, ita etiam datur in mente compositio speciei ex genere & differentia: quia intellectus distinguens concipit duo prædicata, tanquam duas partes, & speciem tanquam totum resultãs ex partibus. Et ita compositio speciei est opus rationis in mente.

Dico tertiò. Hæc compositio non exercetur inter secundas intentiones, nec inter conceptus formales, sed inter primas intentiones, seu inter rationes reales quatenus sunt in mente, siue inter conceptus obiectiuos ipsarum rerum.

Exercetur inter conceptus obiectiuos.

Prima conclus. pars benè probata est à Caietano. Secunda probatur etiam de mente eiusdem, sumendo conceptus formales propriè pro actibus intellectus. Tum quia quilibet actus intellectus est in se simplex, non compositus ex alijs actibus: & vnus actus est quo apprehenditur genus, alius quo differentia, alius quo tota definitio & essentia speciei; & hic est tertius actus realiter condistinctus ab illis duobus, nec est quasi collectio eorum. Tum etiam, si fieret compositio inter ipsos actus formales: hæc non esset constitutio ipsius speciei ex prædicatis essentialibus: sed esset potius compositio cognitionis speciei ex cognitionibus prædicatorum. At hic quæritur constitutio ipsius speciei ex ipsis essentialibus prædicatis.

Hinc planè sequitur tertia conclus. pars, quam docere voluit Caiet. Essentia enim speciei constituitur ex natura reali

generis

generis & differentiæ, essentia hominis ex ratione sensitiui & intellectiui. Quia tamen hæ non sunt partes in re distinctæ, sed solùm in mente: ideò constituunt quatenus sunt in mente, & constitutio exercetur inter conceptus obiectiuos: idest actus constitutionis & compositionis exercetur in mente per cogitationem intellectus: quia licèt ea inter quæ cogitatur hæc compositio sint verè à parte rei tamen non à parte rei exercent compositionem, sicut non à parte rei distinguuntur. Sed vbi est distinctio, ibi est compositio. Et hoc ipsum est quod voluit S. Thomas.

Quomodo species verè dicatur constitui ex genere & differentia. Obijcies primò. Si non semper genus & differentia sunt rationes condistinctæ & perfectè præcisæ, non poterit dici species constitui ex genere & differentia. Siquidem genus dicit implicitè, differentia explicitè, totam essentiam speciei.

Respondetur. Verè non ita propriè dici, sicut quando genus & differentia sunt duæ rationes condistinctæ: & ideo iam diximus constitutionem non esse per modum compositionis, sed explicationis. Adhuc tamen id non immeritò dicitur in ordine ad nostrum modum concipiendi. Quoniam definimus speciem per genus & differentiam, & ipsa definitio in nostro conceptu constat ex genere & differentia. Sic substantia suo modo definitur: est ens per se. quæ definitio constat ex ente & perseitate. Quod non est aliud, nisi quòd conceptus noster obiectiuus de tali essentia, constat ex vno conceptu confuso & indeterminato, altero explicito & determinato eiusdem rei.

Cur non dicatur sola differentia constituere speciem. Obijcies secundò. Hoc modo sufficeret solus conceptus differentiæ qui explicitè dicit totam essentiam speciei, & inutiliter videtur præponi genus. Imo fit inutilis repetitio & nugatio, quia idem bis ponitur in definitione, si ipsamet ratio generis includitur essentialiter in ipsa differentia. Confirmatur: quia hac ratione Aristot. 7. Metaph. text. 43. docuit, sufficere in definitione vltimam differentiam, nec debere alias superiores poni, ne idem crebro dicatur. Sic non debere bipes definiri, pedes habens duos pedes habens, sed sufficere, duos pedes habens.

Respondetur. Sufficere quidem solam differentiam ad explicandum conceptum proprium speciei, quatenus differentia ab alijs: sed non sufficere ad explicandum conceptum quo species conuenit cum alijs. Et ad hoc debet præponi genus. Neque fit inutilis repetitio & nugatio, quia, vt notauit optimè Soncin. 7. Met. quæst. 37. ad 3. non est nugatio, si idem bis dicatur, prius in communi, & postea in speciali: Vnde non est nugatio, dicere, animal est viuens sensitiuum, linea est magnitudo longa sine latitudine. Idque passim est in vsu. Imo est necessarium in definitionibus, & ad hoc vt differentia dicatur ex parte prædicati per modum differentiæ, idest adiectiuè cum genere: debet enim præponi genus quod dicatur substantiuè. Vnde Arist. ibi non dixit, non debere poni genus; imo supponit debere poni. Nam in illo exemplo supponit debere poni animal, licèt ipsa ratio animalis includatur in ratione habentis pedes, sumendo habere pedes propriè vt sumi debet. Sed solùm docuit, non debere interponi alias differentias, maximè quando etiam in verbis fieret repetitio, vt patet in illo exemplo, in quo esset manifesta nugatio: quæ tamen non est, quando distinctis verbis, & diuerso modo, per plures terminos, eadem res explicatur.

Quantò distet in simplicitate natura creata à Diuina. Obijcies tertiò. Si compositio speciei ex genere & differ. non est à parte rei; sequitur essentiam speciei in re esse ita simplicem, sicut est essentia Diuina: præsertim quando species non componitur ex partibus physicis, quia tunc non habet aliam compositionem quàm ex gradibus metaphysicis. Consequens autem videtur absurdum.

Respondetur. Neque D.Thom.& alios qui negant distinctionem à parte rei, existimasse absurdum, dicere, essentiam creatam non habere maiorem compositionem quàm rationis. Neque etiam Scot & alios qui ponunt distinctionem formalem, putasse absurdum, non ponere in essentia creata plusquàm formalem distinctionem, quam etiam attribuunt ipsi Deo. Adhuc verò Diuina simplicitas summa est, quæ non conuenit creaturis. Quoniam in Deo inueniuntur tot perfectiones & attributa sine vlla distinctione & compositione à parte rei. In rebus autem creatis, licèt compositio ex

præ-

prædicatis essentialibus non sit realis; tamen reperitur compositio ex natura & subsistentia, ex substantia & accidenti, aliisuè modis Deo repugnantibus.

Quomodo compositio sit rationis, compositum & componentia sint realia.

Obijcies quartò. Si compositio speciei ex genere & differ. est opus rationis: ergo id quod componitur, & ea quæ componunt, sunt aliquid rationis Vel è contra: si hæc omnia sunt realia, & ipsa compositio est realis. Nam inter entia realia compositio debet esse realis: compositio autem rationis erit inter terminos rationis.

Respondetur. Compositionem esse rationis, tamen esse inter ea quæ sunt ens reale. Quoniam realitas compositionis requirit, non solùm extrema realia, sed etiam distinctionem realem, & vnionem inter extrema. Atque distinctio ipsa rationis, est inter extrema realia, & tamen est opus rationis. Vnde etiam fatendum est, denominationem compositi in ipsa specie, & denominationem partium atque componentium in ipsis prædicatis essentialibus, formaliter esse denominationes rationis. Tamen subiectum cui tales denominationes ab intellectu tribuuntur, est ipsa realis essentia speciei, & ipsa realia prædicata.

QVÆSTIO DECIMAQVARTA.

De Proprio & Accidenti.

HAec duo simul in hac vna quæstione coniungimus: tum quia ea breuiter expediemus: tum præcipuè quia nonnulla vtrique communia tractanda sunt.

SECTIO PRIMA.

An & qua ratione Proprium & Accidens sint vniuersalia, ab alijs & inter se distincta.

Proprium & Accidens sunt quædam vniuersalia.

IN primis supponimus, hæc duo esse vniuersalia & prædicabilia in sensu quem iam explicauimus in diuisione & assignatione vniuersalium. Sed nunc explicatur magis, quia inueniuntur in rebus prædicata quæ sunt extra essentiam rerum, & tamen verè & rectè de illis affirmantur, verè illis insunt: vt est notissimum. Possunt etiam plures res in huiusmodi prædicatis assimilari & conuenire. Vnde potest sumi prædicatum accidentale sub tali conceptu, vt possit affirmari de pluribus subiectis, & rectè dicatur posse inesse pluribus. Sic certè risibile se habet ad omnes homines, album ad varia corpora. Hoc ergo modo talia prædicata accidentalia sumuntur tanquam vniuersalia & prædicabilia respectu eorum quibus accidentaliter insunt, seu inesse possunt, & de quibus affirmari possunt.

Quocirca proprium non dicitur proprium, quasi vni soli singulari conueniat: sed quia sit proprium alicui naturæ vniuersali. Vnde adhuc est commune pluribus in tali natura conuenientibus: & ita optimè est vniuersale.

Secundò hinc sequitur, hæc prædicata accidentalia debere sumi in concreto, ad hoc vt subeant hunc modum vniuersalitatis & prædicabilitatis. Nam non nisi in concreto possunt de subiecto accidentaliter prædicari. Non enim dici potest, homo est risibilitas, paries est albedo: sed homo est risibilis, paries est albus. Concretum autem debet hic accipi, non pro toto aggregato ex subiecto & forma accidentali, ita vt in recto dicat vtrunque: sed pro forma ipsa quatenus est in subiecto, ita vt in recto dicat formam, connotet verò subiectum. Sic enim ipsa forma in concreto sumpta dicitur de subiecto. *Debēt accipi in cōcreto.*

Tertiò hæc prædicata habent tum vni- *Habent*

suam vnitatem. vnitatem, tum aptitudinem essendi in multis, requisitam ad rationem vniuersalis. Vnitatem habent per abstractionem intellectus, qua abstrahitur natura albedinis, v. g. non solùm ab hac & illa albedine, sed etiam ab hoc & illo subiecto determinato ac singulari. Vnde album in communi, non solùm dicit naturam albedinis præscindendo à singulis albedinibus; sed etiam connotat subiectum in communi, præscindendo à singulis subiectis in particulari. Sic enim prædicatum accidentale poterit esse commune pluribus subiectis.

Et aptitudinem. Aptitudinem verò essendi in subiecto, habent hæc prædicata accidentalia, peculiari quadam ratione, quam non habent prædicata essentialia. Nam forma accidentalis quæ distinguitur à subiecto, habet realem aptitudinem essendi in subiecto à se distincto: sicut ipsum subiectum habet realem aptitudinem recipiendi talem formam. Vnde satis commodè dici potest, constitui vno modo vniuersale accidens per talem aptitudinem, superaddita vnitate per abstractionem. Sed non per hoc negandum est, cogitari posse aliam aptitudinem rationis; per quam, præsupposita vnitate, concipiatur natura accidentalis, apta diuidi & distrahi in plura subiecta. Et per hanc dici debet alio modo perfici vniuersale accidens per notitiam comparatiuam, iuxta ea quæ diximus de vniuersali in communi.

Dicunt secũdas intentiones Et hinc determinari debet, num ratio horum prædicabilium sit realis vel rationis, sit primæ vel secundæ intentionis. Estquè in his peculiaris ratio dubitandi: quia ipsamet nomina proprij & accidentis videntur habere reale prorsus significatum, & denotare primas tantùm intentiones. Nam proprium realiter est proprium, accidens realiter est accidens. Et de singularibus accidentibus rectè dicetur, esse propria, esse accidentia: cùm tamen dicere non valeat, Petrus est genus, est species. Sed quoad rem ipsam iam patet, quidnam sit reale, quid verò rationis, in his prædicatis. Quoad nomina autem proprij & accidentis fatendum est, hæc dupliciter sumi posse: primò denotando tantùm naturam realem, vt modò dicebatur: secundò vt idem valeant, ac si dicatur, vniuersale proprium, vniuersale accidens: & sic denotant secundas intentiones, nec possunt de singularibus accidentibus affirmari, atque se habent sicut nomina generis & speciei.

Ab alijs vniuersalibus distinguuntur. Quartò. Facilè patet, qualiter hæc prædicata accidentalia sint vniuersalia essentialiter distincta ab alijs quæ sunt prædicata essentialia. Distinguuntur enim per diuersum modum inessendi & prædicandi, vt manifestum est. Quæ diuersitas est maxima quæ esse potest inter vniuersalia. Et tamen verum est, vnam eandemquè naturam subire vtrunque modum vniuersalitatis. Nàm natura accidentalis potest comparari ad hanc & illam naturam, vel ad hoc & illud subiectum: V. g. color ad albedinem & nigredinem, vel ad niuem & picem. Penès primam considerationem talis natura dicitur essentialiter, vt patet: vnde est vniuersale genus. Penès secundam considerationem natura accidentalis habet hunc alium modum vniuersalitatis, de quo nunc agimus: quia de subiecto dicitur accidentaliter, & extra essentiam eius. Ideò quæstione octaua sectione vndecima ad tertium, dicebamus, hæc duo vniuersalia differre à primis tribus, non in statu abstractionis, sed in statu comparationis per comparationem ad diuersa.

Inter se etiam distinguuntur. Quintò deinde. Varijs modis possunt diuidi prædicata accidentalia: vel dicendo alia esse separabilia, alia inseparabilia: vel alia esse necessaria, alia contingentia. Sed optimus modus diuidendi erit hic. Cùm ab initio diuidantur prædicata vniuersalia, quæ dicuntur essentialiter, & quæ dicuntur accidentaliter, idest extra essentiam: hæc rursus diuidantur, in ea quæ ab intrinseco promanant ex essentia subiecti, & ea quæ non ab Intrinseco & necessariò ex vi ipsius essentiæ proueniunt. Illa ita inseparabiliter & necessariò subiecto conueniunt, vt de subiecto dicantur, etiam præcisa existentia actuali, & conficiant propositiones quæ dicuntur æternæ veritatis. Alia autem contingenter & non ita necessariò subiecto conueniunt. Illa quæ proueniunt ab essentia subiecti, dicuntur accidentia pro-

pria. Alia dicuntur accidentia non propria, seu communia. Breuioris autem appellationis gratia, illa dicuntur absolutè propria, hæc absolutè dicuntur accidentia. Et ita hæc duo prædicabilia, proprium & accidens, distinguuntur. Quæ distinctio est essentialis: quia planè diuersus est dictus modus, quo vnum vel aliud subiecto inest, de eoque prædicatur.

Aliisque modis vlterius diuidi possunt. Sextò demum possunt adhuc alijs modis hæc duo prædicabilia diuidi. Alia enim sunt prædicata accidentalia generica, v. g. color: alia specifica, v. g. albedo. Alia generalissima, vt quantitas, qualitas: alia subalterna, vt est manifestum. Quæ omnia accidentaliter de subiectis prædicantur. Item alia sunt quæ dicuntur de pluribus specie aut etiam genere differentibus; vt sentire & posse sentire de omnibus speciebus animalium, esse in loco de omnibus rebus: alia quæ dicuntur tantùm de pluribus numero differentibus, vt ridere, posse ridere, de solis hominibus.

Neque verò idem est, prædicatum accidentale esse in se genericum aut specificum, atque conuenire generi aut speciei. Quinimo obseruari potest, prædicatum in se specificum conuenire non solùm alicui generi & speciebus sub illo contentis, sed etiam varijs generibus. Et ita se habent plura accidentia cômunia, vt albedo, nigredo, calor, frigus, & similia. Imo etiam aliquod accidens proprium, vt quantitas conuenit toti generi substantiæ corporeæ. Ex alia parte prædicatum aliquod genericum potest conuenire vni soli speciei: vt si consideretur genus potentiæ rationalis, commune & adæquatum intellectui & voluntati humanæ, conueniens soli speciei humanæ. Aliud ergo est dicere, prædicatum accidentale esse genericum vel specificum, atque conuenire naturæ genericæ vel specificæ. Et ita benè notauit Fonsec. quinto Metaphysic. capite vigesimooctauo quæstione vigesima sect. 4.

Hæ autem distinctiones prædicatorum accidentalium, formaliter spectant ad ipsam vniuersalitatem & prædicabilitatem horum prædicatorum: & ita se habent, sicut aliæ similes distinctiones, in alijs vniuersalibus suis locis traditæ.

Porph. explicatur. Nec obstare debet, quod Porphyrius cap. de Genere, & cap. vltimo sæpè ait, proprium conuenire vni soli speciei, & cum illa conuerti. Aliqui enim intelligunt, Porphyr. loqui tantùm voluisse de proprio specierum infimarum. Sed non propterea neganda sunt propria generum. Nam sicut, licèt Porphyr. loquutus sit de differentijs tantùm genericis, non propterea negantur specificæ: ita è conuerso de proprio. Vel Porphyr. accipiens speciem pro specie subijcibili, de omni proprio dixit conuenire vni tantùm speciei, scilicet subijcibili. Imo respectu ipsius proprij species se habet vt subijcibilis. Et potest id colligi ex ipso Porphyr. qui agens de Commun. & differen. speciei & proprij, ait: *Species potest & aliorum genus esse*. Et dum addit, proprium non posse conuenire alijs speciebus, intelligit alijs ab illa specie subijcibili, cui proprium conuenire supponebatur. Addendum tamen est, proprium posse côuenire etiam generi summo, imò enti communissimè sumpto. Nam proprium substantiæ est, non esse in alio: accidentis, non esse per se. Et proprietates entis sunt, vnum, verum, bonum. Sed hoc totum magis explicabitur sect. 3.

SECTIO SECVNDA.

Quænam Naturæ habeant rationem Proprij & Accidentis.

Dvo præcipuè circa hoc notanda occurrunt.

Etiam naturæ substantiales ad hæc prædicabilia pertinent. Primum est, licèt hęc dicantur prædicata accidentalia: tamen non solùm naturas essentialiter accidentales, quæ constituunt nouem prædicamenta accidentium, & à primo prædicamento substantiæ distinguuntur: sed etiam naturas quasdam essentialiter substantiales, quæ sunt de prædicamento substantiæ, habere rationem horum prædicabilium proprij & accidentis. Ita notauit Sanctus Thomas quæstione vnica de Spirit. creaturis articulo vlt. Quia nimirum etiam naturæ quædam in se substantiales, possunt ita afficere aliquod subiectum, seu aliquas

aliquas res, vt de illis verè prædicentur, non essentialiter, sed extra essentiam. In hoc sensu dicentur accidentaliter prædicari, ad differentiam prædicationis essentialis.

Exempla sunt passim obuia. Omnes formæ substantiales afficiunt materiam, nec sunt de essentia materiæ, de eaquè prædicari possunt, non quidem substantiuè & in quid, sed denominatiuè & in quale: materia est informata, est animata, est ignita. Item à vestibus denominatur homo vestitus, calceatus. Ab auro denominatur vas deauratum. Imo interdum ab ipsa materia solet forma sic denominari, videlicet hoc vas est aureum, est æneum, hoc scamnum est ligneum, est lapideum, sumendo vas & scamnum pro figura, aureum &c. pro materia. Hæ ergo omnes & similes prædicationes dicentur accidentales, idest non essentiales. Et vtique non spectant ad prima tria prædicabilia, quæ dicuntur essentialiter, sed ad hæc duo, quæ dicuntur accidentaliter. Nam esse vestitum non dicitur de homine, tanquam genus de specie, vel species de indiuiduo, vel differentia de essentia, sed tanquam accidens de subiecto.

Vnde accidens prædicabile à prædicamentali distinguitur.

Hinc factum est, vt Accidens distingui soleat. Aliud dicitur accidens prædicamentale: aliud accidens prædicabile. Illud est, quod contradistinguitur à substantia, & in plura alia prædicamenta distribuitur, in quibus prædicata superiora comparantur essentialiter ad inferiora. Accidens prædicabile est, quod contradistinguitur à prędicatis essentialibus, esto in se sit natura substantialis. Dum ergo modò assignantur hæc duo prædicabilia, accidens proprium, & commune, non intelligitur accidens prædicamentale: sed intelligitur, quod prædicatur accidentaliter de subiecto, idest extra essentiam: & ideò appellatur accidens prædicabile.

Etiam natura extrinsecè denominantes subiectũ, ad hæc prædicabilia pertinent.

Secundum quod notari debet est, non solùm naturas quæ inhærent, vel afficiunt res: sed etiam quæ referuntur, siue extrinsecè attingunt aliquas res, posse suo modo de illis verè affirmari per modum prædicationis accidentalis, ita vt ad hæc duo prædicabilia pertineant. Ita notauit Sanctus Thomas prima parte quæst. 6. art. 4. dicens, in his quæ important relationem posse aliquid denominari ab extrinseco, sicut denominatur locatum à loco, mensuratum à mensura. Et quæst. 13. artic. 7. ad 5. asserit, Deum esse realiter dominum, quia realiter ei subiecta est creatura. Et alibi similia docet. Similiter Durand. in 1. d. 30. quæst 3. explicat, Deum esse realiter creatorem & dominum per denominationem actionis extrinsecam. Idem docet Argent. ead. d. quæst. 1. art. 2. ad 1. contra primam conclusionem: & alij frequenter idem docent. Atque hæ sunt quæ communiter vocantur denominationes extrinsecæ, quia scilicet sumuntur à forma extrinseca, quæ non est in ipso subiecto determinato, nec illi coniuncta.

Vasquez tamen prima parte disp. 115. cap. 2. contendit, non esse ante operationem intellectus realem aliquam denominationem ab aliqua re aut forma extrinseca: sed omnem denominationem extrinsecam esse opus rationis. Quia inquit, denominatio, cùm sit nominis appellatio, planè est opus rationis, & est alicuius intellectionis expressio. Idem plures alij recentiores defendunt.

Nam denominationes extrinsecæ sunt reales.

Omninò tamen asserendum est, verè & realiter quantum ad rem significatam posse formam extrinsecam de subiecto aliquo prædicari, siue posse rem denominari realiter à forma extrinseca, seclusa omni relatione rationis. Explicatur & probatur primò. Vel prædicatio & denominatio sumitur formaliter pro actu intellectus affirmantis prædicatum de subiecto, aut imponentis nomen. Et hæc est vtique operatio intellectus: tamen adhuc realis est. Atque hoc modo etiam quando dicitur forma intrinseca de subiecto, prædicatio & denominatio est operatio intellectus. Vel sumitur obiectiuè pro re quæ affirmatur, & nominibus significatur. Sic certè realiter & à parte rei aliqua forma respicit aliquè terminum extrinsecum: quando ergo hoc ab intellectu affirmatur, & nominibus significatur, aliquid reale significatur. Et hæc est denominatio realis extrinseca.

Secundò demonstratur exemplis. Certè verum est dicere, paries à parte rei est visibilis, est visus ab oculo, ignis

calefacit lignum, Deus est creator omnium rerum: hæ, inquam, & similes propositiones enunciantes rem à parte rei, verissimæ sunt; atque id quod significatur per has propositiones, est reale quid. igitur possunt verè & realiter talia prædicata dici de subiectis ad quæ extrinsecè se habent. Nam vtique realiter oculus videt parietem, creatura efficitur à Deo, & sic de alijs: ergo realiter paries videtur ab oculo, Deus est creator rerum. Realiter visio terminatur ad parietem, creatura emanat à Deo: ergo realiter paries terminat visionem, Deus exercet creationem. Et hæc res est, quæ his denominationibus significatur.

Quando scilicet forma respicit aliquid extrinsecũ.

Tertiò ostenditur à priori. Quia potest aliqua forma attingere diuerso modo plura: si videlicet vni insit, aliud quid respiciat, seu ab alio procedat. Sic planè in exemplis positis: visio inest oculo, respicit obiectum: actio est in rebus, emanat ab agente. Ergo optimè potest eadem forma diuerso modo denominare plura, idest prædicari de pluribus: de vno tanquam inhærens, de alio tanquam respiciens: de illo dicetur intrinsecè, de alio extrinsecè. Et ita ab eadem visione dicimus, oculus videt; & hæc est denominatio intrinseca: obiectum videtur; & hæc est denominatio extrinseca: vtraque autem realis.

Nec oportet in his admisceri relationes rationis.

Quartò. Non oportet in his denominationibus extrinsecis, admisceri relationes rõnis & fictas. Nam vtiq. cognoscibile & affirmabile est, id quod reale est in his rebus; realis ordo ad terminum, de ipso termino. Non ergo prædicatur aliqua relatio rationis, sed ipsa habitudo realis de re ad quam terminatur. Potestquè prædicatum reale affirmari de re per extrinsecam attingentiam. Sic vtique, Deus, Angelus, & omnis intellectus non fingens entia rationis, cognoscit tales veritates, prout realiter sunt à parte rei, præscindendo etiam à notitia quam habent de relationibus rationis, quas nos fingimus, quæ prorsus per accidens se habent ad rem in se. Tunc autem admiscetur forma & relatio rationis, quando Deum esse creatorem, cõcipimus per modum formæ existentis in Deo, seu per modum relationis Dei ad creaturam. Sed potest certè sine hac imperfectione concipi, qualiter Deus sit reuera creator per emanationem creaturæ ab eius omnipotentia.

Non solũ fundamẽtaliter, sed formaliter verificantur tales denominationes.

Quintò. Dicere solẽt aliqui, à parte rei Deum esse fundamentaliter creatorẽ, parietem fundamentaliter visum, non verò formaliter: & ita denominationes extrinsecas fundamẽtaliter esse reales, formaliter esse rationis. Sed in primis: si valet dicere, paries fundamentaliter est visus, quia visio est fundamentum denominationis seu relationis rationis: ergo iam datur prædicatio realis de prædicato extrinseco, quod intendimus: & huiusmodi prædicationes ad hæc duo prædicabilia realiter sumpta debent pertinere. Deinde dici non debet, paries à parte rei est fundamentaliter visus, sed dici debet formaliter visus. Nam oculus formaliter videt, & videt vtique parietem: sic etiam creatura formaliter efficitur à Deo, & Deus formaliter creat. Certè enim datur à parte rei realis forma visionis, & creationis, quæ formaliter debet denominare rem. Nec refert, quòd forma non sit in re denominata. Nam hæc propositio, Deus creat, non reddit sensum, Deus habet in se formam creationis: sed Deus exercet creationẽ, quod formaliter verissimum est.

Valebit autem dicere, paries à parte rei, non est formaliter, sed tantùm fundamentaliter relatus ad oculum; quia non datur reuera relatio parietis ad oculum; & fundamentum relationis rationis, est ipsa realis visio. Neque per ipsam relationem dici debet, paries esse formaliter visus: sed potius fingi tali modo visus, seu relatus ad oculum videntem. Itaque tria hæc distinguenda sunt, parietem fundamentaliter seu potentialiter videri, actu formaliter videri, & referri ad oculum. Prima denominatiò habetur per potentiam visiuam. Secunda per actum visionis. Tertia per relationem rationis. Igitur per formam visionis, dici non debet fundamẽtaliter videri, sed formaliter quidem videri, fundamentaliter autem referri.

Nõ per relationem rationis possibilem sed per

Sextò. Quidam alij dicunt, Deum denominari à parte rei formaliter creatorem, tantùm per relationem rationis possibilem, quæ sit forma denominans. Non dicunt per fundamentum ex quo est possi-

formas reales. possibilis relatio; sed per ipsam formam relationis, tamen vt possibilem, quia ante omnem operationem intellectus verum est illam esse possibilem. Verùm satis constat, quòd etiam si esset impossibilis talis relatio, à nulloque intellectu fingi posset, adhuc Deus realiter est creator. Ac etiam si nihil cogitetur de tali relatione possibili, potest cogitari & affirmari, Deum esse creatorem. Neque de facto quando hoc dicimus, intendimus dicere, esse possibilem talem relationem. Imo per relationem possibilem non posset dici Deus actu creator, sed possibiliter creator: sicut non potest dici actu referri, sed possibiliter referri: & sicut per albedinem possibilem non potest dici paries actu albus, sed possibiliter albus.

Aliæ denominationes spectant ad propriũ, aliæ ad accidens. Septimò demum in his denominationibus extrinsecis benè distinguuntur, aliæ spectantes ad proprium, aliæ ad accidens. Nam quædam sunt quæ conueniunt rebus ex vi essentiæ: vnde formantur propositiones necessariæ: & valet dicere, hoc prædicatum dicitur de hoc subiecto, omni, solo, & semper. Sic se habet denominatio visibilis, sumpta à potentia visiua, ad colorem & lumen, denominatio audibilis ad sonum, aliæquè similes. Aliæ autem sunt, quæ non hoc modo, sed ad instar accidentium communium se habent, vt actu videri, audiri & similes.

Obiectiones soluũtur. In contrarium obijcies primò. Prædicatum tantùm dicitur de subiecto: sed non est subiectum nisi illud cui forma inest: ergo repugnat formam dici de eo cui non inest.

Respondetur. Aliud esse subiectum prædicationis, aliud inhæsionis seu informationis: omne ergo prædicatum dicitur de subiecto primo modo sumpto, quod patet ex terminis: sed non de subiecto secundo modo sumpto, quod patet ex dictis.

Obijcies secundò. Forma non po est denominare formaliter, nisi id cuius est forma, siue quod habet formam: ergo non potest dici extrinsecè de alia re.

Respondetur. Aliam esse denominationes habentis formam, aliam terminantis, seu producentis. Prima est intrinseca, & conuenit tantùm illi rei quæ habet in se formam. Secunda est extrinseca, & conuenit alijs rebus.

Obijcies tertio. Hæ denominationes visi, auditi, creatoris, & similes, sunt denominationes relatiuæ. Nam visum refertur ad videntem, creator ad creaturam. Et ita solent assignari tanquam relationes rationis. Ergo non sunt denominationes reales.

Respondetur. Illas denominationes esse terminatiuas, vel causatiuas, non relatiuas. Non enim sensus est, paries refertur ad videntem, sed terminat visionem, Deus exercet creationem. Concedimus autem, quando hæ denominationes sumuntur relatiuè, esse rationis. Et sic solent frequenter assignari.

Obijcies quartò. Vniuersale definitur aptum inesse pluribus, & prædicabile in eodem sensu sumitur: ergo natura non potest esse vniuersalis & prædicabilis respectu eorum quibus non potest inesse: & repugnabit dicere prædicata extrinseca vniuersalia.

Respondetur. Si ly inesse sumatur propriè & intrinsecè, ita esse. Sed si sumatur magis latè, pro eo quod est aliquo modo attingere, seu adesse, taliter vt possit prædicari: sic benè inter vniuersalia & prædicabilia computari. Vel, si dicere placeat, esse prædicabilia, non vniuersalia sumendo magis amplè prædicabile quàm vniuersale. Et quidem cõmuniter ad hæc duo prædicabilia reducuntur illæ propositiones, vas est aureum, scamnum est ligneum: & tamen non inest substantia figuræ. Sed quia eo modo prædicantur, ideò ad hæc prædicabilia reducuntur.

SECTIO TERTIA.
De Proprio.

Proprium quatuor modis sumitur. IN primis, quatuor modos Proprij Porphyr. distinguit. Et distinctio sumpta fere est ex Aristot. 5. Top. in princ. Primum proprium est, quod cõuenit vni soli speciei, non tamen omnibus contentis sub illa: vt homini esse Medicũ, vel Philosophum. Secundum est, quod è contra conuenit omnibus contentis sub specie, non tamen illi soli speciei: vt homini esse bipedẽ. Requiritur autẽ ad hunc modum proprij, vt nõ indifferẽter insit oibus speciebus; sed quibusdã insit, quibusdã non: vt in

in exemplo posito esse bipedem non conuenit omnibus speciebus animalium. Tertium est, quod conuenit omni & soli, non tamen semper: vt homini conuenit canescere, tamen in tempore senectutis. Etsi autem hoc non videatur soli homini cõuenire: nam & equos canescere narrat Aristot. lib. 5. de Gener. animal. cap. 5. Tamen non est in exemplis omnimoda veritas requirenda Et saltem homini maximè magisquè manifestè conuenit in senectute canescere. Vnde idem Aristot. sect. 10. Problem. quæst. 52. supponit, specialiter hominem inter omnia animantia canescere. Aliud exemplum huius proprij afferri potest: homini conuenit actu discurrere, seu dependenter à sensibus intelligere, cùm ad vsum peruenit rationis. Quartum proprium est, quod conuenit omni soli & semper: vt homini esse risibilem. Etsi enim homo non semper actu rideat, semper tamen habet potentiam ridendi, quæ est risibilitas: & equo proprium est esse hinnibilem.

Quonam modo sit quartum prædicabile.

Secundò videndum est, num omnia hæc propria, vel quodnam ex eis, constituant hoc quartum prædicabile distinctum à quinto. Aliqui affirmant omnia: quia omnia in hoc cap. à Porphyr. recensentur. & pro quinto prædicabili remanent illa accidentia, quæ nec soli vni speciei, nec omnibus sub illa contentis, conueniunt: vt homini esse album. Ita sentit Hurtad. disput. 6. sect. 5. Fonseca autem 5. Metaphysic. cap. 28. quæst. 19. sect. 1. & 3. & quæst. 20. sect. 3. Et Conimbr. quæst. 1. de Proprio, sentiunt, non solùm proprium quarti modi, sed etiam secundi modi, quod conuenit omni, & non soli, spectare ad hoc quartum prædicabile. Quia, dicunt, sunt pleraquè accidentalia prædicata, quæ à plurium specierum natura promanant: neque cum certa aliqua natura communi, vel specifica, vel generica, conuertuntur. Vt esse intellectiuum conuenit homini & Angelo, non autem alicui generi vtrique cõmuni: item esse volatile, gressibile, & similia, quæ cõueniũt varijs speciebus animalium: & esse quale, quod conuenit varijs substantijs, nec conuertitur cum genere summo substantiæ, cùm conueniat etiam animæ separatæ, quæ non ponitur directè in prædicamento substãtiæ.

Nõ primo vel tertio modo sumptum.

Dicendum tamen est, solum proprium quarto modo constituere hoc quartum prædicabile. Hæc est communis sententia. Auerrois in hoc cap. Ocham. prima parte Log. cap. 24. Caietan. Sot. Tolet. & aliorum hoc cap. Et quidem non oportet probare, verè proprium quarti modi spectare ad hoc prædicabile, quia res est clara. Proprium autem primo & tertio modo non spectare, probatur facilè: quia illa prædicata quæ non conueniunt omnibus contentis sub specie, nec semper; sunt prorsus contingentia & separabilia: nec proueniunt ab essentia talis speciei, quæ vtique inest omnibus & necessariò & semper. Licet aũt actuales operationes, quæ ex vi potentiarum naturalium exercentur, vt actu sentire, & intelligere, eliciantur principaliter ex virtute ipsius essentiæ: tamen non per naturalem resultantiam & emanationem dicuntur ab essentia pronenire: nec necessariò, sed contingenter exercentur; vt patet. Illæ autem perfectiones quæ necessariò & naturaliter ex vi essentiæ profluunt, appellantur à Philosophis proprietates & propriæ passiones rerum. Et hæ solæ debent in hoc quarto prædicabili collocari: quia hæc est optima ratio distinguendi quartum à quinto prædicabili.

Nec secũdo, sed tãtùm quarto.

Deinde de ratione huius proprij esse, vt conueniat adæquatè alicui soli speciei, seu vni naturæ communi, atque adeò excludendum esse proprium secundi modi, nisi ad quartum modum reducatur, probatur planè ex Porphyrio, qui in hoc capite ait, propria quarto modo esse propriè, seu verè propria. Et clarissimè in cap. de Genere, & capite vltimo, §. de discrimine differen. & propr. & §. de discrimine proprij & accident. docet, proprium dici de vna sola specie, & cum illa conuerti, & in hoc distingui à genere, differentia, & accidenti. Hoc autem debet sic intelligi: proprium primariò & adæquatè dici de vna aliqua natura communi, siue sit species specialissima, siue subalterna: at genus differentia & accidens non ita se habent, sed primario & immediatè dicuntur de pluribus speciebus. Atque hæc ratio proprij, sumpta est ex Aristotele primo Topicorum cap. 4. *Proprium est, quod soli*

inest

inest, & conuersim prædicatur de re. Nemo enim proprium dicit, quod contingit alij inesse. Et addit, si aliquid quod non inest soli, dicatur proprium, non dici simpliciter, sed secundùm quid. Debent autem in hoc quarto prædicabili collocari illa quæ sunt simpliciter propria.

Proprium enim debet esse adæquatū illi essentiæ à qua emanat.

Ratione idem probatur & explicatur: quia vel prædicatū accidētale côueniens pluribus speciebus, côuenit ab extrinseco, & non ab earū essentia manans. Et sic planè deficit à ratione huius proprij: quod ab accidente distinguimus. Vel conuenit tanquam ab earum essentia manans. Et sic omninò debet concedi gradus essentialis communis omnibus ijs speciebus, quibus tale proprium conuenit: ipsique gradui, seu naturæ communi tale proprium erit verè proprium, illi soli & ijs quæ sub illo continentur conueniens. Nam passio conueniens alicui speciei ex vi essentiæ, si conuenit ex vi talis essentiæ, prout talis est, distinctam ab alijs omnibus; non potest alijs pariter conuenire. Et è contra passio quæ conuenit pluribus speciebus, iam non conuenit huic vel illi, ex vi essentiæ prout talis determinata essentia est: sed potius ex vi gradus essentialis & naturæ genericæ communis ijs speciebus. Et ita omnis proprietas ab essentia, manans illi soli conuenit, & non reperitur nisi vbi talis natura est. Sic v. g. esse sensibile sumptum pro proprietate conuenit omnibus speciebus animalium: prouenit autem ex vi gradus communis, & naturæ genericæ animalis, eique soli conuenit.

Nēpè principio exigitiuo ipsius Proprij.

Confirmatur magis. Hoc ipso, quod aliqua proprietas conuenit alicui speciei ex vi essentiæ, assignatur tanquam gradus essentialis eius speciei principium exigitiuum eius proprietatis. Imo hic est frequentissimus modus explicandi rerum essentias. Si ergo illa proprietas conuenit etiam alteri speciei, in illa similiter assignabitur principium exigitiuum talis proprietatis. Ergo datur conceptus communis principij exigitiui eius proprietatis, qui conceptus est essentialis omnibus speciebus participantibus eam proprietatem. Et de hoc gradu essentiali dicere valebit, illi soli & omnibus sub eo contentis conuenire illam proprietatem. Ideò dixi, proprium quarti prædicabilis debere alicui naturæ communi conueniri, & excludendum esse omne aliud prædicatum, quod non ad proprium quarti modi reducatur.

Exemplis ostēditur.

Iuxta hoc Aristot. 2. de Anima tex. 68. cùm dicat, aerem & aquam & quædam alia corpora esse perspicua, addit: *Non enim secundum quòd aqua, nec secundum quòd aer, perspicuum est: sed quoniam est natura eadem in his vtrisque, & in perpetuo illo quod sursum est corpore*. Vbi planè docere voluit, dari conceptum naturæ communis, cui proprium sit esse perspicuum, in quo conceptu conueniant, aqua, aer, cælum, & omnia corpora perspicua: Idipsum significauit 1. Poster. cap. 9.

Imo illamet exempla allata a Fonseca hoc totum confirmant. Nam sicut assignatur intellectiuum pro quadam proprietate communi homini & Angelo: ita omnino datur intellectiuum pro gradu essentiali communi. Sic etiam esse volatile, gressibile, & similia sicut sumi possunt pro quibusdam proprietatibus, ita pro quibusdam gradibus essentialibus sub genere animalis: vt planè assignauit Aristot. in Antepræd. cap. 4. & 7. Metaphys. text. 43. & esse quale conuenit substantiæ, sumendo substantiam in tota latitudine, vt etiam animam rationalem, & similes substantias partiales complectatur. Neque enim dicimus, omnem proprietatem debere alicui speciei vel generi prædicamentali conuenire: sed absolutè alicui naturæ communi. Vnde etiam enti in tota sua amplitudine suæ proprietates attribuuntur.

Et per hæc patet manifestè ad fundamenta aliarum sententiarum. Porphyr. enim non ideo quatuor modos proprij numerauit, vt omnes ad quartum prædicabile reduceret: sed vt verum proprium quod est quarti modi assignaretur. Sicut antea plures modos differentiæ distinxerat, vt differentia proprijssima acciperetur. Et nulla sunt accidentalia prædicata, quæ ab essentia promanent, & non alicui soli naturæ communi conueniant; vt de ijs verificetur, conuenire omni soli & semper.

Proprium definitur.

Tertiò deinde patet, quid sit hoc proprium, & qualiter definiendū. Benè enim Porphyr. ait: *Proprium esse quod conuenit omni*

omni soli & semper: præintelligendo tamen prædicatum accidentale. Benè etiam Aristot. 1. Top. cap. 4. *Proprium est, quod non indicat quid est esse rei: soli autem inest, & conuersim prædicatur de re.* Et idem est sensus vtriusque definitionis. Quod enim inest omni soli & semper, conuertitur cum re; vt ita dicere valeat, omnis homo est risibilis, omne risibile est homo; & sic de alijs. Ait autem Arist. quod non indicat quid est rei, idest non est prædicatum essentiale. alioqui non negauit, per modum signi & effectus notificare essentiam rei. Optimè etiam definietur proprium: est prædicatum accidentale quod naturaliter promanat ab essentia rei, iuxta ea quæ dicta sunt. Expressè autem quatenus vniuersale & prædicabile definiri debet: quod aptum est inesse pluribus, seu prædicari de pluribus, extra eorum essentiam, sed promanans ex eorum essentia. Propter dictam autem emanationem ab essentia, quandoque proprietates rerum dicuntur essentiales, & propositiones in quibus eædem proprietates affirmantur de rebus, dicuntur essentiales. quod intelligitur, non formaliter, sed causaliter: vt patet.

Est vniuersale per respectum ad plura.

Quartò quia dictum est, proprium adæquatè conuenire alicui naturæ communi, & ita conuenire omnibus sub illa contentis, dici debet formaliter vniuersale respectu eorum quæ sub ipsa natura continentur. Ita Albert. tract. de Propr. cap. 10. Scot. q. 30. Vniuersal. ad 1. Sotus q. 1. de Propr. ad vltimum, Conimbr. q. 2. Louaniens. & alij eod. cap. Quia vniuersale formaliter dicit ordinem ad plura, & dicitur respectu plurium: sed natura communis cui proprium adæquatur, consideratur vt vna; inferiora verò sunt plura: ergo respectu horum proprium est vniuersale. Vnde, cùm idem prædicatum dicatur, & proprium, & vniuersale, quod idem est ac commune multis; dicetur quidem proprium respectu ipsius naturæ, tanquam proprium vni naturæ; vniuersale autem & commune respectu inferiorum, tanquam commune multis. Dici tamen poterit veluti virtualiter vniuersale respectu naturæ, quia scilicet est proprium naturæ vniuersali, cum qua consequenter debet diuidi in plura. Et hoc totum conforme est ijs quæ in re simili diximus de Differentia, quæstione duodecima sectione 3.

Num omni naturæ communi sua proprietas insit.

Quintò præterea quæri hìc potest, num ita debitum sit naturæ communi, habere proprium, vt omni naturæ communi debeat sua peculiaris proprietas conuenire, in qua differat ab alijs naturis. Regulariter quidem ita est: & interdum assignatur proprietas saltem per negationem, aut per formam rationis fundatam in ipsa natura. Imo solent rerum essentiæ explicari & designari per rationem principij exigitiui talis vel talis proprietatis. Attamen necesse non est, vt omni naturæ sua proprietas positiua conueniat. quod saltem patet, quia non oportet cuilibet proprietati aliam proprietatem conuenire, nè detur processus in infinitum. Possunt etiam, & solent, plures proprietates inter se connexæ, sibiquè non aduersantes, vni & eidem naturæ conuenire: vt significauit Arist. 5. Top. cap. 2.

Singularibus non conueniunt nouæ proprietates.

Sextò ex alia parte quæri potest, num etiam singularibus concedendæ sint suæ peculiares proprietates, à differentijs indiuidualibus promanantes. Et breuiter dicendum est, non posse conuenire nouas alias proprietates extra illas quæ in communi conueniebant naturæ communi: sed debere ijs conuenire proprietates naturę communis, determinatas & contractas in ipsis singularibus. Probatur quia quęcunque proprietas conueniat alicui singulari, potest prorsus similis proprietas & solo numero diuersa, alij & alij singulari conuenire: sicut constat de ipsa natura specifica. Nec ex vllo capite prouenire potest repugnantia, vt dum conuenit natura prorsus similis soloq. numero multiplicata pluribus indiuiduis, non possit etiam consimilis proprietas conuenire. Ergo ipsa proprietas debet sumi in communi, & vt sic conuenit naturæ communi. Et sicut natura diuiditur & multiplicatur in singularibus, ita etiam proprietas. Loquimur autem de rebus creatis, & de illis singularibus quæ conueniunt in communi natura specifica.

Quomodo in ijs determinentur proprietates communes.

Deinde non apparet semper necessarium, vt huic determinato indiuiduo ex vi suæ determinatæ singularitatis, conueniat certa determinata proprietas singularis: quinimo benè fieri potest, vt li-

cèt huic & cuilibet indiuiduo debeatur proprietas conueniens speciei; tamen non debeatur huic indiuiduo hoc numero accidens proprium, sed possit indifferenter hoc vel illud attribui. V. g. proprietas materiæ seu substantiæ corporeæ est quātitas. Sed necesse nō est huic certę materiæ insidere hanc certam quantitatem: sed indifferenter illi potuisset tribui hæc vel illa: & similiter hæc quantitas potuisset imponi huic vel illi materiæ. Et pariter in alijs rebus similibus dici potest.

Imo etiam quando proprium est ita genericum, vt contineat sub se varias species, fieri potest, vt secundùm genus quidem sit debitum, indifferens autem sit secundùm vnam vel aliam speciem. Sic certè materiæ est debita forma substantialis, non autem hæc vel illa species formæ: quantitati debita est figura, non tamen hæc vel illa species figuræ. Vnde sequitur, prædicatum amplè sumptum esse verè proprium, & competere necessariò rei: singula autem indiuidua seu species talis proprij, esse potius accidentia communia seu contingentia: quia nimirum singillatim sumpta non necessariò competunt. Quod non est aliud quam dicere: materiæ v. g. necessarium est, habere formam, & quantitati figuram: non tamen necessarium est habere hanc formam, hanc figuram determinatè. Et ita notauit benè Fonseca 5. Metaph. cap. 28. q. 20. sect. 5.

Ex alia parte fieri etiam potest, vt vni certæ naturæ vna certa proprietas debeatur: v. g. vt huic naturæ substantiali hic certus subsistentiæ modus, & sic de singulis. Hic enim modus se habet vt proprietas respectu ipsius naturæ substantialis. Et in alijs rebus similibus idem dici poterit. Itaque iuxta varias rerum conditiones explicandum est, quomodo proprietates communes in singularibus determinentur.

An proprium distinguatur ab essentia rei. Septimò quæri potest, an & quomodo proprium distinguatur ab essentia rei, & an saltem per Dei potentiam possit ab illa separari. Sotus quæstione secunda, de hoc latè disputat. Sed fatetur quæst. non esse huius loci. Satis ergo nunc est dicere, non requiri absolutè ad rationem proprij, vt reuera ab essentia distinguatur, sed sufficere posse distinctionem rationis. Hoc enim satis est, vt proprium prædicetur non essentialiter etiam de illa natura à qua sic distinguitur, sumendo scilicet naturam & proprietatem formaliter, quatenus distinguuntur. Item ex alia parte non repugnare, vt proprium à parte rei, ac realiter à natura distinguatur: ita vt posset à Deo conseruari natura sine sua proprietate: & in quibusdam rebus etiam ipsa proprietas sine natura; vt certè potest quantitas sine substantia conseruari. Neque enim oportet, tam necessariam esse dimanationem proprietatis ab essentia, vt nec per Dei potentiam impediri queat. Cęterùm quænam proprietates & quomodo à rerum essentijs distinguātur, in proprijs locis & materijs philosophicis disputandum est.

SECTIO QUARTA.

De Accidente.

Accidens definitur. Accidens prædicabile modò sumitur vt condistinctum à proprio, sicut antea explicatum est. Et primo loco à Porphyrio definitur: *Quod adest & abest præter subiecti corruptionem*. hoc est: Accidens est natura seu forma, quæ apta est inesse seu conuenire subiecto, atque à subiecto abesse, ipso subiecto incorrupto permanente. Hæc definitio bona est, & vera, si rectè explicetur. Recipitur à Peripateticis communiter. Licèt Auicenna, & alij Arabes apud Albertum tractatu 7. Prædicabil. capite 2. eam reijciant. Et non modicam difficultatem habet: propter quod diligenter explicanda est.

An et quō omne accidens possit abesse citra subiecti corruptionē. Præcipua difficultas circa hanc definitionem est, quia multa sunt accidentia quæ à subiecto abesse & separari nequeunt, vt nigredo à coruo, albedo à cygno, & similia. Quamuis autem postea dubitatum sit, an inueniatur coruus albus. imo Diuus Augustinus libro quarto de Trinitate capite quarto notauerit, coruum antequam plumescat non esse nigrum. Tamen admittendum est exemplum, quòd semper coruus sit niger: & sufficit quòd semper plumæ corui nigræ sint, vt notauit ipse Augustinus. Imo Porphyr. ipse immediatę post definitionem

nem diuidit accidentia, dicens, alia esse separabilia alia inseparabilia. Hæc autem accidentia inseparabilia planè videntur destruere definitionem traditam. Vnde non defuerunt qui dixerint, illam definitionem esse traditam de solo accidente separabili. Sed certè, cùm Porphyr. prius definierit accidens, quàm diuiserit, & continuando dixerit, diuiditur autem in duo: planè definiuit accidens in communi, quod consequenter diuisit. Quocirca communiter vt certum supponitur, illam definitionem esse adæquatam accidenti: & varijs modis conati sunt Auctores illam explicare & verificare. Omissis autem quibusdam explicationibus, quæ à nonnullis adhibentur, à mente Porphyr. alienis, & ad rem ipsam insufficientibus: tribus modis potest satis commodè ea definitio explicari.

Pōt abesse per considerationē intellectus.

Primus est S. Thomæ Opuscul. 48. cap. 8. & quæst. vnica de Spiritual. creatur. art. vlt. ad 7. Scoti q. 35. Vniuersal. Aegid. 1. Poster. textu 18. Caiet. Anton. Andr. Soti, Toleti, & aliorum in hoc cap. Accidens posse abesse & separari à subiecto, si non realiter, saltem per intellectum: quia benè potest concipi substantia sine accidenti, coruus sine nigredine; absquè detrimento ipsius subiecti: imo ipse Porphyr. rem sic explicauit, videns difficultatem, quæ ex accidentibus inseparabilibus contra definitionem oriebatur: *Potest enim intelligi*, inquit, *& coruus albus, & Aethiops abijciens colorem, præter subiecti corruptionem*.

Verùm adhuc vrget difficultas, quia pariter proprium potest per intellectum ab essentia separari. Possumus enim considerare essentiam rei sine eius proprietate. Ideò addendum; ita posse accidens per rationem separari à subiecto, vt subiectum possit etiam concipi cum alio accidenti opposito sine præiudicio essentiæ eius: vt possumus concipere coruum album, integro manente conceptu essentiali corui, cui nimirum quantum est ab intrinseco non repugnat albedo. Sed non potest ita separari proprium ab essentia: non potest subiectum concipi cum proprietate opposita, v. g. homo cum hinnibilitate: sed per hunc conceptum destrueretur essentia hominis. Et ratio est: quia si concipitur hinnibilitas vt proprietas hominis, concipitur vt [fl]uens & manans ab essentia eius, & ita e[ssenti]a hominis concipitur vt principi[um] exigitiuum hinnibilitatis: at hæc est formaliter essentia equi: ergo destruitur essentia hominis. Atque hoc est quod indicare voluit Porphyr. quando dixit, potest intelligi coruus albus.

Imo hinc potest etiam negatiuè res explicari. Non potest intelligi essentia sine proprietate, formaliter loquendo, idest intelligi vt non exigitiua talis proprietatis. Nam sic planè destrueretur essentia. Sed benè potest intelligi subiectum sine accidente. Itaque non potest intelligi essentia sine proprio, illo modo quo proprium conuenit ipsi essentiæ, scilicet per exigentiam naturalem. Sed benè potest intelligi subiectum sine accidente, illo modo quo accidens potest conuenire subiecto, scilicet per contingentem habitudinem.

Et, si realiter absit, nō necessariò infert destructionē subiecti.

Secundus modus explicandi est per separationem realem, veluti sub conditione: idest accidens ita se habet, quòd si auferatur à subiecto, inde non sequitur necessariò destructio subiecti. Quamuis absolutè loquendo, non separetur, vt nigredo à coruo. Tamen proprium ita se habet, vt dici valeat, si proprium auferatur, destruitur essentia rei. Ita explicat Boet. super hunc locum. Debet autem intelligi, si proprium auferatur, non tantùm materialiter, quo modo potest sæpe per Dei potentiam separari; sed formaliter, vt modò dicebamus; ita scilicet vt non exigatur amplius ab essentia, non cōparetur illi vt naturaliter ei debitum. hoc enim esset auferre proprium modo opposito illi modo quo proprium formaliter conuenit essentiæ. Et hinc planè sequeretur destructio essentiæ, vt patet.

De facto abest, quia vel non inest omni, vel non soli, vel non semper.

Tertius modus & valde acomodatus ad distinctionem accidentis à proprio est, considerando accidens in sua specie, & comparando illud ad subiectum etiam in specie sumptum, v. g. nigredinem ad coruum. Cùm enim proprium definitum sit illud, quod inest omni soli & semper: accidens est, quod deficit ab aliqua ex his conditionibus; & vel non inest omni, vt Grammatica homini; vel non soli, vt nigredo coruo; vel non semper, vt canities homini. Et in hoc sensu rectè dici-

dicitur abesse præter subiecti corruptionem. si non inest omni, abest ab ijs quibus non inest: si non soli, illud quod inest alijs rebus abest ab illo subiecto: si non semper, abest pro aliquo tempore. Non ergo oportet, vt accidens possit separari per ablationem sui ab illo subiecto cui semel inerat: sed satis est, posse abesse aliquo ex his modis. Proprium autem nullo ex his modis abesse potest à suo subiecto, formaliter loquendo. Nullum enim indiuiduum speciei est, cui proprium non sit naturaliter debitum: nulla alia species est, cui sit naturaliter debitum: nullum tempus est, quo non sit tali naturæ debitum.

An et quomodo omne accidens possit adesse citra subiecti corruptionem. Alia difficultas circa eandem definitionem est propter aliam particulam, quod adest præter subiecti corruptionem. Quædam enim accidentia sunt, quæ suo aduentu & præsentia destruūt subiectum, vt mors viuentibus, combustio lignis, calor summus aquæ, & similia. Propter quod Rupert. Abb. lib. 7. de Operib. Spiritus. cap. 13. dixit: *Tali definitione nequaquam comprehendi illud accidens, quod subiectum, idest hominem, omninò corrumpit, imo destruit, ita vt reuertatur in puluerem.*

Ad hanc difficultatem Aegid. loco citato. Burl. hoc capite, & quidam alij dicunt, ly præter subiecti corruptionem, non debere cum vtroque verbo coniungi, sed solùm cum ly abest: vt sensus sit, accidens est, quod ita adest subiecto, vt abesse possit sine eius corruptione: Sed melius dicendum est cum alijs magis communiter, & conformiter ad ea quæ dicta sunt, præter subiecti corruptionem, intelligi quoad essentiam, idest sine destructione & præiudicio essentiæ subiecti: siue: non repugnare essentiæ subiecti, tàm præsentiam, quam absentiam accidentis. Non verò intelligi quoad existentiam: sed benè fieri posse, vt per aduentum accidentis causetur corruptio subiecti quantum ad existentiam: vt passim in substantijs corruptibilibus contingit.

Secunda definitio accidētis. Secundo loco Porph. definit accidens: *Quod contingit eidē inesse, & nō inesse.* Quæ definitio est Aristot. 1. Topic. cap. 4. & lib. 4. cap. 1. loco 4. Eam verò Auerr. in cap. de Acciden. vult soli accidenti separabili conuenire. Cajetanus & alij volunt conuenire omni accidenti, sicut primam. Et quidem potest facilè hæc definitio explicari, sicut illa: vel de separatione per intellectum: vel de separatione reali modo prædicto. Vnde non differet à prima definitione, nisi quòd illa vtebatur verbis adest & abest; hæc autem vtitur verbo inessendi, quod aptius est ad explicandum modum, quo accidens est in subiecto. Vtitur etiam verbo, contingit, quod exprimit contingentiam accidentis.

Deinde etiam si nō inesse sumatur pro separatione reali, qua idem accidens, quod inerat subiecto, realiter auferatur, & corrumpatur, permanente subiecto adhuc potest hæc definitio omnibus accidentibus huius quinti prædicabilis adaptari, dicendo cum Alexand. 1. Top. cap. 4. & Themist. 1. Poster. cap. 14 satis esse, si accidens possit hoc modo separari ab aliquo vno, ex multis subiectis quibus inest. Sic certè nigredo, licèt non possit auferri à coruo, tamen potest auferri à manu. Et ita se habent omnia alia accidentia. Hunc sensum indicauit planè ipse Aristoteles, dicens: *Accidens contingit inesse & non inesse cuiuis vni*, hoc est potest separari ab vno aliquo subiecto, quoduis illud sit. In quo verè differt accidens à proprio, quod sanè à nullo subiecto cui conuenit per naturalem dimanationem ab essentia, potest naturaliter separari; & maximè fieri non potest, vt non sit debitum & connaturale tali subiecto.

Tertia definitio accidentis. Tertio loco Porphyr. definit accidens per negationem aliorum quatuor, de quibus tractauerat: *Quod neque est genus, neque differentia, neque species, neque proprium: semper autem est in subiecto subsistens.* Quę definitio pariter sumpta est ex Aristot. 1. Top. cap. 4. Nisi quòd in textu Aristot. habetur: *Inest autem rei.* Quod verbum inessendi magis congruit accidenti. Porphyr. autem per subsistit intellexit existit. Et dixit, semper, ad denotandum, accidens non existere extra subiectum, sed vel non existere, vel existere in subiecto. Meritò autem Aristotel. huic definitioni præfert aliam quam modò explicauimus: quia per hūc modū definiendi negatiuū, potius explicatur quid non sit, quàm quid sit.

Quar-

Definitur & explicatur accidēs quatenus vniuersale. Quartò deinde accidens formaliter & expressè quatenus vniuersale & prædicabile, definiri debet: Quod aptum est inesse pluribus, seu prædicari de pluribus, accidentaliter contingenter, seu extra essentiam, nec promanans ab essentia. Hæc definitio satis clara manet ex dictis, tum de ipso accidente, tum de proprio.

Obseruandum tamen de nouo occurrit, quòd aliqui opinati sunt, accidens esse vniuersale, etiam per comparationem ad vnum tantùm subiectum reale, quia in illo possunt saltem per rationem distingui plura de quibus accidens prædicetur. Nam rectè dici potest, hic paries est albus, hoc corpus est album, & similia multiplicari possunt in eodem subiecto reali. Imo cōsiderari possunt plura realiter distincta: v.g. in eodē pariete dicere possumus, hæc substantia est alba, hæc superficies est alba. Sed certè non debet accidens per hunc respectum dici vniuersale: sequeretur enim, accidens singulare quatenus hoc singulare, esse vniuersale, esseque vniuersale à parte rei. Ratio autem a priori est, quia natura non est vniuersalis, nisi per respectum ad plura in quibus multiplicetur per diuisionem sui ipsius: quod de omni vniuersali verum est, etiam de accidente. At eo modo nō dicitur accidens de pluribus per diuisionem sui, sed potius idem singulare accidens indiuisum eo modo prædicatur. Accidens ergo non est vniuersale, nisi per respectum ad plura subiecta realia in quibus distinguātur plura singularia accidentia, quæ conueniant in natura sumpta in communi.

Vt dicatur vniuersale non requirit existētiā actualem. Præterea quidam alij dixerunt, ad vniuersalitatem accidentis requiri actualem existentiam eius in pluribus subiectis, & in hoc differre a cæteris vniuersalibus quibus sufficit aptitudo essendi. Quoniam accidens non potest prædicari de subiecto, nisi præsupposita actuali existentia pro aliqua differentia temporis: alia autem prædicari possunt præscindendo ab existentia & ab omni differentia temporis. Et quidem si vniuersalitas sumatur pro fundamento proximo prædicabilitatis, id rectè dicitur. Sed tamen necesse non est, vniuersalitatem sic sumi: sed sufficit saltem remotum fundamentum, & aptitudo existendi in multis conueniens accidenti etiam non existenti. Et ita licèt accidens differat ab alijs vniuersalibus modo dicto: adhuc potest dici suo modo vniuersale, sine existentia actuali, vt iam notauimus quæst. 8. sect. 12.

Accidens diuiditur Quintò. Accidens diuisum est à Porphyrio dicente, alia esse accidentia separabilia, alia inseparabilia. Separabilia dicuntur, quæ ita subiecto insident, vt possint ac soleant ab ijs auferri, non quasi possint abstrahi a subiecto, & per se conseruari extra subiectum, vel quasi possint transferri ad aliud subiectum: sed quia possunt destrui & corrumpi. Inseparabilia dicuntur, quæ semper permanent in subiecto, quandiu subiectum extiterit. Fieri autem potest, vt idem specie accidens sit separabile respectu alicuius subiecti, & inseparabile respectu alterius: vt nigredo non potest separari à coruo, potest ab alijs multis rebus.

Potest præterea accidens alijs modis diuidi. Aliud enim accidens est, quod non inest omni, sed inest soli, vt videre homini. Vbi accidens quidem habet necessariam dependentiam à subiecto, subiectum tamen non habet necessariam exigentiam eius. Aliud est, quod inest omni, sed non soli, vt nigredo coruo. Aliud quod omni & soli, sed non semper. Aliud, quod nec semper, nec omni, nec soli. Aliique modi diuidendi facilè excogitari possunt. Et potest aliqua diuersitas formalis in ipsa vniuersalitate & prædicabilitate talium accidentium admitti: sicut dictum est de alijs vniuersalibus.

Accidens suscipit magis & minus. Postremo assignat Porphiyr. cap. vlt. in fine, discrimen quoddam inter accidens & proprium, dicens: *Propriorum quidem æqualis est participatio; accidentium verò vel magis vel minus.* Hoc autem difficile est. Tum quia multa accidentia sunt, quæ non suscipiunt magis & minus, nec inæqualiter participantur: vt variæ præsentiæ locales, varij situs & figuræ, & relationes. Tum quia è contra aliqua propria sunt, quæ videntur posse suscipere magis & minus, & inæqualiter participari: vt potentiæ sensitiuæ, & motiuæ in animali, extensio in corpore, quæ potest esse maior per raritatem minor per densitatem, & alia huiusmodi. Atque Porphyr. ipse in cap.

de

de Differ. absolutè docuit, differentias accidentales, includendo etiam accidentia propria, posse suscipere magis & minus, & in hoc distingui à differentijs essentialibus.

Ad hanc difficultatem varijs modis conati sunt aliqui satisfacere, & rem explicare. Breuiter tamen dicendum est: accidens posse inæqualiter participari, seu suscipere magis & minus. Non quasi necesse sit, omnem formam accidentalem quinti prædicabilis esse huiusmodi. Nulla enim ex parte oritur talis necessitas. Sed quia absolutè & indefinitè loquendo, accidens quinti prædicabilis capax est huius inæqualitatis, seu non repugnat illi ex ratione accidentis suscipere magis & minus. Ad quod verificandum sufficit, multa accidentia reperiri capacia huius inequalitatis: & pręterea in illis quę non sunt capacia, repugnantiam non oriri ex ipsa ratione accidentis prædicabilis, licèt oriatur ex peculiari natura talium accidentium.

Non autē propriū in rigore sūptum.

Proprium autem potest considerari dupliciter: vel ita vt sit verè proprium, manans ex vi essentię, non solùm quatenus forma quædam est, sed etiam quatenus sit tantæ vel tantæ perfectionis: vel ita vt solùm sit proprium manans ab essentia, quatenus forma quædam est absolutè loquendo, non autem quatenus sit tantæ vel tantæ perfectionis: sed hæc determinatio oriatur ex alijs causis aut dispositionibus, & non necessariò sed contingenter se habeat ad essentiam speciei. Primo modo se habet, v. g. sua potentia intellectiua cum quacunque specie Angeli: ex vi enim talis essentiæ specificæ determinatur potentia tantæ vel tantæ perfectionis. Secundo modo se habet, v. g. potentia sensitiua, aut motiua animalis. Exigit enim animal absolutè loquendo talem potentiam: tamen perfectio eius dependet ex alijs causis & dispositionibus contingentibus & variabilibus. Imo ex dictis sect. præced. patet, posse formam secundùm rationem tantùm genericam habere rationem proprij, & non secundùm vnam vel aliam sui speciem determinatam; sic materia exigit absolutè formam, non autem formam tantæ vel tantæ perfectionis essentialis.

Proprium ergo primo modo, non inæqualiter participatur, non suscipit magis & minus: quandoquidem secundùm omnem rationem & determinationem est verè proprium, & necessariò annexum speciei. Proprium secundo modo, potest inæqualiter participari, & suscipere magis & minus: quandoquidem est proprium & necessarium speciei, solùm secundùm rationem absolutam & indefinitam, non verò secundùm omnem determinationem; sed quantum ad certam determinationem se habet potius contingenter. De proprio primò modo, siue de proprio secundùm omnem rationem qua verè proprium est, loquutus est Porphyrius ibi capite vltimo. De proprio secundo modo procedit argumentum factum: & solùm probat, secundùm eam rationem qua prædicatum non est proprium & necessarium speciei. Et vt sic hæc accidentalia prædicata includuntur inter illa, de quibus idem Porphyr. cap. de Differ. dixit suscipere magis & minus.

Cæterùm inter omnia dicta quinque, quæ hactenus considerata sunt, Genus, Speciem, Differentiam, Proprium & Accidens, quamplurimas rationes conuenientiæ & discriminis prolixè satis cōgerit Porphyrius capite vltimo, comparando omnia & singula omnibus & singulis. Verùm ex tractatione singulorum satis manifestum relinquitur, in quo singula quæque conueniant ac differant, vt non opus sit in hac re amplius immorari, sed hæc sufficiant.



QVAESTIO

QVÆSTIO DECIMAQVINTA.

De Vniuersalibus in significando; Vniuocis, Æquiuocis, & Analogis.

ARistoteles ante tractatum Prædicamentorum, præmittit quædam, quæ propterea Anteprædicamenta vocantur. Et præsertim cap. 1. explicat æquiuoca & vniuoca. Reliqua quæ Arist. in eo tract. prosequitur, vel iam in præcedenti vniuersalium tract. inclusa sunt, vel in sequenti quæst. de Prædicam. in communi expedientur. De vniuocis modò & Aequiuocis, additis Analogis quæ sub æquiuocis ab Arist. hoc loco comprehenduntur, præsenti quæst. agere debemus. Quæ maximam connexionem habet cum præced. tractatu, & ad illum proximè debet adiungi. Distinximus enim ab initio vniuersalia in essendo & in significando: & sicut illa, ita & hæc ad Logicam pertinent. Vniuersalia autem in significando sunt voces quæ plura significant. Et sunt in triplici differentia: alia sunt nomina vniuoca: alia æquiuoca: alia analoga. Fateor, vniuoca, & in quodam sensu etiam analoga, dicere simul vniuersalitatem naturæ in essendo. Sed de hac vniuersalitate iam satis egimus. Solùm ergo nunc superest de ijs agere quantum ad vniuersalitatem in significando.

Cæterùm Arist. quidem prius æquiuoca quàm vniuoca nominat & explicat. Cuius ordinis rationem reddunt Simplic. & Ammon. quia æquiuoca simpliciora sunt, cùm solam nominis communitatem important. Porphyr. verò & Boet. quia tractatus prædicamentorum initium sumit à diuisione entis in plura, quod æquiuocè se habet. Sed tamen quia vniuoca maiorem propinquitatem habent cum vniuersalibus in essendo præmissis: ideò illa duximus præponenda.

SECTIO PRIMA.

De Vniuocis, & Aequiuocis.

PRæstat simul hæc coniungere & explicare: quoniam communi ad vtraque discursu optimè innotescent. Definit Arist. æquiuoca: *Quorum nomen solùm commune est, secundùm nomen verò substantia ratio diuersa*. E contra vniuoca definit *Quorum & nomen commune est, & secundùm nomen eadem substantia ratio*. Ita etiam hæc explicat D. August. in lib. Categor. cap. 2. vbi æquiuoca appellat homonyma, vniuoca synonima.

Nomina vniuoca & æquiuoca, sunt vniuersalia in significãdo.

Pro explicatione primò obseruandum est, posse considerari, & res quæ nominibus significantur, & nomina quæ significant res. Res dici solent æquiuoca æquiuocata, vniuoca vniuocata: quia scilicet vocantur & appellantur nominibus. Nomina autem dicuntur vniuoca vniuocantia, æquiuoca æquiuocantia: quia vocant & appellant, idest significant ipsas res. Sed etiam natura vna in communi sumpta, quæ significatur nomine vniuoco, habet appellationem vniuoci vniuocantis. Definitiones ergo Arist. rebus ipsis quatenus stant sub nominibus adaptantur. Vnde fatendum est, Arist. definisse vniuoca vniuocata & æquiuoca æquiuocata. Sed facillimum est, ex ijs definitionibus adaptare similes definitiones nominibus vniuocantibus & æquiuocantibus: quæ sunt propriè vniuersalia in significando. Nomen æquiuocum est, quod est commune pluribus secundùm diuersas rationes. Nomen vniuocum est, quod est commune pluribus secundùm vnam rationem.

Secundò in vtraque definitione ponitur, nomen commune pluribus. In hoc conueniunt tàm æquiuoca quàm vniuoca. Sumitur verò nomen, non in rigore vt condistinctum à verbo: sed ampliori significatione, vt tàm verba quàm nomina complectatur. Nam non solùm nomina, sed etiam verba sunt vniuoca vel æquiuoca. videlicet Amo est vniuocum ad actus amandi. Lego est æquiuocum ad legere & legare. Imo etiam in terminis syncategorematicis, vt in articulis & præpositionibus, inueniuntur vniuoca & æquiuoca. V.g. ly, In, potest significare con-

Nomina sumuntur amplè pro omnibus terminis.

coniunctionem, dicendo, calor est in subiecto; & oppositionem, dicendo, calor agit in frigus. Iste scripsit in Platonem, potest significare, vel super Platonem, vel contra Platonem. Itaque nomen debet hic intelligi pro omni termino & dictione significatiua. In hac autem amplitudine inuenitur non rarò nomen apud Arist. 1. Perier. cap. 3. 1. Topic. cap. 13. 1. Elench. cap. 1. & alibi.

Substantiæ ratio est ratio significata.

Tertiò in vtraque definitione ponitur, substantiæ ratio. Vbi non sumitur substantia prout ab accidenti distinguitur. Nam etiam in accidentibus inueniuntur vniuoca & æquiuoca. Sed sumitur pro quidditate & essentia. Et substantiæ rationem, intellexit Arist. definitionem per quam explicatur essentia rei, & significatum nominis. Hanc acceptionem substantiæ & totum hunc sensum expressit planè ipse Arist. 5. Metaph. 15. *Quod quid erat esse, cuius ratio definitio est, vniuscuiusque substantia dicitur.*

Ratio vniuocorum est vna, æquiuocorum diuersa.

Quartò vniuocorum ratio dicitur vna, æquiuocorum diuersa, secundùm idem nomen. Et in hoc formaliter consistit eorum differentia. Dicitur vniuocorum ratio vna, non quidem vnitate reali, sed vnitate rationis & præcisionis, eo modo quo de vniuersalibus dictum est. Vnde tres Personæ diuinæ non dicentur vniuocè conuenire in nomine Dei alijsquè nominibus essentialibus: sicut natura Diuina non dicitur vniuersalis ipsis personis. Dicitur æquiuocorum diuersa ratio, idest quæ neque per rationem & præcisionem fit vna. Nomina ergo vniuoca sunt, homo, animal, substantia, quantitas, & similia, quibus subest natura vniuersalis, quæ per se primò significatur per tale nomen, & est communis pluribus. Nomina æquiuoca sunt, canis, quod dicitur de cane terrestri, de pisce quodam marino, & de quodam cælesti sydere: gallus, quod dicitur de gallo gallinaceo, & de homine ex Gallia orto: & alia similia nomina, quæ sine vnitate alicuius rationis in pluribus, imposita sunt disparatè ad significanda plura. Cùm enim nomina sint ad placitum: sicut solent esse diuersa nomina ad significanda plura: ita factum est, vt interdum ad plura ac diuersa idem nomen assumptum sit. Vnde multi homines sæpe sunt qui eodem nomine appellantur.

Diuersa nempè secundùm idem nomen.

Consultò autem ab Arist. appositam fuisse illam particulam, *secundùm nomen*, notant Boet. Simplic. Ammon. & alij, & Damasc. cap. 31. suæ Dialect. Quoniam alioqui possunt illa quæ habent vnum nomen æquiuocum, conuenire in aliqua vna ratione communi, quę tamen non importetur per ipsum nomen æquiuocum. Canis enim terrestris marinus & cælestis conueniunt vtique in vna ratione communi corporis & substantiæ, & in hac ratione vniuocè conueniunt: sed non conueniunt in vna aliqua ratione, quæ significetur nomine canis, & ideò in hoc nomine sunt æquiuoca. Rectè igitur dictum est, secundùm nomen ratio diuersa. Et ideò etiam non possunt talia æquiuoca sub vno nomine vna definitione ipsis adæquata definiri. Et hoc voluit Aristot. dicens: *Si quis assignet eorum vtrunque, propriam assignabit vtriusque rationem.*

Nomen quomodo debet esse idem.

Rectè etiam notauit Ammon. vt sit idē nomen, debere esse non solùm easdem litteras, sed etiam eandem pronunciationem, & quantitatem syllabarum, atque accentuum: ita vt in sola significatione sit diuersitas. Quare non dicemus esse idem nomen æquiuocum, lèporem cum media syllaba correpta, & lepòrem cum media producta: sed hæc dicentur potius diuersa nomina, similia tamen in litteris. Et patet: quia ex pronunciatione, nomen dictum vno vel alio modo, determinatè significat vnam rem, & non aliam.

Quæ sit vniuersalitas significatiua in his nominibus.

Itaque vniuersalitas horum nominum in significando habet, quòd omnia quidem plura significant. Tamen nomen vniuocum habet vnam impositionem & significationem: quæ quoniam habet pro sua re, naturam significatam sub conceptu communi pluribus; ideò plura complectitur. Nomen autem æquiuocum plures impositiones & significationes sortitum est, ad diuersas res & rationes, singulas per se significandas. Nomen ergo vniuocum est vniuersale in significando; quia per vnā significationem plura complectitur: æquiuocum verò per plures. Et hæc est legitima horum nominum in sua significatiua vniuersalitate differētia.

Natura significata

Quintò. Specialiter circa vniuoca dubitatur, num oporteat rationem significatam

nomine s aequiuoco, an debeat esse essentialis.

catam esse essentialem ijs rebus de quibus nomen dicitur. Ex vna parte ita videtur. quia ideò Arist. ait, substantiae rationem, idest essentiam & definitionem esse vnam. Et in Praedicam. subst. ait, album & similia praedicata accidētalia dici tantùm secundùm nomen & non secundùm rationem de subiecto. Et idem habetur 2. Top. cap. 2. Ex alia parte omnia vniuersalia debent esse vniuoca: sed etiam praedicata accidentalia sunt vniuersalia: ergo dici debent vniuoca. Haec dubitatio tantùm potest esse de nomine: quomodo vniuocationis nomen accipiendum sit. Vnde dicendum, posse dupliciter accipi. Vno modo magis propriè, quando nomen significat rationem essentialem. Et hoc sanè modo Arist. accepisse videtur, qui propterea post aequiuoca & vniuoca, assignat denominatiua, ad quae pertinent accidentalia praedicata. Et in hoc sensu non omnia quinque vniuersalia sunt vniuoca. Sed vniuocum sic sumptum coincidit cum vniuersali sumpto primo modo dicto q. 8. sect. 16. pro solis essentialibus praedicatis. Alio modo magis latè, quando nomen significat hanc rationem pluribus communem, siue essentialem, siue accidentalem. Et haec acceptio est satis consueta. Sic solet vniuocum cum vniuersali amplè sumpto confundi, vt omnia quinque vniuersalia complectatur. Et Arist. ipse 1. Ethic. cap. 6. dixit, eandem esse albedinis rationem in niue & in cerusa.

An debeat esse perfectè vna & praecisa.

Item dubitatur, num oporteat rationem significatam per nomen, esse perfectè vnam per praecisionem perfectam naturae ab inferioribus & a differentijs contrahentibus: vel sufficiat vnitas imperfecta per imperfectam praecisionem. Et similiter respondendū est, nomen vniuocationis dupliciter posse sumi: vel magis propriè, vt requirat vnitatem naturae perfectam: vel magis latè, vt sufficiat vnitas imperfecta. Sed tamen absolutè debet sumi hoc secundo modo. Sequitur ex dictis de vniuersalibus. Diximus enim, etiam illa quae imperfectè praescindunt, esse genera & species, atque adeò vniuersalia quae in praedicamentis collocantur. At non nisi vniuoca dici debent esse genera & species, & in praedicamentis collocari: ergo sic latè sumi debent vniuoca. Plura de hoc dicemus, agendo de analogis.

An debeat aequè primò participari ab vniuocatis.

Denique dubitatur, num oporteat rationem significatam per nomen, aequè primò & principaliter conuenire omnibus vniuocatis, vel possit conuenire vni principaliter & primariò, alij minus principaliter & secundariò; siue vni originaliter & independenter, alij participatiuè & dependenter ab illo. Ad hanc dubitationē similiter responderi potest, posse vtrunque dici: dupliciter accipiendo nomen vniuocationis. Quidnam autem potius dici debeat absolutè loquendo, dicemus agendo de analogis: an scilicet illa quae cum ea diuersitate in natura communi conueniunt, dici debeant analoga vel vniuoca.

Nomen aequiuocū est vnum materialiter, multiplex formaliter.

Sextò. Specialiter circa aequiuoca dubitatur, num absolutè loquendo nomen aequiuocum dici debeat vnum vel plura. Nam ex vna parte videtur vnum: quia & Ar. ait esse nomen commune: & vna vetique est vox, canis, gallus, quae significat plura. Ex alia parte nomen formaliter constituitur per significationem: ergo vbi plures sunt significationes, plura sunt nomina. Sed res est clara & facilis. Materialiter vnum est nomen, idest vnus sonus, vna vox. Formaliter sunt plures significationes. Quoad modum autem loquendi, dici debet potius vnum nomen: quia hoc est magis consonum communi intelligentiae: & quia vnitas magis attenditur ex subiecto materiali, quam ex ratione formali. Et è conuerso in ipsis nominibus, quando varia nomina habent eandem significationem, idest significant eandem rem, quae dicuntur synonima: absolutè dicuntur plura nomina, non vnum nomen. Et ita docet Scot. 1. Elench. q. 3. qui etiam rectè ait, posse nomen aequiuocum dici vnum multiplex, quasi vnum complicans multa.

Quonam modo nomē aequiuocū plura significet.

Item dubitatur, quonam modo nomen aequiuocum plura significet. Multi dicunt, significare plura sub disiunctione: ita vt, dicendo canis, reddatur sensus, vel terrestris, vel marinus, vel caelestis. Aliqui addunt, posse significare, vel sub disiunctione, vt dicendo aliquis canis; vel etiam coniunctiuè, vt dicendo omnis canis. Scot. autem lib. 1. Elench. q. 9. & 10. docet, non posse nomen aequiuocum sumi nisi

nisi pro vno tantùm significato: atque adeò nec coniunctiuè nec disiunctiuè posse nomen æquiuocum in vna prolatione significare plura: sed in ipso nomine æquiuoco copulari simul varias significationes variarum rerum.

Absolutè prolatum nihil determinat. Sed breuiter dicendum est; nomen æquiuocum ex vi sua absolutè & nudè prolatum, determinatè quidem non gignere in mente audientis nisi conceptum non vltimatum sui ipsius: quantùm ad rem verò significatam, dubium & suspensum relinquere audientem, quidnam loquens significare velit. Aptum tamen esse nomen æquiuocum, vt per appositionem alterius nominis determinatè significet aliquam rem ex ijs quibus idem nomen competit. Explicatur & ostenditur ab experientia. Si quis absolutè proferat hoc nomen canis, nihil addendo: is qui audit percipiet quidem vocem, non tamen concipiet naturam communem sub tali nomine, vt patet: neque determinare poterit quidnam ille significare velit, sed suspensus manebit. Et in hoc sensu dici solet, nomen æquiuocum significare plura disiunctiuè. Melius esset dicere, negatiuè, non significare quicquam determinatè.

Per additionē determinatur. Si quis autem vel per integram propositionem apponat aliquod prædicatum, vt canis latrat; vel apponat alium terminum adiectiuum, vt canis cælestis: sic determinat sensum nominis, vt significet determinatè illud, de quo verificatur propositio, vel totus terminus complexus. Et ita nomen æquiuocum in se sumptum, est aptum & idoneum in actu primo, vt determinetur ad vnam quamlibet ex illis rebus quibus competit. Interdum autem ex alijs signis & circunstantijs præter voces, potest & solet deprehendi mens loquentis & proferentis terminum æquiuocum. Interdum verò voces quæ adduntur, nec etiam satis determinant sensum: sed vel tantùm ex parte, vel nullo modo. Vt si quis dicat, canis viuit: excludit quidem celestem, non tamen determinat vel marinum vel terrestrem. Et si quis dicat, canis mouetur, nullum determinat: quia hoc de singulis verificari potest. Interdum quoque ipsamet determinatio non est satis clara. Vnde sæpè fit, vt sub ijsdē verbis ab eodem prolatis vel scriptis, diuersi diuersos sensus accipiant: vt passim contingit in exponendis Auctorum dictis, præsertim eorum qui obscuriùs loquuti sunt.

Qualiter determinetur. Non tamen solet ita determinari sensus nominis æquiuoci, regulariter loquendo, vt determinatè plura significet. Sed determinatio nō nisi in vnū ex æquiuocatis cadere solet. Vnde si quis dicat, omnis canis; non determinat terrestrem simul marinum & cælestem: sed adhuc dubius manet sensus, num intelligatur omnis terrestris, vel omnis marinus, &c. Sed si dicat, omnis canis latrat; tunc determinat terrestrem. Similiter si quis dicat, aliquis canis, non determinat hanc disiunctionem ex parte rei significatæ, vel terrestris vel marinus, &c. Sed disiunctio & suspensio remanet adhuc ex parte significationis, an significetur aliquis ex terrestribus, vel aliquis ex marinis. Quod determinabitur dicendo, aliquis canis latrat: tunc enim sensus est, vel hic vel ille terrestris. Et hoc totum sequitur ex conditione ipsa nominis æquiuoci, ad differentiam vniuoci: vniuocum enim determinatè significat, quia habet vnam significationem circa vnam naturam: æquiuocum verò non vnum determinatè significat, sed cùm sit impositum ad plura, debet aliqua additione determinari ad vnum certum significatum.

Dixi regulariter loquendo: quia absolutè talis ac tāta expressio fieri potest, vt determinētur plura significata vel cōiunctiuè, vel disiunctiuè: vt si quis dicat, omnis illa substantia quæ habet nomen canis, omne illud viuens quod habet nomen galli: vel si dicat, aliquod ex illis. Et præsertim si quis dicat, adoro omnes illos Sanctos qui habent nōmen Petri: vel iubeat dari eleemosinam omnibus pauperibus, qui habent tale nomen, vel alicui eorum. Sic, inquam, non est negandum, determinari posse nomen æquiuocum secundùm totam amplitudinem suæ significationis.

Diuiduntur pura æquiuoca & analoga. Denique obseruandum est, nomen æquiuocum dici posse de pluribus, vel sine omni prorsus habitudine & cōuenientia; vel secundùm aliquam habitudinem aut conuenientiam. Primo modo se habent æquiuoca in exemplis positis. Secundo modo se habent quædam alia nomina.

v.g. animal dicitur de animali vero & picto: dicitur homo verus & pictus. Sanum dicitur de homine sano, & de cibo sano. Ridere dicitur de homine ridente, & de prato florente. Hæc & similia nomina dicuntur de pluribus secundùm diuersas rationes. Longè enim alia est ratio hominis viui & picti, & sic in alijs dictis exemplis. Tamen dicuntur secundùm quandam habitudinem seu conuenientiam. quia homo pictus est imago hominis veri: cibus dicitur sanus, quia conseruat vel restituit sanitatem: pratum dicitur ridere, quia velut assimilatur homini ridenti. Huiusmodi autem nomina propriè dicuntur analoga. Vnde æquiuoca dupliciter sumi possunt. Vel amplè, vt etiam analoga complectantur. Sic accepit hic Arist. qui in exemplum æquiuocorum attulit hominem verũ & pictum. & 1. Elench. cap. 6. vbi dicit, ens esse æquiuocum. Vel possunt sumi magis pressè, quæ dicentur purè æquiuoca, & ab analogis distinguuntur: quæ scilicet non dicuntur propter habitudinem vllam vel conuenientiam inuentam in rebus. Et hoc modo sumuntur æquiuoca, quando distinctè assignantur vniuoca æquiuoca & analoga. Sic accepit Aristot. 4. Metaph. cap. 2. vbi dixit, ens non esse æquiuocum, sed se habere vt sanum, quod est analogum. De his autem analogis, propter habitudinem & conuenientiam quam dicunt, separatim agemus.

Æquiuoca à casu & à consilio.

Atque hanc æquiuocorum distinctionẽ tradunt Boet. & Ammon. hic comm. 1. Simplic. comm. 2. Porphyr. interrog. 16. Auerr. in Epitome Log. cap. 2. & alij. Imò planè Arist. ipse 1. Ethic. cap. 6. & D. August. in lib. Categor. cap. 2. Purè æquiuoca appellari solẽt æquiuoca à casu: quia casu factum est, idem nomen pluribus rebus imponi. Alia appellantur æquiuoca à consilio: quia non temerè, sed consultò vnum nomen extensum est ad plura. Aliqui verò addunt, æquiuoca à consilio dici; non solùm quando propter habitudinem aliquam inuentam in ipsis rebus, idem nomen dicitur de pluribus; sed etiam quando ob affectum aliquem ex parte imponentis, nomen vnius imponitur alteri: vt cùm quis ex deuotione erga Diuum Petrum imponit filio nomen Petri: vel ex memoria alicuius viri insignis: aut propter desiderium & spem, vt filius similis illi euadat, certum nomen assumit. Analoga autem solùm dici, quando propter habitudinem aut conuenientiam præinuentam & consideratam in ipsis rebus, idem nomen ad plura extenditur.

SECTIO SECVNDA.

De Analogis in communi.

Analogiæ nomẽ exponitur.

IN primis Analogiæ nomen, ex Cicer. lib. 1. de Vniuersit. non multùm ab initio, Quintiliano lib. 1. cap. 6. in princip. & D. August. cap. 2. Categor. græcum est vocabulum: quod latinè dicetur proportio vel conuenientia. Ita etiam interpetratur S. Thom. 1. par. q. 13. art. 5. & quæst. 2. de Verit. art. 11. & notat Caiet. cap. 1. de Nominum analogia, qui est tractatus quintus in 3. tomo Opusc. Iam tamẽ apud Latinos analogiæ nomen magis extensum est, vt dicat non solùm proportionem seu similitudinẽ inter aliqua, sed etiam habitudinem per modum ordinis seu dependẽtiæ & attributionis, vt infra patebit. Debẽt autem considerari, & nomen quod dicitur de pluribus rebus, & res ipsæ habentes inter se proportionem vel attributionem. Nomen dicitur analogum analogans: res verò analoga analogata.

Analoga dantur.

Secundò, Auicen. apud Auerr. in libro qui dicitur Destructio destructionum disp. 7. dub 5. videtur negasse analoga. Sed certum satis est, esse analoga concedenda Aristot. & varij Auctores, hac & sectione præcedẽti allegati, illa assignãt. Et exemplis inter æquiuoca adductis, alijsquè multis manifestè deprehendũtur. Atque etiam in ratione fundantur. quia sine vlla difficultate fieri potuit, vt plures res secundùm diuersas rationes haberent aliquam habitudinem, quæ non sufficeret ad vniuocationem constituendo vnam naturam communem, sed discernat analoga à puris æquiuocis.

Definiuntur.

Tertiò. Ad explicandum quid sint analoga, solent à multis definiri, imitando definitiones Arist. de æquiuocis & vniuocis. Analoga sunt, quorum nomen commune est, & secundùm idem nomen substantiæ ratio partim eadem partim diuersa.

uersa. Clariùs tamen desinientur, dicendo: & secundùm idem nomen ratio significata diuersa est, cum aliqua tamen habitudine inter se. Nomen autem analogum definietur: quod plura significat secundùm diuersas rationes, sed cum aliqua habitudine inter illa. Per quas definitiones satis clarè denotatur discrimen analogorum, tàm ab vniuocis, quàm à puris æquiuocis iuxta doctrinam traditã. Patet etiam analoga esse veluti media inter vniuoca & æquiuoca. Ita colligitur ex Arist. 4. Met. 2. Auerr. ibidem: & docet S. Thom. 1. par. q. 13. art. 5. Et res est clara. Vnde vlteriùs poterunt aliqua analoga accedere magis ad vniuoca, aliqua magis ad æquiuoca: nimirũ iuxta maiorẽ vel minorem habitudinem analogatorum inter se.

Nũ analogum dicere possit cõceptum vnũ præcisum.

Quartò. Insigne dubium circa analoga est, num nomen analogum importare possit naturam communem pluribus analogatis, aliquo modo in se vnam, & ab ijs præcisam, quæ sub vno conceptu obiectiuo ab intellectu apprehendatur, possitquè de pluribus prædicari: vel potiùs vbicunque sit talis vnitas & præcisio naturæ, non analogia, sed vniuocatio dici debeat inueniri.

Sententia negans.

Caiet. tract. cit. de Nomin. analog. c. 5. & seq. censet, analogum nunquam dicere conceptum & rationem aliquam vnã, abstrahẽtem & præcisam ab analogatis: sed ait, dicere tantùm ipsa analogata in confuso, prout habent inter se aliquam habitudinem. Idem sentiunt Zimar. in Tabula verbo Analog. Fons. 5. Met. c. 8. q. 1. sect. 2. & lib. 4. cap. 2. q. 1. & 2. Perer. 2. Phys. c. 2. paulò ante fin. Vasq. 1. par. disp. 114 nu. 6. & disp. 121. num. 4. & alij qui specialiter loquuntur de conceptu entis, quem ideò negant esse præcisum; vt defendant esse analogum; putantes, si esset præcisus, fore vniuocum. Item Rubius & alij hoc loco tractantes in vniuersum de analogia.

Sententia affirmãs.

Opposita sententia affirmat, posse in analogis reperiri conceptum vnum præcisum, naturamq. communem nomine analogo significatam, eaquè adhuc differre ab vniuocis. Ita Capreol. in 1. dist. 2. q. 1. Iauell. 4. Met. q. 1. Suar. disp. 2. sect. 2. disp. 28. sect. 3. num. 18. & disp. 32. sect. 2. num. 15. Sotus cap. 4. Antepræd. q. 1. Fauet interdum S. Thom. & tenent alij qui defendunt, ens non esse vniuocum, & esse præcisum. Aliqui verò volunt, conceptum analogum esse posse tantùm imperfectè præcisum, & in hoc differre à conceptu vniuoco quem supponunt esse debere perfectè præcisum. Et hoc non est alienum à mẽte aliquorum ex his qui absolutè negabant analogum dicere conceptum præcisum. Alij autem concedunt, analogum posse etiam perfectè præscindere. Et aliqui explicant, differre à conceptu vniuoco: quòd, si conceptus naturæ ita præscindat, vt descendere debeat ad inferiora per essentialem participationem & dependentiam vnius ab alio: sicut ens conuenit accidenti per essentialem dependentiam à substantia, creaturæ per essentialem dependentiam à Deo; tunc sit analogus, non vniuocus: vniuocum autem esse, quando natura communis æquè primò participatur, & non per dependentiam essentialem vnius ab alio.

Hæc controuersia quantum ad præsens spectat, magna ex parte est de nomine. Vnde distinguendo & assignando plures acceptiones quibus sumi possit analogum & vniuocum, resoluenda est.

Prima acceptio analogi nõ dicentis conceptũ præcisum.

Primo modo, potest sumi analogum pro nomine ita per se & immediatè significante plura, vt non importet vnica significatione naturam seu conceptum vnum, nec perfectè, nec imperfectè præcisione rationis: sed omnis natura alterutro modo præscindẽs, sit & dici debeat vniuoca. Sic certè manifestum est, dici debere, analogum non posse importare conceptum vllo pacto per modum vnius naturæ ab analogatis præcisum: sed omnem conceptum vnum præcisum, esse vniuocum.

Hæc sanè acceptio analogi & vniuoci est maximè conformis explicationi iam traditæ de analogis, qua dictum est nomen analogum significare plura cum aliqua tamen habitudine. Non ergo vnitas aliqua naturæ & conceptus significati debet concedi huiusmodi analogis: sed ad summum habitudo quædam, quæ non sit per modum vnitatis, sed vel per modum attributionis, vel per modum proportionis, vt postea explicabimus. Est etiam maximè conformis explicationi traditæ de æquiuocis ita amplè sumptis, vt etiam analoga complectantur. Nam sic verifi-

cabitur, nomẽ analogum significare plura secundùm diuersas rationes & definitiones sub eodem nomine. Alioqui si plura conueniant in natura aliquo modo vna, habente definitionem pari modo vnam; & secundùm talem vnitatem vno nomine significentur: non possunt sub æquiuocis contineri. Est etiam conformis explicationi traditæ de vniuocis, in qua dictum est nomine vniuoco significari plura secundùm vnam rationem, nec dictum est perfectè præscindentem.

Est valdè conformis distinctioni vniuocorum & æquiuocorum, si hæc distinctio adæquatè sumatur & explicetur pro omnibus nominibus vniuersalibus in significando. Nam ita nomen vniuocum significat plura secũdùm vnam rationem, nomen æquiuocum secundùm diuersas rationes: quòd nomen vniuocum habeat vnam impositionem & significationẽ circa vnã rationem significatam; nomen autem æquiuocum habeat plures significationes & impositiones circa diuersas rationes significatas. Sic vtique se habet nomen canis, & nomẽ hominis applicatum vero & picto, aliaq; similia. Sed vbi datur conceptus vnus saltem per imperfectam præcisionẽ, ibi est vna significatio & impositio: ibi autẽ sunt plures significationes & impositiones, vbi nulla talis vnitas rationis significatæ reperitur, sed discretè significantur plura. Ergo nomen significans res sub vna ratione, licèt imperfectè præscindente, debet inter vniuoca, & non inter æquiuoca, sub quibus inuoluuntur analoga, computari.

Est demùm maximè conformis doctrinæ prius traditæ de vniuersalibus in essendo. Diximus enim, vniuersale vel perfectè vel imperfectè præscindere. Diximus, genera & species quę in prædicamẽtis ponuntur, posse solũ imperfectè præscindere. Solet autẽ vniuocũ cum vniuersali confundi: & genera & species quæ in prædicamentis collocantur, vniuoca & non analoga reputantur & appellãtur. Ergo imperfecta naturæ præcisio non cõstituit analogiam, sed sufficit ad vniuocationem. Et sicut ibi dicebamus, etiam trãscendentia quæ sunt supra prædicamenta, esse & dici debere vniuersalia in sensu ibi tradito: ita nunc vltrò afferendum est, esse & dici debere vniuoca in sensu quem nunc dicimus, supposito quod aliquo modo saltẽ imperfectè pręscindãt.

Secunda acceptio analogi dicentis cõceptum imperfectè præcisum.

Secundo modo posset sumi analogum pro omni nomine non significante naturã perfectè vnã & præcisam, sed significante plura cum aliqua habitudine, vel cum imperfecta vnitate in natura communi: vniuocum autem solùm dicatur, quod importat naturam perfectè vnam & præcisam. Sic analogum potest dicere naturã vnam & conceptum obiectiuum imperfectè præcisum, vt patet. Hic tamen dicendi modus habet plura inconuenientia, quæ apertè colliguntur ex modò dictis. Et præterea non saluat id quod intẽdit. Nam qui sic loquuntur, intẽdunt pręcipuè saluare, prædicata transcendentia non esse vniuoca, sed omnia & sola illa quæ in prædicamentis ponuntur, incipiẽdo à generibus generalissimis, esse vniuoca; & ideò illa non esse genera, non poni in prædicamentis. Verùm qua ratione in eorum sententia, substantia in primo prædicamento dicitur perfectè præscindere: etiam accidens, quod est commune alijs nouem prædicamentis, & fortasse etiam ens, quod est commune omnibus, dici deberet perfectè præscindere. Vnde planè non habent intentum. Hic ergo loquendi modus reijciendus magis est, quàm retinendus.

Tertia acceptio analogi dicentis conceptum præcisum cũ ordine dependentiæ inter analogata.

Tertio modo potest sumi analogum pro nomine significante plura quæ dicunt inter se habitudinẽ, vel non conuenientia in conceptu aliquo præciso, vel ita cõuenientia, vt participent naturam communem per dependentiam essentialem vnius analogati ab alio, ipsaque natura contrahatur per differentias independentiæ & dependentiæ, & intelligatur prius descendere ad vnum analogatum, & posterius ad aliud in virtute prioris: etiam si natura communis concipiatur in se vna & perfectè præcisa ab inferioribus analogatis. Vniuocum autem requirat naturam communem æquè primò & principaliter participatam ab omnibus analogatis. Hoc modo constat planè, analogũ dicere posse conceptum perfectè pręcisum, cum conditione tamen dicta dependentiæ essentialis.

Hic modus loquendi præcipuè deseruit ad dicendum, ens cõe substantiæ & accidẽti, Deo & creaturis; & similiter alia tran-

transcendentia non esse vniuoca, sed analoga: vt sic etiam defendatur ens nō esse genus, & verè esse genera suprema & generalissima illa quæ sunt prædicamentorum capita. Et sanè fundatur in Arist. qui in Postprædicam. cap. de Simul. ait, genera quidem esse priora speciebus, sed species vel differentias diuidentes genus, non habere ad se inuicem naturæ prioritatem. & 3. Phys. 70. ideò ait naturā infiniti non esse vnam & eandē, idest vniuocam in pluribus, quia dicitur secundùm prius & posterius, & vnum est tale propter aliud, & dependenter ab illo. Et perspicuè 7. Met. tex. 14. & 15. ait, ens inesse quidem omnibus, non tamen similiter & eodem modo, sed substantiæ quidē primò & simpliciter, accidentibus verò consequenter & quodammodo: ideóq. docet, non dici vniuocè, nec æquiuocè, sed analogicè. Eodem modo discurrit 1. Ethic. cap. 6. etiam de mente eorum, qui ponebant idæas separatas.

Fūdatur in Arist.

Fundatur etiam in auctoritate aliorum grauium Auctorum, S. Thom. 1. con. Gen. cap. 32. in fine, inde probat ens non esse vniuocum Deo & creaturis, quia prius dicitur de Deo, & posterius de creaturis per dependentiam essentialem à Deo: atq. certum esse, prædicatum quod dicitur per prius & posterius non esse vniuocum. Idem docet Auerr. 12. Met. com. 2. vbi pro omni prædicato communi vtitur nomine generis, includendo etiam analoga. Sicut etiam 4. Met. com. 2. dixerat, aliquod genus esse æquiuocum. Similiter in lib. Destruct. disp. 7. in fine, negat id quod dicitur per prius & posterius, de causa & effectu, esse naturam omninò eandem, idest vniuocā. Idem docet Boet. lib. 1. Perihер. edit. 2. com. 1. ante mediū, vbi refert etiam Porph. Denique Caiet. cap. 1. de Nomin. analog. in fine ait, quasi synonima esse, aliquid dici analogicè & dici per prius & posterius. Et alij Auctores idem dicere solent.

Et in alijs Auctoribus.

Oportet autem, ordinem dependentiæ inter analogata esse essentialē, & non sufficit esse contingentem: ita vt differentia essentialis vnius analogati esse debeat dependētia ab alio analogato. Sic se habet accidens ad substātiam, creatura ad Deū. Vnde nihil refert illa dependentia, qua hic ignis generatur ab alio igne, hic homo ab alio homine: hæc enim est dependentia contingens & quoad existentiam, nō aūt est differētia intima vnius ab alio.

Hęc ergo acceptio analogię admittēda est, & est vtilis ad constructionem & distinctionem prædicamentorum, vt q. seq. videbimus. Fatendum tamen est, hanc acceptionem non esse iuxta explicationem illam analogorū, & distinctionem ab vniuocis, qua dicebamus nomen analogū significare plura secundùm diuersas rationes cum aliqua habitudine, vniuocū verò significare plura sub vna rōne. Quinimo dicendum est, analoga quæ important naturam vnā & precisam, participatā tamen per ordinem essentialis dependentiæ, cōtineri sub vniuocis in illa explicatione & distinctione. Atq. illa vniuoca subdistingui, in ea quæ æquè primò participantur, & alia quæ per ordinem essentialis dependentiæ, quæ in hac alia acceptione dicuntur analoga, vt iterum dicemus sectione sequenti.

Hæc acceptio quantum differat à prima.

Vnde contra hoc frustrà adduceretur illud quod obijci solet: natura in statu præcisionis non magis dicit differentias dependentiæ & independētiæ, quàm alia natura præscindens dicat alias suas differentias: ergo in illo statu est prorsus vna atq. adeò vniuoca. Hoc inquam nihil obstat contra nos. Nam non ex defectu vnitatis, dicimus talem naturam esse analogam, non vniuocam. Imo in illo sensu volumus esse vniuocam. Sed ex defectu cuiusdam æqualitatis, dicimus talem naturam esse analogā in hoc alio sensu. Quia licèt in illo statu abstractionis præscindat à differentijs: tamen consideratur, & fundamentaliter est, capax & exigitiua talium differentiarū inæqualium: & hæc vocatur analogia in isto sensu.

Quintò, tandem aliud dubium huic annexum est, quisnam conceptus formalis in mente nomini analogo correspondeat, idest quisnam cognitionis actus, & circa quod obiectum. Et ex his dicendum sequitur, si analogum sumatur pro eo quod dicebamus quoad rem significatam importare naturam vnam & rationem communem pluribus: sic nomini analogo corresponde e conceptum formalem vnum vnitate reali, attingentem obiectiuè talē naturā & rōnē: sicut datur conceptus formalis vnus realiter, idest

Quis conceptus formalis nomini analogo correspondeat.

vnus actus realis circa quamcunque naturam vniuersalem quam mente concipimus, qui actus est realiter distinctus ab alijs actibus quibus singula inferiora concipiuntur, licèt natura non plusquàm ratione ab inferioribus distinguatur.

Si autem sumatur nomen analogum in primo sensu, quod per se immediatè importat plura & non naturam intrinsecè communem ipsis pluribus: sic illi correspondent varij conceptus formales de ipsis pluribus, idest de varijs analogatis: prout quis vel ad vnum vel ad aliud analogatum significandum tali nomine vtitur. Sicut si quæratur, quisnam conceptus formalis nomini æquiuoco correspondeat; dicere oportet, vel vnum vel alium circa vnum vel aliud æquiuocatum quod quis significare intendit. Nimirum cùm analoga in illo sensu proximè accedant ad æquiuoca, imo sub ijs intelligantur. Et discrimen solùm erit, quòd in conceptu formali vnius analogati inuoluetur aliquis ordo ad aliud analogatum: qui ordo inter plura æquiuoca non inuenitur.

SECTIO TERTIA.
De Analogis, Inæqualitatis, Attributionis, & Proportionalitatis.

QVia analoga sunt illa quæ secundùm aliquam habitudinem comparantur: iuxta diuersam habitudinem, diuersa analogiæ genera distinguuntur. Caiet. c. 1. de Nomin. analog. & alij communiter distinguunt, alia analoga inæqualitatis, alia attributionis, alia proportionis seu proportionalitatis. Nonnulli quidem analoga attributionis vocant proportionis, & alia vocant proportionalitatis. Ideò ad tollendam ambiguitatem præstabit, illa vocare attributionis, alia proportionalitatis. Alio modo diuidi solent analoga adæquatè in duo membra, attributionis & proportionalitatis. Et ita quidem hæc diuisio habetur apud Arist. 1. Ethic. cap. 6. vbi analoga attributionis vocat ab vno seu ad vnū, alia vocat secundùm proportionem.

Analoga inæqualitatis explicatur à Caiet. Analoga inæqualitatis definit Caiet. Quorum nomen est commune, & ratio secundùm illud nomen omnino eadem, inæqualiter tamen participata quoad perfectionē. Exempli gratia, homo & brutum conueniunt in nomine & ratione animalis: sed homo participat naturam animalis contractam per rationalitatem, quæ est differentia multò perfectior irrationalitate contrahente animal ad brutum. Vnde fit, vt natura animalis in homine sit multo perfectior quàm in bruto, non quidem per essentiam ipsius animalis præcisè, sed per differētiam rationalitatis adiunctam.

Quocirca, vt docent Caiet. ibi & Philop. 1. Prior. cap. 1. com. 4. & Fons. 4. Met. cap. 2. q. 1. sect. 6. & alij frequenter, hæc analoga sunt perfectè vniuoca. Nam in exemplo allato, animal est maximè vniuocum Imo iuxta communem sententiam omnia genera censentur esse huiusmodi, vt inæqualiter participentur à suis speciebus per differentias inæqualis perfectionis. Vnde solæ species infimæ in sententia asserente omnia indiuidua eiusdem speciei esse æqualis perfectionis, vel si quæ reperiantur genera quorum species sint æquales, non erunt analoga inæqualitatis. Sed hinc planè sequitur, hunc modum analogiæ inutiliter assignari: cùm hæc analoga cum omnibus vel ferè omnibus generibus vniuocis confundantur.

Alio modo possunt melius explicari. Aliter & vtiliùs poterit hic modus analogiæ explicari, dicendo: Analoga inæqualitatis esse illa quæ conueniunt in natura communi, eamquē participant inæqualiter, non per qualemcunque inæqualitatem perfectionis, sed per dependentiam essentialem vnius analogati ab alio. Sic enim hæc analoga, licèt in vno sensu sint vniuoca, adæquatè sumendo vniuoca: tamen in alio sensu distinguuntur ab omnibus ijs vniuocis, quæ æquè primò & principaliter participant naturam communem, licèt vnum sit perfectius alio. Et ita analoga inæqualitatis esse dicentur illa, quæ dicunt conceptum vnum naturæ communis, sed cum ea inæqualitate participationis iuxta tertiam acceptionem analogiæ sect. superiori traditam. Et hic loquendi modus habet magis fundamentum in auctoritatibus allegatis. Quamuis verò interdum hæc analoga inæqualitatis sub analogis attributionis nominentur: tamen adhuc possunt & debent distingui ab alijs puris analogis attributionis quæ mox explicabimus.

Ana-

Analoga attributionis explicantur.

Analoga attributionis definit Caiet. cap. 2. Quorum nomen est commune: ratio autem secundùm illud nomen est eadem secundùm terminum, & diuersa secundùm habitudines ad illum. Vel clarius dici potest. Nomê analogũ per attributionem est, quod dicitur de pluribus per ordinem vnius ad aliud. Quod sic intelligitur. Inuenitur nomen aliquod per se primò & principaliter impositum ad significandam aliquam rationem seu formam inuentam in aliquo subiecto: & deinde consequenter extensum est ad quædam alia quæ dicunt ordinem ad illam formam. Et ita non casu assumptum est ad significanda plura, sed consultò ob connexionem ordinis inuentam inter ipsa: & ideò non se habet vt purè æquiuocum. Neque tamen per vnam impositionem assumptum est ad significanda plura secundùm vnam rationem in omnibus ijs inuentam: sed primò quidem per vnam impositionem assumptum est ad significandum illud in quo certa forma reperitur: & consequenter per aliam impositionem ampliatum est ad significandum aliquid aliud, quod extrinsecè dicit ordinem ad talem formam quam in se non habet, siue dicit ordinem ad subiectum habens talem formam. Sic planè se habet hoc nomen, Sanum. Quod vtique per se primò significat formam sanitatis, & animal habens in se sanitatem, ex qua denominatur animal sanum. Deinde dicitur etiam de medicina, cibo, colore, & similibus: appellamus enim medicinam sanam, cibum sanum, colorem sanum. Non quia ipsa eadem forma sanitatis reperiatur in omnibus his: sed solùm quia hæc dicunt ordinem ad sanitatem animalis, seu ad animal sanum: cibus causat seu conseruat sanitatem: medicina restituit: color indicat. Item nomen, Homo, per se primò significat verum ac viuum hominem: deinde appellatur etiam homo pictus: non quòd pictura habeat eandem formam humanitatis: sed quia dicit ordinem ad verum hominem, est imago hominis. Et sic extant plurima nomina hoc modo analoga. Et hæc sunt analoga attributionis.

Aliud est analogũ principale, alia minus principalia.

Hinc inter hæc analoga, vnum dicitur primum & principale analogatum, illud scilicet de quo primò dicitur, vt animal sanũ, hô viuus. Alia dicuntur minus principalia analogata, illa nẽpe de quibus non dicitur per ordinẽ ad illud primum. Et in qualibet vna vnius nominis analogia, signari dẽt vnũ principale: minus aũt principalia possunt esse plura per plures ac varias habitudines: vt patet in exẽplo posito sani. Vnde nomẽ dicitur analogũ, non solùm comparando vnum principale & aliud minus principale analogatum, sed etiam comparando plura minus principalia, quæ quidem non denominantur analoga per ordinem vnius ad aliud inter se, sed per ordinem ad aliud tertium quod est principale analogatum. Sic sanum dicitur analogum, etiam quatenus dicitur de cibo sano & colore sano, quia nempe de vtroque dicitur per ordinem ad animal sanum.

Iuxta hoc S. Thom. 1 par. q. 13. art. 5. & 1. cont. Gent. cap. 34. ait, nomen dici analogicè de pluribus, vel quia ipsa plura dicunt ordinem ad aliud tertium, vel quia vnum dicit ordinem ad aliud. Et explicat eodem exemplo sani. Imo hinc diuidi solet analogia attributionis: quędam dicitur analogia vnius ad vnum: quędam duorum ad tertium. Quam diuisionem explicant Caiet. cap. 2. de Nomin. analog. Ferrar. ibi contra Gent. Fons. 4. Metaph cap. 2. q. 1. sect. 6.

Analogia attributionis exercetur secundũ varias causalitates.

Addit Caiet. eodem loco, analogiam attributionis exerceri posse secundùm omnia quatuor causarum genera. Et significat, principale analogatum esse debere causam aliorum: & sic sanitatem animalis esse causam, etiam respectu medicinę, nempe in genere causæ finalis. Sed potius dicendum est, ordinem inter analogata esse posse, non solùm quatenus principale analogatum sit causa, sed etiam quatenus sit effectus aliorum in essendo. Dico in essendo: quia planè in significando magis principale est causa aliorum: quandoquidem ex ipso extenditur nomen ad alia. Sed benè fieri potest, vt ratio huius extensionis sit, non solùm quia principale analogatum sit causa, sed etiam quia sit effectus aliorum. Hæc enim ratio sufficit ad extensionem nominis, etiam si non consideretur ratio causæ ex parte principalis analogati. Sic dicere solemus, medicinam dici sanam, quia ipsa est causa sanitatis, videlicet effectiua: & S. Thom. 1. par. q. 13. art. 6. admittit, in quodam sensu Deum de-

nominari posse bonum, quia causat bonitatem in rebus: ita vt tale nomen vt sic dicatur de Deo per attributionem ad creaturas. Concedendum est autem, hunc ordinem analogiæ, siue principale analogatum consideretur vt causa, siue vt effectus, exerceri posse secundùm omnia causarum genera: vt asserit Caiet.

Formam principalē in solo primo analogato inueniri, docet Caiet.

Infert præterea Caiet. eod. cap. 2. in hac analogia nomen analogum dici de solo primo analogato formaliter tanquam de eo quod verè habet formam significatam: de reliquis autem dici per denominationem extrinsecam, quia non habent in se formam directè significatam nomine analogo, sed tantùm denominantur per ordinem ad illam: vt patet in exemplo sani, & alijs similibus analogis. Idem asserunt Tolet. q. vnica in cap. 1. Antepræd. §. Hoc vnum, Masius sect. 1. cap. 3. Iacob. Pauesius disp. 1. Metaph. cap. 11. & ex parte Fons. 4. Metaph. cap. 2. q. 1. sect. 6. §. Tertium discrimen, & sect. 7. & alij frequenter. Et expressè S Thom. 1. par q 16. art. 6. & alibi, idem docuit. Imo per hoc distinguit analoga ab vniuocis. Et addit optimè, licèt in secundarijs analogatis non sit forma principalis significata, tamen esse aliquid aliud, idest aliquam habitudinē ad illam: in medicina enim est virtus causatiua, in signis est aptitudo manifestatiua sanitatis.

Et inde infert rursus Caie. formā principalem significatam, & à qua sumitur denominatio, esse vnam numero, siue non esse distinctam pro varijs analogatis. Eadem enim sanitas est, per quam animal constituitur formaliter sanum, & per ordinem ad quā denominatur medicina sana, color sanus, & sic de alijs similibus.

Aliqui volūt inueniri in omnibus analogatis.

Ex opposito alij volunt, licèt quædam analoga attributionis ita se habeant: tamen alia analoga esse, in quibus forma principalis significata reperitur intrinsecè in omnibus analogatis, per attributionem tamen vnius ad alterum, siue multorum ad vnum. Ita Alensis 7. Metaph. tex. 5. D. Tho. in 1. d. 19. q. 5. art. 2. ad 1. Capreol. in 1. d. 2. q. 1 art. 1. concl. 9. Ferrar. 1 cont. Gent. cap. 34. §. Ad primum & §. Aduertēdum est, Richar. in 1. d. 19. art. 1. q. 2. Bagn. 1 par. q 13. art. 6. Petrus de Bergomo in concord. dictorum S. Thom. dub. 13. Suar. disp. 28 Metap. sect. 3. num. 14. & disp. 32. sect. 2. n. 14. & ipse quoque Caiet. 1. par. q. 13. art. 5. §. Memēto hic, & art. 6. §. Ad hoc breuiter, & alij plures. Hoc autem præcipuè asserūt propter analogiam entis: ens enim supponitur esse analogum Deo & creaturis, substātiæ & accidēti: & sic etiā alia prędicata cōmunia Deo & creaturis, vt bonus, sapiens, &c. alia etiam prædicata transcēdētia, quæ formaliter & intrinsecè reperiūtur in omnib. analogatis.

Et ita dici debet de prædicatis trāscendentibus.

Sed adhuc Caiet. ibi de Nomin. analog. & alij, vt defendant iuxta priorē sententiam analogiam entis, concedunt, ens, & sic etiam alia similia prædicata analoga, dici tantùm extrinsecè de accidenti & omnibus secundarijs analogatis, denominarique per attributionē ad entitatē substātiæ aliamuè formā intrinsecā in principali analogato: ita vt quātitas v.g. intātùm dicatur ens, inquātū est aliquid entis quod est substātia, est enim extēsio substātiæ: & sic de alijs. Vnde accidens vocatur entis ens.

Verùm non potest nec debet hoc modo horū prædicatorū analogia defendi. Omnino enim asserendū est, quod in Philosophia demōstrabitur, in accidēte esse suam entitatē intrinsecā, significatā nomine entis; & nō tātùm per entitatē substātiæ accidēs denominari ens. Itē in creaturis esse intrinsecè suā bonitatē, sapientiā, & sic de alijs prædicatis: nec denominari tantū extrinsecè ab attributis diuinis, vt est notissimum. Fieri autem potest, vt res aliqua dupliciter denominationē aliquā sortiatur: vno modo intrinsecè per formam sibi propriam: alio modo extrinsecè per ordinē ad aliud in quo inuenitur forma. Sic S. Thom. 1. par. q. 6. art. 4. ait, creaturas posse denominari bonas: vno modo bonitate diuina, & sic esse vnā omniū rerū bonitatē: alio modo per proprias & intrinsecas bonitates, participatas tamē à Deo: & sic esse diuersas singulariū rerū proprias bonitates. vbi Caiet. idē explicat. Et ita talis res vtroque modo denominata, vno quidē modo dicitur per attributionē & denominationē extrinsecā: alio modo dicitur & denominatur per formā intrinsecā.

Vnde duplex analogia attributionis distin

Dicendū ergo est, Analogū attributionis dupliciter sumi posse. Vno modo magis propriè, quod nō dicat per vnā significationem vnam rationem, in qua omnia analogata communicent; sed dicatur per diuer-

guenda est. diuersas impositiones & significationes, sicut mõ explicatũ est. Et sic ens & similia prædicata quæ dicuntur intrinsecè de suis subiectis, non esse analogata, sed potius vniuoca, iuxta distinctionẽ illã vniuocorũ & analogorũ primo loco traditã sect. præced. Alio modo minus propriè eo pacto quo supra diximus posse vtiliter explicari analoga inæqualitatis. Et in hoc sensu dicta prædicata esse analoga, & distingui ab vniuocis in tertia acceptione tradita sect. præced. & dici etiã posse analoga attributionis, sumendo attributionẽ pro depẽdẽtia essentiali vnius analogati ab alio, vel plurium analogatorum ab vno tertio. Quo pacto omnia accidentia se habent ad substantiam, omnes creaturæ ad Deum.

Quis conceptus correspondeat, quæ significatio insit, nomini analogo per attributionẽ. Ex his demũ manifestè colligitur, quisnam sit conceptus obiectiuus atq. formalis, in mente nomini analogo attributionis correspondens, & quæ sit significatio ipsius nominis. Si enim sumatur illud analogũ quod dicit naturã communem existen è in singulis analogatis: se habet sicut vniuocũ, de quo iam diximus. Si autẽ sumatur analogũ attributionis alio modo explicato: sic patet ex dictis, non dicere vnũ conceptum obiectiuum, nec vnũ formalem: sed dicere diuersos iuxta diuersa analogata. Hoc tamen habet peculiare, quòd in conceptibus de secundarijs analogatis inuoluitur indirectè & in obliquo principale analogatum. Nã concipere medicinam sanam, est concipere esse causam sanitatis in animali: & sic de alijs. Vnde rectè dici solet, analogatum principale debere poni in definitione aliorum, quæ dicuntur per attributionem ad ipsum. Ita notauit S.Thom.1.par. q.13. art.6.& docet Caiet.c.2.citato de Nom. analog. Et sequitur planè ex vi ipsius attributionis. Sic etiã patet, nomen analogũ habere plures significationes: vnã originalem & primariam: aliam vel alias deriuatas ab illa per extensionem vocabuli. Vnde rectè etiam dici solet, tale nomẽ analogũ absolutè prolatũ stare pro principali significato: id enim proprijssimè denotat. Per alias autem voces adiunctas, veluti per conditiones diminuentes, seu potius extendentes vsum vocabuli, trahi ad alia significata minus principalia.

Analoga proportionalitatis explicantur. Analoga demũ proportionalitatis sũt, quibus maximè analogiæ nomen cõpetit, quod nimirum propriè dicit proportionẽ & similitudinẽ. Definiuntur à Caiet. cap.3. Quorũ nomen commune est & ratio secundùm illud nomen proportionaliter eadẽ, vel proportione similis. Et clariùs sic explicantur. Inueniuntur quædam nomina, quæ dicuntur de pluribus secundùm diuersas quidem rationes, tamen ob aliquam proportionem, & comparationẽ inuentã inter ipsas res. Arist. 1. Ethic. c.6. attulit exemplũ visus: quod nomen dicitur de intellectu & de oculo. Et 2. Post. tex. 87. similiter dixit, ita se habere spinam in pisce, sicut os in alijs animalibus. Auer. 5. Met. com. 12. attulit exemplũ gubernatoris: quod nomen dicitur de eo, qui regit ciuitatem, & qui regit nauẽ, & qui regit domum. Nomen etiam principij est analogum ad patrẽ respectu filij, fontem respectu riuulorum, punctũ respectu lineæ, cor respectu vitæ, & fundamentum respectu domus. Et vulgarissimũ exẽplum est de verbo ridẽdi: quod dicitur de homine, dicitur etiam de prato florente, & de fortuna prospera. Aliaq. sunt innumera huiusmodi nomina, præsertim per metaphoram dicta, quibus abundant humana colloquia, & Doctorum scripta: imo & ipsa Scriptura diuina frequẽter vtitur vt quãdo Deo tribuit manus, pedes, oculos, & similia: quando Christum appellat leonem, agnũ, aquilã: & alia plurima.

Hæc analogia exercetur per comparationem inter plura. Consistit autem hæc analogia in proportione & comparatione huiusmodi: quia sicut se habet pater ad filium, ita quodammodo fons ad riuulum, punctum ad lineam: sicut se habet risus ad hominem, ita floriditas ad pratum: sicut se habet leo in fortitudine, ita se habet quodammodo vir fortis: & sic de alijs. Ideoquè hæc analogia vocatur proportionalitas, quasi proportio duarum proportionum: vt explicant Mathematici, & affert Clauius in Euclid. lib. 5. definit. 4. Vna enim proportio seu habitudo est puncti ad lineam, alia patris ad filium: dicendo autem, sicut se habet pater ad filium, ita punctum ad lineam: fit comparatio inter ipsas duas proportiones.

Quandoque dicit significationẽ me- Aliqui verò ad hanc analogiam requirunt, vt nomen primò & propriè dictum sit de aliqua re, deinde per metaphoram extensum sit ad aliam rem. Et ita expli-

cat

taphoricè & quandoque propriam. cat Suar. disp. 28. Metaph. sect. 3. num. 7. & disp. 32. sect. 2. num. 36. Sed hoc non videtur necessarium: quia potest nomen analogum huius generis, dici propriè de pluribus significatis: vt in exemplis antea positis principij & gubernatoris. Non enim ita metaphoricè ea nomina dicuntur de aliquo suo significato, sicut per metaphoram dicuntur prata ridere, & Christus appellatur agnus, leo, petra, &c. Rectè ergo Caiet. cap. 3. cit. distinguit duos gradus huius analogiæ: vnum quando nomen dicitur propriè de vna re & metaphoricè de alia: alium quando dicitur propriè de pluribus.

Hæc analoga differunt ab vniuocis, & puris æquiuocis, Cæterùm differunt hæc analoga ab vniuocis: quia in vniuocis consideratur natura communis sub vno conceptu; vnde nomen dicitur de pluribus secundùm vnam impositionem & significationem. Hæc autem analoga non adunantur in vno conceptu: sed in ipsa diuersitate consideratur quædam comparatio: & nomen impositum est sub pluribus significationibus ad denotanda ipsa plura. Quare licèt etiam in vniuocis dici possit; sicut se habet animalitas ad hominem, ita ad bruta: tamē hæc nō est analogia, sed vniuocatio: quia sumitur natura sub vno cōceptu. Differunt etiam hæc analoga ab æquiuocis; idest à puris æquiuocis quæ dicuntur à casu. Si verò æquiuoca latè sumantur modo antea dicto, sub æquiuocis continentur.

Differunt ab alijs analogis. Differunt demum ab analogis attributionis. Quia cùm omne quidem analogum dicatur de pluribus secundùm diuersas rationes, & secundùm aliquam habitudinem; analoga attributionis dicuntur secundùm habitudinem qua vnum ordinatur ad aliud: proportionalitatis verò secundùm habitudinem qua vnum comparatur & quodammodo assimilatur alteri. Siue analogum attributionis est, quod de vno dicitur propter se, de alijs dicitur eo quòd sint aliquid illius: sanum dicitur de medicina eo quòd sit causa, de colore eo quòd sit signum sanitatis. Analogum verò proportionalitatis, non dicitur de vno, eo quòd sit aliquid alterius, sed eo quòd sit sicut est aliud. Punctum dicitur principium, non quia sit aliquid patris, sed quia est sicut pater, idest sicut pater ad filium, ita punctum ad lineam. Vnde attributio fit vnius termini ad alium: proportionalitas autem est inter proportionem vnius ad vnum & proportionem alterius ad alterum.

Analoga autem illa proportionalitatis quæ dicuntur per metaphoram, accedunt magis ad analoga attributionis. Quia nimirum nomen analogum primò & per se dicitur de significato proprio, secundariò & per extensionem dicitur de significato metaphorico. Vnde etiam tale nomen absolutè prolatum reddit sensum de vero & proprio significato: ex adiunctis verò et alijs circumstantijs trahitur ad supponendum pro alieno significato.

Contingere deinde potest, vt in ijsdem rebus sit vtraque analogia, & idem ipsum nomen vtraque analogia dicatur de ijsdem rebus. V. g. Pomum potest denominari sanum. Vno sensu, quia confert ad sanitatem animalis: & sic dicitur per analogiam attributionis. Alio modo, quia sit in se integrum & nulla parte incisum: & hæc denominatio est per analogiam proportionalitatis, vt patet. Et insuper solet interdum à quibusdam etiam secundùm eandem formam significatam tribui vtraq. analogia ijsdē rebus. Sumēdo scilicet analoga attributionis, pro ijs in quibus reperitur intrinsecè forma significata cum dependentia essentiali vnius ab alio. Quia sicut ibi talis dependentia dat appellationem analogiæ: ita comparatio quæ inuenitur inter eadem analoga, dicendo, sicut se habet entitas substantialis ad substantiam, ita accidentalis ad accidens; dabit appellationem analogiæ proportionalitatis. Licèt alioqui hæc comparatio in alijs purè vniuocis non det appellationem analogiæ. Et hoc modo vtramque analogiam Enti nonnulli concedunt. *Potest in ijsdem rebus & nominibus. vtraque analogia reperiri.*

Postremò satis iam constat ex dictis, quisnam conceptus obiectiuus rerum, quis cōceptus formalis, nomini analogo proportionalitatis correspondeat, quodquè significatum ipsi nomini subsit. Et quomodo tandem, tum res vniuersales in essendo, tum voces vniuersales in significando, se habeant.

QVAE-

QVÆSTIO DECIMASEXTA.

De rebus omnibus intellectui proponendis per sequentem tractatum Prædicamentorum. Deq. ipsis Prædicamentis in communi.

NOn sufficit, in præcedenti vniuersalium tractatu, Res omnes sub illis generalibus capitibus, & sub secundis intentionibus, intellectui proposuisse: sed superest modò, vt distinctè & specialiter per omnia entium genera discurrendo, res omnes explicitè intellectui proponantur. Ad hunc finem institutum putamus, & sub hac ratione suscipimus, hunc prædicamentorum tractatum, vt mox confirmabimus. Prædicamenti autem nomen, Græcè Categoria, licèt interdum sumptum inueniatur pro quocunque prædicato, & interdum pro genere summo quod dicitur de omnibus sub ipso contentis: tamen adæquatè hoc loco significat collectionem quandam & coordinationem rerum quæ per prædicationem & subiectionem inuicem connectuntur, vt etiam deinceps constabit.

SECTIO PRIMA.

An & qua ratione Prædicamentorum tractatus spectet ad Logicam, & conferat ad directionem nostræ cognitionis: quodquè obiectum habeat.

Sententia negans hunc tractatū spectare ad Logicam.

PRimò non defuerunt qui negauerint, hunc tractatum ad Logicam pertinere. Ita Angelus Thyus et Balduinus in suis quæsitis de hac re, Mirandul. in Apolog. & in Comment. de hac re, qui & in sua Logica hunc tractatum prætermisit: & nuper Petr. Hurtado in sua Logica & Metaph. Imo illi etiam opinati sunt, hunc tractatum qui in Logica Aristot. insertus est, nequaquam esse Aristot. & Sanctus Thomas Opusc. 48. tract. de Situ cap. 2. dicit, ista prædicamenta, nec ab Aristot. nec ab alio magnæ auctoritatis, facta fuisse. Sed tamen illud Opusc. est dubij Auctoris. Fundamentum huius sententiæ est. quia non ad Logicam, sed ad singulas quasque scientias pertinet, de suis obiectis, atque adeo de varijs rerum generibus, agere. Et, si ad aliquam vnam scientiam spectat varia entis genera distinguere & ordinare, id ad Metaphysicam potius pertinebat. Et quidem Arist. ipse in Metaphys. præsertim lib. 5. de his omnibus prædicamentis agit. Logica autem debet tantùm tradere modum & doctrinam rectè cognoscendi: nec debet per se prosequi quæcunque cognoscenda sunt, alioqui vna Logica in se omnes sciētias confunderet & complicaret.

Quidam alij verò opinati sunt, hunc prædicamentorum tractatum debuisse quidem separatim à Metaphys. & ab alijs scientijs institui: tamen non per se ad Logicam pertinere: sed esse veluti communem quandam introductionem ad omnes scientias, quasi compendium quoddam & breuis enarrationē rerum omniū, quæ deinde à singulis quibusquè scientijs per extensum pertractandæ sunt. Fauetquè D. August. qui separatim conscripsit principia Dialecticæ & Categorias. Imo in libris Arist. nulla continuatio apparet inter hunc tractatum cum alijs Logicæ libris: sed hic tractatus per se incipit in Antepræedicamētis & absoluitur in Postprædicamentis.

Resolutio affirmatiua cum Aristot.

Dicendum tamen est, hunc tractatum verè ad Logicam pertinere, & meritò fuisse hic in Logica institutum. Hæc est sententia omnium Peripateticorum, Platonicorum etiam, aliorumquè Philosophorum, & Damasc. in sua Dialectica, & planè de mente Arist. Non solùm quia hic prædicamentorum liber ab omnibus antiquis existimatus est ipsius Arist. tanquam primus Logicæ liber: sed quia & alijs in locis, tum in alijs Logicæ libris, tum in quibusdam Philosophiæ, Arist. supponit distinctionem & ordinationem prædi-

prædicamentorum tanquam à se traditam. 1. Post. cap. 18., 1. Top. cap. 7., 3. Phys. tex. 3., 5. Phys. tex. 9., 2. de Anima tex. 2. & alibi.

Ratione fundatur. Ratione suadetur & explicatur: quia cùm munus Logicæ sit, dirigere cognitionem intellectiuam; ad hunc effectum maximè vtile saltem & opportunū erat, si non necessarium, breuiter percurrere, & intellectui proponere, atque distinctè & ordinatè enumerare, tam varia rerum genera, quæ constituunt obiectum intelligibile. Nihil enim commodius excogitari poterat ad maximum iuuamē intellectus, vt deinceps clariùs procederet in rebus omnibus contemplandis. Item Logicæ munus est, instruere & præparare intellectum ad alias scientias, maximè ad Philosophiam, aggrediendas & addiscendas. Quæ scientiæ & variæ Philosophiæ partes, cùm omnia & varia entium genera in obiectum sibi assumant: nihil vtilius esse poterat, quàm breuiter res distinguere, & sub certis quibusdam generibus ordinare, vt faciliùs & promptiùs ad scientias & disciplinas philosophicas humana mens introduceretur. Propter quod optimè dixit Simplic. in præfat. Prædicam. hunc tractatum prædicamentorum esse veluti vniuersæ Philosophiæ præfationem. Non ergo debebat hic tractatus à scientijs omnibus, etiam ab ipsa Logica segregari, & quasi singularem aliam sciētiam constituere: sed in Logica quæ via est ad alias scientias collocari.

Qua ratione prædicamenta spectēt ad Logicam. Hinc ad fundamentum prioris sententiæ respōdetur. Ad singulas quidem sciētias pertinere de suis obiectis exactè & completè disserere, & præsertim ad Metaphysicam de illis diuisionibus & generibus entis, quæ ad eam pertinent. Sed ad Logicam, tanquam ad ianuam ipsarum scientiarum, vt ipsismet inseruiat, pertinere breuem quandam enumerationem & distinctionem rerum omnium præmittere. Item alias scientias tractare de suis rebus propter ipsas res. Logicam autem attingere easdem res propter ipsas scientias, siue ad dirigendum intellectum, ad hoc vt promptiùs & commodiùs per ipsas alias scientias plenam rerum notitiam assequi possit.

Vnde fit, quod libenter fatemur & vltro asserimus, nequaquam ad Logicam pertinere, exactè & prolixè de rebus omnibus disputare. Id enim planè esset aliarum scientiarum munus vsurpare. imo illas tollere; si quod ipsis faciendum erat, Logica præocupauerit. Ad summum Logica potest, breuem quandam & rudem rerum enarrationem exequi, magis supponendo quàm disputando, & quæ ad distinctionem generum & specierum pertinent colligendo.

Patet etiam ad alia quæ pro altera sententia adducebantur. Non enim oportebat hunc tractatum ante ipsam Logicam & propter ipsam quoque institui. Sufficiebat enim ab initio præfigere obiectum Logicæ cognitionē intellectiuam quæ dirigenda erat: & suo loco hunc tractatum propter hanc directionē & propter alias scientias constituere. Neque D. Aug. hunc tract. à tota Logica voluit separare: sed duos tractatus ambos logicos edidit: vnum de principijs Dialecticæ, alterum de Categorijs. Neque refert, quòd Arist. non expresserit cōtinuationem huius cum reliquis Logicæ libris. Nam non semper in diuersis libris, tum ipsius Logicæ, tum aliarum scientiarum, talem continuationem expressit: sed reliquit ex rebus ipsis Lectorum iudicio colligendam.

An hic tractatus conferat solùm ad directionē primæ operationis. Secundò, deinde ad explicandum, qua ratione hic tractatus conferat ad directionem nostræ cognitionis: Caiet. in Præfat. huius libri explicare conatur, hūc tractatum propriè deseruire ad directionem simplicis apprehensionis. Quia, inquit, ex adunatione omnium rerum ad decem capita, tollitur euagatio intellectus, nè dum apprehendere aliquid volumus, oporteat euagari per amplissimam rerum vniuersitatem. Tollitur etiam confusio ex distinctione & ordinatione horum decem incomplexorum. Tollitur demum obscuritas ex assignatione proprietatum, sub quibus rerum essentiæ delitescunt. Suadetur etiam, hunc tractatum esse institutum specialiter ad directionem primæ operationis, ex ipso Arist. qui in Antepr. cap. 5. diuisurus decem prædicamenta, incipit: *Eorum quæ secundùm nullam complexionem dicuntur*. Certè autem incomplexa pertinent ad primam operationem. Addit Caiet. hunc tractatum non esse adhuc sufficientem ad directionem primæ operationis, sed requiri alium

alium tractatum de arte definitiua, ad quem pertineat declarare, genus, differentiam, speciem, & alia quæ in Isagoge Porphyr. præmittuntur. Vnde infert, quia ars definitiua deberet sequi post tractatum prædicamentorum, hunc tractatum esse naturaliter priorem libro Porphyrij.

Disi debet adæquatè cõferre ad directionẽ nostræ cognitionis.

Dicendum tamen est, hunc tractatum per se & adæquatè conferre ad directionem totius nostræ cognitionis, & omnium trium operationum: quia tamen simplex apprehensio est prima in exercitio, ideò prius in executione ad illius directionem inseruire: deberequè recto ordine post tractatum præcedentem de vniuersalibus collocari. Hæc tota assertio habetur planè ex dictis q. 7. vbi explicauimus, qualiter vniuersalium tractatus ad directionem nostræ cognitionis inseruiat. Et sanè vel ipsum nomen prædicamentorum satis poterat indicare, hunc tractatum, saltem non minus, imo magis principaliter intentionis ordine, referri ad directionem illius cognitionis, in qua quædam de alijs prædicamus. Nam potissimè traditur per prædicationes quæ fiunt generum superiorum de speciebus subditis. Licèt reuera deseruiat ad directionem primæ operationis ijs rationibus, quas attulit Caiet. & in exequutione, illi ante alias famuletur. Atque Arist. in ipsis Antepræd. tradit regulas prædicationis. Et eodem illo cap. 5. allegato subdit: *Horum autem ad se inuicem complexione affirmatio vel negatio fit*. Nihil ergo obstat, quòd Arist. illa vocauerit incomplexa, quæ reuera per se sumpta incomplexa sunt. Non autem considerantur præcisè vt incomplexa, sed multò magis vt ex ijs fiunt complexiones.

Post tractatum de vniuersalibus.

Nequè post hunc tractatum, alius de arte definitiua expectandus erat. Et multò minus post illum differendus erat liber Porphyr. & vniuersalium tractatus. Nam certè deceptus non est Porphyr. qui suum librum tanquam introductionem ad ipsamet prædicamenta præmisit. Nec decepti sunt alij qui talem errorem non viderint, sed sine vlla dubitatione eundem ordinem putauerint obseruandum. Et ex re ipsa patet, prædicamentis in quibus non nisi genera differentiæ species proprietates & accidentia nominantur atque ordinantur & disponuntur, debuisse præponi non postponi tractatum de his quinque, sicut & factum est.

Aliorum sententia de obiecto huius tractatus.

Tertiò. Ex his inquirendum & definiendum est, quodnam sit proprium huius tractatus obiectum. Communis veterum Peripateticorum opinio erat, voces simplices & incomplexas quatenus significatiuas rerum, esse obiectum huius tractatus. Adhæret Fonf. 5. Metaph. cap. 7. q. 1. sect. 6. ad 3. Alia non ignota sententia est, res quatenus substant secundis intentionibus esse huius tractatus obiectum. Ita significat Auerr. in Epitome Prædicam. cap. vlt. Alber. in principio huius libri, Scot. q. 2. Prædicam. & defendunt alij. Caiet. in Præfat. Prædicam. concludit, ens proponibile primæ operationi esse huius tractationis obiectum, & negat debere assignari ens ordinabile secundùm sub & supra; quia hoc spectat ad secundam operationem, ad quam hic liber non primò ordinatur. In eodemquè sensu Caiet. intelligit Auctores qui dixerunt, voces incomplexas esse obiectum: quia idem est tractare de rebus vt conceptis simplici apprehensione, & de vocibus vt significant illas sic conceptas.

Vera resolutio, Res quatenus distinctè proponibiles intellectui esse obiectum.

Dicendum tamen nobis est, obiectum huius tractatus esse res omnes quatenus intellectui distinctè proponibiles ad directionem cognitionis eius. Ita planè sequitur ex dictis. Et ita perspicuè significauit D. August. cap. 3. Categr. ex doctrina Themistij. Dico res omnes potius quàm voces significatiuas rerum: directè enim & ex intento res debent proponi & explicari: voces verò assumuntur tanquam notæ ipsarum rerum. Quia tamen explicatio rerum hoc loco non est exacta & exquisita: ideò fortasse veteres Peripatetici maluerunt assignare voces significatiuas rerum, quàm res significatas vocibus. Per res omnes debent intelligi entia realia exclusis entibus rationis: ea enim sola in his prædicamentis collocantur, vt videbimus. Debent etiam intelligi specialiter res creatæ: ita vt Deus & res diuinæ non in hoc ordine includantur. Satis enim Logicæ est, si tantùm res creatas attingat, neque ad diuinas ascendat, ad quas non nisi ex plena atque

atque perfecta rerum creatarum notitia, gradum facere, intellectui humano conceditur. Vnde præclarè August. lib. de Cognit. veræ vitæ cap. 3. dixit: *Dialectica differendi potens, cùm ad Diuinitatem intendit, tanta Maiestatis luce repercussa, pauidum caput tremefacta reflectit, atque in abdita mundana sapientia fugiens delitescit.*

Dico deinde, quatenus intellectui &c. ad denotandam rationem formalem sub qua res omnes à Logica attinguntur. Nam ab alijs scientijs considerantur res quatenus res sunt: à Logica verò quatenus per hunc tractatum directiuæ sunt cognitionis in alijs scientijs acquirendæ. Non dico quatenus stant sub secundis intentionibus. Si enim hæ sumantur pro entibus fictis & relationibus rationis, contemnendæ potius sunt. Neque in hoc tractatu has secundas intentiones prosequi & considerare intendimus. Fortasse autem illi Auctores qui eo modo loquuti sunt, acceperunt secundas intentiones potius pro ipsis conceptibus mentis sub quibus stant res quæ intellectui proponuntur. Neque dico quatenus proponibiles primæ operationi. Non enim hoc solùm in præsenti tractatu intenditur: sed potius adæquatè dirigere cognitionem intellectiuam. Hæc enim enarratio rerum, vtique per se apta est iuuare, & rectè poterat institui, ad directionem totius cognitionis: ergo hac ratione suscipienda est. Et præsertim perspicuum est, in prædicamentis res ordinari secundùm prædicari & subijci. Non ergo debebat Caiet. excludere hanc ordinationem ab intentione huius tractatus. Igitur adæquatè ad directionem nostræ cognitionis, complectendo omnes tres operationes, prædicamenta construenda & disponenda sunt. Dico demum, quatenus distinctè proponibiles, ad distinguendum hunc tractatum à præcedenti vniuersalium. In illo enim abstractè proponebantur res omnes sub nominibus generis speciei &c. In hoc autem tractatu distinctè proponuntur varia genera species &c. res omnes per varia prædicamenta distinguendo.



SECTIO SECVNDA.
Quid sint Prædicamenta. An & quomodo generibus summis & generalissimis constent.

EX initio huius quæst. satis constat, Prædicamenta esse coordinationes rerum quæ inter se habent ordinem superiorum & inferiorum, vniuersalium seu prædicabilium & subijcibilium. Et licèt soleat moueri dubium, an quatenus vniuersales, vel quatenus prædicabiles, naturæ reales constituant prædicamenta: tamen res est clara, posse vtroque modo accipi, & secundùm vtranque considerationem coniungi, vt prædicamentum dici possit, vel coordinatio vniuersalium, vel prædicabilium. Quamuis prædicamenti nomen magis apertè & explicitè prædicationem sonet. *Prædicamenta sūt collectiones et coordinationes rerū.*

Addit Fons. 5. Metaphy. cap. 7. quæst. 1. sect. 2. prædicamentum esse dispositionem naturalem rerum. Naturalem vocat & explicat: quia non est ab intellectu excogitata, sed in rebus ipsis inuenta: distinctio superiorum & inferiorum, non est rationis puræ, sed ex natura rei: & ordo eorundem, non est arbitrarius, sed naturalis. Verùm dicendum potius est, dispositionem & coordinationem prædicamentalem formaliter esse opus rationis, fundari tamen in rebus. Ita communiter alij supponunt. Et patet ex dictis de vniuersalibus: quia superiora & inferiora non distinguuntur actu à parte rei, nec in re habent huiusmodi respectus: ergo eorum ordo & dispositio non habetur nisi per rationem. Fundatur tamen in re; vt videlicet substantia ponatur supra corpus & spiritum, animal supra hominem & brutum, & sic de alijs. *Sūt opera rationis.*

Itaque prædicamentum est opus quoddam veluti artificiale, constructum ab intellectu ex varijs naturarum gradibus subordinatis & in vnam seriem collectis. Habetquè vnitatem artificialem, quæ consistit in apta dispositione & collocatione partium, facta ad iuuandum intellectum, vt faciliùs & commodiùs accipiat rudem quandam & inchoatam rerum omnium notitiam. *Sunt velut opera artificialia.*

Præ-

An cõstēt generibus sūmis seu generalissimis. Præcipuè autem ad rationem prædicamenti solet requiri genus summu, quod dicitur generalissimum, quod videlicet non habeat supra se aliud genus. Vnde prædicaméta interdū vocantur ipsa summa genera, sub quibus alia genera species & indiuidua collocantur. Vel magis communiter vocantur totæ collectiones naturarum, quæ fiunt incipiendo á primo quodam supremoque genere. Et in hoc fundari solet distinctio tot & talium prædicamentorum, quæ postea numerabimus. Aliqui verò cum tanto rigore hoc intelligunt, vt velint, non posse dari conceptum vllo modo vnum atque præcisum supra ipsa prædicamenta, per modum naturæ communis, eo pacto quo dantur conceptus naturarum communium in ipsis prædicamentis. Alij sunt qui admittunt conceptum vnum & præcisum, ij videlicet qui asserunt ens in communi præscindere á substantia & accidenti: negant autem, talem conceptum esse vniuocum, aut posse dari alium conceptum vniuocum supra prædicamenta. Alij demum sunt qui, etsi admittant conceptum vniuocum, saltem negant esse genericum. Sic Scotus voluit ens esse vniuocum, negauit esse genus.

Cõmunis sententia affirmat. Porphyr. Absolutè autem loquendo, prædicamenta requirere in se genera summa, non habentia aliud supra se genus, est communis sententia. Et est apertè Porphyrij cap. de Specie, vbi distinguit genus generalissimum quod non habet supra se aliud genus, á genere subalterno quod est species alterius generis sibi superioris: & ait, prima esse decem genera, videlicet iuxta decem prædicamenta, & ens non esse genus omnium, sed æquiuocè dici de omnibus. Atque testatur, hanc esse sententiam Arist. *Damasc.* Est etiam Damasc. in sua Dialectica cap. 36. vbi decem prædicamenta appellat summa genera.

Aristot. Videturque eadem planè esse sententia Aristot. Primò ex ipso prædicam. libro, quia idcirco in principio distinxit æquiuoca & vniuoca, vt vniuoca distingueret in decem capita, supra quæ non erant alia nomina nisi æquiuoca. Ideò etiam decem prædicamenta distinxit, non plura nec pauciora. Et cap. vlt concludit: *De omnibus generibus quæ proposuimus sufficiant quæ dicta sunt*. Secundò, quia 12. Met. tex. 19. & 28. docet, principia rerum, idest naturas prædicamentorum, non esse eadem sed diuersa: & solùm esse aliquo modo eadem, idest analogicè. Tertiò, quia primo Ethicorum cap. 6. ex eo quòd bonum dicitur de omnibus prædicamentis, infert non esse commune quid vniuersale; planè supponens, non posse aliquod aliud genus, seu vniuocum, aut vniuersale, supra prædicamenta inueniri. Quartò, quia 3. Metaph. text. 10. ait: *Tot esse entium principia, quot prima generū sunt*. Et docet ens & vnum non esse genera. Et videtur etiam supponere, prima genera esse prædicamenta. Quintò, quia 8. Metaph. text. 16. docet, ens, cùm diuidatur in substantiam quantitatem qualitatem, non esse genus, & propterea non esse ponendum in definitionibus, quę scilicet ex genere & differentia constare debent. Vbi etiam, sicut negat ens esse genus, ita videtur supponere, substantiam quantitatem & pariter alia prædicamenta esse summa genera. Sextò demum, quia 4. Metaph. text. 2. & lib. 11. sum. 2. & alibi docet, ens non esse vniuocum, sed ad summum esse analogum. & 1. Physic. text. 13. & 16. ens dici multipliciter, idest æquiuocè seu analogicè. Quæ etiam propter prædicamenta docuisse videtur, vt prædicamentorum genera sint prima vniuoca.

Pro resolutione Dico primò, posse prædicamentum ita accipi & construi, vt in capite dicat gradum adeo communem & vniuersalem, vt nullum supra se penitus dicat alium gradum superiorem magis communem & vniuersalem, nullum genus, nullum conceptum vniuocum, aut præcisum. *Potest prædicamentum construi ex gradu supremo, & communissimo.* Hæc conclusio patet. quia cùm prædicamentum sit opus artificiale fabricandum ab intellectu, nihil prohibet, prædicamentum ita accipi & fabricari. Nam sine dubio datur prædicatum aliquod omnium supremum, non habens supra se aliud, saltem ens communissimè sumptum, & potest tale prædicatum diuidi in plura, & hæc rursus in alia: ita vt dicatur vnum prædicamentum incipiens ab illo supremo prædicato.

Dico secundò, posse prædicamenta ita accipi & constitui, vt in capite dicant certos gradus genericos, qui tamen habeant supra se alios gradus superiores & commu- *Possunt plura prædicamenta cõstrui*

ex generibus non supremis simpliciter. communiores etiam præcisos & vniuocos; imo genericos, adæquatè sumendo genus pro vniuersali quod dicitur in quid de pluribus vniuersalibus sub eo contentis. Et de ratione talium prædicamentorum erit, habere in se genera summa, quæ scilicet intra ipsa prædicamenta sint summa, idest non habeant in ipsis prædicamentis alia genera superiora, licèt extra & supra dentur alia genera. Hæc etiam conclusio patet: quia nihil prohibet, diuersas rerum classes constituere, & series ordinare, inchoando à diuersis entium generibus, eaquè in alia inferiora diuidere vsque ad vltima; & singulas has rerum classes prædicamenta appellari. ita quòd supra illa genera, in quibus singulæ ex his rerum classibus incipiant, dêtur alij gradus communes ijs singulis. Qui gradus sint vniuersalia quædam, quæ prædicentur in quid de pluribus vniuersalibus sub se contentis, & ita sint genera.

Supremis secundùm quid. Dici autem poterit, in quolibet ex ijs prædicamentis inueniri genus summum & generalissimum in illo ordine, in illa rerum serie, in illo prædicamento. Quia cùm tale prædicamentum incipiat à certo aliquo genere: vtique non habet in se & intra se aliud genus superius illo in quo incipit. Quia iam non inciperet ab illo, sed ab alio superiori.

Prædicamenta quæ sunt in vsu, non constãt generibus simpliciter supremis. Dico tertiò. Prædicamenta, quæ de facto assignantur & sunt in vsu, atque distinctè vnum ab alio ordinantur, se habent hoc posteriori modo, non illo primo. Hæc conclusio est, de qua procedit difficultas. Probatur primò ex ipso Arist. ab auctoritate negatiua. quia nusquam expressit, prædicamenta à se distincta & constructa, dicere genera simpliciter generalissima, supra quæ nullum penitus sit aliud genus. Sed in hoc tract. in cap. vlt. Antepraedicamentorum, quando prædicamenta diuidit, solùm dicit, omnia incomplexa esse aut substantiam aut quantum &c. & in fine Prædic. tantùm concludit se egisse de propositis generibus, quod omnino verissimum est. Nec dixit de summis generibus, supra quæ nulla sint alia. Et omnia loca Arist. in contrarium allata, postea explicabimus. Non oportet ergo, prædicamenta Arist. assignare tanquam genera simpliciter summa, quando ipse Arist. id non expressit.

Probatur ex Arist. Secundò præcipuè probatur ab auctoritate positiua, & ratione in ea fundata. Arist. in Antepr. cap. 4. docet, generum non subalternatorum non posse esse easdem differentias diuisiuas, subalternatorum autem posse esse. Deinde lib. 4. Topic. loc. 11. & lib. 6. loc. 41. declarat, genera subalternata esse, vel quorum vnum continetur sub alio, vel quæ ambo continentur sub tertio genere ipsis superiori, & vtroque modo posse ipsorum generum easdem communes esse differentias. Sed certè manifestum est, diuersorum prædicamentorum posse communes differentias assignari. Nam v. g. sicut substantia diuiditur in spiritualem & corpoream: ita prorsus diuidi potest qualitas, relatio, actio: & aliæ similes diuisiones communes excogitari possunt. Ergo, cùm diuersa prędicamenta non sint inter se subalternata, quasi vnũ sub alio, seu in alio, includantur; dici debent subalternata alteri generi extraneo ipsis superiori: igitur non sunt in se, seu non dicunt genera simpliciter summa atque suprema.

Et hinc sumitur etiam ratio ad idem confirmandum: quia differentiæ diuisiuę habentes inter se adæquatam oppositionem, debent attingere naturam aliquam communem quam adæquatè diuidant: ita vt omnia illa quibus tales differentiæ insunt, conueniant in aliquo conceptu communi, sub quo per tales differentias diuidantur: sed quando diuersa genera diuiduntur per consimiles differentias, tunc tales differentiæ neutri sunt adæquatæ, vt patet: ergo oportet recurrere ad aliud prædicatum superius cui adæquentur. & ita inductione constare potest in omnibus rebus. Quod si quis dicat, non esse easdem differentias spiritualitatis & corporeitatis, quæ diuidant substantiam, qualitatem, & alia. Verissimum est, non esse easdem realiter: sed sic nullæ aliæ differẽtiæ aliorum diuersorum generum, sunt inter se eædem realiter, vt patet. Nec Arist. intellexit differentias easdem realiter. Falsum autem est, non esse easdem ratione, seu non esse consimiles & inter se conuenientes: sicut se habent aliæ huiusmodi differentiæ consimiles aliorum generum.

Tertiò

Tertiò. Afferri potest quod Arist. 2. Met. tex. 4. assumens, *Vnumquodque esse maximè tale secûdùm quod alijs vniuocatio inest*, idest per quod alijs inest forma vniuoca, & ratione & nomine cõmunis: ex hoc inquam infert, illa ex quibus alijs veritas inest, esse maximè vera: & sicut vnũquodque se habet secundùm esse, ita se habere secundùm veritatem Indicat ergo, veritatem & entitatẽ dici vniuocè: sed certè hęc sunt prædicata transcendentalia communia omnibus prædicamentis: ergo prædicamenta habent supra se alia vniuoca prędicata. Nec satisfacit, quod respõderi solet, Arist. ibi accepisse vniuocationem minus propriè. Planè enim accepit vniuocationẽ pro conueniẽtia in ratione seu forma eodem nomine significata: quæ est definitio vniuocorum hoc loco tradita & 4. Met. tex. 3. docet, ens esse cõmune omnibus generibus siue prædicamentis, & vtrique intelligit esse commune secũdùm rationem significatã, eo modo quo hìc vniuoca definiuit: & propterea ait, proprietates communes conuenire rebus quatenus entia sunt, quæ reduplicatio vtrique indicat rationem & naturam communem essentialiter omnibus.

Quartò. Afferri potest, quod Arist. ait 10. Met. tex. 12. vbi docet, alia esse diuersa, & alia esse differentia. Illa esse diuersa, quæ nullatenus cõueniũt. Illa differre, quę in aliquo vno conueniunt; hoc verò idem, aut genus, aut speciẽ esse. Et ideò alia differre genere alia specie: idest alia ita differunt, quòd per rationes genericas differunt, alia solùm per rationes specificas. Loquitur enim de naturis vniuersalibus. Et omnia hæc intelligit cõuenire in alio genere superiori. Alioqui essẽt diuersa, & non differẽtia. Deinde inter ea quæ differũt genere assignat illa: *Quorũ alia est prædicationis figura*: quæ ab omnibus intelliguntur dici illa quæ in diuersis prædicamentis inueniuntur: ergo de mente Arist. prædicamenta non sunt diuersa, sed differentia, & conueniunt in aliquo genere superiori. Nec benè Suar. d. 39. Met. sect. 2. num. 31. cum Alens. explicat Arist. quando dixit alia differre genere alia specie, sumpsisse differre vt commune est ad esse diuersa: & ad differre propriè sumptũ. quia differre genere accepit pro ijs quæ genericè distinguuntur, ita vt non in alio genere conueniãt. Nam potius Arist. illa quę dixit differre, & distinxit à diuersis, sub distinguit, in ea quæ differũt genere, & quę differũt specie. Et patet ex verbo ipso differẽdi in sẽsu quo ibi sumitur. Neque differre genere accepit pro ijs quę ita distinguuntur, vt in alio genere nõ conueniãt, sed pro ijs quæ ita distinguũtur, vt differentijs quidem genericis distinguãtur & non solùm specificis, tamẽ conueniant in genere alio superiori, ad discrimẽ diuersorum quæ antea præmiserat.

Quintò deinde ratione probatur: quia dũ non assignatur vnũ totius entis realis prædicamẽtũ, sed multa prædicamẽta penes plura entis genera distinguũtur: tamẽ talia prædicamẽta nõ dicũt genera ita suprema, supra quæ non sit aliud cõmunius prædicatum: sed planè ipsũ ens est super oĩa prædicamenta. Imo quia non nisi entia creata per hæc prædicamenta distribuuntur; præsupponitur etiam distinctio entis in increatum & creatũ, & ens creatum est omnibus prædicamentis commune. Huiusmodi autem ens, nõ est merè nomen æquiuocum, sicut nomen canis: nec est ita analogum, sicut sanũ respectu animalis & medicinæ, vel sicut ridere respectu hominis & prati, sicut principiũ respectu patris & puncti: siue ens nõ est nomẽ per plures impositiones multa significãs, non indicans vnum conceptum in mente. Quinimo verè sub nomine entis formatur suus conceptus in mẽte, prędicabilis quoad naturam realem de omnibus & singulis entibus: sicut se habent alia vniuersalia. Ipsique enti sic sumpto conueniunt & assignantur suæ proprietates adæquatæ, vnum, verum, bonũ: quod vtique æquiuocis & veris analogis, quæ solà dicũt communitatẽ nominis, nõ contingit. Atque in hoc sensu ens dicit conceptum vnum suo modo præcisum, & in hoc sensu vniuocũ in sensu, inquã, quo Arist. hìc distinxit vniuoca & æquiuoca, & in quo magis propriè accipi debent vniuoca & æquiuoca, complectendo sub æquiuocis analoga. In eodem ergo sensu prædicamenta quæ sub ente distinguuntur, non sunt primi & sũmi gradus cões, prima & sũma vniuoca. *Probatur ex vniuersalitate & generalitate entis.*

Vlterius in eodem sensu ens dici debet genus. Tum quia genus est illud quod prædicatur in quid de pluribus vniuersalibus, quod scilicet est commune in

 essen-

essendo multis: sed ens planè est huiusmodi: ergo. Tum quia sine dubio potest accipi vniuersale in essendo in tanta amplitudine, ad distinctionem singularium, & vniuersalium merè in significando; quòd ens & similia transcendentia dici debeant vniuersalia in essendo, vt notauimus quæst. 3. sect. 4. si ergo vniuersale sic amplè sumptum diuidatur per illa quinque, genus, speciem, & reliqua: vtique ens non nisi ad genus pertinebit. Tum sanè solet sæpe appellari genus entis, & passim de varijs rebus dicitur, esse in genere entis, in genere rei. Et Arist. in Postprædicam. cap. de Oppositis & 4. Topic. loc. 33. bonum & malum in communi vocat genera. Non est ergo insuetum, sumi nomen generis in hac acceptione & amplitudine. Tum demum, vnum, verum, bonum, ab omnibus dicuntur proprietates entis: & vtique habent communitatem & vniuersalitatem quarti prędicabilis quod dicitur propriũ. Non enim solo nomine: sed verè secundũ rationem significatã, sunt proprietates cõmunes, cõuenientes omni soli & semper: habent ergo aliquam vniuersalitatem in essendo, & vtiq. vniuersalitatem proprij. Ergo ipsum ens, quod dicitur essentialiter in quid de omnibus inferioribus, habet vniuersalitatem generis.

Neque valet, quod ait Scot. in 1. d. 3. q. 3. §. Contra istam. vers. Ad vidẽdum, qui docens ens esse vniuocum, imo non includi in conceptu simplicium differentiarum, conatur defendere non esse genus: quia inquit, includitur in cõceptu aliquarum saltem differentiarum, earum inquit, quæ sumuntur ab aliqua parte: nam de omni forma reali dicitur ens, & ita dicitur de differentia adæquatè sumpta ex ipsa parte. Hoc inquam, nihil valet. Tum quia videtur supponere, genus debere sumi ab vna parte potentiali, & differentiã ab alia parte formali, cũ reali distinctione ipsarum partium, & ipsorum graduum generis & differentiæ: quod verum non est. Tum quia passim alia genera non habent adiunctas tales differentias, quæ sumuntur ex partibus distinctis, extra conceptum quarum differentiarum sint ipsa genera: & tamen sunt vera genera. Tum quia nulla redditur ratio, cur ille gradus vniuocus qui prædicatur in quid de pluribus generibus; imo qui dicitur esse extra rationem differentiarum simplicium, quæ sunt illæ quæ proximè & adæquatè diuidunt ipsum ens, videlicet perseitas & inaseitas; non sit verum genus.

Nec etiam valet, quod ait Suar. d. 32. Met. sect. 2. nu. 11. vbi defendit, non benè inferri, ens esse genus, etiam si admittatur esse vniuocũ: quia inquit, non dicit conceptũ vnum omninò pręcisum à differentijs, sed in ijs inclusum. Et eadẽ rõne affirmat, alia esse prædicata vniuoca quæ non sint genera. Hac autem ratione alij frequenter defendere solent, ens non solùm non esse genus, sed nec etiam esse vniuocum, quia de ratione vniuoci putãt esse perfectam præcisionem. Hoc inquam, non valet. Quod satis patet ex iam prædictis. Ostensum est enim, præsertim q. 13. non esse de ratione generis, nec etiã eorum generũ quę in prędicamentis poni solent, perfectã pręcisionẽ; & ens similẽ habere præcisionem cum ea quam habent alia pleraq. genera. Ergo hæc ratio non impedit, quominus ens dicatur genus.

Nec demũ sufficit, quod ens contrahitur ad substantiam & accidens per depẽdentiam essentialẽ accidentis à substãtia, quæ inæqualitas cõstituit quandã peculiarem analogiam, vt quęst. superiori cõcessimus. Hoc, inquam, nõ sufficit. Tum quia potest aliter immediatè & adęquatè diuidi sine tali inæqualitate: videlicet ens aliud est spirituale aliud corporeum, seu aliud immateriale, aliud materiale, alioue simili modo. Tum etiam respectu substantiæ & accidentis, illa inæqualitas non faciet esse minorem vnitatẽ conceptus obiectiui entis, & superioritatẽ essentialẽ ac prædicabilitatem in quid entis respectu eorum generũ. Atq. adeò potest adhuc genus sumi in tota amplitudine quam supra dicebamus, vt non excludat ipsum ens. Iuuat tamen illa inæqualitas tanquã congruentia quædam ad distinctionem prædicamentorum, vt dicemus sect. seq. Plura autem de communitate entis dicemus suo loco in Metaph. vbi hæc omnia magis confirmanda erunt.

Sextò præterea efficaciter probatur assertio. Prçter ens sunt alia plura prædicata sub ente, cõia, si nõ omnibus, saltẽ pluribus prædicamẽtis, ex ijs quæ sunt in vsu, quæ prædicata sunt vniuoca & generica: Patet. *Ex vniuersalitate & generalitate accidẽtis.*

& aliorũ prædicamentorum, Patet. Tum quia ens immediatè diuiditur in substantiam & accidens, substantia est vnũ prædicamentum, accidens in nouem alia distribuitur: sed certè quã vnitatẽ & cõitatem, atq. adeò genericam vniuersalitatem, habet substantia respectu substãtiarũ, pariter habet accidens respectu accidentiũ: ergo. Vnde Sot. in Antepr. q. 2. ad 2. Fatetur, accidens esse vniuocum: & nullam aptam rationem reddit, cur non sit genus. Tum deinde accidẽs pôt immediatè diuidi in quosdam alios gradus qui sunt rursus cões pluribus prædicamentis. Non enim accidens exigit immediatè diuidi in quantitatẽ qualitatem &c. Videlicet pôt diuidi in illud quod verè inest subiecto illudque denominat, & in illud quod solùm dicitur per denominationẽ extrinsecam: quædam enim prædicamenta vno, quædam alio modo se habent. Itẽ pôt diuidi in illud quod est res, & in illud quod est modus, sumendo rẽ non amplè vt cum ente coincidit, sed vt à modis distinguitur. Rursus pôt diuidi in absolutũ & respectiuũ; & accidens absolutum verè dicit conceptum positiuũ oppositum respectiuo, sicut enim se habent esse per se & esse in alio, ita pariter se habent esse ad se & esse ad aliud. Accidens autẽ absolutum complectitur ea prædicaméta quæ non in relatione consistunt. Tum insuper possunt excogitari & assignari alij conceptus, cões certis quibusdam prædicamentis. Sic multi assignant conceptum accidentis absoluti perfecti, cõem quantitati & qualitati. Alij assignant conceptum motus, siue productionis, siue viæ & transitus, cõem actioni & passioni: Nam certè actio & passio habent inter se certã conuenientiam in vno conceptu, in quo differunt ab alijs prædicamentis. Alij assignant cõceptum accidentis localis, cõmunem vbi & situi. Alij assignant conceptũ relationis extrinsecus aduenientis, vt loquitur Scot. siue relationis accidẽtalis transcendentalis, siue formæ dicentis habitudinem ad aliquid extrinsecũ, aut subiectum aut terminũ, cõceptum inquam, cõem sex vltimis prædicamentis, aut eorum aliquibus. Vnde Suar. disp. 39. sect. 3. nu. 15. fatetur tandem, accidens dici vniuocè de quibusdam prædicamentis. Fateriq. tenebatur, ijs prædicamentis esse vniuocum, certum conceptum accidentis ijs adæquatum. Nec satisfacere poterat, cur non sit genus. Tũ demum aliqui cõceptus assignari possunt communes substantiæ & quibusdam accidẽtibus, videlicet ens absolutum, ens quod est res. Alijsque modis possunt ac solent gradus communes pluribus prædicamentis inueniri.

Hi autẽ gradus ita habent suã vnitatẽ præcisionis, & cõitatẽ in essendo, ac prædicabilitatẽ in quid, sicut alia genera quę in ipsis prædicamentis assignantur. Et, si quid diceretur obstare vniuocationi genericæ horum graduũ: poterit pariter retorqueri aduersus illa genera quę in prędicamentis disponuntur. Videlicet, si quis dicat, accidens in cõi, aut accidẽs intrinsecè denominans, nõ perfectè præscindere, quia non sit extra rõem differentiarũ. Et ideò non esse vniuocũ, aut non esse genus. Eadẽ difficultas vrgebit cõtra ipsam substantiam, contra quantitatẽ, qualitatẽ, relationẽ, & alia singula prædicamenta. Vel eo modo quo in his generibus sufficiens præcisio & differentiæ diuidentes assignentur, eodẽ statim inueniẽtur in illis gradibus cõioribus designatis. Quod non oportet hic latiùs prosequi, quia rem considerando, & paritates vrgendo, totũ perspicuè apparebit. Et prętereà in multis ex dictis prædicatis, non inuenitur illa inæqualitas & dependentia participationis per prius & posterius: vel saltẽ nõ inuenitur pluquã in alijs prædicatis, quæ inter prfita sine obstaculo collocantur.

Septimò tandẽ ad plenã explicationẽ huius rei, & ad tenendũ facilẽ & cõmodũ loquẽdi modum; iuuabit distinguere, quędã esse vniuoca & genera prædicamentalia, quędã verò transcendẽtia. Illa sunt quæ in prædicamentis vsitatis disponuntur & collocantur. Alia sunt quę transcendunt ipsa prædicamenta. Vnde sumimus nomen transcendentis, non solũ pro illis, Ens, Res, &c. quę omnibus cõia sunt. Sed pro oibus prędicatis quę non in vno certo prædicamento includuntur: sicut nominari solent relatio prædicamẽtalis & transcendentalis, & interdum actio, aliudue simile. De ratione ergo prædicamentorum est, vt singula dicant sua certa genera prædicamẽtalia summa & suprema & gñalissima respectu omnium aliorũ quæ in ijsdem prædicamentis collocãtur. Et ratio huius rei est; quia vnũ prędicamen- *Prædicamenta cõstant generibus sũmis prædicamentalibus.*

camentum non habet plura prima capita; sed vnum à quo incipit, quod proinde esse debet generalissimum totius prædicamenti. Non est autẽ de rõne horum prædicamentorum, vt nulla alia extent vniuoca & genera transcendentalia superiora. Et ratio etiã huius rei est: quia cùm prædicamenta non sint data à natura, sed sint facta per artem; placuit prædicamẽta ita distinguere & multiplicare, vt non vnum tantũ, vel pauciora quædã, sed tot prędicamenta fierent, incipiendo à generibus non vsque adeò cõibus. Vnde licèt potuisset aliter fieri, vt antea dicebamus: tamen de facto Aristoteli & Scholæ Peripateticæ ita fieri placuit.

Auctoritates Porphyr. & Damasc. explicantur. Superest modò auctoritates initio adductas explicare. Auctoritatẽ Porph non multũ curat Scot. in 1. d. 3. q. 3. propè finẽ. Et quia Porph. assert, Arist. dixisse ens dici æquiuocè, respondet id in Logica non inueniri: quę aũt Arist. dixit in Met. posse exponi. Attamen quòd Porph. cõstituit in prędicamentis genera generalissima, debet intelligi de generalissimis prædicamentalibus. Agit enim de dispõne prædicamẽtorũ: & inquit in quolibet prædicamẽto inueniri vnũ generalissimũ, plura intermedia, & plurimas spẽs specialissimas, quod verissimũ est. Quod verò dixit, ens non esse cõe omnium genus, sed dici æquiuocè: non est solùm contra nos. Nam Porph. ait, cõionem entis esse solùm sm̃ nomen, & non sm̃ rõnem: & tñ etiam illi qui dicunt ens esse analogũ, non dicũt esse tale analogũ quod solã nominis cõionẽ dicat: sed enti tribuunt aliquã cõitatẽ rõnis significatę. Pòt aũt fortasse exponi, ens non esse genus quod æqualiter participatur à substantia & accidenti, & sic nõ esse vniuocũ æqualitatis, sed esse analogũ inæqualitatis, quod scilicet non ęquè primò participatur. Cęterũ ipse non est loquutus de alijs prędicatis sub ente, cõibus pluribus prædicamẽtis, de quibus nos loquuti sumus. Pro testimonio verò Arist. quod assert, inuenitur hic in Logica. 1. Elench. c. 6. ens, vnũ, & idẽ, dici ęquiuocè: sed intelligi dẽt analogicè: & debet exponi sicut alia loca Arist. Damasc. autem satis commodè intelligitur de generibus summis prędicamentalibus.

Auctorit. Arist. explicatur. Ad 1. auctorit. Arist. dicendum est, Illũ distinxisse ęquiuoca & vniuoca, non quia omnia, sed quia sola vniuoca, erant in prędicamẽtis disponenda. Distinxisse decẽ prędicamenta, nõ quia nulla alia erãt genera ijs superiora, sed quia illa distinctio erat commoda, vt postea dicemus. Dixisse demum, de generibus, non de summis simpliciter generibus.

Ad 2. Per principia non intellexit naturas & gradus essentiales, sed causas, seu principia physica, vt patet in textu. Et dixit, hęc principia esse diuersa, sed aliquo modo eadẽ: tum analogicè per quandam proportionẽ: tum quia causę substantiarũ dici possunt oĩum aliorũ causę; quoniam peremptis substantijs, & alia pereunt.

Ad 3. Ibi disputat contra ideas separatas, & intẽdit probare non dari ideã boni, & in hoc sensu ait, bonũ non esse vnũ quid cõe. Et probat ex eo quòd dicitur in oĩbus prędicamentis: arguens ad hominẽ contra Auctores idearũ; qui supponebãt non esse vnã ideam diuersorũ generum.

Ad quartam iam diximus quęstione 13. sect. 5. ad 1.

Ad 5. Ibi solùm voluit, ens nõ esse genus prędicamentale, quod poni debeat in definitione. Quia cũ ens dicatur de omnibus, non debet poni in definitione earũ specierum; quę ponuntur in prędicamentis: cũ potius in definitionibus harum specierum poni debeant illa prędicata, quę distinguant speciem definitam saltem ab aliquibus rebus.

Ad 6. demum Arist. interdum accepit ens adeò latè, vt etiam de entibus rationis & negationibus dicatur, vt patet ibi: & ens sic sumptum planè dicitur analogicè, sicut sanum: quia solùm per extrinsecam attributionem dicitur de ijs quę reuera non sunt entia. Vel etiam si de ente reali loquutus sit: solùm voluit, dici analogicè analogia inęqualitatis siue dependentię, ad distinctionem vniuocationis ęqualitatis: quia scilicet ens dicitur per prius de substantiã, quàm de accidenti. Dixit etiam, dici multipliciter: quia verè multa & varia sunt entis genera.

Præter hæc, alia difficultas insurgit, quare tot, & non pauciora, aut plura prædicamenta, designata fuerint: si non determinentur ex eo quòd tot sint genera simpliciter summa. De qua re iam agendum sequitur.

SECTIO

SECTIO TERTIA.
Quot & quæ sint Prædicamenta.

AFferri solet ad hunc locum sententia quędam Pytagoreorum quorundam, apud Aristot. 1. Metaph. cap. 5. distinguentium viginti rerum principia per decem combinationes: videlicet finitum & infinitum, par & impar, vnum & plura, dexterū & sinistrum, masculinum & fœmininum, quiescens & motum, rectum & curuum, lumen & tenebras, bonum & malum, quadratum & altera parte longius. Verùm neque Pytagorici illi hæc principia assignabant pro prædicamentis de quibus nunc agimus: neque Aristot. de his prædicamentis disserens illam refert: sed sermo erat de rerum principijs seu causis: neq. ea sententia hoc loco afferenda, nedum impugnanda erat.

Platonis & Arist. aliorūquè sententia. Plato autem in Sophista & in Parmenide, vnum tantùm totius entis prædicamentum fecisse, videtur. Alij verò duo, alij quatuor, alij varijs modis plura aut pauciora prædicamenta distinxerunt. Aristot. hoc loco decem prædicamenta distinguit, quæ enumerat in Antepr. cap. 5. & in sequēti tract. distinctè prosequitur: & sunt hæc. Substantia, Quantum, Quale, Ad aliquid, Vbi, Quando, Situm esse, Habere, Agere, Pati. Hæc eadem prædicamenta distinctè enumerat 1. Topic. cap. 7. Hunc numerum, non solùm Peripatetici communiter approbare & defendere solent: Sed etiam D. Aug. in suis Categorijs, Damasc. in sua Dialect. & D. Isidor. lib. 2. Ethim. cap. 27. Auerr. autem ait, Aristot. fuisse primum Auctorem & inuentorem huius numeri & distinctionis: Iamblicus apud Boetium ait, potius Architam Tarentinum fuisse priorem inuentorem, quem postea Aristot. imitatus sit. At verò idem Aristot. 1. Post. text. 148., 5. Phys. text. 9., & 5. Metaph. text. 14. octo tantum prædicamenta numerauit, omissis situ & habitu. Et voluit ijs locis adæquatè omnium numerare, vt ex eius intento colligitur. Nullumquè verbum adiecit, quo indicaret plura superesse: sicut adiecit 1. Ethic. cap. 6. vbi cum sex tantùm numerasset, apposuit, & his similia. Hinc non pauci expositores circa eadem loca tenent, octo tantùm esse predicamenta exclusis illis duobus: & aliqui hoc loco idē defendūt. Atque Fons. 5. Met. c. 7 q. 2. sect. 4. ait, sic si & habere assignari solere inter prædicamenta populari sensu: sed reuera secundùm philosophicum rigorem non esse ab alijs distincta. Præterea nō defuerunt alij, qui alijs modis predicamenta designauerint: vel tantùm duo, substantiam & accidens: vel aliquantò plura, diuidentes accidēs in pauca aliquot genera. Sic Hurtad. disp. 9. Met. sect. 2. duo vel tria facit prædicamenta. Rursus alij voluerunt, prædicamenta esse aliquantò pauciora quàm decē, vnientes quædam ex ijs prædicamentis, quæ inter decem distinguuntur.

Poterat vnū constitui prædicamentum. Dico primò. Potuisse vnicum prædimētum entis realis assignari: imo si prædicamentum ita assignādum sit, quod nullum supra se habeat gradum communem in essendo, videlicet non solo nomine, sed etiam ratione significata prædicabilem, atque adeò in sensu quodam dicto vniuocum & genericum: sic non nisi vnū ipsius entis esse predicamentum. Hæc cōclusio manifesta est ex dictis sect. preced. Et præterea ex Arist. confirmatur. Nam locis cit. 1. Poster., 5. Met., & præsertim 1. Topic. primum prædicamentum assignat, non quidem substantiam, sed quid est seu quidditatem, & intelligit planè atque declarat, quidditatem non solùm substantiæ, sed omnium aliorum, etiam accidentium, qualitatis, quantitatis, &c. *Genera prædicamentorum (inquit) sunt numero decem, quid est, quantum, quale, &c. Manifestum est autem, quoniam quod quid est, quandoque substantiam significat quandoque quale, &c.* & exemplis ostendit. Ibi ergo Aristot. vnum prædicamentum fecit de omnibus prædicationibus essentialibus in quibuscunque generibus: alia prædicamenta fecit de prædicationibus accidentalibus; secundùm quas formæ accidentales de substantia ipsa prædicantur. Ad eum ferè modum, quo distincta sunt prædicabilia. Nam accidentia quatenus essentialiter prædicantur, pertinent ad genus, vel speciem: quatenus accidentaliter, ad duo vltima prædicabilia. Ergo iuxta eam doctrinam Aristotelis, vnum est prædicamentum omniū essentialium prædicatorum

generum & specierum in tota latitudine entis, licèt alia prædicamenta distinxerit secundùm prædicationes accidentales.

Poterant varijs modis plura distingui.

Dico secundò. Potuisse varijs modis plura prædicamenta distingui & designari. Potuissent enim duo, diuidendo ens immediatè in duo membra. Et hoc rursus non tantùm vno, sed varijs modis fieri poterat. Nam non solùm potest diuidi ens per substantiam & accidens: sed non minus immediatè & adæquatè potest diuidi, per absolutum & respectiuum, per spirituale & corporeum, seu immateriale & materiale, per corruptibile & incorruptibile, per rem & modum, alijsquè similibus diuisionibus. Atque hæ diuisiones frequēter in vsum veniunt. Nihil ergo prohibebat, quominus potuisset quis alio ex his modis ens diuidere, & sub primis generibus alia genera & species ordinare, hasquè coordinationes appellare prædicamenta.

Item potuerunt plura quàm duo prædicamenta distingui, varijs modis subdistinguēdo & ordinādo. Quod quidē innumeris penè modis fieri potuisset, vt certa prædicamenta, vel infra decem, vel decē, vel vltra decem fierent, vt consideranti patebit. Ita quòd in singulis prædicamentis essent sua genera suprema & generalissima prædicamentalia, supra quæ extarent alia genera transcendentia. Quandoquidem necesse non est, prædicamenta in hac acceptione sumpta, constare generibus simpliciter supremis, supra quę nullum sit aliud.

Rectè distincta sūt et assignata decem prædicamenta.

Dico tertiò. Satis commodam vtilem & rationabilem esse, assignationem & distinctionem illorum decem prædicamentorum, quæ Aristot. in hoc tractatu distinxit & posuit: hancquè assignationem esse meritò tenendam. Hæc assertio præter auctoritatem Arist. aliorumquè tot & tàm grauium Auctorum, tamquè receptæ & inolitæ consuetudinis: ratione explicatur & suadetur.

Nam optimè diuiditur ens in substantiam & accidens.

In primis optima erat & alijs præferenda diuisio entis per substātiam & accidens. Tum quia traditur per intimas & conspicuas differentias, dicentes essentialem modum essendi per se & in alio. Tū quia est maximè oportuna & idonea ad distinctam rerum notitiam intellectui exhibendam. Tum quia maximè commoda & vtilis est ad rectam & ordinatam dispositionem aliarum scientiarum. Tum præsertim quia ens diuiditur in substantiam & accidens per illam inæqualitatem participationis, descendens primariò ad substantiam, & ex vi substantiæ ad accidens: quæ inæqualitas constituebat speciem quandam analogiæ, vt quæst. præc. dicebamus, & habet quandam similitudinem cum analogia attributionis propriè dicta. Vnde poterat vniuocum in quodam sensu sumi, vt excluderet naturas communes pluribus generibus per huiusmodi inæqualem participationem: atque adeò in hoc sensu ens non est vniuocum, nec genus, & substātia relinquitur tanquam supremum vniuocum & genus. Et in hoc sensu loquuti sunt plerique, admittentes ens dicere conceptum tam obiectiuum quàm formalem vnum, & negantes esse vniuocum. Vnde iuxta hanc explicationem saluari & retineri potest communis loquendi modus. Nec debet videri inconueniens, si distinguendo varias acceptiones vniuoci & generis; in vno sensu tribuamus, in alio negemus has denominationes ipsi enti. Quinimo id videtur necessarium, vt patet ex dictis, non solùm propter rationes, sed etiam propter varios loquendi modos.

Substātia facit vnū prædicamentum.

Secundò. Substantiam quidem non oportebat in plura prædicamenta diuidere, sed præstabat per plura genera & species in vno tantùm prædicamento cōstringere. Ita enim vsu ipso & experimento constabat. Et quia proprietates assignandæ, erant adæquatæ ipsi substantiæ: sic ergo fieri præstabat. Illi autem qui in recepto prædicamento substantiæ, solas substantias corporeas, vel potius adhuc solas corruptibiles, collocandas putarunt; cogebantur aliud substantiale prędicamētum pro spiritualibus aut omnibus incorruptibilibus addere, quod tamen erat inutile. Accidens autem multò potius debuit per plura prædicamenta distribui.

Accidens diuiditur in plura.

Tum quia longè maior est copia & diuersitas accidentium. Vnde in vnica substantia plurima accidentia distinguuntur, & plerunque omnia illa quæ varia constituunt prædicamenta. Et ideò ad maiorem & clariorem distinctionem

nem rerum, expediebat plura accidentium prædicamenta distingui. Tum præsertim quia cùm accidens dicatur per essentialem dependentiam à substantia: considerandum est, quòd sicut analogum attributionis dicitur non solùm comparando primum & secundarium analogatum, sed etiam comparando plura secundaria in ordine ad primum. Ita in illo modo analogiæ inæqualitatis quem dicebamus, non solùm potest fieri comparatio inter substantiam & accidens, sed etiam diuersorum accidentium ad substãtiam: vt etiam in ipsa comparatione aliquid illius analogiæ inueniatur. Et quamuis longè diuersa ratio sit, inter vera analoga attributionis, vbi nomen habet diuersas significationes & impositiones diuersosque conceptus, etiam considerando ipsa analogata secundaria: Tamen in illa analogia inæqualitatis apparet quædam similitudo attributionis, & quidam recessus ab illo rigore vniuocationis, quo natura communis non descendit in vna specie mediante alia, nec in plures species mediante aliqua prima.

Rectè nouem prædicamenta accidẽtiũ designantur.

Tertiò. Potuisset sanè accidens immediatè in duo tãtùm genera diuidi, vt duo fierent prædicamenta, vt patet ex antea dictis. Sed non oportet aliam quærere rationem, nisi maioris commoditatis & distinctionis, cur plura quàm duo distincta sint. Quæ etiam ratio effecit, vt non minus quàm nouem prædicamenta distincta sint. Et nè ex alia parte nimia & superflua distinctio appareret, & vt terminus aliquis figeretur, non plus quã nouem visa sunt distinguenda, vt ita cum prædicamento substantiæ denarius numerus compleretur. Plures autem rationes excogitatæ sunt ad conuenientiam huius assignationis, & sufficientiam huius numeri explicandam.

Referũtur rationes D. Augustini et D. Thomæ.

Diuus Augustinus cap. 7. Categoriarũ hac ratione per tres classes explicat. Accidentium quæ de substantia prædicantur; alia sunt in ipsa substantia, alia extra, alia intra & extra. In substantia sunt, quantitas, qualitas, situs. Extra sunt, vbi, quando, habere. Intra & extra sunt, ad aliquid, facere, pati. D.Tho. 5. Metaphys. lect. 9. & 3. Physic. lect. 5. hac ratione explicat. Accidentium, alia sumuntur ex eo quòd insunt substantiæ, alia ab aliquo extrinseco. Illa vel insunt substantiæ per se & absolutè: & vnum genus est quod consequitur materiam, & est quantitas: aliud quod consequitur formam, & est qualitas. Vel per respectum ad aliud, & hoc est ad aliquid. Illa quæ sumuntur ab extrinseco, vel sumuntur penitus ab extrinseco: & vnum genus est quod non se habet vt mensura subiecti, & hoc est habitus: aliud quod se habet vt mensura quoad tempus, & est quando: aliud quoad locum, & est vbi: in quo, si consideretur ordo partium in toto, additur situs. Vel ita sumuntur ab extrinseco, vt secundùm aliquod sint in subiecto. Et sic vnum genus est quod est vt in principio, & hoc est agere: aliud vt in termino, & hoc est pati. Verùm hæ & aliæ similes rationes, plures pati possunt difficultates, ex natura harũ omnium rerum, vt ex singularum rerum tractatione constabit.

Affertur faciliorra tio ex Aristot.

Sufficere ergo nunc potest ratio, quæ colligitur ex Aristotele quinto Metaph. text. 14. videlicet ex varijs prædicationibus accidentium de substantia, deduci varia eorum genera, & prædicamenta distingui. Hæ autem variæ prædicationes colligũtur ex varijs interrogationibus, quæ communiter sunt in vsu, ad quas per accidentia respondemus. Maximè enim spectatus esse videtur communis vsus loquentium, & sub varia forma verborum distinguentium prædicata afficientia substantiã ad distinguenda & assignãda prædicamenta. Et fauet etiam ipse Aristot. hoc loco, quando prædicamenta enumerat. Interrogari ergo solet quantum sit, & ad hoc respondetur per quantitatem: quale sit, & ad hoc per qualitatem: quid respiciat, & ad hoc per aliquid, idest relationem: vbi sit, & ad hoc per vbi: quomodo sit in loco, & ad hoc per situm: quando sit, & ad hoc per quando: quid agat, & ad hoc per actionem: quid patiatur, & ad hoc per passionem: quomodo se habeat, & ad hoc per habitum.

Difficultates soluuntur.

Cæterùm quare Aristoteles alijs in locis omiserit duo prædicamenta, situm & habitum, & quidnam de his sentiendum sit, proprijs in locis de ijs tractando dicemus. Ad difficultatem verò in fine lectionis superioris allatã, iam satis pa-

ret ex dictis. Non apparere quidem rationem cogentem, cur tot & hęc prædicamenta designari debuerint: quinimo potuisse aliter vel plura vel pauciora distingui. Sed non defuisse rationem quandam commoditatis & congruentiæ in dicto denario numero assignando. Aliæ quoque difficultates afferri solent, vel ad augendum, vel ad minuendum dictum numerum, quas præsertim congerunt Fons. 5. Met. cap. 7. quæst. 2. & Suar. disp. 39. sect. 2. Sed partim ex dicendis in hac quæst. partim ex tractatione singulorum prædicamentorum, satis solutæ manebunt.

SECTIO QVARTA.

Quo pacto dicta Prædicamenta inter se distinguantur.

Hoc dubium plures sensus habet, & secundum eos, plures difficultates inuoluit. Primus sensus est quoad naturas reales ipsorum prædicamentorum. Paulus Venetus in sua Met. cap. 31. vult, naturas reales prædicamentorum, debere inter se distingui realiter. Fons. 5. Met. cap. 7. q. 3. sect. 3. in fin. concedit, debere distingui ex natura rei ante operationem intellectus. Fundamētum huius sententiæ est: quia diuersa prædicamenta habent vtique diuersas essentias, naturas & realitates, diuersa genera, diuersas differentias: ergo & ipsa diuersa sunt. Nec potest cadē res poni in diuersis prędicamentis, vel habere diuersas differentias, quæ inter se non subordinentur, vt colligitur ex Aristot. in Antepræd. cap. 4. & 6. Topic. loc. 41. Ergo quæ ponuntur in diuersis prædicamētis, sunt diuersæ res. Et præterea quæcunque differunt genere, differunt etiam numero, vt habetur ex eodem Arist. 5. Met. text. 12. sed quæ ponūtur in diuersis prædicamentis, vtique differunt genere; quæ verò differunt numero, differunt vtique realiter siue à parte rei: ergo.

Naturæ reales prædicamentorum, an debeant à parte rei distingui.

Communior sententia docet, sufficere distinctionem rationis. Ita sentiunt Durand. in 1. dist. 30. quæst. 2. nu. 20. Ocham. d. 24. quæst. 2. ad 1. & Quodl. 5. quæst. 22. Capreol. in 1. d. 8. quæst. 2. Sonc. 5. Met. q. 13. Iauell. q. 16. Heruęus Quodl. 1. q. 9. Ferr. 3. Phys. q. 5. Suar. disp. 39. Met. sect. 2. nu. 21. Vasq. 1. par. disp. 138. nu. 4. & disp. 175. num 5. Tolet. hic in fine Prædic. & alij frequenter hoc loco: idemquè videbatur docuisse Fonseca ea quæst. sect. 2.

Hæc res inuoluit plurimas quæstiones de distinctione multarum rerum ad varia prædicamenta spectantium. Nunc satis sit dicere in communi: quantum est ex vi ipsorum prædicamentorum, seu distinctionis requisitæ ad facienda plura prædicamenta, non esse necessariam distinctionem à parte rei, & multò minus distinctionem propriè realem; sed sufficere posse distinctionem rationis. Colligitur ex Aristot. qui cap. de Qualit. in fine planè concedit, posse idem spectare ad plura prædicamenta: ibi tamen non videtur ex propria sententia loquutus; vt dicemus in Prædicamēto relationis sect. 1. imo neque dixit idem secundùm diuersas rationes: sed nec etiam diuersitatem rationis requisiuit. Sed precipuè 3. Phys. tex. 22. significat, actionem & passionem non distingui ex natura rei: & tamen hoc loco facit duo prędicamenta actionis & passionis. Et multò certius est, alia quę in prędicamentis ponuntur, non distingui propriè realiter, sed ad summum modaliter à rebus aliorū prędicamentorum, v.g. figuram à quantitate, vbi & situm à re locata, & alia plura.

Possunt se sola ratione distingui.

Ratione suadetur: quia benè possunt in vna & eadem re considerari plures rationes, quę etsi ante intellectus operationem distinctę non sint: tamen intellectui obijciuntur diuersis conceptibus; ita vt vna ratio non sit de essentia alterius, quatenus stant sub ipsis distinctis conceptibus: deturquè fundamentum à parte rei huius distinctæ conceptionis. Et quia prædicamenta per rationem & artem disposita sunt: benè fieri potuit, vt distincta prædicamenta signarentur de rationibus eo modo distinctis: vt benè notauit loco citato Durandus. Sic planè in vno actu reali potuit distinctè considerari ratio actionis & ratio passionis: & si quæ sint alia similia.

Quia id sufficit ad distinctionem prædicamentorum.

Hinc ad fundamētum primæ sententiæ facilè dicitur, diuersa prædicamenta habere diuersas essentias, &c. vel diuersas à parte

à parte rei, vel tantùm ratione. Nec posse eandem rem secundùm eandem rationem poni in diuersis prædicamentis, habereque diuersas differentias non subordinatas: & hoc tantùm colligi ex Aristot. At benè posse secundùm diuersas rationes, etsi sola intellectus consideratione diuersas. Ac demum quæcunque differunt genere, differre etiam numero: tamen hanc totam differentiam posse esse rationis. Nam etiam distinctio numerica dicitur illa, quæ per considerationem intellectus intercedit inter hanc & illam rationem singularem. Et ita datur distinctio numerica rationis.

Prædicamēta accidentium, quomodo debeāt distingui à prædicamēto substantiæ.

Cæterùm peculiaris difficultas est, de prædicamentis accidentium à prædicamento substantiæ, an debeant distingui à parte rei. Ita supponit Sonc. loc. cit. Fauet S. Thom. 1. par. quæst. 28. art. 2. & 4. contra Gen. cap. 14. Atque Caier. & Ferr. iisdem locis, & alij plures asserere solent. Ex opposito multi concedūt, in his etiam sufficere distinctionem rationis: præsertim ex ijs qui relationem à fundamento non distinguunt, simul concedendo relationes quasdam in substantia immediatè fundari.

Hæc etiam res, propriè spectat ad naturam accidentis explicandam. Nunc sat erit dicere, Aliud accidens esse, quod in rigore dicit modum essendi in subiecto per inhærentiam, sicut planè se habent qualitates ad substantiam. Et huiusmodi accidentia debere ex natura rei distingui ab ipsa substantia. Nam inhærentia dicit realem causalitatem in genere causæ materialis, quæ planè requirit talem distinctionem. Aliud verò accidens esse, quod solùm dicitur per denominationem accidentalem, qua forma aliqua seu res, licèt in se sit substantia, tamen accidentaliter dicatur de quadam alia re seu substantia. Et adhuc de huiusmodi accidentibus asserendum est, debere quidem distingui ab alijs substantijs, de quibus tanquam subiectis dicuntur: non tamen ab omnibus oīno substantijs, siquidē in se ipsis substantiæ quædam sunt. Sic se habet prædicamentum habitus, si non aliam dicat formam denominantem, nisi vestem aut quid simile. Nam vestis distinguitur vtique à corpore vestito; tamen in se est substantia. Et in ipso etiam prædicamento relationis, si relatio non sit accidens distinctum inhærens subiecto; denominatio relatiua constituetur per connotantiam termini, distincti quidem à fundamento & subiecto denominato, quique in se possit esse substantia quadam.

Ratio formalis prædicamenti quomodo distinguatur.

Secundus sensus quæstionis est quoad formalitatem ipsam prædicamenti, quæ est secunda intentio & opus rationis. Aliqui significant, ita differre has secundas intentiones diuersorum prædicamētorum inter se, sicut differunt naturæ reales eorum. Aliqui è contra dicunt, non obstante quantacunque distantia naturarum nō distingui plusquam numero.

Hæc res non est hic noua: sed resoluta manet in tractatu vniuersalium. Ex quo iam patet, omnes secūdas intētiones vniuersalitatis & prædicabilitatis, conuenire in ratione communi vniuersalitatis & prædicabilitatis, & omnes intentiones genericas in ratione vniuersalitatis genericæ, & sic de singulis. Vnde omnia prædicamenta conueniunt in communi ratione prædicamenti. Atque etiam dicendo naturas diuersorum prædicamentorum & generum generalissimorum nō conuenire vniuocè in conceptu aliquo superiori tanquam in genere communi: tamen ipsæ secundæ intentiones dicuntur hoc modo conuenire. Et ita vniuersale dici solet genus ad quinq. vniuersalia: & genus formaliter sumptum dicitur genus vel species ad varia genera. Deinde diximus in quæst. de genere sect. vlt. ex diuersitate naturarum realium redundare etiam distinctionem in secundas intentiones earum: & iuxta varios gradus conuenientiæ inter ipsas naturas, posse etiam designari similes gradus conuenientiæ inter secundas intentiones. Vnde sequitur, intentiones diuersorum prædicamentorum differre inter se, non solùm numero, sed etiam specie, aut etiam genere.

Vnde sumatur distinctio prædicamentorū.

Tertius sensus quæstionis est, vnde nam sumatur distinctio prædicamentorum. Arist. enim 5. Metaph. tex. 14. significat, desumi ex diuersa prædicatione, seu ex diuerso modo prædicandi, quo dicuntur præsertim de prima substantia. & ita Auerr. Alens. & alij ibi loquuntur. S. Tho. verò ibi lect. 9. quem alij sequuti sunt quos refert & imitatur Fons. q. supra cit. sect. 2.

sect. 2. concl. 3. addidit, prædicamenta primariò distingui ex diuerso modo essendi in prima substantia, secundariò autem & consequenter ex diuerso modo prædicandi. Adhærent Tolet. q. 1. Postprędic. Sot. c. 4. Antepr. q. 2. & alij hoc loco. Et sumitur ex ipso Arist. eod. loc. In cōtrariū nonnulli volunt, nō ex diuerso ordine, siue prędicādi siue inessendi ad substantiam, sed ex diuerso ordine generum generalissimorum ad sua inferiora, prædicamenta distingui. Quia inquiunt, ex illo ordine ad substantiam distinguuntur tantùm duo vniuersalia per modum essendi, siue duo prædicabilia per modum prædicandi, quæ sunt proprium & accidens: nō autem distinguuntur nouem præter substantiam. At certè similis difficultas potest contra ipsos retorqueri. Nam ex diuerso ordine superiorum ad inferiora de quibus dicuntur essentialiter, tantùm distinguuntur duo vel tria prima vniuersalia & prædicabilia: & tamen nunc distinguuntur decem prædicamenta. Alij verò notant, talibus modis significari, prędicamenta distingui ex diuersitate vniuersalitatis & secundæ intentionis: quasi non potius distinguantur ex diuersitate naturarum realium. Sed certè illi Auctores non hoc docere voluerunt.

Maximè sumitur ex diuersitate naturarum.

Dicendum est, prędicamenta primariò distingui ex diuersitate naturarum realium in quibus coordinantur, ipsas autem naturas reales distingui penes diuersos modos essendi: in hoc sensu, quòd accidentia distinguuntur a substantia per modum essendi in alio, cùm substantia per se subsistat: deinde ipsa accidentia conueniant quidem in modo essendi in alio communiter considerato, & ita etiā in modo prędicandi communiter considerato; tamen essentialiter sunt diuersæ formę dicētes suam habitudinem ad substantiam. Et hęc habitudo in eis est essentialiter multiplex, distincta scilicet & contracta per speciales & proprias rationes ipsorum accidentium. Sic ergo debet intelligi, prædicamenta distingui ex diuerso modo essendi in prima substantia, in quo fundatur modus prędicandi. Non quidem sumendo modum essendi pro secunda intentione vniuersalitatis, quę constituit vniuersale proprium & accidens; sed pro natura reali, & pro aptitudine essentiali accidentibus ad essendum in substantia.

Prædicamenta an in aliqua parte communicent.

Quartò demum sensus est, num prędicamenta sint inter se ita discreta, vt in nulla parte communicent, idest nulla species vel differentia pertinens ad vnum prędicamētum, pertineat etiam ad aliud. Et communis quidem sententia ita docet ex Arist. in Antepr. cap. 4. Aliqui autem id probant: quia in vniuersum putant, fieri non posse, vt eadem species sub pluribus generibus reponatur, etiam in eodem prędicamento; & eadem differentia pluribus generibus applicetur: quia id totum videtur Arist. docuisse. Verùm considerandum est, quędam genera esse inter se communicantia, quędam verò prorsus discreta, & in nulla parte communicantia, cuiusmodi sunt illa quę constituuntur per differentias oppositas & incompossibiles. Primo modo se habent genus v.g. substantię corporeę & genus substantię viuentis, quæ communicant in plantis & animalibus: hęc enim ad vtrunque genus pertinent, quia & sunt substantię corporeę, & viuentes. Secundò modo se habent substantia corporea & incorporea, viuens & non viuens. Benè ergo fieri potest, vt in eodem prędicamento genera communicantia designentur, sub quibus vna & eadem species contineatur. Consonat hoc cum eo quod diximus quæst. 13. sect. 1. Neque est contra Arist. qui vel tantùm de generibus non communicantibus loquutus est: vel de generibus non subalternis, idest quorum nec vnum sub alio, nec vtrunque sub alio tertio continetur.

Prædicamēta diuersa nullam speciē habent communem.

At verò genera generalissima prædicamentorum non sunt inter se communicantia. quia nimirum in distinguendis prædicamentis assumpta sunt talia genera summa vt in nulla parte communicent. Possunt quidem alijs modis quædam genera designari, quę communicātia essent: vt si sumatur pro vno genere accidens absolutum, pro alio accidens quod est res, pro alio accidens consistens in facto esse, & similia. Sed commodius fuit, & ad distinctam rerum conceptionem vtilius, talia summa genera designari, quæ non haberent aliquam speciem communem. Et ita inductione patere potest in omnibus

prędi-

prædicamentis. Intelligitur autem hoc de eadem specie formaliter & secundùm eandem rationem, iuxta superiùs dicta.

Nullam etiam differentiam prædicamẽtalem. De differentijs etiam considerandum est, quasdam esse proprias & adæquatas certis generibus & speciebus, vt se habet sensitiuum ad corpus viuens. Et de his verum est, vnam differentiam non ad plura genera, quorum vnum non sit sub alio, pertinere, etiam in eodem prædicamento. Alias verò differentias esse, quæ non sunt propriæ & affixæ certo generi, sed sunt ex parte communiores, sicut se habet differentia intellectiui ad genus animalis. Et huiusmodi differentiæ possunt ad plura genera, quorum vnum non sit sub alio, sed ambo sub quodam tertio, idest sub alio communi prædicato, pertinere. Et altero ex his modis debet intelligi Aristot.

Rursus sicut sect. 2. de generibus, imo in vniuersum de prædicatis essentialibus, dicebamus: ita distingui possunt alię differentię prędicamentales, alię transcendentes. Illę sunt, quę in certo aliquo prędicamento concluduntur: vt rationale & irrationale sub genere substantiæ, continuum & discretum sub genere quantitatis, & alię similes. Alię vero sunt, quæ per plura prædicamenta vagantur: vt non solùm differentia essendi in alio dicitur de omnibus prędicamentis accidentium; sed spirituale & corporeum, per quas diuiditur substantia, inueniuntur secundùm cõceptus communes etiam in alijs prędicamentis. Illarum ergo differentiarum nulla est quę ad plura prędicamenta pertineat. Harum autem nulla est quę non ad plura pertineat.

SECTIO QVINTA.

Quænam res in Prædicamentis collocentur.

Res & nõ voces in Prædicamẽtis collocantur. PRimò, illi qui dicebant, in prędicamentis agi de vocibus, sensisse videntur, voces, non res, per se poni in prędicamentis. Certum tamen est, res significatas vocibus per se constitui in prędicamentis. Res enim sunt quæ in hoc tractatu ad certa capita reducuntur, & intellectui proponuntur. Res sunt inter quas consideratur coordinatio & connexio superiorum & inferiorum. Res ipsę sunt quę dicuntur genera species &c. Res demum sunt de quibus verificantur ea quę in hoc tractatu traduntur, vt in progressu constabit. Non per hoc negamus, sed vltro asserimus, ipsas quoque voces, tanquam res quasdam, per se habere suum quendam locum in prędicamentis, tanquam certam quandam speciem prędicamentalem: videlicet genus sub quo continentur voces est quędam sensibilis qualitas de prędicam. qualitatis.

Secundò videndum est, num solę res in prędicamentis ponantur, siue quęnam intelligantur res quę in prędicamentis disponuntur. Aliqui voluerunt, non solùm entia realia, sed etiam rationis, per se poni in prędicamentis. Et quidem de relationibus rationis id indicat S. Thom. 1. part. quęst. 28. art. 1. & tenet Buridan. hoc loco. Alij verò dixerunt, entia rationis non poni in his decem prędicamentis: sed debere vndecimum prędicamentum addi pro entibus rationis. Ita indicat Sot. in Antepr. in fine: & defendunt Pet. niger 1. parte Clypei quęst. 6. & Masius in Antecatorijs quęst. vlt. Alij sunt qui distinguunt tria prędicamenta rationis, relationem, negationem, & priuationem. Alij dicunt, entia rationis reduci ad prędicamenta entium realium. Ita Tolet. in fine Prędicam. quęst. 1. concl. 2. Suess. 7. Metaph. quęst. 6. & alij plures hoc loco. & Masius vbi supra ait, negationem quidem & priuationem reduci ad prędicamenta rerum, atque solam relationem rationis constituere vndecimum prædicamentum. Ex aduerso Fons. r. Metaph. cap. 7. quęst. 4. sect. 2. res quę poni debent in prædicamentis, significat, esse debere propriè res, excludendo modos essendi.

Sola entia realia in his prædicamentis collocantur. Dicendum tamen est, solas res, idest sola entia realia, poni in his prędicamentis de quibus hic agimus: posse tamen alia totidem prędicamenta distingui pro entibus rationis: & inter res quę ponuntur in prędicamentis, computari etiam reales modos essendi. Concl. tres habet partes. Prima est communis, & de mente Aristot. & patet: quia intentum huius tractatus, est proponere intellectui entia realia; de entibus autem rationis alia

via

via agemus in hac Logica. Tum insuper non posset institui vnum prædicamentum pro entibus realibus & rationis. Nam prædicamentum omnino dicit vnum prædicatum supremum, quod secundùm vnum conceptum & rationem significatam dicatur de inferioribus. At non importatur sub nomine entis, siue sub nomine relationis, alioue simili, vnus conceptus communis entibus realibus & rationis: sed solum nomen est illis commune per meram analogiam. Quia ens rationis est quædam vmbra & fictio entis realis. Et ita se habent, sicut homo verus & homo pictus. Non ergo posset constitui vnum prædicamentum pro entibus realibus & rationis, seu pro relationibus realibus & rationis, & sic de alijs: nec eo inquam modo, quo alioqui admittebamus, potuisse vnum totius entis realis constitui prædicamentum.

Pro entibus rõnis totidem alia designari possunt.

Secunda concl. pars suadetur. quia sicut in entibus realibus, ita etiam in entibus rationis, possint prędicata superiora & inferiora, genera & species, cogitari. Vnde possit coordinari rõ prædicamenti in ipsis entibus rationis. Deinde possunt fingi entia rationis ad instar omnium entium realium & omnium prædicamentorum realium, vt in proprio tractatu prædiximus: ergo possunt totidem prædicamenta in ijs distingui.

Etiã modi pertinent ad prædicamenta.

Tertia demum pars ostenditur. quia res duobus modis potest accipi; vel adæquatè pro omni ente reali, & sic conuertitur cum ente; vel pro illis tantùm rebus quæ saltem per Dei potentiam per se existere possunt, & sic distingui solent res & modi. Res ergo quæ per hæc prędicamenta distribuitur, accipitur in primo sensu, & non excludit modos, modos inquam reales, idest qui non finguntur ab intellectu, sed sunt à parte rei. Atq. de facto bona pars prædicamentorũ consistit in his modis, relatio, vbi, situs, actio, passio, iuxta sententiam eorum qui hæc modaliter à subiectis distinguunt. Neque sanè Fons. de his modis loquutus est.

An sola entia per se vna in prædicamentis ponantur.

Tertiò deinde, quia in latitudine entium realium, considerantur non solùm illa quæ habent per se vnitatem, siue simplicia sint siue composita: sed etiam aggregata quædam per accidens non habentia per se vnitatem, vt aceruus lapidum, domus, nauis, & similia. Hinc videri potest, non solùm entia per se vna, sed etiam hęc aggregata, seu entia per accidens, debere poni in prædicamentis: non solùm scilicet disiunctè & ratione partium, de quo non potest esse dubium: sed coniunctim & secundùm se. Nam possunt in ijs genera & species coordinari. imo constat in prædicamento quantitatis assignari quantitatem discretam, & sub illa orationem & numerum, quæ non sunt nisi huiusmodi aggregata. Fortasse etiam totum prædicamentum relationis constituitur per aggregationem & concomitantiam plurium rerum, habitus quoque, & si quæ alia prædicamenta constituantur penes denominationes extrinsecas, aut connotantiam plurium rerum, vt multi volunt.

Nihilominus Auctores cõmuniter supponunt, sola entia per se vna per se poni in prædicamentis. Et sumunt ex Arist. 5. Metaph. tex. 14. Et ab experientia patet: quia nauis, domus, & similia, nunquam per se nominantur in prædicamentis. Ratione etiam suadetur. Tum quia alioqui per hæc entia per accidens potius confusio quàm distinctio in prædicamentis coordinandis oriretur. Tum etiam cùm ea ad arbitrium multiplicari possint, nullus in ijs posset præfigi terminus. Tum insuper cùm de ijs non detur scientia, nec debebat etiam haberi ratio in prædicamentorum constructione. Tum demum cùm ens per accidens non sit propriè vnum ens, sed sit simpliciter plura, non debebat per modum vnius, sed satis erat partes eius per modum plurium, poni in prædicamentis, sicut verè ponuntur. V.g. de domo lapides ponuntur per se sub genere lapidis, ligna sub genere ligni in prædicamento substantiæ, figura sub genere figuræ in prædicamento qualitatis, & sic quæcunque alia.

In rigore hæc sola debēt poni: sed aliqua etiā entia per accidens nominantur.

Propter hæc dicendum est, in rigore quidem non debere entia per accidens poni in prædicamentis, & vt plurimum ita obseruari: tamen ob maiorem scientiæ di commoditatem factum esse, vt quædam in prædicamentis locum acceperint. Hoc totum patet ex modò adductis. Nam secundùm rigorem non debent entia per accidens cum entibus per se coniungi: &

ita vt plurimum non nominantur in prædicamentis. Tamen, quia v. g. quantitas discreta, & præcipuè numerus, est magnæ & valdè vtilis considerationis: ideò in quantitatis prædicamento nominatur & explicatur. De qua re plura proprio loco dicemus. Et sic etiam de alijs, si quæ simili modo se habeant.

Quo pacto incomplexa solùm ponantur in prædicamentis.

Quartò. Præterea docere solent, sola incõplexa, per se poni in prædicamentis, non verò complexa ex pluribus terminis constantia. Atque adeò, non definitiones, sed definita tantùm poni in prædicamentis, vt defendit Fons. 5. Metaph. cap. 7. q. 8. Idquè videtur planè sumi ex Arist. qui in Antepræedicam. cap. vlt. prædicamenta enumerat, diuidendo ea quæ secundùm nullam complexionem dicuntur. Et ratione suadetur Tum quia complexa non sunt vniuersalia vna simplici vniuersalitate. Tum quia in prædicamentis intellectui proponuntur prima & simplicia elementa, quæ vtique debent esse incomplexa.

Dicendum tamen videtur, incomplexa posse sumi, vel ad differentiam propositionum, quo sensu etiam termini complexi non habent complexionem propositionis; vel ad differentiam terminorum complexorum. Et primo quidem modo, non secundo, debere intelligi, sola incomplexa poni in prædicamentis. Nam prædicamenta construuntur, non per integras propositiones, sed per prædicata & subiecta ex quibus fiunt propositiones, vt patet. Non multùm autem refert, an ipsi gradus prædicamentales nominentur per terminos incomplexos vel complexos. Imo Porphyr. cap. de Specie in coordinatione prædicamenti substantiæ, quædam genera nominauit per terminos complexos. Et sæpè aliàs occurrunt alia genera vel species, in quibus non habemus vnum simplex nomen: neque quicquam obstat, quominus sub terminis complexis nominentur & ponantur in prædicamentis. Conuenientius tamen & commodius est, quando habemus terminos simplices incomplexos, per illos nominare gradus prædicamentales.

Arist. verò planè intellexit, ea quæ secundùm nullam complexionem propositionis dicuntur. Nam illis opponit complexiones affirmatiuas & negatiuas. Atque etiam termini complexi cogitari possunt cum eadem simplici vniuersalitate, cum qua cogitantur termini incomplexi illis æquiualentes, vt patet ex dictis de vniuersalibus. Et in prædicamentis demum proponuntur intellectui illa elementa ex quibus conficiuntur propositiones, siue ea per terminos incomplexos, siue per complexos nominentur.

Quo pacto entia completa solùm ponantur directè in prædicamentis.

Quintò. Communis etiam & vera sententia est, sola entia completa & totalia per se & directè poni in prædicamentis: entia verò incompleta & partialia, cuiusmodi sunt partes integrãtes, partes etiam physicæ materia & forma, non directè disponi in serie prædicamentali: sed benè ad prædicamentum reduci. Colligitur hoc ex Arist. 7. Metaph. tex. 8. Vbi significat, materiam non esse per se speciem alicuius prędicamenti, quamuis dicat esse substantiam. Porphyr. etiam, ordinãs prędicamentum substantiæ, nullam fecit partium, sed tantùm substantiarum totalium mentionem. Ratione item ostenditur, ita fieri debuisse: quia ipsæ partes per hoc solùm quòd totum ex ijs constans per se ponitur in prædicamento, iam inueniuntur in prædicamento: ergo non oportebat, nec conueniebat, per se etiam & separatim extra totum distinctè reponi. Itaque non est negandum, per se etiam suam seriem prædicamentalem in rebus partialibus ordinari. Nam verè in ijs inueniuntur prædicata superiora & inferiora, genera & species, v. g. quoddam genus est substantia physica partialis, quæ diuiditur in materiam & formam: materia etiam fortasse diuiditur in duas species, cælestem & sublunarem: forma autem tot modis diuidi potest quot ipsa substantia completa corporea. Iterum verò de hac re dicemus in prædicamento substantiæ.

Per hanc eandem regulam multi explicant, neque differentias diuisiuas generum & constitutiuas specierum, directè poni in recta linea prædicamentali, sed tantùm poni à latere, seu reduci ratione ipsorum generum & specierum. Quia dicunt, differentiæ sunt entia incompleta & partialia. Verùm si entia incompleta intelligantur illa, quæ sunt partes constitutiuæ totius; non apparet, cur magis differentiæ quàm genera dicantur entia incom-

incompleta: & tamen genera sunt quæ constituunt rectam lineam prædicamentalem. Vnde è contra aliqui notant, quando excluduntur entia incompleta, non intelligi incompleta metaphysicè, quæ videlicet sint partes metaphysicæ: quia sic oĩa prædicata superiora excluderentur; sed intelligi entia physicè incompleta, quæ sunt partes physicæ. Et Ammonius quem sequutus est Hurtadus d.9. Metaph. sect. 3. affirmauit, etiam differentias poni directè in prædicamentis.

Aliter ergo debent distingui, alia prædicata quæ dicũtur in quid & substãtiuè, alia quæ dicuntur in quale & adiectiuè. Prædicamenta autem ita disposita sunt, vt in recta linea ordinentur & collocentur illa quæ dicuntur in quid. Et hæc sunt genera & species: à latere autem apponantur illa quæ dicuntur in quale: & hæc sunt differentiæ. Sic enim clara & commoda fit distinctio rerum, vt aptè intellectui proponantur. Et in dicto sensu genera & species dici possunt prædicata completa, differentiæ verò prædicata incompleta.

Entia solum creata ponuntur in prædicamentis.

Sextò præterea. Communior sententia docet, sola entia essentialiter finita, idest creata, in his prædicamentis collocari. quod quidem dicitur, nè Deus in prædicamentis poni putetur. Nec enim Diuina substantia ponitur in Prædicam. substantiæ: nec Diuina attributa, aut relationes, aut emanationes, in prædicam. qualitatis, ad aliquid, & actionis, aut passionis: nec Diuina immensitas, & æternitas, in prædicamento vbi, & quando. Rationes autem huius rei variç reddi solent. Sed quare in alijs prçdicamentis a substantia nulla Diuina perfectio reponatur: Ratio est in promptu: quia hçc alia prçdicamenta sunt accidentia, & pro solis accidentibus instituta; omnis autem Diuina perfectio prorsus substantialis est. Quare autem Deus non ponatur in prædicamento substantiæ commodius proprio loco sequenti quæst. dicemus.

Non tamẽ sola entia corporea, vel corruptibilia.

Septimò. Aliqui vlterius addiderunt, sola entia corporea exclusis rebus spiritualibus, aut sola entia corruptibilia exclusis rebus perpetuis, in prædicamentis collocrai. Hæc tamen sententia reijcienda est. Quia potius prædicamenta quæ de facto instituta sunt, indifferenter illa omnia complectuntur. Et quia rationi consentaneum erat, ita fieri, nè sine vlla necessitate aut vtilitate, magna rerũ pars è prædicamentorum serie repellatur. Sed quia qui illud dixerunt, præcipuè loquuti sunt in prædicam. substantiæ, ad excludendos Angelos & corpora celestia; ideo plura de hac re in eodem prædicamento dicemus.

Quomodo etiam indiuidua ponantur in prædicamentis.

Octauò rursus. Aliqui volunt, sola genera & species, non autem indiuidua, in prædicamentis collocari. Et videtur ita docuisse Porphyr. in cap. de Specie, innixus auctoritati Platonis, qui *vsque ad specialissima à generalissimis descendentes iubebat quiescere*. Quoniam indiuidua infinita sunt. Alia etiam ratio huius rei reddi potest: quia indiuidua non per se faciunt ad scientias: ergo nec in prædicamentali serie debent includi. Alij sunt qui docẽt, etiam indiuidua debere in infimo loco sub speciebus specialissimis in prædicamentis collocari. Et ita defendit Fons. 5. Metaph. cap. 7. quæst. 8. sect. 3. Quoniam certè de ipsis indiuiduis essentialiter dicitur genera & species, idest omnes gradus superiores, ipsumquè genus generalissimum.

Sed res est facilis. Si in prædicamentis reponi intelligantur oĩa illa, quæ essentialiter sub genere generalissimo continẽtur, sita vt poni in prædicamento solùm sit subdi generi generalissimo, siue aptum esse illi subijci in prædicatione essentiali. Sic perspicuum est, indiuidua poni in prædicamentis, idest contineri sub generibus summis. Et hoc planè docuit ipse Porph. qui explicauit, qualiter species de indiuiduis essentialiter prædicetur: & in serie prædicamentali substantiæ vltimo loco nominauit particulares homines, Socratem & Platonem. Atque Aristot. in prædicam. substantiæ per se explicauit substantiam primam & secundam, idest singularem & vniuersalem. Aliter verò, si in prædicamentis reponi dicantur tantùm illa quæ in ædificio ipsorum prædicamentorum debeant distinctè recenseri & numerari. Sic inutile planè esset, imo impossibile est, omnia indiuidua distinctè in prædicamentis singulis recensere. Et in hoc sensu iubebat Plato in specialissimis quiescere. Imo hoc modo, nec etiam necesse est, & plerunque esset impossibile,

possibile, omnes rerum species numerare. Nec enim curamus in prædicamento substantiæ percurrere omnes brutorum species, plantarum, lapidum, & sic de alijs. Quinimo sufficiens iudicatur, præcipuas & notiores species sub communioribus generibus distinguere & proponere.

Entia maximè quoad essentiam in prædicamentali serie disponuntur.

Nonò. Quia entia possunt sumi, vel præcisè quoad essentiam vel etiam quoad actualem existentiam; communiter docere solent, entia tantùm quoad essentiam per se & directè disponi in prædicamentis. Ita significat D. Thom. in 1. d. 8. q. 4. art. 2. & Quodl. 2. art. 3. & docent alij quos refert & sequitur Fonf. 5. Metaph. cap. 7. q. 4. De existentia verò aliqui volunt, omnem existentiam rerum creatarum pertinere ad prædicamentum aliquod accidentium. Et fauet S. Thom. ibi dicens, existentiam esse accidens rerum. Et expressè Molina 1. par. q. 3. art. 4. disp. 2. opinatur, existentiam rerum successiuarum spectare ad prædicamẽtum quantitatis sub specie temporis, rerum verò permanentium ad prædicamentum quando, confundens existentiam cum duratione rerum.

Hæc tamen res attingit arduam quæst. de distinctione existentiæ ab essentia rerum, & de ratione ipsius existentiæ. Breuiter modò sat erit dicere, non esse quidem necessarium res actu existere ad constructionem prædicamentorum: sed optimè constitui prædicamenta in solis essentijs rerum, siue in rebus consideratis præscindendo ab actuali exercitio existentiæ. Est res clara. Tum ex dictis in tractatu vniuersalium. Tum quia satis notum est, optimè posse res concipi, & inter se coordinari, atque prædicari & subijci, secundùm essentiam. Ita vt etiam si res non existerent, nihilominus possunt cogitari, & distingui per genera & species: sicut de facto fit in prædicamentis.

Sed etiam quoad existentiam disponi possunt.

Ex alia parte addendum est, hanc ordinationem & dispositionem per singula prædicamenta, posse fieri in rebus existentibus quatenus existentibus. Nam eædem res dicunt suam existentiam, dum actu sunt: & hæc existentia diuersa & multiplex est, sicut ipsa essentia rerum. Non ergo dici debet omnis existentia ad certum aliquod prædicamentum accidentium pertinere. Et S. Thom. ipse 4. Metaph. lect. 2. cont. Auicen. docet, existentiam non esse tali modo accidens rerum. Et Molina fatetur, hanc esse communem sententiam. Sed dici debet, existentiam rerum distribui per omnia prædicamenta, per singula genera & species: disponendo ipsa prædicamenta in rebus quatenus existentibus. Sed de hac tota re in Metaph. latè agendum erit.

In prædicamento substãtiæ disponuntur in concreto.

Decimò tãdem. Quia entia possunt sumi; tum in abstracto, v. g. humanitas, albedo; tum in concreto, homo, album: dubium est, vtro ex his modis propriè & præcipuè in prædicamentis disponantur. Et de substantia quidem facilè cõueniunt omnes, eius genera & species poni potius in concreto. Patet ex ipso vsu: substantia, corpus, spiritus, viuens, animal, homo. Et ratione ostenditur. quia substantia in concreto dicit suppositum, quod est completum & totale: in abstracto autem dicit naturam, quæ se habet vt pars suppositi, præscindens à modo superaddito, per quem substantialiter completur in ratione vnius per se. Dictum est autem, directè in prædicamentis disponi entia completa, & in illis includi incompleta. An verò possit etiam aliquo modo prædicamentum substantiæ coordinari in terminis abstractis, dependet ex alia quæst. num talia abstracta prædicari & subijci possint: quod alio loco videbimus.

In prædicamentis accidentium Tolet. idem affirmat.

De prædicamentis accidentium est difficultas. Et aliqui pariter volunt, accidentia propriè in concreto debere in suis prædicamentis disponi. Ita defendit Tolet. q. 2. post prædicamenta. Et videtur hic planè esse sensus Arist. Nam hic in Antepr. cap. 5. & alijs in locis in quibus prædicamenta recenset, illa omnia nominat sub terminis concretis. Probat etiam Tolet. quia prædicamenta distinguuntur per ordinem ad substantiam, qui ordo per terminos concretos explicatur. Tum quia concreta magis quàm abstracta denotant propriè accidentia. Tum etiam modus inhærentię quo forma accidentalis inest subiecto, pertinet ad idem prędicamentum sui accidentis: at hic modus significatur per nomen concretum, non per abstractum. Tum maximè, quia formę quorundam prędicamentorum, scilicet vbi, situs, quando, & habere; si abstractè sumantur, includuntur in alijs prioribus prędi-

prædicamentis, videlicet locus & tempus in prędicamento quantitatis, vestis in prędicaméto substantiæ. Ergo necesse est dicere, solùm in concreto cõstituere hæc alia quatuor prędicaméta. Denium vrgeri potest paritas substantię: vt quod de prędicamento substantię dictum est, etiam de prędicamentis accidentium debeat dici.

Plures volunt, in ijs disponi potius in abstracto.

Ex opposito Auicenna lib. 3. Metaph. cap. 3. S. Thom. Opusc. 42. cap. 19. & de Ente & essentia. cap. 7 ibique Caiet. Fons. 5 Metaph. cap. 7. q. 5. & alij vt plurimum hoc loco volunt, prędicamenta accidentium propriè in naturis abstractis coordinari debere. Adest & pro hac parte auctoritas Arist. qui & hic in prędicamentis sub terminis abstractis, illorum genera nominare solet. & 3. Top cap 1. loc. 4. ait, iustitiam non verò iustum esse in genere boni, idest virtutis. & lib. 2. cap. 2. loc. 1. ait, non rectè assignari coloratum genus albi. Et pręterea in ijsdem illis locis allegatis, iuxta varias versiones, prędicamenta recensetur, vel per nomina concreta, vel abstracta. Ratio autem fundamentalis huius sententię est. quia concretum accidentale non dicit vnum per se, sed vnum per aggregationem & per accidens: ex forma enim accidentali & subiecto non fit vnum per se: at nomē concretū dicit non tm̃ formā, sed etiam subiectum. Nec iuuat quod aliqui respondent, concretum accidentale non dicere in recto subiectum, sed tantùm dicere in obliquo & connotatiuè; idest dicere formam in subiecto. Quicquid enim sit de significatione nominis concreti, de qua agemus q. 22. sect. 3. certè planum est, formam accidentalem cum subiecto connotato non habere perfectam vnitatem per se, sicut habet ipsa forma per se sumpta.

Nec etiam iuuat, quod quidam alij dicunt: concretum accidentale absolutè dictum non dicere certum aliquod subiectum alicuius certi prædicamenti: sed tantùm dicere vagè aliquod subiectum: & vt sic habere vnitatem per se. Nam nec etiam cum subiecto vagè sumpto forma accidentalis facit per se vnum. Non enim habent proportionem & aptitudinem adhoc requisitam. Et, si forma non facit per se vnum cum quocunque subiecto determinato & in specie sumpto: nec etiam facit cum subiecto indeterminatè & in genere sumpto. Et præterea, licèt concreta accidentalia non dicant subiectum determinatum in certa specie, saltem pleraque dicunt determinatum in certo genere. Album, v. g licèt non determinet parietem aut cygnum album: tamen vtique determinat corpus albū: & quantū determinat substantiā quantam; & sic frequenter alia similia concreta.

In rigore quidem disponi debent in abstracto.

Dicendū ergo est, in rigore quidem, & diuidendo ens per ea quæ habent vnitatem per se; prædicamenta accidentium debere in formis abstractis disponi. At cōmoditatis & consuetudinis gratia, posse etiam in terminis concretis disponi. Iuxta hoc possunt intelligi & conciliari loca Aristot. allegata. Et res ferè manet explicata & probata ex dictis. Nam ex vna parte verè in formis accidentalibus abstractè sumptis inueniūtur omnes conditiones requisita ad coordinationem prædicamentorum, & in ijs maximè fiunt & exercentur prædicationes essentiales generū & specierū: magnitudo est quantitas, potentia est qualitas, similitudo est relatio, & sic de alis omnibus. Nec deest conditio entis completi. Nam licèt talis forma sit pars concreti seu compositi accidentalis: tamen hoc compositum non est quid per se vnum: Illud autem dicitur propriè ens incompletum, quod est pars alicuius compositi quod sit per se vnum. Potius ergo ipsa forma accidentalis in se, est ens completum & totale.

Sed possūt etiam in concreto.

Ex alia parte, licèt in concretis accidentalibus desit conditio vnitatis per se; tamen quia hęc concreta sunt tam familiaria & consueta in communi modo loquendi: non immeritò etiam in ijs admittenda est coordinatio prędicamenti: & in jis etiam exercentur prędicationes; magnum est quantum, potens est quale, simile est relatum. Nos autem in progressu huius tractatus, absolutè sub terminis abstractis accidentium prędicamenta disponemus. Vnde manifeste accipi poterit etiam in terminis concretis ordo & series prędicamenti.

Argumēta soluuntur.

Hinc ad rationes Toleti facilè Respōd. etiam in formis abstractis considerari ordinem ad subiectum. Dicimus enim, quantitas extendit subiectum, qualitas afficit, & sic

& sic de reliquis. Et nomina etiam abstracta denotant accidentia, vt patet in ijsdem exemplis. Modus autem inhærentiæ reducitur ad prędicamentum suę formæ, tanquam modus eius: & satis est, si includatur quando prædicamenta coordinantur in concreto; licèt tunc desit aliqua conditio, alioqui de rigore requisita. Deinde si quatuor illa prædicamenta, non aliter distinguuntur ab alijs, nisi per discrimen concreti & abstracti: ergo malè ipse Toletus omnia prædicamenta vult per concreta coordinari debere. Sed etiam illa quatuor possunt in terminis abstractis designari. quia considerari possunt illæ formæ quatenus aptę denominare extrinsecè aliquod subiectum: & ita differunt à seipsis quatenus insunt intrinsecè alteri subiecto. Et secundùm hos diuersos respectus, tàm in terminis abstractis, quàm in concretis acceptæ, spectant ad diuersa prædicamenta, vt suis locis videbimus. Demum disparitas inter prædicamenta accidentium & prædicamentum substantiæ, conspicua est ex dictis. Naturę enim substantiales ordinabantur ad constituendum suppositum per se vnum: vnde erant propriè entia incompleta. Formę autē accidentales opposito modo se habent: quia non sunt aptę constituere cōpositum per se vnū. Et in exercitio etiā prędicationis est manifesta diuersitas. quia prędicationes essentiales inter accidētia maximè fiunt sub terminis abstractis, vt exploratum est. At inter substantias, vel negantur, vel vix admittuntur sub terminis abstractis; humanitas est animalitas, corporeitas est substantialilitas, &c. Fiunt autem & in vsu ponuntur sub terminis concretis; homo est animal, corpus est substantia.

QVÆSTIO DECIMASEPTIMA.

De Prædicamento Substantiæ.

Meritò primo loco cum Aristotele agimus de Prędicamento Substantię. Substantia est enim fundamētum & causa omnium accidentium: Illaquè, ratione, cognitione, tempore, natura, pręcedit 7. Metaph. cap. 1.

SECTIO PRIMA.

Quid sit Substantia.

Substantia nomen quid significet.

Svbstantiæ nomen vno modo nimis amplè sumitur pro cuiusuis rei essentia & natura. Sic accipiebatur in definitione æquiuocorum & vniuocorum, quorum diuersa vel eadem substantiæ ratio dicebatur. Sic etiam frequenter aliàs accipi solet. Hoc autem modo non dicit determinatum quoddam genus entis, sed ad omnia se extendit. Atque etiam accidentia habent suam propriæ substantiæ rationem, idest suam essentiam & naturam. Alio modo nomen substantiæ sumitur ad significādum determinatum quoddam genus entis, dum ens diuiditur in substantiam & accidens. In hoc sensu nunc sumitur.

Substantia ratio dupliciter explicatur.

Potestquè dupliciter huiusmodi substantia explicari. Vel enim dicitur substantia à substando, quod est subesse & supponi alteri. Sic substantia dicitur, quæ subest accidentibus quorum est subiectum. Ad hanc substantiæ explicationem videtur maximè respexisse hic Arist. vt notauit D. Isidor. lib. 2 Etymolog. cap. 6. cùm ex mente Arist. ait, substantia est quæ propriè & principaliter substare dicitur. Et ideò Arist. dixit, primam substantiam, idest singularem, esse magis substantiam: quia non solùm subest accidentibus, sed etiam suis superioribus prædicatis: & respectu accidentium dicitur subiectum inhæsionis; respectu prædicatorum essentialium dicitur subiectum prædicationis.

Vel substantia dicitur à subsistendo, sumendo subsistere pro per se existere &

non in alio subiecto. Ex quo verbo deriuatur etiam subsistentia pro per se existentia. Substantia autem sic dicitur, illud ens quod per se existit, & non dependenter à subiecto cui inhæreat. Sic explicat idem Isidorus libro primo Differen. capite quarto & quinto. Fateor, ly subsistere in rigore vocis posse sumi pro eodem prorsus ac substare, quasi scilicet sistere & stare sub alio: vt etiam hoc modo substantia dicatur quatenus subest accidentibus. Et ita explicauit Diuus Augustinus libro 7. de Trinitate cap. 4. Fateor etiam, interdum ly subsistere sumi pro eo quod est verè existere, ad differentiam eorum quę apparent & verè non sunt. Sic accepit Aristot. in libro de Mundo ad Alexandr. Nihilominus communiori sensu & intelligentia subsistere sumitur pro per se existere, & substantia per hanc Etymologiam est quę per se existit.

Ex hac duplici explicatione duplex substantię ratio conspicitur, vna per se existendi, altera substandi accidentibus. Dicendum est autem, primariam & adęquatam rationem essentialem, esse rationem per se existendi. Ita sumitur ex ipso Aristot. qui ad finem huius cap. ponit inter proprietates substantiæ, esse susceptiuum contrariorum. Hoc enim non aliud est quàm posse substare accidentibus, inter quę contrarietas exercetur: proprietas autem non est prima ratio essentialis, sed supponit essentiam: & ita ratio substandi debet supponere rationem subsistendi. Habetur etiam ex Damasceno cap. 39. & 42. suę Dialecticę. D. Thoma Opusc. 42. cap. 10. Et est communis sententia Doctorum.

Essentialis ratio substãtiæ, nõ est substare accidentibus, sed per se existere. Et patet. Tum quia Deus est perfectissima substantia, & ita ab omnibus appellatur: & tamen nulli rei subest, nulla accidentia suscipit. Si fieret etiam aliqua creatura, quę per se quidem existeret, nulla tamen accidentia recipere posset, vtique esset verè substantia, contradistingueretur ab accidenti in illa communi diuisione entis per substantiam et accidens. Tum deinde ideò substantia est accidentium susceptiua, quia supponitur in se existere: hinc enim habet, vt possit & alia substinere, sitquè primum subiectum aliorum entium, addita imperfectione, quod non est purus actus, nec per solam suam essentiam habet omnem perfectionem sibi conuenientem, ad differentiam substantiæ increatæ: ergo ratio per se existendi est prima ratio essentialis substãtiæ. Tum demum hæc est ratio immediatè distinctiua substantiæ ab accidenti: accidens enim est in alio, substantia est per se. Vnde perseitas & inaleitas assignantur tanquam primæ differentiæ diuisiuæ entis in substantiam & accidens.

Ratio per se existendi est positiua. Ad explicandam verò magis hanc rationem essendi per se, videndum est, quid ea propriè sit. Soncin. quinto Metaphysic. quæstione 14. docet esse negationem, negationem scilicet essendi in alio. Probat: quia substantia non potest addere supra ens aliquam rationem positiuam & realem, cùm in omni tali ratione includatur ipsa ratio entis: ergo solùm addit negationem. Certum tamen esse debet, hanc rationem esse positiuam & realem, licèt per negationem explicetur. Est aperta sententia Sancti Thomæ primo contra Gentes, capite vigesimoquinto Vbi Ferrarien., Scoti etiam in primo distinctione tertia quæstione tertia & aliorum communis. Sumitur ex Aristotele qui in hoc capite negationem essendi in alio inter proprietates primo loco recensuit: *Commune est omni substantiæ, in subiecto non esse*: planè supponens hanc negationem non esse primam & quidditatiuam substantiæ rationem.

Probatur manifestè. Tum quia substantia quatenus substantia est, est ens positiuum & reale, & entitas positiua substãtiæ est realiter & essentialiter diuisa ab accidenti: ergo in se constituitur, & ab accidenti distinguitur, per rationem positiuam realem. Tum è contra, esse in alio, per quod constituitur accidens, vel dicit rationem positiuam, vel solùm negationem essendi per se. Si primum: ergo perfectius erit formaliter accidens quam substantia: imo tantò perfectius, quantò ens non ente. Si secundum: tunc ergo esse per se erit negatio negationis essendi per se, & esse in alio erit negatio negationis essendi in alio, quæ est ineptissima nugatio & circulatio. Tum præterea negatio essendi in alio, debet vtique fundari in

enti-

entitate aliqua positiua, quam habet substantia, & non habet accidens quod non habet talem negationem: illa ergo entitas positiua est realis & essentialis ratio per quam substantia constituitur. Tum à pari: Deus dicitur constitui per rationem essendi à se, ad differentiam entis creati quod constituitur per rationem essendi ab alio: ratio autem essendi à se constitutiua Dei, vtique positiua est: ergo similiter ratio essendi per se constitutiua Substantiæ. Verum est, has rationes positiuas solere explicari per negationes, veluti per proprietates consequentes. Quoniam cùm sit quodammodo notius, & faciliùs concipiatur per modum positiui, esse in alio & esse ab alio: ideò es[se] per se explicatur per negationem dependentiæ à subiecto receptiuo, & esse à se per negationem dependentiæ à principio effectiuo.

Ad rationem Soncin. facilè dicitur: non oportere substantiam constitui per rationem aliquam superadditam enti, quæ non sit essentialiter ens: imo non posse per talem rationem constitui. Sed essentialiter determinari per rationem talis entis, quæ est esse per se. Quia non opus est, in ijs quæ sub ente diuiduntur, distinguere vnam rationem entis, & alteram propriam per modum differentiæ, cum perfecta præcisione. Et hoc ipsum docuerat idem Soncin. eadem quæstione. Et latiùs videndum erit in Metaph.

Additur modus subsistētiæ ad substantiæ cōplementum.

Præter hæc, ad complementum substantiæ addi solet alius modus essendi, qui appellatur subsistentia, per quem formaliter natura substantialis dicatur per se subsistere, & ex quo simul cum ipsa natura constituatur suppositum. Quod totum colligitur ex mysterio Incarnationis: quoniam in Christo est humana natura, non autem est modus subsistentiæ creatus cōnaturalis ipsi naturæ. Sed loco eius adest persona Verbi diuini, per suam subsistentiam increatam terminans naturam humanam. Vnde in Christo sunt duæ naturæ, & vnum tantùm suppositum: quia Verbum diuinum ad se assumpsit in vnitatem suppositi & personæ naturam humanam. Hinc consequenter, non talis modus subsistentiæ actualis, sed principium exigitiuum eius, dicitur essentialis ratio substantiæ, & appellatur subsistentia radicalis. Sicut è contra, quando ratio essentialis accidentis, dicitur esse in alio, non intelligitur inhærentia actualis: nam quantitas in Sacramento Altaris existit per se non actu inhærens, res autem ita se habet cum sua essentia; vt implicet, etiam respectu potentiæ absolutæ Dei, rem aliquam conseruari sine sua essentiali ratione. Sed intelligitur inhærentia radicalis, idest natura exigitiua inhærentiæ actualis. Ita pariter de essentia substantiæ philosophatur S.Thomas in 4.dist.12. quæstione 1. art. 1. quæstiuncula 1. ad 1. Durandus in 3. distinct. 1. quæstione 1. num. 9. cum Auicenna quem referunt, & alij Theologi circa mysterium Incarnationis. Sed de hac re latè agendum erit in Metaphys.

SECTIO SECVNDA.

De Diuisione Substantiæ in Primam & Secundam.

Substātia diuiditur in primā, & secundam.

Aristoteles suum prædicamentum substantiæ auspicatur à distincta explicatione primæ & secundæ substantiæ. Vnde orta est diuisio substantiæ in primam & secundam. Quæ diuisio non leues difficultates affert. Propter quod Ammon. hoc loco ait, hanc non tàm esse diuisionem, quàm potius enumerationem quandam: vt si quis enumerando diceret, in oratione reperiri dictiones, syllabas, & litteras: sic in hoc prædicamento inueniri primas & secundas substantias. Et sane Aristoteles non diuidendo loquutus est, sed statim incepit explicare primam substantiam, & deinde explicat secundam. Verùm alij Peripatetici communiter, Porphyrius interrog. decimanona, Boetius, Simplicius, Auerroes, & alij in hoc capite, eam tanquam diuisionem recipiunt. Et sine dubio, dum sub eodem nomine substantiæ enumerantur prima & secunda; iam hæc est diuisio quædam: ac si diceretur, substantia duplex est, prima, & secunda. Quæ diuisio nunc explicanda est.

Quanam

Et primo loco commodum erit expli-

Quæ prima & secunda substantia.

care, quid sint prima & secunda substantia; quæ sunt membra diuidentia. Arist. sic definit primam substantiam: *Quæ neque de subiecto dicitur neque in subiecto aliquo est*. Secundam autem substantiam in progressu explicat: *Quæ de subiecto quidem dicitur, in subiecto autem non est*. Itaque vtrique substantiæ commune est, non esse in subiecto. Discrimen autem vtriusque consistit penes dici aut non dici de subiecto. Non esse in subiecto intelligitur non inhærere subiecto, quæ erat essentialis ratio & adæquata substantiæ, quam explicauimus sect. præcedenti. Dici de subiecto intelligitur prædicari de subiecto tanquam superius de inferiori, quo pacto genera & species de suis inferioribus prædicantur. Quocirca prima substantia est substantia singularis, quę non prędicatur de alijs subiectis sibi inferioribus. Secunda substantia est substantia vniuersalis, quę prędicatur de inferioribus sibi subiectis.

Quærit autem Scot. quęst. 12. in Prędicam. num iuxta hanc explicationem indiuiduũ vagum substãtiale, sit prima vel secunda substantia. Videtur enim prima: quia est indiuiduum: & Aristot. in exemplum primę substantiæ affert, *quidam homo, quidam equus*. Et ita defendit Tolet. quęst. 5. de Substantia ad 1. Ex alia parte videtur secunda: quia dicitur de subiecto, & potest de pluribus prędicari, nempe de indiuiduis determinatis. Verùm hoc non est aliud quàm quærere, num indiuiduum vagum sit vniuersale vel singulare. De qua re satis diximus quęst. 8. sect. 16. quomodo possit vtroque modo sumi. Aristot. autem hic posuit illa exempla sine dubio pro substantijs singularibus: quasi diceret, Petrus homo, Bucephalus equus.

Quænam sit substantia quæ diuiditur.

Secundò loco videndum est, quodnam sit diuisum in hac diuisione, seu quomodo accipiatur substantia quę diuiditur in primam & secundam. Et quidem facilè consentiunt omnes, non esse ipsum genus generalissimum substantiæ, quasi diuidatur in suas species, sicut cùm diuiditur quantitas in continuam & discretam. Nam genus generalissimum est substantia secunda & vniuersalis, vt patet: ergo non est illud quod diuiditur in primam & secundam. Neque absolutè loquendo substantia vniuersalis est quæ diuiditur, sicut non est substantia singularis: quia totum diuisum non debet coincidere cum vno membrorum diuidentium. Sic enim totum esset æquale parti: nec posset esse apta diuisio. Sed asserere oportet, diuidi substantiam acceptam in aliquo sensu quo sit indifferens ad statum primę & secundæ.

Hoc supposito, Caiet. in principio huius prędicam. & alij vt plurimum docent, diuisum in hac diuisione esse substantiam directè ponibilem in hoc prædicamento. & quia substantia, tum vniuersalis, tum singularis, directè ponitur in prædicamento: ideò diuidi in primam & secundam. Nam hęc diuisio traditur propter coordinationem prędicamenti: ergo intelligitur diuidi illa substantia quę ponitur in recta linea prędicamenti. Albertus autem hic cap. 1. & quidam alij significant, diuidi substantiam sumptam formaliter secundùm rationem subsistẽdi. Nam hæc est ratio prima & quidditatiua substantię, communiter se habens ad primam & secundam. Aliqui dicunt, potius diuidi substãtiam secundùm rationem substãdi. Nam hęc etiam est ratio communis: & secundum hanc rationem Aristot. ait primam substantiam esse magis substantiam, quia magis substat.

Verùm non oportet de hac re nimiùm cõtendere. Sed dicendũ est, oĩbus his modis posse accipi substãtiam dũ diuiditur. Nam omnibus ijs potest benè adaptari diuisio. Imo ex ijs põt fieri vnus modus, dicẽdo diuidi illam substantiam quę directè ponitur in prędicamẽto: diuidi autem formaliter secundum rationem essentialem substantię; explicandam primariò per rationem subsistendi, secundariò per rationem substandi. quod totum ex dicendis clariùs innotescet.

An diuisio tradatur quoad rationes reales vel intentionales.

Tertiò. Tàm circa totum diuisum, quàm circa membra diuidentia, dubitatur, an in hac diuisione sumatur secundùm rationes reales quæ dicuntur primæ intentiones, vel secundùm rões intellectuales quæ dicuntur secundæ intentiones. Sotus in hoc Prædicam. q. 1. art. 1. affirmat, accipi formaliter quoad secundas intentiones: quia non solùm secunda substantia, sed etiam prima, formaliter dicit secundam intentionem. Sicut enim

enim dici de subiecto est secunda intentio prædicabilitatis: ita esse subiectum est secunda intentio subijcibilitatis. E contra Suar. disp. 33. Metaph. sect. 2. vult, accipi potius debere quoad primas intentiones: idq. esse magis ad mentẽ Arist. Quia Arist. explicat substantiam per non esse in subiecto, ad denotandam realem subsistendi rationem: & etiam si substantia explicetur per substare accidentibus, hæc quoque ratio est realis. Et ita diuiditur substantia in ordine ad duplicem modum realem sufistendi & substandi; vel per se & primariò, qui est modus primæ substantiæ; vel secundariò & mediante prima substantia, qui est modus secundæ substãtiæ. Addit: cùm Arist. dicat primam esse magis substantiam: hoc non verificatur quoad secundas intentiones: sed benè quoad dictum modum subsistendi & substandi. Caiet. verò in principio huius prædicamenti docet, diuisionem posse accipi, tùm quoad secundas, tum quoad primas intentiones. Quoad secundas, vt sensus sit, substantia prima aut secunda, particulariter aut vniuersaliter concepta. Quoad primas, vt sensus sit, substantia prima, idest particulariter subsistens: secunda, idest non includens particulariter subsistere.

Vno modo potest accipi penitus quoad rationes intentionales.

Pro resolutione dicendum est, varijs quidem modis posse diuisionem accipi, quibus vel plus vel minus de secundis intentionibus inuoluatur: omnino tamen debere inuolui aliquam denominationem rationis. Vno modo potest accipi diuisio omni ex parte penes secundas intentiones. Videlicet ex parte totius diuisi accipiatur substantia quatenus ponibilis in prædicamento, quæ breuius dici potest substantia prædicamentalis: poni autem in prædicamento, vtique est aliquid secundæ intentionis. Et vt sic substantia diuidatur; in illam quæ ponitur infimo loco, & hæc est prima substantia; & in illam quæ ponitur in aliquo superiori loco, & hæc est secunda: siue; in illam quæ ponitur in prædicamento solùm vt subijcibilis, & hæc est prima; & in illam quæ ponitur vt prædicabilis, & hæc est secunda. Quæ omnes rationes formaliter sunt secundæ intentiones, vt patet.

Alijs modis, partim quoad rationes reales, partim quoad intentionales.

Alio modo potest accipi diuisio, ex parte quidem substantiæ diuisæ quoad primam intentionem, ex parte membrorum diuidẽtium quoad secundas intentiones. Scilicet natura & essentia realis substantiæ, vel afficitur intentione vniuersalitatis & prædicabilitatis; vel intentione correlatiua inferioritatis, singularitatis, & subijcibilitatis. Alio demum modo potest accipi, ex parte etiam primæ substantiæ quoad primam intentionem, ex parte secundæ quoad secundam. Videlicet essentia realis substantiæ, aut sumitur prout est realiter singularis, aut sumitur prout vniuersalis, seu prout à singularitate præscindens. Siue aut per se primò subsistit & substat, aut mediatè & secundario: vt dicebat Suar. Patet autem, omnino in secunda substantia debere aliquam secundam intentionem seu aliquam denominationem rationis inuolui. Nam cùm natura vniuersalis non distinguatur à parte rei, sed tantum per rationem, à singularibus: non nisi per rationem suscipere potest talem denominationem in qua differat à prima. Et ita patet in omnibus modis dictis. Nam non tantùm si dicatur substantia vniuersalis; sed etiam si dicatur substantia præscindens à singularitate, seu non includens singularitatem: hæc est vtique denominatio rationis, opponens quodammodo substantiam secundam primæ, & addens saltem negationem resultantem ex operatione rationis supra essentiam substantiæ se tenentem ex parte totius diuisi. Rursus etiam dicendo, substantia mediatè & secundariò subsistens: hæc maximè est denominatio rationis fundata in distinctione rationis. A parte rei enim non datur talis diuersitas, sed formaliter fit per intellectum distinguentem, & referentem naturam vniuersalem ad rem singularem. Et ita tandem fatetur ipse Suar. num. 14.

Omnes ij modi possunt ad mentem Arist. aptari.

Difficultas adhuc superest, quinam ex his modis sit magis de mente Arist. Et sic etiam dicẽdum est, omnes posse eius menti accommodari. Nam substantiam quæ diuiditur accepit prout ponebatur in prædicamento; & ita quoad secundam intentionem: accepit quoad rationem subsistendi et prout substat accidentibus & ita quoad primam intentionem, quam etiam indicauit per negationem illam, non esse in subiecto, quam fecit communem tam secundæ quam primæ substantiæ

De substantia prima dixit, subijci omnibus alijs, etiam secundis substantijs: quæ subiectio dicit planè secundam intentionem. Dixit etiam, nec esse in subiecto, nec de subiecto dici: per quam secundam negationem explicauit rationem singularitatis quæ realis est & primæ intentionis. De secunda substantia dixit, in illis, idest sub illis, esse primas substantias, illas esse genera & species, illas prædicari de subiectis primis substantijs: quæ omnia sonant secundas intentiones.

Hinc patet ad ea quæ Suar. ex Arist. adducebat. Imo certè Arist. non explicauit primam & secundam substantiam per modos primariò aut secundariò subsistendi, licèt ipsa nomina primę & secūdę ita sonent: sed potius explicauit & distinxit, per nō dici, vel dici de subiecto. Quo sēsu verò dixerit, primam esse magis substantiam quia magis substat, infra explicabimus: & patebit, id etiam intelligi per secundas intentiones.

Qualisnā sit ipsa diuisio. Quartò vlterius circa ipsam diuisionem dubitatur, qualis nam sit. Aliqui volunt, esse diuisionem generis in species: quoniam substantia vniuocè & essentialiter in quid dicitur de vtraque. Plures sunt qui asserant, esse analogi in analogata. Ita S. Thom. quæst. 9. de Pot. art. 2. ad 6. Albert. & Caiet. hic, Tolet. q. 1. ad finem, Sotus quæst. 1. ad 1. Masius sect. 2. quæst. 3. Ruuius quæst. 4. & alij: quoniam substantia prima & secunda dicuntur per prius & posterius: vt ex ipsis nominibus patet. Aliqui dicunt, esse diuisionem subiecti in accidentia. Ita indicant etiam Caietanus & Sotus, & defendit Sanc. quæst. 8. quoniam diuiditur substantia per modos intentionales. Aliqui è contra, esse accidentis in subiecta. Ita indicat Suar. sect. 2. cit. nu. 11. quoniam subsistere vel substare, se habet tanquam proprietas, quæ cōmunicatur vtrique substantiæ. Alij demum, esse diuisionem accidentis in accidentia. Ita Louaniens. quoniam substantia quæ diuiditur, accipitur secundùm modum ipsi accidentalem, & diuiditur per modos accidentales, idest accidentaliter se habentes etiam ad illum modum: sicut si diuidatur homo albus in sedentem & ambulantem.

Est gene- Pro resolutione dicendum etiam arbitror, omnibus his modis posse talem diuisionem explicari. Est diuisio generis in species: si intelligatur diuidi secunda intentio ponibilitatis in prædicamento in subijcibilitatem & prædicabilitatem. Nam sicut vniuersale & prædicabile formaliter sumptum, dicitur genus ad quinque prædicabilia: ita potest cogitari genus commune ad prædicabile & subijcibile: & substantia prædicamentalis ad substantiam prædicabilem & subijcibilē. Non autem est diuisio generis in species, sumendo naturam realem substātiæ. Nam species sub genere inter se opponuntur: at natura realis substantiæ eadem est, siue in vniuersali, siue in singulari sumatur: & solùm in secunda intentione est diuersitas. *ris in species.*

Est analogi in analogata. Est diuisio analogi in analogata: non dicam propter ordinem illum prioris & posterioris, quam rationem improbat etiam Suar. sect. 2. cit. num. 21. & 22. Sed præcipuè: quia substare dicitur, tum respectu accidentium de subiecto inhæsionis, tum respectu prædicatorum superiorum de subiecto prædicationis. Et dicitur analogicè: quia solùm secundùm quandam habitudinem hoc nomen est commune. Imo substare accidentibus est quid reale, substare prædicatis essentialibus est intentionale. Substantia autem prima, vno modo distinguitur à secunda, quia vltra rationem substandi accidentibus communem ipsi substantiæ, addit rationem substandi secundis substantijs, & ita nomen substantiæ planè dicitur analogicè.

Est subiecti in accidentia. Est diuisio subiecti in accidentia, sumendo substantiam quoad essentiam realem & primam intentionem, primam autem & secundam quoad secundas intentiones. Nam hoc non est aliud quàm considerare substantiam, prius in statu essentiæ, deinde in statu vel singularitatis vel vniuersalitatis: quo pacto se habet tanquam subiectum ad accidentia: vt patet etiam ex dictis de vniuersalibus in communi.

Accidentis in subiecta. Est diuisio accidentis in subiecta. quia potest considerari ratio substantiæ, pro actuali exercitio subsistendi per modum subsistentiæ à natura distinctum, & pro actuali exercitio substandi accidentibus. Potestquè huiusmodi actuale exercitium attribui

attribui naturæ substantiali tanquam subiecto: & ita fit diuisio veluti accidentis in subiecta.

Est accidentis in accidẽtia. Est demum diuisio accidentis in accidentia, si sumatur substantia ex parte totius diuisi quoad huiusmodi modum accidentalem, idest non essentialem naturæ præcisè sumptæ: & sumantur etiam prima & secunda substantia pro modis accidentalibus secundarum intentionum; qui accidentaliter se habent, non solùm ad naturam ipsam substantialem, sed etiã ad alium illum modum, quo sumebatur substantia quæ diuidebatur.

Prima dicitur prius ac magis substãtia, quàm secunda. Quintò. Comparando inter se primam & secundam substantiam: ex ipsis nominibus, & ex doctrina Aristot. habetur, rationem substantiæ prius & per se conuenire singularibus: secundariò autem & mediatè vniuersalibus. Aitquè Aristot. primam esse magis substantiam quàm secundam, esse propriè & maximè substantiam. Vnde vlterius infert, inter secundas substantias, species esse magis substantias quam genera: quoniam propinquiores sunt primis substantijs. Imo lib. 3. & 7. Metaph. docere solet, vniuersalia non esse substantias, & licèt id præcipuè docuerit contra idæas, volens eas non subsistere extra singularia: tamen inde etiam habetur, naturas vniuersales substantiales non esse substantias per se, sed ad summum mediantibus singularibus. Idem docet S. Thom. quæst. 9 de Pot. art. 1. ad 4. & 5. & alij hoc loco defendunt.

Difficultas proponitur. Verùm ex alia parte id apparet difficile, & videtur potius è conuerso, naturas vniuersales esse priùs & magis substantias, quam sint indiuidua. Tum quia idem Aristot. 8. Metaph. text. 2. ait, genera esse magis substantias quàm species, & vniuersalia quàm singularia. Quamuis id soleat exponi, dictum esse secundùm mentem Platonis ponẽtis ideas separatas. Et D. Thom. in 1. d. 23. quæst. 1. art. 1. & d. 26. quæst. 1. art. 1. ad 4. cum Boetio significat etiam, naturas vniuersales magis ac prius esse substantias. Tum etiam ratione: quia prædicata essentialia conueniunt indiuiduis mediantibus naturis vniuersalibus, & in hoc ipso prædicamento substantia est genus generalissimum, non nisi mediantibus varijs gradibus subordinatis, descendens sequè communicans vsque ad vltima indiuidua: ergo potius videtur rō substantiæ prius & magis conuenire naturis vniuersalibus. Vnde potius hæ dici debuissent primæ substantiæ.

Solutio quædam affertur. Pro resolutione huius difficultatis: Aliqui, distinguendo in substantia rationem subsistendi & substandi, dicunt, rationem substandi esse illam quæ magis & prius conueniat singularibus, quoniam hæc sunt quæ per se primò recipiunt accidentia, & ijs mediantibus etiam naturæ in vniuersali denominantur ab accidentibus: & secundùm hanc rationem loquutum esse Aristot. hoc loco. At rationem subsistendi è contra se habere: & hoc probari per dubitationem allatam. & pro hac sententia Suar. num. 17. affert Boet. lib. de Duabus nat. dicentem: *Genera et species subsistunt tantùm: indiuidua verò non tantùm subsistunt, sed etiam substant.* Et ipse conatur num. 19. discrimen inter subsistere & substare ad mentem Boetij explicare.

Impugnatur. Hæc tamen solutio & explicatio adhuc difficilis est. Tum quia eam substare accidentibus, quàm subsistere, si sumatur radicaliter, dicit essentialem rationem substantiæ: vnde eadem est de vtroque ratio. Tum etiam si consideretur ratio substandi tanquam proprietas substantiæ prout subsistentis: vtique proprietas per se comitatur essentiam: &, cui prius magisque competit essentia, prius etiam ac magis competit proprietas. Tum demum, quando substantia dicitur substare accidentibus, hoc non tantùm intelligitur de accidentibus communibus & separabilibus, sed etiam proprijs & inseparabilibus. At licèt accidentia communia prius insint singularibus, & consequenter denominent naturas vniuersales: tamen accidentia propria & passiones è conuerso prius conueniũt naturis à quibus profluunt, & per eas singularibus.

Vera explicatio. Dicendum ergo in primis est, tàm quoad rationem substandi, quàm quoad rationem subsistendi, posse rem explicari. Distinguendo, vtranque rationem posse considerari, vel secũdùm essentiam, vel secundùm existentiam, idest vel secundùm connexionem essentialem prædicatorum, vel secundùm actuale exercitium existendi. Primo modo verum est,

prius conuenire naturis absolutè spectatis quàm indiuiduis. Secundo autem modo, prius indiuiduis quàm naturis vniuersalibus. Nam essentialiter quidem substantia priùs & propinquiùs intelligitur prædicari de corpore & spiritu, & tandem de infimis indiuiduis: siue substantia sumatur pro ente aptó per se existere, siue pro ente apto substentare accidentia. At in actuali exercitio, per se & immediatè indiuidua sunt, non solùm quæ in se recipiunt accidentia, sed etiam quæ per se existunt. Nam sicut indiuidua sunt, quæ primò existunt, & in quibus naturæ existunt: ita & ipsa sunt, quæ primò per se existunt, & in ipsis actualiter naturæ subsistunt. Atque hoc totum habetur planè ex dictis in tract. vniuersalium.

Additio de mente Arist. Deinde addendum est, ad mentem Arist. substare hic sumi, non tantùm respectu accidentium, sed etiam prædicatorum superiorum. Hoc modo maximè primæ substantiæ ad differentiam secundarum substare dicuntur. In hoc sensu dixit clarissimè Arist. *Primæ substantiæ, ideò quod alijs omnibus subijciuntur, & alia omnia vel de ipsis prædicantur, vel in ipsis sunt; propter hoc maximè substantiæ primæ dicuntur.* Et addit, quia species subijcitur generi; ideò esse magis substantiã quàm genus. Et idem rursus repetit. Itaque vult, tàm secundam, quàm primam, pariter esse substantiam, quia in subiecto non est, idest per se existit: & quia substat accidentibus, quæ in subiecto sunt. Sed præter hoc, primam substãtiam dicere subiectionem ad prædicata superiora, & per hoc esse magis substantiam, idest magis substare, quia pluribus modis substat: & speciem esse magis substantiam quàm genus, idest magis substare, seu pluribus substare. Hic etiam est sensus Boetij, quãdo dixit, genera & species subsistere, indiuidua etiam substare, idest substare adæquatè omnibus prædicatis.

Imo fatendum est, hunc modum substandi respectu prædicatorum superiorũ non esse proprium substantiæ, sed esse communem etiam accidentibus: vt patet. Vnde in rigore verbi, etiam accidentia quæ substant suis generibus & speciebus, dici possunt substantia, deriuando hoc participium à verbo substandi. Sed tamen substantiæ nomen non solet ijs attribui, nisi sumendo substantiam pro essentia. Itaque hæc ratio substandi prædicatis superioribus, ex communi vsu loquendi nõ accipit nec dat denominationem substãtiæ, nisi quatenus coniuncta cum alia ratione substandi & subsistendi. Quod quidem solùm spectat ad modum loquendi. Et ideò Arist. dixit, primas substantias esse magis substantias. Ideò etiam non nisi sub nomine substantiæ, introducta est ista distinctio primæ & secundæ. Nec dicuntur accidens primum & secundum, aut homo primus & secundus. Quia nimirum modus ille loquendi fundatur in verbo substandi.

Quænam substantiæ spectet ad hanc diuisionem. Sextò tandem in ordine ad hoc prædicamentum dubium est, num omnes prorsus substantiæ, vel solũ creatę & cõpletæ, spectent ad hãc diuisionem, & sub prima vel secunda substantia contineantur. Verùm absque dubitatione constare potest, quòd si prima & secũda substãtia sumãtur adæquatè pro omni substantia singulari & vniuersali: sic planè quæcunq. res dicatur substantia, ad hanc diuisionem pertinebit. Si autem prima & secunda substantia sumantur tantùm pro substantia prædicamentali, quæ in prædicamẽto directè collocantur: sic pariter quæ substãtiæ ab hoc prædicamento excludentur, etiã ab ipsa diuisione exclusæ manebunt.

SECTIO TERTIA.

Quodnam sit generalissimum, & quæ substantiæ sub eo ponantur, in hoc prædicamento.

Sententia affirmans etiam substantiam increatã poniin hoc prædicamento. IN primis est sententia asserens, substãtiam communem creatæ & increatæ esse genus generalissimum in hoc prædicamento. Atque adeò etiam Deum ipsum per se poni & contineri in hoc prædicamento. Ita defendunt Gregor. Gabr. Maior in 1. dist. 8. Holcot. in 1. quæst. 6. Marsil. quęst. 10. & ferè sequitur Hurtad. d. 9. Met. sect. 4. Idem planè docuit Damascen. lib. Primar. Institut. cap. 7. dicens, sub genere summo substantię contineri Deum & Angelum, & alia quæ ibi enumerat. D. August. etiam lib. 5. de Trin. cap. 8. apertè dixit, duo sola prædicamẽta dici propriè de Deo, substantiã et relatio-

lationem. Et Arist. ipse 1. Ethic. cap. 6. distinguens substantiam ab alijs prædicamentis, in substantia nominat Deũ & mẽtem: vbi per mentem videtur intellexisse Angelos. Aliqui autem dixerunt, genus summum in hoc prædicamento esse quidẽ substantiam creatam: tamen adhuc Deũ pertinere ad prædicamentum, non quidẽ directè, sed reductiuè; nimirum tanquã principium & causam totius substantiæ creatæ. Ita Simplic. in hoc cap. de Substan. Paulus Venet. cap. 4. suæ Met. Imo Sanctus Thomas quæst. 7. de Pot. artic. 3. ad 7. & in 1. d. 8. quæst. 4. art. 2. ad 3.

Sententia negans. In contrarium est communior Doctorum sententia, negans Deum poni in prædicamento. Ita Magister Sententiarũ. Bonauen. Scot. Albert. Durand. Riccar. Argent. Aegid. Bassolis. Capreol. & alij Scholastici in 1. d. 8. Henricus in sum. art. 16. quæst. 2. Alens. 1 par. q 48. art. 3. & 10. Met. tex. 8. Item D. Thom. 1. par. quæst. 3. art. 5. & 1. contra Gen. cap. 25. apertè docẽs, nec etiam reductiuè Deum poni in prædicamento. Idem tenent Caiet. & Ferrar. ibi, Bagn. Molin. Valent. Vasq. & alij recentiores Theologi eo loco 1. par. Insuper Fons. 5. Metaph. cap 8. quæst. 1. Suar. disp 30. Met sect. 4. à nu. 28. Tolet. in hoc Prædicam. quæst. 3. Sotus quæst. 1. art. 2. & alij hoc loco. Idem denique docuerunt. Auic. 8. Metaphys. cap. 4. Auerr. in lib. Destruct. disput. 7. dub. 5. Boet. lib. 1. de Trin. cap. 5. & 6. Cyrill. Alexandr. lib. 11. Thesauri, cap. 1. Anselm. in Monolog. cap. 26. dicens, substantiam diuinam nullo communi substãtiarum tractatu includi. Dionys. cap. 1 de Diuin. nomin. dicens, Deum esse supra substantiam. & Aug. lib. 4. Confess. cap. 16. & 7. de Trin. cap. 4. dicens, Deum in prædicam. non contineri, & lib. de Cognit. veræ vitæ cap. 3. nullum prædicamentum propriè Deo conuenire. Arist. etiam in hoc prædicam. docet, substantiam esse susceptiuam accidentium, primam substantiam subesse omnibus tanquam subiectum cui accidentia insunt: quod nullatenus competit Deo.

Sententia affirmans etiam substantias incompletas. Rursus est alia sententia affirmans, substantiam communem completæ & incompletæ seu totali & partiali esse genus generalissimum: subeoq. directè poni etiã partes substãtiales, siue physicas materiã & formam, siue integrantes, vt caput, manus, pedes. Ita significat Holc. & Paulus Venet. locis præallegatis, Zimara in Theorem. super tex. 8. 7. Met. Louanien. autem & Villalpand. hoc loco, admittũt, saltem partes integrantes directè poni in prædicamento. Præterea Ammon. Simpl. & Boet. indicant, etiam differentias substantiales per se poni in hoc prædicamẽto. Fauet quoad illas partes Arist. in hoc prædicam. qui explicare curauit, quomodo illæ verè sint substantiæ, quia non sunt in subiecto, licèt sint in toto: & aliæ etiã proprietates substantiæ quas assignat, cõueniunt iisdem partibus. Et in cap. de Ad aliquid inter primas & secundas substantias computat etiam partes integrantes, & planè supponit caput manus & similes alias partes esse secundas substantias. Item 15. Met. text. 5. inter substantias numerat partes. Et aliàs sæpè diuidit in compositum materiam & formã, 7. Met. 7. & lib. 8. tex. 3., 2. de Anima tex. 2. quo loco apertè loqui videtur de substantia prædicamentali.

In contrarium communior sententia docet, substantiam completam & totalem esse genus generalissimũ in hoc prædicamento, & in eo non poni directè, sed tantùm reductiuè, partes substantiales, siue physicas, siue integrantes; & differẽtias poni à latere, simul cum generibus, quæ diuidunt, & speciebus quas constituunt. Ita recẽtiores communiter, & plures ex antiquis hoc loco: atque defendit latè Fons. 5. Met. cap. 8 q. 2. & 3. & præsertim de partibus substantialibus. S. Tho. 1. par. q. 86. art. 3. ad 2. & in 2. d. 3. q. 1. ar. 1. Soncin. 7. Met. q. 39. Ocham. in 1. d. 8. q. 2. Aegid. ibid. q. 3. & alij. Sumitur & hæc sententia ex Aristotele qui hoc loco apertè excludit differentias: dum primam proprietatem substantiæ, scilicet non esse in subiecto, ait conuenire non solùm substantijs, sed etiam differentijs: vbi saltem voluit, differentias non esse de recta linea substantiæ: & loquens de secundis substantijs docet, sola genera & species esse secundas substantias. Deinde septimo Metaphysic. 56. ait, eorum quæ videntur substantiæ, multas esse partes substantiarum: vbi planè distinguit substantiam à partibus substantialibus. Et secundo de Anima, cap. 1. ait, *Sententia negans.*

Mate-

Materiam secundùm se non esse hoc aliquid, & formam esse per quam fit hoc aliquid, compositum verò esse hoc aliquid. At hoc aliquid est prima substantia, de qua hìc loquitur. Clariùs 7. Met. textu 8. *Dico autem materiam per se ipsam, neque quid*, idest substantiam, *neque quantum, nec aliquid aliorum quibus ens determinatur*, idest prædicamentorum. Demũ Porphyr. in cap. de Specie, nec differentias, nec alias partes, sed solas substantias completas in recta linea prædicamenti disposuit.

Sententia negãs, substantias spirituales & incorruptibiles poni in prædic.

Ex alia parte fuit sententia aliquorum, in aliud extremum declinans, & prædicamentum substantiæ nimis restringens, affirmans substantiam corpoream esse genus generalissimum, & ab hoc prædicamento excludi Angelos. Ita Albert. hoc loco, Aegid. etiam, & quodl. 1. q 8. Plotinus Aenneade. 6. lib. 1. cap. 2. Imo vlterius substantiam corpoream corruptibilem esse genus generalissimum, & ab hoc prædicamento excludi etiam corpora cælestia. Ita Auerr. in cap. de Specie, & 10. Metaph. com. 26. Iandun. 10. Metaph. q. 22. Suess. disp. 9. Iambl. lib. 2. de Myster. Aegiptiorum cap. 2. Refert etiam Simpli. hoc loco Porph. Architam & Boethum quendam. Et hanc sententiam vt probabilè defendit Vallius q. 2. de Subst. c. 5. Motiuum huius sententiæ fuit quædam auctoritas Arist. 10. Metaph. cap. vlt. dicẽtis, corruptibile & incorruptibile esse genere diuersa. Affert Vallius quædam alia loca.

Sententia affirmãs.

In contrarium communior sententia docet, genus generalissimum esse substantiam communem corporeæ & incorporeæ, corruptibili & incorruptibili. Ita D. Thom. 10. Metaph. lect. 12 & in 2. d. 3. q. 1. ar. 1. Henric. Quodl. 7. q. 8. Alensf. 5. Metaph. tex. 33. Soncin. 12. Metaph. q. 47. Caiet. cap. 7. de Ente & ẽss. in illa verba S. Thomę Hoc tamen sciendum. Fons. 5. Metaph. cap. 8. q. 4. Suar. disp. 35. sect. 3. num. 24. Gratia Dei, Burleus, Tolet. Sot. & alij communiter hoc loco. Ita etiam sentiunt communiter Theologi tractando de Angelis. Imo Durand. in 2. d. 3. q. 1. num. 12. licèt neget, Angelos componi ex genere & differentia, tamen concedit illos esse in genere. Hæc etiam est apertè sententia Porphyr. in cap. de Specie. Et sine dubio Arist. qui non solùm nihil in hoc Prædicam. docet, quo illud restringat ad solam substantiam corruptibilem vel corpoream: sed quicquid docet, non minus commune est ad substantiam incorpoream & incorruptibilem. & 5. Metaph. tex. 15. & lib. 7. tex. 5. inter species substantiæ numerat Dæmonia Cælos & Astra. Simplic. etiam pro hac sententia refert Platonem.

Potuisset fieri prædicamẽtum quod etiã substãtiã increatã & incompletã contineret.

Pro resolutione Dico primò. Pôt substantia ita amplè sumi, vt omnem substantiam etiam increatam ac etiam substantias incompletas directè complectatur: & potuisset prædicamentum substantiæ ita constitui, vt genus generalissimum esset substantia sic amplè sumpta, & in recto contineret omnes dictas substantias. Hæc concl. est conformis ad ea quæ diximus de prædicamentis in communi. Habet etiam pro se auctoritates pro prima & altera sententia allegatis.

Ratione probatur: quia nomen substantiæ non est æquiuocum, vt patet: nec ita analogum, vt per diuersas impositiones plura significet, sicut nomen sani, & risus: sed verè importat conceptum vnum in intellectu, tàm obiectiuum quàm formalem, communem omni substantiæ, conceptum videlicet per se existentis. Quod planè est per se manifestum: & à fortiori patet ex ente; quia si ens importat conceptum communem substantiæ & accidenti, eò magis substantia conceptum communem omnibus substantijs. Potest ergo constitui vna series prædicatorum incipiendo ab huiusmodi conceptu communissimo substantiæ, qui sanè prædicatur essentialiter & in quid de omnibus substantijs: & hoc diceretur vnum totius substantiæ prædicamentum. Et quidem quando ens sumptum in tota sua latitudine diuiditur adæquatè in substantiam & accidens: Vtique hoc modo sumitur substantia. Potest etiam substantia sic in communi sumpta appellari genus, vt fatetur etiam Fons. q. 1. cit. sect. 3. admittens Deum esse in genere latè sumpto. Et patet: quia genus sumi potest pro omni prædicato, quod non solo nomine, sed etiam ratione significata, dicitur in quid de pluribus, & nõ est species. Neq. in hoc vllum inconueniens apparet. Poterat ergo prædicamentum substantiæ hoc modo con-

constitui, constituendo hoc genus generalissimum, & sub illo directè ponendo omnes substantias.

De facto hoc prædicamētum continet solū creatā & completā substantiam.

Dico secundò. Prædicamentum substantiæ vt de facto est in vsu, conuenienter constitutum est pro sola substantia creata & completa: ita vt in hoc prædicamento non ponantur directò Deus & substantiæ incompletæ, sed hæ quidem ponantur reductiuè, Deus autem nec etiam reductiuè. Hæc concl. est iuxta communem sentiendi & loquendi modū, & iuxta alias auctoritates allegatas.

Partes nō ponuntur directè sed tātùm reductiuè in prædica.

Et primò facilè probatur, conuenienter factū esse, vt directè sūpta sit sola substātia cōpleta: nam partes substātiales sufficienter & commodè includuntur in substātijs completis quarum sunt partes: nec necesse erat, nec vtile, illas distinctè & directè in prædicamentali serie collocari; vt bis includerentur, semel reductiuè in toto, & iterum directè per se ipsas. Satis ergo est, illas solùm reductiuè in prædicamento collocari. Præterea prædicatum vniuocum & genus sumi potest, vt solū dicatur illud quod diuiditur in species ita impermixtas, quarum non vna in alia includatur. Et hoc pacto constitutum de facto est genus summum in hoc prædicamento. Itaque genus summum non est substantia directè communis toti & partibus: nec partes directè ponuntur in prædicamento quasi species quædam condistinctæ à toto. Quando autem Arist. etiam partes appellauit substantias, voluit docere illas verè esse substantias, non propterea eas directè & distinctè in prædicamento collocauit. Appellauit etiam primas & secundas substantias, quia verè possunt considerari in singulari & in vniuersali: sed simul dixit esse partes primarum substantiarum, idest illarum quæ directè in prædicamento ponuntur. Et quando diuisit substantiam in compositum materiam & formam, non diuisit substantiam huius prædicamenti, sed substantiam physicam adæquatè sumptam: licèt dixerit, substantiam esse vnum quoddam genus eorum quę sunt, idest esse vnum eorum generum quę sunt, latiùs sumens genus quam prædicamentum.

Secundò. Quando dicimus substantiam completam esse genus summum, sumimus substantiam completam pro ea quæ prædicatur in quid, vt ita nec etiam differentiæ ponantur per se & directè in prædicamento. Quamuis apud nos qui dicimus, eosdem gradus posse sumi per modum generis in quid, & per modum differentiæ in quale; non excludantur omnino illi gradus qui sunt differentiæ: sed solùm dicere valeat, non poni directè, quando sumuntur per modum differentiæ & dicuntur in quale: & vt sic disponi per latus prædicamenti. Quando autem Arist. hoc cap videtur negare differentias esse substantias, dicens, non esse in subiecto esse proprietatem communem non solum substantijs sed etiam differentijs, & sola genera ac species esse secundas substantias: sumpsit substantiam tantùm pro illa quæ dicebatur in quid.

Deus non ponitur directè in prædicamento.

Tertiò. Ad probandum Deum non debere poni in prædicamēto, nec cōtineri sub aliquo genere, plurimæ rationes excogitatæ sunt. Et illi qui conueniunt in assertione rei, valde discrepant in reddenda ratione; & alij alias rationes impugnant. Aliqui probant ex infinitate Dei. Aliqui ex simplicitate. Aliqui ex supereminenti perfectione. Aliqui ex eo quòd Deus est purus actus nullam potentialitatem admittens. Aliqui ex eo quòd non possit assignari differentia superaddita generi & non includens ipsum genus. Alij alijs modis. Hæ tamen rationes non satis probant intentum: & facilè impugnari possunt.

Quartò ergo optima ratio erit: quia Deus est ens & substantia per essentiam: omne autem aliud ens, & omnis alia substantia, est talis per participationem & dependentiā essentialem ab ipso Deo: vnde omnia prædicata communia Deo & creaturis, prius & antecedenter conueniunt Deo, posterius & consequenter creaturis; ita tamen vt intrinsecè & essentialiter conueniant ipsis creaturis.

At prædicatum vniuocū & genus vno modo sumitur, quod non solùm dicat in se conceptum vnum, sed dicat naturam æquè primò participabilem ab inferioribus, & non per dependentiam essentialem vnius ab alio: siue dicat naturam aptam inesse pluribus æqualiter, ad excludendum ordinem dependentiæ essentialis. Hoc autem modo sumptum est prædi-

prædicatum vniuocum & genus substantiæ in hoc prædicamento. Neque sub vno prædicato vniuoco, & genere hoc modo sumpto, poterant contineri Deus & creatura. Hæc est ergo ratio, cur Deus non in hoc prædicamento ponatur, nec sub eius summo genere concludatur.

Quintò. Accedit, hæc prædicamenta instituta esse, vt ad certas classes reducatur multitudo creatarum rerum, vt sine confusione dignosci possent. Propter quã rationem non oportebat Deum ipsum in aliquo prædicamento concludi: neque conueniebat Deum veluti in ordinem redigi cum rebus creatis, & à Logica attingi. Meritò ergo factum est, vt pro genere summo prædicamenti ponatur substantia creata, sub se tantummodò complectens varietatem substantiarum creatarum, non autem substantiam diuinam & increatam. Quando verò Arist. & illi Patres videbantur ponere Deum in prædicamento substantiæ, debent intelligi, non de prædicamento vt hoc loco construitur, sed de prædicamento quod magis amplè designari posset.

Non etiã reductiuè. Sextò. Nec etiam reductiuè Deum poni in hoc Prædicam. probatur. Tum ex S. Thom. loc. cit. 1. partis, & D. August. loc. cit. de Cogn. ver. vit. quia quod reducitur ad aliquod prædicamentum, debet ad solum illud pertinere: sed Deus est principium non tantùm substantiæ, sed omnium aliorum entium: non ergo ad prædicamentum substantiæ reducitur. Tum præterea ratio causæ & principij, non est ratio reducendi quicquam ad aliquod prædicamentum: nisi sit ita principium, vt sit de intrinseca entitate & constitutione rei quæ directè ponitur in prædicamento, & ita reducitur, sicut dicebamus de partibus inclusis in toto. Hoc modo punctum reducitur ad lineam, & vnitas ad numerum, in prædicamento quantitatis. Deus ergo quatenus principium & causa effectiua rerum, non reducitur ad prædicamenta rerum. Tum demum, supposito quòd prædicamenta directè constituantur ex rebus creatis: certè dici non debet, Deum reduci ad res creatas; sed potius res creatas, & omnia earum prædicamenta, reduci ad Deum vt ad primam causam: dici non debet, Deum contineri in prædicamentis rerum creatarum, sed potius res creatas & ipsa prædicamenta contineri eminẽter & virtualiter in Deo tanquam in prima causa.

Septimò. Ex his vlterius aliqui addiderunt, nec etiam Christum Dominum esse in prædicamento substantiæ, etiam quatenus homo quidam est: quia includit naturam & subsistentiam diuinam. Concedendum tamen est, Christum Dominum ratione humanæ naturæ verè poni in hoc prædicamento. Ita sumitur ex S. Tho. 3. p. q. 2. ar. 5. vbi docet, hominẽ dici vniuocè de Christo & alijs hominibus. Idem tractat latè Fons. lib. 5. Metaph. cap. 8. q. 7. Sed breuiter suadetur: quia sufficit conuenientia in natura ponibili in prædicamento: sed verè Christus conuenit essentialiter in natura humana quæ ponitur in hoc prædicamento: ergo licèt quatenus Deus non ponatur, ponitur tamen quatenus homo. *Christus tamẽ quatenus homo ponitur in prædicamento.*

Dico tertiò. Sunt quidem diuersa genera, substantia corporea & incorporea, corruptibilis & incorruptibilis: tamen habent supra se genus commune substantiæ, & rectè substantia sic in communi assignata est genus generalissimum, & factum est vnum substantiæ prædicamentum, in quo directè omnia illa genera collocantur. Hæc conclusio facilè ostenditur, quia datur planè conceptus vnus substantiæ abstrahens ab illis, ijsque communis secundùm rationem per se existendi. Vnde substantia in communi, siue substantia creata de qua iam loquimur, est verè genus ad illas substãtias. Nec etiam inter illas intercedit ordo dependentiæ essentialis, sicut inter substantiam creatam & increatam. Nec alia ratio vel conuenientia suadebat, plura debere substantiarum sicut accidentium prædicamenta distingui: ergo optimè factum est vnum substantiæ prædicamentum, habens illud vnum genus generalissimũ, & directè complectens omnes illas substantias. *Substãtiæ spirituales & incorruptibiles ponuntur in prædicamẽto.*

Nec obstat dictum illud Arist. corruptibile & incorruptibile sunt diuersa genere. Non enim docere voluit, ita esse diuersa genera, vt non in alio communi & superiori genere conuenirent. Sed præcipuè hic locus solet exponi, distinguendo duplex genus, aliud metaphysicum de quo hic loquimur, aliud physicum intelligendo materiam ex qua naturalia corpora

pora constant: & ita dicendo, Arist. esse loquutum de genere physico; & docere voluisse, diuersam esse materiam rerum corruptibilium & incorruptibilium: qui sensus est conformis textui; & colligitur etiam ex cap. præcedenti: & quia alibi etiam Arist. solet in eodem sensu vti nomine generis. Quædam alia loca Arist. minoris momenti, explicat Tolet. q.2. Et ad illa loca quæ afferebat Vallius cap. 5. ipsemet respondet cap. 7.

Nec rursus obstat, quod quidam recentiores dubitant, quonam modo substantia illa communis habeat differentias à quibus perfectè præscindat; quoniam differentiæ per quas vltimò constituuntur substantia corporea & spiritualis, corruptibilis & incorruptibilis, sunt essentialiter substantiales. Hoc inquam non debet obstare: quia eadē adhuc militat difficultas, si sumatur genus substantiæ corporeæ & corruptibilis. Nam pariter differentiæ per quas constituuntur species huius substantiæ, sunt essentialiter substantiales corporeæ & corruptibiles. Sed iam ex antea dictis patet, non requiri perfectam præcisionem inter naturam genericam & differentias proprias atque adæquatas speciebus.

SECTIO QVARTA.

De diuisione generum & specierum substantiæ, & coordinatione totius prædicamenti.

Diuisio et coordinatio Porph.

SVpponi ferè videtur, diuisionem generum & specierum substantiæ, & coordinationem prædicamenti, vno solo certo modo fieri posse: ita vt determinata sint quædam, & non sint alia genera, in quæ immediatè substantia diuidi debeat, & ita etiam alia sub illis vsque ad infimas species. Hic autem modus apud Porphyr. in cap. de Specie est; primo diuidendo substantiam in corpus & spiritum: secundò corpus in animatum & inanimatum: tertiò corpus animatum in animal & plantam: quartò animal in rationale & irrationale: quintò ex mente Porphyr. animal rationale diuidendum erat in Angelum & hominem.

Diuisio et coordinatio aliorū.

Non defuerunt qui huic modo diuidendi & coordinandi se opponentes, voluerint, aliter debere hæc gña diuidi. Louan. voluit, prius debere diuidi corpus in corruptibile & incorruptibile, & postea corruptibile in animatū & inaīatum. Alij dixerunt, debere prius diuidi corpus in simplex quod complectitur cælos & elementa, & mixtum: mixtum verò diuidi debere in animatum & inanimatum. Alij notarunt, non debere immediatè diuidi animal in rationale & irrationale, seu in hominem & brutum, sed prius debere diuidi in animal terrestre aquatile & volatile: illud rursus in gressibile & reptile: gressibile in bipes quadrupes &c. Nam Arist. in hoc cap. expressit, quasdam ex ijs differentijs essentialiter conuenire homini. Alij demum alias diuisiones inuexerunt.

Non vno solo modo, potest hæc diuisio & coordinatio fieri.

At verò hæc satis ostendunt, non vno tantùm modo posse fieri diuisionem & coordinationem prædicamentis nec esse determinatum & præfixum, vt talia & non alia genera debeant sub tali superiore genere designari. Quinimo dicendum est, pluribus ac varijs modis æquè benè & immmediatè posse diuisiones & coordinationes fieri, ac genera & species designari. Nimirum iuxta varias conuenientias & differentias, quæ inter varia genera & species considerari possunt. Et patet ex dictis in superioribus, præsertim quæst. 13. sect. 1.

Atque in primis, genus generalissimum substantiæ potest immediatè & adæquatè diuidi, non solùm per substantiam corpoream & incorpoream, sed pariter per corruptibilem & incorruptibilem. Nam Angeli qui sunt substantiæ incorporeæ, vtique conueniunt in genere substantiæ incorruptibilis cum corporibus cælestibus. Similiter potest diuidi per viuentem & non viuentem. Nam Angeli in genere substantiæ viuentis verè conueniunt cum corporibus viuentibus. Deinde quocunque modo sumantur & designentur hæc prima genera substantiæ, possunt rursus varijs modis diuidi, & sic varia alia genera designari & coordinari in recta linea prædicamenti.

Vnus quidam modus diui-

Ad euitandam tamen confusionem & nimiam multiplicitatem, satis erit vno aliquo modo, qui magis notus & receptus

sionis & coordinationis affertur. ptus sit, hanc diuisionem & coordinationem prosequi. Et quidem ille modus quem Porphyrius posuit, ex parte aptus est. Addi tamen debet, substantiam spiritualem rursus diuidi per varios ordines & choros Angelorum, inter quos credendum est etiam plura genera mediare antequam ad infimas Angelorum species descendatur. Rursus corpus etiam inanimatum diuiditur in simplex & mixtum: simplex in cæleste & elementare: cæleste in plures cælos & astra: elemẽtum in quatuor elementa: mixtum, in lapides, metalla, varios liquores, & quæ alia sunt mixta vitæ expertia. Corpus animatum benè diuiditur in vegetatiuum & sensitiuum. Vegetatiuum continet sub se diuersa plantarum genera, quæ præsertim in tribus vel quatuor gradibus in communi distingui solent: & sunt, arbor, frutex, herba, aut etiam radix; vt affert Tolet. q. 4. Sed in his etiam varij gradus conuenientiæ, & plura genera subordinata considerari possunt. Corpus sensitiuum, idest animal, potest varijs modis diuidi, vt patet ex dictis. Præcipuè tamen diuidi solet per rationale & irrationale. Irrationale quod est brutum, diuiditur rursus per varia genera & species. Rationale autem non debet diuidi in Angelum & hominem: quia supponimus Angelos non esse corporeos, nec sensitiuos, nec in animalis genere contineri; sed adæquatè animal rationale conuertitur cum homine. Demum sub singulis infimis speciebus indiuidua continentur, quæ sunt primæ substantiæ quæ omnibus substant.

SECTIO QVINTA.
De Attributis & Proprietatibus Substantiæ.

IN maiore huius capitis parte, Arist. explicat proprietates seu attributa substantiæ, quæ vtique multum deseruiunt ad inspiciendam ipsam essentialem substantiæ rationem. Dicimus autem proprietates, non solum quæ sint proprię quarto illo modo quem in cap. de Propr. Porphyr. assignauit; sed etiam si se habeant aliquo alio modo ex illis. Et quia rursus in alijs prædicamentis attribuuntur aliqua quę nullo ex illis modis sint ijs propria: ideò coniungimus de attributis & proprietatibus.

Prima proprietas quam Arist. substantię attribuit, est, non esse in subiecto. Intelligitur autem non esse in subiecto inhęsionis, idest non inhęrere subiecto. Hęc negatio conuenit substantię ex vi eius rationis essentialis qua habet esse per se. Et conuenit omni substantiæ. Nam etiam secundę substantię de subiecto quidem dicuntur, non tamen in subiecto sunt, idest non inhęrent primis substantijs. Et partes sunt quidem in toto, non tamen tanquam in subiecto: non illi inhærent, sed illud constituunt. Formæ quoque substantiales recipiuntur quidem in materia: imo formæ materiales ab illa ita dependent, quòd natura sua non possint extra materiam separatę consistere: tamen adhuc dicuntur non inhærere ad modum accidentium: præsertim quia ita cum materia vniuntur, vt cum illa perficiant & constituant compositum per se vnum de genere substantiæ, accidentia autem non item. Sed de formis substantialibus, & quomodo sint substantiæ, erit specialiter suo loco agendum. *Prima proprietas, nõ esse in subiecto.*

Addit Aristot. hanc proprietatem non solis substantijs, sed etiam differentijs conuenire, quas ait dici quidem de subiecto sicut secundas substantias, non tamen esse in subiecto. Et augetur difficultas: quia hoc eod. cap. concedit, partes quæ sunt in toto esse substantias. Hinc aliqui absolutè dixerunt, differentias substantiarum non esse substantias, sed esse potius qualitates. Certum tamen est, differentias substantiarum non posse esse de genere accidentium. Et Arist. ipse 7. Metaph. 43. dixit, substantias non posse constare ex non substantijs. Verè ergo sunt de genere substantię, saltem reductiuè; & in diuisione generali entis per substantiam & accidens, sub nomine substantiæ continentur. Arist. autem, quãdo eo modo loquutus est, accepit substantias, pro ijs quę non solùm in essendo, sed etiam in modo prædicandi, se habent per modum per se stantis, vt se habent genera & species quæ dicuntur in quid: differentię autem prędicantur per modum adiacentis. Et ideò partes appellauit substantias, quia etiam partes dicuntur substantiuè & in quid; caput, manus, &c. *Est adæquata substantiæ.*

Itaque

Itaque hæc proprietas est adæquata substantiæ in tota sua latitudine, & non solùm conuenit substantiæ quæ directè in linea huius prædicamenti disponitur, sed omni prorsus substantiæ. Vnde respectu substantiæ sic sumptæ, est verè proprietas quarto modo, conueniens omni soli & semper.

Secunda proprietas secunda substãtia, vniuocè prædicari de prima.

Secunda proprietas quam Aristot. secundis substantijs attribuit, est, vniuocè prædicari. Intelligit autem de primis substantijs: alioqui etiam genera & species accidentium vniuocè essentialiter de suis inferioribus prædicantur. Et intelligit prædicari essentialiter: alioqui etiam accidentia prædicantur de primis substantijs, sed tamen accidentaliter. Quomodo autem dicat, accidētia prædicari nomine, nō autem ratione & definitione de primis substantijs, explicauimus quest. 15. sect. 1. Docet etiam rectè Arist. differentias substantiales prædicari etiam hoc modo vniuocè de primis substantijs.

Tertia proprietas prima substãtia, significare hoc aliquid.

Tertia proprietas quam Aristot. ait videri quidem omnibus substantijs conuenire, est, significare hoc aliquid: reuera tamen ait solis primis substantijs conuenire: secundas autem substantias potius significare quale quid. Hæc res obscura & difficilis Expositoribus visa est. Vnde varijs modis illam explicare conati sunt. Sed certè tota difficultas cōsistit in explicatione illorum terminorum, hoc aliquid, & quale quid. Qui licèt varijs modis accipi & explicari possint: tamen hoc loco nil aliud quęrendum est, nisi quomodo illos accipiat Aristot. Ex verbis ergo ipsius satis apertè colligitur, hoc aliquid esse rem per se subsistentem indiuiduam singularem. *Indiuiduum enim*, inquit, *est & vnum numero quod significatur*. Quale quid verò esse naturam substantialem quidem, tamen vniuersalem & communem multis. *Neque enim*, inquit, *vnum est quod subiectum est, quemadmodum prima substantia: sed de multis homo dicitur, & animal*. Itaque prima substantia significat hoc aliquid, idest rem per se subsistentem singularem. Secunda autem substantia videtur etiam significare hoc aliquid, quia dicitur per modum termini absoluti & substantiui: tamen potius significat quale quid, quia dicit naturam substantialem communem. Vnde non sumitur hic significare quale quid, sicut sumebatur prędicari in quale, quando differentia dicebatur prędicari in quale, ad discrimen generis quod dicebatur in quid: sed sumitur magis amplè pro eo quod est significare naturam vniuersalem, ad discrimen primę & singularis substantię.

Addit prętereà S. Thom. 1. part. quęst. 75. art. 2. ad primū, hoc aliquid posse accipi dupliciter; vel pro substantia totali & completa, & sic partes substantiales non esse hoc aliquid; vel pro quacunque substantia siue totali siue partiali, & sic etiam partes substantiales esse hoc aliquid.

Cur secūda substãtia dicatur significare quale quid.

Reddit etiam rationē Sanctus Thomas Opusc. 42. cap. 9. & cum illo Caietanus hoc loco, & Capreol. in 3. dist. 5. quęst. 3. ad 8. contra 3. concl. cur secunda substantia dicatur significare quale quid: quia scilicet significat substantiam in vniuersali, vniuersalitas autem est accidens rationis, & ideo Aristot. ait secundas substantias determinare qualitatem circa substantiam, ad differentiam naturarum accidentalium; idest addere accidens rationis supra naturam verè substantialem. Tolet. hic quęst. 6. aliam rationem reddit: quia natura substantialis cùm non sit in subiecto inhæsionis, dicatur tamen de subiecto & sit in subiecto prędicationis; est quidem substantia, tamen degenerat à perfecta ratione substantiæ, & quodammodo imitatur rationem accidentis: ideo dicitur significare quale quid. Alij dicunt: quia natura substãtialis se habet tanquam forma & perfectio singularium, nomen autem qualitatis interdum sumitur non pro accidenti, sed pro forma & perfectione rei, etiam si essentialis & substantialis sit: ideo dici significare quale quid.

Cæterùm, quia significare est proprium officium nominum; nomina enim significant, res verò significantur: hæc proprietas significandi hoc aliquid & quale quid, in rigore competit nominibus primarum & secundarum substantiarum. Ipsis autem rebus debet hæc proprietas passiuè applicari: idest significari vt hoc aliquid, est proprietas primæ substantiæ: significari vt quale quid, est proprietas secundæ substantiæ.

Quarta

Quarta proprietas, non habere cõtrarium. Quarta proprietas cõmunis omni substantiæ tàm secundæ quàm primæ est, non habere contrarium. Imo hæc proprietas est communis, non solùm illis substantijs quæ directè, sed etiam alijs quæ reductiuè in prædicamento ponuntur. Et ratio vniuersalis huius proprietatis est: quia contraria sunt illa quæ se expellunt ab eodem subiecto: cùm ergo substantia non sit in subiecto, non habet quicquam per quod expellatur à subiecto, & ita non habet contrarium. Intelligitur autem hic contrarietas propriè dicta, quam explicabimus in Postprædicam. Vnde hæc proprietas conuenit etiam formis substantialibus. quia hæ, licèt sint inter se oppositæ & incompossibiles, & per aduentum vnius excludatur alia ab eadem materia: tamen adhuc non dicuntur contrariæ contrarietate propriè sumpta, quia non insunt materiæ tanquam subiecto inhæsionis. Atque adeò sicut saluatur in illis vera ratio substantiæ, vt antea dicebamus: ita etiam saluatur, illas non esse sibi contrarias.

Non conuenit soli substantiæ. Addit Arist. hoc non esse proprium soli substantiæ; quin etiam quantitatem non habere contrarium. Et ratio quare non oporteat hoc esse proprium soli substantiæ, est: quia licèt substantia, cùm non sit in subiecto, non habeat contrariũ, idest per quod expellatur à subiecto: tamen non necesse est, vt omne quod est in subiecto, habeat aliquod contrarium per quod expelli possit à subiecto. Quomodo autem quantitas sit huiusmodi quæ non habeat contrarium, inter proprietates quantitatis videbimus.

Quinta, non suscipere magis & minus. Quinta proprietas communis etiam omni substantiæ est, non suscipere magis & minus. Quod Arist. explicat, non intelligi quoad ipsam rationem & denominationem substantiæ. Nam sic potius docuerat, primam esse magis substantiam quàm secundam. Sed intelligi secundùm proprias & speciales rationes substantiarum. Hoc est, vnus homo non est magis homo quam alius: nec idem homo potest successiuè fieri magis aut minus homo: sicut vnum album est magis album quàm aliud; & idem subiectum potest successiuè fieri magis aut minus album. Dixerat etiam supra, vnam secundam substantiam non esse magis substantiam quam aliam secundam; nec vnam primam magis quàm aliam primam. Sic homo non est magis substantia quàm equus, neque hic homo hoc equo. Addi tamen potest, etiam comparando primam cum secunda substantia, primam non esse magis substantiam per maiorem intensionem. Et ita adæquatè verum est, substantiam non suscipere magis & minus, eo modo quo suscipiunt qualitates, licèt per quandam aliam denominationem prima substantia dicatur magis substantia.

Prouenit autem hæc proprietas ex eo quòd substantia non habet in sua entitate latitudinem intensiuam, sicut habent qualitates. Aliqua tamen difficultas est de quibusdam formis substantialibus, præsertim de formis elementorum. Sed de his etiam verum est, non suscipere magis & minus. De qua re in Philos. agendum erit. Verum est etiam, hanc proprietatem non soli substantiæ conuenire. Nam conuenit etiam quantitati, vt in proprio prædicam. dicemus, quibusdam etiam qualitatibus, & multis alijs accidentibus, vt ex singulorum tractatione constabit.

Sexta, posse suscipere contraria. Sexta & vlt. proprietas, quã Arist. docet esse maximè propriam substãtiæ, est, posse suscipere contraria, non quidem simul, sed successiuè trãseundo de vno ad aliud: ita vt vna & eadem substantia modò habeat vnum contrarium & modò aliud. Sic vnus & idem homo potest esse albus & niger, calidus & frigidus, studiosus & prauus. Potest autem magis absolutè hæc proprietas designari, posse suscipere accidentia. Nam substantia est accidentium susceptiua, siue hęc contraria sint, siue non secum ferant contrarietatem. Et hinc sumpta est vna explicatio nominis substantię, quia substat accidentibus.

An conueniat omni substãtiæ. Non verò docet Aristot. hanc proprietatem esse communem omni substantiæ: sed dixit esse maximè propriam, vt soli substantię illam tribueret. Et quidem non solùm non conuenit Deo, qui vt dicebamus est perfectissima substantia, sed tamen nullo modo in hoc prędicamento includebatur: sed etiam non conuenit omnibus ijs, quę ita participant rationẽ substantię creatę, vt saltem reductiuè ad hoc prędicamentum trahantur. Sic dantur aliqui modi substantiales, videlicet modus

modus subsistentiæ, modus vnionis inter materiam & formam, & si qui sunt alij similes, qui non recipiunt in se contraria: & de formis substantialibus sub quæstione manet, an vnà cum materia in se recipiant accidentia. Attamen saltem de omni substantia completa quæ directè ponitur in prædicaméto, affirmãdum est, esse accidentium susceptiuam. Nam tàm substantiæ spirituales quàm corporeæ habent sua accidentia, & non est putãda possibilis substantia creata omnis accidentis expers. Esse inquam susceptiuam contrariorũ. Nam licèt aliqui hoc ad solas substantias corruptibiles putauerint restringendum. Tamen certè etiam Angeli sunt capaces ex natura sua actuum contrariorum, tàm in voluntate quàm intellectu: & Cæli sunt capaces motuum contrariorum secundùm locum, & de facto saltem secundùm partes sic mouentur, dum eadem pars modò mouetur de oriente in occidentem in nostro emispherio, modò è conuerso dum est in altero emisphe rio.

Quomodo conueniat soli.

Asserit autem Arist. hanc proprietatem soli substantiæ conuenire. Quod ostendendum est & defendendum, satisfaciendo quibusdam difficultatibus in contrarium occurrentibus. Prima est quam affert ipse Arist. Eadem oratio, idest propositio, eadem opinio, potest mutari de vera in falsam: vtpote si quopiam affirmante vel opinante Petrum sedere, interim Petrus surgat: veritas autem & falsitas contraria sunt; & oratio vel opinio non est substantia. Respondet sufficienter Arist. orationem & opinionem non mutari in se ipsa, nec variari per mutationem sui: sed mutationem fieri in obiecto aliter & aliter se habente, vt patet: & inde redundat denominatio veritatis aut falsitatis in opinione. Proprium autem esse solius substantiæ, suscipere contraria per mutationem sui, seu per successionem accidentium in ipsa substantia. Responderi etiam potest, non esse eandem numero orationem aut opinionem, illam quæ mutatur de vera in falsam: de qua re in proprio loco de secunda operatione agendum erit. Rursus responderi posset, orationem & opinionem non esse primum & principale subiectum: quia cum sint accidentia, recipiuntur in substantia, sicut infra de quantitate dicemus. Sed tamen, quia denominationes veritatis & falsitatis non attribuuntur substantiæ quæ est subiectum orationis & opinionis, sicut accidentia quæ insunt quantitati denominant substantiam: ideò Aristoteles illo potius modo voluit respondere.

Quomodo oratio & opinio possit mutari de vera in falsã.

Quo actio humana possit mutari de bona in malam.

Secunda alia similis difficultas est. Potest eadem actio humana mutari de bona in malam, vt in moralibus tractatur: ergo non solũ substantia est susceptiua contrariorum. Respondetur, non solùm rem esse satis controuersam; & præterea actionem esse accidens quod tandem in substãtia subiectatur: sed præsertim actionem eo modo mutari per mutationem alicuius circumstantiæ ex qua sumatur denominatio bonitatis aut malitiæ, non autem per susceptionem aliquorum accidentium in se. Itaque eadem responsio Arist. de oratione & opinione, procedit etiam de actione morali.

Quomodo quantitas recipiat alia accidẽtia etiã cõtraria.

Tertia difficultas est. Quantitas, iuxta receptam Philosophorum sententiam, est proximum subiectum aliorum accidentium materialium, & immediatè suscipit contraria. Præterea potentiæ vitales sunt proximum & immediatum subiectum suorum actuum, qui etiam sæpè cõtrarij sunt. Possunt ergo accidentia suscipere alia accidentia etiam contraria. Igitur non est id proprium substantiæ. Propter hoc distinguitur duplex subiectum, vnum primum & principale, aliud secundarium & minùs principale: illud dicitur vt quod, aliud dicitur vt quo, idest mediante quo illud primum recipit & sustinet accidentia. Potest ergo etiam aliquod accidẽs esse subiectum minùs principale, quod est immediatum & proximum alterius accidentis. Sed subiectum primum & principale non potest esse nisi substantia. Et hinc apparet ratio a priori, cur hæc sit proprietas solius substantiæ: quia nimirum sola substantia est quæ primo & per se existit, & in qua omne accidens existit.

Præsertim in Sacramento Eucharistiæ.

Quartò. Adhuc superest difficultas ex mysterio Eucharistiæ: ibi enim quantitas est primũ & principale subiectũ aliorũ accidentium panis & vini, cùm ipsa quantitas in illo admirabili Sacramento non habeat pro suo subiecto substantiam. Rñdetur. Hęc difficultas fieri etiã posset ad pro-

 bandum,

bandum, non esse proprietatē solius substantiæ non esse in subiecto, imo non esse rationem essentialem propriam substātiæ per se existere. Dicendum ergo, has omnes rationes esse solius substātię proprias, quatenus illi connaturaliter & ex vi intrinseca ipsi substantiæ conuenientes: at posse supernaturaliter & per Dei potentiam communicari quantitati. Idest proprium solius substantiæ est, esse ex natura sua primum subiectū accidentium, ex natura sua nō esse in subiecto, sed per se existere. & nunquam fit, nec fieri potest, vt vllum accidens sit ex natura sua primum subiectū per se existens & non in alio subiecto: sed solùm fit, vt per miraculum per se existat, sitquè primum subiectum quantitas.

QVÆSTIO DECIMAOCTAVA.

De Prædicamento Quantitatis.

ARchitas, qui primus creditur Prædicamentorum inuentor, secundo loco, non quantitatē, sed qualitatem, immediatē post substantiā ordinasse refertur Et poterant huius ordinis rationes esse. Quia amplior & nobilior apparet qualitas quantitate. Qualitas enim conuenit etiam separatis substantijs, & in se continet quædam præclarissima accidentia. Imo in ipsamet substantia corporea, si quantitas & qualitas comparentur, quantitas adscribitur materiæ, qualitas formæ; forma autem materiæ præcellit. Propter hęc laborant Peripatetici hoc loco, vt iuxta Arist. ordinē quantitatem meritò fuisse qualitati prælatam defendant. Pluresq. congerunt rationes.

Ordinis ratio. Pręcipuę & meliores sunt. Quoniam quantitas magnam cum substantia similitudinem habet: & Arist. quasdā proprietates facit substantiæ quantitatiq. cōes. Quantitas proximè substantiā comitatur. Nā substantia corporea statim secū affert extēsionis quantitatiuæ conceptū. Et substantia omnis, dum est, vna est; & si alia adsit, duę sunt: at vnum & duo, omnisq. numerus, quantitatē sonat. Rursus quātitas continua permanens censetur aliorū accidentium proximum in substantia materiali subiectum, atque adeò ipsius qualitatis. Et licèt hęc quantitas non insit substantijs separatis: tamen si quantitas omnem motum & numerum complectatur; etiam ipsæ substantiæ separatę non sunt quantitatis expertes. Et licèt multæ qualitates quantitati nobilitate præcedant: tamen si quantitas causalitate præcedit, est potius præferenda. Vnde demum licèt forma dignitate, tamen materia pariter causalitate præcedit. Hæc satis ostendunt, non immeritò quantitati secundum inter prædicamenta, qualitatequè priorem locum, fuisse concessum.

SECTIO PRIMA.
Quid sit Quantitas.

Quantitatis nomen quid significet. QVantitatis nomen interdum magis amplè sumitur, quàm latitudo huius prædicamenti poscat. Vnde distingui solet duplex quantitatis significatū. Quędā dicitur quātitas virtutis seu perfectionis. Quædam quantitas molis seu dimensionis. Quantitas virtutis ad oēs res potest extendi: Dicit enim perfectionem vniuscuiusque rei. Hinc interrogari solet, quanta sit perfectio huius atque illius rei. Et suscipit denominationes finiti & infiniti, tāti & tāti, æqualis & inæqualis, maioris & minoris: quæ loquendi formulę in quantitatis nomine fundātur. Et ita hoc tàm amplum quantitatis significatum exposcunt. Sed hoc non pōt certum prædicamentū constituere; quandoquidem vagatur per omnia. Quantitas molis seu dimensionis magis propriè sumitur pro quātitate rerum corporalium, idest pro magnitudine & extēsione harū rerū. Sed hęc nō cōplectitur oēm quantitatē, quæ in hoc prędicam. distinguitur. Itaq. sumi dēt pro quātitate propria quidē, sed adæquata huius prædicamēti: quæ optimè dici poterit quantitas prædicam.

Vt ergo explicetur, quid sit quantitas hoc modo sumpta: Arist. quidem hìc non definiuit quantitatē in genere: sed in primis *Quātitas in genere an defi-*

nienda sit. mis verbis exorsus est à diuisione in continuam & discretam. Aliqui illum excusant, eo quòd genera generalissima non sunt definitionis capacia. Sed non satisfaciunt; quia saltem possunt suo modo describi & quidditatiuè explicari. Albert. tract. de Quant. cap. 1. & Sotus q. 1. dicũt, Arist. considerasse quantitatem secundùm rationem mensuræ: & vt sic quantitatem continuam & discretam nõ conuenire in vna ratione mensuræ, quæ vna definitione explicari potuerit. Sed sic Arist. potius accusant. Tum quòd non attigerit quantitatem secundùm eius essentiam, sed secundùm certam quandam passionem. Tum quòd cùm possit considerari quantitas secundùm rationem vnam, continuæ & discretæ communem, vt ipsi supponunt: id omiserit. Et quasi dicunt, quantitatẽ continuam & discretam non hic coniungi secundùm vniuocam conuenientiam, sed solùm secundùm analogicam, vel æquiuocam. Tum demum quòd etiam secundùm rationem mensuræ poterat aliquo modo in communi quantitas explicari. Alij aliter conati sunt Arist. excusare.

Sed non oportet hac de re nimis esse sollicitos, quasi quantitatem solam omiserit definire. Nam nec substantiam antea definiuit: sed prædicam. inchoauit à diuisione substantiæ in primam & secundã, & in alijs sequentibus prædicamẽtis vix aliqua in communi definiuit. Satis sit ergo dicere. quia Arist. non exactè de his rebus hoc loco tractabat, ideò non curasse communes definitiones tradere, sed maluisse per diuisiones explicare quãtùm oportebat. Nisi dicere placeat, voluisse prius quantitatem in continuã & discretã diuidere: quia prædicamẽtum non erat ex vtraque constituendũ: sed ad designandam quantitatem continuam, ex qua propriè prædicamentum constituendum sit. Cæterùm hæc non obstant, quominus nos quantitatem in communi definire & explicare conemur. Quando & ipse Arist. alibi præstitit, quod hic omisit: & 5. Met. tex. 18. quantitatem cõmuniter definiuit.

Ex Arist. definitur. Ergo nunc satis erit illa ipsa definitio quam Arist. ibi tradidit, dicens: *Quantum est, quod est diuisibile in ea quæ sibi insunt, quorum singula apta sunt esse vnum quid.* Vnde quantitas in abstracto dicetur: est accidens, est forma, siue est id quod reddit res diuisibiles &c. Dum dicitur, quantum est diuisibile, significatur habere partes ex quibus constet, alioqui diuidi non posset. Et sic excluduntur omnes res indiuisibiles & simplices, nõ cõstantes partibus. Debet etiam intelligi diuisibile naturaliter, idest per facultatẽ & vires naturales, non recurrendo ad Dei potentiã absolutam. Vnde excluduntur illa, quę licèt possint à Deo diuidi & separari: non tamen possunt per causas naturales. Præcipuè qualitas intensa: quæ si constet gradibus intensiuis, potest quidem Deus hos gradus diuidere & separare: hoc tamẽ naturaliter fieri nõ pôt, ita vt gradus separati permaneant. Itaque intensio qualitatis non est quantitas huius prædicamenti.

Deinde dum dicitur in ea quæ insunt, significatur, partes in quas diuiditur quãtum, fuisse formaliter in ipso quãto. Vnde excluditur mixtum ex elementis quatenus mixtũ: idest ipsa mixtio ex elementis non est quantitas. Quoniam licèt mixtum diuidatur seu resoluatur in elemẽta: tamen elementa non inerant formaliter sed tantùm virtualiter in mixto. Illi autem qui volũt elemẽta esse formaliter in mixto, dicere adhuc debent mixtum excludi quia elementa non sunt partes integrales mixti, sed essentiales seu physicæ. Quantum autem est diuisibile in ea quæ sibi integraliter insunt.

Demum dicitur, quorum singula apta sunt esse vnum quid, idest vnũ aliquid totale, siue totum quid. Per quod excluditur compositum ex materia & forma, siue ipsa cõpositio, quæ vtique non est formaliter quantitas. Quoniam licèt possint materia & forma diuidi & separari, vt contingit in morte hominis: tamen nec materia nec forma separata, est aliquid totũ. At in diuisione quantitatiua, quæ separata permanent, singula sunt totum quid integrale. Ita patet, qualiter hæc definitio soli quãtitati conueniat, & alia excludat. Quę adhuc clariùs excluduntur, definiẽdo quantitatem in abstracto: est accidens per quod subiectum redditur diuisibile. Nam per intensionem qualitatis non vtique redditur diuisibile ipsum subiectum. Nec cõpositio mixti ex elemẽtis, & corporis substantialis ex materia & forma, est accidens reddens subiectũ diuisibile.

Conuenit etiam definitio omni quantitati *Omniquã*

titati defi nitio appli catur. titati & singulis speciebus eius. Conuenit quantitati continuæ, cuius partes actu vnitæ & coniunctæ sunt: separari tamen & distingui possunt, vt clarissimum est. Aliqua difficultas esse pōt de quantitate discreta. Quoniam cùm eius partes vnitæ non sint: non tàm valet dicere, illam esse diuisibilē, quàm potius esse diuisam. Hoc tamen non obstat. Tum quia diuisibile hic sumitur, non ad excludendum quod est actu diuisum, sed quod nec actu nec potentia diuisionem admittit. Tum quia etiam si sumatur pro diuisibili solùm in potentia: quantitas discreta potest vlterius diuidi hoc modo. Si sumatur numerus denarius, vtique colligit in se & includit per aggregationem decem vnitates: & poterit diuidi in duos quinarios. & sic omnis numerus potest diuidi, etiam binarius in duas vnitates. Hoc voluit Arist. ibi 5. Met. dicens, multitudinem esse quæ potentia diuisibilis est in non continua.

Rursus tradita diuisio conuenit, tum quantitati permanenti, quæ tota simul existit, & partes eius tàm separatæ, quàm coniunctæ simul existere possunt: tum etiam quantitati successiuæ, qualis est motus & tempus. Quia licèt non existat tota simul secundùm suas partes: tamen successiuè suo modo cōiunguntur, & vna pars sequitur post aliam. Atque de illa optimè dicere valet, posse diuidi, & partes posse separari.

Præterea conuenit tum quantitati rerum corruptibilium, in quibus de facto passim diuiditur & separatur: tum etiam quantitati rerum incorruptibilium, videlicet corporum cælestium. Quoniam licèt prout est in tali subiecto non possit per causam aliquam naturalem diuidi & secari: tamen satis est; quòd secundū speciem suam diuidi possit, & ex parte sua non refugit diuidi. Ita etiā conuenit omni quantitati quantumuis minimæ: quia quęcunque quantitas secundùm se diuisibilis est in partes. Et licèt exigua quædā quantitas, dum est separata, non possit per instrumenta consueta secari: tamen si sit coniuncta cum alijs partibus, potest facilè in quolibet sui puncto diuidi.

Etiā quā titati infi nita. Demum ratio explicata quantitatis cōuenit, tum quantitati finitæ; tum etiā infinitæ, si daretur, aut si dari potest. Nonnulli quidem dixerunt, in hoc prædicam. solùm assignari & definiri quantitatem finitam. Quia Arist. 5. Met. cap. 13. dixit: *Multitudo quantum quid, si numerabilis est: magnitudo verò, mensurabilis.* Numerabile enim & mensurabile conuenit tantùm quantitati finitæ. Fauet S. Thom. 1. par. q. 7. art. 3. & 4. & alij, qui hac ratione negant, esse possibilem quantitatem finitam, quoniam in nulla certa specie & genere collocaretur. Aliqui verò concedunt quantitatem continuam; negant discretam infinitam, in hoc prædicam. contineri. Ita defendit Ruuius hic q. 10. Disparitatem assignat, quia multitudo essentialiter constituitur per vnitates; vnde distinguitur specie per variationem cuiuslibet vnitatis, & sic esset essentialiter infinita: at essentia infinita non ponitur in prædic. sed magnitudo esset tantùm accidentaliter seu integraliter infinita.

Absolutè tamen dicendum est, etiam quantitatem infinitam participare definitionem traditam quantitatis, & verè in hoc prædicam. collocari. Ita plures hoc loco, Sonc. 5. Met. q. 15. & alij circa illum locum Arist. Colligit Soncin. ex Arist. 6. Top. dicente, quòd si esset linea infinita, adhuc ei conueniret ratio & definitio lineæ. Ratione patet. quia sine dubio posset formari conceptus cōis quantitatis, abstrahendo à finita & infinita, cui adæquatur definitio tradita: & hic cōceptus erit vniuocus. Neq. adest fundamentum, cur quantitas infinita deberet ex prædicamentali serie excludi. Eademq. prorsus ratio est de quantitate discreta, atque continua.

Arist. verò vel sumpsit numerari & mēsurari, non adęquatè pro eo quod pōt totū pertransiri: sed quod saltem sui partes pōt accipi sub numero aut mensura. Et ita conuenit etiā quantitati infinitæ. Vel voluit sub genere quantitatis assignare species quantitatis finitæ, non excludendo quantitatem infinitam. Et obseruari potest Aristot. dixisse, multitudo quantum quid, si numerabilis est: idest, est certum, finitum, ac determinatū quantum, quando potest mensurari. Illud verò infinitum, quod est infinitum per essentiam, & ens increatum à quo dependent cætera omnia, non ponitur in prædicamentis. At infinita magnitudo, sic etiam multitudo,

verè

verè in sua peculiari specie consideratur, & optimè potest ac debet in prædicam. collocari. Sicut etiam si daretur qualitas infinita, esset vtique in genere & prædicam. qualitatis, & tempus infinitum in specie temporis. Si tamen omnibus his modis infinitum censeatur impossibile: in nullo prædicamento ponitur. Quia in prædicamentis non ponuntur nisi entia realia possibilia.

Quātitas hic non sumitur secundū rationē mensuræ.

Vlterius circa rationem quantitatis in hoc prædicam. S. Thom. & alij plerique volunt, quantitatem prout in hoc prædicam. logico consideratur, esse definiendam & explicandam per rationem mensuræ. quia Arist. secundùm hanc considerationem videtur hic accipere quantitatem. Hoc sibi persuadent quia sub isto respectu & non aliter potest saluari diuisio specierum quantitatis facta ab Arist. Hoc tamen non benè dicitur quia si ratio mensuræ non est prima essentialis ratio quantitatis, sed est quædam passio: dici non debet esse prima & adæquata ratio, sub qua hic quantitas pertractetur. Sed si in alijs prædicamentis considerantur res, nō præcisè secundùm aliquam suam certam passionem: sed adæquatè secundùm se, idem non est quantitati negādum. Consideratur ergo hic quantitas secundùm se. Sed potest per passiones proprias definiri: sicut in alijs rebus cōtingit. Et ad fundam. oppositæ sententiæ in sequentibus ostendemus, qualiter diuisio specierum quantitatis rectè se habeat.

Quæ sit prima ratio essentialis quātitatis.

Cæterùm grauis quæstio est, quænam sit propriè essentialis ratio quantitatis. Nam diuisibilitas, sicut & ratio mensuræ, aliaque similia attributa, sunt passiones potius quantitatis, & proueniunt ex eo quòd quantitas habet partes extra partes. Vnde frequentiùs solet essentia quantitatis constitui in eo quòd est habere partes extra partes. Et in ordine ad subiectum posset sic quantitas definiri: est accidens dans subiecto extreitatem partium. Sed hoc quomodo intelligatur, est res magnæ discussionis. Et maximè hæc difficultas procedit de quantitate continua siue magnitudine rerum corporearum. De qua re in Philosophia erit plenius disputandum.

Quomodo quantitas

Nunc vnum breue dubium circa communem essentiam quantitatis expediendum restat. quia de ratione vniuscuiusque rei est, vt de se ipsa suisque speciebus dicatur tantùm essentialiter & substantiuè, non autem denominatiuè & velut accidentaliter. Idquè de genere respectu specierum docuit Arist. 2. Top. loco 1. At oppositum in quantitate cernitur. Nam dici solet quantitas quanta, linea quanta, numerus quantus: sic etiam linea longa, superficies lata, corpus profundum, numerus multus. Non autem dicimus qualitas qualis, albedo alba, & sic de cæteris.

prædicetur de se, suisq. speciebus.

Ad hanc difficultatem concedunt aliqui, quantitatem secundùm rationem suā essentialem prædicari sub tali forma denominatiuè, non tamen in sensu denominatiuo, sed essētiali. Et hoc esse peculiare quantitati, vt sub tali forma prædicetur præter morem aliorum prædicamentorū. Ita Tolet. hìc q. 1. fund. 4. & ad 1. Et quidam alij. Sed non benè videtur admitti, quantitatem secūdùm rationem suam essentialem sub tali forma prædicari de ijs de quibus essentialiter dicitur; ita vt prædicatio essentialis sit sub forma denominatiua.

Quidam alij dicunt, in illis propositionibus non prædicari quantitatē de se ipsa suisq. speciebus: sed potius de subiecto suo. Ita vt quando dicitur linea est quanta, est longa; sensus sit de substantia quæ recipit longitudinem lineæ: & ita illas prædicationes esse verè denominatiuas. Sed neque hoc benè dicitur. Nam dicendo quantitas est quanta, magnitudo est magna, linea est longa: propositiones intelliguntur de ipsa quātitate, eiusquè speciebus. Vnde etiam de quantitate separata à subiecto in Sacramēto enunciantur.

Non prædicatur denominatiuè ipsa quantitas, sed affectiones eius.

Melius ergo dicendum est, in illis propositionibus non esse ipsam essentialē rationem quantitatis quæ prædicatur. Sed considerandū est, in ipsa quātitate prēter rōnem eius essentialē reperiri suas affectiones & attributa, esse diuisibilem, esse mensurabilē, esse tantā, &c. Et his etiam affectionibus nomen quātitatis tribuitur: vt habetur planè ex Arist. 5. Met. cap. 13. Nec mirū, cùm quantitatis nomen maximam ampliationem admittat. Hoc supposito: intelligēdæ sunt illæ propositiones in hoc sensu; vt dum dicitur quantitas

quanta, &c. prædicatum ſupponat pro affectionibus quantitatis: ac ſi diceretur, quantitas eſt diuiſibilis, eſt menſurabilis. Aut vt inquiramus, an quantitas ſit tanta vel tanta: interrogamus, quanta ſit iſta quantitas. Sic etiam debet intelligi quando dicitur, linea quanta, linea longa. Et dici ſolet alia linea longa, alia breuis: ſumendo ſcilicet longam, vt dicit tantam aut tantam longitudinem. Sic Ariſt. ipſe loco proximè citato, longum & breue, latum & ſtrictum, humile & profundum, inter paſſiones quantitatis enumerat. At verò ſi ſumatur quantitas ſecundùm rationem ſuam eſſentialem: dici non debet, quantitas eſt quanta, ſed eſt quantitas: non, linea eſt longa, ſed eſt longitudo: non, numerus eſt multus, ſed eſt multitudo: & ſic de reliquis. Neque demum hoc eſt ſingulare in quantitate: Nam etiam in qualitatis exemplo quod in contrarium afferebatur, qualitatis nomen ſumi poteſt ad denotandas differentias qualitatis: ratione quarum denominatiuè dicetur: ſic interrogamus qualis ſit iſta qualitas, an ſpiritualis vel corporea: qualis ſit iſte color, iſte habitus: aliiſuè ſimilibus modis.

SECTIO SECVNDA.

De Diuiſione Quantitatis in Continuam & Diſcretam.

VT inueniatur genus generaliſſimum, & ſpecies deſignentur in hoc prædicamento, per diuiſiones ipſius quantitatis procedendum eſt. Ariſtot. tùm hìc quàm 5. Metaph. quantitatem diuidit in continuam & diſcretam. Vtranque explicat 5. Metaph. per diuiſibilitatem: *Multitudo eſt quæ diuiſibilis eſt in non continua: magnitudo verò quæ in continua.* Verùm neque per hæc nomina omnem quantitatem diſcretam atque continuam videtur complexus: neque ibi amplius explicauit, quæ ſit continua, & quæ non continua. Hoc tamen loco id totum explicauit optimè. Quantitatem diſcretam eſſe, cuius partes non copulantur communi termino: vt patet in numero; partes enim denarij; quinque & quinque, non ſunt vno quopiam communi termino copulatæ. Quantitas continua eſt, cuius partes communi termino copulantur: vt patet in linea cuius partes puncto, & in ſuperficie cuius partes linea, & in corpore cuius partes ſuperficie, copulantur. Diuiſio ſic explicata ſtatim apparet quantitati adæquata. Nam traditur per modum contradictionis, dum dicitur, cuius partes ſunt aut non ſunt copulatæ. Oportet nunc ſpecialiter & diſtinctè de vtraque quantitate diſſerere.

Quãtitas continua & diſcreta ex Ariſtot. explicantur.

Circa quantitatem continuam ſunt maximæ difficultates, de eius partibus, de continuatione, de terminis ſeu indiuiſibilibus continuatiuis, & aliæ quæ planè tranſcendunt tractationem logicam, & in Philoſophia ex profeſſo diſputandæ erunt. Huc modo ſpectat, quomodo rectè quantitas continua ſit ſpecies quantitatis. Includitur enim in quantitate diſcreta, eamquè conſtituit: ita quòd partes quantitatis diſcretæ ſunt ipſæ quantitates continuæ. Sed in prædicamentis non poteſt vna ſpecies eſſe pars conſtitutiua alterius; vt patet ex dictis de prædicamentis in communi. Ergo non poteſt quantitas continua tanquam vna quantitatis ſpecies primariò aſſignari. *De quantitate continua.*

Hoc dubium primò ceſſabit, ſi dicatur quantitas potius diſcreta non eſſe ſpecies quantitatis, de quo mox agendum. Secundò, ſiue non ſit, ſiue ſit ſpecies: tamen conſtat, quantitatem diſcretam conflatam ex pluribus continuis, non eſſe tanquam vnum ens per ſe, eo modo quo compoſitum ex materia & forma conflatur, & quo vnum continuum ex ſuis partibus integratur: ſed tantùm eſſe vnum quid per aggregationem. Illa autem quæ verè ſunt entia incompleta & partialia, conſtituentia aliquid per ſe vnum, non oportet directè poni in prædicamẽto extra ipſum totum quod conſtituunt. Sed quæ non hoc modo ſe habent, debent per ſe directè in prædicam. reponi.

Tertiò. Si dicatur quantitas diſcreta non ex ſolis quantitatibus continuis adæquatè conſurgere, ſed etiam ex ſubſtãtijs, qualitatibus, aliiſquè rebus, quæ vtique in ſuis prædicamentis per ſe ponuntur: ſic etiam ipſa quantitas continua per ſe in prædicamento ponetur. Quartò demum etiam ſi ſumatur quantitas diſcreta præciſè pro illa quæ ex continuis numeratur.

ratur. Tamen certè quantitas continua dupliciter considerari potest. Vno modo prout constituit vnitatem quandam numeri, & plures constituunt totum aliquē numerum. Alio modo prout solùm in se dicit suam extensionem & cōtinuitatem. Primo modo non per se directè ponitur in prædicamento extra quantitatem discretam: sed in illa continetur. Vnitates enim conficientes numerum, quatenus tales sunt, ponuntur in prædicamento per inclusionem in ipso numero: & duo quinarij conficiētes denarium, ponuntur per inclusionem in ipso denario, quatenus sumuntur vt partes eius. Sed secūdo modo quantitas continua est in se & per se ens completum, vt omninò directè & præcipuè sedem in suo prædicamento habere debeat.

De quantitate discreta.

Circa quantitatem discretam est sanè maxima difficultas: tum circa rationem eius: tum circa assignationem specialem in prædicamento. Primò enim dubium est, an sit realis & positiua. Secundò, an à rebus alijs distinguatur. Tertiò, an habeat vnitatem per se, qua differat ab aggregato per accidens. Et demum quartò, quia hæ conditiones supponuntur esse necessariæ ad hoc vt aliquid tanquam vera species in prædicamento ponatur, an sit verè & propriè species prædicamentalis.

Hæc omnia affirmare videntur Auic. lib. 3. Met. cap. 4. Henr. 1. par. art. 29. quæst. 7. S. Thomas 1. par. quæst. 11. art. 1. & 2. & quæst. 30. art. 3. & alibi, cum eoquē Thomistæ communiter, Capreol. in 1. d. 24. quæst. 1. Soncin. 10. Metaph. q. 7. & sequ. Iauell. q. 9. Caiet. Sot. Petrus Niger, Hieron. Pla, Masius, Sanc. Petron. Ruuius, Canterus, Vall. Tolet. & alij in hoc prædicam. Eandem sententiam tenuit Scot. 5. Metaph. q 9. quam postea in dubium reuocauit in 1. d. 24. Et licèt non omnes omnia illa quatuor distinctè affirment: tamen, dicendo numerum esse veram speciem prædicamentalem, alias etiam conditiones videntur supponere: & aliqui apertè illa omnia distinxerunt.

Est alia sententia, quæ negat, numerum esse verè & propriè speciem quantitatis: idquè ex defectu illarum trium conditionum. Ita Albert. lib. 8. Met. tract. 1. cap. 8. Aureol. Ocham. Gregor. Bassol. & alij in 1. d. 24. In re sequuntur Fons. 5. Met. cap. 13. quæst. 4. & Suar. disp. 41. sect. 1. volentes tamen esse tenēdum consuetum loquendi modum, dicendo numerum esse speciem quantitatis.

Quātitas discreta, quo sensu sit realis.

Dico primò. Quantitas discreta in aliquo sensu est realis, in aliquo est opus rationis. Per hanc conclusionem conciliari fortasse poterunt Auctores, alij dicentes numerum esse omnino realem, alij dicentes consistere in apprehensione rationis, & alij dicentes materialiter esse realem formaliter esse rationis. Explicatur & probatur vtraque conclusionis pars.

Quātitas discreta seu numerus est realiter à parte rei, si sumatur pro multitudine rerum, siue pro rebus multis. Nam realiter, & non per cogitationem intellectus, datur hoc modo multitudo in rebus: sunt multi homines, multi lapides, &c. Datur etiam determinata multitudo, certusquè numerus. Re ipsa enim sunt tot cæli & non plures, & sic de alijs rebus. Ac insuper intra aliquam rerum speciem possunt esse plures varijquè numeri à parte rei per aliquam circunstantiam designati. V. g. in hac ciuitate sunt tot homines, & sic in alia & alia, sunt tot Philosophi, & similia. Vbi planè non intellectus sua cogitatione facit, vt sint tot & non plures aut pauciores: sed hæc omnia vera sunt à parte rei antecedenter ad apprehensionem & numerationem intellectus. Præterea datur etiam ordo à parte rei inter res numeratas, quando videlicet ipsæ res habent inter se connexionem siue subordinationem, quantum ad locum, vel tempus, vel dignitatem, vel causalitatem, aliouè modo. V. g. à parte rei est, & non ab intellectu dependet, quòd supra elementa primum cælum sit Lunæ, secundum Mercurij, & sic deinceps: quòd primus homo sit Adam, secundus Cain, &c. Sicquè potest in multis rerum ordinibus à parte rei inueniri connexio à primo vsque ad vltimum. Secundùm hæc omnia ergo, numerus potest esse realiter à parte rei. Et iuxta hoc Aristot. reposuit numerum inter sensibilia communia: quia reuera sensus percipit multitudinem rerum, siue res multas, etiam in certo numero & ordine.

Quomodo sit opus rationis.

In alio sensu numerus est opus rationis. Tum accipiendo numerum abstractum à rebus, prout mente cogitamus, tria, quatuor, &c. qui numerus rebus ipsis posteà applicatur. Hic appellatur numerus numerans; sicut numerus applicatus rebus, appellatur numeratus. Supponunt ergo communiter, numerum numerantem esse opus rationis, quia est in apprehensione mentis. Tum etiam accipiendo numerum numeratum, quando nō per rei naturam, sed per nostrum arbitrium designatur certus numerus. Dum v. g. in tota collectione hominum aut lapidum, numeramus duos vel decem, vel quot nobis placuerit. Tunc hæc designatio & terminatio numeri, est per nostram cogitationem. Tum demum quando similiter nō ex natura rei, sed ex nostro arbitrio ordinantur res quas numeramus, & ad placitum dicimus, primus, secundus, &c. cùm in re non magis hic quam ille esset primus aut decimus: tunc planè hic ordo est opus nostræ rationis.

Potest autem intelligi, numerum quoad hæc esse opus rōnis. Vel quòd propriè sit ens rationis fictum; si nimirum numerus concipiatur tanquam certum quoddā ens, & designatio quasi realis terminatio, & ordo quasi realis relatio: eo modo quo fiunt alia entia rationis. Vel quòd numerus cōsistat in ipso actu reali intellectus, siue in denominatione extrinseca ab ipso actu, quo dici possunt res colligi, ordinari, & numerari. Et iuxta hæc loquutus est Arist. 4. Phys. tex. 131. vbi numerum ait esse opus animæ & intellectus, & sine anima non esse numerum. Item tex. 110. eundem esse numerum centū hominum, & centum equorum. & tex. 132. eundem esse numerum septenarium canum & equorum.

Quomodo positiuè aut negatiuè se habeat.

Dico 2. Quantitas discreta, in aliquo sēsu positiuè, & in aliquo negatiuè se habet. Idq. ex duplici capite. Primò: quia cùm quātitas discreta dicatur, cuius partes copulatæ non sunt: hoc accipi potest; vel pro formali negatione coniunctionis: & sic negatione constituitur: vel pro entitate positiua cuiusq. rei in se terminata & cōpletæ, sic positiuè se habet. Secundò: quia cùm numerus sit aggregatio vnitatū. Hoc potest intelligi: Vel sumendo vnitatem formaliter pro negatione; sic numerus est aggregatio talium negationū. Vel sumendo vnitatē pro rebus vnis, quæ verè numerantur: sic numerus est aggregatio rerū positiuarum. Vel demū sumendo vnitates proprias quantitatum; vnitas autem quantitatis est continuitas eius, quam Thomistæ vocant propriè vnitatem numeralem, & ex his solis vnitatibus cōficiunt numerum huius prædicamenti: sic inquam, vnitas, idest continuitas quantitatis, potest accipi positiuè: quia vel consistit in indiuisibilibus cōtinuatiuis inter partes, vel in aliqua alia vnione, iuxta varias sententias. Et sic etiam numerus positiuè dicetur.

Qualiter à rebus alijs distinguatur.

Dico 3. Numerus realiter acceptus, in aliquo sensu distinguitur, & in aliquo non distinguitur ab alijs rebus. Explicatur & probatur conclus. Si numerus sumatur formaliter pro collectione quantitatum continuarū, in sensu quo S. Tho. in solis rebus materialibus numerū collocat: res autem numeratæ sumantur pro substantijs, alijsquè rebus affectis quantitate. Sic patet manifestè, numerū ab ipsis rebus distingui, sicut quantitatem continuā ab alijs rebus distingui supponimus. Hoc interdum significauit S. Thom. de hac re loquens. Rursùs, si numerus sumatur magis formaliter pro collectione vnitatum quantitatiuarum, quam vnitatem modò diximus esse continuitatē ipsā quantitatis, & hæc vnitas ab ipsa quantitate distinguatur, sicut vnio distingui potest à partibus vnitis: sic planè numerus pari modo ab ipsismet quantitatibus distinguitur. Et hoc maximè voluisse videtur Thomistæ, quando contendunt, distingui numerum a rebus numeratis.

At ex alia parte, si numerum sumamus pro collectione rerum, & res sumantur pro rebus ipsis collectis, videlicet sumamus collectionem substantiarum atque substantias collectionem quantitatum & quantitates, collectionem dictam vnitatū & vnitates ipsas. Sic planè numerus non potest ab ipsis rebus esse distinctus. Quia collectio rerum, non est aliud realiter ab ipsis rebus: nihilq. aliud assignari potest præter ipsas res quæ numerantur. Numerus denarius substantiarum non est aliud realiter quàm ipsæ substantiæ, & sic de omnibus alijs. Nullumquè aliud accidens, nullus alius modus realiter reperitur

peritur in quo constituatur ratio numeri Quod tàm clarum est, tamquè euidenter potest ostendi: vt non sit credibile, quenquam oppositum docere voluisse: nec opus sit, in hoc plus laborare.

Continuitas verò ipsa quātitatis, etiam si à quantitatis partibus distinguatur: tamen includitur omnino in ipsa tota quātitate, & non se habet vt passio, sed vt ratio constitutiua eius. Et quodammodo ita se habet continuitas ad quantitatem continuam, sicut anima ad animatum, vel certè sicut vnio ad compositum. Vnde sicut dum compositum ponitur in prædicam. in ipso composito ponitur etiam vnio: ita dum quantitas continua habet suam sedem in prædicam. in ipsa quoque ponitur sua continuitas. Ex quo apparet, numerum, quocunquè modo sumatur, non esse quicquam aliud distinctum ab alijs omnibus, quæ iam certam sedem in prædicamentis supponuntur habere. Et hoc etiam insinuauit Arist. locis mox concl. sequenti citandis.

Non habet vnitatem per se. Dico quartò. Quantitas discreta seu numerus, non habet vnitatem per se, qua dici possit esse ens quoddam per se vnum: sed potius est aggregatum quoddam per accidens, siue per rationem qua consideratur ad modum vnius. Hęc concl. non videtur posse negari. Et probatur 1. auctorit. Arist. multis in locis. 3. Phys. tex. 68. *Numerus est vna plura & quanta quædam.* Non dixit, est vnum quid, sed est plura vna, idest plures vnitates, plures res quarum quælibet in se est vna. 8. Metaph. tex. 10. planè ait, non posse dici numerum esse vnum quid: sed verè esse quasi congeriem. Aut si dicatur esse vnum quid, oportere assignare, quidnam sit illud quod facit vnum ex multis: quasi dicens, assignari & inueniri non potest. Et tex. 15. rursus quærens de vnitate numeri ac definitionis; ait, ibi propriè esse vnum, vbi si inueniuntur plura, vniuntur tanquam forma & materia, tanquam actus & potentia. Rursus 10. Metaph. tex. 4. *Numerus est vnitatum multitudo.* Et tex. 20. & 21. opponit vnum & multa, & numerum ait esse multa, esse multitudinem. Et alijs in locis similia docet.

Quia essentialiter est multitudo. Secundò probatur ratione hinc desumpta. Manifestum est, vnum & multa, vnitatem & multitudinem opponi. Et quod est vnum, est ens: quæ sunt multa, sunt entia. Sed quantitas discreta seu numerus, non est aliud quàm multa, siue multitudo: vt notissimum est. Ergo non est propriè & per se vnum quid. Per rationem tamen & considerationem nostram, ipsa multa colliguntur in vnum: idest vniuntur in intellectu, dum numerantur, & cogitantur ad modum vnius aggregati: sic est denarius hominum, centenarius lapidū, &c. Hæc est ergo vnitas numeri per aggregationē & rationē.

Et nō habet vnionem partium. Tertiò. Ex rebus distinctis non potest fieri vnum, nisi per vnionem & coniunctionem illarum; imo per vnionem proportionatam inter partes proportionatas: vt est notissimum. Sed res siue vnitates, ex quibus conficitur numerus, non habent inter se realiter vnionem: sed ad summum per coadunationem & considerōnē intellectus colliguntur in vnū. Ergo.

Ad hoc argum. quod est in hac re præcipuum fundamentum, duplici via conati sunt aduersarij respondere. Aliqui tentarunt vnionem aliquam excogitare, dicendo: in numero vltimam vnitatem aduenire prioribus, easquè veluti actuare & determinare ad certam speciem numeri; sicquè priores vnitates se habere ad instar materiæ, vltimam ad instar formæ. Verùm tàm euidens & perspicuum est, partes numeri non habere inter se realiter vnionem: vt vanus prorsus labor sit, velle vllam excogitare. Quam enim vnionem habent decem homines, quando illos numeramus, & ad libitum hos vel illos accipimus? Sic etiam de alijs rebus. Vel quomodo dici potest, decem homines numeratos, esse aliquid per se vnum? Et prorsus imaginaria est, non realis, illa actuatio & informatio vltimæ vnitatis respectu priorum. Nihil enim tale est in re: sed sola consideratione fingitur. Imo nec in re, determinata est vltima vel prima vnitas. Sed ex arbitrio numerantis est, sistere in tali vltima vnitate, vel vlterius numerare. Et infra numerum, v.g. denarium, ad libitum potest illa quæ fiebat vltima, fieri prima, aut quarta, &c. possuntquè diuersi homines, imo & idem homo diuersimodè numerare. Patet ergo, illam determinationem & vnionem non esse in re, sed fieri solùm per considerationem rationis.

Alij

Sine qua vnione nõ fit per se vnum.

Alij itaque ingenuè fatentur, non aliam esse vnionem in partibus numerisimò differentiam propriam eius esse, carere vnione iuxta definitionem antea traditam. Sed dicunt, non ad omnem prorsus vnitatem requiri vnionem partium. Et saltem esse proprium numeri, vt sine vnione partium sit quid vnum. Verùm nihil notius in Philosophia erat, quàm partes distinctas non posse constituere vnum totum, nisi inuicem vniantur vinculo apto & proportionato. Et alioqui non erit iam discrimen inter compositum per se, & per accidens siue per aggregationem. Neque percipi potest, quæ vnitas sit inter decem homines inter quos non est vnio. Sed planè quantùm deficit vnio, deficit vnitas: & si vnio solùm est per accidens, siue per rationem; pariter non consurgit vnitas, nisi per accidens, siue per rationem.

Nec distinguuntur realiter plures numeri.

Quartò. Si quantitas discreta habet vnitatem per se à parte rei: petendum est, an realiter sit vnus tantùm numerus ex omnibus rebus numerabilibus, habens hanc vnitatem: vel à parte rei sint plures ac diuersi numeri, singuli habentes suas vnitates. Primum non est dicendum. quia & est contra Arist. aliosquè auctores, qui eo modo quo numerum constituunt, plures numerorum species in rebus numerabilibus distinguunt: & est etiam contra communem existimationem omnium. Secundum dici non potest. quia nulla maior vnitas vel vnio à parte rei est inter has vel illas vnitates; vt dici possit, à parte rei est hic vel ille numerus, hæ vel illæ vnitates conficiunt certum numerum: sed hoc totum fit per rationem. Ergo vnitas numeri non est nisi per aggregationem aut considerationem rationis.

Ita se habet numerus in rebus corporeis sicut spiritualibus.

Quintò. Non maiorem vnitatem habent inter se res materiales & corporeæ siue quantitates earum, quàm res spirituales & incorporeæ; vt patet: sed res spirituales non conficiunt vnum per se in ratione numeri & multitudinis; vt supponunt ferè omnes qui volunt, numerum esse propriè speciem quantitatis: ergo neque res materiales & corporeæ. Vel, si hæ res habent vnitatem; similem habebunt res spirituales: ergo vel ex vtrisque, vel potius ex neutris, consurgit numerus qui sit ens per se vnum.

Ex vnitatibus non resultat vna entitas numeri.

Sextò. Nonnulli ex auctoribus 1. sent. volunt: quandocunquè ex quibusdam partibus fit per se vnum, resultare ex partibus quandam tertiam entitatem, distinctam ab ipsis partibus etiam vt vnitis. Sed certè incogitabile est, dari in multitudine rerum discretarum talem tertiam entitatem distinctam ab ipsis rebus. Ergo numerus non est quid per se vnum. Soncinas non dubitauit asserere, in numero reperiri tertiam entitatem, sicut putat in omni alio composito per se. Sed certè nihil videbatur absurdius dici posse. Quænam est enim, vel vbi esse potest hæc tertia entitas? an tota in omnibus & tota in singulis rebus seu vnitatibus componentibus numerum: an tota in omnibus & per partes in singulis distributa: vel extra illas res per se separata atque subsistens? An sit simplex indiuisibilis: vel in se rursus suis composita partibus? Quomodo gignitur, quomodo desinit, quando ex tot aut tot vnitatibus numerum computamus, rursusquè dissoluimus? Certè nè concipi quidem potest, quomodo dum decem homines, viginti lapides, numerantur; quæpiam tertia entitas re ipsa resultet. Sed nihil prorsus potest in numero realiter cogitari, nisi res ipsæ quæ numerantur. Nec quicquam in contrarium docuit Arist. 5. Metaph. 19. dicens; substantiam numeri sex, consistere in semel sex, non in bis tria. quem locum explicabimus infra sect. 7.

Quantitas discreta quomodo sit species quãtitatis.

Dico demum quintò. Quantitas discreta est vna species quantitatis, opposita quantitati continuæ in hoc prædicamento, si prædicamentum vno modo construatur: & non est propriè species, si prædicamentum alio modo construatur. Explicatur & probatur concl. ex antea dictis de prædicam. in communi. Cùm constructio prædicamenti fiat per artem logicam ad iuuandum intellectum in sua cognitione: potest vno vel alio modo fieri, prout commodius visum fuerit.

Aut ergo prædicamẽtum sumitur cum toto rigore; vt non nisi illud, quod est ens reale, ab alijs condistinctum, per se vnum, in prædicam. ponatur. Sic oportet excludere quantitatem discretam: vt patet ex conclusionibus iam probatis. Sed illa sola quantitas quæ habet omnes præ-

prædictas conditiones, totum conficiet prædicamentum: atque genus generalissimum erit quantitas continua quæ distinguitur à discreta. Et tunc solùm ob quandam affinitatem siue conuenientiam dici debet, nominari & explicari quantitas discreta in hoc prædicamento, non verò quasi directè pertinens ad ipsum prædicamentum.

Aut prædicamentum sumitur non cum tanto rigore: sed solùm pro certa serie habentium inter se talem conuenientiam, ob quam simul coniungãtur & explicentur, etiam si aliqua deficiant ab illis conditionibus præsignatis. Sic dicetur quantitas discreta directè in hoc prędicam. reponi, tanquam species opposita quantitati continuæ: ita vt locum generalissimi teneat quantitas communis continuæ & discretæ, quæ primariò in vtranq. diuiditur. non obstante quòd quantitas discreta in quibusdam conditionibus ex intellectus consideratione dependeat.

Quare posita sit in prædicamento. Reddique potest ratio, quare non immeritò factum sit, vt siue vno, siue alio modo, quantitas discreta in hoc prædicamentum adducta sit, etiam præter normam aliorum prædicamentorum. quia nimirum quantitas discreta siue numerus, tàm frequenter & familiariter in vsu & consideratione hominum reperitur, & accipi solet tanquam res quędam peculiaris: in tanta etiam æstimatione fuit apud veteres sapientes, qui imo plus nimio numeris tribuebant: est præterea ampla materia vnius ex mathematicis disciplinis, scilicet Arithmeticæ, in qua tam multa de numero, sicut in Geometria de magnitudine, traduntur ac demonstrantur: & tantam demum habet cum quantitate continua in participandis proprietatibus quantitatis conuenientiam: vt mirum esse non debeat, illi talem locum fuisse attributum in prædicamentis simul cum quantitate discreta: vt vel se habeant tanquam duæ species vnius generalissimi: vel se habeant tanquam duo capita, quorum vnum directè constituat prædicamentum, aliud per affinitatem & similitudinem illi associetur.

Arist. explicatur. Atque iuxta hanc conclusionem debet Aristotelis consilium approbari; dum in hoc prædicam. & 5. Metaph. cap. 13. discretam cum cõtinua quantitate coniunxit. Vel dicendo, Philosophum apposuisse quantitatem discretam, non quasi directè speciem in prædicam. sed quasi sociam illius quantitatis quę constituit prędicamentum. Vel prædicamentum voluisse construere non in toto rigore, sed cum maiori ampliatione: ita vt sub quantitate in communi directè vtraque quantitas reponatur. Alioqui non est credibile, Aristot. putasse, quantitatem discretam esse ens penitus reale ab alijs omnibus condistinctum & per se vnum, sicut ad rigorosam prædicamenti constructionem requiritur. Imo satis clarè potius oppositum indicauit, iuxta nostras priores conclusiones.

Alia argumenta quæ aduersus doctrinam traditam possent afferri, non continent difficultatem alicuius momenti. Et ex dictis facillimè solui possunt, per distinctiones in nostris conclusionibus positas & explicatas.

SECTIO TERTIA.

De Diuisione Quantitatis continuæ in permanentem et successiuam.

Aristoteles in hoc Prædicam. & 5. Metaph. cap. 13. sex species quantitatis continuæ distinguit, Lineam, Superficiem, Corpus, Locum, Tempus, & Motum. Verùm vt immediatè quantitatem continuam in suas species proximas diuidamus, præstabit sic diuidere. Quantitas continua, alia est permanens, alia successiua. Permanens est, quæ habet suas partes omnes simul coexistentes: vt aquæ, ligni, & omnium huiusmodi rerum permanentium. Successiua est, quæ habet suas partes in continuo fluxu, alijs abeuntibus, & alijs aduenientibus: vt patet in motu & tempore. Sufficientia huius diuisionis apparet facilè. Nam cùm principalis ratio quantitatis sit extreitas partium: duobus adæquatè modis hæc potest intelligi: vel per ordinem ad spatium loci, sicut se habent corpora quanta; & hæc est quantitas permanens: vel per ordinem ad spatium temporis, sicut se habent motus quanti; & hæc est quantitas successiua. Apparet etiam essentia-

sentialis differentia vtriusque speciei: quia manifestum est, esse permanens & successiuum, siue ordinem ad spatium loci & spatium temporis, essentialiter differre, atque constituere species essentialiter differentes.

Quantitas permanens est maximè quātitas.

At verò loquendo sigillatim de vtraque specie: satis exploratum est, quantitatem permanentem, quæ propriè dicitur magnitudo, esse verè & propriè quantitatem, imo quæ absolutè solet intelligi nomine quantitatis. De quantitate autem successiua dubium est, an sit verè & propriè species quantitatis, sicut supra dubitatum est de quantitate discreta. Vnde si hæc nō erit propriè species quantitatis, quantitas permanens erit genus generalissimum huius prædicamenti.

Et quidem ita opinatur Suar. disp. 40. sect. 8. & 9. qui etiam disput. 41. sect 4. num. 8. absurdum non reputat, si quis dicat, in hoc prędicamento non dari species & genera subalterna, sed tantùm dari vnum supremum genus, scilicet magnitudinem, & tres infimas species, lineam, superficiem, & corpus. Fauent etiam alij eidem sententiæ, qui tàm de tempore quàm de motu dubitant, an sint propriè species quantitatis. Et apertè negat Sanc. quæst. 32. Insuper Soncin. 5. Metaph. quæst. 24. cùm plus tribuat tempori quàm motui de ratione quantitatis: tamen significat, tempus formaliter pertinere potius ad quantitatem discretam quàm continuam.

Etiā datur quantitas successiua vera species quantitatis.

Dicendum tamen est, dari quantitatem continuam successiuam, quæ sit tàm verè & propriè species quantitatis, quàm est quantitas continua permanens. Hæc videtur esse communis sententia. Et probatur: quia sicut datur res habens partes & partes extensas, siue quæ possunt extendi, & extraponi in ordine ad spatium loci; & ad hanc extensionem partium datur illi quantitas: ita datur res habens partes & partes extensas, siue quæ possunt extendi in ordine ad spatium temporis; vt patet in omnibus entibus successiuis. Ad hanc ergo extensionem debet poni quantitas successiua. Et si datur fundamentum ad distinguendam illam quantitatem permanentem a rebus, vt propterea sit accidēs quoddam peculiare: ita etiam non deest simile fundamentum de quantitate successiua. Igitur & hæc est quoddam accidens peculiare. Et patet manifestè, hanc vtranque quantitatem verè & vniuocè conuenire in communi conceptu quantitatis continuæ: ergo.

Imo addendum est, quantitatem hanc successiuam etiam in rebus spiritualibus inueniri, in quibus tamen nullatenus inuenitur altera species prædicta, scilicet magnitudo. Nam in rebus spiritualibus inuenitur motus successiuus & continuus, vt supponimus: ergo talis successio continua habebit totam quantitatis rationem. Quia cùm ratio quantitatis successiuæ consistat in extensione partium in ordine ad tempus per prius & posterius: hæc extensio non repugnat rebus spiritualibus, sicut illis repugnat extensio partium per ordinem ad spatium loci, in quo sēsu omnis res spiritualis est penitus impartibilis, illique repugnat quantitas continua permanens, quæ concernit extensionem partium in spatio loci. Plura pro hac quantitate successiua addemus postea, examinando rationes proprias motus & temporis.

SECTIO QVARTA.

De Speciebus Quantitatis continuæ permanentis.

Linea, Superficies, et Corpus.

DEinde quantitas continua permanens habet suas species in quas diuiditur. Et in primis adæquatè diuiditur in illas tres species, Lineam, Superficiem, & Corpus. Linea est longitudo sine latitudine. Superficies præter longitudinem dicit latitudinem, sed sine profunditate. Corpus præter longitudinem & latitudinem dicit etiam profunditatem. Vel, vt loquitur Aristot. 5. Metaph. cap. 13. Longitudo seu linea est magnitudo ad vnum. Latitudo seu superficies ad duo. Profunditas seu corpus ad tria. Ad vnum, idest vnius dimensionis siue extensionis. Ad duo, duplicis. Ad tria, trinæ dimensionis. Explicantur magis. Cùm ratio propria huius quantitatis consistat in extreitate partium quoad spatium loci: tripliciter potest intelligi hæc extreitas. Vel vt quantitas habeat partes extra partes ab vno puncto ad aliud, & sit

sit impartibilis atque indiuisibilis in latera: hæc est longitudo, quæ dicitur linea. Vel habeat partes extra partes, non solùm in longum, sed etiam ad latera, sit tamen impartibilis & indiuisibilis in altitudine seu profunditate: hæc est latitudo, quæ dicitur superficies. Vel demum habeat partes extra partes etiã in altum seu profundum: hæc est profunditas, quæ dicitur corpus. Vbi planè apparet, hanc diuisionem esse adæquatam, ita vt alia species præter has tres excogitari nõ possit.

Datur quidem Punctum, quod est vndequaque indiuisibile versus omnem dimensionem: tamen hac ipsa ratione non habet essentiam quantitatis, nec est distincta species eius: cùm de essentia quantitatis sit habere partes in quas diuidi possit. Solumquè reductiuè trahitur ad hoc prædicamentum, & in linea includitur, quia linea punctis terminatur & continuatur.

Circa nomen verò corporis obseruandum est, hoc nomen triplicem significationem habere. Vno modo sumitur pro composito substantiali ex materia & forma: ac dicitur corpus metaphysicum. Alio modo pro parte materiali & subiectiua viuentium, quando dicuntur constare ex corpore & anima: ac dicitur corpus physicum. Tertiò demum modo pro trina extensione atque dimensione explicata: & dicitur corpus mathematicum. Et hoc est de prædicamento quantitatis, de quo nunc agimus.

At verò circa totam diuisionem tres præcipuè difficultates occurrunt. Prima est, an reuera dentur superficies & lineæ, eademquè ratio est de punctis: vel tantùm sint imaginaria quædam. Nam certè hæc non inueniuntur separata à corpore trinæ dimensionis. Hæc tamen difficultas hoc loco expediri non potest: sed in Philosophiam differenda est. Modò loquendum est ex suppositione si dentur iuxta communissimum vsum tàm Philosophorum quàm Mathematicorum, qui de ijs loquuntur & tractant.

Quomodo longitudo sit propria lineæ, latitudo superficiei, profunditas corporis.

Secunda difficultas, & huius loci magis propria, est, an & quomodo hæ tres species essentialiter distinguantur. Ratio dubitandi est, quia vna in alia essentialiter videtur includi. Nam essentia lineæ est longitudo; at longitudo includitur in superficie: & sic etiam latitudo in corpore. Ad hoc dicunt aliqui, superficiem esse longam, non per id quod addit supra lineam, sed per lineas quas continet, & similiter corpus esse latum per superficies. Sed hoc non rectè dicitur. Quia superficies nõ solùm includit lineas longas: sed etiam suas partes quas in latitudine addit, habet quoque longas, vt planum est, & longitudo harum partium non est longitudo linearum: partes enim sunt vltra lineas, & sunt longæ & latæ. Imo si sumatur corpus aliquod, & sit figuræ quadratæ; non est maior ratio, cur dicatur secundum hanc dimensionem longum, illam latum, aliam profundum: sed ad libitum dici potest hinc vel inde longum, aut latum, aut profundum. Non ergo dici potest corpus habere hanc vel illam dimensionem à lineis, aut à superficiebus: sed omnem dimensionem habet se toto.

Dicendum ergo est, verè superficiem per se dicere latitudinem cum longitudine, & corpus cum longitudine & latitudine profunditatem: sed diuersam esse longitudinem lineæ ac superficiei, latitudinẽ superficiei & corporis. Itaque lõgitudo dupliciter sumi potest. Vno modo quæ excludat latitudinem, & dicatur longitudo sola: hæc est propria lineæ. Alio modo admittens latitudinem, quæ dici poterit longitudo lata: hæc est essentialis & propria superficiei. Similiter de latitudine respectu superficiei & corporis. Vnde si sumatur longitudo in communi; non est propria lineæ, sed communis triplici speciei dictæ: & latitudo in communi est communis superficiei & corpori. Et diuiditur in species modo assignato.

Dum autem dicitur, longitudo excludens latitudinem, siue longitudo sola; non est putandum, addi tantùm negationem supra longitudinem in communi, & sic constitui lineam; & cùm dicitur, longitudo lata addi differentiam positiuam. Nam fieri non potest, vt natura generis, quæ ad vnam speciem contrahitur per differentiam positiuam, ad aliam contrahatur per solam negationem. Sed omnino in alia etiam specie dicit differentiam positiuam. Intelligi ergo debet longitudo excludens latitudinem, idest longitu-

longitudo talis, & per talem differentiam positiuam determinata, quæ excludat latitudinem, sicut quando diuiditur animal in rationale & irrationale.

Quomodo hæ tres species distinctè & directè in prædicamen. ponantur.

Tertia difficultas est. Si superficies non aliter inueniuntur nisi inclusæ in corpore, & lineæ inclusæ in superficie, copulando partes ac terminando totum: ergo nõ sunt per se entia cõpleta, sed incõpleta. Igitur non debet per se & directè poni in prædicam. sed satis est si reducãtur. Et ita admittit Sot. q. 4. in Antepræ.

Sed quia in Arist. & cõi aliorum assignatione illę tres species distinguuntur tãquã directè positæ in prædicã. Ideo cõiter dici solet, lineã & superficiem cõsiderari dupliciter. Vel qua indiuisibiles sũt. Sicq. esse entia incõpleta, & non directè sed reductiuè poni in prædicam. Vel qua diuisibiles sunt. Sic esse entia completa, & directè participare essentiam quantitatis, vt per se in prædicam. ponantur.

Hæc tamen responsio non videtur penitus satisfacere. Tum quia ex vna parte, linea non solùm quatenus non lata, sed etiam quatenus longa includitur in superficie. Nam ideò dicuntur partes superficiei copulari & terminari lineis, non autem punctis: & per se requiruntur ipsæ lineæ quatenus longæ sunt, ad constituendam superficiem, & ad copulandam vnam partem latam cum alia parte lata. Tum ex alia parte, linea etiam quatenus diuisibilis in latitudine, dici deberet poni directè in prædicam. Nam poni deberet secundum suam specificam differentiam, quæ est inlatitudo. Alioqui poneretur solùm quatenus quantitas in communi, non quatenus talis species quantitatis; atque adeo non ipsa linea poneretur in prædicam. Tum præterea à pari: Sic etiam dicet quis, punctum posse considerari dupliciter, vel vt indiuisibile, vel vt habens suam entitatem: & primo modo reduci; secundo modo debere directè poni in aliquo prædicam. Item materiam & formam posse considerari, vel quatenus substantiales sunt, vel quatenus partiales: & primo modo directè poni; secundo reductiuè ad compositum in prædicam. substantię.

Explicatur ex cõstructione

Dicendum ergo est. Cùm ædificium prædicamenti sit artis inuentum: vtique dupliciter potuisse prædicamentum construi. Vno modo intelligendo, quando dicitur quantitas, simpliciter & vndequaque completam. Sic diceretur solùm de corpore, & non de linea ac superficie. Alio modo intelligendo omnem extensionem siue magnitudinem, abstrahendo a determinatione vnius vel duplicis vel trinæ dimensionis. Sic patet, sub hoc quantitatis prædicam. atque conceptu directè contineri, non solùm corpus, sed etiam superficiem ac lineam. Imo sic etiam dupliciter poterat accipi substantia: vel pro sola substantia completa: vel absolutè vt etiam de materia & forma directè prædicaretur. Verùm vno aut alio ex his modis prædicamentum construitur, prout commodius Logicæ visum fuerit. Prædicamentum ergo substantiæ primo modo, quantitatis secundo modo fabricatum est. Et ideo in substantia non directè collocantur materia & forma: sed in quantitate directè locantur cum corpore superficies & linea. Nec gratis & temerè ita factum est. Sed quia substantia satis abundat generibus & speciebus, atque gradibus subordinatis à summo ad imum. Sed in prædicam. quantitatis, etiam distinguendo lineam superficiem & corpus, vix inueniuntur aliquis gradus intermedius per modum generis & speciei subalternæ inter species infimas & genus generalissimum. Iuxta hanc ergo constructionem huius prædicamenti, absurdum non est, lineam & superficiem bis in prædicamento reponi: reductiuè per inclusionem in specie corporis: & directè sub illo communi quantitatis conceptu.

prædicamenti.

Locus sũptus pro spatio, an sit species quantitatis.

Pręter illas tres species, Aristot. in hoc prædicam. addidit etiam locum. Vnde Sotus Tolet. & quidam alij hic defendunt, hanc esse speciem quantitatis ab alijs distinctam. Negant alij plures, tum hic, tum 5. Metaph. cap. 13. Fauent Auerr. & S. Thom. ibi. Sequuntur Fons. ibi q. 7. & Suar. disp. 40. sect. 8. Statquè pro hac parte Aristot. ibi, qui inter species quantitatis loci non meminit.

Pro resolutione distinguẽdum est. Locus potest primò sumi pro spatio siue interuallo, quod concipimus occupari à re existente in loco: & sæpe in communi sermone locus hoc modo sumitur. Locum sic sumptum, idest spatium, quidam vere-

veteres Philosophi arbitrati sunt, esse ens quoddam positiuum & reale, cui omnia locata corpora coexisterent. Ita refert Arist. 4. Phys. Circa hoc, duo quæri possunt. Vnum est; an detur tale spatium quod reale sit. Aliud est; num si daretur, esset peculiaris quædā species quātitatis.

De primo certum est, tale spatium non esse reale. Ita demonstrat Arist. 4. Physic. Vnde à nostris Philosophis appellatur spatium imaginarium. De secundo etiam communiter dici solet, quòd si tale spatium esset reale, non esset distincta species quantitatis, sed coincideret cū specie corporis, quia esset quantitas trinæ dimensionis. Verùm si tale spatium reale esset per se existens, potius ad prædicamentum substantiæ pertineret. Deinde si ad quantitatis prædicam. spectaret: non solùm cum corpore, sed etiam cùm alijs duabus speciebus conueniret. Nam haberet lineas & superficies, quas & nunc in spatio imaginario cogitamus. Sed demum hæc tota quātitas spatij, specie distingueretur ab alia quantitate assignata. Quoniā quantitas hactenus assignata, inhæret rebus, transfertur de loco ad locum, cū ipsis rebus est variabilis; & quantitas spatij esset in se immobilis, semper eadē. Vnde satis haberent, quo specie differrent. Et ita indicauit Philopon. 4. Phys. in digress. de loco.

Locus sūptus pro superficie non est species distincta à superficie.

Secūdo modo sumitur locus prout definitus est ab Arist. 4. Phys. superficies corporis continentis. Corpus enim locatum circundatur superficie concaua corporis locantis: hæc superficies dicitur locus. Vnde illi qui negant locum esse peculiarem speciem quātitatis, vltrò quidem asserunt esse quantitatem, sed dicunt non esse speciem distinctam à superficie, cùm sit superficies, & solùm addat denominationem continentis respectu locati. At illi qui volunt locum esse peculiarem speciem quantitatis, conati sunt excogitare distinctionem aliquam saltem formalem inter locum & superficiem. Vel dicendo, eandem superficiem posse considerari, prout est superficies intrinseca corporis continentis, & prout est quodāmodo superficies extrinseca corporis contenti. Atque sub priori respectu esse illam speciē quæ dicitur superficies: sub altero esse distinctam speciem quæ dicitur locus. Vel dicendo, superficiem posse considerari quātenus extensio quædam in se est, siue quatenus mēsura intrinseca sui subiectis sic dici superficiem: & quatenus mensura extrinseca locati; sic dici locum.

At non benè dicunt. Tum quia quantitas non est accidens quod dicatur extrinsecè, sed dicitur intrinsecè de suo subiecto. Tum quia superficies corporis cōtinentis, non est verè quantitas aut extensio corporis contenti, siue terminus proprius eius; imo pariter se habet superficies extrema corporis contenti ad corpus continens. Tum etiam si illa superficies denominat extrinsecè corpus contētū & locatū: hęc extrinseca denominatio potius pertinet ad prædicamentū vbi: alioqui ēt denominatio vestiti à vestibus deberet trahi ad prædicam. quātitatis: cū tū ponatur in prædicam. habitus. Tū demū licèt locus dicatur mensura locati: tū è conuerso potest locatum dici mensura loci. Imo quæcunquè quantitas ex parte sua potest esse mensura alterius: nec tamen propterea in omni quantitate distinguitur formaliter noua species ob rationem mensuræ. Sed ratio mēsuræ est quędam cōis proprietas quantitatis. Frustra quoq. illa respōsio excogitata est in gratiam Arist. qui potius assignauit locum in illa prima acceptione, vt infra dicemus.

Præsentia & extensio localis an sit species quantitatis.

Tertiò rursus potest sumi locus formaliter pro præsentia locali. Aut pro extensione actuali quantitatis in loco. Illa præsentia quæ dicitur Vbi, constituit peculiare prædicamentum vbi. Sed dubitari potest, an inter primariam rei corporeæ quantitatem & ipsum vbi mediet quædam actualis extensio in loco. Vnde illa quantitas dicitur extensio rei in ordine ad se, hæc alia extensio dicitur in ordine ad locum. Et sanè si hæc extensio localis datur, & distincta est: vel ponetur in hoc prædicam. tanquā passio ipsius quantitatis: vel potius directè constituit distinctam speciem quantitatis; quæ rursus habet lineas, ac superficies, & trinam dimensionem. Vnde potest à capite diuidi quantitas continua permanens, in illam quæ dicitur in ordine ad se, & aliam quę dicitur in ordine ad locum. Verùm de hac re, quæ non solùm philosophica est, sed multum ex principijs Theologicis dependet, in Philosophia disseremus.

Cæte-

Arist. explicatur. Cæterùm Aristot. dum hic locum inter quantitatis species numerauit, suismet verbis planè ostendit, se accepisse locum in prima illa significatione suo tēpore vsitata. Et hæc est etiam communis Doctorum expositio. Noluitquè Aristoteles locum eo modo sumptum omittere. quia cùm nondum disputasset, an locus illo modo daretur: voluit loqui cum cæteris. At postea in Physicis contra illam Antiquorum sententiam reale spatium euertere studuit. Et in Metaphysicis nullam inter species quantitatis loci habuit mentionem.

SECTIO QVINTA.
De Speciebus Quantitatis continuæ successiua.

Tempus & motus. ARistoteles in hoc prædicamento ab initio capitis solùm tēpus assignat, quod ad hanc quantitatis partem pertinebat: verùm in progressu addit motum, & cum motu actionem, cum qua nominare etiam possumus passionem: hæc enim tria pro eodem in præsenti reputãtur. Ait tamen, motum non esse quantum per se, sed per accidens, scilicet ratione temporis: sicut albedo non est quanta per se, sed per accidens, videlicet ratione superficiei. At deinde 5. Metaph. cap. 13. pariter ait, motum & tempus esse quanta per accidens. Imo addit, tempus esse quantum propter ipsum motum. Qua varietate doctrinæ res alioqui non adeò facilis, reddita est difficilior.

Hinc occasionem sumpserũt aliqui absolutè negandi totam quãtitatem successiuam. Et Suar. qui ita sentiebat, ait disp. 40. sect. 9. num. 9. Arist. in Metaphys. mutasse & correxisse, quod in prædicamento logico minùs rectè docuerat. Attamen alij magis communiter aliquam successiuam quantitatem agnoscunt in genere quantitatis continuæ: vt nos iam supra statuimus.

Itaque Fonseca 5. Met. cap. 13. quæst. 8. sect. 3. & quæst. 10. sect. 2. defendit, motum quatenus continuum, & tempus, esse verè & propriè duas distinctas species quantitatis successiuæ. Idem voluisse videntur. Albert. tract. de Quant. c. 18. & Burleus in eodem Prædicam. Probatquè Fons. has esse duas species distinctas: quia quodammodo opponi videntur. Nã quò maior est successio motus, eò minor temporis est: & quò minor est motus, maior est temporis. In motu enim veloci est multa successio motus in modico tempore: in motu tardo est modica successio motus in maiori tempore.

Alij verò sunt, qui motum & tempus in vnam quantitatis successiuæ speciem confundunt. Et aliqui volunt, tempus esse propriè quantitatem, & motum esse quantum per accidens: iuxta doctrinam Aristot. in hoc loco. Ita sentiunt Porph. Ammon. alijquè plures, Masius sect. 3. quæst. 5. & 6. Ruuius quæst. 3. & 5. & alij recentiores frequenter. Aliqui ex aduerso volunt, motum esse magis propriè quantitatem, & tempus esse quantum per motum. Quod magis consonat Aristot. in loco Metaph. Et præterea 3. Phys. tex. 1. ait: *Motum esse de genere continuorum*. Ex alia parte 4. Phys. text. 101. definiens tempus ait: *Tempus est numerus motus*: at certè numerus non est de genere quantitatis continuæ. Et tex. 131. quia numerus dependet ab anima: infert, sine anima non posse tempus esse: vnde facit tempus opus rationis, sicut est numerus.

Pro resolutione distinguendum est in primis circa motum. In motu considerari posse, & entitatem eius quæ est acquisitio alicuius termini qui producitur, & successionem eius siue cõtinuitatem. Nolumus enim distinguere successionem & continuitatem, vt facit Fons. & alij. quia eodem modo hic loqui oportet de successione siue continuitate motus. Potestquè optimè appellari extensio motus in ordine ad spatium temporis. De entitate ipsius motus facilè constat, non per se pertinere ad prædicamentum quantitatis: sed vel ad prædicamentum sui termini, & ita vagari per varia prædicamenta: vel ad prędicamenta actionis & passionis. *Motus an & quō habeat rationē quãtitatis.*

At de successione & continuatione motus, equidem rursus distinguendum puto. Aut enim creditur esse indistincta & essentialis ipsi motui: aut distincta & accidentalis, sicut extensio substantiæ est accidentalis & distincta ab ipsa substantia. Si primum: sic etiam pertinebit ad idem

ad idem prædicamentum cum entitate motus. Si secundum: sic propriè est de prædicamẽto quantitatis: estque quantitas continua successiua. Probatur; quia ratio indistincta & essentialis ponitur vtique in eodem prædicam. cum sua re: forma autem distincta & accidẽtalis ponitur in prædicamento distincto. Sic certè si extensio substantiæ esset ipsi essentialis, non poneretur in prædicamento distincto: sed quia est distincta & accidentalis, ponitur in hoc prædicamento quantitatis distincto à substantia. An verò hæc extensio motus verè sit distincta ab ipso motu, non est huius loci disputare. Sed breuiter supponimus, si non semper, & in omni motu, saltem sæpè distingui. Et ita habemus hanc propriam speciem quantitatis successiuæ.

Tempus quomodo sit propriè species quantitatis. Rursus distinguendum est circa tempus. Duplex est enim. Aliud dicitur, tempus extrinsecum: aliud intrinsecum. Tempus extrinsecum est, quod in familiari sermone communiter intelligitur, dum nominatur tempus, & præcipuè consistit in duratione motus cæli: vnde distribuimus, annos, menses, dies, horas, &c. Et hoc tempore mensurantur alij motus. Tẽpus intrinsecum est intrinseca & propria duratio rei siue motus. Hoc supposito dicendum est, tempus extrinsecum non constituere nouam speciem quantitatis respectu rerũ seu motuum quibus est extrinsecum. Nam non est extensio talium rerum, non dat illis formaliter habere partes extra partes: sed supponit. Et ad summum est illarum mensura. Quod non sufficit ad constituendam distinctam speciem quantitatis: cùm ratio mensuræ sit communis passio quantitatis, vt antea diximus. Atque ita se habet tempus extrinsecum ad res quæ sunt in tempore, sicut locus ad res quæ sunt in loco. Vnde si placeat hic considerare etiam tempus imaginarium, sicut supra considerauimus spatium imaginarium; pari modo est de tali tempore ac de spatio philosophandum, proportione seruata. Tempus autem intrinsecum vniuscuiusque motus, reuera non est aliud quàm illa ipsa successio seu continuitas, idest extensio motus. nec quicquam aliud excogitari potest. Hoc ergo tempus verè & propriè est species quantitatis, non tamen distincta ab illa quam motui attribuimus. Sed est prorsus illa ipsa.

Hinc ad rationem Fons. in contrarium facillimè dicitur, illam regulam valere tantùm de tempore extrinseco. At loquendo de tempore intrinseco: quanta est successio motus, tanta est, imo eadem est, successio temporis. Non ergo motus est distincta species quantitatis à tempore.

Hinc etiam intelligenda sunt & explicanda loca Aristot. allegata. Et in primis patet, quomodo optimè in hoc prædicam. inter primas quantitatis species ab initio posuerit tempus. Postea rectè addidit, motum esse quantum per accidens, idest per ipsum tempus. In loco autem Metaph. vbi Aristot. dixit, motum & tempus esse quanta per accidens; exponit Alex. ibi, Aristot. accepisse quantitatem continuam pro sola permanenti: nam ab initio capitis illam vocauit magnitudinem. Atque adeo respectu huius quantitatis dixisse, motum & tempus esse quanta per accidens. Nam dum corpus aliquod mouetur, possumus considerare in ipso motu extensionem correspondentem ipsi mobili, ad instar aliorum accidentium quæ sunt in tali subiecto: hæc autem non est extensio successiua propria ipsius motus, vt patet. Et respectu eius verum est, motum & tempus esse quanta per accidens ratione subiecti, & tempus ratione motus. *Arist. explicatur.*

Vel aliter dicendum est, Aristot. non in eodem prorsus sensu accepisse quantum per accidens. Sed quantum per accidens dixit, non solùm quod est quantum formaliter per aliud, sicut musicum & albũ per subiectum: sed etiã quod causaliter in sua extensione dependet ab alia re extensa siue diuisibili priori, ita tamen, quòd in se habeat formaliter suam extensionem. Sic planè ipse Aristot. ibi distinxit duo genera quanti per accidens: vnum sicut musicum & album: aliud sicut motus & tempus, quæ dicit esse quanta per accidens, eo quòd hæc ideo sunt quanta, quia supponunt esse quanta siue diuisibilia, illa quorũ est motus & tẽpus, idest inquãtũ motus sit per magnitudinẽ siue spatium quantum: similiter dici potest; quia terminatur ad rem constantẽ ex pluribus partibus, quæ vna post aliã acquiruntur.

Hinc enim prouenit, vt motus fiat successiuè & sit quantus. Quod autem dixit, tempus esse quantum ratione motus, debet intelligi in genere causæ materialis: quoniam motus per suas partes est capax extensionis successiuæ. Quod non obstat, quominus motus sit quantus formaliter & extensus per ipsum tempus.

Item dum Arist. dixit, motum esse de genere continuorum: non per hoc dicere voluit, hanc esse rationem illi essentialem: nisi fortè radicaliter. Nec negauit, motum habere formaliter per ipsum tempus suam continuitatem successiuam. Demum dum tẽpus definiuit per numerum: non sumpsit numerum pro quantitate discreta: sed intellexit idem atque mensuram. Et dicere voluit, tempus esse mensuram motus. Et potissimè loquebatur de tempore extrinseco. Atque etiam secundùm hanc mensuræ rationem dixit, tempus dependere ab anima: quoniam nos sumus qui per operationem animæ mensuramus.

An in alias plures species quantitas successiua distinguatur.

Cæterùm quantitas hæc successiua diuidi non potest per vnicam duplicem & trinam dimensionem: quoniam non dantur hæ differentiæ in successione motus & temporis. Signantur quidem in motu & tempore indiuisibilia, quæ dicuntur mutata esse & instantia, ad instar punctorum in magnitudine. Sed hæc eo ipso quòd indiuisibilia sunt, non directè participant essentiam quantitatis. Magis hæc quantitas diuidi poterit iuxta diuersitatem motuum. Quoniam cùm hæc successio ad summum distingui possit à motu tanquam modus à re, in se participare poterit diuersitatem specificam, quam ipsi motus habent, de qua in Physicis.

At verò Vallius q. 4. huius prædicamentum Burleo defendit, tempus reduci ad lineam, seu sub linea contineri: eo quòd ad instar lineæ dicat solam longitudinem. Sed certè nomine lineæ & longitudinis, propriè intelligitur quãtitas permanens. Neque debet linea diuidi in permanentem & successiuam. Sed supposita diuisione quantitatis permanentis & successiuæ: sub permanente continetur linea, per successiuam intelligitur tempus.

An quantitates continuæ inæquales, sint distinctæ species.

Postremò dubitari potest, tàm circa hanc successiuam, quàm circa permanentem quantitatem, an illæ quę inæquales sunt, sint diuersæ species quantitatis: videlicet in quantitate successiua tempus diurnum & biduum, ac in quantitate permanenti linea bicubita & tricubita. Ratio dubitandi est: quia sic in numero diuersæ species numerorum sunt binarius & ternarius: at par ratio esse videtur in quantitate continua. Et ita significat Sanctus Thomas prima parte quæst. 7. art. 3. ad 2.

Verùm de re facilè constat, quantitatem continuam maiorem aut minorem, esse eiusdem speciei essentialis, solumquè differre per magis & minus, sicut in qualitatibus calor vt vnum & vt octo. Dici tamen poterit, quantitates inæquales differre specie in ratione mensuræ: hoc est diuersas mensuras esse, diem & biduum, palmum & vlnam. Aut si dicere placeat, tales quantitates esse vnius speciei in ratione quanti, diuersæ autem in ratione tanti & tanti. Quod solùm consistet in modo loquendi. At in numero libentiùs dicitur absolutè loquendo, illas esse diuersas numerorum species: quoniam cùm numerus non habeat propriè essentiam per se vnam, sed maximè adunatur per collectionem rationis: ideò iuxta diuersas collectiones siue totalitates, quæ considerantur in binario & ternario cæterisquè numeris inæqualibus, numerorum species appellantur: vt sect. 7. proprio loco dicemus.

SECTIO SEXTA.

De Diuisione Quantitatis discretæ in permanentem & successiuam.

Numerus & oratio.

Aristoteles in hoc prædicam. duas species discretæ quantitatis assignat, Numerum & Orationem. Vt autem sub ijsdem terminis quibus de quantitate continua, adæquatam diuisionem quantitatis discretæ pariter tradamus: hæc etiam duplex est, Permanens & Successiua. Permanens importat numerum. Successiua orationem.

Quan-

Quātitas discreta permanēs & successiua.

Quantitas discreta permanens est multitudo rerum seu vnitarum numerabilium permanentium. Successiua rerum successiuarum. Sic multitudo hominum, lapidum, & similium, est permanens: multitudo motuum est successiua. Vnde iuxta hanc explicationem multitudo permanens intelligitur esse, non tantùm rerum simul actu coexistentium, sed etiam si aliæ post alias existant: dummodo quæque in suo esse habeat permanentiam. Nam perinde existimatur numerus ternarius hominum qui vnus post alium extiterunt, ac numerus simul coexistentium. E conuerso multitudo successiua intelligitur, non tm̄ motuum qui vnus post aliū extiterunt, aut erunt, sed etiam si simul exerceantur. Itaque hæc permanentia vel successio in quantitate discreta potius attendenda est penes permanētiam vel successionem vniuscuiusque rei seu vnitatis numerabilis in se, quàm penes coexistentiam vel successionem vnius rei post aliam.

Multitudinem ergo permanentem intellexit hoc loco Aristot. nomine numeri. quia licet nomen numeri ad omnem multitudinem etiam motuum possit extendi: tamen peculiariter attribuitur dictæ multitudini. At nomine orationis non omnem multitudinem successiuam complexus est. Et oratio hic sumitur, non quidem in illo sensu logico, quo dicebatur vox significatiua ad placitum cuius partes separatæ significant. Sed sumitur pro quocunque vocabulo, etiam si sit terminus incomplexus: dummodo constet pluribus syllabis: imo etiam si nihil significet, quia ad hanc rem nihil significatio facit. Mens ergo Aristot. est, orationem esse quantitatem discretam, quia constat ex pluribus syllabis quæ successiuè proferuntur.

Circa priorem huius quantitatis speciem, sufficere possunt quæ antea diximus in communi de diuisione quātitatis in continuam & discretam. Circa posteriorem duo de nouo dubitari possunt: Primum est, an rectè assignetur hæc species quantitatis. Secundum est, an sufficienter oratio assignetur, vel magis amplè hæc species assignanda sit.

Successiua nō mi- Circa primum dubium, extat sententia aliquorum, qui alioqui defendentes numerum & tempus esse veras species quantitatis, de oratione negant: quo modo non aliam multitudinem nisi magnitudinum in hoc prædicam. constituere voluerunt. Ita Caiet. & Louaniens. hoc loco. Sanc. quæst. 30. & alij. Fauet Aristot. qui in 5. Metaph. cùm numerum motum & tempus in quantitatis tractatu recenseat, orationis omnino non meminit. E contra alij quidam magis orationem quàm aliarum rerum numerum ad rationem veræ quantitatis accedere arbitrati sunt: eo quòd syllabæ, quæ sunt partes orationis, maiorem quandam vnionem præ se ferunt, vt vnam orationem conficiant, & oratio manifestiùs quasdam quantitatis denominationes admittit. dicitur enim in suis syllabis longa vel breuis. Qua ratione Aristot. ipse rem hoc loco probauit.

nus quā permanēs quantitatis partici pat rationem.

Dicendum tamen est, eandem esse rationem de oratione, atque in vniuersum de numero & multitudine totaque quantitate discreta. Probatur ex vna parte, orationem non esse minoris conditionis, quàm numerū aliarum rerum. Quia etiam si numerus intelligatur esse tantùm rerum materialium siue magnitudinū in quibus est vnitas quantitatiua per continuationem: tamen iam probatum est, successionem motus esse quoque veram quantitatem, quæ habet vnitatem quantitatiuam per continuationem: ergo multitudo huiusmodi motuum siue vnitatum, parem habet quantitatis discretæ rationem.

At, quia prolatio syllabæ sumi potest, vel pro motu locali qui est causa soni, vel pro ipso sono: siue in sono, siue in motu locali, consideretur per singulas syllabas successio quātitatiua, saluatur ratio quantitatis discretæ in toto rigore. Nec obstat huic parti Aristot. qui in Metaphysic. orationem omisit. Quoniam ibi absolutè pro quantitate discreta multitudinem assignauit: nec curauit distinguere numerum & orationē. Itaque sub nomine multitudinis vtranq. speciē videtur complexus. Et ita ibi Commentator exponit.

Neq. magis quàm illa habet de ratione quantitatis. Probatur ex alia parte, orationem non habere in rigore plus de ratione quantitatis, quàm numerum aliarum rerum. Quia licèt maiorem vnionem partium videatur habere; tamen cùm hæc vnio non sit per continuationem: alioqui tota

oratio esset quantitas continua non discreta: adhuc est per aggregationem & propinquitatem, dum vna syllaba immediatè post aliam profertur: & oratio est totum quid, non per vnitatem per se, sed per artificialem compositionem. At hoc modo etiam in numero sumi potest numerus rerum, quæ sese immediatè loco contingunt, quæ etiam totum quoddam artificiale conficiunt: vt lapides & ligna vnius domus. Neque tamen hoc refert ad quantitatis discretæ rationem. Non ergo oratio magis habet de ratione quantitatis quàm numerus. Sed ad summum valebit dicere, quantitatem consurgentem ex partibus immediatis & cõtiguis in rationem alicuius totius, licèt artificialis, magis imitari quantitatem continuam, quæ est verè & propriè quantitas. Et hoc repetitur ēt in numero corporum: vt patet in exēplo allato domus.

Licèt autem oratio ratione syllabarum dicatur longa aut breuis. Neq. hoc quicquam refert. Quia vel intelligitur, quatenus aliqua syllaba in pronunciatione protrahitur aut corripitur. Et hoc aliud non est, quàm orationem constare ex vno motu longiori aut breuiori: sicut si in numero linearum, sit aliqua longior alijs. Vel intelligitur quatenus plures aut pauciores syllabæ possunt esse in vna dictione. Et hoc perinde est, atque numerum aliarum rerum ex pluribus aut paucioribus vnitatibus constare, & sic esse maiorem aut minorem: sicut si plures lapides, vnus post alium in longitudinem componantur, dici poterit series lapidum longior aut breuior per plures aut pauciores lapides. Neque Aristoteles illam rationem attulit ad probandum, orationem magis quàm numerum habere de ratione quantitatis: sed absolutè ad probandum habere de ratione quantitatis.

Non sola oratio, sed omnis discreta successio pertinet ad hanc speciẽ quantitatis.

Circa secundum dubium, ex vna parte est auctoritas Aristot. qui non solùm non assignauit aliud quàm orationem pro quantitate discreta successiua: sed circa medium capitis bis affirmat, sola illa quæ assignauerat, & non alia, esse per se quanta. Ex alia parte vtique considerari potest multitudo motuum, non solùm in loquendo & proferendo orationem: sed in alijs multis, in quibus non minor huius quantitatis ratio reperitur. Imo etiam in loquendo considerari potest multitudo dictionum & syllabarum, si quis non immediatè vnam post aliam, sed per interpolata spatia temporis illas proferat: tunc ex syllabis sic prolatis, non dicitur confici oratio.

Propter auctorit. Aristot. conati sunt aliqui defendere, orationem fuisse adæquatè & sufficienter assignatam. Et respondent, aliam motuum multitudinem non esse propriè quantitatem. quia ad hanc requiritur aliqua vnio & vnitas, quæ non reperitur, nisi ipsi motus sint inter se connexi atque coniuncti: sicut sunt in prolatione vnita syllabarum conficientium vnam dictionem. Vnde pariter dicunt, non esse huius generis quantitatem, illam collectionem motuum, qui simul eodem tempore fierent.

Dicendũ tamen est, non solam orationem, sed oẽm multitudinem motuũ habentium debitã successionẽ, pertinere ad hanc speciem quantitatis, quam dicimus quantitatem discretam successiuam. Probatur manifestè ratione allata: & quia nõ põt aut ratio disparitatis, aut quicquam aliud in contrarium afferri. Et maximè vrgendo exẽplum numeri. Non ergo requiritur vnio & coniunctio immediata partium. Nã numerus consurgit ex corporibus, non tantùm contiguis & aliquo artificio compactis, sed & penitus solutis atque distantibus. Imo ratio quantitatis discretæ apud Arist. potius consistit in eo quòd partes eius copulatæ non sint. Similiter nec requiritur, vt partes multitudinis successiuæ vna post aliam existãt: sicut è contra partes numeri permanẽtis non requirunt, omnes simul existere, vt supra notauimus. Deinde etiã si inter partes multitudinis successiuæ illa vnio requireretur: hæc vnio reperitur non solũ in prolatione syllabarum vnius dictionis, sed etiam in alijs motibus: vt in pulsatione alicuius instrumenti sonantis in repetita saltatione, alijsq. similibus: ergo non sola oratio adæquatè constituit hanc speciem quantitatis.

Poterit aũt hęc species discretę quantitatis, satis cõmodè adæquato vocabulo appellari, Tẽpus discretum. Hoc vtuntur Theologi agẽtes de motu Angeli, qñ cõsiderãt plures motus, vnũ alij succedẽtes.

Et opti-

Et optimè extendi potest ad omnem motuum multitudinem. quia sicut tempus continuum dicitur, quod est vnius continui motus: ità tempus discretum multitudinis motuum discretorum. Ad Arist. verò dicendum est, illum assignasse orationem, tanquam exemplum magis notum, & obuium huius quantitatis, & quod in familiari hominum sermone solet accipere denominationes quantitatis, breuitatis & longitudinis. Nec negauit alias motuum multitudines ad hanc quantitatis speciem pertinere, quam quantitatem discretam successiuam appellamus.

SECTIO SEPTIMA.

De Speciebus Quantitatis discretæ permanentis.

MVltitudo rerum permanentium considerari potest, tàm in rebus spiritualibus, quàm corporeis. Vnde in has duas species diuidi posse videtur. Sed dubium valde est, an multitudo rerum spiritualium sit numerus huius prædicamenti, & quantitas discreta etiam in ijs rebus inueniatur.

An tàm multitudo rerum spiritualium quàm corporaliũ sint species quantitatis.

Negant S. Thom. 1. part. quæst. 11. art. 1. ad 1., & quæst. 30. art. 3., 5. Metaph. lect. 2., in 1. d. 24 quæst. 1. art. 3., & alibi. Durand. Capreol. Aegid. & alij eadem dist. Caiet. & alij Thomistæ in locis primæ part. Iauell. 8. Metaphysic. quæst. 9. Soncin. lib. 10. quæst. 13. Sotus, Sanc., Ruuius, & quidam alij in hoc prædicam. Henric. Quodl. 4. quæst. 5. Alens. 5. Metaph. text. 12. & 18. & alij frequenter. Fons. 5. Met. cap. 13. q. 4. Suar. d. 41. sect. 2. Hæc videtur sent. Arist. multis in locis, & Auerr. cum ipso. 3. Physic. text. 41. ait, numerum non esse separatum & infinitum. Et text. 68. numerus est vna plura & quanta quædam. & lib. 2. & 3. de Anima, ponit numerum inter sensibilia, quæ vtique non sunt nisi corporea. 6. Metaph. text. 2. ait, scientias mathematicas esse de rebus quæ in re non abstrahunt à materia: & tamen constat agere de numero. 10. Metaphys. text. 2. & 3. ait; mensuram primariò esse rei quantæ, & inde ad alia deriuari; primam autem mẽsuram esse vnum quod est principium numeri. Et text. 21. ait, multitudinem esse quasi genus numeri, quia numerus est multitudo mensurabilis vno. Et alijs in locis similia docet.

Ex opposito affirmant alij, numerum tàm in rebus spiritualibus quàm corporeis reperiri. Ita Richard. Aureol. Gregor. Major Ocham. Gabr. & alij in 1. d. 24. & nonnulli circa hunc locum.

Punctum controuersia præfigitur.

Controuersiam hanc Soncin. & quidam alij dicunt esse de nomine. Sed melius dicemus, controuersiam hanc potius esse de huius prædicamenti structura. Nam non solùm de re planè constat, tàm in rebus spiritualibus, quàm in cęteris, inueniri plura & multa: sed etiam de modo loquendi in illis pariter dici, tum multitudinis, tùm & numeri nomen. quis est enim qui non dicat multitudinem Angelorum, numerum Angelorum? & in specie numerando dicimus; duo Angeli, tres Angeli, & vltra. Solùm ergo controuersia remanet, num sola multitudo rerum corporearum, an etiam spiritualium, in hoc quantitatis prædicam. ponatur. Vnde illi qui negatiuè respondent, distinguunt numerum transcendentalem communem omnibus rebus, & prædicamentalem quem dicũt in solis rebus corporeis reperiri.

Dicendum videtur, sicut in alijs similibus dubijs antea respondebamus. Cùm prædicamentum sit artificium quoddam ad cõmoditatem humani intellectus elaboratum: dupliciter posse hoc prædicamentum construi. Et vno modo omnem numerum: alio modo solùm numerum rerum corporalium esse speciem quantitatis prædicamentalis.

Potest vno modo prædicamentum quãtitatis vtranque multitudinem complecti.

Primo modo sumi potest quantitas discreta pro omni multitudine rerum cuiuscunque generis: sic planè complectitur etiam numerum rerum spiritualium. Posseque hoc modo sumi, efficaciter demonstratur. Primò quia definitio iam tradita de quantitate discreta, cuius partes non copulantur termino communi, nullum rerum genus excludit: & pariter definitio illa communissima Arist. quantum est diuisibile in ea quæ insunt, nullam restrictionem habet. Et vtraque definitio optimè conuenit omni multitudini. Item proprietates, tàm quantitatis discretæ, quàm quãtitatis in cõmuni, de omni multitudine verificantur: vt, non habere contrarium, æquale & inæquale dici, mẽsurari

& mensurare: & cætera quæ Arist. tum hoc loco tum 5. Metaph. docuit. Rursus, numerum esse parem vel imparem, esse diuisibilem in partes æquales aut inæquales, esse perfectum aut imperfectum, esse quadratum, & cætera quæ Arithmetici demonstrant. Et tota arithmetica doctrina generaliter procedit de omnibus rebus: nihilque curat, quales sint res numerabiles, an corporeæ vel spirituales. Imo etiam si tota rerum corporearum multitudo periret: adhuc tota doctrina arithmetica integra in sua numerali supputatione subsisteret.

Secūdò probatur magis, numerum posse sic acceptum in hoc prædicamento locari. Quia par ratio est de numero omnium rerum, tam spiritualium, quàm corporalium. imo numerus sic in communi sumptus communitatem vniuocam suo modo habet respectu omnium rerum, si formaliter accipiatur. Nam ratio colligendi ordinandi numerandi vnitates, eadem est in intellectu, respectu omnium rerum: vt manifestè patet. Ergo quo loco ponitur numerus, adæquatè ponitur in prædicam. pro omni numero.

Diī equa ratio in vtraque procedit. Tertiò. Tota ratio Auctorum primæ sententiæ est. quia, cùm numerus sit collectio vnitatum; in rebus quantis inuenitur vnitas positiua, in continuatione consistens, distinctaque à re cuius est vnitas; & vnitas vnius rei quantæ cum vnitate alterius habet proportionem, vt simul faciant vnum quid: vnitas verò aliarum rerum in sola negatione consistit. Verùm hæc ratio iam diruta manet ex dictis sect. 2. Nulla enim multitudo rerum, est ens quoddam reale & positiuum, distinctum a cæteris, per se vnum: neque ea ratione quantitas discreta erat propriè quantitas, & huius prædicamenti vera species. Præterea nunc addi potest, non solùm in rebus quantis, sed etiam in aliis rebus, inueniri posse vnitatem positiuam, distinctam: videlicet in aliis rebus compositis, in quibus, considerare est vnionem partium, atque adeò vnitatem compositionis positiuam: ac præsertim in qualitatibus intensis, non minus spiritualibus quàm corporeis.

Nec obstat nomē quātitatis. Quartò. Turbare nos non debet quantitatis nomen, à quo res spirituales abhorrere videntur. Nam hoc nomen, si sumatur pro quantitate molis, quæ significat extensionem corpoream: nullo modo in rebus spiritualibus inuenitur. At si amplè sumatur: sicut dici potest quantitas successiua etiam de motibus spiritualibus successiuis; ita dici potest quantitas discreta etiam de rebus spiritualibus in multitudinem adunatis.

Nec numerus Diuinarum personarum. Quintò. Etsi numerum rerum spiritualium in hoc prædicam. ponamus: non propterea ponere volumus numerum ternarium Personarum diuinarum, siue binarium duarum personarum. Idquè duplici ratione. Vna communis est: quia, in vniuersum prædicamenta non nisi de rebus creatis ordinantur. Altera propria est: quia quantitas discreta, est rerum, quæ non copulantur aliquo termino communi. At Diuinæ personæ non solùm coniunctæ sunt, sed idem prorsus in vna singulari natura. Frustra ergo aliqui inferunt: quòd si numerus rerum spiritualium, etiam numerus Diuinarum personarum in hoc prædicamento ponatur.

Nec auctoritas Aristot. Huic demum assertioni non obstant loca Arist., antea allegata. In primo tantùm voluit, non dari multitudinem separatam & infinitam, idest præter eas res quæ finitæ sunt & nobis notæ. In secundo tantùm voluit, multitudinem esse quanta quadam quantitate discreta. In tertio assignauit numerum vtique rerum sensibilium inter sensibilia communia: non propterea negauit numerum etiam in rebus non sensibilibus. Ad quartum: quomodo scientiæ mathematicæ non abstrahant à materia, & Arithmetica versetur circa numerum, tractabimus q. 27. In quinto, tantùm voluit, rationem mensuræ in quantitate primariò reperiri: idest quantitate mensurari, & inde ad alia deriuari: & per quantitatem intellexit, non solùm continuam, sed etiam discretam. Initium autem mensuræ dixit esse numerum, quia hæc est simplicissima mensura, in quam omnis composita mensura resoluitur: vnum autem esse principium numeri. Non ergo dixit, vnum & numerum in solis rebus corporeis inueniri. In sexto demum loco dixit, multitudinem esse genus numeri, quia sumpsit numerum pro multitudine finita: ideoquè numerum definiuit, multitudinem mensurabilem vno

Alio

Alio modo hoc prædicamentum continet solum numerũ corporalium.

Alio secundo modo sumi potest taliter quantitas discreta, & quantitas in communi, vt multitudinem rerum spiritualium non includat: & ita numerus de prędicam. quantitatis in solis rebus materialibus inueniatur. Explicatur & probatur primò. Quantitas sumi potest ita vt idem sit dicere quantitas quòd extensio: quæ postea diuidatur in continuam & discretam. Sic idem erit dicere quantitas discreta, quòd extensio discreta, siue plures extensiones non continuæ. Item quando definiebatur quantitas in communi, quæ est diuisibilis in partes, intelligi potest in partes extensas: & quantitas discreta, cuius partes extensę sunt, & non sunt copulatæ, sed sunt discontinuæ. Sic patet, vnitates ex quibus quantitas discreta conflatur, esse vnitates continuatiuas & extensiuas: atque adeò res spirituales in hac acceptione numeri prædicamentalis non includi.

Et alia multitudo per reliqua prædicamẽta vagatur.

Secundò. Reddi potest ratio, cur possit etiam hoc modo prædicamentum construi, & prædicamentalis quantitas explicari. Quia cùm multitudo non sit ens quoddam distinctum à reliquis, & per se vnum non oportet vt adæquatè in aliquo certo prædicamento ponatur: sed vagatur per omnia. multitudo substantiarum, idest multę species, indiuidua substantialia, ponuntur in prædicamento substantiæ: & sic de alijs. Hoc ergo modo in prædicamento quantitatis ponetur multitudo quantitatum, idest illarum quæ sub quantitate continua continentur, quarum proinde numerus dicetur prædicamentalis de prædicam. quantitatis.

Atque adeò idem erit in hoc sensu diuidere quantitatem in continuam & discretam, atque dicere quantitas vel vna vel multiplex, loquendo de ipsa quantitate continua. Sicut in toto ambitu entis, Arist. diuisit vnum & multa. Vnde fit, pariter in prædicam. substantiæ potuisse diuidi, substantia vel vna vel multiplex, & sic in reliquis prædicamentis. Sed adhuc reddi potest ratio, cur singulariter in prædicam. quantitatis, & non in alijs, hæc diuisio facta sit: nempe propter communem consuetudinem loquendi. Quia cùm in genere quantitatis, hæc ipsa multitudo habeat ipsum quantitatis nomen, atque vocetur quantitas discreta: non immeritò distinctè explicanda fuit. quod non ita erat in alijs prædicamentis necessarium.

Itaq. sola multitudo accidẽtaliter dicitur de subiecto.

Tertiò. Alia magis propria & accommodata ratio reddi potest. Quia quantitas huius prædicamenti, cùm sit de genere accidentium, debet accidentaliter dici de rebus: at in quodam sensu, numerus qui dicitur de rebus quantis & extensis, accidentaliter de ipsis dicitur: de alijs autem rebus dicitur magis intrinsecè & entitatiuè: ergo non immeritò sola rerum extensarum multitudo poterit in hoc prædicamento reponi. Minor in qua consistit vis huius rationis ostenditur. quia numerus & distinctio intantum dicitur de rebus, inquantum vnitæ & continuatæ non sunt, iuxta definitionem quantitatis discretæ: sed extensio ex natura sua potest esse tota continuata, atque adeò res quæ tali quantitate extenduntur, possunt ex natura sua continuari. Huiusmodi autem sunt, de rebus permanentibus loquendo, solæ res corporeæ: res verò spirituales ita diuisæ & discretæ sunt, vt nullatenus hoc modo continuari possint. Ergo ista discretio atque numerica multiplicatio, est accidentalis ipsis rebus corporeis, non autem rebus spiritualibus. quod erat probandum. Quod si adducantur qualitates intensæ, quæ si saltem per Dei potentiam copulari possint, etiam accidentaliter discretæ videntur: dici potest. Aut propterea illarum etiam discretionem in hoc numeri genere contineri. Aut, quòd sicut intensio qualitatis non spectat ad prædicam. quantitatis, sed ad proprium qualitatis, ita & discretio qualitatis.

Per se sumitur pro multitudine quantitatum continuarum.

Quartò. Addendum est, quantitatem discretam iuxta hanc explicationem per se & formaliter consistere in multitudine ipsarum quantitatum continuarum, siue extensionum, per quas res aliæ extenduntur; hasque esse formaliter vnitates ex quibus talis numerus consurgit. Multitudo autem omnium aliarum rerum, si consideretur præscindendo ab extensione, potius ad alia prædicamenta spectabit, sicut ipsæ res. Si verò considerentur tales res quatenus extensæ: vt sic etiam ipsarum multitudo ad hoc prædicam. sub quantitate discreta reducetur; non quidem per se, sed per accidens

inquantum ſtant ſub extenſione. Nam Ariſt. in hoc prædicam. diſtinguit quantum per ſe & per accidens. Et ſicut in ſubſtantia corporea, extenſio quidem ipſa eſt per ſe ſpecies quantitatis, ſubſtantia autem eſt quanta per accidens, id eſt per extenſionem quę eſt eius accidens: ita prorſus quantitas diſcreta per ſe conſiſtet in ipſis extenſionibus rerum, de rebus autem ipſis dicetur per accidens.

Cæterùm rationes huius concl. non obſtant, quominus omnis multitudo rerum conſiderari poſſit, quatenus accidit naturæ communi abſolutè ſpectatæ, intra quam ipſæ res multiplicantur; & magis quatenus dicit collectionem vnitatum & ordinem numeralem, quo modo multò magis accidentaliter tribuitur ipſis rebus, ab iiſque diſtinguitur, vt poſſit iuxta priorem huius prædicamenti conſtructionem dictam, pertinere ad hoc prædicamentum ſub genere quantitatis diſcretæ.

De ſpeciebus varijs numerorum. Aliud dubium circa numerum in hac re ſupereſt, vtrum numerus quarumcunque rerum rurſus in alias ſpecies diſtinguatur. Quod duplici ex capite quæri poteſt. Primò an numeri diuerſi, videlicet par & impar, imo & ſinguli numeri, vt binarius ternarius & cæteri, ſpecie differant. Secundò, an numeri diuerſarum rerum, vt denarius hominum & denarius equorum ſpecie differant. Ratio dubitandi eſt. quia ex vna parte, numeri diuerſi, etiam ſi ſint rerum eiuſdem ſpeciei, vt binarius hominum & ternarius hominum, dici ſolent diuerſæ ſpecies numerorum: & è contra numeri æquales diuerſarum rerum, vt denarius hominum & denarius equorum, dicuntur vna ſpecies numeri. Et hoc planè dixit ipſe Ariſt. 4. Phyſ. tex. 110. *Numerus vnus & idem centum equorum & centum hominum; quorum autem numerus eſt, diuerſa ſunt.* At ex alia parte numeri diuerſi earundem rerum ſolùm differre videntur per magis & minus: ſicut in quantitate continua differunt maior & minor moles: magis autem differre videtur numerus conſimilis diuerſarum rerum: nam decem equi vtique ſpecie differunt à decem hominibus.

Quomodo numeri materialiter aut formaliter ſpecie diſtinguãtur. Hoc dubium breuiter reſoluendum eſt cum diſtinctione, qua vtraque ratio propoſita aliquid pro ſua parte conuincat. Numerus ergo dupliciter ſumi poteſt. Vel formaliter, quatenus dicit collectionem & ordinem atque collectionis & ordinis vnitatem. Vel materialiter, quatenus dicit res ipſas numeratas. Primo modo, diuerſi numeri, licèt earundem rerum, dici debent eſſe diuerſæ ſpecies numerorũ: & è contra numeri æquales diuerſarum rerum, eſſe eiuſdem ſpeciei. Patet facilè. quia ſi formaliter loquamur, non attenditur in numero, quænam ſint res numeratæ, ſed ſolùm qui ſit ipſe numerus: diuerſa autem collectio eſt in illis numeris diuerſis. Et iuxta diuerſitatem numerorũ fiunt variæ proportiones, coniunctiones, & oppoſitiones numerorum: vt in Arithmetica manifeſtum eſt. Et in hoc ſeruandus eſt communis vſus loquendi. Secundo modo, numeri licèt æquales diuerſarum rerum, dici debent diuerſæ ſpeciei: è contra numeri licèt inæquales rerum eiuſdem ſpeciei, dicentur vnius ſpeciei. Patet non minus facilè, quia hoc nihil aliud eſt quam dicere, res numeratas eſſe eiuſdem aut diuerſæ ſpeciei. Itaque poterit pro vtraque parte rectus teneri loquendi modus, dicendo: in binario & ternario hominum, res numeratas eſſe eiuſdem ſpeciei, numeros eſſe diuerſæ: è contra in ternario hominum & equorum, res numeratas eſſe diuerſæ ſpeciei, numerum eſſe eiuſdem. Quoniam numeri nomen in communi loquutione, ac etiam apud ſapientes, magis accipitur formaliter.

Non obſtante incluſione numerorũ vnius in alio. Sed ſupereſt difficultas: quia vna ſpecies numeri includitur in alia: ergo non ſunt diſtinctæ ſpecies: aut ſaltem non completè & adæquatè, ita vt diſtinctè in prædicamento ponantur. Aſſumptum patet: quia v. g. ſenarius conſtat ex duobus ternarijs, quinarius ex ternario & binario, & ſic de reliquis.

Ad hoc Soncin. 10. Metaph. q. 10. ratione 4. ſignificat, nequaquam vnam ſpeciem numeri includi in alia, nec ſenarium conſtare ex duobus ternarijs: ſed vnamquanque ſpeciem eſſe per ſe ipſam diſtinctam ab alia. Fauet Ariſt. 5. Metaph. 19. vbi videtur dicere, ſex ſecundùm ſpeciem & ſubſtantiam ſuam non eſſe bis tria, aut ter duo, ſed tantùm eſſe ſemel ſex.

At

At negari non potest, vnum numerum aliquo modo includi in alio. Tum quia per se notum apparet, in senario includi duos ternarios, siue tres binarios, & sic de alijs. Tum quia certè binarius includit duas vnitates, quaternarius quatuor vnitates: nam numerus constat vnitatibus. Sed perinde est dicere, quaternarius includit duos binarios; imo magis differt vnitas quàm binarius à quaternario. Ergo dici debet quaternarius includere duos binarios. Tum etiam ipsa numerorum nomina hoc ipsum indicant. Nam quindecim planè dicit decem & quinque: ducentum duos centenarios: & sic de similibus. Tum demum hac ratione in Arithmetica quidam numeri dicuntur compositi, quia ex minoribus numeris componuntur: sicq. ibi dicitur, duo ducta per ter efficere sex, aliæquè similes regulæ traduntur.

Vel ergo dicendum est, sicut ab initio numerus deficit à vera & rigorosa ratione speciei, & ab vnitate alijsquè conditionibus requisitis: ita non esse inconueniens, species numerorum deficere ab illa distinctione & impermixtione quæ inter alias species reperiri solet: atque adeò benè posse vnam numeri speciem includi in alia. eoquè magis, quod etiam in quantitate continua linea includebatur in superficie, superficies in corpore.

Vel dici potest, binarium, v. g. & sic quemlibet numerum, posse sumi dupliciter. Primò sistendo in illo & non vlterius numerando. Secundò procedendo vlterius alias vnitates addendo. Primo modo esse certam numeri speciem quæ dicitur binarius. Secundo modo non esse in se certam speciem, sed esse partem quandam incompletam, in potentia ad componendas alias numerorum species. Verum est tamen, binarium hoc modo sumptum non dicere aliquid positiuum vltra dualitatem vnitatum: sed potius dicere negationem vlteriorum vnitatum. Et ita in sua illa specifica ratione, negatione completur.

Ad locum Arist. in primis dici posset, senarium non esse duos ternarios, sumendo ternarium negatiuè modo nunc assignato: quia esset implicantia in adiecto. Aut senarium non esse duos ternarios, si ternarij distinctè sumantur. Si quis enim modò numeret tria, postea alia tria, neque hæc illaquè coniungat: non dicetur numerasse vsque ad sex, sed bis numerasse vsque ad tria. quia requiritur vnitas collectionis inter duos ternarios, vt senarium verè conficiant. Sed proprius sensus illius loci est. Substantiam sine essentiam numeri consistere in ipsa totalitate numeri: alias autem comparationes & proportiones per cōsiderationem partiū, dici potius qualitates numeri. Potius ergo Arist. ibi supponit, numerum maiorem reuera includere minores.

Postremò explicandum est quod dici solet, in singulis numerorum speciebus vltimam vnitatem esse formam numeri; siue esse differentiam dantem numero speciem. Hoc sumptum est ex Arist. 8. Metaph. tex. 10. vbi ait, essentias rerum esse sicut numeros. quare sicut vltimus gradus essentialis rei dicitur eius forma & differentia, ita dicetur vltima vnitas respectu numeri. Idem significat S. Thom. ibi lect. 3. Vnde hunc loquendi modum defendit Capreol. in 1. d. 24. q. 1. contra Aureolum, & Bartholomeus Spina in Defensione super eundem locum S. Thomæ contra Anton. Andr. & ex parte Soncin. 10. Metaph. q. 9. Explicant etiam & defendunt Masius sect. 2. de Quant. q. 5. & alij recentiores Thomistæ. *Quomodo vltima vnitas sit veluti forma et differentia specierum numeri.*

In contrarium verò, hunc loquendi modum impugnant, non solùm Aureol. in 1. d. 24. & Anton. Andr. 8. Metaph. sed quidam alij, dicentes, formam & differentiam numeri potius esse discretionem suarum vnitatum, siue collectionem ipsarum vnitatum. Probant autem, non rectè dici vltimam vnitatem esse formā & differentiam numeri, præcipuè ex duplici capite. Tum quia forma & differentia dicitur per respectū ad materiam & genus: sed in numero priores vnitates dici non possunt materia, nec genus. Tum deinde quia non solùm per vltimam vnitatem, sed etiā per primam aut quācunque mediam, si addatur, aut detrahatur, numeri species variabitur. Imo per accidens est, quòd hæc vel illa sit vltima vnitas. Nam si in numero, v.g. quaternario, quæ prius ponebatur prima ponatur quarta, & è conuerso: vtique non variatur numerus.

Sed nihilominus rectè defendi pōt ille loquendi

loquendi modus. Non ita quidem, quasi vltima vnitas sit propriè forma vel differentia. Hoc enim nullatenus dici potest. Et ita frustra affertur prima ratio in contrarium. Sed solùm quod se habent ad instar formæ aut differentiæ. Et similitudo stat in hoc, quòd sicut forma & differentia est illa, quæ vltimò complet & specificat essentiam rei, facitque rem à cæteris omnibus differentem: ita vltima vnitas est quæ complet ternarium, & sic de singulis. Imo vltima vnitas sortitur eandem denominationem cum numero quem constituit, tertia vnitas ternarij, decima denarij, centesima centenarij. Item sicut forma est quæ superuenit materiæ, & differentia generi; & è contra est quæ primò auferrur in resoluenda specie: ita pariter se habet vltima vnitas in numero.

Vnde ruit etiam secunda ratio in contrarium allata. quia licèt per additionem aut detractionem cuiuscunque vnitatis, species numeri varietur: tamẽ prçcipuè hoc fit per additionẽ & detractionem vltimæ. Et in communi numerandi vsu hoc maximè obseruatur. Additur enim ad finem numeri, indeque incipimus detrahere. Sicut ergo species naturalis variatur etiam per mutationem materiæ aut generis, tamen designamus formam & differentiam: ita in numero designamus vltimam vnitatem. Imo quomodocunque addatur aut detrahatur aliqua vnitas: variatio tandem inuenitur in vltima vnitate. Nam si in numero, v.g. denario, addatur quæcunque vnitas, fient vndecim: sic additur alia vltima vnitas supra decimam. Et si quæcunque vnitas auferatur, remanent nouem: vnde vltima, idest decima vnitas, est ablata. Per accidens etiam est, hanc vel illam esse vltimam, idest vltimo loco numerari: sed per se formaliter est, quòd detur vltima. Et variatio materialis rerum, aut ordinis earum, non variabit formalem numeri speciem. Itaque forma & differentia numeri, v.g. denarij, non consistit in eo quòd hęc vel illa res vltimo loco ponatur: sed solùm quòd aliqua sit quæ vltimo loco decem compleat.

Fateor, perinde hoc esse, ac dicere essentiam specificam denarij consistere in habendo decem vnitates, non plures aut pauciores. Vnde etiam dici potest, formam & differentiam denarij consistere in tot suis vnitatibus, includendo omnes & singulas. Neque aliud voluerunt Arist. & S Thom. Vbi non malè Soncin. 10. Metaph. quæst. 9. & Iauell. 8. Metaphysic. quæst. 10. dicunt, omnes simul vnitates esse formam numeri, idest esse totam entitatem & quidditatem numeri: vltimam verò vnitatem esse formam partis, idest quæ præsuppositis tot vnitatibus, est pars complens tantùm numerum.

Quod autem alij dicebant, discretionem aut collectionem esse formam & differentiam numeri: verum est, sumendo numerum seu quantitatem discretam in communi, quæ vtique per talem differentiam vltimò constituitur, & à quantitate continua distinguitur. Sed distinguendo varias numerorum species, aliter erat singulorum forma & differentia propria assignanda.

SECTIO VIII.

De speciebus Quantitatis discreta successiua.

IN primis simile dubium circa hanc quantitatem insurgit: an diuidi etiam possit in multitudinem motuum successiuorum, non solùm in rebus corporeis & extensis, sed etiam spiritualibus & incorporeis. Quod licèt videri posset iam resolutum manere ex dictis circa numerum: tamen quia non omnino similem cum illo resolutionem habet, est hic distinctè tractandum.

Successiones motuũ, tàm in rebus spiritualibus, quã corporalibus, sunt species huius quantitatis.

Atque dicendum, quantitatem discretam in toto rigore atque proprietate, etiam in rebus spiritualibus reperiri eo modo quo in rebus corporalibus inuenitur. Fundam. huius assertionis sumitur ex dictis antea sect. 3. vbi ostendimus, quantitatem successiuam etiam in rebus spiritualibus, in earum nempe motibus, propriè reperiri. Quoniam, non sicut repugnat rebus spiritualibus extensio in ordine ad locum, pariter repugnat extensio in ordine ad spatium temporis. Si ergo quantitas discreta in rigore sumatur, vt tantùm dicatur de quantitatibus continuis, siue de rebus hac quantitate exten-

extensis, & discretè multiplicatis: cùm in rebus spiritualibus sit propriè quantitas successiua, sintquè motus successiuè quanti: iam in ijs saluatur quantitas discreta propissimè dicta in ratione quantitatis successiuæ, consistens in multitudine & collectione extensionum & quantitatum successiuarum, siue motuum successiuè extensorum.

Et minus differunt quàm in numero verũ permanentium.

Vnde sequitur, multò minus distingui in quantitate discreta successiua, speciem eius in rebus spiritualibus atque corporalibus; quàm in quantitate discreta permanenti distingueretur numerus rerum spiritualium atque corporalium. Quoniam in genere quantitatis permanentis maxima distinctio inuenitur: dum numerus rerum corporalium dicit numerum ipsarum quantitatum, in rebus verò spiritualibus nequaquam. At in genere quantitatis successiuæ, tàm in rebus spiritualibus, quàm materialibus, multitudo constituens hanc quantitatem, est verè multitudo quantitatum, quæ sic optimè efficiunt quãtitatem discretam ex ijs collectam atque conflatam.

Itaque si accipiatur in hoc prædicam. quantitas in communi, atque etiam quantitas discreta, in illa proprietate atque rigore quem sect. præced. 2. loco adduximus: adhuc inquam in illo sensu etiam in rebus spiritualibus inuenitur propriè quantitas discreta successiua, quamuis non inueniretur quantitas discreta permanẽs. Quod est valde notandum.

Quomodo Arist. dixerit, solam vocalem orationẽ esse speciẽ huius quantitatis.

Solùm obstare potest, quòd Aristot. in hoc prædicam. dum sub quantitate discreta orationem à numero distinguit, apertè declarauit se intelligere orationem voce factam. Quod non ex alio motiuo declarauit, nisi ad excludendam orationem mentalem quæ cõsistit in actibus intellectus: sed oratio pertinet ad quantitatem discretam successiuam, vt supponimus: ergo hæc quantitas inuenitur solùm in syllabis voce prolatis, non autem in actibus intellectus. Quod non potest in alia ratione fundari, nisi quia voces ore prolatę materiales sunt, actus verò mente eliciti spirituales & incorporei: ergo hoc quantitatis genus non in rebus spiritualibus inuenitur.

Ad hoc dicendum est, Aristot. excludere voluisse orationem mentalem à genere quantitatis discretæ, non quia spiritualis est, sed ob alias rationes. quæ duæ possunt afferri. Vna quòd actus intellectus non sunt successiui ad instar motus: sed singuli actus vel in instãti fiunt & statim transeunt, vel pro aliquo tempore permanenter durant: hoc autem genus quantitatis non consurgit nisi ex motibus successiuis. Altera ratio est: quia non ita se habet actus mentis correspondens orationi vocali, sicut ipsa oratio vocalis. Nam dum vnum vocabulum ore profertur, in illo sunt plures syllabæ, atque adeo plures motus; quod requiritur ad rationem quantitatis discretæ: Illi tamen vocabulo vnus actus correspondet in mente, non discretus in plures partes ad instar syllabarum. Meritò ergo Arist. explicauit, orationem vocalem, non autem mentalem, esse quantitatem discretam. Et hoc planè consonat verbis Aristot. qui reddit rationem, cur dixerit orationem voce factam: quia huius orationis partes, ad nullum communem terminum copulantur.

An etiam oratio breuis & longa, speciæ distinguãtur.

Aliud dubium circa hanc quantitatem superest, an amplius alio modo species eius distinguendæ sint. Sed non oportet hìc repetere, quomodo si variæ successionum species distinguantur, sic etiam variæ species in earum collectione & multitudine, saltem materialiter differentes, eo modo quo antea diximus de numero. Sed peculiare quoddam dubium est circa orationem, quam Aristot. specialiter nominauit. quandam enim orationis distinctionem ipse Philosophus indicauit, Oratio est breuis aut longa. Et hæc distinctio videtur specifica. Ita significat Toler. hic quæst. 2. Quoniam diuersus valde est in loquendo vsus orationis breuis & longæ. Et ex hac parte, in carminibus per artem poeticam construendis, diuersi pedes, vt vocant, diuersimodè distinguuntur. & hæc diuersitas videtur specifica: diuersæ etiam ipsorum carminum species inde resultant.

Verùm, quamuis ad vsum artificiosæ compositionis dici possint orationes tali modo differẽtes, specie differre: tamen in rigore logico si sumatur vna syllaba breuis & alia longa; hæ non plus differunt, quàm si in quantitate permanenti sumantur

tur vna linea breuis & alia longa. Quomodo tota differentia solùm in eo consistit, quòd successio in motu prolationis syllabæ, breuior sit aut longior. Si autem duæ dictiones sumantur ex totidem syllabis constantes, vna tamen longis, altera breuibus: hæ non magis differunt, quàm si in quantitate permanenti duo linearum numeri sumantur æquales in multitudine, sed vnus sit linearum longiorum, alius breuiorum. Si demum sumantur duæ dictiones, altera pluribus, altera paucioribus conflata syllabis: hæ pari modo different, sicut in rebus permanentibus duo numeri inæquales. quæ autem & qualis sit huiusmodi differentia, iam antea dictum est.

An falsò distinguātur realiter.

Addunt aliqui aliam rationem ad probandum, orationem breuem & longam non differre specie. quia hæc tota differentia ex hominum voluntate dependet, quòd alias syllabas duxerint corripiendas, alias producendas. Vnde interdum ad solam variationem significationis, eadem syllaba profertur aut breuis aut longa: vt patet in hac voce, lèporem, ad significandū quoddam animalis genus; & lepòrem, ad significandam venustatem dicendi.

Hęc tamen ratio solùm probat, orationes siue syllabas obiectiuè sumptas, ex se non differre per breuitatem & longitudinem: quia ipsæ ex se sunt indifferentes, nec magis exigunt sibiquè determinant, vnam quàm aliam pronunciandi formam: sed tota differentia ex hominum arbitrio prouenit. At certè si consideretur ipsa formalis pronunciatio, siue sonus & motus, correptus, aut productus: hæc differentia breuitatis & longitudinis est realis in ipsis rebus, etiam quando eadem syllaba, modò breuis modò longa profertur. Non ergo sufficienter ea ratione probatur, hanc differentiam non esse specificam: nisi addendo, quòd tota consistit in maiori aut minori extensione successiua, vt dicebamus. quod non sufficit ad diuersitatem specificam inducendam.



SECTIO NONA.

De Attributis & Proprietatibus Quantitatis.

Quasdam quātitatis proprietates seu attributa Aristot. in hoc prædicamento recenset: sicut fecit in prædicam. subst. quasdam etiam assignat 5. Metaph. cap. de Quanto. & quasdam alias ex alijs locis collectas addemus.

Prima proprietas, nō habere cōtrarium.

Prima quam Aristot. hoc locò assignat, est, Non habere contrarium, quæ communis est quantitati cum substantia. Et hoc debet intelligi. Tū quòd extra genus quantitatis non inueniatur in alijs rebus forma propriè contraria quantitati. licet enim quantum & non quantum, corporeum & incorporeum opponantur: tamen non se habent vt formæ quæ in communi subiecto mutuò se expellant, sicut requiritur ad contrarietatem propriè dictam. Tum quòd intra ipsum genus & prædicam. quantitatis non inuenitur vna quantitas contraria alteri. Hoc autem explicat Aristot. in definitis, idest determinatis & certis speciebus quantitatis: quasi non negans, inter superiora genera quantitatis posse contrarietatem aliquam inueniri, nempe inter quantitatem continuam & discretam. Nam potest idem corpus, modò continuari, modò in numeros diuidi: modò suas partes copulatas, modò disgregatas habere. Quo pacto continuatio & discretio suo modo contrariè opponuntur. At de reliquo species quantitatis non sunt sibi contrariæ: quia non vna aliam de communi subiecto expellit, vt consideranti patebit.

Solùm videbantur opponi magnum & paruum, multum & paucum. Ad quæ Aristot. ait, potius dici relatiuè, & relatiuè opponi. quia magnum non dicitur, nisi respectu parui, & è conuerso. Vnde vnum & idem subiectum dici potest magnum & paruum: magnum respectu minoris: paruum respectu maioris. Addi potest magnum & paruum in quantitate non opponuntur, nisi sicut intensum & remissum in qualitate: vt ergo calor vt vnum & vt octo non sunt contraria; ita nec magna & parua quantitas. At verò in lo-

in loco qui est species quantitatis, ferè admittit Aristot. sursum & deorsum esse contraria. Explicat tamen, eos qui hoc dicebant, aliam attulisse contrariorum definitionem, dicentes: contraria esse quæ sub eodem genere maximè distant. Cæterùm quomodo in genere quantitatis versetur motus propriè dictus, de cuius ratione est, esse inter terminos contrarios; datur enim augumentatio quæ est motus ad quantitatem; suo loco in Physicis dicemus.

Secunda, nō suscipere magis et minus. Secunda proprietas quantitatis, etiam ipsi substantiæquè communis ab Aristot. adiungitur, Non suscipere magis & minus. Quod intelligitur secundùm intensionem: quia alioqui secundùm extensioné suscipit, vt patet. Discrimen autem est, quòd in intensione quidē propriè dicitur magis & minus, magis calidū minus calidum: sed in extensione dicetur potius maius & minus, linea maior linea minor, numerus maior numerus minor. Quamuis negandum non sit, commutatis nominibus dici posse maiorem minoremvè calorem, & quantitatem magis aut minus extensam. Sed priores loquendi formulæ plus appropriatæ sunt. Hinc fit, vt sicut proprietas qualitatis esse dicetur suscipere magis & minus: ita hic dici posset, proprietatem quantitatis esse sucipere maius & minus. Quòd Aristot. ideo fortasse distinguere non curauir, quòd ad sequentem proprietatem reduci posse putauit.

Tertia, æquale & inæquale dici. Tertia proprietas, quam Aristot. in hoc prædicam. tanquam maximè propriam quantitatis assignat, est, Aequale & inæquale dici. Et intelligit esse ita propriam, quia conuenit omni & soli quantitati. Addi potest, & semper: vt habeat omnes tres conditiones traditas à Porphyr. de proprio quarto modo. Conuenit ergo omni quantitati, sumendo singulas quantitates sub suis certis speciebus. Nam alioqui si in communi sumatur quantitas continua & discreta, permanens & successiua: dici non possunt inter se æquales aut inæquales. Sed æqualis aut inęqualis dicitur linea lineæ, superficies superficiei, corpus corpori, tempus tempori, numerus numero. Item conuenit omni quantitati, si comparetur alteri eiusdem generis, dummodo existant duæ quantitates illius generis. Atque de facto nulla sanè quantitas est, cui non inueniatur alia proportionata: ita vt inter se æquales aut inæquales dicantur. Nam tempus, quod difficultatem ingessit Fonsecę quinto Metaphysic. cap. 13. quæst. 13. quia est vnicum pro omnibus rebus, quod conficitur motu primi mobilis: manifestè etiam habet cum quo comparetur; tum cum tempore intrinseco motus aliorum cælorum, cui est æqualis; tum aliorum motuum, cui est inæquale, est enim maius. Quòd si vna sola quantitas esset in certa aliqua specie, hæc saltē aptitudine esset æqualis & inæqualis respectu aliarum possibiliū. Ita hæc proprietas conuenit omni quantitati. Et hinc etiam facilè colligitur, qualiter conueniat semper.

Conuenit demum soli quantitati, si in rigore sumatur. Dupliciter enim sumi potest. Vel in rigore, esse æquale & inęquale in extensione siue discretione. Sic soli competit quantitati, & per quantitatem rebus quantis. Vel magis amplè, ita vt ad alia multa, imo ad omnia amplietur. Sic enim dicitur vna qualitas, vna albedo, æqualis aut inæqualis alteri, vnum pondus æquale aut inæquale alteri. Imo & vna substantia dicitur in sua perfectione essentiali æqualis aut inæqualis alteri: & sic de alijs rebus. Nec mirum, hanc denominationem esse sic ampliatam, quando & ipsum quantitatis nomen ita ampliatum est, vt dicatur quantitas perfectionis & virtutis. Per quandam ergo imitationem quantitatis, æquale & inæqua le de alijs etiam rebus dicitur.

Quarta. multum & paruū, longum et breue etc. Quarto loco possumus hic ponere quasdam alias denominationes, quas tanquam passiones quantitatis idem Arist. 5. Metaph assignauit, *Multum & paucum, longum & breue, latum & strictum, profundum & humile, graue & leue. & cætera quoque*, inquit, *huiusmodi*. Vbi sanè multum & paucum, siue magnum & paruum, nihil aliud dicit quàm maius & minus. Sic etiam magis aut minus longum, latum, aut profundum: quæ sunt propria magnitudinis. Graue item & leue propriè conuenit corporibus, de quibus id experientia constat. Sed Expositores ibi communiter notare solent, Aristot. hoc ibi apposuisse, non ex sen-

tentia

tentia propria, sed aliorum qui volebant, graue consistere in multitudine, leue in paucitate superficierum aut atomorum. Hoc autem intantum dici debuit, inquantum Aristot. ibi vult, passiones quas enumerat quantitatis, per se & essentialiter habere rationem quantitatis, & esse denominationes quasdam formaliter quātitatiuas. Et hoc modo se habent alia exempla quæ affert: grauitas verò & leuitas formaliter sunt qualitates. Et ideo dici debuit, Aristot. esse loquutum iuxta illam aliam sententiam. Verùm hoc non obstante, alia rōne dici poterunt grauitas & leuitas passiones quātitatis, quæ videlicet consequuntur ipsam quantitatem: quia ex maiori & minori mole, ex densitate & raritate proueniunt. Nec obstat quòd sunt qualitates. Nam pariter æquale & inæquale sunt relatiua. Non enim est inconueniens, illa quæ directè in vno prædicamento ponuntur tanquam species, esse passiones alterius.

Quinta, habere positionem localem. Quinto loco addendæ videntur quædam aliæ proprietates peculiares magnitudinis, quæ sumuntur ex eod. Arist. in hoc prædicam. & in alio de qualitate. In primis habere positionem partium. Diuidit enim Arist. quantitatem, in illam quæ habet, & illam quæ non habet positionem partium. Et communiter dicunt, hanc diuisionem esse veluti subiecti in accidentia, quia habere positionem est passio quantitatis. Intelligitur autem habere positionem & situm in loco. Vnde benè ait Arist. hoc non conuenire numero, quia nihil facit ad numerum positio partium in loco. Item nec conuenire tempori, cuius partes cùm non permaneant, non possunt habere positionem. Exclusa ergo quantitate discreta & successiua, hæc proprietas soli magnitudini conuenit. Imo magis adæquatè potest hæc proprietas designari, *Præsentiam.* Præsentia circumscriptiua in loco, quæ spectat ad prædicamentum vbi: & modus huius præsentiæ, qui est situs, de prædicamento situs. Hæc enim tota, est adæquata & maximè propria passio magnitudinis.

Figura, rarum & densum, asperum & lene. Rursus aliæ proprietates huius quantitatis sunt, Figura: nam vtique hoc est accidens proprium magnitudinis. Item rarum & densum, asperum & lene. Quas cùm Arist. in qualitatis prædicam. recenseat: ibidem ait, magis quandam positionem partium importare. quod planè refert ad quantitatem. Et sine dubio hæ sunt magnitudinis proprietates. Atque frustra & non benè Suar. disp. 41. sect. 5. num. 7. dixit, raritatem & densitatem non conuenire quantitati ratione sui, sed ratione substantiæ: & ideò non fuisse hic numeratas inter passiones quantitatis. Nam potius è conuerso dicendum est, raritatem & densitatem conuenire substantiæ ratione quantitatis, sicut certè figura & præsentia circumscriptiua in loco: ita vt meritò debeant tanquam passiones magnitudinis assignari.

Quod verò Aristoteles non earum in hoc prædicamento meminerit: communiter hic notare solent, non fuisse eius institutum omnes quantitatis passiones enumerare. Addimus etiam, Aristot. hic præcipuè recensere voluisse proprietates communes & adæquatas omni quātitati: hæ autem sunt propriæ magnitudini. Cæterùm sicut in quantitate permanenti est raritas & densitas: ita in successiua est tarditas & velocitas, quæ ad eam pari modo se habent.

Sexta, diuisibilitas. Sextò demum addi possunt aliæ proprietates toti quantitati communes. Diuisibilitas, per quam Aristoteles in Metaphys. quantitatem definiuit. Item ratio mensuræ, tum actiuæ, tum passiuæ, ex eodem Aristotele decimo Metaphysic. *Ratio mēsuræ.* tex. 2. *Mensuram esse, est maximè proprium quanti: hinc enim & ad alia deuenit*. Tandem finitum & infinitum, ex 3. *Finitum & infinitum.* Physic. tex. 24. Vbi difficultatem affert quod postea in 5. Metaphys. Aristot. ait, multitudinem esse quantum quid, si numerabilis est; & magnitudinem, si mensurabilis. Quibus verbis determinare videtur, quantitatem debere esse finitam. Sed hunc locum iam explicauimus sectione prima, vbi ostendimus, etiam infinitam quantitatem, si datur, vel si saltem possibilis est, ad hoc prædicamentum pertinere. Atque adeò benè finitum & infinitum, tanquam proprietas quantitatis prædicamētalis assignari potest. Si tamen quātitas infinita repugnat, sic esse finitum est adæquata proprietas quantitatis.

Cæte-

Cæterùm de his omnibus affectionibus, ac de tota ratione quantitatis, & præsertim magnitudinis, motus, & temporis, ex professo in Philosophia pertractandum erit. Modò tantum de quanto, logico more sufficit.

QVÆSTIO DECIMANONA.

De Prædicamento Relationis.

ARistoteles in 5. Metaph. post quantitatem proximè qualitatem adiunxit ante relationem. Et is ordo fundari videbatur in naturis ipsarum rerum: quia qualitas ordine dignitatis omnes, ordine causalitatis plurimas, relationes præcedebat. Hoc tamen loco relationem qualitati præposuit. Cuius ordinis rationem reddunt D. August. in lib. Categor. cap.11.Boet.lib.2.in Prædicam.com.38.& lib.3.in princip. Ammon. & alij frequenter in hoc cap. Quia in præcedenti quantitatis prædicamento, mentio facta fuerat maioris & minoris, æqualis & inæqualis, quæ sunt relatiua: doctrinæ ordo poscebat, vt statim relationis prædicamentum sequeretur: cùm ex alia parte eius notitia non dependeret ex qualitate. Addit Boetius ijsdem locis simul cum Porphyr. & Simplic. quia etiam ordine naturali statim posita quantitate consurgunt relationes in illa fundatæ; & non ita necesse est qualitates emergere. Addi etiam potest, si relatio post qualitatem differebatur, pari ratione post omnia alia ferè prædicamenta differri debuisset. Nos ergo logicum ordinem obseruantes, hoc loco cum Arist. relationis prædicamentum ponimus.

Porrò apud recentiores vsus inualuit, vt prolixa nimis & exacta relationis tractatio hoc loco instituatur. Quod inde factum videtur: quia cùm non paucæ celebres & arduæ quæstiones de hac re exortæ sint, non inueniebant alium locum & tempus commodum, in quo hanc tractationem insererent. Sed certè ad Logicam non pertinet, exactè de ipsis rerum generibus pertractare: sed solùm illa breuiter percurrere & enarrare. Nec magis de relatione, quàm factum sit de substantia & quantitate, & faciendum sit de qualitate & alijs prædicamentis, conuenit Logicæ disputare: Suusquè locus & tempus inter philosophicas materias debet relationi sicut alijs rerum generibus reseruari. Breuiter ergo iuxta logicum institutum hanc rem expediemus, tantùm prosequentes illa quæ ad logicam constructionem prædicamenti facere videbuntur.

Relationis nomen non habetur hìc apud Arist. qui potiùs relatiua in concreto nominauit: & hoc caput inscripsit de his quæ ad aliquid. Sed relationis nomen commodius est, & magis conforme appellationibus aliorum prædicamentorum sub terminis simplicibus abstractis. Et sensus est manifestus. Dicitur enim relatio, qua vnum refertur ad aliud: dicitur & ordo, quo vnum ordinatur ad aliud: dicitur respectus, quo vnum respicit aliud. Et relatiuum appellatur ad aliquid, quia refertur & dicitur per ordinem ad aliquid.

SECTIO PRIMA.

An & quæ sit Relatio Prædicamentalis.

Varia sententia. RElationes reales negarunt quidam Antiqui, vt referunt Simplic. hoc cap. com.1. Ammon. com. 31. Auicenna 3. Metaph. cap. 10. Auerr. 12. Metaph. com. 19. vbi ait, quosdam existimasse relationes esse de secundis intellectis, idest esse entia rationis. Negarunt etiam aliqui iuniores, vt refert Soncin. 5. Met. quæst.25. Sed præsertim Aureol. in 1. d. 30. latè cõtendit, relationes prædicamentales non esse reales, sed esse tantùm in apprehensione intellectus. Vnde art. 3. ad finem ait, ad quædam prædicamenta suffi-

sufficere, vt extra animam sint in potentia, & eorum actus per operationem animæ compleantur.

Alia sententia ex Zenone refertur, dari quidem relationes reales, tamen non constituere vnum quoddam prædicamentum, nec esse certum quoddam genus entis: sed vagari per omnia prædicamenta & entis genera.

Alia sententia esse potest, dari quamplurimas relationes reales, & omnes pertinere ad hoc vnum relationis prædicamentum. Fauet Tolet. hîc q. 1. concl. 3. referens Albert. Simplic. Boet. & Paul. Venet. ac dicens, omnem respectum ad terminum, etiam si includatur in accidentibus aliorum prædicamentorum, spectare etiam minus principaliter ad hoc prædicamentum. Imo hæc planè videtur sententia ipsius Arist. qui in hoc prædicamento inter relationes numerat, habitus, dispositiones, sensum, scientiam, positionem, & alia similia. At positiones sunt de prędicamento situs: illa alia sunt de prædicamento qualitatis: & alia similia inueniuntur in alijs prædicamentis. Et expresse ipse Arist. in prædicamento qualitatis, mouens hanc ipsam difficultatem, prius respondet: illa quæ dicta erant ad aliquid, esse huiusmodi in communi sumpta: at in singulari sumpta, esse qualitates, & non ad aliquid. Deinde respondet: *Si contingit idem ipsum & quale & ad aliquid esse, nihil est inconueniens in vtrisque hoc generibus enumerare.*

Distinctio relationis prædicamentalis & trascẽdentalis. Pro resolutione sciendum est, duos relationum ordines solere distingui. Quædam relationes sunt, quæ vel sunt prædicata communia omnibus aut pluribus prædicamentis, vel essentialiter includuntur in rebus aliorum prædicamentorum. Quædam aliæ relationes sunt, quæ cùm non sint tali modo prædicata communia, nec essentialiter in alijs prædicamentis includantur, in hoc peculiari & ab alijs distincto relationis prædicamento collocantur. Relationes primi ordinis sunt, v. g. ordo quem essentialiter dicit accidens ad subiectum; nam accidens secundùm suam essentialem rationem respicit subiectum cui aptum est inhærere: item ordo quem essentialiter dicit ens creatum respectu Dei: nam omnis creatura essentialiter dicit esse ab alio, qui est ordo essentialis dependentiæ à prima causa. Hæc sunt prædicata relatiua communia pluribus prædicamentis. Rursus relationes primi ordinis sunt, ordo quem essentialiter dicit actio ab agente ad terminum qui producitur: passio à subiecto ad formam, quæ recipitur: ordo quem dicunt actus vitales ad sua obiecta, visio ad colorẽ, omnis cognitio ad rẽ cognitam, ordo etiam quem dicunt potentiæ & habitus ad suos actus & obiecta. Actio enim & passio sunt in suis proprijs prædicamentis: dicti actus, potentiæ, & habitus, sunt in prædicamento qualitatis: & alia sunt huiusmodi relatiua. Relationes secundi ordinis sunt, v.g. æqualitas & inæqualitas, similitudo & dissimilitudo, paternitas & filiatio, aliæquè huiusmodi, quæ non in alio quam in hoc relationis prædicamento reponi solent.

Relationes illæ primi ordinis appellantur transcendentales: quoniam ad instar prædicatorum transcendentium sunt communes pluribus prædicamentis, vel per plura prædicamenta diuiduntur. Tolet. tamen quæst. cit. & quidam alij, non vocant relationes transcendentes, nisi illas quæ ita in communi sumuntur, vt prædicentur de pluribus prædicamentis, qualis erat ordo accidentis ad substantiam: alias verò quæ in alijs prædicamentis includuntur, vt ordo actionis ad terminum, actus vitalis ad obiectum, vocant relationes secundùm dici. Relationes autem secundi ordinis ab omnibus appellantur prædicamentales, eo quòd certum hoc relationis prædicamentum constituant.

Dãtur relationes transcendentales, quæ nõ ponuntur in hoc prædicamento. Primò ergo satis manifestum est, dari realiter relationes modò dictas primi ordinis, quas deinceps commodum erit appellare vno nomine relationes transcendentes; quæ scilicet non constituunt peculiare quoddam relationis prædicamentum, neque ad præsens prædicamentum pertinent. Patet: quia accidens v. g. realiter & essentialiter est ens aptum inhærere substantiæ: dicit ergo ordinem ad substantiam, & non potest nisi per talem ordinem explicari & concipi. Atque etiam in ipso nomine accidentis hic ordo denotatur: nam accidens est vtique alicuius accidens: & quod accidit vtique alicui accidit: & quod inhæret vtique alicui

alicui inhæret. Imo propterea accidens dicitur entis ens. Sed hic ordo, qui est essentialis ratio accidentis, est communis omnibus accidentibus, quæ in plura prædicamenta distinguuntur: ergo non in vno certo prædicamento concluditur: neque spectat ad hoc relationis prędicamentum. Similiter ens creatum vtique dicit ordinem dependentiæ respectu causæ creantis. Loquor autem nunc de ordine essentiali, per quem ens creatum essentialiter ab ente increato distinguitur. Et hic etiam ordo, cùm sit ratio essentialis omnis entis creati, planè non in vno certo prædicamento concluditur, sed est idem ipsum prædicatum transcendens entis creati, quod in tot prædicamenta distribuitur. Et sic etiam se habent alia similia prædicata communia.

Et quæ ponuntur in alijs prædicamentis.

Secundò deinde. Aliæ plurimæ res quæ in alijs prædicamentis ponuntur, dicunt essentialiter ordinem ad aliquem terminum: vt patet in illis exemplis allatis. Et ordo ipse essentialis talium rerum ad suos terminos, ponitur in ijsdem prædicamentis ipsarum rerum. in quo enim prædicamento ponitur res, ponitur tota essentia eius: imo talis ordo essentialis constituit gradus quidditatiuos per modum generis aut differentiæ, per quos gradus res constituuntur in suis prædicamentis. Sic planè ordo actionis ad terminum productum, est ipsa essentialis ratio actionis, & ponitur essentialiter in prædicamento actionis. Ordo habitus & potentiæ ad actus & obiectum, est essentialis ratio ipsius habitus & potentiæ, & constituit certas species qualitatis. Vnde necessariò debet, cum ijs speciebus in ipso qualitatis prædicamento reponi. Et sic de alijs similibus rebus.

Tertiò. Dici non potest, easdem res in communi solùm sumptas poni in hoc prædicamento; in singulari verò sumptas poni in alijs prædicamentis. Nam certissimè constat, res singulares poni sub ijsdem generibus, sub quibus ponuntur suæ species: & ita essentialiter subordinantur omnes gradus essentiales. Et erat aperta regula ipsius Aristotelis in Antepraedicam. quandocunque prædicatum dicitur essentialiter de aliquo, dici omnino de omnibus ijs quæ sub illo continentur: & clarè quarto Topicorum cap. 1. præsertim loco quarto, vbi in specie loquitur de prædicamento ad aliquid & qualitatis. Nulloquè pacto fingi potest, species & genera rerum poni in vno prædicamento, indiuidua in alio. Et præterea in hac re, si species dicuntur ad aliquid, etiam indiuidua planè dicuntur ad aliquid: vt si visio est obiecti visio; hæc visio est huius obiecti: & sic de alijs. Solùm verum est, non solere fieri repetitionem singularitatis, dicendo, hęc visio est huius obiecti hæc visio. Sed hoc non refert: quia satis est, quòd dicatur obiecti visio. Nam pariter prorsus res se habet in illis relationibus, quæ sunt omninò propriæ huius prædicamenti, & vtique vsque ad indiuidua in illo ponuntur. Nam dicimus quidem, hoc maius est illo minore maius: non tamen dicimus, est illo minore hoc maius, æquale est huic æquali hoc æquale, & sic in alijs.

Quartò. Dici non potest, tales res relatiuas materialiter quidem poni in alijs varijs prædicamentis, tamen secundùm rationem formalem ordinis & relationis poni in hoc relationis prædicamento. Nam planè ostenditur, secundùm ipsam rationem formalem ordinis poni in ipsis alijs prędicamentis; quia ponuntur in ijs secundùm suam essentialem rationem: sed ipsa ratio ordinis est sua ratio essentialis. Sic actio non pręscindit ab ordine ad terminum, quatenus constituit suum prędicamentum actionis: & potentia non præscindit ab ordine ad actus & obiectum, quatenus constituit quandam speciem qualitatis. Et sic de alijs.

Quintò. Accedit quòd alioqui maxima pars rerum, quæ per se ponuntur in alijs prædicamentis, simul poneretur in hoc vno prædicamento: quod sanè potius confusionem gigneret, quàm distinctionem & ordinationem in conceptione rerum. Imò vlteriùs sequeretur, etiam accidens in communi secundùm rationem formalem ordinis ad subiectum, debere poni in hoc prædicamento. Non enim refert, quod ait Toletus, hunc ordinem non esse ad terminum extrinsecum, sed ad subiectum. Quia adhuc

reuera est ordo. Imo tandem sequeretur, omne ens creatum secundùm rationem ordinis ad causam creantem poni debere in hoc prædicamento: vbi hic ordo planè est ad terminum extrinsecum.

Sextò ergo concludendum est, hoc prædicamentum relationis quod ab Aristotele vocatur ad aliquid, non esse institutum pro omni relatione, seu pro omni eo quod dicitur ad aliquid. Quinimo relationem & ad aliquid, si in tota latitudine sumatur, esse prædicatum quoddam transcendens, quod est commune pluribus, imò omnibus prædicamentis, & quod per varia prædicamenta distribuitur.

Ad auctoritatem verò Aristot. dicendum est: in principio huius prædicamenti adduxisse quandam definitionē eorum quæ ad aliquid, quæ tunc ab alijs tradi solebat, nimis amplam, quam postea ipse ad finem capitis corrigit. Vnde multa continentur sub prima definitione, quæ iuxta illam essent in hoc prædicamento, quæ postea excluduntur, vt ex sequentibus constabit magis. Sub illa prima ergo definitione Aristoteles numerauit illa relatiua quæ sunt aliorum prædicamentorum. Deinde in capite de qualitate primam illam responsionem non approbauit; ideòquè secundam adiecit. Quam etiam solùm attulit consequenter ad primam illam definitionem relatiuorum: quia iuxta illam oportebat dicere, easdem res esse in diuersis prædicamentis. Sed sicut illam definitionem ipse non acceptauit: ita nec etiam ista responsio acceptanda est de mente eius.

Dātur relationes prædicamentales constituentes hoc prædicamentum.

Secundò dicendum est, dari realiter peculiares quasdam relationes, quæ constituunt hoc prædicamentum distinctum ab alijs, quæ propriè appellantur relationes prædicamentales. Hæc conclusio primò patet auctoritate Aristotelis, qui tum hìc, tum quinto Metaphysic. peculiare prædicamentum & caput distinxit de his quæ ad aliquid, ab alijs prædicamentis & rebus: alijsquè in locis distinctè enumerat ad aliquid ab alijs rebus. Plato etiam hoc genus ab alijs distinctè assignasse refertur. Præterea Diuus Augustinus in suis Categorijs, Damascenus in sua Dialectica, eundem stylum sequuti sunt. Et plerunque Sancti Patres occasione relationum Diuinarum, etiam creaturarum relationum mentionem fecerunt. Demum omnes alij, tum Philosophi, tum Theologi, hoc relationis prædicamentum acceptarunt, & relationes huius prædicamenti receperunt. Licèt magna diuersitas sit de modo quo à diuersis constitutæ sunt. Sed nunc de hoc non agimus. Sed tantùm asserimus illud in quo communiter Auctores consentiunt. Neque dici potest hoc prædicamentum constitui per aliquid rationis. Nam omnia hæc prædicamenta instituta sunt pro entibus realibus, vt antea ostendimus. Itaque oportet aliquo modo assignare realiter relationes, de quibus hoc prædicamentum institutum sit.

Probatur ex relationibus Diuinis.

Secundò probari etiam solet, dari in humanis relationes paternitatis & filiationis, & hinc vlterius in omnibus rebus creatis inter causas & effectus, ex relationibus Diuinis quæ sunt inter Diuinas personas. Pater enim qui generat filium, habet relationem paternitatis; Filius qui generatur, habet relationem filiationis: Pater & Filius relationem spirationis actiuæ; Spiritus Sanctus relationem spirationis passiuæ. Ergo similiter in humanis & in rebus creatis huiusmodi relationes concedendæ sunt. Aliqui tamen dicunt, hoc argumentum non esse efficax: quia relationes Diuinæ sunt substantiales: ergo ex ijs probari non possunt relationes humanæ accidentales. Hoc tamen non obstat: quia relationes in Diuinis sunt substantiales, quoniam nihil accidentale potest esse in Deo, imo ipsæ relationes constituunt & distinguunt personas. At res creatæ suscipiunt accidentia: & paternitas ac filiatio in humanis non constituunt, sed supponunt personas constitutas per suas entitates absolutas. Possunt ergo ex relationibus substantialibus in Diuinis, inferri accidentales in humanis.

Aliud est quod in hoc argumento notari debet: relationes Diuinas non esse distinctas ab ipsis productionibus; quæ productiones in Deo distinctæ sunt, actiuæ & passiuæ. Itaque paternitas est generatio actiua, filiatio est generatio passiua: & sic etiam spiratio actiua & passiua

sua. Hinc ergo inferri non potest, dari in humanis relationes paternitatis & filiationis, distinctas ab ipsis rebus & ab actione generationis. Sed ad summum probatur, dari denominationes relatiuas, desumptas ex ipsis rebus & actione generandi: eo modo quo nos relationes explicabimus.

Probatur ratione naturali. Tertiò. Rationem naturalem ad probandum dari relationes prædicamentales, aliqui, licèt eas defendant, fatentur non satis inueniri: sed relationes magis auctoritate credi, quàm ratione probari. Hoc tamen ideò eis accidit: quia supponere voluerunt dari relationes tanquam formas quasdam distinctas ab omnibus rebus, constituentes hoc prædicamentum. At verò has relationes dari, non solùm probari non potest, sed falsum putamus, vt postea ostendemus. Sumendo ergo nunc relationes pro denominationibus quibusdam relatiuis, qua vna res dicitur ad aliam, non determinando quid sit relatio tribuens talem denominationem. Probatur euidenter dari relationes, relationes inquam similitudinis, æqualitatis, & alias, quas in secundo ordine supra nominauimus. Nam reuera hoc album est simile alteri, albo, & est dissimile corpori nigro: vna quantitas palmaris est æqualis alteri palmari, est maior alia semipalmari, & minor alia bipalmari: & omnes ita loquuntur, vt patet. Neque, quando hæc dicimus, putamus dicere aliquid fictum & excogitatum à nobis: sed dicere volumus id quod reuera & realiter est: sicut enim reale est, hanc quantitatem esse palmarem, illam semipalmarem; ita verè dicimus, hanc quantitatem esse realiter maiorem illa: & sic de alijs huiusmodi. Dantur ergo aliquo modo hæ relationes reales seu denominationes relatiuæ reales.

Probatur constitutio huius peculiaris prædicamēti. Quartò probatur eas constituere peculiare quoddam prædicamentum, & non reponi atque distribui in alijs prædicamentis. Quoniam hanc quantitatem denominari æqualem illi, maiorem alia, &c. importat denominationem quandam accidentalem ipsi quantitati, vt patet. De essentia enim quantitatis solùm est extensio in se & per se absolutè spectata: quòd autem inueniatur alia quantitas, cui ipsa sit æqualis, & quòd hoc modo denominetur, est illi prorsus accidentale. Igitur hæc denominatio per se non spectat ad idem prædicamentum quantitatis: sed neque pertinet ad aliquod aliud prædicamentum, vt patet: ergo propriè pertinet ad hoc relationis prædicamentum. Et hoc modo se habent omnes aliæ huiusmodi denominationes. Meritò ergo hoc prædicamentum pro huiusmodi denominationibus accidentalibus relatiuis institutum est.

SECTIO SECVNDA.

Quo pacto Relatio prædicamētalis à transcendentali distinguenda sit.

Oportet nunc assignare regulam aliquam & rationē, qua relatio prędicamentalis dignoscenda sit, & à transcendentali distinguenda; vt appareat quænam relationes in hoc prædicamento collocentur. Plures autem modi excogitati sunt ad hanc distinctionem tradendam & explicandam, quos breuiter afferre & examinare iuuabit.

Primus modus distinguēdi. Primò, Caiet. q. 15. de Ente & essen. Iauell. 7. Met. q. 1. Ponf. 5. Met. cap. 15. q. 1. sect. 4. Conimbr. hic q. 1. Masius sect. 1. q. 6. & quidam alij, hoc modo distinguunt Relationes transcendentales esse illas, quibus vna res respicit aliā, non purè tanquam terminum, sed potius tanquam causam sui, vel receptiuam, vel effectiuā, vel alio modo; nam etiam actus vitalis respicit obiectum tanquam causam formalem. Relationes autem prædicamentales esse illas, quibus vna res respicit aliam purè vt terminum suæ habitudinis absque dependentia causalitatis.

Refellitur. Hæc tamen explicatio non satisfacit. Primo quia relatio transcendentalis esse potest non solum effectus ad causam, sed etiam è conuerso causæ ad effectum. Potentia vitalis v g. dicit ordinem transcendentalem ad actus quos potest elicere, & in vniuersum potentia effectiua ad effectum producibilem: similiter subiectum & potentia subiectiua ad formam quam respicit vt effectum in genere causæ materialis. Et licèt videatur dici posse, illas ipsas res quæ sunt effectus in genere causæ effectiuæ aut subiectiuæ,

esse etiam causas in genere causæ finalis, quia potentia est propter actus. Tamen nulla est ratio cur dicatur potentia transcendentaliter respicere actum, potius vt causam finalem, quàm vt effectum in alio genere causæ. Imo dici debet respicere vt effectum. nam potentia effectiua quatenus effectiua, & receptiua quatenus receptiua, formaliter exprimit ordinem causæ ad effectum: & sine dubio potentia causatiua quatenus causatiua dicit ordinem transcendentalem, & ordo causæ quatenus causæ ad effectum quidam ordo transcendentalis est. Actio etiam quatenus respicit terminum, dici non debet respicere tanquam causam sui, sed potius tanquam effectum qui producitur.

Secundò. E contra aliquæ relationes quæ ab omnibus dicuntur prædicamentales, sunt relationes effectus ad causam. Videlicet relatio filij ad patrem, & sic omnis alia similis relatio effectus ad causam: ergo non benè eo modo distinguitur relatio prædicamentalis à transcendentali. Nec satisfacit quod Fonseca respondet, huiusmodi relationes non esse ad causas formaliter, quasi termini talium relationum secundùm suamet relationes causent relationem in alijs rebus ad ipsas relatis. Sic patet non est causa filij per suam relationem paternitatis, nec aliæ causæ causant per suas formales relationes. Hoc inquam non satisfacit. Nam etiam relatio transcendentalis non inuenietur respicere causam formaliter quasi causantem per suam formalem relationem: visio & potentia visiua respicit obiectum visibile, potentia intellectiua obiectum intelligibile, & sic de alijs similibus; hæc tamen obiecta non causant suas potentias vel actus in genere causæ obiectiuæ per suas formales relationes: imo non habent mutuas reales relationes, vt in sequentibus dicemus, & Fons. ipse concedit. qui etiam affirmat & docet, illas potentias & actus esse relationes transcendentales.

Tertiò. Quando dicitur relatio transcendentalis respicere terminum tãquam causam, prædicamentalis verò vt purè terminum: vel intelligitur tanquam causam aut terminum eiusmet relationis, aut potius rei quæ est subiectum relationis. Si dicatur eiusmet relationis. Sic certè terminus est causa relationis etiam prædicamentalis in genere causæ obiectiuæ; maximè supponendo quod illi censent, relationem de nouo fieri & resultare in subiecto ex positione termini. Si dicatur rei quæ est subiectum relationis. Sic nec etiam in relatione transcendentali oportet terminum esse causam rei. Nam obiectum quod terminat actum vel potentiam, non perinde dicetur causa subiecti in quo talis actus aut potentia reperitur, sicut ipsius actus aut potentiæ.

Secundus modus distinguẽdi. Secundò aliter Suarez disputatione 47. Meaphysic. sectione quarta numero decimo, doctrinam Caietani, seu potius rem ipsam, explicat. Relationes prædicamentales esse illas, quæ ita habent referre vnam rem ad aliam tanquam ad terminum, vt nihil aliud exerceant circa ipsum terminum: v. g. similitudo nihil aliud præstat quàm referre vnum album ad aliud. Relationes verò transcendentales esse illas, quæ aliquod aliud munus exercent circa terminum: sic potentia habet efficere actum, actus habet repræsentare obiectum, actio habet producere effectum, vnio habet coniungere vnum extremum alteri; & idem inuenire est in alijs relationibus transcendentalibus.

Nõ satisfacit. Sed hoc discrimen, esto iuuet aliquantò magis ad rem explicandam: tamen non omnino satisfacit. Quoniam illud ipsum munus quod relatio transcendentalis dicitur circa suum terminum exercere, adhuc dici potest non esse aliud, quàm respicere ipsum terminum; respicere tamen tali vel tali modo. Repræsentare obiectum, v. g. est respicere obiectum tali modo, scilicet repræsentando, & tota ipsa ratio repræsentationis essentialiter est ordo & respectus. Ac sic etiam relationes prædicamentales diuersæ ac speciales, habent specialibus modis ac rationibus respicere terminos. Similitudo dicetur assimilare, æqualitas adæquare. Accedit, quòd hinc non satis redditur ratio, cur relationes quæ in hac explicatione appellantur transcendentales distribuantur in alijs prædicamentis, & aliæ constituant hoc peculiare prædicamentum.

Ter-

Tertius modus distinguẽdi. Tertiò. Aptior discriminis ratio esse videtur. Relationes prædicamentales esse illas, quæ accidunt rebus relatis, seu quæ accidentaliter dicuntur de suis relatiuis: relationes verò transcendentales esse rebus essentiales, easquè intrinsecè constituere. Hæc autem regula inductiuè potest ostendi in vtrisque relationibus. Nam esse simile alteri albo accidentaliter se habet ad hoc album, esse patrem vel filiũ talis hominis accidẽtaliter se habet ad hunc hominem, & sic de alijs relationibus quæ censentur prædicamentales. E contra potentiæ intellectiuæ essentialis est ordo ad actus quos potest elicere, & obiectum quod potest intelligere: actui vitali essentialis est ordo ad obiectum: materiæ essentialis est ordo ad formam: vnioni ordo ad extrema vnita: & sic de alijs relationibus quæ non censentur esse huius prædicamenti. Et hinc satis commodè redditur ratio, cur solæ illæ relationes accidentales constituant hoc prædicamentum: quia scilicet cùm accidant rebus, constituunt peculiare quoddam genus accidentis: aliæ autem quæ sunt essentiales rebus, reponi debent in ijsdem prædicamentis ipsarum rerum. Atque hanc rem attigit Caiet. 1. part. q. 77. art. 3. §. Ad euidentiam, loquens de relationibus transcendentibus. De prædicamentalibus verò debet intelligi quod dixit Damasc. cap. 50. suæ Dialect. *Prius aliquid sine habitudine & relatione esse necesse est, ac tunc habitudinem in ipso considerare.* Et de ijsdem intelligendum est dictum August. Relatiuum esse aliquid aliud excepta relatione.

Defenditur. Sed circa hanc explicationem dubitat Suar. sect. cit. numero 8. Quia vel intelligendum est, respectum transcendentalem esse de essentia ipsiusmet relationis, vel de essentia subiecti. Si primum. Id commune est etiam relationi prædicamentali. nam ipsi relationi vtique essentialis est respectus ad terminum. Si dicatur secundum. Non est vniuersaliter verum. nam ordo transcendentalis quem dicit scientia ad obiectum, non est de essentia subiecti cui scientia inest. At verò propter hoc cõsultò diximus, relõnẽ trãscendentalem esse essentialem rei relatæ, prædicamentalem verò esse ipsi relatiuo accidentalem. Considerari itaque debet id quod per relationem proximè & immediatè denominatur ad aliud: & respectu eius inspici debet, an denominatio relatiua sit ei essentialis vel accidentalis. Sic in exemplo allato, sciẽtia est quæ denominatur referri essentialiter ad obiectũ seclusa consideratione alterius subiecti. Et ita se habet scientia ad scibile, sicut v. g. materia ad formam: vbi nullum aliud subiectum materiæ adest. Et accidens refertur transcendentaliter ad ipsummet suum subiectum: vnde ipsum subiectum non est id quod tali relatione refertur, sed est terminus ad quem dicitur talis relatio. At in relationibus prædicamentalibus, id quod proximè denominatur relatum, est v. g. album per similitudinem, quantum per æqualitatem, Petrus per filiationem: vbi denominationes relatiuę accidentaliter se habent ad res relatas.

Addi etiam potest, supposita prius constructione aliorum prædicamentorum, iam ex illis constare quænam res in illis singulis reponantur: & tunc considerari debere, an illis sint essentiales vel accidentales, variæ denominationes relatiuæ: & quæ inueniuntur essentiales rebus aliorum prædicamentorum, esse transcendentales, & non in hoc sed in illis prædicamentis reponi: quæ autem inueniuntur accidentales ipsis rebus, constituere hoc distinctum relationis prædicamentum. Similiter illas denominationes relatiuas quæ inueniuntur essentiales prædicatis communibus ad plura prædicamenta, esse etiam prædicata communia, non inclusa in certo aliquo prædicamento.

Quartò. Afferi potest discrimen ex Scoto in 3. d. 1. quæst. 1. §. Ad illud, & in 4. d. 13. quæst. 1. §. Ad huius autem vers. si ergo, & Quodl. 11. §. De primo. qui distinguit duos relationum ordines: alias vocat intrinsecùs aduenientes, alias extrinsecùs aduenientes. Intrinsecus aduenientes explicat, quæ ita se habent, vt statim positis extremis, idest fundamento & termino, consequantur. Ita se habent relationes similitudinis, æqualitatis; item paternitatis & filiationis, supposito vno homine generante & alio generato; propinquitatis etiam & distantiæ localis inter duas res *Quartus modus distinguẽdi.*

habentes ſuas præſentias in certis locis; & aliæ huiuſmodi. Et ideò illas vocat intrinſecus aduenientes, quia per ſe & ab intrinſeco ex fundamento & termino conſequuntur.

Relationes extrinſecus aduenietes explicat, quæ non ſtatim poſitis extremis, ideſt fundamento & termino, conſequuntur, ſed indigent alio nouo influxu. Sic ſe habet vnio inter aliqua duo quæ poſſunt extare ſecundùm totum ſuum eſſe abſolutum ſine vnione; ita vt nihil aliud illis deſit, niſi ipſa vnio. Item actio & paſſio: nam non ſtatim poſito agente & paſſo, neceſſe eſt ſequi actionem & paſſionem: imò etiam ſi adſint omnes conditiones naturaliter requiſitæ, poterit ſaltem à Deo impediri & ſuſpendi exercitium actionis. Vbi etiam ſeu præſentia in certo loco, ita ſe habet, quòd poteſt Deus conſeruare idem locabile & eundem locum ſine eodem vbi; & ideò vbi habet propriam nouitatem eſſendi præter extrema. Docet ergo Scotus, relationes intrinſecus aduenientes conſtituere ſpeciale prædicamentum ad aliquid: alias verò, quia & ab illis & inter ſe differunt genere, conſtituere ſex vltima prædicamenta.

Examinatur. Hanc tamẽ relationum diſtinctionem, & Scoti doctrinam, impugnant Sotus hìc quæſtione prima circa 3. argum. Soncin. quinto Metaphyſic. quæſt. 39. Herue. Quodl. 7. quæſt. 14. Suar. diſput. 48. Met. ſect. 1. & alij. Sed vt plurimũ impugnationes ferè tendunt, vel contra vocabula relationis intrinſecus & extrinſecus aduenientis, vel circa conſtitutionem vltimorum ſex prædicamentorum, vel procedere videntur contra diſtinctionem relationis prædicamentalis & tranſcendentalis. At nobis in animo non eſt, de nominibus contendere; nec modò examinare rationem illorum ſex prædicamentorum, quod poſtea præſtabimus; nec in dubium poſſumus reuocare diſtinctionem relationis prædicamentalis, & tranſcendentalis non ſpectantis ad hoc prædicamentum, quæ diſtinctio eſt neceſſariò concedenda, vt patet ex dictis.

Videtur inadæquatus. Alius tamen defectus in illa Scoti diſtinctione occurrit, quòd non videtur adæquata de omnibus relationibus: & nec Scotus ipſe explicauit, ſe velle tradere diſtinctionem adæquatam omnium relationum. Quamuis enim adæquata eſſe poſſit illa aſſignatio relationum intrinſecus aduenientium, ſeu prædicamentalium, quæ ita ſe habent vt neceſſariò ponantur poſitis fundamento & termino cum conditionibus requiſitis. Tamen nõ videtur adæquata aſſignatio aliarum relationum, dicendo, quæ non ſtatim poſitis extremis ponuntur: hoc ita intelligendo, quaſi poſitis extremis poſſint conſequi aut non conſequi, omninò tamen prærequirant extrema, ex quibus debent conſequi. Nam aliqua relatio eſt, quæ potius ſtatim & neceſſariò ponitur, dum vna res ponitur; ita vt non poſſit eſſe res ſine tali relatione, imo etiam independenter ab exiſtentia alterius extremi. V. g. materia neceſſariò eſſentialiter dicit ordinem ad formam, nec poteſt intelligi ſine tali ordine, etiam præſcindendo ab actuali exiſtentia formæ: ſimiliter forma ad materiam. Accidens etiam neceſſariò dicit ſuum eſſentialem ordinem ad ſubiectum: ita vt, etiam dum eſt ſeparata quantitas, eſſentialiter reſpicit ſubiectum per ſuam exigentiam naturalem. Præterea coniungendo ſimul exiſtentiam alterius extremi: neceſſariò eo ipſo quòd eſt aliquis modus, dicit eſſentialem ordinem ineſſendi ſubiecto, ſine quo prorſus eſſe non poteſt: neceſſariò etiam dum eſt creatura, dicit ſuum ordinem eſſentialis dependentiæ ad Deum à quo procedit. Atque hæ omnes relationes non ſunt de prædicamento ad aliquid. Aliquid ergo addedũm eſt, vt adæquatè aſſignentur relationes tranſcendentales. Et dici non malè poſſet, in illa diuiſione Scoti diuidi relationes, quæ ſunt aduenientes, ideſt quæ adueniunt extremis: eaſquè diuidi per duplicem modum adueniendi: at præter illas eſſe alias relationes, quæ non ſunt aduenientes, ſed ſunt primò venientes: & has eſſe alias relationes modò à nobis adductas, quæ ſunt etiam extra hoc prædicamentum.

Quintus modus adæquatus diſtinguẽdi. Quintò ergo dici poteſt, adæquatè alias relationes eſſe, quæ tantùm per accidens ponuntur ex poſitione terminorum, & cum illis neceſſariò ponuntur: alias relationes eſſe, quæ per ſe & pro-

prio

prio agentis influxu fiunt, seu in rerum natura ponuntur: & vel non prærequirunt extrema, ex quibus consequantur; vel si prærequirunt, tunc dicere valeat, non necessariò ex ijs consequi, sed posse etiam non sequi; & ideò indigere nouo influxu, quo per se ponantur. Atque primas illas relationes esse, quæ constituant hoc prædicamentum, alias omnes spectare ad alia prædicamenta. Sumi potest hoc discrimen ex Aristotele quinto Physicorum textu decimo, vbi docet ad genus ad aliquid non dari motum, quia non per se, sed per accidens ponitur, scilicet ex positione extremorum. Cum tamen eo capite doceat, ad quædam alia accidentia dari per se motum, quæ vtique inuoluunt essentialiter relationem ad subiectum: & specialiter affirmat dari motum ad vbi, quod vtique est essentialiter ordo locati ad locum.

Ostendi etiam potest hoc discrimen inductione. Nam planè omnes relationes, quæ communi sententia censentur ad hoc prædicamentum spectare, illo primo modo se habent. Vnde dici solet, relationes prædicamentales esse non posse sine existentia extremorum; & fieri non posse, vt extrema existant, & in illis non sit relatio. E contra alia quæ dicunt quidem ordinem, & in hoc prædicamento collocari censentur, illo secundo modo se habent. Etiam actio. Nam hæc, licèt non fiat per aliam actionem, tamen per se ab agente exercetur & ponitur in rerum natura: nec resultat ex positione agentis & termini, vel passi; sicut necessariò resultat æqualitas inter duas quantitates, paternitas & filiatio inter duos homines generantem & generatum: sed potius ipsa actio, dicit nouum influxum agentis, qui est ipsamet. Et à fortiori res quæ fiunt tanquam termini producti, vt sunt omnia illa accidentia, & substantiæ, quæ dicunt aliquam relationem, vt patet in exemplis iam adductis, per se fiunt & in rerum natura ponuntur.

Cæterùm hic modus distinguendi & explicandi relationes, præcipuè procedit ex suppositione; si relationes ipsæ prædicamentales essent formæ quædam distinctæ à rebus, & ex ijs resultantes. Traditur enim modus quo in se designari, & ab alijs relationibus non prædicamentalibus discerni debeant. Adhuc tamen superest difficultas in hoc modo, quanam ratione solæ relationes quæ dictæ sunt per accidens consequi non aliter quàm ex oppositione extremorum, in hoc prædicamento ponantur; & non aliæ, saltem illæ quæ etiam accidentia realia sunt. Nam eæ omnes videntur conuenire in quodam communi genere relationis, quo potius vnum prædicamentum de ijs omnibus constitui debuisset. Hæc tamen difficultas tantùm procedit ad hominem apud illos, qui nullo modo volunt admittere genus aliquod commune pluribus prædicamentis. Apud nos autem hæc difficultas non habet vim.

Sexto tandem, alia manifestissima via & ratione distinguuntur relationes huius prędicamenti ab alijs: si dicamus, relationes prędicamentales non esse formas quasdam simplices superadditas rebus ab ijsquè distinctas, sed tantùm esse denominationes desumptas ex collectione seu combinatione ipsarum rerum. Alias autem relationes esse illas, quę sunt verè res quędam aut formę secundùm essentialem rationem respectus & habitudinis ad terminum: vt se habet visio ad parietem, potentia ad actus & obiectum, vnio ad partes, materia ad formam, forma ad materiam, accidens ad subiectum, creatura ad Deum, & omnia huiusmodi. Vnde etiam est perspicua ratio, quare non debuerint hæ relationes cum illis in vno prędicamento confundi. Relationes autem prędicamentales illo modo se habere, in sequentibus dicemus. *Sextus modus adæquatus et verus.*

*



SECTIO TERTIA.

Quo pacto distinguantur relatiua secundùm esse & secundùm dici: & num sola relatiua secundùm esse sint huius prædicamenti.

Distinctio sumitur ex Arist.

ARistoteles in principio huius prædicamenti affert quandam relatiuorum definitionem, scilicet: *Quæ hac ipsa quæ sunt aliorum esse dicuntur*. Postea ad finem capitis, veluti corrigens superiorem definitionem, aliam affert: *Ad aliquid sunt, quibus hoc ipsum est esse, ad aliquid quodammodo se habere*. Et infra addit: *Est autem esse ijs quæ ad aliquid sunt idem ac ad aliquid aliquo modo se habere*. Vbi totum discrimen consistit in dici ad aliquid & esse ad aliquid. Hinc orta est distinctio relatiuorum secundùm esse & secundùm dici. Aristoteles quidem supponit, omnia relatiua esse secundùm dici, quia dicuntur ad aliquid: sed non omnia esse secundùm esse. Alij tamen hanc distinctionem tradentes, sumunt relatiua secundùm dici, pro illis quæ ita merè dicuntur, vt nõ etiam sint ad aliud, & hæc opponuntur relatiuis secundùm esse. Traditur autem hæc distinctio potius de relatiuis quàm de relationibus, quia sic est magis cõmoda, vt explicõne constabit; & magis consona verbis Arist. allegatis. Atq. Arist. ipse indicat, relatiua propria huius prædicamẽti debere intelligi relatiua secundùm esse. Adhuc autem varijs modis hæc relatiua, eorumquè distinctio ab Auctoribus explicantur.

Prima explicatio.

Primus modus est, relatiua secundùm esse, esse quæ realiter referuntur per relationes reales: secundùm dici, quæ tantùm per intellectum referuntur per relationes rationis; idest quæ concipiuntur referri, cùm reuera non referantur. Iuxta quam explicationem planè sequitur, relatiua tantùm secundùm esse, poni in hoc prædicamento: quia supponimus entia rationis non habere locum in his prædicamentis quæ sunt de entibus realibus. Sequitur etiam, tàm relationes transcendentales, quàm prædicamentales esse secundùm esse: quia reuera relatæ sunt. Atque adeò non omnes relationes secundùm esse poni in hoc prædicamento.

Reijcitur.

Hanc autem explicationem impugnat Suar. disp. 47. sect. 3. num. 8. Tum quia ait, relationes rationis computari debere inter relationes secundùm esse: nam suo modo non solùm dicuntur, sed etiam sunt ad aliud. Tum etiam quia ait, inter relatiua realia inueniri quædam tantùm secundùm dici: quæ scilicet reuera non sint ad aliud, sed explicantur per habitudinem ad aliud, non quidem ex parte obiecti, sed ex parte modi concipiendi.

Sed certè negari non potest, diuisionem posse illo modo explicari, sumendo relatiua secundùm esse, quæ secundùm esse reale referuntur, & secundùm dici, quæ dicuntur siue voce, siue mente, conceptu scilicet mentali, referri, cùm reuera non referantur. Non tamen videtur talis explicatio de mente Aristotelis, atque adeò videtur adduci alia diuisio relationis: non autem explicari illa quæ ex Aristotele sumitur. Quod mox constabit.

Secunda explicatio.

Secundus similis explicandi modus est, relatiua secundùm esse, esse illa, quæ vero ordine referuntur, siue prædicamentali, siue transcendentali. Secundùm dici esse illa, quæ solo nomine referuntur. Ita explicant Fons. 5. Metaph. cap. 15. q. 1. sect. 4. Vasq. 1. par. disp. 173. num. 13. Conimb. hic q. 1. & alij. Vnde pariter sequitur, sola relata secundùm esse poni in hoc prædicamento. Non tamen omnia. Nam relata transcendentia, vero & reali ordine referuntur, & non solo nomine. Hæc explicatio est vtique consona ipsis vocabulis relatiuorum secundùm esse & secundùm dici. Non tamen videtur quoad rem de mente Arist.

Reijcitur.

Nam Arist. post traditam illam primam definitionem relatiuorum, tradidit secundam, vt illa sola relatiua comprehenderet, quæ debebant poni in hoc prædicamento, & excluderet alia quæ non debebant poni, & quæ sub prima definitione continebantur, vt patet in textu. Ergo non omnia relatiua realia etiã transcendentalia, sunt relatiua secundùm esse in eo sensu quo tradenda fuit secunda relatiuorum acceptio & definitio.

Tertia explicatio.

Tertius explicandi modus sumitur ex D. Thom. 1. par. q. 13. art. 7. ad 1. & q. 7. de Po-

Potent. art. 10. ad 11. & Durand. in 1. d. 24. q. 1. n. 14. eumque sequitur Sot. hic q. 1. relatiua secundùm esse intelligi illa, quæ formaliter dicunt respectum & referuntur ad terminum: secundùm dici intelligi res ipsas, quæ secundùm se non dicunt respectum nec referuntur, sed sunt subiectum aut fundamentum relationis per quam referri debeant. Sic D. Thom. ait: *Quædam relatiua sunt imposita ad significandas ipsas habitudines relatiuas, & hæc dicuntur secundùm esse: quædam ad significandas res quas consequuntur habitudines, & hæc dicuntur secundùm dici*. Imo S. Thom. eo loco de Pot. sub relatiuis secundùm esse complectitur etiam relatiua per relationes rationis; quatenus per ipsas relationes formaliter referuntur. At verò sola relatiua realia complectendo, hanc distinctionem tradit Sonc. 5. Metaphys. q. 30. sub alijs nominibus, relatiua secundùm dici appellans per accidens, & secundùm esse appellans per se.

Reijcitur. Hæc tamen explicatio difficilis est. Tũ quia sic nõ distinguũtur formaliter varia relatiua: sed tãtùm ex vna parte relatiua formaliter, seu relationes ipsæ; & ex alia relatiua subiectiuè & fundamentaliter, seu subiecta & fundamenta relationum. Tum quia Arist. etiam relatiua secundùm dici accepit formaliter quatenus referuntur, caput quatenus est capitati caput; & in toto prędicam. loquitur de relatiuis formaliter, prout dicuntur, seu sunt ad aliud. Tum demum in hac explicatione sub relatiuis secundùm esse includuntur etiã transcendentalia, quæ certè verè & formaliter referuntur: ergo nõ determinantur relatiua propria huius prædicamenti: & eò magis, si etiam relatiua rationis includantur.

Quarta explicatio. Quartus explicandi modus sumi potest ex ipsis exemplis ab Arist. allatis. Relatiua secundùm dici distincta à relatiuis secundùm esse, intelligit illa quæ dicuntur tanquam partes ad totum: ita vt in ipso toto includatur eamet pars. Sic affert exempla capitis, & manus, ad eum cuius est caput & manus, & alia huiusmodi. Quæ rectè excluduntur ab hoc prædicamento; quoniam partes & ordo partium ad totum, siue compositio totius ex partibus, reducuntur ad idem prædicamentum totius. Et hoc quidem sufficiebat ad intentum Arist. qui voluit excludere partes substantiarum ab hoc prædicamento. Adhuc tamen hæc explicatio deficit: quia sic relatiua secundùm esse, erunt omnia illa, quæ dicuntur ad terminum totaliter distinctum: at non omnia huiusmodi ponuntur in hoc prædicamento: nam etiam relatiua transcendentalia sunt huiusmodi. Vnde relatiua secundùm esse, non fiunt propria huius prædicamenti. *Reijcitur.*

Quinta explicatio. Quintus explicandi modus est Toleti quæst. 1. dicentis, alia accidentia relatiua esse, quæ non solùm habent ordinare ad aliud, sed etiam afficere & disponere ipsum subiectum in se; sicut scientia habitus & potentiæ insunt animæ. Alia esse, quorum tota natura consistit in eo quòd ordinent subiectum ad aliud; vt se habet paternitas. Illa inquit, esse relatiua secundùm dici, hæc secũdùm esse. Defendit autẽ, etiã illa relatiua poni in hoc prædicamento: & etiã à relatiuis transcẽdentalibus distinguit relatiua secundùm dici. Verùm sine causa Tolet. distinguere voluit relatiua secundùm dici à relatiuis transcendentalibus. Sed satius erat illa confundere cum omnibus relatiuis quæ non sunt secundùm esse. Et præter mentem Aristot. concedit, etiam relatiua secundùm dici poni in hoc prædicamento. Quandoquidem non ob aliam rationem Philosophus addidit acceptionem & definitionem relatiuorum secundùm esse, nisi vt excluderet relatiua secundùm dici, distincta à relatiuis secundùm esse. *Reijcitur.*

Sexta explicatio defenditur. Sextus satis frequens explicandi modus est, Relatiua secundùm esse intelligi propriè relatiua prædicamentalia: relatiua autem secundùm dici intelligi transcendentalia, amplè sumendo relationem transcendentalem, pro omni ea, quæ nõ ponitur in hoc prędicamẽto. Hoc enim modo saluatur optimè, relatiua secundùm esse adæquatè constituere hoc prædicamentum, exclusis relationibus secundùm dici.

Hanc tamẽ explicationem impugnant Suar. sect. cit. num. 9. & Vasq. disp. cit. num. 14. quia relata transcendentalia verè & realiter imò essentialiter referuntur ad suos terminos, & non solo nomine aut modo loquendi: sed relatiua secundùm dici sunt quæ solo nomine refe-

runtur

runtur: ergo hęc non sunt relatiua transcendentalia. Hęc quidem ratio euidenter ostendit, non posse coniungi duplicem explicationem simul, quòd videlicet relatiua secundùm dici sint quę solo nomine referuntur, & sint relatiua transcendentalia. Vnde si qui sint qui oppositum dicere voluerunt, planè decepti sunt. Sed tamen in hac vltima explicatione non debet illa alia prior inuolui: sed relatiua secundùm dici sumi debent, non pro ijs quę solo nomine referuntur, sed pro ijs quę ita verè & realiter referuntur, vt non spectent ad hoc prędicamentum. Licèt aut hic modus explicandi videatur non retinere rigorem vocabuli, secundùm dici: tamen benè determinat relatiua secundùm esse pro solis prędicamentalibus, & ab illis secernit omnia alia relatiua.

Et relatiua secundum esse cùm prædicamentalibus confunduntur.

Potest ergo tandem sic explicari doctrina Arist. & distinctio quę ex illo sumitur. quòd Arist. in principio capitis tradit seu potius refert illam acceptionem & definitionem relatiuorum, quę sit communis omnibus, traditam per dici ad aliud. Verè enim omne relatiuum dicitur ad aliud. Vnde inter relatiua numerat, non solùm maius & duplum, sed etiam habitum, sensum, scientiam, & alia quę planè spectant ad alia prędicamenta. Postea videns, per illam definitionem plura contineri inter relatiua, quàm quę in hoc prædicamento poni deberent: Addit relatiua posse definiri, quę quodammodo, seu aliquo modo se habent, siue sunt ad aliud. Quod videtur sic intelligendum: quę certo quodam & peculiari modo se habent ad aliud. Explicat autem à posteriori seu à signo, quisnam sit hic peculiaris modus: quando relatiuum ita se habet ad aliud, vt qui definitè, idest determinatè scit ipsum relatiuum, sciat etiam determinatè id ad quod dicitur tale relatiuum. Sic qui scit aliquid esse duplum, sciet cuius sit duplum: & qui scit aliquid esse melius, sciet quonam sit melius: alioqui si quis solùm sciat indefinitè, hoc esse peiore melius; non adhuc sciet exactè, sed talis erit potius suspicio quàm scientia. Alia autem relatiua sunt, quę possunt definitè cognosci, etiã si non definitè cognoscatur terminus. Sic caput, & manus, & similia, possunt definitè sciri, nec est necessarium scire definitè cuius sint. Et hęc relatiua erunt distincta à relatiuis huius prędicamenti. Hoc ergo signo videtur Arist. voluisse distinguere & explicare illa, quę nos appellauimus relatiua prędicamentalia & transcendentalia.

Et videtur hęc explicatio correspondere explicationi antea traditę. Nam quia relationes prędicamentales ita se habent, vt necessariò ex suis extremis consequantur, vel vt sint denominationes sumptę ex ipsis extremis: hinc oritur peculiaris necessitas, vt relatiuum non cognoscatur sine illo ad quod refertur. Quia verò aliæ relationes non illo modo se habent: non habetur ex hac parte talis necessitas. Sed tandem non oportet in hac tota re, nimis esse sollicitos propter auctoritatem Arist. quando ipsemet in fine capitis concludit, se potius dubitando quã vehemẽter asserẽdo esse loquutũ.

SECTIO QVARTA.

Quid sit Relatio prædicamẽtalis: an distinguatur à rebus aliorum prædicamentorum.

Hanc rem breuiter attingemus quantùm Logicæ intentum exigit; fusiorem discussionem Philosophiæ reseruantes. Maximè autem relationis quidditas & essentia innotescet ex distinctione eius à rebus: & ideò hoc totum simul quærimus. Extãt de hac re variæ sentẽtiæ.

Prima sententia est quæ affirmat, relationem prædicamentalem esse entitatem quandam & formam accidentalem, à parte rei distinctam à rebus, inhærentem suo subiecto seu fundamento, & terminatam ad alium terminum. V.g. similitudinem vnius albedinis ad aliam albedinem, esse formam quandam distinctam ab ipsa albedine, & constituentem illam similem, sicut ipsa albedo est forma quædã distincta à suo subiecto: sic etiam paternitatem esse formam quandam distinctam, relictam in homine generante ex vi ipsius generationis: & sic in alijs relationibus prędicamentalibus. Aliqui autem dicunt, relationem distingui realiter à suo fundamento. Aliqui modaliter. Aliqui formaliter à parte rei.

Sententia affirmans distingui à parte rei.

Secun-

Sententia affirmans distingui ratione.

Secunda sententia est aliorum dicentium, relationem prædicamentalem non distingui quidem à parte rei à fundamento: distingui tamen ratione ratiocinata: ita vt adhuc relatio sit quædam peculiaris entitas & forma simplex, existens in suo fundamento, & per conceptus mentis distinguatur ab illo.

Sententia negans distingui.

Tertia sententia est quæ docet, relationem prædicamentalem non esse aliud quàm denominationem quandam desumptam ex ipsismet rebus absolutis quatenus simul iunctis, idest quatenus simul coexistentibus, siue esse veluti coexistentiam duarum rerum. Ita tamen, vt denominatio relatiua primariò & in recto dicat ipsam rem quæ denominatur, concomitanter & in obliquo dicat aliam rem ad quam fit denominatio: sic hoc album esse simile illi, nihil esse aliud quàm hoc esse album, & illud etiam esse album, absque alio ordine vel respectu quasi medio vnius ad aliud: hâc quantitatem esse æqualem illi nihil esse aliud, nisi hanc quantitatem esse tantam, v. g. palmarem, & illam itidem esse palmarem. hunc esse patrem illius, non esse aliud quam hunc generasse illum; & illum esse filium huius, non esse aliud quàm esse ab eo generatum. & sic se habere omnes relationes prædicamentales, quæ scilicet cōiter censentur in hoc prędicamento collocari.

Ad constitutionem huius prædicamēti sufficit denominatio sūpta ab ipsis rebus.

Pro resolutione logica huius rei, satis nobis videtur nunc asserere, posse sufficienter saluari hoc prædicamentum relationis iuxta hanc tertiam sententiam: etiam si inquam relatio non sit peculiaris quædam entitas & forma distincta à rebus, sed solùm sit denominatio sumpta ex ipsis rebus, ex earum scilicet combinatione. Neq. propter cōstitutionē prædicamēti necesse est plus relōni tribuere.

Probatur assertio: quia non omnia prædicamenta important noua entia, & inter se distincta; sed potest aliquod prædicamentum constitui per solas denominationes extrinsecas: & huiusmodi saltem est prædicamentum Habitus, etiam prædicamentum Quando: & iuxta quorūdam sentētiam etiam vbi & situs. Idem ergo dici potest, quantùm est ex hac parte, de hoc prædicamento relationis. Nequè certè quisquam dixerit, ex eo specialiter quòd inueniantur tot & hæc prædicamenta fuisse distincta, oportere concedere, illa omnia esse verè distincta entia; vt nullum possit per solam denominationem desumptam ex rebus quæ alioqui sint in alijs prędicamentis explicari: si non alia ratio conuincat, dari & verè esse talia entia distincta.

Imo specialiter hoc prædicamentum relationis meritò potuit & debuit assignari, etiam si in sola dicta denominatione consistat. Quoniam huiusmodi denominationes relatiuæ sunt tàm frequentes & familiares, & tàm sæpè relationes in scientijs nominantur, extantquè tot difficultates de ipsis relationibus, & in specie hæc de distinctione eius à fundamento: vt omnino debeat peculiaris tractatus de ipsis relationibus institui, & hic in Logica peculiare prædicamentum, in quo varia relationum genera recenseantur & coordinentur, explicata prius distinctione relationis prædicamentalis à transcendentali.

Denominatio tamen realis, non relatio rationis.

In contrarium, omissis nunc alijs argumentis circa rem ipsam, Obijcies primò circa constitutionem prædicamenti: quia sic videtur redire illa sententia quæ dicebat, relationem esse aliquid rationis, & per illam constitui hoc prædicamentum. Nam si negetur relatio realis distincta à rebus absolutis, sola superest relatio rationis.

Respondetur. Fatendum quidem est, supposito quod non detur relatio realis distincta, relationem quæ cogitatur tanquam distincta, non esse nisi rationis: tamen non per ipsam relationem rationis, sed per denominationem realem sumptam à rebus, dici debet constitui hoc prædicamentum: quia prædicamenta non sunt nisi realia. Vnde non redit illa sententia. Imo Aureol. qui prædicamentum constituit per relationem quam contendit esse aliquid rationis, expressè impugnat sententiam de denominatione relatiua reali. Itaque planè differt vna sententia ab alia.

Potest distinctio prædicamentalis saluari per denominationes.

Obijcies secundò. Denominatio desumpta à rebus, non debet poni in alio distincto prædicamento ab ipsis rebus; imo non potest separari ab ipsis rebus: ergo non debet ob solam denominationem desumptam à rebus quæ alioqui in alijs prædicamentis collocantur, consti-

tui

tui hoc peculiare prædicamentum ad aliquid. Sed satis esset, æqualitatem quantitatum poni in prædicamento quantitatis, similitudinem qualitatum in prædicamento qualitatis, & sic de alijs huiusmodi relationibus.

Respondetur. Denominationes quæ sunt intrinsecæ & essentiales rebus, non debere nec posse distrahi a prædicamentis ipsarum rerum ad aliud prædicamentum: quia se habent tanquam prædicata essentialia ex quibus series prædicamenti componitur. Sed tamen denominationes accidentales posse in alio prædicamento per modum cuiusdam accidentis collocari: sic denominatio habitus, licèt sumatur à re substantiali, tamen constituit quoddam peculiare prædicamentum. Ita cùm denominatio similis huic qualitati, & æqualis huic quantitati, sit accidentalis, quia per accidens illi est quòd inueniatur alia talis qualitas, & alia tanta quantitas: cùm etiam omnes hę denominationes conueniant in quodam conceptu communi denominationis relatiuæ, qui conceptus non poterat in vno alio certo prædicamento restringi: cùm etiam adsint illæ rationes quas in conclusione adduximus pro conuenienti institutione huius prædicamenti: non immeritò factum est, vt pro his denominationibus relatiuis hoc peculiare prædicamentum institutum sit.

Quędam prædicamenta cōstituūtur per entia verè distincta, quędam per denominationes.

Obijcies tertiò. Quamuis possit aliquod prędicamentum in sola denominatione extrinseca saluari: tamen saltem quatuor prima prędicamenta, inter quę vnum est Ad aliquid, censeri debent prędicamenta perfecta per distincta entis genera constituta, & quæ non per solas denominationes distinguantur.

Respondetur. Negando assumptum. Non enim ex eo quòd prima sint, debent huiusmodi censeri: sed substantia quidem, quantitas, & qualitas, sunt huiusmodi, propter suas essentiales rationes. Imo in prędicamento quantitatis inter species quantitatis recensentur quędam quę non sunt entia per se vna distincta ab alijs, vt patet ex precedenti tractatu. Prædicamentum autem relationis totum constitui potuit per dictas denominationes relatiuas. Inter alia verò sex prędicamenta, plura sunt, quę per vera entia peculiaria, ab alijs penitus distincta, constituuntur; vt ex propria tractatione constabit.

SECTIO QVINTA.

De Subiecto, Fundamento, & Termino Relationis.

Relatio requirit duo extrema subiectū, & terminum.

IN primis satis notum est, in omni Relatione interuenire duo inter quæ relatio exercetur. Quod verum est etiam de relatione transcendenti. Hæc duo, vno communi nomine appellantur relationis extrema. Vnum autem ex his est id quod refertur. Alterum est id ad quod illud refertur. Per relationem paternitatis pater est qui refertur, filius est ad quem pater refertur: per relationem similitudinis hoc album refertur ad illud: & ita inductione patet in omnibus relationibus. Illud quod refertur proprio nomine appellatur relatum & relatiuum: appellatur subiectum relationis. Vbi non oportet intelligere, esse subiectum per realem receptionem seu informationem aut inhæsionem relationis in illo: de hoc enim sentiendum est iuxta varias opiniones de relationibus, & iuxta varias relationes. Sed ad minus intelligitur subiectum denominationis, quod scilicet denominatur prædicatione relatiua. Alterum extremum ad quod subiectum refertur, proprio nomine appellatur terminus, terminus scilicet ad quē est relatio. Certum est etiam, hæc duo extrema debere esse à parte rei inter se distincta. Nam idem non refertur realiter ad se ipsum: sed sicut dari potest distinctio rationis inter ea quæ a parte rei non distinguuntur; ita ad summum dari inter ea potest relatio rationis.

Ex parte subiecti additur fundamētum.

Secundò vlterius ex parte subiecti assignatur etiam fundamentum relationis. Quod explicat S. Thom. in 1. d. 2. in expos. litteræ, id quod est causa subiecto vt referatur, seu in virtute cuius ipsi subiecto conuenit relatio. Sic se habet potentia generatiua in patre. Hæc enim potentia est patri causa vt generet & ad filium referatur. Verùm obseruandum est, non esse semper necessarium, vt detur fundamētum distinctum à subiecto quod deno-

denominantur referri. Interdum quidem datur ita vt non ipsum fundamentum, sed solùm subiectum eius denominetur referri, vt patet in exemplo apposito. Non enim potentia generatiua, sed homo solùm denominatur pater: nec etiam natura ipsius, sed suppositum denominatur pater. Vnde Durand. in 1. d. 33. quæst. 2. in fine, notauit, relationem non dici de illo in quo est tantùm vt in fundamento.

Non oportet semper esse à subiecto distinctum. Interdum verò non inueniuntur duo distincta, quorum vnum dicatur subiectum, alterum fundamentum. Sic certè ex parte filij licet cogitari possit potentia vt generetur; tamen hæc non est quid distinctum ab ipsa substantia filij. Si etiam aliæ substantiæ possunt immediatè fundare relationes, vt communior iam sententia docet: in illis non distinguitur fundamentum à subiecto. Et, si Deus conseruaret albedinem separatam ab omni subiecto, imo de facto dum conseruatur quantitas per se in Sacramento: vtique talis albedo diceretur similis alteri; & modò etiam quantitas dicitur æqualis alteri. Neque in ipsa, fundamentum a subiecto distinguitur: sed vnum & idem dicetur subiectum & fundamentum, subiectum quatenus est quod denominatur, fundamentum quatenus est sibimet causa talis denominationis.

Denique interdum inueniuntur quidem duo distincta, quorum vnum dici possit subiectum, aliud fundamentum. tamen ita vt vtrunque rectè denominetur per relationem: vnde illud ipsum quod dicetur fundamentum, dici etiam debebit subiectum: & ita ex ijs duobus, vnum dicetur subiectum remotum, aliud dicetur subiectum proximum. Videlicet corpus substantiale habet in se quantitatem, & tam ipsa quantitas quàm corpus denominatur æquale alteri. Si ergo corpus dicatur subiectum, quantitas fundamentum æqualitatis: ipsa quoque quantitas dici debebit subiectum; corpus quidem dicetur subiectum remotum, quantitas proximum. Sic etiam res se habet in similitudine per albedinem, & alijs huiusmodi.

Additur ratio fundandi. Tertiò præterea, cum fundamento solet assignari ratio fundandi. Imo distingui solet duplex fundamentum. Vnum remotum, & est illud quod modò explicatum est, & absolutè vocatur fundamentum. Aliud proximum, quod propriè vocatur ratio fundandi: & explicatur esse conditio aliqua sine qua non sequeretur relatio ad fundamentum. Talis assignatur actio generandi in patre ad relationem paternitatis. Nunquam enim ex sola substantia et potentia generatiua talis hominis, sequeretur ralatio paternitatis, nisi intercederet actio generandi: & similiter nunquam daretur relatio filiationis in alio homine nisi generaretur à suo patre. Vnde posset vtique Deus eosdem duos homines immediatè creare: qui ob solum defectum generationis vnius ab alio, non referrentur inter se tanquam pater & filius. Dicitur autem conditio & non causa, & dicitur distingui à fundamento antea explicato; quia non in ipsa conditione & ratione fundandi inest relatio, imo post præteritam actionem remanet adhuc relatio, quæ tamen sine subiecto & fundamento antea dicto, nec ab initio resultat, nec postea conseruatur. Hoc autem præsertim dicitur iuxta sententiam distinguentem relationem ab ipsis rebus.

An semper detur. At verò, quia in alijs relatiuis non inuenitur alia huiusmodi conditio, sicut inuenitur actio inter causam & effectum: ideo Suar. disp. 43. sect. 7. num. 13. ait, in alijs relatiuis inueniri conditiones saltem indistinctas ab ipsis rebus, videlicet aliquam naturalem proprietatem & rationem ob quam apta fiunt fundare relationem. Vnde fatetur, etiam inter patrem & filium præter actionem inueniri quoq. aliam huiusmodi conditionem. Sed certè frustra & immeritò talis proprietas, imo natura relatiuorum, vocatur conditio: cùm sit in rigore ipsum fundamentum. Nec oportebat aut iuuabat, præter fundamentum assignare conditionem hoc modo explicandam.

Communior dicendi modus est, in alijs relatiuis inueniri conditionem saltem negatiuam: & hanc esse vnitatem, quæ videtur esse ratio fundandi similitudinem, æqualitatem, identitatem: in quibusdam alijs inueniri rationem mensuræ passiuæ, quæ videtur esse ratio fundandi relationem scientiæ ad scibile, sensus ad sensibile, & alias huiusmodi. Et hoc totum sumptum est ex Aristot. 5. Metaph. cap. 15. Verùm nec etiam inuenitur

nitur vnitas in rebus à parte rei præter ipsam relationem, quæ vnitas dicatur fundare relationem, nisi sumendo vnitatem fundamentaliter pro rebus ipsis in quibus est fundamentum vt ab intellectu concipiantur per modum vnius sicut ostendimus q.8.sect.6. Neque apparet, quænam ratio distincta mensuræ passiuæ sit in scientia, & sensu, fundans relationem ad scibile & sensibile: sed à parte rei non videtur esse aliud quàm ipsa entitas illarum rerum. Nec demum Aristot. ibi dixit, relationem fundari in illis rationibus seu conditionibus: sed tantùm ibi distinxit varia relationum genera secundùm varias rationes & habitudines: de qua distinctione agemus postea.

Non semper datur præter fundamentū. Dicendum ergo absolutè est, non oportere in omnibus relatiuis inueniri alias conditiones seu rationes fundandi. Nam neque à priori ex natura relationis colligitur talis necessitas: satis enim esse possunt ipsa extrema inter quę exercetur relatio, quæ statim per ipsam positionem extremorum intelligatur; vt verè statim intelligitur per positionem duarum quantitatum, duarum qualitatum, & sic de alijs. Neque inductione inueniuntur tales conditiones distinctæ in omnibus relatiuis. Imo etiam in illis relatiuis quæ se habent vt causa & effectus, potest esse vt non intercedat actio media distincta: & tamen ex hac parte non tollitur quominus inter illa possit exerceri relatio.

Ex parte termini solet adesse relatiom tua. Quartò deinde ex parte termini obseruandum est, solere etiam ipsum terminum mutuò referri ad suum relatiuum: sic vtique filius refertur ad patrem, & duo alba, duo quanta, & alia huiusmodi, inter se mutuò referuntur. Vnde vnum & idem dicetur tum terminus tum relatiuum: terminus quatenus aliud refertur ad ipsum: relatiuum quatenus etiam ipsum refertur ad illud: & tunc ambo extrema simul dicuntur correlatiua. An verò semper in termino detur relatio mutua: vel aliæ sint relationes mutuæ, aliæ non mutuæ, infra videbimus in relationum diuisione.

Aliæ difficultates differuntur. Quintò etiam ex parte termini posset quodammodo considerari fundamentum & ratio seu conditio terminandi: de qua re pari modo philosophandum est, sicut dictum est ex parte subiecti. Est autem peculiaris & grauis difficultas: num terminus exerceat munus terminandi secundùm entitatem suam absolutam, vel secundùm suam mutuam relationem: siue an relatiuum attingat & respiciat terminum inquantum absolutum quid, vel inquantum sibi correllatiuum. Et aliæ sunt etiam difficultates circa hæc relationum extrema. Quæ quidem specialiter habent locum in sententia distinguente relationes à rebus. Illas autem examinabimus in philosophico relationum tractatu. Modò ea quæ supersunt logicæ tractationi debita prosequemur.

SECTIO SEXTA.

An & quod sit genus generalissimum huius prædicamenti.

Ratio dubitandi. Ratio dubitandi est: quia cùm genus generalissimum debeat esse vnicum in prædicamento: videtur non posse vnum aliquod genus generalissimum in hoc prædicamento assignari. Primò quia Aristot. idcirco non per modum vnius nominauit relationem aut relatum in hoc prædicamento, sicut nominat substantiam, qualitatem & quale, &c. in alijs prædicamentis: sed potius per modum plurium, ea quæ sunt ad aliquid. Secundò. D. Aug. cap. 11. Categor. in vniuersum ait, relationem non posse generaliter considerari, sed tantùm in singulari in quolibet relatiuo ad suum terminum. Quo, non solum genus generalissimum, sed omne prorsus genus & prædicatum vniuersale in hoc prædicamento negasse videtur. Tertiò. Præsertim ex natura relationis & relatiui. nam relatiuum est quod refertur ad aliud: igitur si datur genus generalissimum quod refertur ad aliud, dabitur etiam per modum alterius generalissimi illud aliud, & ita sunt duo generalissima. Quartò præterea. Illud aliud debet esse distinctum à relatiuo, vt sequitur ex dictis: sed sic est quòd solet etiam ipse terminus mutuò referri: ergo continetur sub ipso relatiuo: ergo distinguitur & non distinguitur: quod repugnat.

Propter hæc Boet. & Simplic. in hoc prædi-

prædicamento negasse videntur vnum supremum genus generalissimum. Et aliqui clariùs dixerunt, dari solum genus generalissimum in abstracto, videlicet relationem, non autem in concreto, scilicet relatiuum: putantes sic se difficultates euadere, quæ magis contra concretum, quàm contra abstractum videntur vrgere.

Assignatur genus generalissimum, tũ in abstracto, tũ in concreto. Dicendum tamen omnino est, dari vnicum genus generalissimum in hoc prędicamento, possequè assignari non solùm in abstracto, sed etiam in concreto, sicut in alijs prædicamentis. Hæc est communis omnium sententia. Et probatur primò ratione communi: quia omne prædicamentum debet habere suum genus generalissimum: & si prædicamentum est vnum, habet vnum tale genus; alioqui essent plura prædicamenta. Secundò ratione propria: quia si dantur hæ & illæ relationes, & omnes conueniunt in hoc omnibus communi relationis conceptu: iam hoc est genus generalissimum: sicut dantur alia genera intermedia; similitudo communis ad omnes similitudines, & sic de alijs relationum generibus. Fiuntquè inter hos gradus, prædicationes essentiales & quidditatiuæ, quæ tandem omnes reuocantur in vnum commune prædicatum relationis prædicamentalis, sicut in alijs prædicamentis. Tertiò sicut nominatur relatio in communi: ita etiam nominatur & concipitur in concreto relatum, in quo prædicato conueniunt & vniuntur singula quæque relata: nominantur etiam & concipiuntur in concreto genera intermedia, simile, æquale, & alia omnia. Ea ergo ratione qua alia prædicamenta possunt disponi & in abstracto & in concreto, quantitas & quantum, & sic de alijs: ita etiam potest disponi præsens prædicamentum. Et præterea eædem fere difficultates vrgent, dũ cõceditur cõmune genus relationis in abstracto. Nã relatio est vnius ad aliud: vnde adhuc remanet dubitatio, quomodo designari possit hoc vnum, & illud aliud, & quomodo distinguantur, & quomodo non se habeant quasi duo generalissima.

Arist. explicatur. Hinc primò. Ad auctoritatem Arist. dicendum est, non ideò Arist. nominasse ea quæ sunt ad aliquid, quasi non sub vno conceptu, & vno genere generalissimo comprehendi putaret. Imo eo modo loquendi non distinxit tanquam duo, illud quod refertur, & illud ad quod refertur. Sed nominauit omnia quæ referuntur: quasi diceret, relatiua sunt, seu relatiuum est: sicut si dixisset, qualitates sunt: & sic in alijs prædicamentis. Eo autem modo loqui voluit, quia sic ei commodum visum fuit, vel quia sic erat eo tempore consuetum. Nam & in alijs rebus obseruari potest, diuersam consuetudinem esse nominandi, quædam per modum vnius, quædam per modum plurium.

D. Aug. explicatur. Secundò. Ad auctoritatem Augustini dicendum, illum tantùm voluisse, relationem non exerceri realiter nisi inter singularia, & speciali quadam ratione debere in singularibus cogitari; vt hoc esse duplum respectu illius, hunc hominem esse vultu similem illi. Alioqui ipsemet ibi in communi nominat & definit prædicamentum ad aliquid, planè supponens dari cõceptum genusquè commune.

Aliqui negant dari etiam terminũ in cõmuni. Ad tertium in quo consistit præcipuè difficultas. Fonsec. 5. Metaph. cap. 15. q. 6. negat, relatum in communi respicere aliud commune ad quod referatur: quia inquit relatum in communi non per se ipsum proximè refertur, sed tantùm refertur per sua inferiora, per hæc & illa relata quæ habent suos terminos ad quos referantur. Propter quod etiam ait, relationem & relatum in communi dicere tantùm in potentia seu inchoatiuè rationem respectus & ordinis: & ideò non indigere in illo statu communitatis termino in communi. Quod etiam alio modo explicatur: relationem & relatum in communi, non referri in actu exercito; sed tantùm considerari in actu signato & mente concepto: & ideò non habere terminum in communi. Pro hoc dicendi modo Fonseca refert Albert. Boet. Simplic. Ioannem Gandau. & Scot. Sequitur etiam Masius hic sect. 1. q. 5. & Sanc. q. 39. & alij, & probabilem iudicat Suar. d. 47. sect. 17. Imo de alijs quibusdam peculiaribus generibus relatorum id significat Scot. in 1. d. 21. q. vnica prope finem, in relationibus scilicet æquiparantiæ, nempe similis ad simile, æqualis

æqualis ad æquale, non referri relatum in communi, idest simile in communi, nec habere terminum in communi sibi correspondentem; quia nimirum non possunt dari duo similia in communi. In relationibus autem disquiparantiæ, vt patris ad filium, maioris ad minus, facilè potest assignari tàm terminus quàm relatum in communi, siue duo correlatiua in communi: quia non habent vnum conceptum & appellationem, sed differunt conceptu & nomine vt patet.

Probatur esse concedendum. Nihilominus concedendum est, sicut datur relatum in communi, ita etiam concipi terminum in communi, debereq. hunc communem conceptum termini assignari. Ita plures docent. Et probatur. Tum quia relatum & relatio in communi habet veram essentiam relati & relationis: sed hæc essentia consistit in ordine ad terminum: ergo omnino illi in communi correspondet terminus in communi. Tum de facto, dum concipitur & definitur relatiuum in communi, vtique dicitur, est quod refertur & ordinatur ad aliud: ergo nominatur & concipitur ly aliud in communi: at hoc aliud est terminus. Nec satis est dicere, per ly aliud significari varios terminos in speciali. Verum est enim, realiter non dari nisi varios terminos singulares: tamen certè in illo nomine & conceptu non distinguitur pluralitas terminorum: sed sicut sumitur relatum in communi, & sicut considerantur alij conceptus rerum in communi; ita nunc sumitur ly aliud, atque adeo terminus in communi. Tum etiam dum dicitur, relatum in communi non referri per se ipsum sed per sua inferiora; verum est non dari realiter relatum in communi separatum à singularibus: sed negari non potest in ipso relato in communi inuolui rationem ordinis & respectus abstractam à singularibus; & talē ordinem etiam in communi conceptum, esse ad terminum. Nec benè loquitur Fonseca, relatum in communi dicere tantum in potentia & inchoatiuè rationem ordinis. Nam ita relatum in communi dicere debet formaliter & perfectè rationem ordinis, sicut substantia in communi rationem essendi per se, & sic de alijs rerum generibus. Nec etiam sufficit dicere, relatum in communi non referri in actu exercito, sed tantum considerari in actu signato. Nam adhuc debebit concedi terminus in actu signato. Sicut enim relatio exercita respicit terminum in actu exercito: ita relationi consideratæ in actu signato, debet concedi terminus in actu signato. Imò sic maximè consideratur relatio secundùm essentiam suam, quæ essentia consistit in ordine ad terminum. Sicut licèt accidens in communi dicatur non exercere actum inhærendi: tamen in actu signato cogitatur subiectum in communi. Et licèt nunquam possit exerceri actus, v. g. visionis in communi, quo conspiciatur visibile in communi: tamen dum in actu signato cogitatur visio in communi, cogitatur etiam visibile in cōmuni. Atque hoc valet etiā in relationibus æquiparantiæ. Nam simile in cōi habet terminum similitudinis in cōi, æquale æqualitatis, & sic de alijs. Vnde non assignantur duo similia in communi, quasi duo relatiua: sed formaliter vnum est commune relatiuū simile, cui cōsideratur correspondere terminus similitudinis, & consideratur etiam in communi.

Terminus reductiuè spectat ad prædicamentum. Ad difficultatem verò illam Respondetur, terminum in communi, si sumatur materialiter secundùm suam entitatem, non esse vnum genus generalissimum, sed dicere res diuersorum prædicamentorum quæ in ipsis prædicamentis collocātur. Si autem sumatur formaliter sub denominatione terminandi: sic reducitur ad hoc ipsum prædicamentum relationis. Nam cùm relatio sit ordo vnius ad aliud, secum assumit vtrunque extremum. Vnde terminus in communi non constituit nouum genus prædicamentale, nouumquè prædicamentum. Sed fatendum libenter est, sub termino in communi posse coordinari varia genera terminorum, è regione relati in communi & eorum generum quæ distinctè sub ipso coordinantur. Hoc totum tamen fit in hoc prædicamento per reductionem termini ad relatum. Sic enim ipsa rerum natura, & commoda rerum dispositio poscit. Idquè omnes debent fateri. Nam etiam illi qui negant terminum in communi, fateri debent, terminos in speciali reductiuè non directè spectare ad prædicamentum. Tam facilè ergo est, idem dicere de termino in communi.

Ad

Quomodo saluetur distinctio inter relatiuum & terminũ.

Ad quartum deinde dicendum, non oportere quodlibet relatiuum esse à quolibet termino & relatiuo distinctum: sed satis esse, si distinguatur quodlibet à termino suo & correlatiuo sibi opposito. Vnde quando de relatiuo & termino in communi loquendo, dicitur debere distingui; intelligi debet distributiuè, omne relatiuum distingui à termino ad quem refertur, & à correlatiuo sibi opposito. Atque dum infertur, terminum à relatiuo distingui & non distingui: dicendum est, distingui ab aliquo correlatiuo, nempe ab illo quod ad ipsum refertur; & ab aliquo non distingui, nempe à se ipso.

SECTIO SEPTIMA.

Quot & quæ sint genera & species relationum in hoc prædicamento.

Diuisio relationis in tria genera ex Aristot.

ARistoteles hoc loco non aliam diuisionem generum relationis tradidit, præter eam quę ex ipso sumebatur de relatiuis secundùm dici & secundùm esse. At. 5. Metaph. cap. 15. docuit. Quędam relatiua dici secundum numerum aut vnitatem, vt duplum ad dimidium, æquale ad ęquale: Quędam dici secundùm actiuam & passiuam potentiam & potentiarum actiones, vt calefactiuum ad calefactibile, calefaciens ad calefactum: Quędam alia demum dici eo quòd alia dicantur ad ipsa, vt mensurabile ad mensuram scibile ad scientiam. Hinc orta est distinctio relationis in tria genera, frequens apud Auctores, quę dicitur sumpta esse ex parte triplicis fundamenti: & sic tradi solet. Primum genus esse earum relationum, quę in vnitate vel distinctione seu numero fundantur. Secundum genus esse earum, quæ in actione vel potẽtia fundãtur. Tertiũ genus esse earũ, quæ in ratione mensuræ fundantur: & relationes huius tertij generis esse non mutuas, idest esse ex parte vnius extremi tm̃: aliorũ duorum generum esse mutuas. Hãc diuisionem, & omnia tria genera, tanquã adæquata & propria huius prædicamẽti, multi defendunt: & præsertim latissimè Suar. d. 47. à sect. 10. per plures sequen. Non defuerũt tamen qui illã nõ omninò reciperent: & præsertim non pauci, tertio genere excluso, duo priora defendunt. Nonnulli primum ẽt genus abstulerũt, solas eas relationes acceptãtes, quę inter causam & effectum, seu inter agens & passum versantur: eo quod nõ aliud efficax motiuũ concedendi relationes suppetere arbitrantes, nisi exẽplum Diuinarũ relationum; ex ijs solas relationes in productione seu causalitate fundatas inferri, sibi persuaserunt.

Arist. tamẽ nõ intendebat tradere diuisionẽ propriam huius prædicamenti.

Dico ergo primò, Arist. nec voluisse propriam huius prædicamenti, nec adæquatam totius relationis diuisionẽ tradere: nec modum illũ designandi tria relationũ genera esse de mẽte Arist. Sed Arist. ibi voluisse tm̃ indefinitè enumerare quędam genera quæ dicebantur ad aliquid. Probatur conclusio quoad omnes partes. Primò. Arist. ibi inter relatiua cõputat quædam, quæ non possunt in hoc prædicamento collocari: sed vel sunt aliorum prædicamentorũ: vel nullius; quia potius dicunt relationes rationis, vt notauit Fõs. ibi q. 4. Ponit enim inter relatiua, ea quę sunt actiua & passiua, ponit autẽ secundũ potentiã actiuã & passiuã, & sm̃ actionẽ: nec assignat relationem aliam fundatam in potentia aut actione, sed solùm ipsam formaliter potẽtiam & actionẽ: po.ẽtia aũt est de prædicamento qualitatis, actio constituit proprium prædicamentũ. Insuper inter eius generis relatiua ponit id quod denominatur ab actione futura, *Id quod facturum est ad id quod faciendũ est.* Nullus autẽ dicit dari relationem realem de præsenti, fundatam in actione futura; sed fatentur oẽs, non esse nisi rationis relationem, quæ tunc cogitatur vt præsens. Item annumerat in eodem genere quadã secundùm priuationem potentiæ, vt impossibile & inuisibile; quæ vtique non dicunt relationem realem. Demum tertium genus assignat eorum quæ in tantùm dicuntur ad aliquid, inquantum alia dicuntur ad ipsa, vt sensibile dicitur à sensu, intelligibile ab intellectu. Communis autem sententia docet, in his rebus non esse relationes reales, obiecti scilicet sensati ad sensum, & intellecti ad intellectum: sed tantùm esse denominationes extrinsecas à potentijs & actibus respicientibus obiecta, vel relationes rationis. Non ergo Aristot. ibi assi-

gnauit genus quoddam relationis huius prædicamenti.

Nec adæquatum totius relationis. Secundò. Arist. ibi omisit multa relatiua, quæ vel sunt extra hoc prædicamentum, vel etiam huius prædicamenti. In primis non per se assignauit habitudinem actuum, habituum, & potentiarum ad obiecta. licèt enim mentionem fecerit sensus & intellectus: tamen non intendebat per se assignare hæc relatiua, sed directè solùm intendebat recensere sensibile & intelligibile. Item non numerauit alia relatiua, quæ vel in alijs prædicamentis inueniuntur, vel sunt communia pluribus prædicamentis. Deinde secundum genus solum assignauit penes causalitatem in genere causæ efficientis & materialis: at pariter debent relatiua sumi ex alijs causalitatis generibus, siue hæc dicantur non includi, siue dicantur includi in hoc prædicamento. Insuper primum genus secundùm vnitatem, Arist. diuisit in ea quæ dicuntur, vel idem secundùm substantiam, vel æqualia secundùm quantitatem, vel similia secundùm qualitatem. Omisit autem quæ dicuntur coniuncta vel disiuncta, propinqua vel distantia secundùm locum, item similia secundùm alia accidentia aliorum prædicamentorum, & si quæ alia excogitari possunt quæ cum illis connumerari debent: non ergo intentum Arist. erat, omnia relatiuorum genera numerare, & adæquatam diuisionem tradere.

Nec illa diuisio benè explicatur de mente Ari. Tertiò. Modus consuetus designandi tria illa relationum genera non est de mente Arist. Tum quia Arist. non tradidit illam diuisionem ex parte fundamenti: nec dixit, alias relationes fundari in vnitate, & sic de alijs; sed dici secundùm vnitatem, & vnitatem accepit pro conuenientia quadam. Tum specialiter de tertio genere Arist. nec dixit fundari in ratione mensuræ, nec dici secundùm rationem mensuræ: sed solùm dixit quædam relatiua dici, vt mensurabile ad mensuram, & scibile ad scientiam, & sensibile ad sensum. Vbi potius hæc omnia tanquam distincta exempla posuit: & non quasi vellet scibile & sensibile contineri sub mensura aut mensurabili. Et eodem modo loquitur iterum in eodem cap. Prorsus ergo alienum est à mente Arist. dicere, tertium genus esse quod fundetur in ratione mensuræ: sed rationem tertij generis Arist. constituit in eo, quod in tantùm dicantur ad aliquid, in quantum alia dicuntur ad ipsa. Tum etiam si Arist. voluisset, totum tertium genus dici secundùm rationem mensuræ: colligi deberet, scibile se habere ad scientiam, & intelligibile ad intellectum, tanquam mensurabile ad mensuram. Sed tamen qui eo modo diuidunt relationes, ex opposito dicunt, scibile esse mensuram scientiæ, & sensibile sensus. Tum demum dum dicunt relationes tertij generis esse non mutuas, sumunt relationes ex parte scientiæ & sensus, quas dicunt esse reales, & non habere alias relationes mutuas ex parte scibilis & sensibilis: At Arist. in eo genere non posuit hæc relatiua scientiam & sensum: sed posuit scibile & sensibile, illa scilicet quæ non per se dicuntur ad aliud, sed solùm denominantur, eo quòd alia dicantur ad ipsa.

Sed Arist. solùm volebat, indefinitè afferre plures relatiuorũ modos. Quartò. Ex his concluditur, intentum Arist. ibi fuisse, tantùm enumerare plurima ex ijs quæ dicuntur ad aliquid: & adduxisse plures modos huiusmodi ordinis seu denominationis, ad explicandum ipsum ad aliquid, nec tantùm enumerasse illa relatiua quæ constituunt speciale prædicamentum ad aliquid, sed etiam ex alijs quæ sunt extra prædicamentum. Quod eo faciliùs credendum, quò Arist. in cap. præcedenti de quali etiam quædam enumerat quæ planè non sunt de prædicamento qualitatis, & non enumerat omnes qualitates quæ sunt de ipso prædicamento: & in vniuersum eo libro explicat Arist. varias res, non tamen per modum prædicamentorum, sed prout illi vtile aut commodum videbatur.

Relationes tertij generis nõ sunt de hoc prædicamento. Dico secundò. Nec etiam iuxta rei naturam & debitam dispositionem prædicamenti debere assignari tria illa relationum genera; sed posse in solo primo genere, si adæquatè sumatur, saluari totum hoc relationis prædicamentum. Et primò probatur, non debere assignari tertium illud genus in hoc prædicamento: quia nec sumi potest ex parte obiectorum ad quæ Arist. dicebat alia referri, videlicet ex parte scibilis, sensibilis, appetibilis, &c. Nec ex parte earum rerum quæ verè referuntur, scilicet ex parte ipso-

ipsorum actuum & potentiarum respicientium sua obiecta. Non ex parte obiectorum. Quoniam in ipsis non resultant propriæ relationes reales: etiam in sententia eorum qui alioqui ponunt relationes distinctas à rebus: dicit enim, in obiecto quod sentitur, quod intelligitur, &c. non resultare relationem aliquam qua respiciat, sensum, intellectum, &c. Neque dici possunt relationes rationis quæ in eis concipiuntur spectare ad prædicamentum, vt supponimus. Neque denominationes extrinsecæ desumptæ ab ipsis actibus aut potentijs, spectant ad hoc prædicamentum ad aliquid: propriè enim spectant ad eadem prædicamenta in quibus sunt tales res. Nam cùm ordo ad obiectum sit ipsa essentialis ratio potentiæ: vbi ponitur potentia, atque adeò suus essentialis ordo, ponitur etiam denominatio quæ tribuitur obiecto, quæ est denominatio terminantis talem ordinem: sicut denominatio facientis & recipientis, facti & recepti, ponitur in eodẽ prædicamẽto actionis aut passionis.

Item non potest sumi illud genus relationis ex parte rerum respicientium sua obiecta: quoniam illis intrinsecus & essentialis est ordo ad obiectum: & illæ res ponuntur in alio suo proprio prædicamento: vnde in illo etiam, & non in hoc relationis, ponitur ille ordo, vt habetur ex antea dictis. Præter autem hunc ordinem essentialem, nullatenus debet poni alius ordo accidentalis & prædicamentalis de hoc prędicamento in illis rebus. In actu visionis, non est ad quid ponatur alius ordo accidentalis, præter entitatem ipsam actus, essentialiter respicientem obiectum: sic neque in potentia visiua debet vllo modo distingui alius ordo accidentalis, vt ponatur in hoc prædicamento: & sic in alijs rebus hoc modo se habentibus. Igitur nihil inuenitur in eo tertio genere, quod in hoc prædicamento ponatur.

Nec etiã relationes secũdi generis, nisi in sententia distinguẽte relationes à rebus.

Secundò. Circa secundum genus quod assignabatur, manifestum est, non ipsam potentiam actiuam & passiuam, aliouè modo causatiuam, nec actionem & passionem, aliamuè causalitatem, poni in hoc prædicamento: nam hæc omnia habent sua propria prædicamenta. Et consequenter neque denominationes ex ijsdem rebus desumptas poni in hoc prædicamento. Nam denominatio potẽtis agere, aut agentis, potentis fieri, aut facti; omninò est eiusdem prædicamenti, cuius est potentia, aut actio: sicut denominatio quanti & qualis, est eiusdem prædicamenti quantitatis & qualitatis. Illi autem qui volunt, ex actione, aut ex omni alia causalitate, resultare distinctas alias relationes; has sanè habent, quas in hoc prædicamento collocent. Sed tamen si negẽtur hæ aliæ relationes, & omnia saluẽtur per denominationes desumptas ex ipsa actione, aliauè causalitate: sicut sanè Arist. voluisse videtur in illo secundo relatiuorũ genere, in quo expressè explicat denominationes patris & filij per generationem præteritam: *Pater quoque filij pater dicitur, hoc enim fecit, at illud passum quid est*: idest pater dicitur quia genuit, filius quia genitus est. Sic inquam non inueniuntur relationes de eo genere, quæ in hoc prædicamento collocentur: sed dictæ denominationes relatiuæ erunt de alijs prędicamentis, vel actionis, vel alterius, cuius est forma denominans.

Relationes primi generis optimè constituũt hoc prædicamentum.

Tertiò. Solùm superest primum illud genus per quod constituatur hoc prædicamentum. Potest autem sic adæquatè explicari: quod dicitur secundùm conuenientiam aliquã aut disconuenientiam, siue secundùm accessum quendam aut recessum. Et hoc ipsum intellexit Arist. secundùm vnitatem aut numerum. Nam alioqui hoc non potest intelligi secundùm vnitatem aut numerum quantitatiuũ qui sit propriè de prædicamento quantitatis; neque sumendo quantitatem & numerum transcendentaliter: vt manifestè apparet. Debet ergo intelligi dicto modo. Et sic omnia exempla congruunt: videlicet similitudo dicitur secundùm conuenientiam, dissimilitudo secundùm disconuenientiam: sic etiam æqualitas & inæqualitas, aliæquè relationes huius generis. Sub hoc etiam genere continentur coniuncta & disiuncta, propinqua & distantia secũdùm locum: nam hæc etiam dicuntur secundùm conuenientiam & disconueniẽtiã, seu accessum & recessum.

Qualiter differant ab alijs.

Quartò. Hoc genus relationis valet ad constitutionem huius prædicamenti: non solùm in sententia dicente, huiusmodi relationes æqualitatis, similitudinis, &c. es-

se formas distinctas ab ipsis rebus: sed etiam dicendo, non esse nisi denominationes sumptas ex collectione ipsarũ rerum, iuxta ea quæ diximus sect. 4. Disparitas autem inter has denominationes & alias quas modò excludebamus de hoc prædicamento, est manifesta. Quia illæ aliæ denominationes desumebantur ex vna aliqua forma reali, quæ erat essentialiter relatiua, & ita se habens, vt implicaret illam existere, & non dare illas denominationes: vnde non poterant tales denominationes separari & distrahi à tali forma, sed omnino simul cum illa in eodem eius prædicamento continebantur. Et sicut ipsa forma cum sua essentiali relatione ponebatur in suo prædicaméto: ita secum ferebat denominationẽ relatiuam quam tribuebat. At hæ denominationes quas modò dicimus, non sumũtur ex vna Simplici forma, neq. ex re essentialiter relatiua, & quæ quatenus sic relatiua poneretur in suo proprio prædicamento: quinimo potest intelligi & extare qualibet res in se, videlicet hæc quãtitas, hæc albedo, hæc potentia, sine consortio alterius vnde sũmebatur denominatio relatiua. Non immeritò ergo potuit distinctum hoc prædicamentum ob tales denominationes constitui, præsertim ob rationes redditas sect. 4.

Diuiduntur in alia genera. Dico tertiò. Sub hoc relationis genere possunt varijs modis plura genera & species distingui & designari. Primò possunt generali ratione iã indicata distingui duo genera, vnum quod dicatur per modũ conueniẽtiæ & accessus, aliud per modũ disconueniẽtiæ & recessus. quę res in exẽplis antea allatis satis perspicua est.

Secundò. Possunt distingui & assignari ex distinctione aliorũ prædicamẽtorum, & omniũ generũ & specierum quæ in illis distinguuntur. Alia est couenẽtia aut disconuenientia inter substantias & inter varia substantiarũ genera: alia inter quantitates: & sic de alijs: addendo etiam cõparationem vnius prædicamenti cũ alio. Nec opus est, hæc omnia magis distinctè nunc prosequi & explicare.

Tertiò. Possunt distingui & assignari plura genera magis ex mente Arist. qui præcipuè assignauit identitatem secũdùm substãtiã, similitudinẽ secũdùm qualitatẽ, & æqualitatẽ secundùm quantitatem. Et prius possunt sub distinctione bimembri assignari, conuenientia seu disconuenientia essentialis, & accidentalis.

Relationes identitatis & diuersitatis. Conuenientia essentialis ab Arist. vocata est identitas. Nec inuenitur inter solas substãtias: sed inter omnia entia, quatenus conueniunt aut differunt in aliquo prædicato essentiali: sicut dixit S. Thom. 1. par. q. 28. ar. 1. ad 2. relationẽ idẽtitatis realẽ, esse inter ea quæ dicuntur eadem in natura generis siue speciei. & ita Arist. dũ dixit eadẽ sunt quorũ est substantia vna, substantiã accepit pro essentia. Et idẽtitas non dẽt intelligi realis, sed eo modo quo explicauimus agendo de vniuersalibus. Opposita autẽ idẽtitati est diuersitas seu discõuenientia essentialis. Cõneniẽtia deinde & discõueniẽtia accidẽtalis cõsideratur inter ea de quibus accidẽtalia prędicata dicũtur, quatenus substãt ipsis accidentalibus prædicatis. Et vno modo potest hęc subdiuidi secũdùm varia prædicamẽta accidẽtium, & prædicata accidẽtalia Alio modo vtiliùs põt subdiuidi secũdùm generales quosdam dicẽdi modos. Aut enim res denominatur tanta vel tãta, aut talis vel talis; addẽdum etiã videtur, aut esse hìc aut ibi, item aut esse nunc aut tunc. In prima denominatione consistit ęqualitas & inæqualitas: in secunda similitudo & dissimilitudo: in tertia propinquitas & distantia. His. n. generalibus loquendi modis solet explicari omnis cõuenientia & disconuenientia rerum.

Relationes æqualitatis & inæqualitatis. Aequalitas & inæqualitas in denominatione tanti vel tanti manifestissimè dicuntur in quantitate siue cõtinua siue discreta: sub inæqualitate dicuntur maius & minus: sub his rursus alij determinati gradus, duplũ & subduplũ, aliaquè huiusmodi. Sed iuxta cõmunẽ loquendi morẽ, hæ denominationes non solùm dicũtur quoad quãtitatem prædicamẽtalẽ: sed etiam quoad alia quæ imitantur quodammodo quantitatẽ: vt manifestè patet in intẽsione qualitatis: dicimus enim tantùm & æqualem esse calorem in vno & alio igne, maiorem esse in igne quã in aere, aliaquè innumera. Et sic debet accipi dictum Arist. æqualia sunt quorum est quantitas vna.

Relõnes similitudinis et dissimilitudinis. Similitudo & dissimilitudo in denoĩatione talis vel talis manifestissimè dr̃ quoad qualitatẽ & in oĩbus speciebus eius. sed

sed etiam iuxta cõmunem loquendi morem dicitur & in alijs rebus per imitationem quandam qualitatis: vt dicimus duo agentia vel duo patiẽtia esse similia: duos homines esse similes aut dissimiles in vestitu de prædicamento habitus: & in ipsamet quantitate hanc materiam esse similem illi in eo quòd veraque quanta est; & dissimilem alteri si esset non quanta. Vbi non consideratur tanta vel tanta mensura quantitatis, sed absolutè ipsa quantitas. Et sic debet ampliari dictum Aristot. similia sunt quorum est qualitas vna.

Relationes propinquitatis & distantiæ. Propinquitas demum & distantia, est quædam denominatio diuersa à prædictis, licèt Aristot. eius non meminerit. Dicimus enim, terram esse propinquam aquę, esse distantem ab elemento ignis: neque hoc cadit sub denominationem æqualis & inæqualis, nec similis & dissimilis, vt patet. Debet igitur distinctè assignari hoc relationis genus. Ad quod etiam spectant relationes superioris & inferioris, anterioris & posterioris, alięquè huiusmodi. Pariter consideratur propinquitas aut distantia in tempore: vnde dicimus, quædam esse simul, quædam esse vnum ante aliud, vnum post aliud.

Cæterùm pluribus alijs modis possunt genera assignata subdiuidi, iuxta varios modos quantitatis & qualitatis, spectato communi modo loquendi, quo plura relationum genera & species designentur: vt cuiquè facili consideratione patebit.

Rursus distinguuntur relationes mutuæ & nõ mutuæ. Dico tandem quartò. Alia nota relationum distinctio est, in mutuas & non mutuas: & rursus mutuarum in relationes æquiparãtiæ & disquiparantiæ. Relationes mutuæ dicuntur, quando non solùm hoc relatiuum refertur ad illum terminum, sed etiam ille terminus vicissim refertur ad suum relatiuum: & ita ambo sunt relatiua, & ambo termini. sic se habent æqualia, similia, & his opposita. Non mutuæ dicuntur, quando ex parte vnius tantùm extremi datur relatio ad quendam terminum, neque ex parte illius termini correspondet alia relatio. Sic censentur se habere relationes potentiarum & actuum ad obiecta. Sed supra iam diximus, illas esse relationes transcendentales, nec in ijs debere distingui alias prædicamentales. Sic etiam censentur esse relationes creaturarum ad Deum quia creaturæ referuntur realiter ad Deũ, non Deus ad creaturas. Sed de hac re suo loco disseremus.

Relões mutuæ æquiparãtiæ & disquiparãtiæ. Relationes mutuæ, alię dicuntur æquiparantiæ & eiusdem appellationis, aliæ disquiparantiæ & diuersæ appellationis. Relationes æquiparantiæ sunt, quæ ex parte vtriusque correlatiui sunt eiusdem rationis, & habent eandem appellationem idemque nomen: sic duo alba ambo dicuntur similia, duo quanta ambo dicuntur æqualia. Relationes disquiparantiæ sunt, quæ sunt diuersæ rationis, & diuersis nominibus appellantur in duobus correlatiuis. Sic in secundo genere assignantur relationes paternitatis & filiationis, & in vniuersum agentis & passi, causæ & effectus. In primo genere sunt, relationes maioris ad minus. & minoris ad maius. De his omnibus docet S. Thom. in 1. d. 27. quæst. 1. art. 2. ad 2., relationes quæ diuersis appellantur nominibus, esse quoque diuersas speciei; quæ verò eandem habent appellationem, esse eiusdem speciei.

Relationes disquiparantiæ, superpositionis, & subpositionis. In relationibus demum disquiparantię, aliæ dicuntur superpositionis, aliæ subpositionis. Illæ sunt quę important quandam excellentiam & superioritatem: aliæ sunt quæ è contra dicunt quandam inferioritatem. Prioris modi sunt, relationes causæ ad effectum, domini ad seruum, maioris ad minus. Posterioris modi sunt è conuerso, relationes effectus ad causam, serui ad dominum, minoris ad maius. Possent etiam hæ relationes appellari secundùm superabundantiam & defectum, nominibus sumptis ex Aristot. 3. Physic. text. 3.

SECTIO OCTAVA.

De Attributis & Proprietatibus Relationis.

Relatiõ habere contrarium. PRimum attributum quod Aristot. relationi assignat, est, Habere contrarium. nam virtus est contraria vitio, cùm ambo sint ad aliquid: & scient a ignorantiæ, sumendo ignorantiam pro errore positiuo. Docet idem Arist. hanc contrarietatem non omnibus relationi-

bus conuenire: duplici enim aut triplici, aliisquè huiusmodi relationibus, nihil est contrarium. Notum est etiam, contrarietatem non solis relationibus conuenire: nam inuenitur & inter alia accidentia, maximè in qualitatibus.

Dubium est autem, an contrarietas ex mente Aristotelis verè conueniat relationibus prædicamentalibus, vel solùm transcendentalibus, aut secundùm dici. Aliqui negant, cōuenire relationibus prędicamentalibus: quia ipse Arist. in cap. de Quantitate sic expresse asseruisse videtur, & probasse. Ideò enim dixit, magnum & paruum non esse contraria, eo quòd dicantur ad alterum: *Quod enim* inquit, *non potest sumi per se ipsum, sed ad alterum dicitur, quomodo huic aliquid erit contrarium?* Et addit aliam rationem: quia si magnum & paruum sunt contraria, idem simul contraria susciperet; nam idem simul est magnum & paruum, magnum respectu vnius, paruum respectu alterius. Imo dum Aristoteles hic docet relationem habere cōtrarium, affert in exemplum illa quæ non sunt relatiua huius prædicamenti, sed sunt essentialiter qualitates. Nec mirum, quia loquitur iuxta priorem definitionem, sub qua omnia relatiua, etiam transcendentalia, & secundùm dici, continebantur.

Conuenit quibusdā relationibus prædicamentalibus. Dicendum tamen est, hanc contrarietatem de mente Arist. attribui suo modo etiam prædicamentalibus relationibus. Patet: quia idem Aristot. 10. Metaphysic. textu 16. inter exempla contrariorum ponit non solùm vitium & virtutem; sed etiam æqualitatem & inæqualitatem, similitudinem & dissimilitudinem: quas manifestum est esse relationes huius prædicamenti. Ratione insuper suadetur: quia contraria sunt quæ ab eodem subiecto mutuò se expellunt, & non possunt esse simul: sed, vt patet, non possunt esse simul in aliquo subiecto, similitudo & dissimilitudo respectu eiusdem termini: potestquè fieri talis mutatio, vt quod prius dicebatur simile vel æquale, postea dicatur dissimile, vel inæquale: & sic vna relatio expellit aliam de eodem subiecto: ita vt contrarietas non solùm sit in formis absolutis: sed formaliter etiam in ipsis relationibus, seu denominationibus relatiuis. Et hoc totum maximè procedit iuxta sententiam distinguentem relationes à rebus; & dicentem, relationes esse formas quasdam, quæ de nouo aduenire possunt, ac deperdi. Alioqui iuxta oppositam sententiam, solùm modo quodam potest relationibus attribui contrarietas, secundùm denominationes inter se repugnantes, & quarum vna excludat aliam.

Aristoteles autem in capite de Quantitate, solùm negare voluit, ea quæ sunt correlatiua mutua, & quæ ad se inuicem referuntur, esse contraria: quod verum est. Et hunc esse eius sensum, patet: quia ibi latè probat, magnum dici in ordine ad paruum, & paruum in ordine ad magnum; & sic ait: quod ad alterum refertur, quomodo huic potest aliquid, idest illud aliquid ad quod refertur, esse contrarium? Ita exponit ibi Boetius: & est clarum ex eodem Aristotele in Postprædicamen. capite de Oppositis.

Alia tamen ratio, qua Aristot. id probare voluit, quia sequeretur eidem simul inesse contraria, videtur prima facie prorsus friuola: sumpsit enim magnum & paruum respectu diuersorum: quo modo nec etiam simile & dissimile, si sumantur respectu diuersorum, sunt contraria: scientia etiam & error, si sumantur respectu diuersarum conclusionum, non sunt contraria. Obseruandum ergo est, Aristot. cùm ibi docuisset, quantitatem non habere contrarium, obiicere sibi magnum & paruum. Ad quod priùs respondet, magnum & paruum esse potius relationes. Deinde addit, etiam si dicantur quantitates, non esse contraria. Et ad hoc valet ad hominem illa ratio: quia qui diceret, esse quantitates, non poterat se tueri per respectum ad diuersa; vel si ad hoc confugeret, iam conuincebatur, vt fateretur illas esse relationes. Et ita concludit Aristoteles: *Et si non eorum quæ ad aliquid, sed quanta hæc esse dicat, non esse contraria.* Sic etiam Sanctus Thomas in quarto distinctione octaua quæstione prima articulo secundo quæstiuncula prima ad primum, ait, posse quidem oppositas relationes inesse eidem subiecto respectu diuersorum, non tamen oppositas proprietates absolutas,

Secun-

Relationi suscipere magis & minus.

Secundum quod Arist. relationibus attribuit, est, Suscipere magis & minus: nam dicitur aliquid magis aut minus simile, vel dissimile; æquale, vel inæquale. Docet verò, hoc non esse commune omnibus: nam duplum non dicitur magis aut minus duplum, & sic alia huiusmodi. Notum est etiam, hoc non esse proprium relationi, sed multò magis qualitatibus cònuenire.

Dubitari autem potest, quomodo hoc intelligendum est, an per veram intensionem & remissionem vnius relationis, sicut fit in qualitatibus, vel quo alio modo. Sed dicendum est, in sententia distinguente relationes à rebus, dici non debere, eandem ipsam relationem augeri aut minui: sed potius dici debere, quamlibet relationem consistere in indiuisibili; ita vt vel inuariata permaneat, vel prorsus pereat, & alia noua aduenfat. Sic certè æqualitas v.g. in rigore loquendo, consistit in indiuisibili; quamuis vulgari modo ea etiam quæ parum differunt, dici soleant æqualia; & ita aliqua dicuntur magis aut minus æqualia. Inæqualitas verò non est vna sola relatio maioris ad minus, aut minoris ad maius: sed alia est inæqualitas dupli ad subduplum, alia tripli ad tertiam partem: & ita quælibet per se consistit in indiuisibili, & per quamlibet variationē mutatur tota relatio. Eodem modo res se habet in similitudine & dissimilitudine. Neque apparet, quomodo in eadem relatione constitui possit diuisibilitas intensiua, penes quā augeri minuiuē dicatur. Saluari ergo debet, relationem suscipere magis & minus per variationem & successionem plurium relationum, quarum vna denominet magis alia minus secundùm communem quandam appellationem relatiuam. Sic per relationem tripli ad tertiam partem dicitur magis inæquale, magis maius, quàm per relationem dupli ad dimidium; & sic de alijs.

Non distinguendo autem relationes à rebus, nulla superest difficultas. Nam aliunde petendum est, quænam res & quomodo augeri aut minui possint. Ad præsentem verò rem satis est, ex varia combinatione rerum resultare varias denominationes relatiuas iuxta consuetum loquendi morem: ita vt interdum ex eo quod res augetur, veluti minuatur denominatio relatiua. Quod enim erat minus alio, si augetur, erit minus inæquale, et it non tàm minus.

Relatiua dici ad cōuertentiam.

Tertia quæ verè est relationis proprietas, est, Vt relatiua dicantur ad conuertentiam, idest vnum conuersim dicatur ad aliud: seruus domini seruus, dominus serui dominus: maius minore maius, minus maiore minus, & sic de alijs. Non oportet autem, hanc conuertentiam fieri per eundem casum; sed potest benè fieri per diuersum: vt sensus dicetur sensibilis sensus; sensibile autem dicetur sensu sensibile. Oportet autem conuenienter assignare vtrunque extremum, ad hoc vt dicantur ad conuertentiam. Si quis enim dicat, seruus est hominis seruus; ineptè conuertet, homo est serui homo: sed oportet primò assignare seruum ad dominum, & sic aptè fiet conuersio. Item si quis dicat, ala est auis ala; non poterit conuertere, auis est alæ auis: sed conueniens assignatio erat, ala est alati ala: sic enim conuertetur, alatum est ala alatum. Quapropter, vt conueniens assignatio fiat, oportet interdum noua nomina fingere: vt, quia non esset sufficiens assignatio, temo est nauigij temo; oportebit ex ipso temonis nomine deriuare aliud vocabulum, temo est rei temonatæ temo: sic apta conuersio fiet, res temonata temone est temonata: similiter si dicatur, caput est animalis caput, non rectè fiet conuersio: sed oportebit dicere, est capitati caput; vt fiat conuersio, capitatum est capite capitatum. Et hæc tota est doctrina Arist.

Quatenus correlatiua sunt.

Vbi patet, hanc in rigore esse proprietatem correlatiuorum. Et ideò assignatio conueniens & apta ad conuersionem tunc est, quando vtrunque extremum assigna ur sub suo nomine relatiuo, vt ita vtrunque mutuò dicatur ad alterum. Sed addendum est, etiam si relatio realis sit ex parte vnius tantùm extremi: tamen adhuc posse fieri aliquo modo conuertentiam: sumendo nempe terminum, vel sub relatione rationis, vel sub denominatione terminatiua sumpta ex ipso relatiuo: quomodo ambo semper extrema dici possunt correlatiua. Et sanè Arist. hanc proprietatem hic assignat tanquam communem omnibus relatiuis. & 5. Met. cap. 15. inter ea quę dicuntur ad

aliquid, numerauit ea quæ dicuntur eo quòd alia referantur ad ipsa. Sic patet conuerti, scientia est scibilis scientia, scibile est scientia scibile: creatura est creatoris creatura, creator est creaturæ creator. Addendum est etiam, hoc totum esse commune, non solùm relatiuis prædicamentalibus, sed omnibus alijs: quandoquidem est commune etiam relatiuis rationis.

Relatiua esse simul natura.

Quarta proprietas quam Arist. relatiuis assignat, est, Esse simul natura. Simul autem natura intelligit ea quæ ita se habent, vt vicissim vno sublato auferatur & alterum: sicut è contra illud dicitur prius natura altero, quod non aufertur altero ablato, hoc tamen auferatur ex ablatione illius. Relatiua ergo sunt simul natura: quia mutuò valet dicere; si vnum auferatur, auferri & alterum. Sic, si non sit duplum, non erit dimidium; & si non sit dimidium, non erit duplum. Si non sit pater, non erit filius; si non sit filius, non erit pater. Vnde hæc proprietas inuenitur etiam inter relatiua causam & effectum. Et intelligitur hæc proprietas formaliter quoad ipsas relationes seu denominationes relatiuas, non autem quoad entitates absolutas & per se sumptas extremorum. Nam certè non sequitur; si tollitur hoc album, tolli aliud album, vel nigrum, cui erat simile, vel dissimile: si tollatur hoc quantum quod erat duplum, tolli & aliud quod erat dimidium: si non sit hic homo, non esse & illum, quorum vnus erat pater, alius filius. Sed benè valet quoad denominationes relatiuas: si hoc quantum non sit dimidium illius, nec illud esse duplum huius: si hic non sit filius illius, illum non esse patrem huius: & in vniuersum si hæc res non sit effectus illius, nec illam esse causam huius. Et hoc modo relatiua sunt formaliter simul natura.

Addit Arist. hanc proprietatem non esse communem omnibus relatiuis, sed in quibusdam vnum esse prius natura altero, vt scibile esse prius scientia, & sensibile sensu. Nam ablato quidem scibili & sensibili, aufertur scientia & sensus; sed non è conuerso ablata scientia & sensu, aufertur scibile & sensibile: imo communiter præexistere solet scibile ante scientiam, & sensibile ante sensum. Hinc colligunt aliqui, relatiua quidem mutua esse simul natura, ijsque conuenire hanc proprietatem, excludi autem debere relatiua non mutua. Aliqui autem dicunt, illud quod verè est relatiuum, esse prius natura altero extremo non relatiuo: quia hoc extremum accipit denominationem ab illo relatiuo. Sed hoc est expressè contra mentem Arist. qui potius ex opposito dixit, scibile & sensibile esse prius natura. Alij ergo è contra dicunt, illud extremum quod sua relatione caret, esse prius natura altero extremo relatiuo.

Aliquo modo conuenit omnibus relatiuis.

Sed difficultas est circa hoc, & in ipsis exemplis ab Arist. positis. Nam vel sensus est; ablato scibili quoad suam entitatem absolutam, auferri scientiam; non autem ablata scientia auferri scibile. Et hoc verum est; sed non impedit simultatem naturæ; vt patet in pluribus alijs relatiuis, quæ tamen dicuntur esse simul natura, etiam si se habeant vt causa & effectus. Vel sensus est, etiam formaliter & quoad denominationes relatiuas. Et sic verum non est; nam ablata scientia, aufertur denominatio scibilis, quæ sumitur ab ipsa scientia: & sic de sensu & sensibili. Imo ablata creatura, aufertur denominatio creatoris à Deo. Et iuxta hoc Fons. 5. Metaph. cap. 15. q. 4. sect. 2. affirmat, etiam relatiua non mutua, esse simul natura, considerando ex parte extremi quod non refertur relationem rationis. Hanc enim vult esse simul cum relatione reali quæ est ex parte alterius extremi.

Sed quod attinet ad rem, dicendum est, huiusmodi relatiua non esse simul natura quoad relationem realem ex vna parte & rationis ex altera: esse tamen suo modo simul natura quoad relationem intrinsecam ex vna parte & denominationem realem extrinsecam ex altera parte. Explicatur & probatur. quia potest verè dari totum quod reale est, & relatio illa realis, absque relatione rationis actuali: nec ex eo quòd intellectus desinat fingere talem relationem, quæ non est nisi quando cogitatur, vt supponimus; sequitur etiam tolli relationem realem veri relatiui, vt patet. At certè eo ipso quòd datur vnum relatiuum realiter respiciens terminum, necessariò datur

tur denominatio, idest res significata per denominationem de ipso termino, nempe respectus terminatus ad ipsum. Vnde etiam à posteriori benè potest inferri: si obiectum non denominatur scitum, aut visum: ergo non datur scientia, non datur visio: si non denominatur potens sciri, potens videri: ergo non datur potentia apta scire, apta videre.

Arist. explicatur. Ad Arist. verò dicendum est, illum accepisse ex vna parte scientiam & sensum in actu pro actuali cognitione, ex altera accepisse scibile & sensibile in potentia, quod scilicet potest sciri, potest sentiri. Hinc dixit, scibile & sensibile esse prius scientia & sensu: quia non sequitur, ablata illa scientia & sensu, auferri scibile & sensibile, etiam quoad denominationem scibilis & sensibilis in potentia. Ita exponunt Simplic. Porph. Boe. Ammon. & alij communiter ibi, & S.Thom. 1.p.q.13.art.7. ad 6. Ita expressit ipse Arist. *Si scientia non sit, nihil prohibet esse scibile; vt circuli quadratura, si est scibilis, scientia quidem eius nondum est, ipsa verò scibilis est*. Verum est, in hac comparatione committi æquiuocationem quandam, sumendo ex vna parte scientiam & sensum in actu, ex altera scibile & sensibile in potentia. Sed vt ijdem Auctores notant, Arist. voluit explicare talem comparationem sub ijs nominibus, quibus solebant talia relatiua designari: cùm in rigore scientia & sensus dictus pro sensatione, significent cognitionem in actu: scibile & sensibile significent obiectum cognoscibile in potentia.

Relatiua esse simul cognitione & definitione. Quinta proprietas quam Aristot. assignat relatiuis, secundò loco à se definitis, est, Vt si determinatè cognoscatur vnum relatiuum, debeat determinatè cognosci & id ad quod dicitur tale relatiuum: vt si quis cognoscat quod duplum est, vel quod melius est; necesse est etiam cognoscat, cuius illud sit duplum, & quo aliud sit melius. Solet autem alio modo hæc proprietas ab alijs assignari, relatiua esse simul cognitione & definitione: idest debere vnum per alterum; siue non posse vnum nisi simul cum altero cognosci & definiri. Et occasio sumpta est ex modo loquendi Arist. dicentis, si definitè cognoscatur vnũ relatiuum &c. At Arist. ly definitè sumpsit pro determinatè: nec est expressè loquutus de definitione relatiuorum. 6. tamen Topic. cap. 3. docet, relatiua per se inuicem definiri.

In primis ergo, proprietas vt hoc loco tradita ab Arist. est, difficultatem habet: quia nec videtur simpliciter necessarium, vt qui cognoscit certum aliquod relatiuum ex ijs quę sunt ad aliud, debeat omnino cognoscere in singulari terminum. Neque id videtur proprium relatiuis prædicamentalibus quæ Arist. per secundam suam definitionem voluit designare. Sed non oportet de hac re nimis laborare: satis enim est quòd saltem frequenter videatur ita contingere in cognitione relatiuorum. Et Arist. de hoc præsertim, magis dubitando, quàm asserendo, loquutus est: vt ipsemet in fine concludit. Et saltem ea ratione quam diximus sect. 3. in fine, apparet quædam peculiaris necessitas in relatiuis prædicamentalibus, vt vnum determinatè cum alio cognoscatur. Addi etiam potest: quia dici solet relationem prædicamentalem requirere terminum actu existentem, idque non esse de necessitate relationis transcendentalis; ideò specialiter in illis per vnum cognosci alterum quoad existentiam, idest ex vno dato benè inferri existentiam alterius. Sed in quibusdam etiam relationibus transcendentalibus id verificatur: vt in vnione, actione, & similibus.

Eadem proprietas prout ab alijs tradi solet, relatiua esse simul cognitione & definitione, difficultatem etiam habet: quia vnaquæque res debet cognosci & definiri per ea quæ sunt notiora & priora natura, vt docet idem Aristot. 6. Topic. cap. 3. At dictum est, relatiua esse simul natura: ergo hæc proprietas cum illa repugnat. Præterea ex hac proprietate sequitur, committi vitiosum circulum, dum ambo relatiua definiuntur vnum per alterum, & peti principium, explicando idem per idem.

Sed reuera manifestum est, non posse relatiuum cognosci & definiri sine suo termino, formaliter inquam vt relatiuum est. Nam si relatiuum est quod dicitur ad aliud, & in hoc consistit eius ratio formalis: vtique non potest, nec definiri, nec concipi, nisi in ordine ad aliud, & non sine illo ad quod refertur: igitur in cogni-

cognitione & definitione vnius relatiui necessariò inuoluitur terminus in obliquo, idest nō tāquā prædicatum essentiale, tanquam genus vel differentia relatiui quod definitur: sed tanquam id per ordinem ad quod concipitur & explicatur essentia ipsius relatiui. Et hoc verum est, non solùm de relatiuis prædicamentalibus, sed maximè etiam de transcendentalibus, quæ verè & essentialiter dicunt ordinem ad terminum.

Quomodo relatiua vnum per alterū mutuò definiantur.

Difficultas autem proposita attingit aliam de termino relationis, an relatio respiciat terminum quoad entitatem eius absolutam, vel quoad mutuam relationem. Illi ergo qui dicunt respicere quoad mutuam relationem; dicere debent, hanc esse exceptionem in relatiuis, vt non debeant cognosci & definiri per priora natura, siue per prius nota: sed per ea quę sūt simul natura & cognitione.

Dicendo autem, relationem respicere terminum formaliter quoad entitatem absolutam, res est facillima. Nempe vnum relatium cognosci & definiri per aliud, non quatenus relatiuum, sed quatenus terminus absolutus est: vt sic autem, terminus est prior natura & cognitione ipsa relatione: & pariter dum ipsum correlatiuum definitur, definiri per ordinem ad entitatem absolutam primi relatiui, priorem etiam natura, & notiorem. Sic Arist. 5. Metaph. tex. 12. definit potentiam actiuam per ordinem ad alterum, sed non ad alterum vt correlatiuum est: & cap. 15. ait, non debere explicari intellectum per ordinem ad intelligibile formaliter vt intelligibile, idest quoad hanc denominationem. & 1. Polit. cap. 3. definit seruum, homo qui est alterius iuris, & non per ordinem ad dominum vt formaliter correlatiuum.

Quando autem nunc dictum est, relatiua esse simul natura: iam explicatum est quoad ipsas relationes & denominationes relatiuas formaliter. De quibus etiam negandum non est, solere per concomitantiam simul cogitari & cognosci, tanquam simul & æquè notas.

Postremo addenda videbatur alia proprietas, nempe oppositio relatiua, qua vnum relatiuum seu relatio dicitur opponi alteri relatiuo, siue termino, aut mutuæ relationi. Sed de hac agemus cum Arist. in Postprædicam. inter alios modos oppositionis.

QVÆSTIO VIGESIMA.

De Prædicamento Qualitatis.

Prædicamentum Qualitatis iure prorsus ac meritò alijs sex prædicamentis, quæ supersunt, hoc loco præponitur: quandoquidem non deerant rationes, quibus etiam relationi, imò & quantitati, videri poterat debere præponi: sed tamen ob alias rationes, quæ præualebant, post illa dilatum est. At omnis ratio poscit, tum ex dignitate & perfectione rei, tum ex commoditate & vtilitate doctrinæ, vt non longius hoc prædicamentum à suo loco moueatur.

SECTIO PRIMA.

Quid sit Qualitas.

Qualitatis nomen variè sumitur.

Qvalitatis nomen plures acceptiones habet. Primò amplissimè sumitur pro omni forma actuante & afficiente aut constituente rem. Sub hac significatione Arist. in prædicam. subst. dicebat, secundas substantias dici in quale de primis, quasi scilicet sint quædam qualitates earum. Et 4. Metaph. tex. 22. nomine qualitatis intelligit substantiam rei, seu formam substantialem. Et 5. Metaph. cap. 14. vbi agit de ipsa qualitate, assignat primam acceptionem, qua differentiæ essentiales & substantiales dicuntur qualitates. Iuxta hoc etiam Porphyr. definiuit differentiam, quæ prædicatur in quale. Hinc satis perspicuum est, non quali-

qualitatem hoc modo sumptam constituere hoc prædicamentum, sed esse prædicatum quoddam transcendens, & commune ad omnia prædicamenta.

Secundò. Sumitur nomen qualitatis aliquantò pressius pro sola & omni forma accidentali actuante & afficiente subiectum: quo sensu Porphyr. dicebat accidens prædicari in quale. Patet etiam, hanc acceptionem non esse propriam huius prædicamenti: dum qualitas sic sumpta, est communis omnibus saltem accidentium prædicamentis.

Tertiò. Ex opposito nomen qualitatis sumitur nimis pressè, aut pro solis qualitatibus sensibilibus, aut etiam pro ijs inter quas per modum contrarietatis subiectum mutatur. Sic Aristot. 5. Metaph. capite 14. posuit hanc acceptionem qualitatis, pro ijs quæ sunt passiones substantiæ, & penes quas dicuntur alterari corpora, vt caliditas & frigiditas &c. additis etiam illis quæ dicuntur secundùm virtutem & malitiam, bonum & malum; *secūdum quas benè vel malè agunt aut patiuntur, ea quæ in motu sunt*. Sic etiā in libris de Generatione assignatur alteratio circa qualitatem: non tamen omnes qualitates, sed solum sensibiles, aut quæ disponunt ad generationem vel corruptionem substantiæ, eo nomine appellantur.

Specialiter sumitur pro hoc certo genere entis. Aliter propriè et adæquatè sumitur nomen qualitatis, pro certo quodam genere entis & formæ accidentalis, distincto ab alijs omnibus prædicamentis: ita tamen vt complectatur omnes illas species quę non in alijs prędicamentis inueniuntur. Et sic accipitur qualitas propriè & adæquatè pro hoc prædicamento. Et qualitas sic sumpta, est genus generalissimum huius prædicamenti. Et in hoc sensu ab Aristot. hoc loco accipitur.

Qualitas in communi, an sit ab Arist. definita. Qualitatis sic sumptæ naturā & quidditatem explicare, & definitionem tradere, difficile valde est. Quod attestatur D. Aug. in suo Categor. lib. dicens, hanc categoriam difficiliorem cæteris reputari. *Et non parua prudentia esse, qualitatem cum cæteris pene confusam, mentis viuacitate secernere*. Aristot. 5. Metaphys. nullam communem explicationem & definitionem tradidit qualitatis. Hoc loco sic explicat. *Qualitatem dico secundùm quam quales quidam esse dicuntur*. Hinc aliqui dicunt, hanc esse veram & essentialem definitionem qualitatis: quia subintelligi debet prędicatum aliquod commune per modum generis: vt dicendo qualitas est forma accidentalis secundùm quam &c. & hæc erit differentia essentialis: quoniam traditur per effectum formalem. Alij verò dicunt, hanc non esse essentialem definitionem, sed tantùm imperfectam quandam descriptionem & explicationem. Imo nec sufficiens quidem explicatio esse videtur. Quoniam dicitur idē per idē, seu ignotū per æquè ignotū: non enim magis notum est quale quàm qualitas. Augetur difficultas: quia idem Aristot. infra in eodem cap. explicare voluit ipsum quale: & è conuerso explicat per qualitatem: qualia dici quæ à qualitatibus dicuntur. Itaque vnum per aliud explicasse videtur: atque adeo neutrum explicasse. Et redit illa quæst. de circulo in definitionibus, definiendo duo vnum per alterum.

Quo pacto Arist. explicauerit qualitatē. Ad hoc dici potest: vel Arist. in principio nec definire nec explicare voluisse qualitatem, sed tantùm coniungere abstractum simul cum concreto: eo quòd priora prædicamenta in concreto potius nominauerat, hic autem incipit nominare in abstracto qualitatem: & ideo dixisse qualitatem secundùm quam dicitur quale. Vel reuera voluisse explicare qualitatem, supponendo, esse quodammodo magis notum concretum quàm abstractum in cōmuni modo loquend: sicut si quis diceret, humanitas est per quam constituitur homo, equinitas per quam constituitur equus: frequentiora enim sæpè sunt & notiora nomina concreta quàm abstracta: vnde non oportet dicere, Aristot. voluisse in rigore definire qualitatem per genus & differentiam: sed tantùm voluisse leuiter explicare. Quādo autem postea dixit, qualia dici per qualitates. Vel non quidem voluit explicare ipsum quale; sed tantùm asserere id quod verum erat. Et præsertim vt diceret, sæpè deriuari concretum sub eodem nomine, vt ab albedine album; interdum sub diuerso nomine, vt à virtute dicitur quis studiosus: ideo ait, qualia dici à qualitatibus, aut denominatiuè, aut alio modo. Vel etiam si Arist. voluerit eo modo

expli-

explicare ipsum quale: iam præmiserat diuisionem specierum qualitatis, per quã multò clariorem efficeret omnem qualitatem. Et ita potuit explicare quale per qualitatem, non quidem quatenus solùm explicatam per ipsum quale; hic enim videri poterat vitiosus circulus: sed potius quatenus explicatam per distinctionem specierum. Quod rectè facere potuit.

Aliæ explicationes examinãtur. Adhuc tamen patet desiderari maiorem explicationem; & si fieri potest, definitionem qualitatis: quia insufficiens est illa sola explicatio, qualitas est per quam dicitur quale. Sanctus Thomas 1. par. quæst. 28. art. 2. explicat qualitatem, dicens esse dispositionem substantiæ, sicut ait quantitatem esse mensuram substantiæ. At 1. 2. q. 49. art. 2. explicat, qualitatem propriè importare modum seu determinationem substantiæ secũdùm aliquam mensuram. Sed vtraque explicatio videtur obscura. Quia non apparet quæ sit ista ratio dispositionis propria qualitati, ad differentiam aliorum accidentium: nec quæ sit ratio mensuræ & determinationis: nec quomodo sit propria qualitati, alijsquè generibus accidentium non conueniat.

Suar. disput. 42. sect. 1. num. 5. explicat, qualitatem propriè esse, quæ per se primò instituta est ad intrinsecè ornandam & perficiendam substantiam, tum in existendo, tum in agendo. Hæc etiam explicatio imperfecta est: quia hoc munus ornandi & perficiendi substãtiam, pariter potest alijs accidentibus attribui; nec satis eo modo loquendi distinguitur qualitas ab alijs generibus accidentium. Et ex his aliæ similes explicationes qualitatis, quæ excogitatæ sunt, refelli facilè possunt vt insufficientes.

Itaque non alia via poterit commodiùs explicari propria ratio qualitatis, quàm discurrendo per plures gradus essentiales, per quos ab alijs varijs entium generibus distinguatur. In primis qualitas est accidens, est forma accidentalis; in quo euidenter distinguitur a toto genere substantiæ. *Qualitas est accidens absolutum.*

Secundò deinde. Dicitur esse accidens absolutum, vt distinguatur à genere relationis. Et aliqui per hoc etiam conantur illam distinguere à sex vltimis prædicamentis, quæ dicunt consistere in respectu, & Scot. vocabat relationes extrinsecùs aduenientes. Verùm etiam in ipso genere qualitatis, plurimæ inueniuntur, quæ essentialiter dicuntur ad aliud, respiciendo suos terminos: habitus, potentiæ, actus vitales. Non ergo potest qualitas distingui ab omni relatione: sed in illa etiam inuenitur ratio respectus trascendentalis ad terminum, seu extrinsecus aduenientis. Solùm ergo per hoc potest distingui à relatione prædicamentali, & ad differentiam illius dicetur accidens absolutum: sicut à prædicamento relationis distinguuntur cætera prædicamenta accidentium.

Intrinsecè inhærẽs substãtiæ. Tertiò præterea. Qualitas est accidens intrinsecè inhærens substantiæ, & non se habet velut extrinsecè denominans. Per hoc distinguitur ab omnibus ijs prędicamentis quæ per denominationes extrinsecas constituuntur, vt à prædicamento habere, & quando, de quibus postea agemus: à prædicamento etiam ipso relationis iuxta sententiam explicantem relationes per denominationes sũptas ex combinatione rerum: & iuxta sententiam quorundam, etiam à prædicamento vbi & situs. Sed hoc nõ placet, vt in ijs prædicamentis tractabimus.

Se habens tanquam forma. Quartò rursus. Qualitas est forma consistens in facto esse, siue tanquam terminus qui fit & in subiecto recipitur, & non se habet formaliter tanquam via faciendi et recipiendi. Sic planè ab actione & passione distinguitur: & absolutè loquendo nomen formæ, non solùm substantialis, sed etiam accidentalis, solet accipi ad distinctionem viæ: forma enim dicitur effici & recipi, ad differentiam actionis & passionis. Itaque dicendo qualitatem esse formam, satis indicatur hæc essentialis ratio eius.

Determinans certo modo subiectũ. Quintò insuper. Qualitas debet habere certam quandam rationem determinatam, vt certo modo determinet subiectum, contingenter illi superueniens. Per hoc potest distingui ab Vbi, & pariter à Quando, si dicatur importare formam seu modum inhærentem subiecto. nam vbi & quando ita se habent, vt generaliter & necessariò conueniant omni rei, eo ipso quòd in rerum natura existat: Ita vt omnino quamcunque rem existentem comiten-

mitentur, ex necessitate pari, & communi omnibus rebus. Omnis enim res, si est, alicubi est, & aliquando est. Et hoc rectè sumitur ex Diuo Thoma prima secundę quæstione 49. articulo secundo. Vbi ideò inquit, forma substantialis dicitur qualitas materiæ, quia determinat potentiam materiæ. Ideo etiam differentia essentialis dicitur, qualitas, quia determinat genus. Sic itaque illa forma accidentalis quæ certo modo determinat subiectum, & non ex illa generali necessitate competit omnibus rebus, est qualitas accidentalis. Hinc etiam à qualitate excluditur situs: quia vel non differt ab vbi: vel ita coniunctim comitatur, vt non debuerit in eo prædicamento à quo vbi excluditur collocari.

Non satis rectè dicitur consequi formam.

Sextò. Solùm superest assignare vltimam rationem propriam qualitatis, qua distinguatur à quantitate. Aliqui distinguunt dicendo, qualitatem esse accidens quod sequitur formam, ad differentiam quantitatis quæ potius consequitur materiam. Sed hic dicendi modus non satisfacit. Tum quia non potest intelligi qualitatem consequi formam, sumendo formam pro forma substantiali quæ est altera pars compositi: qualitates enim inueniuntur etiam in substantijs spiritualibus. Nisi autem hoc modo sumatur forma; non benè sumitur distinctio horum accidentium ex distinctione materiæ & formæ. Tum etiam in ipsis rebus spiritualibus inuenitur aliqua species quantitatis, videlicet successiuæ, vt suo loco diximus; vnde de quantitate successiua non potest dici, sequi materiam. Tum demum si consideremus quantitatem & qualitatem in substantijs corporeis, materia & forma constantibus: non satis apparet, quonammodo, vel in quo genere causæ, fiat hæc distributio. Nam in genere causæ efficientis non oportet dicere quantitatem prouenire à materia: in genere causæ subiectiuæ certè non plus forma quàm materia recipit qualitates. Imo quædam qualitates dicuntur specialiter consequi materiam ratione quantitatis, videlicet figura, raritas & densitas, vt docuit apertè Sanctus Thomas tertia parte quęstione 77. articulo secundo ad tertiū. Itaque potius secundùm accommodationem quandam attribui solet quantitas materiæ, qualitas formæ, ob quandam similitudinem & proportionē, per quam non satis adhuc explicatur propria ratio qualitatis, & distinctio à quantitate.

Ex se conuenit subiecto indiuisibiliter.

Ex dictis ergo antea circa rationem propriam quantitatis, manifestè colligitur propria ratio qualitatis, & distinctio à quantitate. Quantitas enim erat accidens diuisibile. E contra qualitas dici debebit accidens indiuisibile, idest non habens reddere suum subiectum diuisibile. Itaque non est indiuisibilis, quasi ipsa quoque non fiat diuisibilis per quantitatem, neque quasi in suamet intensione non sit diuisibilis: sed solum quia non habet reddere subiectum diuisibile. In quo maximè differt intensio qualitatis ab extensione quæ est propria quantitatis. Neque obstare debet, quòd qualitas hoc modo videtur potius explicari per negationem. Nam per negationes sæpè explicantur essentię rerum. Et sic nominatur substantia incorporea immaterialis, animal irrationale, & alia huiusmodi. Et præsertim in hac re tolerandū idest; quādo nullo ferè modo videbatur posse qualitatis essentia in communi explicari.

Qualitas definitur.

Postremò ex his omnibus confici poterit communis definitio qualitatis: est forma accidentalis conueniens subiecto secundùm certam aliquam denominationem & indiuisibiliter. Quæ definitio per se quidem non satis clara est: sed iuxta ea quę dicta sunt facilè declaratur.

SECTIO SECVNDA.

De Diuisione Qualitatis in suas species.

Aristoteles in hoc capite Qualitatem diuidit in quatuor species. Non propterea est putandum, non posse alio modo diuidi: quinimo pluribus alijs modis diuidi & ordinari posset. Pót diuidi qualitas in communi, in spiritualem & corpoream, sicut diuidebatur substantia. Et rursus hęc genera possent diuidi in alias species, vt facilè est cogitare. Imo Albertus Mag. & Caiet. notant; ideò

Qualitas diuidi pōt in spiritualem et corpoream.

ideò Aristot. dixisse, qualitatem esse secundum quam quales dicimur, vt denotaret, tàm qualitates spirituales, quàm corporeas, in hoc genere comprehendi. quoniam nos homines sumus vtriusque generis qualitatum capaces: secundùm animam quidē qualitatum spiritualium; secundùm corpus materialium. Aliæ verò substantiæ, vel tantùm spirituales, vel tantùm corporeas qualitates admittunt. Sed nescio, an Aristot. hæc mysteria in illo simplici verbo cogitauerit.

In supernaturalē & naturalem. Item potest adæquatè diuidi qualitas, in qualitatem naturalem & supernaturalem. Hæc tamen diuisio non fuit nota Aristot. nec solo naturali lumine poterat agnosci: qualitates enim supernaturales, vt gratia habitualis, virtutes infusæ, & aliæ huius generis, non nisi fidei lumine manifestatæ sunt. Sed etiam inter Theologos agnoscentes has qualitates, Ricard. in 4. d. 5. art. 2. quæst. 1. & quidam alij dubitarunt, an qualitates supernaturales essent in hoc prædicamento includendæ. Quoniam si Arist. 10. Metaph. text. vlt. dixit, corruptibile & incorruptibile differunt genere, quantò magis naturale & supernaturale.

Omnino tamen, supposita notitia harum qualitatum, debent in hoc prædicamento includi. Ita rectè notauit Scot. in 4. d. 6. quæst. 10. §. ad quæstionem, & alij communiter supponunt. Nam illis verè & essentialiter conuenit communis ratio qualitatis: & qualitas in communi est prædicatum vniuocum, & verum genus respectu naturalium & supernaturalium qualitatum. Debentquè qualitates supernaturales, supposita earum notitia, suum habere locum in hac prędicamentali omnium entium distributione. Accedit, quòd de facto optimè enumerari possunt inter illas species qualitatis quas Aristot. ipse distinxit, præsertim multæ sub specie habitus: & ita ab omnibus Theologis appellantur habitus infusi. Qualitas ergo prædicamentalis has omnes species sub se continet.

Præcipuè diuiditur qualitas in quatuor species. Sed præcipuè examināda hic est & explicāda diuisio Arist. in quatuor species: quoniam valde accomodata est ad omnes qualitatum Species dispiciendas & ordinandas, & est ab omnibus recepta, & in scientijs vsitata. species quas Aristot. assignat sunt hæ quatuor, quarum singulæ duas partes vel duo nomina habent: Habitus & Dispositio: Potentia & Impotentia: Passio & Passibilis qualitas: Forma & Figura. Circa quam assignationem nō leues difficultates emergunt, per quas discurrendo tota hæc diuisio innotescet.

Primus modus explicandi diuisionē. Et primò. Scot. in hoc prædicamento quæst. 1. & in 4. d. 6. q. 10. §. Ad quæst. docet, hanc diuisionem non esse verè generis in species, sed esse tantùm secundùm modos quosdam diuersos: quasi diceret esse diuisionem subiecti in accidentia, seu rei in varios modos quibus afficitur. Suaderiquè potest ex Aristot. qui post explicata singula membra suæ diuisionis, ait illos esse modos qualitatis. Et ratione: quia videtur vna & eadem qualitas in pluribus ex illis membris contineri: at non potest vna res esse sub diuersis speciebus essentialibus: benè potest participare plures modos accidentales.

Rejicitur. Supponendum tamen est, hanc esse veram diuisionem generis in species, & vt talem esse recipiendam. Nam omnes ita loquūtur, appellātes quatuor species qualitatis. Aristot. appellat species, & distinguit tanquam species sub genere. Prædicamentum debet ordinari per diuisionem generis in species. Poterit commodè hæc diuisio ita explicari, vt sit generis in species. Ergo vt talis suscipienda est & explicanda. Nec obstat, quòd Aristot. illos appellauit modos qualitatis; quia modus in diuisionibus passim sumitur pro specie: vt dicimus, quot modis dicitur substantia, quantitas, animal, & alia, quando illa diuidimus. Nec etiam obstat illa ratio. Tum quia potest vna & eadem res in diuersis speciebus, quando hæ non sunt oppositæ & impermixtæ contineri. Tum quia ita explicari potest diuisio, vt non contineatur sub diuersis speciebus eadem qualitas: vt ex dicendis constabit.

Secundus modus. Secundò. Has species qualitatis ita explicat & distinguit Simplic. & cū illo plures alij. Qualitas aut est aduētitia ab extrinseco proueniens. Et hæc est prima species, habitus & dispositio. Aut est innata, seu ab intrinseco indita à natura. Et hæc rursus: vel se habet per modum potentiæ; & hæc est secunda species, potentia & impotentia: vel per modum actus.

actus. Et hæc rursus: vel est in profundo substantiæ; & hæc est tertia species, passio & passibilis qualitas: vel est tantùm in superficie; & hæc est quarta species, figura & forma. Similis modus explicandi est, quem magis probat Fonseca 5. Metaph. cap. 14. q. 1. sect. 4. Qualitas: si sit in sola superficie; est quarta species: si etiam interiùs, sitquè subiecta sensibus; est tertia species: si non sit sensibilis, sitquè innata; est secunda species: si sit aduentitia; est prima species.

Reijcitur. Modum dicendi Simplicij impugnat S.Thom. 1. 2. quæst.49. art. 2. Tum quia multæ qualitates passibiles & figuræ, quæ sub tertia & quarta specie recenseri debent, non sunt innatæ, sed aduentitiæ, Tum quia quædam qualitates primæ speciei, vt sanitas & pulchritudo, non sunt aduentitiæ, sed innatæ. Tum etiam quia hoc modo habitus & dispositio, non prima, sed potius vltima species constitui debuisset. Tum etiam, tàm contra illum, quàm cõtra modum dicendi Fonsecæ, opponi potest, quòd non benè assignetur quarta species, quæ in sola superficie sistat: nam non solùm ipsa figura videtur esse per totam profunditatem corporis, sed in eadem specie videntur debere reponi raritas & densitas, quæ vtique in tota profunditate sunt: & aliæ etiam qualitates sub nomine formæ in eadem specie reponendæ erunt, quæ non possunt illo modo assignari. Plura etiam possunt contra talem explicationem opponi: quæ facile erit colligere ex dicendis.

Tertius modus. Tertiò. Ipse S. Thom. ibi sic aliter distinguit eas species. Qualitas vel accipitur in ordine ad naturam ipsam subiecti quod benè vel malè afficit: & hæc est prima species. vel in ordine ad actionem & passionem: & hæc distinguitur in secundam & tertiam speciem. vel in ordine ad quantitatem: & hæc est quarta species. Secundam autem & tertiam speciem Caiet. hoc loco sic explicat et distinguit: qualitas quæ est principium actionis est secunda species; quæ est terminus, quia scilicet fit per motum, est tertia species. Et sic etiam apparet recta ordinis ratio in enumerandis illis speciebus Et hâc explicationem defendunt Thomistæ hoc loco.

Reijcitur. Hic etiam dicendi modus non satisfacit. Nam dum dicitur prima species quæ accipitur in ordine ad subiectum. Vel hoc intelligitur exclusiuè, ita vt nullum aliud munus conueniat tali qualitati. Et hoc dici non potest: quia habitus & dispositiones maximè ordinantur ad operationes. Vel intelligitur adæquatè. Et ita illa prima species exhaurit totum prædicamentum, & omnes aliæ species in illa includuntur. Admittit hoc S. Th. ibi ad primum, dicens, alias qualitates quæ secundùm alias rationes constituunt alias species, poni etiam in prima specie secundum illam rationem ordinis ad subiectum. Vnde fit pariter, habitus & dispositiones, quatenus dicunt ordinem ad operandum, includi in alia specie: & sic alias quoque species inter se permisceri. Et præsertim sub tertia specie, si adæquatè explicetur, omnes etiam qualitates includentur. At hoc esset recidere in primum illum dicendi modum, distingui qualitatem non per species, sed per modos seu rationes conuenientes ijsdem qualitatibus. Et sine dubio valde imperfectam efficit diuisionem.

Quartus modus. Quartò. Aliter Suar. d 44. sect. 5. nu. 7. explicat & distinguit has species: ita vt sint inter se oppositæ & impermixtæ. Aliæ qualitates spectant per se primò ad operandum: aliæ verò potius ad perficiendam & complendam substantiam in se ipsa. Illæ vel sunt principia connaturalia & intrinseca, ac primò cõstituentia rem potentem operari; & constituunt secundam speciem: vel sunt principia superaddita ad iuuandam potentiam; & constituunt primam speciem. Imo si quæ operationes sint de prædicamento qualitatis, ad eandem speciem pertinebunt. Aliæ autem qualitates vel per se & immediatè ordinantur ad ornatum substantiæ; & constituunt tertiam speciem. Vel solùm ad modificandam & terminandam quantitatem; & hæc est quarta species.

Reijcitur. Hic etiam dicendi modus difficilis est. Tum quia multæ sunt qualitates, de quibus satis discerni non potest, an magis & principaliùs ordinentur ad perficiendam substantiam in se, vel ad operandum: cùm ad vtrunque valde deseruiant. Tum quia præter communem loquendi modum est, in prima specie quæ dicitur habitus & dispositio, collocare etiam actua-

actualem operationem: nec assignatur genus commune & adæquatum, quæ has omnes qualitates, & non alias, pro prima specie comprehendat. Tum etiam ille modus assignandi tertiam speciem, est prorsus alienus ab Aristot. qui longè aliter qualitates tertiæ speciei distinguit: & nomen ipsum longè aliud demonstrat. Et præterea Suar. sect. 4. num. 13. iuxta suam explicationem, gratiam sanctificantem ponit in eadem tertia specie: cùm tamen valde diuersus conceptus cõiter habeatur de passione & passibili qualitate, quàm vt sub illa possit gratia cõprehẽdi.

Quintus modus tra ditur. Quintò ergo alio modo magis conuenienti possunt hæ species distingui & explicari. In primis quædam qualitates sunt, quæ ita afficiunt subiectum, vt ordinentur ad aliquam operationem exercendam, vel efficiendo, vel recipiendo. Et hæ rursus sunt duplicis ordinis. Aut sunt virtutes primariæ & congenitæ à natura ad operandum, vt intellectus ad intelligendum, voluntas ad appetendum, visus ad videndum: & hæ constituunt secundam speciem, quæ dicitur potentia & impotentia. Aut sunt virtutes secundariæ & superadditæ potentijs, vt habitus scientiarum, habitus virtutum moralium & vitiorum: Et hæ constituunt primam speciem, quæ dicitur habitus & dispositio. Hoc totum est planè conforme communi modo loquendi. Nam habitus & dispositiones vocantur illæ qualitates, quæ hoc modo adiuuant ad efficiendum vel recipiendum: potentiæ vocantur, quæ sunt virtutes primariæ agendi aut patiendi. Videtur etiam de mente Aristot. in explicatione harum specierum. Nisi quòd in prima specie numerat ægritudinem & sanitatem, quæ tamen non videntur qualitates operatiuæ: & pariter in eadem specie solet reponi pulchritudo, quæ etiam non est per se operatiua. Sed dici potest, vel Arist. considerasse sanitatem quatenus disponit hominem ad validè exercenda opera vitæ, ægritudinem verò quatenus disponit ad debiliter exercenda eadem opera. Vel attulisse hæc exempla, non tam vt doceret has esse qualitates primę speciei, quàm vt indicaret quomodo quædam qualitates sint facilè mobiles de subiecto; per quam rationem distinguere volebat dispositionem ab habitu, vt patet in textu. imo vulgata res est, non oportere in exemplis requirere veritatem. Et reuera sanitas & ægritudo, sicut & pulchritudo & deformitas, non sunt determinatæ quędam qualitates distinctę ab alijs: sed potius sunt temperamenta quędam qualitatum, iuxta debitam proportionem, aut cum excessu vel defectu opposito. 5. etiam Metaph. text. 25. definiuit habitum, quo subiectum benè aut malè disponitur vel secũdum se vel ad aliud; & nominat sanitatem qua quis benè disponitur. Sed ibi nõ agebat de habitu pro hac determinata specie qualitatis de qua nunc agimus: sed afferebat quasdam acceptiones quibus sumi potest habitus. neque intellexit secundùm se & ad aliud, pro ordine ad naturam subiecti præcisè & ad operationem, sed potius pro ordine ad subiectum ipsum & ad aliud extrinsecum.

Designantur primæ duæ species.

Deinde quædam aliæ qualitates sunt, quæ etsi non sint per se ordinatę ad agendum aut patiendum, saltem sunt aptæ terminare operationes sensuum circa ipsas, & sunt sensibiles seu afficiunt sensus: vt sunt colores, odores, sapores, & aliæ plures. hæ constituunt tertiam speciem quæ dicitur passio & passibilis qualitas. Quæ explicatio est apertè de mẽte Arist. qui planè per ordinem ad sensus hanc tertiam speciem designauit. Neque verò debebat certa aliqua species qualitatis constitui per officium terminandi actionem productiuam ipsius qualitatis, vel terminandi cognitionem intellectiuam. Hoc enim totum erat commune omnibus speciebus qualitatum. Neque refert, quod qualitates sensibiles eo ipso sunt effectiuæ specierum intentionalium quibus sentiantur, atque adeo saltem mediatè concurrunt ad ipsasmet sensationes. Nam non erat hæc efficientia per quam primæ species constituebantur: sed hęc efficientia dicitur intentionalis, illa verò erat efficientia realis: non scilicet in ordine ad sensationem per modum obiecti, sed in ordine ad alios effectus per modum causæ. *Tertia species.*

Aliæ demum qualitates sunt, quæ per negationem remanent distinguendæ, quæ scilicet non exercent munus agendi aut patiendi, nec per se terminandi sensationem aut afficiendi sensus: & hæ consti- *Quarta species.*

tuunt

tuunt quartam speciem, quæ dicitur figura & forma. Quod etiam videtur planè de mente Aristot. Et hic modus assignandi quartam speciem reddit manifestè diuisionem ita adæquatam, vt nulla qualitas extra has species relinquatur. Nam si quæ appareat, quæ ad alias tres priores non possit trahi, hanc quartam non effugiet. Nec obstat, quòd Aristot. post enumeratas omnes species, videtur dubitare, an aliqua alia supersit. Nam Expositores notare solent, id esse dictum modestiæ causa, aut vt motiuum remaneret diligentiùs inquirendi. Vel Aristot. indicare voluit, posse quidem alijs modis qualitates diuidi, & species assignari: sed illas esse maximè nominatas & consuetas.

Earum distinctio & ordo. Cæterùm adhuc superest explicare, an hæ species sint penitus distinctæ & impermixtę, vel possint eædem qualitates ad plures species pertinere. Sed hoc constabit disserendo de singulis speciebus. quod iam pręstandum erit. Solùm nunc circa ordinem quo ab Aristot. numeratæ sunt, dubium est: quia potius videbatur priori loco numeranda potentia quàm habitus. Sed hoc non est magni momenti: quia non multum referebat hic ordo. Masius hic quęst. 2. defendit, ordine naturę priorem esse habitum potẽtia: quoniam habitus est dispositio subiecti in ordine ad naturam, potentia in ordine ad operationem. Sed iam ex dictis patet, habitum quoque tendere ad operationem: & apud omnes satis compertum est, habitus esse perfectiones & dispositiones potentiarum. Aliter potest aliqua reddi ratio, cur prius collocata sit species habitus. Tum quia habitus est quid magis actuale. Tum fortasse magis ad mentem Aristotelis, quia in superiori cap. de Ad aliquid mentionem fecerat habitus & dispositionis: Vnde & hoc capite dubitat, quomodo illa in vtroque prædicamento posuerit. Quæ etiam ratio assignari solet, cur hìc priorem locum relationi ante qualitatem dederit.

SECTIO TERTIA.

De prima & secunda Specie Qualitatis: Habitu & dispositione, Potentia & impotentia.

Assignatur genus quoddam commune vtrique speciei. In primis genus commune huic vtrique speciei, subalternum tamen generalissimo qualitatis, est qualitas operatiua seu causatiua, sumendo operationem & causalitatem, vt commune quid ad agendum & patiendum. Nam non solùm qualitas quæ ordinatur ad agendum, sed etiã quæ ad patiendum, in hoc genere includitur, & potest reperiri tàm in specie habitus & dispositionis, quàm potentiæ: vt sumitur ex Arist. hoc loco, & 5. Met. tex. 17. Requiritur autem ad totum hoc genus, vt tale principium operatiuum sit distinctum à substantia & natura rei, quæ per ipsam potentiam aut habitum est operatiua. Alioqui enim non est illi accidens, non est qualitas de hoc prædicamento: sed essentialiter includetur in prædicamento & specie ipsius naturæ. Vnde illi qui non distinguunt potentias vel actiuas vel passiuas ab essentia rei, aut qui vocant habitus quosdam indistinctos à natura: non debent hæc in hoc qualitatis genere collocare.

Cùm dicimus hoc genus esse qualitatis operatiuæ, debet intelligi operatiuæ realiter, & non tantùm intentionaliter per modum obiecti, vt sectione superiori notauimus: alioqui includeret tertiam quoque speciẽ qualitatis. Dico verò per modum obiecti: quia certè potentia ipsa quæ elicit actus intentionales, & habitus qui illam adiuuant, vtrique in hoc genere includuntur; quia agunt realiter eliciendo, & non per modum obiecti mouendo. Et rursus dupliciter potest intelligi qualitas sic realiter operatiua: vel ita ample vt complectatur etiam quasdã passibiles seu sensibiles qualitates, quæ simul possunt esse realiter operatiuę suorum effectuum: vel ita determinatè, vt illas oẽs excludat. Quod explicabimus sect. seq.

Examinatur distinctio vtriusque speciei. Secundò. Sub hoc genere distinguuntur duæ illæ species, prima & secunda. Et quidem satis consuetus modus distinguendi

guendi est, potentiam esse illam quæ est indita & congenita à natura: habitum verò & dispositionem, quæ ab extrinseco aduenit: sicut sunt habitus qui nostris actibus acquiruntur: & in hoc etiam ordine a Theologis computantur habitus qui infunduntur à Deo. Verùm fieri potest, vt aliqua qualitas quæ sub specie potentiæ computatur, interdum proueniat ab extrinseco; vt calor est potentia calefactiua, & in aqua non est à natura, estque eiusdem speciei ac in alijs rebus: licet quantum est de se calor in igne insit à natura. E conuerso, si intelligatur aliqua qualitas insita à natura, tamen distincta à potentia operatiua, vt illam ad iuuet; debet potius in specie habitus computari. Et ita aliqui constituunt habitus quosdam congenitos à natura. Et, si species intelligibiles rerum dicatur congenitæ Angelis à natura: adhuc inter habitus, non inter potentias, computantur. Et saltem aliquæ dispositiones innatæ iuuantes ad patiendum inueniuntur, quæ tamen adhuc in prima specie collocantur.

Alio modo possent hæ qualitates distingui: dicendo, primam speciem esse, quando qualitas datur tantùm ad commodiùs & faciliùs operandum, cùm non sit necessaria ad simpliciter operandum: secundam speciem esse, quando qualitas requiritur ad simpliciter operandum. Hic tamen dicendi modus solùm respicit ad distinguendos à potentijs habitus acquisitos. Vnde hoc modo habitus infusi & species intelligibiles, non in prima, sed in secunda specie, deberent computari. Quod est præter communem loquendi modum.

Alius modus distinguendi est, quem tradit Sotus hic quæstione vnica ad tertium, & sequitur Sanc. quæstione 59. primam speciem esse, quæ subiectum benè vel malè afficit: secundam, quæ abstrahit a benè vel malè. Sed non satisfacit: quia potentia ipsa vtique benè & conuenienter afficit subiectum; & multi habitus sunt, qui dantur ad simpliciter operandum, & non tantùm ad benè operandum: & tamen ponuntur in prima, non in secunda specie. Hoc quidem peculiare est in habitibus, quòd inueniuntur aliqui malè afficiētes subiectum: vt vitia & errores. & hoc sumitur ex Aristotele quinto Metaphysic. text. 25. tamen hæc non est adæquata & sufficiens ratio distinguendi habitus à potentijs, siue primam à secunda specie qualitatis.

Aptior ergo modus distinguendi illas duas species est; primam speciem esse illarum qualitatum, quæ supponentes potentiam, illi superadduntur ad operandum: secundam speciem esse illarum qualitatum, quæ per se & primariò datæ sunt ad operandum. Hoc est magis consonum communi modo loquendi de potentijs & habitibus. Nam sic etiam virtutes infusæ, & species intelligibiles, & si quæ aliæ sint qualitates congenitæ potentijs à natura, in specie habitus collocantur. Atque etiam Gratia sanctificans vocatur habitus, quia vel est idem cum charitate iuxta sent etiam Scoti: vel, si distinguitur, & est immediatè in essentia animæ, iuxta sententiam Sancti Thomæ; fert secum virtutes infusas, & realiter præsupponit potentias naturales, & ita confert ad operandum. *Assignatur vera distinctio.*

Tertiò. In prima specie distinctè nominantur habitus & dispositio. Itaque hæc species diuiditur in duas partes. Affert verò Suarez disputatione 42. sectione tertia varias significationes harum vocum apud Aristotelem inuentas. Sed ex dictis comperta est significatio, in qua hic sumuntur pro qualitatibus. Habitus autem dicitur qualitas, quæ est difficilè mobilis à subiecto. Dispositio vno modo dicitur amplè pro tota hac specie qualitatis, siue facilè siue difficilè mobilis: alio modo dicitur propriè, quæ est facilè mobilis à subiecto, ad differentiam habitus. Ita explicat Aristoteles ipse: qui etiam quinto Metaphysic. textu 25. amplè sumens dispositionem, definiuit habitum: *Est dispositio secundùm quam benè vel malè disponitur dispositum.* *Prima species duas habet partes, habitum & dispositionē.*

Hinc ortum est dubium, num habitus & dispositio propriè sumpta, differant inter se specificè & essentialiter, vel tantùm accidentaliter. Et ratio dubitandi est: quia ipse Aristoteles prius videtur habitum & dispositionem ita distinguere, vt differant essentialiter; quòd habitus de natura sua sit difficilè mobilis, dispositio ex natura sua facilè mobilis

bilis. Deinde addit illam qualitatem quæ erat dispositio; si in subiecto valde inualescat, dici habitum: è contra illam qualitatem quæ esse deberet habitus; si sit in subiecto non multùm illam retinente, dici dispositionem. Ex quo sequitur, differre tantùm accidentaliter. Hinc diuisi sunt Auctores. Alij volunt differre essentialiter. Ita defendunt Caietanus, Sotus, Toletus, Hieron. Pla, Ruuius, Masius, & alij hic, Fonseca 5. Metaph. cap. 14. quæstione secunda. & ex parte Suar. disputatione 42. sectione sexta. Et præcipuè hoc docuit Sanctus Thomas prima secundæ quæstione 49. articulo secundo ad tertium. Alij volunt differre solùm accidentaliter. Ita Boet. Ammon. Albertus, Scot. Louanienses, & alij tum veteres tum recentiores hoc loco. Et expressè ipse Sanctus Thomas quæstione 7. de Malo art. 2. ad 4.

Possunt hæ duæ partes distingui, vel essentialiter, vel accidentaliter.

Sed ex hac ipsa diuersitate breuiter dici potest, posse vtroque modo diuisionem hanc in habitum & dispositionem, siue hæc duo nomina explicari. Vno modo, sumendo habitum pro qualitate ex natura sua apta firmiter permanere in subiecto: ita vt si quando ex accidenti mobiliter hæreat, vt quando incipit acquiri aliquis habitus; vel ex conditione aliqua subiecti; adhuc sit & dicatur essentialiter habitus. Et dispositionem pro qualitate ex natura sua leuiter affixa subiecto: ita vt si quando ratione aliqua firmiter imprimatur alicui subiecto; adhuc sit & dicatur essentialiter dispositio. Alio modo, sumendo habitum & dispositionem pro qualitate quacunque ratione immobiliter vel mobiliter inhærente subiecto: ita vt eadem specie qualitas, in vno subiecto dicatur habitus, in alio dispositio: vel etiam in eodem subiecto, modò dicatur dispositio, modò habitus. Vnde ipsi Auctores primæ sententiæ fatentur, posse & solere vnam & eandem qualitatem habere essentiam habitus & statum accidentalem dispositionis, & è conuerso essentiam dispositionis, & statum accidentalem habitus. Et vterque modus explicandi, siue vtraque horum nominum acceptio, est de mente Aristotelis, quia ex eius doctrina desumitur.

Quæ qualitas sit habitus, et quæ dispositio.

Sed tamen quia posse facilè aut difficilè è subiecto diuelli, magnam latitudinem habet, & varijs modis designari potest: hinc etiam varij gradus distingui possunt. Et quibusdam placebit, qualitates in certo gradu facilitatis aut difficultatis consideratas, appellare dispositiones; quibusdam, habitus. Hinc Fonseca sectione secunda ad secundum & 3. errores in intellectu, & vitia in appetitu, Sotus hic quæstione vnica ad secundum, opiniones, malunt appellare dispositiones, ad differentiam scientiarum & virtutum. Quoniam opiniones cùm non habeant firmam causam, & errores & vitia cùm sint contra inclinationem rationalis naturæ, possunt ex natura sua facilè abijci. At ex alia parte ita appellari & assignari communiter solent habitus, errorum, opinionum, & vitiorum sicut scientiarum, & virtutum. Et ita constat Tum ex ipso Aristotele qui inter habitus numerat etiam illos, qui malè afficiunt subiectum. Tum ex Diuo Thoma & alijs omnibus, tàm Theologis, quàm Philosophis, quando tractant de habitibus intellectus & voluntatis.

Suar. asit non aliter agnoscit distinctionem essentialem inter habitū & dispositionē; nisi inter qualitates quæ insunt per modum actus primi in potentijs animæ, quas ait esse essentialiter habitus, quia de se habent esse fixum & permanens; & actuales operationes earundem potentiarum, quas ait esse essentialiter dispositiones, quia cùm hæ operationes dependeant in conseruari ab actuali influxu, possunt facillimè desinere, sicut solent, per suspensionem influxus. Verùm inter dispositiones quæ tàm facilè deperduntur, videbantur numerandæ etiam species sensibi es sensuum externorum, quæ tamen habent rationem actus primi. Et ex opposito inter habitus firmiter insidētes subiecto, debuissent numerari visio beatifica, amor & fruitio beatorum, & si qui etiam actus sunt perpetuò permanentes in Angelis, vt aliqui volunt: quæ tamen sunt actuales operationes ad differentiam actus primi. Et hoc esset etiam præter communem loquendi modum. Præterea Aristoteles inter qualitates ex natura sua facilè mobiles, recenset caliditatem & frigiditatem, quæ vtique non dependent in conseruari a suis causis ef-

fectiuis. Illa ergo regula nō est satis apta.

Itaque non apparet aptus aliquis & inoffensus modus, quo habitus & dispositio absolutè & adæquatè essentialiter distinguantur penes difficilè & facilè mobile de subiecto. Sed in specie quidem siue in certis quibusdam qualitatum speciebus, potest commodè hic modus distinguendi inueniri. Semper tamen in ijs qualitatibus apparebit alia distinctionis ratio, quæ manifestior & securior erit: vt patet in exemplo Suarij. Meliùs enim distinguuntur qualitates quæ insunt potentijs animæ, dicendo, alias esse operationes, alias principia operationū, quā sub nominibus habitus & dispositionis, & sub rōne difficilè & facilè mobilis.

Si demum hoc discrimen accidentaliter accipiatur: ferè arbitrarium remanebit de quibusdam qualitatibus, veluti in statu quodam medio inter valde difficilè & valde facilè mobiles consideratis, vt vel dispositiones vel habitus nuncupentur. Et per comparationem ad opposita extrema poterunt vtranque appellationem admittere.

Secunda species distinguitur in potentiam & impotentiam,

Quartò pariter in secunda specie distinctè nominantur potentia & impotentia. Itaque & hæc species habet duas partes. Horum etiam nominum plures significationes recenset Suar. sectione 2. numero 9. & sequentibus. Sed quomodo hic sumatur potentia, satis patet ex antea dictis. Impotentia autem non sumitur pro defectu & priuatione potentiæ; sic enim non est qualitas, sed defectus & priuatio qualitatis. Pro defectu autem & priuatione impotētiam sumpsit alibi Aristot. 5. Metaph. cap. 12. Potest autem duobus præcipuè modis impotentia explicari positiuè, & distingui à potentia. Vno modo potest sumi impotentia pro facultate qua subiectum aptum est resistere agenti, & ita dicitur impotentia ad patiendum: quæ facultas restitiua potest esse forma positiua, vt patet: & distinguitur à potentia qua subiectum aptum est pati. Alio modo sumitur impotentia pro facultate debili & imbecilla; potentia verò pro facultate forti & valida: siue facultas referatur ad agendum, siue ad patiendum, siue ad resistendum. Et hoc est magis de mente Aristotelis.

Hinc Fonseca quęstione citata sectione tertia contendit, potentiam & impotentiam non distingui essentialiter, sed tantùm accidentaliter. Potentia enim visiua debilis in sene, valida in iuuene, solùm accidentaliter distinguuntur. Sequitur Ruuius hìc quæstione 3. Sed certè, sicut dicebamus de habitu & dispositione, potest quidem vno modo hæc distinctio solùm accidentaliter explicari: tamen alio modo poterit designari aliqua impotentia essentialiter differens à potentia. Si videlicet illa sit ex natura & vi sua debilis & infirma, ad differentiam potentiæ validæ. Sic Arist. pro exemplo potentiæ adduxit duritiem, quæ validè resistit diuisioni: pro exemplo impotentiæ mollitiem, quæ debiliter resistit.

Vtraque species in alias plures diuidenda est.

Quintò tandem vtraque hæc species qualitatis, tàm prima, quàm secunda, potest varijs modis diuidi in plures & plures species: vt consideranti facilè patebit, & in proprijs materijs philosophicis est latè tractandum. Maioris autem commoditatis gratia singulæ hæ species solent vno nomine appellari. Prima species absolutè appellatur habitus. Secunda potentia. Et ita in Philosophia agitur de habitibus & de potentijs, complectendo oēs harum specierū qualitates.

SECTIO QVARTA.

De tertia & quarta specie Qualitatis: Passibili qualitate & passione, Figura & forma.

Tertia species designatur per ordinē ad sensū.

In primis ex Arist. & cōmuni sententia certum esse debet, tertiam qualitatis speciem dici & constitui per ordinem ad sensum. Nec audiendus est Suar. dum alio modo illam assignauit, vt diximus sect. 2. Sed non facile est explicare, per quē ordinem ad sensum dicatur hæc species qualitatis, & quomodo debeat explicari. Aristoteles significat, dici passibilem qualitatem, vel quia efficit passionem in sensu, vel quia efficitur ex aliqua passione, vel quia per se est passio afficiens animam. Hinc aliqui volunt, & ita sentit Tolet. in explicatione huius speciei, & defendit Ruuius hic quæst. 4. hanc speciē qualitatis non dici adæquatè, eo quòd sit

sit qualitas sensibilis tanquam obiectum sensuum. Quinimò non omnes qualitates sensibiles poni sub hac ratione in hac specie: sed tantùm qualitates sensibiles per tactum, gustum, & odoratum: quoniam hæ solæ efficiunt passionem, idest alterationem aliquam in sensu. E contra non solùm quatenus sensibiles poni qualitates in hac specie, sed quatenus venientes ex aliqua passione: vt sunt rubor oriens ex verecundia, pallor ex timore, aut si ex naturali temperamento oriantur. & ita poni colores in hac specie, non quatenus sensibiles, sed quatenus orientes ex passione. Insuper poni in hac specie affectus illos, qui à Philosophis appellantur passiones appetitus sensitiui; vt ira, amor, odium, &c. Et hoc totum videtur docere Arist. qui post assignatas qualitates quæ efficiunt passionem in sensu, subdit: *Albedo autem & nigredo & cæteri colores, non eodem modo ijs quæ dicta sunt passibiles qualitates dicuntur: sed eo quòd ipsa ab aliqua passione innascuntur.* Et infra: *Similiter autem his, & secundùm animam passibiles qualitates & passiones dicuntur, &c.*

Hic tamen dicendi modus difficilis est ad certam & essentialem qualitatis speciem designandam. Tum quia non apparet, quomodo assignetur vnum commune genus omnibus ijs qualitatibus, ijsquè proprium & adæquatum; sed potius assignatur conuenientia quædam analogica in nomine passionis. Tum quia si primo loco dicantur passibiles qualitates, eo quòd efficiant aliquam realem passionem & alterationem in sensu: sic non oportebat plus respectu sensuum, quam absolutè respectu subiecti alterabilis, assignare tales qualitates: v. g. color & frigus alterant omnem subiectum. Nec etiam semper satis apparet, qualemnam alterationem realem vltra passionem intentionalem, efficiant omnes illæ qualitates in sensu. Tum quia si secundo loco dicantur passibiles qualitates illæ, quæ ex aliqua passione nascuntur. Vel intelligitur ex passione sensus: & sic solum illi colores, & tunc quando ex tali passione oriuntur, ad hanc speciem pertinebunt, non autem quando sunt in alijs subiectis extra animal. Vel intelligitur ex quacunque passione vniuscuiusque corporis: & sic etiam sapores aliæquè qualitates proueniunt ex alteratione suorum subiectorum. At Aristot. expressè negat, has esse ex hac parte passibiles qualitates, quæ vt sic non dicerentur per ordinem ad sensum. Et præterea nullo ex his modis, soni qui pertinent ad auditum, & fiunt ex percussione corporum, sub hac tertia qualitatis specie continerentur, qui tamen omninò in hac debent collocari, cùm sint qualitates, & non in alia specie collocentur. Et præsertim nec lumen in hac specie poneretur. quod licèt Tolet. admittat: tamen est falsum; quia in nulla alia specie potest commodiùs collocari. Tum insuper si tertio loco in hac specie ponantur passiones appetitus sensitiui, deberent etiam pariter reponi actus sensuum. Par est enim vtrorumque ratio, & maxima conuenientia: ita vt non possint commodè per diuersas ex quatuor speciebus huius prædicamenti distrahi. Sed in qua specie ponuntur actus sensuum, debent etiam reponi actus appetitus.

Dicendum ergo est, hanc speciem qualitatis verè & adæquatè esse qualitatem sensibilem, & ideò dici qualitatem passibilem, quia causat passionem in sensu, passionem videlicet intentionalem. Suadetur hoc. Tum ex Aristotele septimo Physic. textu 11. vbi adæquatè assignat genus qualitatis sensibilis, & ferè appellat passibilem qualitatem. Tum ex natura ipsa rei: quoniam hoc est verum quoddam genus qualitatis, in quo plures subiectæ species secundùm vnam essentialem conueniunt rationem. Tum quia sic redditur apta distinctio quatuor specierum qualitatis, vt patet ex dictis sectione tertia, & patebit magis ex dicendis. *Quia scilicet sensibilis est.*

Quod verò Aristot. aliter docere videbatur, sic exponendum est. Vel non voluisse negare, colores dici passibiles qualitates, eo quòd quatenus sensibiles immutant sensum: sed voluisse addere, non eo modo solū dici passibiles qualitates, sed alio insuper, quia proueniūt ex alteratione sensus. Vel non tàm voluisse ibi reddere rationē rei, cur scilicet in re colores spectarent ad illam speciem qualitatis; quàm potius nominis, vnde scilicet colores illam appellationem passi-

bilis qualitatis fortiti essent, licèt non ob illam deberent in illa specie reponi. Quando rursus loquutus est de animæ passionibus, tantùm dixit illas similiter dici, seu appellari passibiles qualitates & passiones: non quòd propterea voluerit, debere in eadem specie cum alijs qualitatibus quas dixerat, reponi. Alioqui cùm dicat, etiam affectiones permanentes, cùm scilicet quis est propensus ad iram, & dicitur iracundus, item cùm quis est amens; dici passibiles qualitates; potius habitus, & non solùm actus, in hac tertia specie collocasset.

Potest adhuc varijs modis qualitas sensibilis designari.

Secundò deinde. Etiam supposito quòd qualitas tertiæ speciei sit qualitas sensibilis: potest id varijs modis intelligi. Vel enim sumi potest pro omni prorsus qualitate sensibili, etiam si sit sensibilis non ratione sui, sed ratione aliarum qualitatum: sic etiam figura inter sensibilia cõputatur. Vel pro qualitate sensibili per se & ratione sui. Et hoc potius modo debet accipi, vt excludatur figura. Item vel pro omni qualitate sensibili etiam per solos sensus internos. Vel pro qualitate sensibili per sensus externos simul & internos: quoniam omnis qualitas sensibilis exteriùs, sentitur etiã interiùs; sed non è conuerso. Et debet etiam potius hoc modo accipi: quia iuxta communem modum loquendi hæc species qualitatis refertur propriè ad sensus externos.

Rursus vel sumi potest pro omni qualitate sensibili, etiam si simul sit operatiua realiter: vt sunt qualitates primæ, calor & frigus. Vel pro qualitate solùm sensibili, quæ non sit realiter operatiua. Hæc distinctio necessaria est ad declarãdam habitudinem huius speciei cum primo illo genere qualitatis operatiuæ: quoniam hæ duæ rationes non sunt incompossibiles & oppositæ. Si ergo dicatur ex vna parte qualitas sensibilis non operatiua, ex altera qualitas operatiua siue sensibilis siue insensibilis: hæ erunt species oppositæ & impermixtæ. Sic autem calor & frigus non erunt sub hac specie qualitatis sensibilis, sed sub specie qualitatis operatiuæ. Pariter, si dicatur ex vna parte qualitas operatiua non sensibilis, ex altera qualitas sensibilis siue operatiua siue non operatiua: hæ erunt species oppositæ & impermixtæ. Calor autem & frigus non erunt sub hac specie qualitatis operatiuæ, sed sub specie qualitatis sensibilis.

Quòd si ex vna parte dicatur qualitas operatiua non sensibilis, ex altera sensibilis non operatiua: hæc non erit diuisio adæquata: sed addenda esset tertia species media, operatiua simul & sensibilis. Si demum ex vna parte dicatur adæquatè qualitas operatiua, ex altera qualitas sensibilis: sic hæ species erunt in quibusdam qualitatibus permixtæ & communicantes. Eo modo prorsus quo in prædicamento substãtiæ se habent genus viuẽtis & genus corporis, si adæquatè sumantur. Quomodo autem possint hæ variæ diuisiones rectè fieri, satis patet ex dictis de vniuersalibus & de prædicamentis in communi.

Quonã verò potius modo debeat fieri diuisio harum specierum in hoc prædicamento, res est ferè arbitraria. Et quia hæc diuisio est mẽtalis, consistẽs in cognitione distinctionis & conuenientiæ inter ipsas res: satius est prospicere & asserere, omnibus ijs modis tales res se habere & inter se comparari. Magis autem consonat textui Arist. vltimus modus diuidendi. Nam Aristoteles easdem qualitates calorem & frigus sub diuersis repetit speciebus.

Distinguitur hæc species per passibilem qualitatẽ & passionem.

Tertiò rursus. Quia in hac etiam specie assignantur duæ partes, passibilis qualitas & passio: ex eodem Aristotele est manifestum, quomodo distinguantur, & quæ sit vtriusque ratio. Passibilis qualitas est, quæ firmiùs & diutiùs inhæret subiecto. Passio est, quæ de facili transit. Quando quis ex naturali complexione, aut ex longa ægritudine, vel æstu, est pallidus, aut niger: hæ dicuntur passibiles qualitates. Sed quando quis ex verecundia erubescit, aut ex timore fit pallidus: hæ dicuntur passiones. Dum verò Aristot. ait, has non dici qualitates, nec secundùm eas subiectum denominari quale: tantùm voluit, non dici qualitates, nec denominare subiectum quale, permanenter, siue secundùm consuetum loquendi morem, siue eo modo quo denominant quando permanent. Alioqui non voluit negare, eas esse essentialiter qualitates, dum sub hac qualitatis specie reponit. Sic etiam D. August. lib. 6.

contra

contra Iul. cap. 7. *Quantum ad animam, affectio est timere, affectionalis qualitas timidum esse: sic aliud est iratus, aliud iracundus: aliud ebrius, aliud ebriosus. Quantum ad corpus, aliud est pallens, aliud pallidus: aliud rubens, aliud rubicundus.*

Hinc Fonſ. 5. Metaphyſ. cap. 14. quæſt. 2. ſect. 3. Ruuius hic quæſt. 4. dub. 2. Maſius quæſt. 6. Sanc. quæſt. 60. & alij contendunt, paſſibilem qualitatem & paſſionem diſtingui tantùm accidentaliter. Nam certè pallor, ſiue ortus ex timore & citò tranſiens, ſiue ortus ex naturali complexione & diu permanens, eſt eiuſdem ſpeciei. Quamuis Sotus hic quæſt. vnica ad 4. de hoc dubitet. Verùm ſufficit quidem hæc diſtinctio accidentalis, etiam de mente Ariſtot. Sed negari non poteſt: ſicut dictum eſt in alijs ſpeciebus: ita in hac poſſe conſiderari qualitatem aliquam ex natura ſua de facili tranſeuntem, quæ vt ſic differat eſſentialiter ab alijs firmiter ex natura ſua permanentibus. Sic certè ſonus & lumen ex natura ſua de facili tranſeunt, vt patet: & in hoc eſſentialiter differunt ab alijs qualitatibus ex natura ſua permanentibus. Cæterùm interdum hæc tota ſpecies vno nomine paſſibilis vel ſenſibilis qualitatis adæquatè ſignificatur.

Quarta ſpecies, quæ nec eſt operatiua, nec ſenſibilis. Quartò demum. Quarta ſpecies qualitatis, vt manifeſtè appareat totius prædicamenti diuiſio adæquata per quatuor illas ſpecies, aſſignanda eſt eo modo quo dicebamus, qualitas nec operatiua nec ſenſibilis. Hoc enim modo nulla qualitas poterit ex his ſpeciebus ſubtrahi.

Hæc duas partes. Figura in tota magnitudine reperitur. Habet & hæc ſpecies ſuas duas partes ſeu duo nomina: appellatur enim figura & forma. De figura omnes conueniunt, & ipſe Ariſt. explicauit, eſſe quæ afficit quantitatem, quatenus certo modo terminatam: ſic alia eſt figura circularis, alia angularis, &c. Addit Sanc. quæſt. 61. còcluſ. 4. figuram de hac ſpecie qualitatis inueniri etiam in quantitate diſcreta & numero. Sumitur ex Ariſt. 5. Metaphyſ. cap. 14. Nam numeri dicuntur etiam plani ſeu ſuperficiales, aut ſolidi; item quadrati, aut veluti altera parte longiores; vt explicat ibi Fonſ. Verùm licèt hæ denominationes attribuantur numeris: Tamen non indicant figuram quæ ſit propriè qualitas in hac quarta ſpecie. Tum quia in hoc prædicamento non collocantur, niſi qualitates quę ſint vera accidentia per ſe vna. Tum etiam illę denominationes non ſunt accidentales, ſed ſunt intrinſecæ ſuis numeris. Non enim poteſt numerus tranſire de vna in aliam figuram numeralem, niſi per additionem aut detractionem alicuius partis, per quā ipſa ſpecies numeri variatur. In magnitudine autem poteſt per ſe variari figura ſine additione aut detractione partium. Ariſtoteles verò ibi aſsignauit quidem acceptionem quandam qualitatis pro illis denominationibus numerorum; non tamen vt eſſet ſpecies huius prędicamenti: ſicut ibidem primam acceptionem qualitatis poſuit pro differentia ſubſtantiali, quę vtique non ponitur inter ſpecies huius prędicamenti.

An forma ſit diſtincta ſpecies à figura. Deinde propter formam, quam in hac quarta ſpecie Ariſtot. non amplius explicauit, dubium eſt, an hę ſint duæ partes diſtinctæ, & quæ ſit ipſius formæ ratio. Fonſ. quæſt. 2. cit. in fine, Suarez. ſect. 3. num. 15. & ſect. 6. num. 5. & quidam alij dicunt, hanc diſtinctionem conſiſtere potius in nomine quàm in re: quia eadem qualitas mathematico more appellatur figura, phyſico more forma. Albert. hoc loco ſimiliter ait, hanc eſſe eandem qualitatem, quæ reſpectu quantitatis dicitur figura; reſpectu ſubſtantiæ, præcipuè quatenus cōfert ad cognoſcendam diſtinctionem inter varias ſubſtantias, dicitur forma. S. Thom. 7. Phyſ. lect. 5. ait, figuram dici quatenus eſt terminus quantitatis, formam quatenus conſtituit artificiatum: ſtatua v. g. dicitur conſtitui ex materia & forma, materia eſt æs, forma eſt figura. Sot. hic quæſt. vnica ad 5. ait, figuram dici circa quantitatem vt abſtrahentem ab hac & illa materia, formam verò dici circa res vt in materia concretas. D. Aug. in Categor. dicit, figuras tribui rebus inanimatis, formas animatis. Damaſc. cap. 51. ait, figuram dici communiter tàm de animatis quàm de inanimatis, formam dici ſpecialiter de animatis. Boet. aſſerit, figuram dici quæ afficit quantitatem, formam dici pulchritudinem aut deformitatem. Hoc defendit etiam Suarez. ſect. cit. explicans pulchritudinem per concomitantiam colorum vltra figuram.

Aliqui demum apud Sot. dicunt figuram esse modum quantitatis continuæ, formam esse modum quantitatis discretæ.

Forma est distincta qualitas a figura.

Dicendum tamen videtur, per formam intelligi qualitatem aliam à figura distinctam: eoq. nomine hic cõprehendi debere omnes alias qualitates nõ operatiuas & non sensibiles. Suadetur tum ex ipso Aristot. qui non solùm prius distinctè nominat figuram & formam: sed rursus infra cùm enumerasset aliquas figuras, & probasset esse qualitates, quia secundùm eas res dicuntur quales, addit: *Et secundùm etiam figuram vnumquodque quale dicitur*. Quo loquendi modo planè denotauit, formam esse diuersam aliam qualitatem præter figuram. Insuper sic nominat ipsam formã: *Circa vnumquodque constans forma*. Quia nempe hæc qualitas est, quæ circa ipsum subiectum consistit in eo perficiendo & actuando.

Tum deinde suadetur ratione. Quia omnes alij dicendi modi relati insufficientes sunt: & aliqui falsi. Tum demum quia ex natura rei possibiles apparent, & de facto etiam extant, aliæ qualitates non operatiuæ nec sensibiles, quæ in nulla ex superioribus speciebus includebantur: ergo debet hoc modo intelligi & explicari hæc vltima species. De possibili non apparebat repugnãtia, cur tales aliæ qualitates non essent possibiles. De facto adsunt actus vitales sensuum externorum, iuxta sententiam asserentem tales actus esse vel saltem secum afferre intrinsecas qualitates, vt attingemus in prædicamento actionis. Hi autem actus non sunt ipsi sensibiles, nec in tertia specie collocabãtur. Non sunt operatiui, sicut actus potentiarum interiorum, qui efficiunt habitus, & propterea in prima specie sub nomine dispositionis includebantur: ergo debebunt in hac quarta specie sub formæ nomine collocari. Fortasse etiam character supernaturalis, qui per quædam sacramenta imprimitur in anima ad illam consignandam, nec est physicè operatiuus, in hac quarta specie optimè collocabitur. Et si quæ sint aliæ huiusmodi qualitates, in hac specie propriam sedem habent.

Rectũ & curuum, & rarum & densum, et similia reducuntur ad figuram.

Præterea Aristoteles vltra figuram & formam, assignasse videtur rectitudinem & curuitatem inter qualitates. Sed certè rectum & curuum, si pro qualitatibus accipiantur, sunt figuræ quædam. Aristoteles autem illas expressit tanquam species quasdam figuræ, quæ tamen non solebant ita manifestè sub nomine figuræ intelligi: & ideò illas distinctè nominauit. Quærit etiam Aristoteles, num rarum & densum, asperum & lene, important qualitates. Et respondet, esse potius positiones de prædicamento Situs. Diuus Augustinus autem in hac specie qualitatis docet, licèt vno modo explicentur per modum positionis, tamen verè esse qualitates. Et Gilbertus Porretanus cap. de Positione, asperum & lene refert ad qualitates. Aristoteles autem, non ex se asserendo loquutus est, sed dixit: *Aliena huiusmodi esse putantur à diuisione quæ circa quale est*. De hac tamen re in suis materijs philosophicis erit disputandum. Nunc satis est dicere: si hæ sint qualitates afficientes quantitatem, sub specie figuræ posse inuolui. Nam figura sumi potest pro omni affectione modificante quantitatem. Et ex dictis demum patet, quo pacto hæc quarta species qualitatis possit in alias & alias subiectas species diuidi: vt ita totum prædicamentum per dictas quatuor species earumquè diuisiones compleatur.

SECTIO QVINTA.

De Attributis & Proprietatibus Qualitatis.

Qualitas habet contrarium.

PRimum qualitatis attributum ab Aristotele assignatur, Habere contrarium: vt calor frigori, albedo nigredini, iustitia iniustitiæ, contraria sunt. Et non solùm in abstracto: sed etiam in concreto hæc contraria opponuntur, calidum & frigidum, &c. Intelligitur autem hic contrarietas proprijssimè dicta & in toto rigore. De huius autem contrarietatis cõditionibus agemus quæstione vigesimasecunda cum Aristotele in Postprædicamentis. Addit & rectè Aristoteles hanc contrarietatem non esse omnibus qualitatibus communem.

Non tamẽ omnis.

Affert in exemplum alios colores: vt rubrum & pallidum, qui dicuntur medij inter extrema contraria album & nigrum

grum. Sed quia videri potest, hos etiam colores esse contrarios, quatenus magis aut minus participant de extremis: & saltem videntur contrarij secundùm quid, idquè sumitur ex Aristotele quinto Physicorum textu sexto, & secundo Ethicorum capite octauo. Ideò afferri possunt exempla aliarum qualitatum, quæ planè non habent contrarium: præsertim in specie potentiæ: intellectui enim, voluntati & similibus potentijs, nullum contrarium aduersatur.

Addit insuper Sotus in quæstione huius prædicamenti ab 6. contrarietatem per se primò reperiri in tertia specie qualitatis, vbi nempè sunt quatuor primæ qualitates, calor & frigus, humiditas & siccitas. Et ratione earum exerceri contrarietatem inter alias res: & qualitates secundas, vt colores, sapores, quæ ex ijs oriuntur, esse contrarias. In spiritualibus verò esse contrarietatem, non ratione primarum qualitatum, sed ad similitudinem illarum. Verùm non est hæc proprietas tali modo attribuenda tertiæ speciei. Nam æquè primo inuenitur in prima specie inter plurimos habitus & dispositiones. Neque plus dici potest in ijs inueniri ad similitudinem qualitatum tertiæ speciei, quàm è conuerso dici posset in his inueniri ad similitudinem qualitatum primæ speciei. Dici etiam possunt in secunda & in quarta specie qualitates contrariæ per se inueniri.

An sola. Rursus ex Aristotele capite sequenti de Agere & pati habetur, hanc contrarietatem non esse propriam soli qualitati. Nam illam attribuit actioni & passioni. Verùm in hoc dici potest, contrarietatem per se primò conuenire qualitatibus: nam actioni & passioni conuenit quatenus terminantur ad contrarias qualitates. Quomodo autem relationibus conueniat contrarietas, suo loco dictum est: & facilè patet, non ita propriè illis conuenire sicut qualitatibus. An autem in aliquo alio prædicamento inueniatur contrarietas, in proprijs tractatibus videndum est. Hinc autem benè addit Aristoteles, qualitati non nisi qualitatem esse contrariam; atque adeò si vnum contrarium sit qualitas, alterum etiam esse qualitatem. Non enim aliquid aliorum prædicamentorum est alicui qualitati contrarium. Intelligi verò hoc debet directè & formaliter. Alioqui indirectè & concomitanter dici poterit aliqua actio contraria alicui qualitati: v. g. frigefactio calori, & sic de similibus.

Qualitas suscipit magis & minus. Secundum qualitatis attributum ab Aristotele assignatur, Suscipere magis & minus, siue intendi & remitti: est res clarissima in pluribus qualitatibus, præsertim primæ & tertiæ speciei. Vbi Sotus in expositione textus ait, hanc proprietatem esse adeò affinem atque coniunctam cum præcedenti, vt nullibi vna sine altera inueniatur; quia hæc videtur oriri ex præcedenti. Intensio enim & remissio fit per minorem vel maiorem admixtionem contrarij. Verùm, licèt frequenter & in plurimis hæ proprietates reperiantur coniunctæ: tamen id non est necessarium, nec semper verum: nec illa ratio est vera. Inueniuntur enim qualitates quæ suscipiunt magis & minus sine contrarietate; cuiusmodi manifestè est lumen, actus etiam sensuum externorum, species intentionales. Nec etiam semper qualitates intenduntur aut remittuntur per minorem aut maiorem admixtionem contrarij: etiam si sint ex illis qualitatibus quæ habent contrarium; vt patet in actibus & habitibus internis, in saporibus, odoribus, sonis, & alijs. Possunt etiam benè intelligi qualitates contrariæ, etiam si consistant in indiuisibili, nec suscipiant magis & minus: quia non apparet dependentia vel necessaria connexio illius cum hac proprietate.

Non tamē omnis. De hac etiam proprietate, sicut de præcedenti, docet Aristot. non omnibus qualitatibus conuenire. Et in primis dubitat, an conueniat qualitatibus in abstracto, vel tantùm in concreto. Dicimus enim hunc hominem esse magis aut minus iustum, non tamen dicimus hanc iustitiam esse magis aut minus iustitiam. Verùm, hoc tantùm consistit in modo loquendi: quia alioqui de re ipsa dubium esse non potest, iustitiam, & sic alias qualitates similes, intendi & remitti in subiecto, siue intensio fiat per additionem gradus ad gradum, siue per maiorem radicationem in subiecto. Quoad modum autem loquendi verè non tam dici

dici debet, hęc est magis aut minus iustitia, quàm potius est maior aut minor iustitia, & sic de alijs.

Deinde affirmatiuè docet, Figuras non suscipere magis & minus: vt triangulus quadrangulus non dicuntur magis & minus, sed vel totaliter vel nullo modo de quantitate dicuntur. Opponi tamen possunt curuum, rarum, & densum, asperum, & lene, si in hac specie collocentur: dicuntur enim magis & minus, vt notum est. Sed tamen etiam de his dici potest, non esse eandem qualitatem curuitatis, raritatis, &c. quę intendatur & remittatur: sed potius esse diuersas totaliter qualitates, quando linea est magis aut minus curua, quando corpus est magis aut minus rarum: dici autem magis & minus per comparationem vnius qualitatis ad aliam. Alię etiam qualitates sunt, pręsertim in secunda specie, quę non suscipiunt magis & minus, vt intellectus, voluntas, & alię similes potentię. De quibusdam autem qualitatibus res est dubia; quę non hoc loco definienda est.

An sola: Ex altera parte nec etiam soli qualitati hoc attributum videtur conuenire. Nam etiam de relationibus dictum est, & de actione ac passione dicetur, suscipere magis & minus. Verùm dici potest, primariò & principaliter hoc competere qualitati. Nam relationi competit denominatiuè per qualitatem. actioni etiam & passioni, illi solùm competit, quę terminatur ad qualitatem suscipientem magis & minus, atque adeò ratione ipsius qualitatis.

Tertium attributum quod Aristot. assignat tâquam proprijssimum qualitati, est, Vt secundùm illam res dicantur similes aut dissimiles: sicut dixerat proprietatem quantitatis esse, ęquale & inęquale dici. Itaque sicut ibi notauimus, ita nunc distinguendum est. Hę denominationes sumi possunt presse & determinatè; ita, vt sensus sit, res esse similes aut dissimiles in qualitate, & ita hoc est propriũ qualitati. Sumi etiam possunt amplè & absolutè pro conuenientia & disconuenientia, siue vt cadant in omnes res, quatenus dicuntur tales aut tales: quod etiã est consonum communi modo loquendi: & vt sic hoc non est proprium qualitati prędicamentali. Sicut nec ęquale & inęquale amplè sumptum, erat proprium quantitati prędicamentali. sed est commune & alijs prędicamentis. *Qualitas est, secundùm quã res dicuntur similes & dissimiles.*

QVÆSTIO VIGESIMAPRIMA.

De reliquis sex Prædicamentis.

IN hac vna quæstione hæc omnia simul prædicamenta coniungimus. Tum quia Arist. de illis breuissimè agit, in vno capite de agere & pati, in alio de alijs quatuor. Tum quia & nos illa breuiter expediemus, Imo à quibusdam penitus omittuntur. Tum quia etiam nonnihil communiter de omnibus ijs prædicamentis agemus. Porrò ad supplendum tractatum Aristot. appositus est hoc loco tractatus cuiusdam Gilberti Porretani, qui de sex principijs inscribitur, in quo videlicet de his sex prædicamentis agitur, ex quo tractatu & aliqua desumemus. Sunt autem hæc sex prædicamẽta, Actio, Passio, Vbi, Situs, Quando, & Habere.



SECTIO

SECTIO PRIMA.

De ijs sex Prædicamentis in communi.

VArij Auctores excogitarunt aliquam rationem communem omnibus his sex prędicamentis: quorum sententias recensere & examinare debemus: & si quæ verè ratio communis inueniatur, determinare.

Prima sententia. Primò S. Thom. 3. Physic. lect. 5. par. 9. & 5. Metaph. lect. 9. part. 3. satis apertè significauit, hæc prædicamenta esse denominationes extrinsecas, siuè sumi à formis extrinsecis denominantibus res quibus nō verè insunt. quæ etiam videtur sententia Gilbert. cap. 1. in fine, vbi distinguit ea quæ extrinsecùs contingunt ab ijs quæ intrinsecùs se habent: & illa distribuit in sex principia. Et ita hanc sententiam defendunt Heru. Quodl. 1. quæst. 9 Iauel. 5. Metaph. quæst. 23. Sotus hîc & in Antepred. cap. 4. quæst. 2. Tolet. in Prædicam. quando, & in Postprædicam. quæst. 1. Fons. 5. Metap. cap. 15. quæst. 7. sect. 3. & alij. Sic actionem esse formam quæ fit & denominat agens, vbi esse locum, quando esse tempus, prout extrinsecè denominat rem locatam, rem durantem.

Secunda sententia. Secundò. Scotus in 3. dist. 1. quæst. 1. in 4. d. 13. quæst. 1. & Quodl. 11. art. 4. docet, sex vltima prædicamenta esse relationes quas vocat extrinsecùs aduenientes: Vnde supponit esse intrinsecùs inhærentes: & distinguit à prædicamento relationis, quod constituit in relationibus quas vocat intrinsecùs aduenientes. Hanc sententiam defendūt Louanienses hîc, & in re tenent Paul. Venet. 5. Metaph. cap. 36. & quidam alij, qui volunt quidem esse respectus, non tamen appellant respectus extrinsecùs aduenientes. Sic actionem esse respectum agentis ad effectum vel ad passum, vbi esse respectum locati ad locum, & sic de alijs.

Tertia sententia. Tertiò. Capreol. in 2. d. 2. quæst. 1. ad argumenta, & similiter d. 6. asserit, sex vltima prædicamenta, nec omnino esse absoluta, nec omnino esse respectus: sed dicere absolutū cū respectu. Hanc sententiam defendit Soncin 5. Metaph. quæst. 36. & sequentibus; qui explicat quæst. 40. formam absolutam esse extrinsecam, vt dicebat prima sententia; & quæst. 41. art. 1. explicat, respectum non esse de prædicamento relationis: reddit verò rationem, quia fundatur in relatione prædicamentali, quam dicit ad illum respectum supponi. Itaque iuxta hanc sententiam, actio est forma quæ fit, addito respectu agentis ad ipsum effectum, vel ad passum: vbi est locus, addito respectu ad locatum: & sic de alijs. Sequitur Masius quæst. 1. de Sex prædicam.

Quarta sententia. Quartò. Dixerunt aliqui, hæc prædicamenta esse entia quædam absoluta, siue modos intrinsecè inhærentes subiectis de quibus dicuntur: sicut quantitas & qualitas erant formæ accidentales absolutæ inherentes suis subiectis. Sic actionem esse modum quendam absolutum in agente, vbi in re locata, & sic de alijs. Aliqui verò id dixerunt de solis quinque prædicamentis, exclusa scilicet actione: vt refert Fons. quæst. cit. sect. 4. in fine.

Quinta sententia. Quintò. Aliqui coniungentes quodammodo omnes superiores dicendi modos, asserunt, hæc prædicamenta esse modos quosdam absolutos intrinsecos subiecto, simul cum respectu ad aliquid extrinsecum, & cum denominatione extrinseca ab illo. Ita tenet Ruuius in quæst. generali pro vltimis prædicamentis, & ait ita tenere cæteros interpretes Aristot.

Reijciūtur omnes relatæ sententiæ. Veruntamen omnes hi modi dicendi non rectè assignant rationem communem his sex prędicamentis: nullaquè erat necessitas, vt inueniretur communis ratio horum prædicamentorum. Primus dicendi modus non est vniuersalis de omnibus. Nam aliqua dicunt modos intrinsecè afficientes subiectum, vt ex eorum tractatione constabit.

Secundus nec etiam est vniuersalis. Nam aliqua consistunt solùm in denominatione extrinseca, non in respectu intrinseco: vt etiam ex singulorum tractatione constabit. Et preterea si respectus extrinsecùs adueniens assignetur solùm his prædicamentis, verum non est: quia ita etiam multæ qualitates respiciunt essentialiter sua obiecta: vnio substantialis respicit essentialiter extrema: & in vniuersum in quolibet prędicamento, & supra

supra prędicamenta, inueniuntur respectus qui non sint de prędicamento relationis.

Tertius modus rem magis confundit, constituens prędicamentum ex re absoluta & respectu superaddito. & licèt dicat, absolutum importari in recto, respectum in obliquo: non sufficit: quia adhuc facit quid mixtum & compactum ex vtroque. Pręterea vel intelligitur respectus prędicamentalis: & sic non benè per talem respectum hęc alia prędicamenta constituuntur. Vel intelligitur alius respectus qui non sit de prędicamento ad aliquid: & sic non solùm non in omnibus inuenitur talis respectus, vt iam dictum est: sed in quibus inuenitur, potius debet per se assignari, & non faciendo vnum quid ex absoluto & respectiuo. Et pręsertim est prorsus falsum, quod dicebatur de respectu alio fundato in relationibus prędicamentalibus, & ideò non incluso in eodem relationis prędicamento. nam, nec esse neç intelligi potest talis alius respectus ad constituenda noua prædicamenta.

Quartus modus falsus est ex dictis. Quia nō in omnibus inuenitur forma inhærens, seu modus intrinsecus subiecto. Et in quibus inuenitur, non potest dici modus penitus absolutus, quasi nullo modo respiciens terminum: quinimo verè & essentialiter est respectus, vt ex eorum ratione constabit.

Quintus modus in se simul inuoluit omnes difficultates adductas: & præterea conficit vnum quid ex aggregatione illa & coniunctione: nec sanè solet tradi ab Interpretibus Aristot.

Nō est necessarium assignare rationem communē ijs prædicamentis. Deinde necesse non erat, inuenire rationem aliquam communem peculiariter his prædicamentis, ijsquè adæquatam. Non enim id requirebatur ad coordinationem ipsorum prædicamentorum in se: quia hæc coordinatio incipit à generibus generalissimis singulorum. Neque ad distinctionem illorum ab alijs prędicamentis: quia satis poterant singula per proprias rationes distingui. Neque ad tradendam sufficientiam decem prædicamentorum: nam neque ijs modis rectè traditur: nec oportebat talibus modis tradi. Neque demum ex eo quòd hæc sint vltima sex prædicamenta: non enim ideò dicuntur talia, vel ideò talem locum sortita sunt, quòd haberent rationem aliquam peculiariter sibi communem: sed quia ita commodius ad rectum ordinem visum est.

Non tamē est inconueniēs assignare. Aliqui vlterius arguūt ad probandum, non posse dari rationem communem omnibus his prædicamentis, præsertim ad probandum contra Scot. non debere dici hæc prædicamenta esse relationes extrinsecùs aduenientes: quoniam si conueniunt in aliqua ratione communi, non essent prædicamenta distincta, sed potius deberet vnum prædicamentum ex ijs omnibus confici: imò insuper vnum prædicamentum & ex ijs & ex relationibus intrinsecùs aduenientibus. Sed tamen hoc argumentum militat etiam contra eosdem qui illo vtuntur. Nam si non eo modo quo Scot. tamen alio modo assignant rationem communem his prædicamentis: & in eorum sententia potest quæri, cur non constituatur vnum prædicamentum ex omnibus relationibus secundùm dici, vel vt ab alijs vocantur transcendentalibus: aut etiam vnum ex omnibus prorsus relationibus: siue vnum prædicamentum ex omnibus ijs denominationibus extrinsecis: siue alio modo, quo assignabatur ratio cōmunis his prędicamentis.

Fateri ergo oportet, non esse ex hac parte contra distinctionem prædicamentorum, si conueniant in prędicatis aliquibus ad plura communibus: sicut accidens est commune ad omnia nouem prædicamenta, & alia inueniuntur huiusmodi prædicata: sed ideò hæc dicuntur transcendentia, quia sunt communia & superiora pluribus prædicamentis. Meritò autem factum est, vt non obstante tali conuenientia, plura prædicamenta distributa sint, in quorum singulis dantur sua genera summa prædicamentalia. De qua re satis egimus antea de prædicamentis in communi.

Aliquo modo assignatur. Itaque alio modo potest assignari conuenientia quædā inter hęc prædicamenta, simul etiam cum prædicamento relationis: vt notauit Aureolus in primo dist. 40. parte prima articulo tertio. nimirum quòd omnia hæc exigunt duo quædam, inter quæ quodammodo dicantur,

Non

Non autem intelliguntur duo, quorum vnum sit forma accidentalis, alterum sit subiectum eius; hoc enim est commune alijs accidentibus: sed duo tanquam extrema, inter quæ ipsa prædicamenta dicantur. Sic patet inductione. Relatio dicitur inter subiectum & terminum: Actio inter agens et effectum seu passum: Passio inter subiectum & formã seu agẽs: Vbi & situs inter locatũ & locum: Quãdo inter rem & tempus: Habere inter corpus & vestem.

Addi tamen debet, etiam quædam ex alijs prædicamentis in hoc conuenire: v. g. habitus, & aliæ qualitates, quæ dicunt ordinem ad obiectum extrinsecum. Nam proprijssimè exigunt duo, & versantur inter duo, vt patet. Neque etiam vno eodemquè modo omnia sex prædicamenta dicuntur inter duo extrema: sed alia dicuntur magis propriè ratione alicuius modi superadditi ipsis rebus, existẽtis in vna re tanquam in subiecto, & attingentis alteram tanquam terminum: alia dicuntur solùm per modum denominationis extrinsecæ sumptæ ex ipsismet rebus: vt ex singulorum tractatione constabit.

SECTIO SECVNDA.

De Prædicamento Actionis.

Qvamuis in capite 5. Antepræclicam. Aristot. enumerans prædicamenta, actionem & passionem vltimo loco posuerit: tamen in tractatione priùs de ipsis agit quàm de reliquis. Eundem ordinem Gilbertus seruat. Et nos seruandum putamus.

Actio definitur à Gilberto. Primò ergo. Actionem definit Gilbertus, *Secundùm quam in id quod subijcitur agere dicimur.* Qui modus definiendi imitatur illum quo Arist. qualitatem explicauerat. Aliqui verò hanc definitionem tanquam nimis arctam reijciunt. Tũ quia conuenit solùm actionibus transeuntibus quæ scilicet exercentur in subiecto alio ab agente. Tum quia conuenit solùm actionibus quæ præsupponunt præuium subiectum. At etiam actiones immanentes, & creatio quæ non est ex præsupposito subiecto, debent in hoc prædicamẽto collocari, & in communi actionis definitione comprehendi. Defendi tamen potest definitio, dicendo: non oportere intelligi in id quod subijcitur distinctum ab ipso agente; sed siue sit distinctum, siue idemmet sit quod exercet actionem, & quod subijcitur actioni, & ita definitionem complecti saltem omnes actiones quæ in subiecto aliquo exercentur. Creationem autem non esse actionem de hoc prædicamento: & ideò debere non comprehendi in definitione. Quod etiã iuxta multorum sententiam dici debet de actionibus immanentibus vitalibus, vt infra attingemus.

Clariùs explicatur. Si autem citra has quæstiones, & clariùs actionem definire velimus, dici poterit: actio est actus accidentalis per quem formaliter causa effectiua suũ producit effectum. Dicitur actus accidentalis, tanquam primum genus: & intelligi debet quòd ipsimet agenti & effectui qui producitur sit accidentalis, sit nempè extra essentiam eius. Per quod excluditur creatio, & actio vitalis, si dicatur esse essentialis rei quæ producitur, atque adeò reponi debeat in eodẽ prædicamẽto rei, & non in hoc actionis: si autẽ dicatur esse accidentalis ad instar aliarum actionum: sic continetur in hoc prædicamento, & includitur in definitione. Dum etiam dicitur actus per quem formaliter: distinguitur à potẽtia agentis, & ab omni forma, quæ se habet per modum principij ad agendum, & dicitur actus primus, qui supponitur antecedenter ad actionem, nec per illum formaliter dicitur causa agere, sed dicitur actiua seu potens agere. Dum item dicitur per quẽ causa effectiua producit effectum; distinguitur actio ab omni alia causalitate, & in specie à passione, quæ dicitur de subiecto recipiente formam. Neque conuenit hic fusiùs de actionis ratione tractare: & præsertim determinare, an actio sit intrinsecè in agente, vel tantùm denominet extrinsecè: aliaquè philosophica sunt.

Num omnis actio sit productio termini. Solũ oportet determinare & explicare magis, quænam actio in hoc prædicamẽto collocetur, vt etiam plura actionis genera & species distinguantur.

Secundò ergo. Aliqui distinguunt duplicem actionem. Vnam, quæ verè est productio termini qui fit per ipsam actionẽ; vt

vt se habet calefactio ad calorem, generatio ad substantiam. Alteram quæ solùm attingat obiectum per modum tendentiæ, etiam si illud in suo esse supponat: vt se habet visio ad colorem, & in vniuersum omnis actus cognitionis & appetitionis ad obiectum. Et vtramquè volunt in hoc prædicaméto reponi. Quoniam hi actus dicuntur etiam actiones, actio videndi, actio intelligendi: & ita dicitur intellectio, volitio; sicut generatio, calefactio. Atque Aristot. in cap. de Agere & pati, inter species horum prædicamétorum posuit non solum calefacere & frigefacere, calefieri & frigefieri: sed etiam delectari & tristari.

Omnis actio prædicamentalis est productio termini. Asserendum tamen est, solam actionem quæ est productio sui termini quem attingit, sub hac includendo etiam conseruationem, quæ est quædam continuata productio, quando res dependet à causa effectiua non solùm in fieri sed etiam in conseruari; esse illam quæ hoc prædicamentum constituit. Atque adeò illum actum qui se habet per modum tendentiæ ad obiectum, non spectare secundùm hanc rationem ad hoc prædicamentum, sed potius ad prędicamentum qualitatis. Hæc est magis communis sententia.

Probatur primò. Et patet primò: quia longè diuersa ratio est actionis quæ est productio, atq. illius actus siue dicatur actionis quæ non est productio. Illa enim solùm est per quam causa dicitur agens & agere, agere scilicet siue facere illud quod per talem actionem attingitur: ignis per calefactionem dicitur agere & efficere calorem, per generationem alium ignem: at oculus videns colorem, mens intelligens aut appetens obiectum, non vtique dicitur illud agere seu efficere: sed tantùm attingere, cognoscere, aut appetere. Igitur penes solam actionem productionis intelligitur actio, quæ definiebatur secundùm quam agere dicimur: & actio prædicamentalis non est nisi productio termini.

Probatur secundò. Secundò. Sola actio productiua, est transitus, est via ad effectum, non est forma in se ipsa sistens in essendo: Actus autem cognitionis erga obiectum, est forma in se sistens in essendo, non est via ad ponendum ipsum obiectum in rerum natura. At per hanc differentiam quæst. præced. sect. 1. distinximus qualitatem & actionem: actus ergo qui tendunt ad obiectum, non debent secundùm hanc rationem poni in hoc actionis prædicamento, sed ad prędicamentum qualitatis potius pertinebant.

Tertiò. Tertiò. Si in eliciendis actibus vitalibus dicatur distingui effectus quidam seu terminus productus, qui in intellectione appellatur imago expressa obiecti ac verbum mẽtis; & actio seu productio, per quam talis terminus fiat: Vtique ipse terminus non est de prędicamento actionis, sed qualitatis: Actio autem quæ ab illo distinguitur erit maximè de prędicamento actionis: tamen in toto rigore secundùm rationem productionis, vt nos intendimus. Si autem non dicatur distingui in ijs actibus terminus productus & actio productionis. Sic etiam ipse actus non debet secundùm respectum tendentiæ ad obiectum cognitum vel amatum poni in prædicamento actionis. nam hunc respectum tendentiæ pariter haberet, si fieret per actionem distinctam: & tamen tunc omnibus fatentibus non poneretur in prædicamento actionis. Planè ergo talis respectus tendentiæ ad obiectum non sufficit ad actionem prædicamentalem: sed omnino spectat ad prædicamentum qualitatis. Quòd si dicatur poni in prædicamento actionis secundùm rationem emanationis à sua potentia. Iam sic poneretur secundum rationem productionis, & per respectum ad causam producentem, non per respectum tendentiæ ad obiectum. Sed etiam si non haberet hunc respectum tendentiæ, haberet autem respectum emanationis à sua causa: pariter dici deberet poni in prædicamento actionis. Hoc autem spectat ad conclusionem sequentem.

Quartò. Quartò. Respectū tendentię ad obiectum habent, non solùm ipsi actus, sed etiam habitus, ac species intentionales: & tamen non propterea ponuntur in prædicamento actionis, sed nullo dubitante ponebantur in prædicamento qualitatis. Si tamen in ijs consideretur actio seu productio qua fiunt: ad summum hęc actio secundùm rationem productionis dici potest poni in hoc prędicamento. Ergo omnino respectus ille tendentiæ ad obiectum, non collocat actus in prædicamen-

Quinto. dicamento actionis, sed qualitatis.

Quintò demum. Quia tota dispositio & distinctio prædicamentorum facta est secundùm varias conuenientias & discrimina rerum: non negabimus, ex vna parte posse considerari conuenientiam quandam in ratione tendentiæ, inter actus qui terminantur ad aliud per modum obiecti, & actiones per quas producuntur effectus. Sed ex altera parte manifesta est etiam conuenientia illorum actuum cum alijs qualitatibus in ratione formæ, quæ in se sistit in essendo, & non est via qua fiat aliud. Vnde tota difficultas deuoluitur ad modum quo debeant hæc prædicamenta designari: vt tales actus, vel in actionis, vel qualitatis prædicamento collocentur. Sed certè potior est conuenientia illa in ratione formæ, & commodior ad dispositionem prædicamentorum. Debet igitur genus generalissimum qualitatis ita designari, vt sub illo contineantur omnes illæ formæ, etiam quæ consistunt in actuali tendentia ad aliquod obiectum: genus verò generalissimum actionis solùm pro actione quæ est via & productio; sub quo non contineantur illi actus seundùm rationem tendentiæ ad obiectum.

Ad fundamentum oppositæ sententiæ & ad Aristot. dicendum est. Vel in actibus vitalibus interuenire actionem, quæ sit verè productio, & ratione cuius in hoc prædicamento ponantur. Vel, si neque hoc admittatur, respondebitur conclusione sequenti.

Num omnis actio distinguatur à termino. Tertiò vlterius. De actione productiua distinguendum est, dupliciter posse intelligi, effectum produci à sua causa. Vel per actionem quandam distinctam, & mediam inter causam & effectum: quo modo fiunt saltem illę res quę permanent post quam factæ sunt non perseuerante ipsa actione. Vel per actionem seu dependentiam indistinctam ab ipsis rebus: quo pacto celebris sententia est, creationem non esse actionem mediam inter Deum & creaturam: atque similis sententia est de emanatione actuum vitalium à sua causa. Aliqui ergo volunt, non solùm actionem distinctam à rebus, sed etiam indistinctam & essentialem rebus, poni in hoc actionis prædicamento. Et niti potest hæc sententia eidem fundamento sententiæ modò impugnatæ. Addi potest, licet dependentia dicatur essentialis effectui: tamen accidentaliter & extrinsecè denominat agens, vt patet: ergo secundùm hanc rationem potest & debet poni in hoc prædicamento.

Asserendum tamen est, solam actionem distinctam à rebus constituere hoc prædicamentum: si quæ verò actio sit dependentia essentialis ipsis rebus & indistincta, poni formaliter in prædicamento earundem rerum. In hac conclusione non determinamus, an & quæ sit actio indistincta à rebus: non enim hoc est huius loci: sed loquimur tantùm sub conditione. Probatur assertio: quia si quæ actio sit indistincta à rebus, est dependentia essentialis effectui, sicut sunt alia prædicata essentialia, & se habet tanquam differentia constitutiua talis essentiæ: ergo omnino debet in eodem prædicamento rei collocari, & non in alio. Quod eadem prorsus ratione hic dicendum est, qua antea iam diximus respectus essentiales rebus non spectare ad prædicamentum relationis, nec posse diuelli à prædicamentis earundem rerum. Imo talis dependentia indistincta à rebus, planè est quidam ordo & respectus essentialis rerum ad suas causas. Ideo dicebamus, actionem definiri debere actum accidentalem: vt supra explicauimus. *Omnis actio prædicamentalis distinguitur à termino.*

Itaque iuxta sententiam non distinguentem creationem a rebus, creatio non ponitur in hoc actionis prædicamento. Sed si assignetur ex parte Dei, in nullo ponetur. Si assignetur ex parte rerum, vt ex parte substantiæ quæ creatur, ponitur in eodem prædicamento substantię. Similiter in actibus vitalibus si non distinguantur actio & terminus: sed intellectio v. g. dicatur esse quædam simplex forma per se ipsam emanans & essentialiter dependens à potentia intellectiua: sic nihil erit in his actibus quod in hoc actionis prædicamento ponatur: sed totum concludetur in prædicamento Qualitatis.

Excluduntur actiones non prædicamentales. Iuxta hanc verò sententiam Ad fundamentum illud dicendum est, actus vitales vocari actiones, & habere vocabula similia alijs actionibus: non tamen esse actiones prædicamentales. Sicut non omnes formæ quæ vocantur relationes, & habent vocabula similia alijs relationibus,

nibus, sunt relationes prædicamentales. Vnde dici solet illas esse actiones nomine, non re: & ad hoc denotandum, cõsuerunt est, illas appellari actiones grammaticales: quia sicut grammatico more appellantur verba actiua, ita significata talium verborum appellantur actiones. Ad Aristot. verò dici potest, adduxisse illa exempla solùm ad designandam contrarietatem inter actiones: contrarietas autem verè inuenitur inter actus gaudij & tristitiæ, & sic inuenitur etiam inter veras actiones. Nec in exemplis requiri omnimodam veritatem: & sic non oportere illos & alios actus vitales in hoc actionis prædicamento reponi.

Ad id quod addebatur dicendum est, non in alio prædicamento reponi denominationem qua causa denominatur agere, ab illo in quo ponitur ipsa actio, & in quo ponitur denominatio qua effectus dicitur agi seu produci: sicut non in alio prædicamẽto ponitur denominatio visi in pariete, & in vniuersum cogniti, & amati in obiecto, ab illo in quo ponuntur ipsi actus, & denominationes quas tribuunt suis subiectis.

Non solũ actio successiua, sed etiam instantanea, est de hoc prædicamento. Quartò deinde ex aduerso Soncin. 9. Met. q. 21. nimis coarctans hoc prædicamentum, docet, solas actiones successiuas, quæ fiunt in tempore, esse in hoc prædicamento. Et excludit omnes actiones instantaneas, etiam illuminationem. Probat quia Aristot. 3. Physic. text. 19. docet, actionem esse motum: motus autem est successiuus ex doctrina eiusdem.

Certum tamen esse debet, non requiri successionem ad actionem prædicamentalem, sed ex hac parte etiam instantaneas actiones optimè posse in hoc prædicamento collocari. Probatur quia si detur talis actio distincta à termino, quæ sit vera productio eius: vtique non in alio prædicamento potest collocari: & licèt fiat in instanti, habet planè tantam conuenientiam cum actione successiua, vt omnino debeat in eodem prædicamento collocari. Neque genus generalissimum huius prædicamenti debet assignari sola actio successiua. Itaque si illuminatio sit actio distincta à lumine quod producitur, omnino in hoc prędicamento collocatur: sicut si calor produceretur in instanti; tunc non minus calefactio poneretur in hoc prędicamento, quàm de facto dum est successiua in tempore. Nec potest in alio prædicamento talis actio instantanea collocari. Non enim magis potest trahi ad prædicamentum sui termini, quàm possit actio successiua: quia nihil ad hoc referr differentia instantanei & successiui.

Ad Aristor. verò dicendum est, vel non esse loquutum de omni actione; vel ibi non sumpsisse motum pro eo qui successiuus est; sed potius prout complectitur etiam mutationem, quomodo sæpiùs motum sumit.

Quintò. Idem Soncin. ibidem contendit, solas actiones transeuntes, id est quæ exercentur in subiecto distincto ab ipso agente, vt cùm ignis calefacit lignum; non verò actiones immanentes, id est quæ exercentur ad intra in eodem agente; spectare ad hoc prædicamentum. *Nõ solùm actio transiens, sed etiam immanens.* Fundari potest pręcipuè in Aristot. qui lib. 5. Metaph. text. 17. definit potentiam actiuam, quæ est principium transmutandi alterum inquantum alterum: sed actio prædicamentalis adæquatur cum potentia actiua: ergo sola actio transiens in subiectum alterum ab agente, est actio prædicamentalis. Addit Masius quæst. 2. de Sex prædicam. quia actio prædicamentalis dicit essentialiter motum, & infert passionem: hæc autem sunt propria actioni transeunti. Alij magis communiter docere solent, etiam actiones immanentes in hoc prędicamento collocari: & aliqui quidem non distinguunt, alij verò distinguunt, tales actiones à terminis productis, quos in prædicamento constituunt qualitatis. Vnde Sanc. quæst. 67. docet, easdem actiones immanentes poni in prædicamento actionis quatenus constituunt causam operantem, & in prædicam. qualitatis quatenus disponunt subiectum.

Sed quia hoc non est modò examinandum: dicendum tantùm est. Si non distinguantur, non collocari: si distinguantur, omnino collocari in hoc prędicamento. Prima pars patet ex dictis. nec enim actus immanentes sunt actiones prædicamentales per respectum ad obiectum, quod per eas non producitur: nec per rationem illius dependentiæ quæ est essentialis termino qui producitur: vt satis probatum manet. Nec dici potest pertinere simul ad prædicamentum actionis &

quali-

qualitatis, per duas illas considerationes allatas. Nam sic quæcunque alia accidentia aliorum prædicamentorum possent ijs modis considerari, & quatenus talia sunt in se, & quatenus disponunt subiectum; atque adeò omnia pertinerent ad prædicamentum qualitatis, & ad plura simul prædicamenta. Neque illo modo possunt res horum prædicamentorum distingui, vt satis patet ex dictis.

Secunda pars patet facilè. Quia sic nihil obstat, quominus tales actiones sint verè de hoc prædicamento, nihilque eis præiudicat quòd sint immanentes: nec possent ad alia prædicamenta trahi: sed in communi actio productiua termini distincti, dici debet genus generalissimum in hoc prædicamento. Vnde si saltem in quibusdam actibus immanentibus distinguatur actio á termino, videlicet cùm aqua reducit se ad pristinum frigus, imo etiam in actu nutritionis, & alijs actibus vitalibus partis vegetatiuæ: sic inquam, debet talis actio in hoc prędicamēto collocari.

Ad locum verò illum Aristotelis multi respondent, Philosophum ibi non definire omnem potentiam actiuam: nam planè etiam potentiæ operatiuæ ad intra, sunt verè actiuę: sed tantùm potentiam operatiuam ad extra: cum qua non oportet adęquari actionem prędicamentalem. Sed tamen obseruandum est, Aristotelem ipsum sub disiunctione dicere, potentiam esse principium mutationis in altero, vel prout alterum est. Et hanc secundam partem exemplo explicat: ars medendi potest esse in eodem homine qui sanatur, sed non prout sanatur. Itaque planè docet potentiam actiuam esse etiam respectu eiusdem, quod sit agens simul & patiens: & tunc potentia dicetur respicere pro subiecto in quod agit, idem agens quod agit; respicere tamen inquantum alterum, idest inquantum patiens. Hinc ergo potius colligitur, rationem immanentis non obstare veræ rationi actionis. Ad aliud argumentum dicendum, ad actionem prædicamentalem satis esse, si sit quoddam accidens distinctum à termino, quicquid sit de illis denõiationibus motus & passionis, de quibus sect. seq.

Sextò præterea, Suarez disputatione 48. sectione sexta opinatur, solas actiones quæ ad accidentia terminantur constituere hoc prædicamentum, excludendo non solùm creationem, sed etiam generationem quæ ad substantiam terminatur, & dicendo reduci ad prædicamentum substantiæ tanquam modum substantialem. Mouetur. quia actio communis ad accidentalem & substantialem, videtur potius analogum quid, quàm vniuocum. Tum quia Philosophi dicere solent, generationem dici analogicè de substantiali & accidentali. Et Aristoteles libro primo de Generatione, generationem substantiæ vocat generationem simpliciter, accidentium verò secundùm quid. Et sic loqui solet etiam S. Thomas. Tum ratione: quia actio est via ad esse: sed esse substantiæ, est esse simpliciter, accidentis secundùm quid; atque substantia & accidens conueniunt analogicè, non vniuocè: ergo sic se habent etiam actiones. *Non solùm accidentalis, sed etiam substantialis.*

Dicendum tamen est, Genus supremum huius prædicamenti esse actionem accidentali & substantiali communem; atque generationem substantialem verè in hoc prædicamento contineri. Hæc videtur communis sententia. Probatur. Tum quia generatio substantialis, supposito quòd a suo substãtiali termino distinguitur, est essentialiter accidens, sicut sunt alia accidentia quæ substantiæ conueniunt: nec est de constitutione intrinseca substantiæ. ac proinde non se habet, sicut quidam modi substantiales, vt modus subsistentiæ per quem constituitur suppositum, & modus vnionis per quem constituitur compositum. Non ergo in prædicamento substantiæ, sed in hoc actionis includitur. Tum quia non minorem connexionem habet productio cuiuscunque alterius rei, vt quantitatis & qualitatis, cum ipsa re, quàm generatio substantialis cum ipsa substantia: ergo vel omnis actio debet reduci ad prædicamentum sui termini; vel etiam generatio substantię in hoc actionis prędicamento ponitur. Tum etiam posset ad hominem contra Suarez inferri, etiam actiones quę terminantur ad varia prædicamenta, non conuenire vniuocè, sed analogicè: sicut ipsa

ſupponit conuenire ipſa prædicamenta; vnde tot alia prædicamenta actionum deberent diſtingui, quot ſunt prædicamenta rerum quæ per ipſas actiones fiunt.

Ad fundamentum ergo oppoſitum reſpondetur, actionem ſubſtantialem & accidentalem verè vniuocè conuenire. Modus autem ille loquendi circa nomen generationis, tantùm denotat rem dici generari ſimpliciter, quando ſubſtantialiter fit, & eandem ipſam rem dici generari ſecundùm quid, per additionem alicuius accidentis. Vt aqua dicitur ſimpliciter generari & fieri, quando de nouo fit: quando autem caleſit, dicitur generari ſecundùm quid, ideſt dicitur fieri calida. Similiter aliud eſt dicere, homo fit, atque homo fit doctus. At verò ipſum accidens, tàm ſimpliciter fit ſecundùm ſe, quàm fit ſubſtantia. Et ita patet ex ipſo Ariſtotele, Sancto Thoma, & alijs Philoſophis. Non ergo negatur conuenientia vniuoca inter vtràque actionem in ratione productionis. Diſtantia item eſſendi, & conuenientia quæ dicitur analogica inter ſubſtantiam & accidens, tantùm facit vt hæc ſint diſtincta genera actionum: non tamen oportet, vt tanta diſtantia ſit inter ipſas actiones, ſicut inter terminos; vt patet in actionibus terminatis ad alia prædicamenta; & in actibus intellectus, qui vniuocè conueniunt in ſuo genere, etiam ſi alij terminentur ad ſubſtantiam, alij ad accidentia; & vt patet etiam in relationibus inter varia prædicamenta. Nec eadem ratio analogiæ eſt inter actiones, quæ inter terminos; vt patet, ſi analogia inter ſubſtantiam & accidens explicetur per dependentiam; nam planè non eſt illa dependentia eſſentialis actionis ab actione, quæ eſt accidentis à ſubſtantia: & ſic etiam ſi alio modo aſſignetur analogia.

An creatio, & dependentia rerum à Deo, ſit de hoc prædicamento. Septimò. Specialiter de creatione, imo vniuerſaliter de dependentia rerum à Deo, ſiue ſint ſubſtantiæ ſiue accidentia, alij affirmant, alij negant in hoc prædicamento collocari. Sed de hoc ſentiendum putamus iuxta alia quæ dicta ſunt. Si creatio & hæc dependentia dicatur eſſe actio diſtincta à rebus, ſic pertinet ad hoc prædicamentum, Si autem dicatur indiſtincta & eſſentialis rebus, in iiſdem ipſarum rerum prædicamentis includitur. Quomodo autem hoc ſe habeat, non eſt huius loci diſcurrere.

Actionis diuiſiones & genera. Octauò. Ex his colligi poſſunt variæ diuiſiones, & ordinari genera ac ſpecies huius prædicamenti. Solet enim diuidi actio in illam quæ fit ex præſuppoſito ſubiecto, & dicitur eductio; & illam quæ fit independenter à ſubiecto, & dicitur creatio. Item in ſubſtantialem & accidentalem. Atque hæ rurſus diuiduntur iuxta varia genera accidentium & ſubſtantiarum. Præterea in tranſeuntem & immanentem, in ſucceſſiuam & inſtantaneam. An autem hæ omnes ſint diuiſiones actionis prædicamentalis, vel aliqua ſit actionis quæ vocari poteſt tranſcendentalis, ex iam dictis colligendum eſt.

Attributa & proprietates. Poſtremò. Duo attributa Ariſtoteles applicat actioni, videlicet habere contrarium, & recipere magis & minus. Aliam proprietatem addit Gilbertus, videlicet omnem actionem inferre paſſionem in ſubiecto. Significat etiam, omnem actionem coniungi cum motu: Et hæc quoque poteſt accipi tanquam alia proprietas actionis. Sed quia hæc ſunt communia paſſioni: de iis omnibus coniunctim agemus ſectione ſequenti.

SECTIO TERTIA.

De Prædicamento Paſſionis.

Paſſio definitur. IN primis Paſſionem definit Gilb. c. 3. *Eſt effectus & illatio actionis, ſecundùm quam hæc quidem patiuntur, magis; illa verò minus.* Vbi non debet intelligi, paſſionem eſſe propriè effectum actionis, ſicut calor eſt effectus ignis ſiue calefactionis. Sicut enim nomine actionis non intelligitur cauſa quæ agit, ſed actus agendi; ita nomine paſſionis non intelligitur effectus qui producitur, ſed formaliter actus patiendi. Dicitur ergo effectus actionis, quoniã concipitur quodammodo conſequi ad actionem; quia enim agens agit, concipitur paſſum pati. Deinde non oportet in definitione poni diſcri-

discrimen illud magis & minus patiendi: sicut non ponebatur in definitione actionis. Et multò minus valent exempla quæ Gilbertus apponit, brutum esse animantius arbore, & hominem bruto. Sed sufficienter potest passio definiri ad instar actionis & qualitatis: Est secundùm quam aliquid pati dicitur. Optimè autem definietur pari modo, quo de actione diximus: Est actus accidentalis quo subiectum recipit formam: Cuius definitionis sensus, partim ex dictis circa definitionem actionis, partim ex modò dicendis de ipsa passione, penitus dispicietur.

Passio dicitur respectu subiecti recipientis formam.

Secundò ergo. Aureolus in 1. dist. 30. parte prima artic. 3. propos. 1. explicat, passionem esse qua effectus ipse dicitur fieri & produci ab agente, & effectum ipsum esse passum: & ab actione distinguit secundùm considerationem: quia idem actus quatenus consideratur ex parte agentis producentis, est actio; quatenus verò ex parte effectus producti, est passio. Certum tamen est, passionem dici per ordinem ad subiectum in quo recipitur effectus & forma quæ producitur. Ita patet ex Aristotele tum hic, tum 3. Physic. & alibi: & ita omnes alij explicant. Et est manifestum, non solùm ex significato proprio passionis; sed ex re ipsa, quia agens producere effectum & effectum produci ab agẽte, debet pertinere ad vnum & idẽ prædicamẽtum: ad aliud verò debet pertinere, subiectum recipere formam & formam recipi in subiecto. Itaque passio & pati non dicitur hic secundùm acceptionem grammaticalem pro verbo passiuo: sed dicitur secundùm acceptionem philosophicam pro actu recipiendi: siue dicatur per modum verbi passiui, siue actiui. Sicut pariter actionis prædicamentum accipitur, siue dicatur per modum verbi actiui, siue passiui ex parte effectus qui producitur.

Tertiò. Aliqui videntur passionem explicare, non tantùm respectu subiecti verè recipientis formam; sed etiam respectu obiecti terminãtis actum: vt cùm dicimus obiectum sentiri, videri, intelligi. Sed certum est etiam, passionem prædicamentalem non dici respectu talis obiecti. Nã ad idem prædicamentum spectat videri, intelligi, ad quod spectat actus ipse videndi, intelligendi. Et si in ijs actibus dicatur inueniri passio prædicamentalis, solùm dicetur inueniri respectu subiecti sui, quatenus in illo exercentur: & eò magis si tales actus non dicunt actionem prædicamentalem, nec etiam dicent passionem.

Consistit solùm in fieri,

Quartò. Videri posset passio huius prędicamenti consistere, non solùm in fieri, dum v. g. ignis calefacit, & aqua calefit: sed etiam in facto esse quandiù forma inhæret & permanet in subiecto: ita vt hic modus inhęrentiæ sit de prædicamento passionis. Sicut quando agens cõseruat effectum productum, vt patet in lumine; si prima productio, etiam tota conseruatio, est de prædicamento actionis. Dicendum tamen est, passionem prædicamentalem consistere solùm in fieri. Ita planè supponit Aristot. hic & 3. Physic. & alij omnes. Passio enim inseparabiliter cum actione coniungitur: nec vnquam extat passio huius prædicamenti, sine actione. Modus autem ille inhærentiæ, non in hoc, vel in alio certo prædicamento concluditur. Sed cùm inhęrentia sit ratio vniuersalis accidentium, est quid transcendens, & simul cum ipsa ratione accidentis in varia prædicamenta diuiditur. Et præsertim dum prædicamenta accidentium disponuntur in concreto, inuoluitur ipsa actualis inhęrentia in subiecto, vt notauimus quæstione decimasexta sectione quinta ad finem. Quia modus inhęrentiæ est de intrinseca constitutione ipsius concreti, sicut modus vnionis est de intrinseca constitutione compositi substantialis. Vnde etiam denominatio formæ afficientis & actuantis subiectum, non constituit peculiare prædicamentum. Sicut ergo non datur quoddam prędicamentum informationis: ita non datur prædicamentum passionis pro huiusmodi inhærentia. Ad exemplum verò allatũ actionis, fatemur vltrò, quãdo effectus dependet etiam in conseruari à suo agente, & tota conseruatio est de prædicamento actionis: tunc pariter talẽ actũ conseruationis spectare ex parte subiecti ad prædicamentum passionis. Sed hoc totum dicimus in fieri: quia nunc nõ distinguimus fieri à conseruari. Sed solũ dicimus illam inhęrentiam quæ conuenit

formæ etiam sublata actione & conseruatione agentis, non esse passionem huius prædicamenti.

Conuenit intrinsecè subiecto. Quintò vlteriùs Fonseca quinto Metaphysic. capite 15. quæstione septima sectione quinta ad 2. ait, passionem interdum dici intrinsecè de subiecto, quando videlicet per actionem producitur forma intrinseca subiecto, vt quantitas, qualitas: interdum verò dici extrinsecè, quando scilicet producitur forma extrinseca, vt locus: & hoc modo serui dicuntur pati vincula, milites arma, & vasa aurum quando deaurantur. At potius supponendum est, nunquam dari actionem, qua non producatur forma aliqua intrinseca subiecto. Loquimur enim de actione distincta à creatione. Vnde etiam in motu locali non acquiritur sola forma extrinseca loci, sed per se acquiritur modus præsentiæ localis, vt dicemus sect. sequenti. Hinc ergo sequitur, passionem huius prædicamenti dici intrinsecè de subiecto. Denominationes autem illæ extrinsecæ, remittendæ sunt ad prædicamentum habitus, vt in illo constabit. At verò Sanctus Thomas Opusc. 48. tract. de Passione cap. 2. defendere volens, omnia sex vltima prædicamenta constitui per formas & denominationes extrinsecas: hoc explicat etiam de passione, dicens, passionem accipi secundùm denominationem passi ab agente, quod extrinsecum est. Sed manifestum est, actum ipsum passionis esse intrinsecè in patiente, & illud denominare, cum respectu tamē ad extrinsecum, nempè ad agens: & ita Sanctus Thomas ibi ait, passio extrinsecè denominat subiectum, vel dicit respectum ab extrinseco.

Adæquatur cum actione prædicamentali. Sextò, addendum à nobis est ex dictis sect. præced. illam solam passionem cōstituere hoc prædicamentum: quæ distincta est, tàm à forma quæ fit & recipitur in subiecto, quàm ab ipso subiecto. Alioqui enim non est actus accidentalis. Sed quia omnis forma quæ fit, pertinet ad certum suum prædicamentum: si actus quo talis forma fit & recipitur in subiecto, non sit ab illa distinctus; prorsus includetur in eodem prædicamento ipsius formæ. Vnde quia tunc solùm inuenitur talis passio distincta, quando inuenitur actio distincta: concludendum est, in illis tantùm actibus, in quibus concedebamus actionem prædicamentalem, reperiri etiam passionem huius prædicamenti. Et consequenter illas diuisiones, illaquè genera & species quæ actioni tribuuntur, pari proportione debere tribui passioni ad coordinationem totius prædicamenti.

Quo passio distinguatur ab actione. Septimò deinde est in hac re quædam præcipua difficultas, quomodo actio & passio distinguantur. Communior sententia docet, non distingui à parte rei, sed tantùm ratione; ita vt idem actus sit, quo forma fiat ab agente & recipiatur in passo: sed quatenus consideratur ex parte agentis, dicatur actio; quatenus ex parte subiecti, dicatur passio. Et videtur planè ita docuisse Aristoteles tertio Physic. textu 18. & sequen. vbi affert exemplum viæ, quæ eadē cùm sit, dicitur accliuis à parte inferiori ad superiorem, dicitur decliuis à parte superiori ad inferiorem. Sed quod attinet ad rem ipsam, hoc erit in Philosophia examinandum. Nunc satis sit, distinctionem hanc rationis sufficere ad distinctionem prædicamentalem, vt diximus antea de prædicamentis in communi.

Quomodo distinguantur hæc duo prædicamenta, & includant motum. Octauò. Alia difficultas est, quia esto actio & passio sint duo genera inter se distincta, tamen videntur conuenire in quodam conceptu sibi essentiali & adæquato, nempè in ratione viæ & transitus: vnde deberent potius sub vno generalissimo in vno prædicamento concludi. Vel, si hæc sunt duo prædicamenta, deberet addi aliud tertium prædicamentum, nempè motus. Nam Aristoteles tertio Physicorum, hæc tria pariter assignat, motum, actionem, & passionem, & hic in Postprædicam. distinctè agit de motu.

Plotinus libro tertio de Generibus entis, vult actioni & passioni genus commune esse motum per modum vnius prædicamenti. Peripatetici defendunt, illa esse duo prædicamenta; & motum non esse ab ijs distinctum. Et vt plurimùm solent motum cum passione cōfundere. Sed non oportet circa hoc nimium laborare. Et concedendum est, cogitari posse rationem actioni passioniquè communem: sed commodius visum esse, distinctè connumerare hæc duo prædicamenta,

iuxta

iuxta ea quæ diximus de prædicamentis in communi. Motus autem vel cum passione coincidit. Vel si sumatur pro dicto conceptu communi actioni & passioni, non assignatur vt vnum prædicamentum, sed vt prædicatum commune duobus. Vel præsertim motus se habet ad instar partis intrinsecæ tàm actioni quàm passioni, & veluti ad modum subiecti: intelligendo nomine motus præcisè ordinem viæ ad terminũ; & eidem viæ addendo ordinem agentis sub nomine actionis; & ordinem subiecti sub nomine passionis. Et sic motus ad vtrunque prædicamentum reducitur. Ideòque Aristoteles de motu agit extra prædicamenta, tanquam de re non affixa vni, sed spectante ad plura prædicamenta.

Attributa passionis cum actione ex Aristot. Postremò. Duo attributa quæ Aristoteles passioni communiter cum actione attribuit, facilia sunt. Aliquæ enim, non omnes actiones & passiones, habent contrarium, & suscipiunt magis & minus: illæ videlicet quæ attingunt terminos contrarios, & qui suscipiunt magis & minus. Itaque hæc attributa actioni & passioni conueniunt ratione terminorum. Sed præterea videri possunt, aliquo modo etiam per se ijs conuenire. Nam aliqui volunt, actiones ita esse contrarias; vt etiam si earum termini, v. g. calor & frigus, possint in gradibus remissis coexistere simul; tamen nullatenus possit idem subiectum calefieri simul & frigiferi. Sed de hoc agemus in Physicis.

Item potest actio secundùm se velocius aut tardius exerceri. vt fieri potest, æqualem calorem velocius produci in vno quam in alio subiecto: atque motus localis. potest esse velox aut tardus, quamuis terminus ipsius motus non suscipiat magis & minus. Sed tamen hæ affectiones velocitatis & tarditatis, non consistunt in intensione & remissione, eo sensu quo propriè dicitur res suscipere magis & minus: sed potius se habent sicut densitas & raritas in magnitudine: & conueniunt motui; quatenus dicenti rationem quantitatis successiuæ. Itaque hæc potest assignari tanquam peculiaris proprietas actionis & passionis successiuæ, scilicet esse capacem velocitatis & tarditatis, sicut magnitudo est capax densitatis & raritatis.

Aliam proprietatem Gilbertus tribuebat actioni, scilicet secum ferre passionem: quæ & assignari potest ex parte passionis, scilicet semper inferri ex actione. Alia demum proprietas sumi poterat actioni & passioni communis, semper esse cum motu. Illam proprietatem multi impugnant. quia non omnis actio secum fert passionem: creatio enim quæ non fit ex subiecto, non affert passionem. Defendi tamen potest hæc proprietas, si creatio dicatur non esse actio prædicamentalis. Aut saltem de illo genere actionis, quod fit ex præsupposito subiecto, ea proprietas adæquatè verificatur. Ex parte autem passionis perspicuum est, omnem passionem inferri ex actione. Quoad alteram verò proprietatem de coniunctione cum motu, res dependet ex varia explicatione motus. Si enim motus amplè accipiatur pro omni productione alicuius formæ in subiecto: sic motus inuenitur in omni actione & passione. Si autem accipiatur solùm pro fluxu successiuo, & a mutatione instantanea distinguatur: sic inuenitur non simpliciter in omni actione & passione, sed tantùm in successiua. Pariter si accipiatur physicè prout in rebus naturalibus & corporeis exercetur: sic in omni actione & passione physica, siue rerum materialium, inuenitur. *Proprietates ex Gilberto.*

SECTIO QVARTA.

De Prædicamento Vbi.

INter Vbi & Quando arbitrarius ordo esse potest. Vbi enim dicitur quoad locum, & Quando quoad tempus. Gilbertus quidem agit priùs de Quando. Aristoteles in Anteprædicamen. capite 5. priùs nominat Vbi. Et hic ordo magis nobis arridet: præsertim quia dicemus, Vbi importare veram & nouam formam realem intrinsecam subiecto; non item Quando.

Vbi definitur. In primis. Vbi ab Arist. solũ per exempla explicatur: *Esse in Lycio, in foro* A Gilberto definitur: *Est circumscriptio corporis à circumscriptione loci proueniens.*

Quæ definitio non solùm obscura est: sed etiam diminuta, si non solùm vbi circumscriptiuum corporum in hoc prædicamẽto ponatur, vt dicemus. Meliùs definiri potest abstrahendo à quæstionibus quas modò attingemus: est denominatio essendi in loco, vel est forma accidentalis qua res constituitur in loco. Sed iam aliquantò magis ratio ipsius Vbi inuestiganda est.

Variæ sententiæ de ratione ipsius Vbi.

Secundò ergo. Plures de ratione Vbi sententiæ extant. Aureol. in 1. d. 30. p. 1. art. 3. prop. 2. asserit, Vbi esse accidens derelictum in corpore locato ex contactu alterius corporis locantis; quia verò putat nihil reale ex hoc relinqui, ait esse aliquid rationis quod fit per intellectũ; quod idẽ propositione sequẽti affirmat de reliquis tribus prædicamentis. Plures sunt qui volunt, esse denominationem extrinsecam à loco in quo res esse dicitur, siue esse ipsum locum extrinsecè denominantem. Et hoc defendit Masius quæst. 5. de Sex prædicamentis. Veteres autem dicebant, huiusmodi locum esse spatium quod nos vocamus imaginarium. Et Fonseca 4. Metaph. cap. 15. quæst. 9. sect. 3. in fine, multum accedit ad hunc dicendi modum, suppositis alijs quæ docet de hoc & de omnibus sex vltimis prædicamentis. Aristoteles autem & Peripatetici locum assignant, superficiem corporis ambientis. Circa hoc tamen contendit Aureol. non requiri ambitum, sed sufficere contactum corporis locantis: quia vltimum cęlum est in loco, & habet suum vbi. Iuxta illam verò definitionem multi notant, eandem superficiem, quatenus intrinsecè afficit suum subiectum, esse de prædicamento quantitatis, in quo etiam ponebatur locus; quatenus verò denominat corpus quod cõtinet vel cõtingit, cõstituere hoc prædicamentum Vbi. Alij denum asserunt, Vbi esse verum accidens reale intrinsecè inhærens subiecto. Fauet Gilbert. dicens, non in eodem esse locum & vbi: sed locum esse in corpore circumscribente, vbi verò in eo quod circumscribitur. Et aliqui dicunt esse relationem: præsertim Scot. esse relationem extrinsecùs aduenientem. Aliqui dicunt esse modum quendam absolutum.

Verior sententia.

De hac tota re in Philosophia disputãdum erit. Interim breuiter supponimus, debere cõcedi formam quandam realem in re locata, per quam formaliter ipsa res constituatur in tali vel tali loco, quæ etiam dicitur præsentia localis. Hæc autem non potest dici pura relatio prædicamentalis, nec modus omninò absolutus: sed modus quidam dicẽs essentialiter ordinem ad certum locum, qui ordo est de numero relationum secundùm dici, siue transcendentalium, quæ scilicet sunt extra prædicamentum ad aliquid. Neque etiam necesse est, hunc modum præsentiæ considerari in ordine ad corpus ambiens, vel ad superficiem eius circa rẽ locatam, aut quocunque modo in ordine ad corpus vel superficiem propinquam & contingẽtem: sed per se consideratur in ordine ad spatium, etiam sublatis vicinis corporibus. Hic modus præsentiæ debet intelligi nomine Vbi. Quo supposito, planè constat, hoc prædicamentum consistere in tali forma reali accidentali præsentiæ localis intrinsecè inhærente rei locatæ.

Vbi esse modũ intrinsecum rei locatæ.

Aliæ autem sententiæ relatæ facilè impugnantur. Quia nullum prædicamentum debet constitui in aliquo ente rationis. Et hoc prædicamentum non debet constitui in denominatione sumpta à spatio imaginario, quod non est aliquod ens reale. Nec in denominatione sũpta à loco reali corporis ambientis vel contingentis, quod potius per accidens videtur se habere ad hoc vt quilibet res dicatur esse hic vel ibi. Et dum habetur forma intrinseca, non debet adduci denominatio extrinseca. Nec demum constitui debet in relatione aut modo absoluto: nisi vt dictum est in modo essentialiter relatiuo.

Et ad illud reduci denominationem extrinsecã sumptã à loco.

Consequenter tamen ad hoc prædicamentum reduci potest denominatio quæ extrinsecè sumitur à loco adiacente, quatenus talis denominatio resultat quoque ex ipsa locali potentia: & superficies extrinseca cum sua præsentia accipitur tanquam forma denominans respectu corporis contenti & locati. Vnde sicut ad idem prædicamentum in quo est actus vitalis, reducitur denominatio obiecti à tali actu: ita simili modo ad hoc idem prædicamentum vbi, reducetur denominatio extrinseca locantis & locati, prout ex reali forma præsentiæ sumitur.

Vbi prædicamẽtale

Tertiò dubitatur, quarumnam rerum sit Vbi prædicamentale de quo loquimur. Gil-

conuenit etiam rebus spiritualibus. Gilbert. enim supponit, & alij plures docent, solùm vbi corporum. & ita defendit Sanc. quæst. 75. Ex aduerso Fons. 5. Metaph. cap. 15. quæst. 9. sect. 3. & sect. 7. in fine, concedit, non solùm in omnibus rebus creatis, sed etiam in Deo ipso, vbi prædicamentale: quia nimirum cùm illud constituat in denominatione extrinseca, absurdum non reputat Deo tribui tales denominationes prædicamẽtales; vt etiam denominationem agentis per actionem prædicamentalem; & habentis, si induat personam Regis, aut Pastoris.

Hæc res maximè dependet ex modo quo res spirituales dicantur esse in loco. Breuiter ergo: si etiam Angelis concedatur forma inhærens, idest modus præsentiæ per quam constituantur in loco: sic planè non minus in Angelis quàm in corporibus datur vbi prædicamentale. In Deo autem consideratur hoc modo attributum immensitatis, quo est vbique, quod nullatenus in hoc prædicamento continetur, quia non est forma accidentalis: sed sicut intellectus Dei, scientia Dei, non est qualitas prædicamentalis: ita immensitas Dei non est vbi prædicamentale. Si autem consideretur denominatio extrinseca loci: tunc si denominatio loci tantùm dicatur per circumscriptionem aut contactum quantitatiuum; sic planè non dicitur de rebus spiritualibus: si autẽ dicatur per quamcunque præsentiam seu coexistentiam in spatio; sic potest tribui etiam spiritualibus rebus, ac etiam ipsi Deo vt dicebat Fons. Demum quia res spirituales dici solent esse in loco per operationem: hęc denominatio non tam pertinet ad hoc prædicamentum, quàm potius actionis & ipsius operationis ex qua talis denominatio sumitur. Nec etiam præsentia sacramentalis Christi in Eucharistia, quatenus respicit ipsas species, est de hoc prædicamento, quia non est propriè præsentia localis: de qua re in propria materia Theologica agendum est.

Vbi diuiditur in definitiuũ et circumscriptiuũ. Quartò deinde. Hinc diuidi potest ipsum Vbi in plura genera. Aliud est enim vbi corporeum, aliud spirituale. Vulgatus autem & celebris modus diuidendi est: alius est modus essendi in loco circumscriptiuè, alius definitiuè. Sed vt res ipsa & modus loquendi meliùs teneatur: priùs diuidi debet, alius modus essendi in loco indefinitè, & alius definitè. Indefinitè est esse in omni loco sine certa taxatione finium. hoc est proprium Dei, & vt dicebam, non debet poni in prædicamento. Definitè est esse in certo loco intra certos fines. hoc conuenit rebus finitis & creatis. Rursus sub hoc modo debet diuidi, alius modus essendi circumscriptè, alius incircũscriptè. Et hinc factum est, vt modus essendi incircumscriptè, appropriato sibi communi vocabulo, appelletur modus essendi definitè. Illud est circumscriptè in loco, quod commensuratur per partes suas partibus loci. hoc modo sunt res corporeæ in loco. Illud autem est definitè & incircũscriptè in loco, quod non ita commensuratur loco; sed dum est in loco extenso, est totum in qualibet parte loci. hoc modo sunt res spirituales in loco. Et per Dei potentiam potest etiam corpus hoc modo poni in loco. Sic corpus Christi est totum in tota, & totum in qualibet parte hostiæ: & hic proprio nomine appellatur modus essendi Sacramentaliter.

Est diuisio adæquata. Cæterùm Fons. quæst. cit. sect. 3. contendit, hanc diuisionem non esse adæquatam: quia cùm possit eadem res esse per Dei potentiam in pluribus locis; vt patet de corpore Christi in Sacramento: tunc neutro illo modo est in loco. quia de ratione essendi in loco definitè est, itá rem esse in vno loco vt non sit in alio, ita esse hic vt non sit alibi. Ideò ait diuisionem debere intelligi de illis rebus quæ sunt in vno tantùm loco. Propter hoc etiam aliqui præsentiam Christi sacramentalem nolunt appellare definitiuam. Sed certè si consideremus, quando res est in vno tãtùm loco, & postea per Dei potentiam ponatur simul in alio; vtique tunc non variatur ratio illius præsentiæ prioris; sed permanet prorsus vt antea erat, vtique definitiua, vel etiam circumscriptiua. Dici ergo debet diuisio esse adæquata. Debet autem præsentia definitiua in communi sic intelligi & explicari: per quam res ita est in vno certo ac definito loco, vt per illam eandem non sit in omni alio loco, imo nè in vno quidem alio loco. Quando enim res à Deo ponitur in alio & in alio loco, non ponitur per eandem præsentiam: sed qualibet præsentia determinata est ad vnum certum locum.

Et in hoc differt esse in loco definitè ab esse in loco indefinitè: quia Deus ita est indefinitè in loco, vt per eandem suam immensitatem sit vbique & in omni loco. Quamuis ergo res ponatur in pluribus locis, in quolibet est definitè: & si commensuretur partibus loci, est etiam circumscriptè.

Aliud est quod obseruari potest in illa diuisione, scilicet propriè diuidi modum essendi in loco diuisibili. quia sic aliud dicitur esse per partes suas in partibus loci, aliud dicitur esse totum in singulis partibus loci. Præter quod, potest considerari modus essendi in loco indiuisibili. Sic punctum non potest esse in loco, nisi indiuisibili. Et Angelus ex virtute sua potest se collocare in puncto, vt nunc supponimus: & res materiales possunt, vel sine quantitate, vel etiam cum quantitate in ordine ad se, à Deo collocari in vno puncto.

Diuiditur et in permanēs & successiuum. Quintò. Alijs adhuc modis potest diuidi Vbi. Præcipuè aliud est Vbi permanens, aliud successiuum. Permanens est, dum res in vno loco immota persistit. Successiuum & fluens est, dum res mouetur: sicut enim motus ipse secundùm alias & alias partes succedit & fluit, & mobile constituitur successiuè in alijs & alijs partibus loci, seu spatij; sic datur vbi fluens & succedens in toto motu per totum spatium. Rursus diuidi potest Vbi iuxta diuersitatem rerum quæ sunt in loco, & iuxta diuersa loca omnesquè partes spatij, in quibus locari possunt. An autem hęc sit differentia specifica attigimus antea quæst. 9. sect. 13. Demum Gilbert. diuidit Vbi in simplex & compositum. Sed nec ipse diuisionem explicauit: nec alij receperunt.

Vbi Attributa. Postremò duo attributa ipsius Vbi, recenset Gilbertus. Videlicet non suscipere magis & minus. Nam fieri non potest, vt res sit magis aut minus in loco: licèt possit esse in maiori aut minori loco. Et, non habere contrarium. De quo declarat Gilbertus, sursùm & deorsùm non esse contraria, quia vnum & idem potest esse sursùm & deorsùm respectu diuersorum. Sed meliùs id declaratur dicendo: diuersas præsentias locales esse quidem naturaliter incompossibiles, quia non potest eadem res esse in diuersis locis: tamen non habere inter se contrarietatem in toto rigore dictam: quia non est determinata vna certa præsentia quæ aliam excludat, sed omnes eodem modo se habent.

Proprietates. Duæ aliæ proprietates magis notandæ & considerandæ sunt. Scilicet esse immobile. Nam non potest vnum & idem vbi transferri de loco ad locum. Et, esse fundamentum relationum propinquitatis & distātiæ & omnis proportionis localis: & quidem magis hoc est proprium vbi prædicamentali; quàm erat proprium quantitati & qualitati prædicamentali, esse fundamentum relationum æqualitatis & inæqualitatis, similitudinis & dissimilitudinis.

SECTIO QVINTA.

De Prædicamento Situs.

Proximè ad Vbi debet adiungi Situs. Nam dicitur etiam in ordine ad locum: & vel est modificatio ipsius vbi: vel fortasse nè distinguitur quidem ab illo. Appellatur autem non solùm Situs, sed etiam Positio, tum ab Arist. tum à Gilber. Appellatur etiam Dispositio ab Aristot. 5. Metaph. cap. 19.

Situs explicatur. In primis satis manifestum est, Situm esse modum essendi in loco, siue esse ordinem aut dispositionem partium rei locatæ in loco. Nam homo potest esse in loco, vno vel alio modo, cum vna vel alia partium dispositione, potest stare, sedere, iacere: tales ergo modi essendi in loco, intelliguntur nomine situs & positionis. His exemplis Arist. explicauit Situm. Sic etiam Gilb. ita definiuit & explicauit positionem. Et non inuenitur nisi in rebus corporeis, quæ habent partes secundùm quas diuersimodè possunt disponi. Inuenitur autem, non solùm in corporibus animatis, sed etiam in alijs: v. g. columna potest poni iacens vel erecta: & sic in alijs similibus.

Quomodo non continetur in prædicamento relationis. Secundò, est hic difficultas, quòd non sit assignandum hoc prædicamentum Situs distinctū à prędicamēto Ad aliquid. Nam Arist. c. de Ad aliquid expresse cōnumerauit Situm inter relationes. & inter alia inquit: *Sunt autem & accubitus & sta-*

& statio & sessio positiones quadam, positiones verò ad aliquid sunt. Dum verò addit: *Iacere autem & stare vel sedere, non sunt positiones, sed denominatiuè dicuntur à positionibus:* tantùm distinguere voluit concreta ab abstractis. Sicut si dicamus, esse album non est albedo, non est qualitas: sed est concretum & denominatiuum à tali qualitate, ab albedine. Item 5. Metaph. cap. 12. inquit: *Dispositio dicitur ordo partes habentis:* at ordo planè est relatio: ergo.

Satis tamen manifestum est, Situm distingui à relatione prædicamentali: sicut vbi, actio, & passio, ab eodem prædicamento relationis distincta sunt. Aristot. autem numerauit positiones inter relationes, ea ratione qua ibi numerauit etiā scientiam, sensum, habitus, & alia huiusmodi. Itaque ibi loquebatur de relatione amplè sumpta, complectendo etiam relationes secundùm dici, quæ tamen in rigore excludendæ erant à prædicamento ad aliquid, vt suo loco tractauimus. Similiter debet intelligi: quando positionem vocauit ordinem, de ordine qui non sit de prædicamento ad aliquid.

Quomodo distinguatur à prædicamento Vbi.

Tertiò. Maior difficultas est, quòd non sit distinguendum prædicamentum Situs ab Vbi. Nam per ipsummet vbi, & maximè per modum præsentiæ localis quem dicebamus, videtur res constitui in loco, & constitui tali vel tali modo, cum tali vel tali dispositione partium. Nec aliter variari potest ipse situs, nisi per variationem ipsius vbi, vel quoad totū corpus, vel saltem quoad aliquas partes; vt si homo qui sedebat, surgat.

Iuxta hoc Fons. 5. Met. cap. 7. quæst. 2. sect. 4. ad 5. ait, prædicamentum Situs populari quidem sensu distinctum fuisse à prædicamento Vbi: sed philosophico rigore non esse reuera distinctum. Imo Arist. ipse 5. Met. c. 7. distinguens & enumerans genera entis, situm omisit. Sed alij hoc loco defendere solent distinctionem horum prædicamentorum. Et Sanc. q. 77. vult, distingui realiter. Suar. disp. 52 Met. sect. 1. explicat, non realiter, sed ratione distingui: quia idem modus præsentiæ quatenus cōsideratur precisè in ordine ad locum, dicitur vbi; quatenus verò consideratur in ordine ad partes corporis locati certo modo dispositas, dicatur situs. Sicut etiam actio & passio sunt distincta prædicamēta per solā rōnis distinctionē. Et similiter alij qui prædicamentum Vbi constituunt in denominatione extrinseca à loco, assignant prædicamentū Situs per distinctā considerōnē talis denoīationis.

Hinc ergo dici pōt, potuisse quidē sine incommodo non poni distinctum prædicamentum Situs ab Vbi; tamen ad explicandos diuersos modos loquendi & respondendi ad interrogationes, non malè potuisse distingui. Sic possunt conciliari loca Arist. dū in Metaph. omisit, hìc verò assignauit hoc prædicamentum. Et explicatur. quia in rigore, situs non est aliud quàm tale vbi, idest talis præsentia rei & partium eius in loco. Per variationē enim ipsius vbi fit, vt homo stet vel iaceat, vel sedeat, aut alio modo in loco se habeat. Itaq. non est tanta distinctio inter situm & vbi, quanta inter passionem & actionē. Nam passio addebat respectum ad aliam distinctā causam, & non erat tanquā sola determinatio respectus ad tale vel tale agens, seu talem vel talem partem agentis. Situs aūt solùm dicit determinationē talis partis locatæ ad talem locum. Nihilominus quia in communi more loquendi diuersæ interrogationes fiunt, in quo loco res sit, & quo modo sit in loco: & diuersæ responsiones adhibētur. Est quis in domo in foro; & sedet vel stat: ideò hoc loco inter prędicamēta distinctè nominātur vbi & situs. Vel, vt ait S Tho. Opusc. 48. tract. de Situ c. 1. quia aliqua diuersitas est inter comparationem totius locati ad totum locū, & partium locati ad partes loci: ideò assignatum est prædicamentum Situs, aliud à prædicamento Vbi.

An rarū & dēsum & similia sint de hoc prædicamento.

Quartò adhuc remanet difficultas, quęnam propriè sint positiones huius prædicamenti: quod est quærere genera & species eius. Et ratio difficultatis præcipuè est. quia Arist. in prædicam. qualitatis ait, rarum & densum, asperum & lene, esse potius positiones; quā qualitates: qm̄ dicunt dispositionem partiū rei. Densum est enim cuius partes magis propinquæ sunt; rarum cuius partes magis distantes: lene cuius partes æqualiter iacent; asperū cuius aliæ partes supereminent, alię subsidunt. Vnde vlterius videtur, omnes alias figuras debere dici positiones, & debere in hoc prædicamento collocari.

Dicen-

Dicendum tamen est, has esse verè & essentialiter qualitates, nō autem positiones de hoc prædicamento: sed situm prædicamentalem solùm consistere in ipsa actuali præsentia locali, prout certo modo se habente & denominante locatum, quoad actualem dispositionem suarū partium in loco. Ita communiter solet supponi. Et planè Gilb. c. 6. docet, tractans ex professo hanc quæstionem. Et patet ex dictis autea in prædicamento qualitatis. Et nunc explicatur magis. quia figuræ quantitatis, cointelligendo etiā raritatem & densitatem, asperitatem & lenitatē, sunt affectiones fixæ & stabiles, antecedentes ad præsentiam localem, cōstituentem res in tali vel tali loco, aut partes rei cū tali vel tali ordine in talibus partibus loci. Situs autem, sicut & vbi, consistit formaliter in ipsa actuali præsentia locali. Aris. verò ibi non est loquutus asserendo, sed dubitando, vel referendo; vt in eo prædicamento notauimus. Dicunt autem eæ qualitates dispositionem partiū rerum, sicut quantitas dicit extensionem partium: non quidem dispositionem consistentem in actuali præsentia locali, sed antecedētem ad ipsam præsentiam: at sola dispositio consistens in ipsa actuali præsentia locali, cōstituit hoc prædicamentū situs.

Quæ sint positiones huius prædicamenti.

Quintò. De hac dispositione vlterius dubitatur, quia duplex esse potest. Vna in qua varietur ordo & dispositio partiū corporis inter se: sic differunt stare & sedere & genuflectere. Altera in qua non varietur ordo partium inter se; sed tantū in ordine ab aliquod extrinsecum: sic differunt stare & iacere, siue in homine, siue in columna. Nam partes eodem modo se habent in rectum dispositæ, vt patet. Dubitari ergo potest ex vna parte, non esse positionem huius prædicamenti illam, in qua variatur ordo partium inter se: quia ibi potius variatur figura, quæ nō est huius prædicamenti. Ex alia parte, esse huius prædicamenti illam, in qua non variatur ordo partiū inter se: quia illa positio quæ solū sumitur in ordine ad corpus extrinsecum, dicit solū concomitantiam ipsius corporis extrinseci: vnde non esset in vacuo: nec enim esse posset in vacuo differentia standi & iacēdi, vt patet.

Dicendum tamen est, omnes huiusmodi positiones debere huic prædicamento attribui. Illæ quidē quæ variant ordinem partium inter se: Quoniam esto ibi simul varietur figura, tamen variatur etiam ipsa præsentia localis, quantum sufficit ad hoc prædicamentum Situs. Illæ etiam quę solùm variant ordinem partium ad corpus extrinsecum. Quoniam directè & per se dicunt talem vel talem præsentiam localem, & concomitanter connotant habitudinem corporis extrinseci. Vnde ex hac parte denotant aliquid denominationis extrinsecæ. Quod non est contra rationē huius prædicamenti: dum fatemur & explicamus, hoc prædicamentum esse ita imperfectum, quod etiā potuisset in prædicamentorum numero non distingui.

Diuiditur situs in genera & species.

Sextò. Hinc patet, quomodo possit diuidi Situs in sua genera. Rectè enim Alb. super Sex principia tract. de Posit. cap. 1. diuidit positionē in rectam & flexā. Deinde vtraque diuidi potest per varias mutationes, quæ in illis contingere possunt, vt facile est considerare.

Situs attributa et proprietates.

Postremò. Tria attributa Situs recenset Gilb. Primum est, non habere cōtrarium. Quod intelligi debet, sicut dictum est de Vbi. Secundum est, non suscipere magis & minus. Quod intelligendum est circa vnum & eundem situm: alioqui constat, solere dici rem esse magis aut minus flexam in loco. Sed tunc est diuersus situs: sicut etiam dicimus, lineam esse magis aut minus curuam, dicimus etiam magis & minus rarum. Suntquè diuersæ figurę, ex quibus hę denominationes resultant. Non quasi vna eademq. positio aut figura suscipiat magis & minus ad instar qualitatis. Tertium est, proximè assistere substātię. Quod ait Gilb. esse magis proprium positionis. Et S Tho. Opus. 48. tract. de Situ c. 3. intelligit, assistere substantię materiali. Obscurum est autem, quęnā sit hęc proxima assistentia. Atque Suar. d. 52. sect. 2. in fine, hanc proprietatem non recipit: quia etiam si sub verbo assistendi intelligatur quicunque modus, vel relatio, vel denominatio intrinseca; immediatiùs assistit substantię corporeæ vbi quàm situs. Potest tamen hęc proprietas sic intelligi. Situm proximè & adęquatè conuenire substātię materiali & quantę, vt talis est. Nam vbi conuenit substantiæ in communi, & inuenitur etiam in substantia spirituali. Situs autem proximè conuenit substantię

stantię eo quòd materialis & quanta sit. Et quia omnia antecedentia prędicamenta, etiam quantitatis quoad aliquam speciem, inueniebantur etiam in spiritualibus rebus: hoc erit attributum magis proprium huius prędicamenti.

SECTIO SEXTA.

De Prædicamento Quando.

QVando est prædicamentum proportionale Vbi: vt enim res sunt in spatio loci per vbi; ita sunt in spatio temporis, in hoc vel illo tempore, per hoc prædicamentum quod appellatur quando.

Quando explicatur. In primis ergo Quādo manifestè sonat denominationem accidentalem essendi in tempore, siue durationem rei existentis in tempore: & sic ab omnibus explicatur. Aristot. autem non nisi in Antepraædicamentis cap. 5. & non nisi exemplis explicauit: *Quando autem, vt heri, superiori anno*. Gilbert. cap. 4. Sic definit: *Quando est quod ex adiacentia temporis relinquitur*. Et subinde docet, non esse ipsum tempus: sed esse quandam affectionem & effectum temporis; secundùm quam aliquid dicitur fuisse, esse, vel fore.

Nō est modus positiuus distinctus à rebus. Secundò. Hinc explicandum magis est, quid sit ipsum quando. Aliqui affirmant, esse modum quendam realem positiuum inhærentem rei duranti in tempore, quo res constituatur præsens tali vel tali tempori, sicut vbi erat modus positiuus præsentiæ localis constituens rem in tali vel tali loco. Sed quia tempus non idem permanet, sed semper fluit & succedit, atque adeò res fit præsens nouo & nouo tempori: ideò hunc modum esse fluentem semper ac successiuum ad instar ipsius temporis. Atque etiam in duratione Angelorum, quæ dicitur æuum, hunc modum constituit Bonauentura in 2. distinctione 2. art. 1. quæst. 1. Hunc tamen modum distinctum à re durante & tempore, communis sententia negat: & diuersa ratio censetur de præsentia in loco atque in tempore. Quoniam cùm tempus sit in continuo fluxu & variatione, sufficere videtur ipsamet mutatio temporis ad hoc vt res dicantur esse in hoc vel illo tempore. In loco autem non potest id explicari per aliam mutationem, quàm præsentiæ localis, distinctæ tàm à re, quàm à loco. Itaque si daretur modus positiuus præsentiæ rerum in tempore; dubium non est, quòd per hunc modum optimè constitueretur hoc prædicamentum: sicut per præsentiam localem constituebatur vbi. Sed si non detur talis modus in tempore, oportet aliter hoc prædicamentum explicare.

Sanc. quęst. 73. vult, hoc prædicamentum consistere in modo quodam positiuo resultante ex concomitantia temporis: sicut supponit prędicamentum vbi consistere in modo resultante ex loco reali in re locata. Verùm nec ipsum vbi erat modus resultans ex loco reali positiuo: Nec vllus talis modus censendus est resultare: & ad summum datur modus præsentiæ in ordine ad spatium locale, vt dicebamus. Ergo multò minus datur talis modus resultans ex tempore, in quo modo possit constitui prędicamentum, Quando.

Nō est propria duratio rerū. Alij plures asserere solent, hoc prædicamentum formaliter esse durationem rerum. Non solùm enim dicuntur res esse seu existere, sed etiam durare: Hæc ergo duratio assignatur, quæ intelligatur, nomine quando in hoc prædicamento. Adhuc tamen remanet difficultas, quid sit ipsa duratio. Suarez disp. 50. sect. 12. num. 8. constituit hoc prędicamentum in duratione rerum. Durationem verò dixerat esse eandem ipsam rerum existentiam; connotando quòd eadem res in aliquo tempore aut instanti priùs extiterit. Molina prima parte quæst. 3. artic. 4. disp. 2. dicens durationem absolutè esse ipsam rerum existentiam, asserit existentiam ipsam rerum permanentium spectare ad hoc prædicamentum quando; & excludit tempus quod in quantitatis prædicamento relinquit. Alij aliter explicant durationem. Sed de hac re agendum erit in Philosophia.

Nunc breuiter existentia ipsa rerum non est separanda ab ijsdem prædicamentis rerum, vt diximus quæst. 16. sect. 5. concl. 9. nec est constituenda in hoc prędicamento. Exclusus est etiam modus positiuus distinctus, siue appelletur præsentia in tempore, siue appelletur duratio. Et præsertim non potest per durationem permanentem, & multò minus exclu-

cludendo tempus, vt volebat Molina, constitui hoc prædicamentum. Nam exempla Aristot. nomen ipsum quando, & communis modus sentiendi ac loquendi aliorum; planè demonstrant, hoc prædicamentum prorsus consistere in ipso tempore. Et Aristot. 2. Ethic cap. 6. absolutè nomine temporis hoc prædicamentum appellauit. Nec etiam potest constitui in tempore, quatenus est duratio intrinseca sui motus: vt infra magis ostendemus. Recurrendum est ergo ad formam & denominationem extrinsecam, per quam hoc prędicamentum constituatur.

Est extrinseca denominatio à tempore.

Et dicendum est, Quando prædicamentale esse denominationem extrinsecam sumptam à tempore, cui res coexistunt, & in quo esse dicuntur, atque denominantur esse hodie, fuisse heri, &c. Hoc est de mente Aristot. Et hoc videtur voluisse Gilbertus. non enim intellexit, quando esse nouum aliquod accidens distinctum à tempore, & ab illo resultans, & intrinsecè inhærens rebus. Sed potius esse denominationem quæ sumitur ab ipso tempore. Ita explicat ac defendit S. Thom. Opusc. 48. tract. de Quando, & alij frequenter. Et suadetur. quia sicut in prædicamento vbi, si non daretur modus positiuus pręsentiæ, oportebat illud constituere per denominationem extrinsecam à loco, quæ etiam supposito modo præsentiæ saltem reducebatur ad idem prædicamentum: Ita dum in hoc prædicamento quando non datur similis modus positiuus, oportet illud constituere per talem denominationem extrinsecam à tempore.

Nō tamen imaginario, sed reali.

Tertiò videndum est, quodnam sit hoc tempus à quo hæc prædicamentalis denominatio desumatur. Pro quo recolendum est, duplex tempus distingui solere: aliud reale, quod nempè est realis successio: aliud imaginarium, quod concipitur per modum infiniti interualli & spatij temporanei, etiam si nullum extaret tempus reale, sicut concipitur & nominatur spatium imaginarium quoad locum. Fons. 5. Metaph. cap. 15. quæst. 10. sect. 2. concl. 3. significat, posse à tempore imaginario sumi denominationem huius prædicamenti. Sed omnino dicendum est, debere sumi tantùm à tempore reali: quoniam prædicamenta debent per realia entia constitui & explicari.

Et præcipuè à tempore extrinseco primi mobilis.

Rursus tempus reale duplex est: aliud dicitur intrinsecum, & est propria successio cuiusque motus: aliud dicitur extrinsecum, & est successio alterius motus cui res coexistit: & licèt possit considerari coexistētia rerum cum quolibet alio motu & successione; tamen præcipuè consideratur cum successione motus primi mobilis, in quo designantur variæ partes: & ideò specialiter ex motu primi mobilis accipitur tempus extrinsecum tanquam à prima mensura aliorum.

Ad hoc ergo prędicamentum non pertinet tempus intrinsecum, quatenus suo motui intrinsecum: nam sic pertinebat ad prædicamentum quantitatis, eratque quantitas successiua. Sed pertinet solùm denominatio quæ sumitur à tempore extrinseco, per quam dicimus rem hodie esse, heri fuisse, & similia. Vnde, licèt posset in hoc prædicamento poni quęlibet denominatio à quolibet tempore extrinseco: tamen quia heri & hodie & similes denominationes specialiter sumuntur ex primo tempore extrinseco dicto; & communis modus loquendi, propter quem hoc prædicamentum designatum est, maximè refertur ad dictum tempus: idcò denominatio quæ ex illo sumitur, maximè constituit hoc prædicamentum. Licèt etiam tale tempus sit intrinsecum suo motui: tamen sicut dicebatur de loco; quatenus superficies erat intrinseca suo subiecto, spectabat ad prædicamentum quantitatis; quatenus denominabat extrinsecè locatum, reducebatur ad prædicamentum vbi: ita pariter de tempore philosophandum est.

Tempus quatenus intrinsecū suo motui nō spectat ad hoc prædicamentum.

At verò Ruuius in hoc prædicamento, constituens illud per durationem in communi, atque adeò in illo collocans tempus quatenus duratio intrinseca suo motui est: conatus est alio modo explicare, qualiter tempus possit ad prædicamentum quantitatis & quando pertinere: distinguens in tempore rationem successionis, continuitatis, & extensionis. Sed meminisse oportet, ad prędicamentum quantitatis pertinere tanquam species eius, quantitatem continuam, & successiuam. Itaque tempus secundùm rationem extensionis

ſtonis ſeu diuiſibilitatis erat quantitas: ſecundùm rationem ſucceſſionis erat quantitas ſucceſſiua: ſecundùm rationem continuitatis erat quantitas continua. Nulla ergo ratio remanet, ſecundùm quam in hoc alio prędicamento ponatur. Sicut non poteſt in magnitudine, ratio continuationis, vel permanentiæ, vel extenſionis, facere vt ad aliud predicamentum extra quantitatem trahatur.

Denominatio huius prædicamenti poteſt attribui omnibus rebus.

Quartò. Rurſus videndum eſt, quibuſnam rebus conueniat denominatio huius prędicamenti. Fonſ. quæſt. cit. ſect. 2. concl. 2. & ſect. 3. ad 1. ait, hoc prædicamentum propriè accomodari ſolis ijs rebus quæ tranſeunt cum tempore, eiquè ſubijciuntur, aut illi commenſurantur & coextenduntur. Et Sanctus Thomas Opuſc. 48. tract. de Quando capite tertio, ſignificat, quando proprie dici de illis actibus qui menſurantur tempore, qui ſcilicet in ſucceſſione conſiſtunt per partes poſt partes. & ita defendit Maſius quæſtione quarta de Sex prædicamentis.

Dici tamen poteſt, denominationem huius prædicamenti omnibus rebus conuenire. Nam in primis, non ſolùm motus ſucceſſiui, ſed etiam res permanentes quę incipiunt & definunt, communi modo loquendi dicuntur eſſe in tempore, & menſurari tempore. Et ſicut non ſolùm illæ res quæ commenſurantur & coextenduntur loco, ſed etiam quæ exiſtunt indiuiſibiliter in omni parte ſui loci, denominantur in prædicamento vbi: ita etiam dici debet de rebus permanentibus in hoc prædicamento quando. Deinde etiam ſubſtantiæ immortales, vt Angeli, anima rationalis, denominantur eſſe in tempore per quandam coexiſtentiam: dicimus enim Angelos eſſe hodie, & omni tempore eſſe: Hæc ergo denominatio quæ illis tribuitur, dici poteſt ad hoc prædicamentum ſpectare: licèt non dicantur ſubijci tempori, nec tranſeant cum tempore ſicut res corruptibiles. Et hoc totum affirmat expreſsè ipſe Sanctus Thomas aliuſuè Auctor eius Opuſc. eodem capite tertio in fine: Et planè Gilbert. capite quarto. Et hoc modo omnis res quæ denominabatur in prædicamento vbi; dicetur etiam denominari in prædicamento quando.

Potius excipiendus videtur à denominatione huius prædicamenti ipſe motus ſucceſſiuus primi mobilis; quoniam non extrinſecè, ſed intrinſecè denominatur à ſuo tempore. Poteſt tamen conſiderari reſpectu illius, denominatio quæ ſumi poteſt à tempore intrinſeco & ſucceſſione aliorum motuum, præſertim motus aliorum cælorum. Et ſic poteſt dici particeps huius denominationis prædicamentalis.

Diuiſiones & genera huius prædicamenti.

Quintò videndum eſt, An & quomodo in hoc prædicamento fiat prædicamentalis diuiſio & coordinatio. Scotus dixiſſe videtur, non dari in hoc prędicamento genus generaliſsimum, imo nec genus quod in plures ſpecies diuidatur: ſed vnicam eſſe ſpeciem temporis, quæ tanquam in indiuidua diuidatur, in pręſens, preteritum, & futurum. Imo Suarez ſectione duodecima citata numero decimoſeptimo, vlteriùs infert, iuxta ſententiam conſtituentem hoc prędicamentum in denominatione extrinſeca, ſequi totum prædicamentum eſſe vnicum indiuiduum, quia illæ differentiæ ſunt tantùm partes eiuſdem indiuidui.

Dicendum tamen eſt, dupliciter poſſe fieri diuiſionem huius prędicamenti ipſi proportionatam. Primò, ex parte formæ denominantis, ideſt temporis, ex quo ſumitur denominatio: ſi non ex ſolo motu primi mobilis, ſed ex coexiſtentia cuiuſque alterius motus ſumatur hęc denominatio. Dantur autem planè motus eorumquè ſucceſsiones, ſpecie & genere differentes. Genus autem generaliſsimum erit, denominatio quæ ſumitur à motu & tempore in communi. Secundò ex parte rerum quæ denominantur, non ſolùm conſiderando veluti materialiter diuerſitatem earum: ſed etiam formaliter quoad denominationem. Videlicet aliæ ſunt res, quæ ſucceſſiuè exiſtunt in tempore eiquè coextenduntur: alię, quę permanenter & indiuiſibiliter. Quæ diuiſio correſpondet illi quæ tradebatur de vbi, per modum eſſendi in loco circumſcriptiuè & definitiuè. Item aliæ res ſunt, quæ tranſeunt cum tempore: alię quę non tranſeunt, ſed ſemper erunt. Neç refert, quòd hęc diuiſio non ſe tenet ex

ex parte ipsius temporis denominantis res: quia satis est, quòd se tenet ex parte modi denominandi. & hoc sufficere debet in prædicamento quod in denominatione extrinseca constituitur.

Præsens præteritũ & futurum.

Valet etiam illa diuisio, præsentis, præteriti, & futuri: qua vtitur Gilbert. & quæ est valde frequens: quia licèt ipsum tempus sit vnum continuum: tamen vt diuersæ sumuntur hæ denominationes in communi modo loquendi. & quia vt prædictum est, hoc prædicamentum assignatum est propter modum loquendi adeò frequentem & consuetum: hic etiam modus diuidendi suscipi debet. Imo vlterius præteritum diuidi potest in infinitũm, scilicet pro die præterita, pro anno præterito, pro sæculo præterito; & rursus intra diem pro varijs horis et momentis. Et pariter potest diuidi futurum. Imo Aristot. ipse hunc diuidendi modum indicauit, dum in exemplum prædicamenti quando, attulit, heri, superiore anno. Vnde etiam iuxta hanc diuisionem, Quãdo in communi, nõ est solùm species, sed genus generalissimum. At verò D. Aug. lib. 11. Confess. cap. 14. & sequentibus, dubitauit, quomodo tempus in eas tres differentias diuidatur: quoniam videtur repugnãtia terminorum, dum dicitur quoddam tempus est præteritum, & quoddam est futurum: quia ly est, denotat tempus præsens. Sed certè res est clara. Constat enim aliud tempus præterijsse, aliud fore. Modus etiam ille loquendi optimum sensum habet. Dum enim dicimus, quoddam tempus est præteritum: ly est non sumitur determinatè pro differentia temporis præsentis; quasi sensus esset nunc in præsenti datur tempus quod est præteritum: sed sumitur abstrahendo à certa differentia temporis, vt sæpissimè in communi modo loquendi sumitur.

Diuidit etiam Gilbert. Quando, aliud simplex, aliud compositum. Simplex, dum res dicitur esse in momento, esse nunc. Compositum, dum dicitur esse in hora, die, hebdomada, & similibus.

Attributa & proprietates.

Postremò. Duo huius prædicamẽti attributa Gilbert. assignat, non suscipere magis & minus, & non habere contrarium. Non suscipit magis & minus: quia non dicimus rem esse magis aut minus in tempore. Suscipit tamen maius & minus: quia dicimus rem esse in maiori aut minori tempore, plus aut minus durare, diutius aut breuius existere. Non habet contrarium: quia non datur vna forma vel denominatio quæ expellat aliam ex eodem subiecto. Imo de eadem re benè dicimus, esse nunc, fuisse prius, & permãsuram in futurum. Addi potest alia proprietas ipsius Quando, fundare relationes ordinis in tempore. Sicut enim consideratur propinquitas & distantia in loco: ita & in tempore. Aliqua enim dicuntur esse simul, alia dicuntur priora, alia posteriora in tempore.

Cæterùm difficultas communis huic prædicamento cum sequenti habitus, est, quomodo inter prædicamẽta distinguantur, quæ in denominatione extrinseca ex formis aliorum prædicamentorum desumpta consistunt: quam sectione sequenti expediemus.

SECTIO SEPTIMA.

De Prædicamento Habitus.

Habitus explicatur.

VLtimo tandem loco superest hoc prædicamentum, quod & nomine Habitus, & verbo Habere, solet appellari. Hæ autem voces plures significationes habent, vt recenset Aristot. in Postprædicam. cap. 5. Sed præcipuè vno modo amplè sumuntur, vt per omnia prędicamẽta suam significationẽ extendant: & omnis res dicitur habere suam essentiam, & existentiam: omne subiectum dicitur habere formam, dicitur habere sua accidentia: omne totum dicitur habere suas partes: homo dicitur habere caput manus &c. Quæ denominationes planè includuntur in ijsdem prędicamẽtis suarum rerum, nec peculiare prædicamentum habendi constituere poterant. Alio modo sumitur nomen habitus pro quadam specie qualitatis, vt in proprio prædicamento vidimus: quę significatio nec etiam spectat ad hoc prædicamentum. Sed habitus & habere hic sumitur pro denominatione qua res dicitur habere aliquid, quod non est pars constitutiua eius, nec forma intrinsecè inhærens: sed se habet quodam-

quodammodo ad instar formæ. Videlicet homo dicitur habere vestes, arma, ornamenta; dicitur vestitus, armatus, ornatus: item in speciali togatus, vel clypeatus, & similia.

In primis ergo. Aristot. non aliter explicat hoc prædicamentum, quàm exemplis: *Calceatum esse, armatum esse*. Gilbet. verò cap. 7. habitum definit: *Est corporum & eorum quæ circa corpus sunt adiacentia, secundùm quam hoc quidem habere, illa verò dicuntur haberi*. Adiacentia dixit, quasi appositio & accomodatio alicuius quasi formæ ad corpus, per quam corpus denominetur habere.

Nō est modus quidam intrinsecus: sed denominatio, extrinseca.

Secundò. Hinc examinandum magis est, quid propriè sit hoc Habere, & quæ sit ratio huius prædicamenti. Est quædam sententia affirmans, dari modum quendam realem, distinctum à corpore & à veste, resultantem ex appositione ipsius vestis, & inhærentem corpori vestito: Et hunc modum esse habitum huius prædicamenti. Hanc sententiam defendunt Ruuius Sanc. Vallius in hoc prædicamento: & aliqui tribuunt Gilberto. Imo hæc videtur apertè sententia Aristot. 5. Metaph. cap. 20. *Habitus dicitur tanquam quidam habentis & habiti actus, sicut actio quædam aut motus. nam cùm hoc quidem efficit, illud verò fit. est media effectio: ita & habentis vestem & vestis habita est modus habitus*. Vbi S. Thom. lect. 20. par. 2. notat, habitum sic sumptum & explicatum, esse vnum quoddam prædicamentum.

Dicendum tamen est, non dari talem modum intrinsecum & inhærentem: sed potius hoc prædicamentum consistere in denominatione extrinseca, quæ sumitur ab ipsis vestibus & alijs similibus. Et hæc est communior sententia, quam tradit S. Thom. Opusc. 48. tract. de Habitu & defendit Suar. disp. 53. Metaph. sect. 1. Et patet Tum à posteriori. quia sanè incredibile est, ex eo quòd alicui accingatur gladius, vel apponatur flos ad decorē & ornatum, resultare talem modum positiuum: & ita etiā non debet excogitari talis modus, dum homo veste contegitur, aut pileo caput cooperit. Tum etiam sequeretur, talem modum debere concedi, si indumenta arma vel ornamenta apponantur statuis, aut rudibus lapidibus & lignis. Tum à priori probatur. quia per solam circumpositionem vestis, secluso quocumque alio modo, aut si per Dei potentiam impediatur ille modus distinctus qui dicebatur; intelligitur optimè homo vestitus, armatus, &c. ergo inutiliter & falsò fingitur talis modus. Tum demum hinc fit, hoc prædicamentum consistere in denominatione extrinseca, quæ sumitur à veste & similibus.

Aristoteles verò ibi solùm docere voluit, interuenire veluti coniunctionem mediam inter habentem & rem habitam, si per se & separatim considerentur. Non enim sufficit, hominem ex vna parte existere, & ex alia vestem, vt homo dicatur vestitus; sed requiritur circumpositio & adaptatio vestis. Hoc autem fit per coniunctionem & præsentiam localem, quam libenter concedimus. Sed hæc præsentia est de predicamento vbi. Itaque ad constituendum hoc prędicamentum, solùm relinquitur denominatio quæ sumitur ab ipsa veste circumposita, qua corpus denominatur habere vestem ad instar formæ. Et in hoc differt hæc denominatio à denominatione extrinseca loci: non enim locatum dicebatur habere locum ad modum formæ.

A quibus rebus sumatur hæc denominatio.

Tertiò vlterius videndum est, à quanam re propriè sumatur denominatio huius prædicamenti. S. Thom. Opusc. 48. cap. 1. significat, desumi ex illis rebus quas homo sibi ipse per artem & industriam parat, vice earum quæ datæ sunt animalibus à natura. nam animalibus data sunt à natura plumæ, vel pili, aut alia similia, pro vestibus; cornua, vngues, aut alia similia, pro armis: homini autem datus est intellectus, quo hæc sibi parare queat. denominationem autem sumptam ab ijs rebus quæ data sunt à natura, ait S. Thom. non spectare ad hoc prædicamentum; quia spectant potius ad substantialem constitutionem corporum animatorum. Et quidem verum est, hoc prædicamētum præcipuè assignatum esse, pro vestibus, armis, & ornamentis, quæ arte parantur. Sed iuxta sententiam asserentem, plumas vngues & similia non esse partes animatas, dici potest, etiam ex ijs hoc prędicamentum confici: quia sic non sunt partes substantiales animalis: at etiam in homine inueniuntur ali-

qua

qua huiusmodi quæ naturaliter enascuntur, vt pili, & vngues.

Rursus, in ijs quæ arte parantur considerari potest, & substantia rei, & figura quæ est forma artificialis. Fons. 5. Metaph. cap. 7. quæst. 2. sect. 4. ad 4. significat, denominationem huius prædicamenti debere sumi ex ipsa substantia. Sed certè constat, non dici vestem & ensem ratione solius substantiæ, sed etiam ratione formæ artificialis; neque denominationes vestiti & armati sumi ex sola substantia rerum adiacentium, sed etiam ex alijs qualitatibus & dispositionibus earum. Et ita fatendum sanè videtur, denominationem huius prædicamenti sumi ex aggregato quodam compacto ex substantia & alijs pluribus accidentibus. Quod non debet reputari inconueniens in hoc prædicamento, quod potius propter consuetum loquendi morem, quàm propter necessitaté & distinctionem rerū, constitutum est. Vnde Fons. agnoscens in talibus rebus inuolui etiam figuras, ait hoc prædicamentum magis accomodatè ad popularem sensum, quàm ad philosophicam considerationem, in prædicamentorum numero censeri. Imò ad hoc ipsum obseruari potest, quod Ar. 5. Met. cap. 7. prędicamenta enumerans, hoc omiserit. Neque etiam est inconueniens ex parte substantiæ, quòd per illam constituatur prędicamentum accidentale: quoniam benè potest vna substantia accidentaliter prædicari de alia per dictam denominationem. & ita notauit S. Thom. eo Opusc. cap. 1. de hoc prædicam.

Et quibus cõueniat. Quartò videndum est, Quibusnam rebus propriè cõueniat denominatio huius prædicamenti. Et quidem ex dictis satis constat, solis corporibus conuenire. Imo videri potest solis hominibus conuenire. & ita sentit Ruuius. Verùm non solùm si ex illis rebus quę datę sunt à natura, sumatur hoc prædicamentum, potest ad alia animalia pertinere: sed etiam ex his quæ arte parantur. nam etiam simias et equos vestire et armare solemus. Et quod attinet ad denominationem huius prædicamenti, perinde se habet si bruto aut homini circumponatur vestis: nam par denominatio accidentalis inuenitur. Et ita notauit S. Thom. eo Opusc. cap. 1. de hoc prædicamento.

Imo etiam ad corpora inanimata debet extendi denominatio huius prædicamenti, non solùm si statuæ vestiantur aut ornentur: sed etiam dum ornantur templa, ædes, & similia. Insuper dum ligna, vasa, aliaquè huiusmodi, deaurantur, pinguntur, aliaué tali substantia exornantur: hæ etiam denominationes spectant ad hoc prædicamentum, & communiter solent in eo collocari.

Diuisiones & genera huius prædicamenti. Quintò. Ex dictis colligi possunt variæ diuisiones & genera huius prædicamenti. Possunt diuidi ea quæ sunt à natura, & ea quæ ab arte; si placeat etiam illa in hoc prædicamento collocare. Possunt diuidi, ea quæ ita affixa sunt rebus vt non possint facilè diuelli, vt in vasis & lignis deauratis; & alia quæ possunt facilè auferri, vt vestes & arma. Possunt diuidi indumenta, arma, & ornamenta: & rursus varia indumenta, varia arma, varia ornamenta, & alijs modis qui facile considerari possunt.

Attributa et proprietates. Postremò. Tria attributa Gilbert. huic prædicamento assignat. Primum est, suscipere magis & minus: nam potest esse homo magis et minus ornatus &c. Quod explicat optimè S. Thom. eo Opusc. cap. 3. de Quando, non intelligi, quasi vna & eadem forma denominans suscipiat magis & minus per intésionem & remissionem. Quinimo cùm forma ex qua sumitur denominatio huius prædicam. sit substantia, hæc non suscipit magis & minus. Sed intelligitur, quia possunt concurrere plures aut pauciores formæ denominantes ad constituendam vnam denominationem veluti totalem. Sic ergo qui habet plura arma, dicitur magis armatus: qui plures vestes, magis vestitus. Atquè S. Thom hunc modum suscipiendi magis & minus, posse etiam conuenire alicui relatiuo, item alicui agenti, ac etiam patienti: non autem inueniri in prædicamentis Vbi & Situs & Quando. Intelligi etiam potest, vt addit S. Thom. hoc prædicam. posse suscipere magis & minus ratione qualitatum perficientium substãtiam ex qua sumitur denominatio: vt si quis habet vestem commodiorem, armaturam fortiorem, ornamentum pulchrius; dicitur magis vestitus, armatus, ornatus.

Secundùm attributum est, non habere contra-

contrarium. Nec enim contraria sunt, vestiri & armari, aut calceatum & pileatum esse, & similia quæ ad hoc prædicamentum spectant. Benè tamen considerari potest contrarietas qualitatum in diuersis formis huius prædicamenti. Et sic denominare solemus, quendam vestire nigrum, quendam vestire album: quandam tabulam imbui atro, quandam albo liquore: & sic de similibus.

Tertium attributum, quod Gilbertus ait esse proprium huius prædicamenti, est, in pluribus existere, in corpore & in his quæ adiacent corpori, secundùm partium diuisionem. Quod explicat Sanctus Thomas cap. 4. quia corpus habet diuersas partes quibus congruunt & adaptantur diuersi habitus, denominatur absolutè & simpliciter ipsum totum per habitum singularium partium. Sic à pileo cooperiente caput, absolutè dicitur homo pileatus, à calceis in pedibus dicitur absolutè calceatus, ab hasta quam manu tenet dicitur hastatus. Verùm hoc non est ita proprium huius prædicamenti, vt non ex parte aliqua inueniatur in aliquo alio prædicamento: præsertim à potentijs & actibus existentibus in certis organis corporeis, absolutè totus homo denominatur, nempè audire, & videre, & sic de similibus. Et Gilbertus ipse non dixit, hanc proprietatem in nullo alio, sed in paucis alijs inueniri.

QVÆSTIO VIGESIMASECVNDA.

De Comparatione rerum, Quæ in Prædicamentis positæ sunt.

Post prædicamentorum tractatum Aristoteles alium adiungit, sicut & ante alium præmiserat. Vnde ante & post prædicamenta vocantur. Quærere autem consueuerunt Expositores, cur Arist. non hæc etiam quæ post prædicam. reseruauit ante præmiserit, cùm ad plenam prædicamentorum notitiam etiam ipsa deseruiant. Reddunt rationem Porph. Ammon. Simplic. Dexip. & alij: quia quæ ante præmisit, erant prorsus ignota; & ideò tunc necessariò explicanda: quæ verò post seruauit, erant ex parte nota, & ideò potuerunt differri; nè si alioqui omnia præmisisset, prolixior fuisset introductio, quàm opus intentum, & longius exordium quàm tractatus.

Sed insistendo nostro ordini inchoato, & seriem nostrarum quæstionum prosequêdo, aptior ratio reddi potest. Quinq. sunt Postprædicam. capita. Duo vltima sunt, vnū de motu, aliud de habere. Et motum quidem hic explicare voluit Arist. quoniam cùm esset veluti medium quid inter actionē & passionem, & vtriq. suo modo cōmunis, nō in illis prædicamentis illum collocauerat. Sed satis est quod nos de motu notauimus in Prædicamento Passionis. De habere, solùm plures vocabuli significationes affert, quas ideò fortasse non in ipso prædicamento habitus adduxerat, quia omnia sex vltima prædicamenta voluit ita breuiter expedire: nec opportunum iudicauit, fusiùs de habitu quàm de alijs quinque loqui. At nos iam sufficienter nomen habitus in ipso prædicamento explicauimus.

Tria priora Postprædicamen. capita sunt, vnum de Oppositis, aliud de Priori, aliud de Simul: quæ omnia planè continent comparationem earum rerum, quæ in prædicamentis positæ sunt. De hac autem comparatione iure & meritò post ipsa prædicamenta tractandum erat. Sicut & Porphyrius in fine suæ Isagoges comparauit illa quæ priùs absolutè considerauerat. Sub hoc ergo titulo de Comparatione, præsentem instituimus quæstionem. Quæ rursus comparatio in duas partes distinguenda est. Alia est comparatio per oppositionem: alia veluti per connexionem, siue inter ea quæ sunt simul, siue inter ea quæ habent ordinem prioris & posterio-

 ris.

ris. Præsupponitur autem comparatio per distinctionem, tanquam præuia ad omnia prædicamenta quæ ab initio distincta sunt. Et de hac egimus antea in prædicamentis in communi.

SECTIO PRIMA.

De Comparatione per Oppositionem.

Oppositio in communi.

De oppositione agit etiam Aristot. 5. Met. cap. 10. & rursus præcipuè de contrarietate lib. 10. per plura capita. Oppositio in communi est repugnantia duorum quæ incompossibilia sunt in eodem subiecto. ita habetur ex 5. Met. cap. 10. *Quæcunque susceptiuo amborũ non contingit simul adesse, hæc opponi dicuntur.* Vt autem oppositio amplè sumatur, non debet intelligi subiectum propriè & in rigore, sed sufficit quodcunque apprehẽditur vt subiectum. Nam etiam differentiæ diuidentes genus dicuntur opponi: & tamen genus nõ est propriè subiectum differentiarum, sed apprehenditur ad instar subiecti, cui differentiæ insint.

Oppositionis quatuor genera.

Deinde oppositionem in quatuor genera diuidit Arist. hoc loco, in oppositionem relatiuam, contrariam, priuatiuam, & contradictoriam. Sed potest prius diuidi oppositio in duo genera, videlicet in positiuam & negatiuam: & rursus oppositio positiua in relatiuam & contrariam: negatiua in priuatiuam & contradictoriam. Oppositio positiua est inter duas formas positiuas inter se repugnantes. Oppositio negatiua est inter formam & negationem eius. Vnde oppositio positiua est comparatio rerum inter se, oppositio negatiua est comparatio rerum cum non rebus, idest cum negationibus ipsarum rerum.

Oppositio contradictoria.

Oppositio negatiua contradictoria, vt hinc incipiamus, ab Arist. explicatur per modum complexionis, scilicet inter propositionem affirmatiuã & negatiuam; sedet, non sedet. Sed ipsemet infra declarat: Aliud esse affirmationem & negationem: aliud quod affirmatur & negatur. Illam esse orationem significantem: hanc esse rem significatam. Vnde patet, oppositionem contradictoriam quę hic consideratur, primariò esse in rebus ipsis, scilicet inter formam & negationem; & inde refundi in propositiones affirmatiuã & negatiuam. Non quia ipsa quoque propositio negatiua, sit formaliter negatio: est enim verè quoddã ens positiuũ, vel oratio vocalis, vel actus iudicij mentalis. Sed quia habet pro suo significato & obiecto negationem. Est autem cõditio valde notanda oppositionis contradictoriæ, quòd nullum medium admittit, nec per participationem, nec per exclusionem vtriusq. extremi, idest fieri non potest, vllum subiectum esse in re, cui simul insit forma & negatio talis formæ: vel cui neq. insit forma, neq. negatio formæ. Vnde fit, non posse propositiones contradictorias esse ambas simul veras, vel ambas falsas. Itaq. in omni propositione contradictoria, necessariò vel forma vel negatio dicitur de subiecto: & vna propositio vera est, altera falsa.

Oppositio priuatiua.

Oppositio priuatiua ab Arist. designatur inter habitum & priuationem, idest inter formam priuatam (hanc enim intelligit nomine habitus) & priuationem talis formæ. Priuatio autem est negatio seu carentia formæ in subiecto apto recipere formam, vt cæcitas in oculo. Itaque vbicunque inuenitur oppositio priuatiua inuenitur etiam contradictoria: Sed non è conuerso: quia non vbicunq. est carentia formæ, est etiam aptitudo ad illã, quæ nomine priuationis inuoluitur. Vnde in oppositione priuatiua potest dari mediũ per exclusionem vtriusq. extremi: videlicet subiectum, in quo nec sit forma neque priuatio formæ, quod nempè non habet aptitudinem ad talem formam. Sic lapis neque dicitur videns neque cæcus. Et hinc patet, oppositionem contradictoriam esse maiorem oppositione priuatiua, & absolutè omnium maximam. Et hoc totum docuit ipse Arist. 10. Met. tex. 15.

Huius oppositionis plures gradus.

Sed præterea priuatio pluribus modis sumi potest, ex Arist. 5. Met. tex. 27. Vnde plures gradus seu acceptiones oppositionis priuatiuæ distingui possunt. Primò dicitur priuatio formæ de se quidem aptæ haberi, in subiecto tamen non apto habere. Sic inquit, dicetur planta priuari oculis, quia oculi simpliciter haberi possunt.

Secun-

Secundò dicitur priuatio formæ quā subiectum habere potest, si consideretur secundùm genus suum; licèt secundùm speciem suam propriā habere nō possit: sic talpa dicitur cæca, quia quatenus animal potest habere visum. Tertiò dicitur priuatio formæ quam subiectum etiam in specie cōsideratum habere potest, licèt non possit habere pro eo tēpore quo forma caret: sic infans dicitur priuatus dētibus, quos simpliciter aptus est habere, sed non pro eo tempore infantiæ: & catuli per aliquot dies dicuntur priuati visu, licèt pro tunc non illis debeatur visus. Quartò demū priuatio perfecta dicitur, quando subiectum aptum est habere formam, etiam pro illo tempore quo forma caret: sic in homine cæcitas est priuatio visus, in aere tenebræ sunt priuatio luminis. Poterit ergo pariter oppositio priuatiua his omnibus modis accipi, sed maximè attendi solet in priuationibus vltimo modo consideratis.

Quomodo à priuatione ad habitum non datur regressus.

Cæterùm difficile est quòd Aristot. hìc ait, oppositionē priuatiuā talem esse, quòd subiectū pōt quidē transire de habitu ad priuationē: non tñ potest rursus redire de priuatione ad habitū: ita à priuatione ad habitum non dari regressum: *Neque enim*, inquit, *cæcus factus aliquis, rursus vidit: neque cùm caluus fuerit, rursus comatus factus est: neque cùm fuerit edentulus, dentes ei iterum orti sunt*. Hoc inquam, difficile est: quia licèt in his exemplis verum sit à priuatione ad habitum non dari regressum, naturaliter loquendo: tamē alia plurima sunt, in quibus facillimè datur talis regressus: vt aer quotidie ex tenebroso fit lucidus, & oculus ex non vidente actualiter fit videns: & sic in alijs rebus similibus.

Propter hoc explicari solet Arist. non dari regressum ad habitum quantum ad eandem numero formam singularem deperditam. Sed hoc verum quidem est naturaliter loquendo: tamen non est hęc mens Arist. Nam simul docet, in contrarijs dari mutationem mutuam ex vno ad aliud, & hoc assignat tanquam discrimen inter oppositionem priuatiuam atque cōtrariā. At manifestū est, non minus in cōtrarijs verū esse, non dari regressū ad eādē numero formā. Alij alijs modis rē explicare conati sunt, minùs tñ sufficiētibus.

Debet ergo Arist. intelligi, quòd in contrarijs regulariter potest & solet fieri mutatio & conuersio mutua: vt multis exemplis ipse ostendit, inter sanum & languidum, nigrum & candidum, frigidum & calidum, prauum & studiosum. At inter priuationem & habitum plerunq. non potest fieri regressus: vt ostēdit illis alijs exemplis. Et præcipuè id verificatur, quādo priuatio tollit aliquam potentiam & virtutem naturalem: vt cæcitas tollit potentiam visiuam, surditas potentiam audiendi: & ad tales formas non datur regressus. At in tota latitudine oppositionis priuatiuæ, nō potest in vniuersum negari, à priuatione ad habitum dari posse regressum.

Oppositio relatiua.

Oppositio deinde positiua relatiua ab Arist. constituitur inter correlatiua, quæ ad se inuicem referuntur: vt inter duplum & dimidium, inter scientiam & scibile. Hæc autem intantùm dicitur oppositio, inquantùm non potest vnum & idē subiectum habere duas relationes mutuàs, non potest simul esse subiectum & terminus eiusdem relationis: quod satis patet ex dictis de relatione. Atque hæc oppositio inuenitur in omni relatione, etiam transcendentali, & extra prædicamentum relationis. Et perfectè quidem inuenitur, quādo relatio est mutua ex parte vtriusq. extremi: tunc enim mutuò alterum alteri opponitur. Sed si relatio sit tātùm ex parte vnius extremi, tunc datur etiā ex parte oppositio relatiua: quia per ipsam vnā relationem opponitur id quod refertur termino ad quem refertur. Et sic Arist. inter exēpla huius oppositionis ponit scientiam & scibile: cùm tamen scibile nō referatur intrinsecè per mutuam relationem realem, sicut refertur scientia ad ipsum scibile.

Omnis oppositio dici potest relatio: sed nō omnis est relatiua.

At videri potest omnis oppositio esse relatiua; imo oppositio formaliter dicitur relatiuè. Nam omne oppositum, alicui est oppositum. Et in specie, contrarietas quæ est aliud genus oppositionis positiuæ, dicitur relatiuè inter contraria. Nam omne contrarium alicui est cōtrarium. Propter hoc Arist. notat, differre oppositionē relatiuam ab omni alia oppositione: quia opposita relatiuè, ea ipsa quæ sunt, aliorū esse dicuntur: non sic alia opposita: sed tantùm dicuntur esse alijs opposita, idest

Hh 2 com-

commune quidem est omnibus oppositis, vt dicantur alijs opposita. At præter hoc, illa quæ opponuntur relatiuè, dicuntur secundùm proprias rationes, & sub proprijs nominibus ad aliud; vt duplum dimidij duplum. Non sic alia opposita. Malum enim dicitur quidem contrarium bono, non tamen dicitur boni malum: nec calidum frigidi calidum. Et in genere oppositionis negatiuæ, non dicitur visus cæcitatis visus: similiter ait, non dicitur cæcitas visionis cæcitas, sed visionis priuatio: priuatio autem formæ, non est relatio ad formam, sed est ablatio formæ.

Itaque admitti potest, omnem oppositionem formaliter secundùm se esse relationem quandam. Vel realem, dum est inter extrema realia: & reduci ad genus illud relationis, quod consistebat in distinctione rerum determinando talem ac tantam distinctionem, quæ dicat repugnantiam formarum in eodem subiecto. Vel rationis, dum est inter rem & priuationem siue quamcunque negationem. Sed nihilominus rectè diuiditur, alia oppositio relatiua, alia non relatiua: quia oppositio relatiua non solùm est in se relatio, sed est inter relationes seu relatiua, quæ inter se referuntur: at oppositio non relatiua, est relatio quædam, sed inter extrema quæ non erant relationes: vt calor secundùm se non est frigoris calor: & pariter in alijs exemplis allatis est res manifesta.

Oppositio cōtraria. Oppositio denique contraria, siue contrarietas, interdū amplè sumitur pro omni oppositione. & sic aliquando Arist. ipse loquitur. Vnde 10. Met. tex. 7. ait, primam cōtrarietatem esse inter habitū & priuationem. Sed specialiter sumi debet, & hìc sumitur, pro oppositione inter formas positiuas, & quæ non se habēt vt relationes inter se. Vt autem diuisio oppositionis in quatuor genera sit adæquata, & omnem oppositionem includat, debet cōtrarietas adæquatè sumi pro omni oppositione inter quascunque formas incompossibiles in eodem subiecto, exceptis solùm relationibus, quarum oppositio constituebat tertiū genus assignatū. Nam nisi in tanta latitudine accipiatur contrarietas, non adæquatè assignabitur omnis oppositio per illa quatuor genera. Atque in hoc sensu videtur hìc assignasse contrarietatem Arist. qui non solùm non apposuit conditionem aliquam restringentem: sed inter exempla contrariorum, ponit etiam par & impar in numero, quæ tamen sunt differentiæ diuidentes & contrahentes numerum. Neq. curat distinguere cōtraria, nisi ab alijs tribus generibus oppositorum quæ assignat. Hoc autem modo, etiam formæ substantiales, & quàmplurima accidentia, dici debent inter se contraria, etiam in illis prædicamentis, de quibus dicebatur nō habere contrariū.

Itaque alio modo magis presse & propriè sumitur contrarietas, sub quibusdam certis conditionibus, quæ non in omni oppositione huius quarti generis reperiūtur. Vnde oppositio huius quarti modi debet distingui, in contrarietatem pressè & rigorosè dictam, & in aliam minus rigorosè dictam. vt verò constet, quænam sit contrarietas rigorosè dicta; recensendæ hic sunt conditiones quæ ad illam requiruntur.

Cōtrarietatis prima conditio. Prima conditio est, vt contraria sint in subiecto inhæsionis, idest sint formę accidentales inhærentes subiecto. Et per hoc planè excluduntur oēs substantiæ & formę ipsę substantiales: quæ sunt quidē in materia, non tamen accidentaliter inhęrēt.

Secunda conditio. Secunda conditio est, vt differant plusquā numero. Vnde licèt non possint plures formæ accidentales solo numero differētes simul coexistere in eodē subiecto, non tamē dicuntur cōtrariæ. Nec obstat quod Arist. 10. Met. tex. 25. supponit, quædā cōtraria non differre specie, vt masculinū & fęmininum. Non enim loquitur de cōtrarijs propriè dictis, sed per contraria intelligit ea quæ inter se differunt.

Tertia cōditio. Tertia conditio sumi videtur ex Arist. 10. Metaph. tex. 13. & 14. vt contraria non penitus differant genere, sed sub eodem genere contineantur. Et ita defendit Suar. disp 45. Met. sect. 2. At verò idē Aristot. hoc cap. apertè docet, & in fine concludit, contraria, vel esse sub eodem genere, vt album & nigrum in genere coloris: vel esse sub contrarijs generibus, vt iustitia & iniustitia sub generibus virtutis & vitij: vel ipsa esse genera, vt bonum & malum. Et licèt Diuus Thomas tertio contra Gentes, capite nono dicat, Aristot. afferre hoc exemplum boni & mali secundùm sententiam.

Pytha-

Pythagoræ qui ponebat hæc duo prima genera & principia: tamen non negat, Aristotelem ex propria sententia docere contraria posse esse diuersa genera. Præterea 5. Metaph. cap. 10. Aristoteles præcipuè docet, contraria vel differre genere, vel specie sub eodem genere. & 4. Topic. loc. 33. assignat contraria quæ non continentur sub alio genere, sed ipsa sunt genera, videlicet bonum & malum. Hinc aliqui absolutè defendunt, non requiri ad rationem contrariorum talem conditionem essendi sub genere, & potius in illo loco 10. Metaphysic. Aristotelem non esse locutum ex propria sententia.

Sed in primis, hæc res facilè resolui potest, dicendo: dupliciter accipi posse contraria. Vno modo determinatè pro illis formis quæ in vno genere conueniunt & inter se repugnant: & hæc constitui per illam conditionem. Alio modo magis amplè pro omnibus formis inter se repugnantibus, etiam si non sub vno genere concludantur: & sic illam conditionem non requiri. Et iuxta hunc duplicem sensum, Aristotelem diuersimodè esse locutum. Et quidem illo loco 10. Metaphys. Aristoteles loquebatur de illis quæ sub eodem genere differebant: & de his quendam gradum maximæ differentiæ, appellauit contrarietatem; alijs autem locis magis amplè locutus est de contrarietate. Deinde dici potest, omnem contrarietatem in speciali exerceri inter formas quæ sub aliquo genere, si nō infimo, saltem superiori, in certo prædicamento conueniant. Posse autem in communi & abstractè considerari formas contrarias, non sub vno certo genere. Vt in exemplo Aristot. de bono & malo, contrarietas non exercetur, nisi inter talem formam conuenientem subiecto, & aliam formam oppositam disconuenientem: quæ formæ semper inuenientur conuenire in vno certo genere & prædicamento. Sic contrarietas exercetur inter virtutes & vitia, quæ conueniunt in genere habitus moralis: sic etiam inter actus honestos & prauos. Similiter in intellectu inter habitus scientiæ & erroris, sic etiam inter actus. Et eodem modo in alijs similibus. At potest in generali & abstractè considerari entitas conueniens subiecto & entitas disconueniens subiecto: qui conceptus generales, non solùm non in certo aliquo genere seu prædicamento concluduntur: sed sunt conceptus transcendentes, & communes ad plura prædicamenta: & ab Aristotele appellantur genera, non tamen intelligendo genera prædicamentalia.

Cæterùm Aristoteles vtroque loco Metaphysic. citato, docet, contraria quæ in eodem genere conueniunt, maximè distare sub illo. Quod difficultate non caret, propter illa contraria, de quibus affirmat hoc loco Aristoteles dari media inter extrema: vt virtutes mediant inter vitia extrema, alij colores inter album & nigrum; atque etiam ipsa quæ mediant, sunt contraria extremis; & tamen non maximè ab illis distant, cùm plus distent extrema inter se. Sed ad hoc satis videtur dicere, comparationem fieri contrariorum cum non contrarijs, idest illa quæ sunt contraria, maximè distant præ omnibus illis quæ sub suo genere non sunt contraria. Nam contraria adeò distant, vt non solùm vnum non sit aliud, sed nec vnum sit cum alio. Inter ipsa autem contraria, possunt quædam magis distare quàm alia: vt in exemplis allatis. Vel Aristoteles illud docuit de contrarijs extremis quæ vtique maximè distant.

Quarta conditio Quarta conditio sumitur item ex eodem Aristotele decimo Metaphysicæ textu decimoquarto, contrarietatem determinatè esse inter duo, ita vt vnum non habeat plura contraria, sed tantùm vnum. Hoc pariter difficultatem habet, propter contraria, in quibus inuenitur medium. Aristoteles ipse hoc loco distinguit quædam contraria non habentia medium, vt par & impar, sanum & ægrum: & quædam habentia medium, vt colores. In his ergo quæ habent medium, inueniūtur plura esse contraria vni. Ad hoc dici debet conditionē cōtrariorum esse, vt vnum vni opponatur tanquàm extremum extremo; sed posse plura opponi vni, comparando media & extrema. Et quidem facilè constat, ijs quæ propriè contraria dicuntur, non inueniri nisi vnum quod tanquam extremum alteri extremo opponatur: & ita

contrarietas debet eſſe determinata quędam oppoſitio. Conſtat etiam inueniri poſſe media inter extrema contraria. Et hoc concedit idem Ariſtoteles, non ſolùm alijs in locis, ſed etiam 10. Metaphyſ. tex. 15. & deinceps. Fieri etiam poteſt, vt vni plura ſint contraria per modum extremorum in ſpecie; tamen conueniant in quodam genere ſuperiori & determinato, quod ſit primo illi vni contrarium. Sic errori contr aria eſt non ſolùm ſcientia, ſed etiam opinio vera: Hæc autem vniuntur in genere cognitionis veræ de tali obiecto, quæ cognitio eſt primò contraria errori, ideſt falſæ exiſtimationi). Quomodo verò ſe habeant illa quæ dicuntur media in contrarietatibus, videlicet virtutes inter vitia, colores medij inter album & nigrum, & alia huiuſmodi: in proprijs materijs examinandum eſt.

Quinta conditio. Quinta demum conditio eſt, vt contraria ita non poſſint eſſe ſimul in eodem ſubiecto, quòd tamen poſſint eſſe ſeparatim & ſucceſſiuè: atque adeò vnum expellat aliud de eodem ſubiecto. Explicatur: quia alioqui plurima accidentia ſunt quæ abſolutè eſſe non poſſunt in aliquo ſubiecto; vt accidentia ſpiritualia in ſubiecto materiali, & è conuerſo. Non ergo accidentia ſpiritualia dicentur contraria materialibus. Et ratio eſt clara: quia non tàm ob repugnantiam illorum, ſed abſolutè ob incapacitatem ſubiecti non poſſunt eſſe in eodem ſubiecto, etiam ſi non adſint alia accidentia. Repugnantia ergo contrariorum attendi debet reſpectu alicuius ſubiecti quod ſit ex ſe capax vtriuſque contrarij, & ſeparatim poſſit habere vtrumque; tamen non poſſint ſimul ipſa contraria coexiſtere in eodem ſubiecto. Tunc enim id formaliter prouenit ex repugnantia quam aduerſum ſe inuicem habent.

Et hinc fit, vt vnum contrarium expellat aliud de eodem ſubiecto. Quoniam quando in ſubiecto habente vnum contrarium aduenit aliud, recedit & tollitur illud quod præerat. Et hæc dicitur expulſio formalis: quia vnum contrarium, non quidem efficiendo aliquem alium effectum, ſed inſidendo formaliter in ſubiecto, excludit aliud. Aliqua autem contraria habent vim ſe expellendi etiam effectiuè: vt calor exiſtens in igne expellit effectiuè frigus aquæ, efficiendo alium calorem in ipſa aqua. Hoc tamen non eſt de ratione omnium contrariorum, nec in omnibus inuenitur.

Atque hæc expulſio formalis non conuenit oppoſitis relatiuè, ſiue relationibus mutuis: quæ non poſſunt quidem eſſe in eodem ſubiecto, vt antea dicebamus: ſed tamen vna non expellit aliam; quia ſubiectum quod refertur, numquam aſſumit relationem termini, ita vt tranſeat ab vna ad aliam relationem mutuam & oppoſitam relatiuè. Quamuis autem contraria nõ poſſint eſſe ſimul in eodem ſubiecto; tamen Ariſt. 2. Cęli tex. 18. docet, exiſtente vno contrariorũ in rerum natura, exiſtere etiam & aliud: in quo videntur conuenire cum oppoſitis relatiuè, quæ dicuntur ſimul exiſtere. Sed tamen dictum illud Ariſtotelis intelligitur tantùm ob complementum & perfectionem Vniuerſi, quod ad ſui integritatem requirit diuerſitatem & contrarietatem rerum. Relatiua verò ex propria & intrinſeca ratione dicunt coexiſtentiam.

Cæterùm qualiter contraria, licèt inter ſe repugnantia & incompoſſibilia, tamen poſſint eſſe ſimul in gradibus remiſſis & imperfectis, vt præſertim in primis elementorum qualitatibus eſt perſpicuum; ſolùmquè in gradibus intenſis & perfectis verificetur, talia contraria non poſſe eſſe ſimul: qualiter etiã per Dei potentiam poſſint ſimul collocari in vno ſubiecto, illa cõtraria quæ alioqui naturaliter non poterant eſſe ſimul: In proprijs materijs philoſophicis examinandum erit.

SECTIO SECVNDA.

De Comparatione rerum per connexionem.

Connexionem hic accipimus pro habitudine eorum, quæ vel ſunt ſimul, vel habent ordinem prioris & poſterioris. De qua habitudine agit Ariſtoteles in hoc tractatu. Et ſatis erit cum ipſo Ariſtotele recenſere varios modos prioritatis ac ſimultatis. Multis enim *Connexio per prius & poſterius, & ſimul.*

modis

modis hæc habitudo dicitur. Quatuor modos prioris, magis communes & consuetos, Aristot. hoc loco recenset. Quintum ipse addit.

Primus modus prioris & posterioris.

Primo modo dicitur prius secundùm tempus; quando nempè ordine durationis & temporis vnum est ante aliud; & quod antiquius est, dicitur prius. Estque res notissima.

Secundus modus.

Secundò dicitur prius id à quo non conuertitur existendi consequentia, idest quando duo ita se habent, vt ab existentia huius rectè inferatur existentia illius; sed non è conuerso ab existentia illius inferatur existentia huius: illud inquam à quo non valet illatio, à quo non conuertitur consequentia existendi de alio extremo, dicitur prius, aliud verò dicitur posterius. Illud enim à quo non conuertitur consequentia, signum est, quòd potest existere sine alio, sed aliud non potest existere sine illo. Vnde meritò illud dicitur prius, aliud posterius. Sic vnum est prius duobus, quia rectè infertur: si sunt duo, est vnum; sed non è conuerso si est vnum, sunt duo. Hoc etiam modo gradus superiores dicuntur priores gradibus inferioribus: quia rectè valet: si est homo est animal; sed non conuertitur, si est animal est homo.

Tertius modus.

Tertiò dicitur prius ordine: vt in scientijs, aliæ debent præcedere, aliæ sequi: & in vna eademque scientia, alij tractatus præcedunt, alij sequuntur: & in oratione proœmium debito ordine narrationem præcedit.

Quartus modus.

Quartò dicitur prius dignitate, illud scilicet quod præstantius & excellentius est. Quod potest intelligi, cum perfectione physica, vt Angelus est prior homine, homo prior brutis; tum etiam excellentia quadam morali, sic dicitur prior is qui habet aliquam dignitatem præ alio, is qui honorabilior est; is etiam qui ab aliquo plus diligitur, dicitur apud illum prior. Ideò Aristoteles hunc modum vocat alienissimum inter omnes modos prioris: quia nimirum in humana existimatione & arbitrio consistit.

Quintus modus.

Quinto modo, quem Aristot. addit, dicitur prius illud à quo etiam si conuertatur existendi consequentia, tamen est aliquo modo causa existentię alterius. Sic hominem esse, est prius quàm veram esse orationem id enunciantem, quia est causa eius: quamuis conuertatur consequentia: si homo est, & illa oratio vera est: sic etiam si dies est, sol est; & si sol est, dies est; prius autem est solem esse, quia sol est causa diei: item essentia est prior passionibus, cùm tamen ab ipsa essentia rectè conuertatur consequentia ad passiones. Et in vniuersum, quæcunque causa est prior suo effectu, siue effectus contingenter, siue necessariò ex tali causa promanet: & hæc propriè dicetur prioritas causalitatis: & communiter appellari solet naturæ; dicitur enim causa ordine naturæ prior suo effectu, etiam si sit simul duratione & tempore. Porrò hæc prioritas naturæ, est verè realis, quãdo causa realiter causat effectum: quoniam est ipsa causalitas, quæ realis est. Interdum verò consideratur hic ordo inter aliqua quæ à parte rei non distinguuntur, sed ratione nostra concipiuntur distinctè, & cum quodam ordine. sic aliqui tantùm ratione distinguunt potentias ab essentia: & in Deo solùm ratione distinguuntur attributa ab essentia. Et hoc modo talis prioritas & ordo naturæ, non est realis, sed rationis.

Præter hos alij sunt etiam modi prioris, quos recenset Aristot. 5. Metaphys. cap. 11.

Sextus modus.

Sextò dicitur prius loco, quod est certo alicui loco propinquius: & è contra quod remotius est, dicitur posterius.

Septimus modus.

Septimò dicitur prius in tempore: de præteritis quidem illud quod remotius est à præsenti nunc: de futuris verò illud quod propinquius erit.

Octauus modus.

Octauò dicitur prius motu, illud quod magis appropinquat mouenti: vt homo puer quam senex generanti.

Nonus modus.

Nonò dicitur prius potentia, quod alijs præeminet: vt princeps & prælatus, qui sua voluntate & electione disponit vt cætera fiant.

Decimus modus.

Decimò dicitur prius ordine seu numero, quod ante alia numeratur: vt primus ante secundum, secundus ante tertium.

Vndecimus modus.

Vndecimò dicitur prius cognitione, quod ante alia cognoscitur: & hoc dupliciter, vel ratione seu intellectu co-

gnoſcente, vel ſenſu. Vbi fieri poteſt, vt quæ ſunt prima ratione ſint poſteriora ſenſu, & è conuerſo. Sic ait, vniuerſalia ſunt priora ſecundùm rationem, ſingularia ſecundùm ſenſum: & ſic in alijs plurimis.

Vltimus modus.

Poſtremò dicitur prius natura, id quod poteſt exiſtere ſine alio, non aliud ſine illo: ſic ſubiectum & ſubſtantia præcedit accidentia, potentia eſt prior actu, partes toto. Quod genus prioris redit in illud à quo dicebatur nô conuerti exiſtendi conſequentiam.

Modi eſſendi ſimul.

Deinde quamuis totidem modis quibus aſſignatus eſt ordo prioris & poſterioris, poſſit aſſignari ordo eſſendi ſimul: tamen tres præcipuè modos, vtpotè magis perſpicuos & conſuetos, Ariſtot. hic cap. de Simul. recenſet. Primò ſimpliciter & propriiſſimè dicuntur ſimul tempore, quæ videlicet ſimul fiunt aut exiſtunt in tempore, & non vnum antea aliud poſtea. Secundò, dicuntur ſimul natura ea inter quæ conuertitur exiſtendi conſequentia, & vnum non eſt alterius cauſa: vt ſe habent duplum & dimidium, & alia huiuſmodi correlatiua. Tertiò, dicuntur ſimul quæ primariò diuidũt genus aliquod; vt volatile greſſibile & aquatile ſub animali: & ſic in diuiſionibus aliorum generum, quando natura generica æquè primò conuenit & communicatur ſingulis ſpeciebus, & non vni per dependentiam & participationem eſſentialem ab alia.

Quomodo prius & poſterius ſint ſimul.

Sed hinc dubitari poteſt primò, quia prius & poſterius dicitur relatiuè: prius enim eſt poſteriori prius, & poſterius eſt priori poſterius: ſed correlatiua ſunt ſimul natura: ergo prius & poſterius, etiam inquam prius & poſterius natura, ſunt ſimul natura: quæ videtur aperta repugnantia. Ad hoc dicendum eſt, debere diſtingui, denominationes ipſas formales prioris & poſterioris; & res quæ ita denominantur: ſiue relationes ipſas, & fundamenta relationum. Res ergo ipſæ ſunt, quarum vna eſt prior, alia poſterior: at denominationes ipſæ formales ſeu relationes ſunt ſimul. Itaque denominatio ipſa prioris non eſt prior denominatione poſterioris, neque hæc eſt poſterior illa: ſed res illa eſt prior, alia poſterior. Quando autem dicuntur correlatiua eſſe ſimul natura, intelligitur formaliter quoad ipſas relationes ſeu denominationes relatiuas; vt ſuo loco in proprio prædicamento notauimus.

Quomodo prius & poſterius & ſimul dicantur per connexionem.

Secundò, tam ſimul quàm prius & poſterius dicuntur relatiuè: ſed habitudo relatiua, eſt habitudo oppoſitionis, & conſtituebat tertium genus oppoſitionis: ergo prius & poſterius & ſimul non dicunt connexionem, ſed potius oppoſitionem. Ad hoc etiam dicendum eſt, benè poſſe inter aliqua conſiderari & oppoſitionem & connexionem, maximè oppoſitionem relatiuam, quæ eſt omnium minima. Nam vtique ipſamet connexio dicitur relatiuè. Quod enim connexum eſt, alicui connexum eſt. Itaque inter ea quæ relatiuè dicuntur, conſideratur oppoſitio, inquantum vnum non poteſt eſſe aliud, & non poteſt idem eſſe relatiuum & terminus. Conſideratur etiam connexio, inquantum coniuncta ſunt, vel concomitanter ſeu conſequenter ſe habent. Ea ergo quæ ſunt ſimul, & quæ ſunt prius & poſterius, opponuntur relatiuè: quia non eſt idem quod dicitur eſſe ſimul cum ſe ipſo, prius aut poſterius ſe ipſo. Connectuntur autem, inquantum coexiſtunt, ſiue inquantum vnum ſequitur ad aliud.



QVAESTIO

QVÆSTIO VIGESIMATERTIA.

De Primo Actu Cognitionis intellectiuæ, nempè Simplici Apprehensione.

Oportet iam de singulis actibus intellectiuæ cognitionis specialiter & distinctè tractare. Et quidem Aristoteles in duobus libris Græcè Perihermenias, Latinè de Interpretatione, qui proximè post totum Prædicamentorum librum sequuntur, agit tàm de quibusdam spectantibus ad primam operationem, quàm de iis quæ spectant ad secundam operationem: de his autem prolixius. Primus actus intellectiuæ cognitionis solet appellari Simplicium apprehensio. Sic etiam Aristoteles 3. de Anima tex. 21. appellauit indiuisibilium intellectionem. Verùm quia simplicitas quæ huic actui attribuitur, magis se tenet ex parte ipsius actus, quàm obiecti; dicimus enim apprehendi etiam complexa & integras propositiones, simplici tamen actu: & quia etiam huic actui attribuitur simplicitas, ad differentiam secundæ operationis, quæ appellatur compositio, quasi composita cognitio: ideò potius appellamus simplicem apprehensionem.

SECTIO PRIMA.

Quid sit Simplex apprehensio, & quod obiectum habeat.

Simplex apprehensio explicatur. Simplex apprehensio est cognitio quædam nostri intellectus, qua simpliciter concipimus obiectum, non determinando an sit vel non sit id quod menti obijcitur. Per hoc explicatur propria ratio huius actus, & differentia essentialis tum à secunda tum à tertia operatione, idest ab omni notitia iudicatiua, per quam nimirum intellectus, vel affirmando determinat rem esse, vel negando determinat non esse: simplex autem apprehensio repræsentat tantùm & obijcit intellectui aliquid per modum simplicis conceptus, non determinando rem esse vel non esse, non affirmando vel negando. Magis autem innotescet ratio huiusmodi apprehensionis, assignando eius obiectum, & deinde modum quo illud attingit.

Habet pro obiecto terminos, siue complexos, siue incomplexos. In primis, satis notum est. per primam operationem simpliciter apprehendi terminos omnes, siue res significatas per ipsos terminos: non solùm inquam terminos incomplexos, homo, album, &c. sed etiam complexos, animal rationale, filiùs Francisci, &c. non solùm res prorsus simplices, sed etiam res compositas ex pluribus partibus. Patet ipsa experientia. Patet etiam ratione; quia licèt in termino complexo & in re composita inuoluantur plura: tamen inuoluuntur per modum vnius, & ita vnico actu possunt apprehendi per modum vnius. Vt enim docuit D. Thom. 1. par. quæst. 85. art. 4. Intellectus noster potest vnico actu complecti plura per modum vnius: non potest autem plura per modum plurium, & vt plura sunt, nisi per plures actus. Sic vtique vno actu concipimus rei definitionem, vno actu concipimus quantitatem, concipimus compositum, & omnia alia huiusmodi. Neque sicut sunt distinctæ partes in obiecto quod cõcipitur, ita etiam sunt in ipso actu quo concipitur.

Deinde maius dubium esse potest, an ad obiectum simplicis apprehensionis pertineat etiam integra propositio, constans ex subiecto & prædicato cum copula affirmationis seu negationis. Vasquez prima parte disputatione 75. numero 21. sentire videtur, solas voces apprehendi posse per primam operationem in propositionibus: & eadem prima parte disputatione 223. & 1. 2. disputatione 62. & disputatione 79. vbique cap. 3. ait, iudicium & assensum consistere in hoc, vt non tantùm cognoscantur extrema, sed & connexio inter illa; quæ cùm cognoscitur, tunc erit iudicium, & non simplex apprehensio. Et non multùm distat ab hac eadem sententia. Suar.

Suar. disp. 8. Metaph. sect. 4. num. 8. vbi significat, propositiones dum apprehenduntur esse tantùm in mente non vltimata. Idem videtur sentire Greg. in Prolog. sent. quæst. 1. art. 3. Addit Vasquez disp. illa 223. in fine, non posse per simplicē apprehensionem concipi conuenientiam & ordinē vnius relati ad aliud: sed dum apprehenditur talis ordo, iam esse cōpositionem & iudicium. Et confirmat, quia cum apprehensione illius ordinis non potest esse dissensus negans vnum extremum referri ad aliud: quod signum est, illam apprehensionem iam esse iudicium & assensum.

Habet etiā pro obiecto integras propositiones

Dicendum tamen est, per primam nostram operationē apprehendi etiam integram propositionē, idest non tātum propositionis extrema, subiectum & prædicatum; sed etiam connexionem extremorum, conuenientiam prędicati cum subiecto: non tantùm quoad voces, & per conceptum non vltimatum; sed maximè quoad rē significatam, & per conceptum vltimatum. Hæc est communis sentētia Auctorum qui huius rei meminerunt, Fons. 4. Metaph. cap. 2. quæst. 6. sect. 6. Conimbr. 3. de Anima cap. 13. quæst. 4. art. 1. Tolet. 3. de Anima quęst. 21. & 22. Caiet. in Præfat. prædicam. & 1. part. quæst. 17. art. 3. & quæst. 58. ar. 5. Sot. 1. Post. cap. 1. quæst. 1. ad 2. & aliorum. Idemquè videtur concedere Suar. ead. sect. 4. à num. 4.

Non solū quoad extrema, sed quoad cōnexionem etiam extremorū.

Probatur primò. Sicut possumus simpliciter apprehendere qualscunque res & quæcunque propositionum extrema; ita sine dubio possumus pariter apprehendere connexionem inter ipsas res, inter ipsa extrema, per modum simplicis conceptus. & sicut dum apprehendimus rem, non per hoc determinamus rem esse vel non esse: ita intelligendum est, nos apprehendere ipsam connexionem non determinando an ea sit vel non sit: propositio autem consistit in ea connexione extremorum: ergo possumus apprehendere integram propositionem, & non solùm extrema per se ac separatim sumpta. & hoc totum per primam operationem sine interuentu iudicij.

Secundò. Omne illud quod definiri potest, potest simpliciter apprehendi: nam definitio dicit essentiam rei explicitè apprehensam, definitum verò dicit rem implicitè apprehensam: sed potest suo modo definiri cōnexio inter prædicatum & subiectum, & potest vtique quæri quid sit talis connexio & coniunctio: itē potest definiri ipsa propositio, & potest quæri quid sit hominem esse virtuosum; & hoc totum fieri potest, non determinando an verè detur illa connexio, an prædicatum insit subiecto, an homo verè sit virtuosus. ergo potest integra propositio & connexio prædicati cum subiecto, simplici conceptu sine iudicio apprehendi.

Tertiò. Sæpè cogitamus & mente reuoluimus quæstiones & propositiones de quibus sumus dubij, imo etiam propositiones falsas. Sic certè si quis audiat dicentem astra sunt paria, probè intelligit & percipit quid ille significet, etiam si non præbeat assensum, non affirmet astra esse paria: similiter si quis audiat dicentem, Angelus est corporeus, statim percipit significatum talis propositionis: & sic in alijs omnibus propositionibus, siue dubijs, siue falsis: ergo apprehenduntur tales propositiones sine determinatione iudicij. & pariter in propositionibus veris & notis, distingui debet apprehensio à determinato iudicio.

Nō solum quoad voces, sed etiam quo ad res significatas.

Quartò. Talis apprehensio non est de solis vocibus, sed maximè de significato vocum. certè enim alius conceptus gignitur in mente eius qui easdem voces audiat earumque significationem ignorat, atque in mente eius cui vocum significatio nota est: & omnia ea quæ dicta sunt, procedūt de eo cui nota sit significatio vocum. Hic autem non tantū formabit conceptū non vltimatum vocum, sed maximè conceptum vltimatum de significato vocum: ergo propositiones possunt apprehendi non tantùm quoad voces & per conceptum non vltimatum, sed maximè quoad rem significatam & per conceptum vltimatum.

Quintò. Manifestum prorsus est, posse simpliciter apprehendi ordinem vnius relati ad aliud sine determinato iudicio. Dum enim nominatur simpliciter paternitas, similitudo, æqualitas, &c. vtique hæc omnia simpliciter apprehendimus sine assensu & iudicio. Et pariter si dicatur æqualitas huius rei ad aliam, apprehenditur

henditur citra iudicium. Imo etiam si dicatur, hanc rem esse æqualem illi, hunc hominem esse patrem illius: potest vtique apprehendi totum hoc significatum, etiam si intellectus non assentiatur: vt patet quando res est dubia vel euidenter falsa. & cum tali apprehensione potest adhuc dari dissensus negans: imo præ requiritur apprehensio ordinis ac relationis, siue ad negandum, siue ad affirmandum. Deinde Vasquez ad summum dicere debebat, apprehensionem conuenientiæ inter prædicatum & subiectum esse compositionem & iudicium. At conuenientia inter relata, non est conuenientia inter prædicatum & subiectum: non enim vnum relatum prædicatur de alio, filius de patre. Si autem dicat, conuenientiam relationis ad suum subiectum esse conuenientiam prædicati ad subiectum: id erit commune ad omnes modos & formas existentes in subiecto, & nihil peculiare erat de relatione. Sed planè ipse loquutus est de conuenientia et ordine inter ipsa relata, vnius scilicet relati ad suum extremum. Demum ipse Vasquez 1. par. disp. 234. num. 7. & 1. 2. disp. 44. num. 7. & 12. & in fine, planè docet, posse nos simpliciter apprehendere absque compositione & iudicio, rem vt bonam aut malam, conuenientem aut disconuenientem nobis. quod est maximè apprehendere rem vt relatam.

Quomodo prima operatio dicatur simplicium apprehensio.

Obijcies primò ad probandum, solos terminos incomplexos & simplices posse per primam operationem apprehendi. Aristot. 3. de Anima tex. 21. hanc operationem appellauit indiuisibilium intelligentiam, & alij apellare solent simplicium apprehensionem: sed soli termini incomplexi sunt indiuisibiles & simplices: ergo.

Respondetur. Aristot. ipsum text. 23. & 24. explicare indiuisibile, non quod diuidi non possit, sed quod actu diuisum non sit, idest quod non sit diuisum in plures conceptus, sed sumatur per modum vnius conceptus, & quod indiuisibili tempore, & indiuisibili animæ intellectione percipitur, idest vno instanti, vnico actu comprehenditur. Et idem sensus esse debet, quando hæc operatio apellatur simplicium apprehensio. Ideo ad hanc ambiguitatem vitandam, præstat appellare simplicem apprehensionem, vt ab initio præfati sumus. Et quomodo in hoc differat à secunda operatione quæ dicitur compositio, magis explicabimus quæst. sequenti.

Quomodo vnus simplex actus plura comprehēdat.

Obijcies secundò. Terminus complexus, & multò magis propositio, est cuius partes separatæ adhuc significant, suamquè significationem retinent: sed voces externæ substituuntur loco conceptuum, & in se ipsis præseferunt quod in actibus mentis geritur: ergo conceptus seu actus mentalis cui terminus complexus correspondet, talis est vt habeat plures partes, quarum qualibet per se repræsentet suum partiale obiectum: ergo non vno simplici actu terminus complexus apprehenditur.

Respondetur. Non oportere, vt omnis distinctio & compositio quæ est in vocibus externis, sit in actibus mentis internis: quinimo multò plures voces adhiberi solent ad promendum exteriùs quod paucioribus actibus mente geritur. Sed quia voces directè significant res ipsas conceptas: ideo dum terminus complexus dicitur, cuius partes separatæ significant; solùm sequitur, in re concepta & significata, inueniri partes quæ distinctis vocibus significentur, quæ etiam possint distinctis actibus concipi; licèt tunc quando sumuntur per modum vnius, vno actu concipiantur.

Quomodo possit separari apprehensio plurium terminorum.

Obijcies tertiò. Quando concipitur terminus complexus, posset in mente remanere conceptus vnius partis sine conceptu alterius, v. g. animalis sine rationali, rationalis sine animali: ergo in illo conceptu erant distinctæ partes, idest distincti actus.

Respondetur. Fieri quidem posse, vt in mente separati sint conceptus de terminis imcomplexis aptis conficere vnum complexum: tamen fieri non posse, vt separentur in illo actu quo concipiebatur vnus terminus complexus: sed vnus simplex actus est, quo totus hic terminus concipitur. Si autem concipiatur animal tantùm, vel rationale tantùm: tunc non vna pars aufertur, altera remanet de priori actu: sed totus ille abit, & alius nouus aduenit.

Quomodo differat

Obijcies quartò. Propositiones ex ratione sua propriè spectant ad secundam opera-

prima à secunda operatione circa propositiones ;

operationem, siue ad notitiam iudicatiuam: ergo non possunt spectare ad primam operationem: alioqui confunditur secunda cum prima. Imo dici solet, secundam operationem versari circa cõplexa, primam circa incomplexa, sumendo complexa pro integris propositionibus, incomplexa pro omnibus terminis citra propositiones.

Respõdetur. Longè diuerso modo propositiones spectare ad primam & secundam operationem. Ad secundam enim spectant quatenus determinatè iudicantur, affirmando aut negando: ad primam verò solùm quatenus earum significatum percipitur: vt magis sect. sequenti patebit. Et in hoc sensu prima operatio dicetur circa incomplexa versari: quia etiam ipsæ propositiones in illa se habent ad modum aliorum incomplexorum: dum apprehenditur sine determinatione iudicij connexio extremorum, eo modo quo apprehenduntur ipsa extrema.

SECTIO SECVNDA.

An & quomodo Simplex apprehensio attingat tantum quid res sit, & non an sit.

Arist. ita docet.

ARistoteles multis in locis 6. Meta. text. 8., 9. Metaph. 22. 3. de Anima text. 26. & alibi, planè supponit primam nostram operationem à secunda distinctam attingere quod quid est rerum; & propriam eius rationem esse, apprehendere quid res sit. Hinc S. Thom. initio Perhier., & initio Poster., 1. part. quæst. 85. art. 5., 2. cont. gen. c. 59. & alibi, docere solet, adæquatum obiectum simplicis apprehẽsionis esse quidditatem rerum. Imo expressè in 1. dist. 19. quæst. 5. art. 1. ad 7. adiunctis quæ dixerat in corpore, & Opusc. 70. quod est super Boet. de Trinit. quæst. 5. art. 3. asserit, cùm in re considerari possit quidditas seu essentia, & esse seu existentia; simplicem apprehensionem propriè attingere quidditatem; notitiam verò iudicatiuam per compositionem & diuisionem attingere existentiam rei: non quasi per hanc solùm cognoscatur an res existat vel non existat per propositionem de secundo adiacente:

Et S. Thomas.

sed etiam an sit talis vel talis, an homo sit albus, sit doctus, & cætera huiusmodi, per propositiones de tertio adiacente.

Iuxta hoc Caiet. 1. part quæst. 17. ar. 3. §. Ad euidentiam affirmat, ad primam operationem pertinere, non solùm apprehensionem quidditatis & definitionis secundùm se, sed pertinere etiam applicare talem quidditatem & definitionem tali rei, v. g. dicendo linea est longitudo cuius extrema sunt duo puncta. Ad secundam verò operationem pertinere iudicium de proprietatibus & accidentibus aliisquè omnibus prædicatis rei, itaque videtur velle, ita primam operationem attingere quid rei, vt etiam ad illam pertineat affirmare quidditatem de ipsa re. idquè indicat ipse S. Thom. 1. part. quæst. 17. art. 3. & quæst. 85. art. 6. & 1. cont. gent. cap. 59. *Aliquorũ sententia.*

Sed præterea Suarez. disp. 8. Metaph. sect. 3. num. 6 & sect 4. num. 6. ait, absolutè simplicem apprehensionem inuoluere aliquo modo, scilicet virtualiter & implicitè, rationem iudicij: ita vt per simplicem apprehensionem tali modo iudicetur res esse talis sicut apprehenditur, v. g. hominem esse animal rationale, & sic de aliis propositionibus.

Aliqui autem recentiores volunt, non solùm virtualiter & implicitè, sed etiam formaliter & explicitè, primam operationem attingere an res sit, & cognoscere in integra propositione hoc esse illud, hominem esse animal, Petrum currere, & similia: dicentes, id totum posse cognosci, tum per notitiam apprehensiuam, tum iudicatiuam; & apprehensiuam esse primam operationem, iudicatiuam esse secundam.

Dicendũ tamẽ est de mente Arist. simplicem apprehensionem attingere tãtùm quid est rei, nec determinatè attingere an sit: sed hoc spectare ad iudicium & secundam nostri intellectus operationem. *Apprehensio attingit tantũ quid est, et non an est.*

Explicatur & probatur primò. Si intellectus apprehendat simplicem aliquem terminum, siue etiam terminum complexum, vt animal rationale: vtique non determinat rem esse, hominem esse animal rationale: quia sic integram propositionem perficeret, vt patet. Sed tantùm percipit quid significatur, quod sit significatum illius termini. Non quasi

per

per modum propositionis enunciet, hoc nomen significat hanc rem; sed quia simpliciter sub hoc nomine tanquam signo percipit hanc rem. & hoc est attingere quid est rei. Vel implicitè, dum v.g. percipitur homo. Vel explicitè, dū percipitur definitio, animal rationale. Et sic etiam dum obijcitur intellectui quodcunque accidens, vel etiam ens fictum, aut non ens seu negatio; percipitur quid est talis obiecti. Si deinde intellectus per primam operationem apprehendat integram propositionem, percipit solùm significatum eius, non determinando an ita sit vel non sit: & ita tantùm attingit quid est ipsius propositionis seu connexionis inter prædicatum & subiectum. Patet enim possibilem esse hanc perceptionem tantùm quoad significatum & quid est propositionis, vt patet ex dictis sect. præcedenti. Clarum est etiam, hanc perceptionem antecedere illam determinationem qua intellectus præbeat assensum tali propositioni perceptæ: ea ergo simplex perceptio spectat ad primam operationem, & non illa determinatio qua res esse vel non esse cognoscitur.

Et in hoc distinguitur à iudicio.

Secundò. Idem clarè probatur: quia in hoc distinguitur prima operatio à secunda; quòd prima tantùm percipit rem seu propositionem; secunda determinatè iudicat, affirmando vel negando, rem esse vel non esse, hominem esse vel non esse animal, & sic de alijs. Si ergo id totum primæ operationi tribuatur, tollitur secunda operatio: nihil enim superest quod illi amplius tribuatur.

Tertiò. Ideò Angeli non habent secundam operationem à prima distinctam, quia vno simplici intuitu cognoscunt rem & prædicatum conuenire ipsi rei, cognoscunt propositionem quoad an est. Ita sumitur ex S. Thom. 1. par. quæst. 58. ar. 4. & est notum apud eos qui tenēt Angelos non cognoscere componendo & diuidendo: ergo pariter si intellectus noster prima operatione & simplici apprehensione id totum percipit, non debet in illo distingui alia secunda operatio.

Quartò. Dici non potest illo modo notitiam primæ operationis esse apprehensiuam, secundæ iudicatiuam; & ideò distingui. Nam si in prima operatione cognoscitur determinatè rem esse, hominem esse animal; non requiritur alia notitia iudicatiua distincta: sed iam illa prima notitia est iudicatiua, et est affirmatiua. Intantum verò potest distingui notitia apprehensiua & iudicatiua; in quantum per apprehensiuam tantùm percipitur significatum huius propositionis, non determinando an ita sit; per iudicatiuam verò determinatè intellectus affirmat hominem esse animal.

Apprehensio nō inuoluit iudicium.

Quintò. Dici non debet in simplici apprehensione propositionis virtualiter & implicitè includi iudicium. Nam apprehēsio prærequiritur quidem ad ipsum iudicium; tamen iudicium nullo modo est, nisi dum determinatè res affirmatur aut negatur: sed in apprehensione nullo modo res affirmatur aut negatur: ergo nullo modo dici debet in illa includi iudicium. Imo quæuis apprehensio quantum est de se, indifferentem & expeditum relinquit intellectum, siue ad affirmandum, siue ad negandum. post enim perceptum significatum propositionis, & simul cum ipsa aprehensione potest stare, siue affirmatiuū siue negatiuū iudicium, siue assensus siue dissensus: ergo dici non debet apprehensio vllo modo includere iudicium, vel negatiuū, vel affirmatiuum.

Etiam affirmatio quidditatis de re, spectat ad iudicium, nō ad apprehensionem.

Sextò. Etiam in propositione enunciante definitionem de definito, prima operatio tantùm habet apprehendere significatum propositionis, non autem habet determinatè affirmare. Nam certè iudicare hominem esse animal rationale, est actus secundæ operationis, consequens post apprehensionem quæ est prima operatio: & hæc propositio, homo est animal rationale, exteriùs enunciatiuè prolata, exprimit iudicium affirmatiuum secundæ operationis: eademquè prorsus ratio est de hac propositione, homo est risibilis, homo est animal risibile, alijsquè similibus, atque de illa, homo est rationalis, est animal rationale. Vel ergo determinatio omnium harum propositionum spectat ad primā operationem, quod falsum est: vel spectat tantum ad secundam, & non ad primam, quod verum est. Accedit quòd Caiet. supponit, etiam quando definitio vnius rei falsò attribuitur alteri rei cui reuera repugnat, id fieri in prima operatione: ergo maiori ratione quando alicui rei tribuitur prædica-

dicatum aliquod accidentale quod illi non repugnat, deberet ad primam operationem pertinere: & ita non tantùm affirmatio definitionis de definito, sed omnis propositio pariter determinatè spectabit ad primam operationem. Quòd si Caiet. voluit, per primam operationem apprehendi tantùm significatum propositionis, & quid est connexionis: id non tantùm verificatur in coniunctione definitionis cum definito, sed etiam cuiuscunque prædicati cum subiecto: non ergo debuit distinguere inter definitionem & alia prædicata.

Quomodo dicat Sanctus Thomas, apprehensionem versari circa essētiam, iudicium circa existentiam. Postremò ex his debet explicari quod dicebat S. Thom. primam operationem versari circa essentiam, secundam circa existentiam. Non enim id potest absolutè intelligi, quasi non etiam circa essentiam formemus propositiones per secundam operationem, & quasi non etiam rerum existentiam simpliciter apprehendamus. Sed intelligitur per accomodationem quandam: quia essentia dicit quid res sit, abstrahendo ab eo quòd actu sit vel non sit: ita in prima operatione concipimus quid rei, seu quid propositionis, non determinando an sit vel non sit id quod apprehenditur. Existentia autem dicit rem esse, & secunda operatio est quæ in mente determinat rem esse. Certè autem possumus & ipsam existentiam rei apprehendere per modum essentiæ, concipiendo quid sit existentia, quid sit rem existere: & hunc conceptum formamus etiam de re quam nescimus existere. Et è conuerso de ipsa rei essentia iudicamus quodammodo ad instar existentiæ, dum affirmamus determinatè, hanc esse essentiam huius rei, talem rem habere talem essentiam, hominem esse animal rationale.

Similiter dum nos dicebamus primam operationem attingere quid res sit, & non primam sed secundam attingere an res sit: obseruandum est, ipsummet an est rei, simpliciter concipi per modum quid est, quia apprehendimus quid sit rem esse, rem esse hoc vel illud, percipimus significatum harum propositionum absque determinatione illarum. Et è conuerso ipsum quid est, non tantum simpliciter apprehendimus, sed etiam de illo iudicamus ad modum an est, dum affirmamus determinatè talem quidditatem de tali re; & quærenti quid sit homo, quid sit equus, respondemus per propositiones affirmatiuas & determinatas. Quoad modum ergo cognoscendi debet intelligi, simplicem apprehensionem attingere quid est, iudicium attingere an est rei.

Explicatur S. Th. Hinc etiam debet explicari, quando idem S. Thom. videbatur primæ operationi tribuere affirmationem definitionis de definito. In illis enim locis primæ partis, S. Thom. nequaquam dixit, primam operationem esse quæ attribuit definitionem rei. Sed tantùm dixit, intellectum attribuere, & in tali attributione posse falli. Quod debet intelligi per secundam operationem. Nam ipsemet expressè docet, in tali attributione inuolui compositionem: certè autem compositio mentalis est secunda operatio. Distinguit ergo ibi duplicem cognitionem quidditatis; primam sine compositione, & hæc est simplex apprehensio; secundam cum compositione, & hoc est iudicium. In alio tamen loco contra Gent. expressè dixit, intellectum incomplexum esse illum qui attribuit definitionem rei, cognoscendo definitionem in comparatione ad rem. Difficultatem vidit ibi Ferr. & respondet §. Ad euidentiam primi dubij, S. Thom. non intelligere talem comparationem ex parte obiecti, sed ex parte modi cognoscendi. Clariùs dici potest, intellectum incomplexum apprehendere definitionem in comparatione ad rem, non quidem determinando et affirmando, sed percipiendo tantùm significatum illius propositionis in qua definitio prædicatur de definito. Vel, intellectum incomplexum S. Thom. accepit non tàm ex parte actus, quàm potius ex parte obiecti, intellectum scilicet cognoscentem quidditatem rei, quoniam quidditas & res, in re non faciunt complexionem: & intellectus sic sumptus habet duplicem actum, vnum incomplexum etiam ex parte sua, alterum verò complexum ex parte sua, & in hoc inuolui comparationem determinatam quidditatis ad rem. Nam S. Thom. in eodem discursu simul docet, comparationem non dari nisi in complexione, atque in illa comparatione quidditatis ad rē planè constituit cōplexionē, sicut in locis primæ partis compositionē.

Obij-

Quomodo definitio cognoscatur. Obijcies præterea primò ex Caietano. Quidditas est alicuius rei quidditas: ergo non satis cognoscitur, nisi cognoscatur cuius rei sit. si ergo ad primam operationem spectat cognoscere quidditatem, spectat etiam cognoscere cuius rei sit, quod est determinatè cognoscere.

Respōdetur. Quidditatem rei non satis cognosci per solam primā operationem, sed cognosci quidem tantùm apprehensiuè & quoad significatum nominum: iudicatiuè autem & determinatè cuius rei sit, siue quoad an est modo explicato, debere cognosci per secundam operationem.

Quomodo apprehensio sit cognitio sine ratione iudicij. Obijcies secūdò ex Suar. Omnis actus potentiæ cognoscitiuæ, siue omnis cognitio, debet esse aliquo modo iudicium: quod enim non iudicatur, ignoratur: ergo simplex apprehensio, cùm sit actus quidam cognitionis, inuoluit saltem virtualiter & implicitè aliquam iudicij rationem.

Respondetur, negando assumptum: quia cognitio alia est iudicatiua, alia apprehensiua. & quod non iudicatur, ignoratur quidem determinatè, sed cognoscitur apprehensiuè, idest mente percipitur. Idquè patet manifestè in apprehensione simplicium terminorum, in qua nullum penitus inuoluitur iudicium: & ita possibilis est mera apprehensio cōnexionis, sine iudicio an sit vel non sit, sicut apprehenduntur ipsi termini.

Quomodo cognitio sensitiua attingat rē quoad an est. Obijcies tertiò. In simplici cognitione sensitiua attingitur obiectum quoad an est; videmus enim parietem esse album, videmus lucem in sole, & multò magis in sensibus internis talis determinata cognitio reperitur: ergo maiori ratione, id est concedendum in simplici apprehensione nostri intellectus, quæ est longè perfectior omni cognitione sensitiua.

Respondetur. Si hoc argumentum valeret, planè probaret in intellectu nostro non debere distingui notitiam apprehensiuam & iudicatiuam, primam & secundam operationem, sed vno simplici actu totum cognosci, sicut contingit in sensu. At verò quomodo in sensu detur determinata cognitio, & suo modo iudicium, sine distinctione actuum, suo loco tractabimus. Nunc ad argumētum facilè dicitur, sensum valdè imperfectè & materialiter cognoscere, non discernendo distinctè, quid res sit, & an sit: ideò vno simplici actu cognoscere totum quod ad ipsum pertinet. At intellectus noster, cùm perfectiùs cognoscat ac discernat, non ita tamen perfectè sicut intellectus angelicus; debet distinctis actibus, percipere quid res sit, & iudicare an sit. Ita notauimus q. 3. sect. 2. Non ergo per primam & simplicem apprehensionem intellectus noster determinatè iudicat an res sit.

Obijcies quartò. Multa sunt, quæ scimus quidem esse, nescimus autem quid sint: circa illa autem de quibus vtrunque scire possumus, præcipit Aristot. vt prius inquiramus an sint, deinde quid sint: ergo malè dicimus, primam operationem quæ vtique præcedit secundam, attingere quid res sit, secundam verò an sit. *Quomodo cognitio quid est, præcedat cognitionem an est.*

Respondetur. Scimus aliqua esse, de quibus nescimus explicitè & exactè quid sint, ac per notitiam iudicatiuam ac determinatam de talium rerum essentia & quidditate. Et antea inquirimus an res sit, quàm quæramus tali modo scire quid sit. At omninò ante notitiam de existentia rei, præcedere debet aliqua saltem implicita & confusa atque apprehēsiua notitia rei. Et ita ante omnia percipere oportet nominis significatum: alioqui nihil prorsus potest sub tali nomine de re affirmari. Et talis præuia notitia apprehensiua attingit quid est rei. Iuxta hoc Sanctus Thomas prima parte quæstione 85. art. 5. ait: *Intellectus humanus non statim in prima apprehensione capit perfectam rei cognitionem, sed primò apprehendit aliquid de ipsa, puta quidditatem ipsius rei, quæ est primum & proprium obiectum intellectus.*

SECTIO TERTIA.

De Varietate rerum conceptibilium per Simplicem apprehensionem.

Magna varietas est in rebus quę simplici apprehensioni obijciuntur. Et vno modo potest considerari ista varietas in speciali per omnia entium genera, de qua iam satis in prædicamentorum *Varia res conceptibiles.*

rum

rum tractatu; nec quicquam circa hunc specialem cognitionis actum repetere necesse est. Alio modo potest considerari varietas rerum conceptibilium, sub quibusdam diuisionibus magis abstractis, & magis logicis, quæ magna ex parte ex modo concipiendi sumuntur. Et in primis, iam dictum est posse simpliciter apprehendi, tum terminos, tum integras propositiones. Hinc ex parte propositionum tota varietas quæ in ijs reperitur, facit etiã ad ipsam apprehensionem. Sed de hac re agere sufficiet in tractatu de secunda operatione, ad quam propriè spectant propositiones quatenus determinatè enunciantur.

Varij termini. Ex parte autem terminorum adest tota illa varietas de qua in Institutionibus egimus, distinguentes tot varios terminorum modos, & præcipuè Nomen & Verbum, & Orationem, de quibus agit hoc loco Aristot. lib. 1. Periherm. Itaque hæc tota terminorum tractatio ad hunc locum propriè pertinet. Sed quia satis sunt quæ iam in Institutionibus hac de re egimus, non eadem transcribenda sunt. Ad complementum tamen doctrinæ & integritatem Logicæ, voluimus hoc loco rem insinuare.

Specialiter considerantur abstracta & concreta. Sed specialiter de nominibus abstractis & concretis aliqua hic addenda sunt, quæ in Institut. non erant necessaria. Abstractum est, quod dicit formam significatam veluti per se sumptam; vt albedo, humanitas. Concretum est, quod dicit formã veluti existentem in re cuius est forma, siue dicit rem quatenus habẽtem formam; vt album, homo. Rursus ab aliqua forma abstracta solet interdum abstrahi alia ratio; ac proinde illa forma abstracta se habet vt concretum respectu vlterioris abstractionis. Sic quia albedo constituitur in specie albedinis per suam differentiam, qua genus coloris contrahitur ad speciem albedinis; hæc differentia potest abstrahi, & vocatur albedineitas. & pariter in alijs rebus huiusmodi similes abstractiones obseruari possunt.

Concretum verò aliud est substantiale, quod scilicet dicit formam substantialem vt homo, animal: aliud est accidentale, quod dicit formam accidentalem; vt album, calidum. Rursus aliud est substantiuum, quod dicitur per modum per se stantis: aliud adiectiuum, quod dicitur per modum adiacentis. Vbi obseruandum est, hæc non esse idem atque concretum substantiale & acccidentale. Imo aliquod concretum substantiale est adiectiuum; vt dum Persona diuina dicitur humanata incarnata, Filius Dei est incarnatus est humanatus: & è conuerso aliquod concretum accidentale est substantiuum; vt opifex, artifex, gubernator, pater, causa, principium, & alia plurima.

Inter concreta accidentalia, plurima dicuntur etiam denominatiua, de quibus agit Aristot. in Antepradic. cap. 1. quando scilicet concretum communicat etiam in nomine cum forma abstracta. Interdum enim concretum non dicitur sub eodem nomine sub quo dicitur abstractum, sed sub alio nomine; vt à virtute dicitur quis studiosus, idest virtuosus: studiosus ergo est quidem concretum virtutis, non tamen denominatiuum à virtute. Vt plurimùm autem cõcretum accipit etiam nomen ab abstracto; vt album ab albedine, calidum à calore: & hæc dicuntur denominatiua. Ita habetur ex Arist. ibi & cap. de Qualit. in fine.

In hoc sensu denominatiua ibi definit: *Quæcunque ab aliquo differentia casu, secundum nomen habent appellationem: vt à grãmatica grãmaticus, & à fortitudine fortis.* Idest denominatiua dicuntur illa quæ participant aliquam formam, à qua etiã nomen & appellationem recipiunt; ita tamen vt aliqua differentia in fine & cadentia nominis intercedat: vt patet in exemplis allatis. Propter quod multi volunt, ly grammatica pro muliere grammatica, non esse denominatiuum à facultate grammatica, mulier musica ab arte musica; cùm nulla sit in nominis casu seu fine differentia. Sed tamen particula illa definitionis potest intelligi negatiuè, idest denominatiua non differre plusquam in casu & fine nominis: ita vt etiam si nihil in nomine differant, adhuc tamen dicantur denominatiua. In omnibus autem donominationibus, forma abstracta dicitur forma denominans, subiectum formæ seu denominationis dicitur res denominata, & totum concretum dicitur denominatiuum.

Concreta Cæterùm explicandum est, quodnam sit propriè

quid propriè significent. propriè significatum siue conceptus obiectiuus concreti, & in quo differat ab abstracto. Et quidem clarum est, concretum accidentale significare simul aliquo modo formam & subiectum, ad differentiam abstracti quod significat solùm formam: concretum quoque substantiale simul cum natura significare subsistentiam siue personalitatem, quam suppositum addit supra naturam. Aliqua tamen concreta sunt, quæ non significant aliquid amplius quàm abstracta, sed tantùm in mero modo significandi differunt: vt ens & entitas: Petrus & Petreitas, si Petreitas sumatur pro tota entitate Petri, siue dicendo entitas Petri: Deus & Deitas, si Deus sumatur vt concretum diuinitatis commune singulis personis. In his ergo terminis differentia solùm est, quòd abstractum dicitur ad modum formæ, concretum ad modum habentis formam. Sed difficultas est, quando concretum addit aliquid supra abstractum, vel scilicet subiectum, vel subsistentiam, quidnam primariò & principaliter significet.

De concreto accidentali Auicen. prima parte Logicæ cap. de Proprio dixit, per se & præcipuè significare subiectum, connotare autem formam. Sequitur Hurtad. disputatione 9. Metaphys. sect. 3. Et fauet Aristot. 7. Metaphys. tex 3. Vbi ait, concreta accidentium esse magis entia quàm abstracta, quia dicunt subiectum. Sed tamen non ait, præcipuè importare subiectum. Auerroes quinto Metaphysic. comm. 14. Diuus Thomas lect. 9. Durandus in primo distinctione 34. quæstione 1. num. 15. & alij vt plurimùm, tàm Theologi, quàm Philosophi, volunt per se & directè significare formam, connotare autem subiectum. Fauet Aristot. in Prædicam. Substantiæ dicens: *Nihil aliud significat album, quàm qualitatem*. Sed tamē ibi voluit solùm constituere discrimen inter nomina substantialia quæ ait significare quid, & nomina accidentalia quæ ait significare quale seu qualitatem, idest formam accidentalem; intelligens de formali significato. Sed alijs rationibus idem probat Fonseca quinto Metaphys. capite septimo quæstione quinta sectione 3.

De concreto substantiali pariter Durand. loco cit. & alij docere solent, significare per se & directè naturam, v. g. homo humanitatem, connotare autem subsistentiam & personalitatem. Fauet Sanctus Thomas prima parte quæstione 30. artic. 4. Sed Vasquez 1. par. disput. 130. num. 13. & disput. 55. num. 16. distinguit alia concreta naturæ, vt homo, equus, quidam homo, &c. alia concreta personæ, vt ipsum nomen personæ, item suppositum, hypostasis, & nomina etiam propria singularium, Petrus, Paulus, &c. Illa dicit, per se & directè significare naturam, hæc è conuerso per se & directè significare subsistentiam.

Concreta substātialia significant naturam & subsistentiam. Dicendum tamen videtur, concretum substantiale per se directè & intrinsecè significare tum subsistentiam tum naturam: concretum autem naturæ expressiùs significare naturam: concretum personæ seu suppositi expressius significare subsistentiam. Nam concretum substantiale directè significat id quod totum est & completum: sed hoc intrinsecè includit tum naturam tum subsistentiam. At concretum naturæ expressiùs sonat naturam, homo humanitatem: concretum personæ personalitatem; vt ex ipsis nominibus satis patet.

Accidentalia significant formam & subiectū. Item concretum accidentale per se & directè significare tum subiectum tum formam, sed magis expressè & specificè formam. Nam album est id quod habet albedinem, in quo significato directè includitur, tum subiectum quod est habens formam, tum albedo quæ inest subiecto. At albedo significatur expressè in specie sua: non autem significatur tale vel tale subiectum in specie. Item dici potest subiectum significari materialiter, forma formaliter: non quasi vnum significetur directè & intrinsecè, alterum significetur solùm connotatiuè & velut extrinsecè: sed vtrunque directè & intrinsecè.

Addi potest, concretum accidentale, præsertim in propositionibus, variare suppositionem: vt quando est prædicatum propositionis, principaliter dicat formam: quando est subiectum, principaliter dicat subiectum formæ. Nam quando dicimus paries est albus, homo est sapiens; maximè intendimus prædicare formam de subiecto: & ita

ex parte prædicati intenditur ipsa forma, quam affirmare volumus inesse subiecto. Quando autem dicimus, sapiens currit, hoc album est frigidum, signando niuem; maximè intendimus prædicare cursum & frigus, de illo quod est simul subiectum sapientiæ & frigoris. Et ita in similibus propositionibus, dum concretum accidentale subijcitur alteri prædicato, maximè supponit pro subiecto.

Aliud præcipuum dubium est, vnde propriè sumatur vnitas vel pluralitas cõcreti; ex parte formæ, an subiecti; ex parte naturæ, an subsistentiæ? Atque adeò si sit vna forma in pluribus subiectis, vel multiplex forma in vno subiecto, & similiter vna natura cum pluribus subsistentijs, vel multiplex subsistentia cum vna natura, an tunc dicetur vnum concretum, vel plura.

Concreta accidentalia sumũt vnitatem & pluralitatem ex subiecto.

De concretis accidentalibus dicendum est, vnitatem & pluralitatem sumi ex parte subiecti. Ita docet Sanctus Thomas prima parte quæstione 39. articulo tertio. & alij communiter approbant. Et sic etiam de omnibus concretis adiectiuis. Itaque si vna forma sit in pluribus subiectis, dicentur plura concreta: si eadem albedo poneretur à Deo in pluribus hominibus, absolutè dicerentur plures albi: similiter si plures personæ Diuinæ assumerẽt eandem humanitatem, dicerentur plures humanati & incarnati: & de facto cùm vna sit æternitas personarum Diuinarum, dicuntur personæ coæternæ & coæquales, videlicet sumendo hos terminos adiectiuè. E contra si plures formæ consimiles sint in vno subiecto; vt de facto sunt plures potentiæ in eodem homine, plures scientiæ in eodem intellectu: concretum dicitur vnum, vnus potens, vnus sciens, non plures potentes, plures scientes: & sic etiam si vna persona Diuina assumeret plures humanitates, diceretur vnus humanatus, incarnatus, non plures. Et ratio huius rei est: quia cùm nomen adiectiuum dicat formam per modum adiacentis subiecto, maximè determinatur per ipsum subiectum.

Substantialia & substantiua sumũt ex forma.

De concretis substantialibus & substantiuis, docet ex opposito idem Sanctus Thomas, vnitatem & pluralitatem sumi ex parte formæ: quia cùm nomen substantiuum dicat formam per modum per se stantis, maximè determinatur per ipsam formam. Et quidem in hac re certius est, ad multiplicationem talis concreti requiri prorsus multiplicationem formæ: ita vt si sit vna forma, vnum dicatur concretum. Sic tres personæ Diuinæ sunt & dicuntur vnus Deus, vnus etiam omnipotens, & vnus æternus, vt habetur in Symbolo Athanasij, sumendo hos terminos substantiuè, vt Theologi explicant. Similiter, etiam si forma significata nomine substantiuo sit accidentalis, idem valet. Vt, licèt denominatio creatoris & gubernatoris dicatur accidentaliter de Deo, tanquam denominatio extrinseca, vel relatio rationis; adhuc dicitur vnus creator, vnus gubernator.

Item ex subsistẽtia & subiecto.

Maius dubium est, an sufficiat pluralitas formæ, etiam sine pluralitate subiecti, ad multiplicationem concreti. Et quidem rursus si sumatur concretum personæ, planè constat sufficere multiplicationem personalitatis sine multiplicatione naturæ: sic sunt & dicuntur plures personæ Diuinæ, tria supposita, tres hypostases. Et ratio est: quia persona & suppositum sumitur tãquam subiectum. Vnde dum sunt plures formæ, idest personalitates, reputantur etiam plura subiecta. Sed dubium procedit, si sumatur concretum naturæ, essentquè plures naturæ in vno subiecto, in vno supposito: vt si vna persona Diuina assumeret plures humanitates. Multi docent, hoc sufficere ad multiplicationem concreti, dicique debere plures homines. Et ita docuit Sanctus Thomas in 3. d. 1. quæst. 2. artic. 5. ad argumenta. Sed postea idem Sanctus Thomas tertia parte quæst. 3. artic. 7. asserit, id non sufficere, & in eo casu dici debere vnum hominem, non plures homines: atque adeò ad multiplicationem talis concreti coniunctim requiri multiplicationem naturæ & subsistentiæ. Et hic modus loquendi magis ab alijs Theologis approbatur. Et absolutè est in vsu. Nam sic Christus de facto cùm habeat duas naturas substantiales & viuentes, dicitur vna substantia, vnus viuens: & Pater æternus, cùm habeat duas relationes principij, scilicet paternitatem & spirationem, dicitur vnũ prin-

principium: & in rebus humanis, vnus homo habens plures artes, dicitur vnus artifex, non plures artifices: faciens plura opera, dicitur vnus opifex: possidens plura regna, dicitur vnus rex: qui genuit plures filios, etiam in sententia dicente relationes multiplicari ad multitudinem terminorum, dicitur vnus pater. Potissima autem ratio huius rei est, vsus ipse loquendi: quo factum est, vt huiusmodi concreta singulariter dicta, significent vel vnitatem formæ, vel subsistentiæ & subiecti; pluraliter autem dicta significent pluralitatem vtriusque simul. Quæ autem ex his res Theologicas concernunt, exactè in proprijs locis & materijs, præsertim de Trinitate & Incarnatione, tractanda sunt.

SECTIO QVARTA.

An in Simplici Apprehensione detur veritas & falsitas.

HAec quæstio difficilis est, non solùm propter rem ipsam, sed præcipuè etiam ob varia Aristotelis loca, in quibus interdum affirmare, interdum negare videtur. Sed magna ex parte difficultas tandem resoluitur in modum loquendi.

Sententia negans de veritate & falsitate. Aristoteles hìc primo Periherm. cap. 1. perspicuè docet, veritatem & falsitatem non in simplicibus vocibus & conceptibus, sed tantùm in propositionibus & in compositione ac diuisione intellectus reperiri. Vnde concludit: ***Hircocervus aliquid significat: sed nondum verum aliquid vel falsum, nisi esse vel non esse addatur, vel simpliciter, vel secundùm tempus:*** id est nisi dicatur hircocerus est possibilis, aut non est possibilis; est, vel non est; fuit, vel non fuit. Idem repetit cap. 4. & significauit in Postprædicamen. capit. de Oppositis. Idem rursus planè docet libro tertio de Anima tex. 21. & 22., 4. Metaphysic. textu 27., & 6. Metaphysic. text. 8. Hinc Vasqu. 1. parte disputatione 75. contendit, in simplici apprehensione non reperiri veritatem. Refert pro eadem sententia Caietanū. Heru. & Durand. qui tamen solùm voluerunt, non ita reperiri veritatem in apprehensione, sicut in iudicio. Alioqui Caietanus non solùm veritatem, sed etiam falsitatem, primæ operationi concedit, vt infra referemus.

Ex opposito idem Aristot. alijs in locis planè concedit simplici apprehensioni veritatem, imo docet esse semper veram & nunquam falsam. 3. de Anima textu 26. cùm dixisset, semper cùm dicimus aliquid de aliquo, eam dictionem & affirmationem esse veram aut falsam, subdit: ***Intellectus autem non omnis, sed qui est ipsius quid est, verus est, & non aliquid de aliquo. sed vt visio proprij vera est; si autē album homo aut non, non semper verum est; sic se habent quæcunque sine materia sunt:*** idest enunciatio quidem est capax tum veritatis tum falsitatis: at non omnis intellectus, non omnis alius actus intellectus, est capax vtriusque: sed intellectus simplex qui est circa quid est rei, est omnino verus, nec dicit aliquid de aliquo, sed tantùm simpliciter cōcipit quid est rei. Sicut enim non fallitur visio circa proprium sensibile, sed deceptio contingit in applicando albedinem v. g. huic vel illi subiecto: sic etiam se habent spirituales cognitiones intellectus quæ sunt sine materia. Et hoc ipsum voluerat Aristot. textu 21. vbi dicebat: ***Indiuisibilium intellectio in ijs est, circa quæ non est falsum: in quibus autem falsum iam & verum est, compositio quædam tum est conceptuum.*** Similiter nono Metaphysic. tex. 22. expressè concedit simplici notitiæ veritatem. *Sententia affirmans de veritate, negans de falsitate.*

Iuxta hoc, communis satis sententia docet, in simplici apprehensione reperiri veritatem, non tamen falsitatem, sed omnem apprehensionem esse veram. Ita Auerr. 3. de Anima com. 27. Alensis & Aphrodis. 9. Metaphys. prope finem, Albert. 3. de Anima tract. 3. cap. 5. & alij circa loca allegata Aristot. S. Thom. tum circa eadem loca, tum Opusc. 48. tract. de Enunciat. cap. 5., 1. par. quæst. 16. & 17. & alibi, Capreol. in 1. dist. 19 art. 1. concl. 3. Aegid Quodl. 4. q. 7 Ferr. 1. con. Gent. c. 59 Fonsec. 4. Met. c. 2. q. 6. sect. 4. Viguer. instit. de Anima sensit. § 8. vers. 2. Conimbr. & alij recentiores hìc 1. Periherm. cap. 1. vt plurimum etiam recentiores Theologi 1. par. circa quæst. 16. & 17. Tolet. verò 1. Periherm. cap. 1. q. 2.

& Suarez disp. 8. Met. sect. 3. licèt concedant simplici notitiæ veritatem, tamen dicunt esse veritatem transcendentalem, quæ est omnibus entibus communis.

Sententia affirmans de veritate & falsitate. Demum idem Arist. 9. Met. tex. 21. videtur simplici apprehensioni tribuere, nō solùm veritatem, sed etiam falsitatē. ait enim: *Non est decipi circa quid est, nisi secundùm accidens*: concedit ergo saltem per accidens dari posse falsitatem in cognitione attingente quid est, quæ est simplex apprehensio. Eodem modo loquitur S.Thom. 1. par. q. 17. art. 3. & quæst. 85. art. 6. & 1. contra Gent. cap. 59. & expressè Caiet. 1. par. quæst. 58. art. 5. §. Ad hanc dubitationem, & Valent. quæst. 17. de Deo, puncto 2. Hurtad. disput. 9. de Anima, sect. 2. & quidam alij, concedunt in prima operatione nostri intellectus dari posse falsitatem.

Conclusio negãs falsitatem. Dico primò. In simplici apprehensione & prima intellectus nostri operatione non inuenitur falsitas. Hæc conclusio est cōis. Et primò, est claré de mente Arist. non solùm alijs in locis in 1. & 2. sententia relatis, sed etiam in vltimo loco allegato in tertia sententia. Nam ibi planè docet, non contingere per simplices cōceptus intellectum falli ac decipi, sed potius non attingere & ignorare obiectum. Aut enim intellectus concipit aliquod obiectum; & talis conceptus semper est verus, idest verè repræsentat & attingit tale obiectum: aut si non illud concipit, sic penitus ignorat, & non attingit; per quod vt patet non dicetur falli & decipi. Dum verò ait, non est decipi circa quid est, nisi per accidens; non vtique voluit affirmare, in simplici apprehensione circa quid est esse posse falsitatem: sed in cognitione ipsius quid est, quæ potest haberi per compositionem & iudicium, si sæpè affirmetur de re essentia et definitio quę illi verè nō competit. Et ideò ait, per accidens: quia essentia rei per se petit simpliciter concipi, & satis concipitur per simplicem conceptum explicitum. At per accidēs fieri potest, vt per distinctionem conceptus impliciti & expliciti, admisceatur cōpositio in cognitione ipsius quid est, vt vni rei attribuatur essētia aliena: & ita per accidens in cognitione ipsius quid est, per admixtionē. f. cōpositionis & affirmationis, inueniatur falsitas.

Idem prorsus voluit S.Tho. qui id perspicuè explicauit, non solùm prima parte quæst. 17. & quæst. 85. sed clarissimè quæst. 58. art. 5., quæst. 1. de Verit. art. 12., in 1. d. 19. quæst. 5. artic. 1. ad 7. 6. Met. lect. vltima, & 9. Met. lect. vlt. vbi sic exponit dictum Arist. *Quomodo decipietur aliquis circa quid est, considerandū est: non enim decipitur quis circa quod quid est, nisi componendo & diuidendo: vt si quis diceret, asinum esse animal rationale mortale, aut hominem non esse animal rationale, aut esse animal insensibile.* Vnde ex his debet declarari quod 1. contra Gent. cap. 59 vocat intellectum incomplexum, cui attribuit per accidens falsitatem, & vocat apprehensionem circa quid est. Vocauit enim intellectum incomplexum & apprehensionem, omnem cognitionem circa quid est, complectendo etiam iudicium & compositionem ex parte intellectus, vt dicebamus sectione præcedenti.

Secūdò ratione est satis clarum, in simplici apprehensione non inueniri falsitatem, quando concipiuntur termini sine propositione. *Rationibus probatur.* Nam vel concipiuntur res quæ sunt, & ibi nulla falsitas est, vt patet: vel res quæ non sunt, sunt autem possibiles; & ibi etiam nulla est falsitas, nisi intellectus affirmat tales res esse: vel quæ nec etiam possibilia sunt, & ibi etiam intellectus non fallitur, donec affirmet talia esse, vel esse possibilia. Sic notauit optimè Aristoteles hoc loco, cōcipiendo hircoceruum, non concipi falsum, nisi addatur esse, vel simpliciter, vel secundùm tempus. Itaque, etiam si concipiantur termini complexi in quibus coniungantur partes incompossibiles, v. g. animal insensibile, Angelus corporeus: adhuc intellectus non fallitur, nisi addat, dari Angelum corporeum, animal insensibile: alioqui in solo simplici conceptu prorsus non datur falsitas; vt à fortiori constabit ex conceptu propositionum.

Tertiò etiam quando intellectus simplici cōceptu apprehendit propositiones falsas & impossibiles, non dicitur falli & decipi. Nā hunc simplicē cōceptum etiam format quisquis audit ab alio proferri aliquā talem propositionē, etiam si apertè falsam, aut etiam contra fidem: neque

vnquam

vnquam ob talem apprehensionem quis dicetur falli errare & decipi: dummodo non præbeat assensum tali propositioni. Atque post talem conceptum indifferens adhuc manet intellectus ad assentiendum aut dissentiendum, ad iudicandum propositionem esse veram aut falsam: ergo per illum solum conceptum dici non potest falli.

Quartò à priori. Falsitas est disconformitas cognitionis ad rem: disconformitas autem est, quando quis putat rem esse aliter quàm reuera est, v. g. Angelum esse corporeum. Nam si non putet id esse, sed tantùm percipiat significatum huius propositionis, concipiat quid sit Angelum esse corporeum, quis sit sensus illorum verborum, non disconformatur cum eo quod reuera Angelus nó est corporeus. Sed ad primam operationem tantùm pertinet simpliciter apprehendere propositionem quoad quid est, idest sensum & significatum propositionis; non autem determinatè affirmare ipsam propositionem, vt antea ostensum est: ergo non datur in illa falsitas. Confirmatur, etiam si quis affirmatiuè dicat, explicando sensum illius propositionis; Angelum esse corporeum significat gradum corporeitatis inesse Angelo: vtique non fallitur, nihil falsum dicit: ergo non potest inesse falsitas simplici apprehensioni, qua tantùm percipitur quid est rei, seu significatum propositionis.

Conclusio negãs veritatẽ perfectam & determinatam. Dico secundò. In simplici apprehensione non inueniri veritatem perfectam & rigorosè dictam, quæ est opposita falsitati. Hæc assertio non est contra Auctores secundæ sententiæ, qui potius loquuti sunt in sensu conclusionis sequentis. Et primò sanè est de mente Arist. in illis locis, in quibus pariter veritatem ac falsitatem simplici apprehensioni denegat. Ibi enim loquutus est de illa veritate, quæ est contraria falsitati, & quæ est perfecta veritas. Idem etiam voluit Sanctus Thomas, qui 1. par. quæst. 16. art. 2. & alibi sæpè, docuit non inueniri veritatem in prima, sicut in secunda operatione: & ibi ait, propriè loquendo veritatem inueniri tantùm in intellectu componente & diuidente, non autem in intellectu cognoscente quod quid est.

Rationibus probatur. Secundò manifesta ratione probatur. Veritas opposita falsitati est, quando determinatè cognoscitur esse quod est, & non esse quod non est: sicut è contra falsitas est, quando putatur esse quod non est, vel non esse quod est. Sed hic modus cognoscendi non competit primæ operationi, vt antea ostendimus: ergo neque hic modus veritatis. Hæc etiam planè est perfecta veritas, quando sic determinatè res cognoscitur. Nam per solam apprehensionem de re siue de significato propositionis, sine determinato iudicio, non perfectè cognoscitur; sed tunc perfectè cognoscitur, quando determinatè iudicatur. Non nisi ergo in notitia iudicatiua, perfecta veritas inuenitur.

Tertiò. In communi & consueto modo loquendi, tunc dicitur quispiam veram cognitionem habere, quando determinatè putat rẽ se habere sicut reuera se habet: sicut tunc dicitur decipi & falli, quãdo secus putat. Item tunc dicitur quis verum proferre, quando quicquam profert determinatè affirmando aut negando, Angelus est spiritualis, Angelus non est corporeus: sicut è contra dicitur falsum proferre, seu mentiri, quando oppositum profert. Alioqui ex eo quòd solùm pronunciat simplices terminos, aut complexos, siue etiam proferat aliquid per modum propositionis sine determinatione, vt dicendo tantùm Angelum esse corporeum, non addendo est impossibile, est possibile; aut dicendo, si Angelus esset corporeus, vbi etiam nihil determinat: non dicitur verum aut falsum proferre. Veritas ergo rigorosè dicta, non inuenitur nisi in determinato iudicio, & in propositione externa exprimente tale iudicium.

Conclusio concedens aliquam simplicem veritatẽ. Dico tertiò. Aliqua simplex & imperfecta veritas debet simplici apprehensioni concedi. Hæc est de mente Auctorum secundæ sententiæ. Et primò planè est Aristot. in illis testimonijs secundo loco allegatis: manifestè enim tribuit simplici apprehensioni veritatem; quanuis prorius deneget falsitatem. Neque benè ait Vasquez capite secundo, Aristotelem voluisse solùm concedere aliquid ad instar veritatis, non propriè veritatem. quem sensum elicere

conatur ex 9. Metaph. tex. 22. Vbi Arist. videtur prius negare in simplici notitia veritatem, & postea concedere; & ita ait debere intelligi aliquid instar veritatis. Hoc inquam non benè dicitur: quia sic fiet quæstio de solo nomine, an debeat appellari veritas, vel aliquid instar veritatis. Et ipse Vasquez supponit controuersiam esse de nomine: at certè Aristoteles appellauit veritatem, non autem dixit instar veritatis: ergo si ex verbis Aristot. legitimus loquendi modus sumendus est, debet in simplici notitia appellari veritas. Et in illo loco nono Metaph. planè explicauit Aristot. non esse in simplici notitia eam veritatem quæ est in iudicio, sed esse quandam aliā veritatem. Nec etiam dici potest, Aristot. in illis locis solùm voluisse, simplicem apprehensionem esse veram virtualiter seu causaliter, quia est causa veri iudicij. Nam planè docuit, secundùm se & per se, vt notitia quædam est, & non per ordinem ad aliam consequentem notitiam, esse veram per aliam diuersam veritatem formaliter illi conuenientem.

Rationibus probatur. Secundò ratione probatur. Quia in simplici apprehensione datur vtique quædam conuenientia cum obiecto, vt fatetur Vasquez cap. 4. in principio, siue quædam conformitas ad obiectum, & quædam similitudo repræsentatiua. Hæc autem conuenientia & conformitas, appellatur veritas. Nam sic etiam dicere solemus, dum quis concipit animal rationale, hunc esse verum conceptum hominis, hanc esse veram apprehensionem hominis. Similiter dici solet, hæc est vera imago Cæsaris, ob solam simplicem repræsentationem Cæsaris: ergo sine complexione & determinatione debet adhuc veritas in simplici repræsentatione nominari. Dicetur autem hæc veritas imperfecta: quoniam non est illa rigorosa & determinata veritas, quæ consistit in iudicando rem esse sicut est, hominem esse animal rationale. Dicetur etiam simplex: quoniam in simplici notitia reperitur, & propriè appellari solet veritas incomplexa, ad differentiam veritatis iudicatiuæ, quæ appellatur complexa.

Tertiò, hæc veritas in omni prorsus apprehensione reperitur. Nam omnis apprehensio est repræsentatio sui obiecti, atque adeò illi conueniens & conformis, siue obiectum sit possibile, siue aliquid impossibile. Nam non est contra veritatem, apprehendere obiectum impossibile, dum non iudicatur esse, vel esse possibile: imo relinquit intellectum expeditum ad eliciendum verum iudicium de impossibilitate talis obiecti.

Quartò. Hæc veritas non est transcendentalis illa quæ est communis omnibus entibus: sed est propria cognitioni, & consistit in repræsentando obiectum: igitur est veritas quædam repræsentatiua, & propria huius cognitionis. Et, si Suarez volebat hāc esse solùm veritatem transcendentalem, non erat cur in simplici apprehensione rationem aliquam iudicij excogitaret, vt defenderet omnē veritatem esse in iudicio. Neque cur tantoperè laboraret in distinguenda veritate apprehensionis à veritate iudicij: sicut ipse facit.

Cur secūda operatio, non autem prima, sit obnoxia falsitati. In contrarium obijcies primò, ex Valent. ad probandum in simplici apprehensione contingere falsitatem. Non solùm secunda, sed etiam prima intellectus nostri operatio, dependet ex specie intelligibili: sed potest species intelligibilis esse imperfecta, aut imperfectè recipi in potentia, & ideò contingit falsitas in secunda operatione: ergo pariter potest in prima contingere.

Respondetur. Contingere falsitatem in secunda operatione, quia hæc determinatè iudicat rem esse aut non esse: vnde potest iudicare aliter ac est. Sed quia prima operatio tantùm percipit quid est rei, sine vlla determinatione, ideò nec ex defectu speciei intelligibilis, nec ex alio capite, est capax falsitatis.

Cur simplex apprehensio sit conformis, non autē difformis obiecto. Obijcies secundò. Conceptus simplex qui est conformis vni rei, est eo ipso disconformis alteri rei diuersæ & oppositæ: vt conceptus animalis rationalis, est conueniens homini, est disconueniens leoni: sed falsitas est disconuenientia conceptus ad rem: ergo in simplici conceptu datur falsitas. Et saltem quando intellectus quærens essentiam vnius rei, accipit talia prædicata quæ non sunt vera essentia illius rei; vt si quærens essentiam Angeli, accipiat substantiam corpoream immortalem: debet

talis

talis conceptus dici falsus conceptus Angeli.

Respondetur. Verè conceptum vnius rei non esse conformem & conuenientem alteri, sed non per hoc dici debet positiuè disconformis, neque falsus. alioqui omnis conceptus alicuius rei, dicendus erit falsus per comparationem ad omnes alias res, etiam conceptus mentis diuinæ; quod est absurdissimum. Falsitas ergo est disconformitas ad illam rem quæ est obiectum cognitionis, non ad quamcunquè aliam rem. Vnde non dicetur conceptus ille animalis rõnalis, falsus cõceptus leonis, sed non conceptus leonis. Quando etiam intellectus quærens essentiam vnius rei, accipit essentiam aliquam illi repugnantem; vt concipiendo substantiam corpoream immortalem: simpliciter non concipit essentiam illius rei quam quærebat; sed aliam, vel alterius entis possibilis, vel etiam obiecti realiter impossibilis: & ideò adhuc non dicetur falsus conceptus illius rei, sed non conceptus illius rei: quia falsitas non est disconuenientia ad rem quam quis quærebat concipere, sed deberet esse per ordinem ad rem quæ de facto concipitur. Hic autem est quidam defectus contingens in intellectu, qui dicetur potius non attingentia rei quæsitæ, vt dicemus sect. sequenti, & planè sumitur ex Arist. 9. Metaph. tex. 22.

An per primam operationem possit apprehendi res aliter ac est.

Obijcies tertiò. Per conceptum simplicem potest apprehendi res ipsa aliter ac est, vt Angelus tanquam corporeus, canis tanquam discursiuus: coniungendo simul duas partes realiter incompossibiles: & tunc planè datur disconformitas ad rem quæ concipitur: ergo falsitas.

Respondent aliqui, in tali casu nec etiam concipi illam rem cui repugnat prædicatum quod illi adiungitur; sed concipi aliud quid, vel possibile, vel impossibile: & alioqui admittunt, intellectum per primã operationem determinatè attribuere prædicatum subiecto, corporeitatem Angelo. Sed certè negari non potest, apprehendi rem illam cui prædicatum adiunctum repugnat. Nam in propositionibus falsis vtique attribuitur prædicatum illi subiecto cui reuera repugnat. At propositio ipsa falsa quæ iudicatur, etiam apprehenditur. & vtiquè potest apprehendi quid sit coniunctio, siue quid significet propositio in qua tali subiecto attribuitur tale prædicatum: & hoc modo potest concipi, quid significet ille qui dicit Angelos qui realiter sunt esse corporeos, Solem qui de facto est esse bipalmarem, & similia. Itaq. si prima operatio intellectus haberet determinatè attribuere prædicatum subiecto, omnino esset capax falsitatis.

Respondetur ergo, Per simplicem conceptum posse apprehẽdi Angelum vt corporeum, & similia, tantùm quoad quid est, idest percipiendo significatum huius coniunctionis: quod passim contingit, absque non solum deceptione, sed nec imperfectione intellectus: dum, v. g. audimus quempiam loquentem, & percipimus significatum loquutionis. Non posse autem per simplicem conceptum determinari rem quoad an est, sed hoc iam spectare ad secundam operationem. Per illam autem apprehensionem quoad quid est, non disconformatur intellectus ipsi rei. Nam res est, quòd Angelus non est corporeus: tunc ergo solùm intellectus disconformatur huic rei, cùm determinatè putat quoad an est Angelum esse corporeum. Apprehendere autem quid significet Angelum esse corporeum, planè non opponitur, non disconformatur illi rei. Quinimo in intellectu potest optimè consistere simul hæc apprehensio, & iudicium determinatum quod Angelus non sit corporeus.

An magis in cognitione sensitiua detur falsitas.

Obijces quartò. In cognitione sensitiua inuenitur falsitas, vt planè docuit Arist. 2. de Anima text. 156. & 161. & sæpe alibi, & approbat S. Thom. 1. part. quest. 17. art. 2. & quæst. 1. de verit. art. 9. & alibi: ergo etiam in simplici apprehensione intellectus. Respondet Suar. disp. 9. Metaph. sect. 1. num. 16. supponens quidem, pariter se habere cognitionem sensitiuam, & in intellectu apprehensiuam: & dicens, nec etiam sensum propriè falli: quia quando sensus videtur apprehendere rem exteriorem aliter quam in re existat, non tàm apprehendit illam, quàm potius aliam loco illius. Sed certè negari non potest, sensum ferri in illam ipsam rem quæ ei exteriùs obijcitur. Et quando apparet remus fractus in aqua, vel Sol apparet tanquam bipalmaris: vtique remus ipse qui realiter est, & Sol

qui realiter est, conspicitur.

Respondetur ergo, In cognitione sensitiua inueniri falsitatem, atque etiam determinatam veritatem, sumendo falsitatem & veritatem, non pro difformitate & conformitate intellectus ad rem, sed pro difformitate & conformitate cuiuscunque cognitionis. Et perspicuè Sanctus Thomas locis citatis, & eadem quæstione de Verit. art. 11. sensui tribuit falsitatem & veritatem secundùm rationem iudicij. Non ergo pariter se habet cognitio intellectus apprehensiua cum cognitione sensitiua. Sed, sicut antea dicebamus, in cognitione sensitiua inueniri determinationem iudicij, quæ non inueniebatur in sola apprehensione intellectiua: ita nunc admitti debet falsitas & veritas determinata. Quæ tamen materiali & valde imperfecto modo se habet in sensu: vnde cognitio sensitiua est longè inferior omni cognitione intellectiua. Explicat tamen Sanctus Thomas, falsitatem per accidens contingere in sensu, vt loquitur Aristoteles: quia vel contingit ex accidentali indispositione organi: vel quia vt plurimum est circa sensibilia quæ dicuntur communia, quæ etiam per accidens sentiri dicuntur.

An in simplicibus vocibus detur veritas.

Obijcies quintò ex Vasq. ad probandum nullo modo dari in simplici notitia veritatem. Non datur veritas in simplicibus vocibus: nam cum quis audit quempiam dicentem, homo; non potest dicere verum aut falsum est. & licèt dici soleat, hoc est verum nomen talis rei, in hoc planè inuoluitur enunciatio, ac si dicatur, verum est hoc nomen esse impositum tali rei: vel solùm dicitur verum nomen, quia per se est causa veræ enunciationis. Ergo sic in simplicibus conceptibus non datur veritas.

Respondetur. In simplicibus vocibus non dari determinatam illam veritatem, sicut nec falsitatem, quæ est in propositionibus: sed dici etiam posse, dari veritatem simplicem, quæ consistit in significando talem rem: sicut dicebamus veritatem simplicis conceptus consistere in repræsentanda re. Et licèt cùm dicimus hoc est verum nomen huius rei, hæc sit verè enũciatio: tamen enunciamus veritatem simplicem de simplici termino; sicut etiã dicebamus simplicem conceptum esse verè conceptum talis rei: non solùm quia vox sit causa veræ enunciationis: sed per se & ob suam significationem rectè etiam dici potest verum nomen talis rei.

Quare simplex apprehensio sit subiectum veritatis & non falsitatis.

Obijcies sextò ex eodem. Si in simplici apprehensione non datur falsitas: ergo nec veritas, quia idem est subiectum contrariorum: neque potest vnum subiectum esse capax vnius contrarij, & non alterius.

Respondetur. In simplici apprehensione non dari illam veritatem quæ est contraria falsitati: sed dari aliam simplicem quæ non habet contrariam falsitatem. Quare sicut omnis apprehensio habet repræsentare obiectum, & nulla apprehẽsio est quæ habeat aliquam rationem cõtrariam repræsentationi: quoniam non datur talis ratio contraria. Ita omnis habet veritatem in ordine ad suum obiectũ, nullaque est falsa: quia non datur falsitas contraria simplici veritati. Sicut etiam omnis res est vera transcendentaliter, nec in aliqua re datur falsitas huic contraria veritati.

An in alijs rebus simplicibus detur tàm falsitas quàm veritas.

Obijcies septimò. In quibusdam alijs rebus, in quibus conceditur simplex veritas, inuenitur etiam falsitas: vt in operibus artificialibus; quæ vera dicuntur quando concordant, falsa quando discordant ab idæa artis: & in operibus moralibus, quæ vel concordant, vel discordant cum regula rectæ rationis: & in imaginibus repræsentatiuis pictis, aut sculptis, quæ vel conformantur, vel disconueniunt cum rebus repræsentatis: ergo similiter in simplicibus conceptibus, vel tam falsitas quam veritas, vel neutra inuenitur.

Respondetur. Suarez disput. 9. Metaph. sect. 1. num. 10. & duobus sequentibus, explicat, in operibus artificialibus & moralibus non inueniri propriè falsitatẽ. Sed non oportet modò de hoc contendere. Si ergo in ijs appelletur veritas & falsitas per respectum ad idæam artis & regulam rationis; quia in ijs potest dari tum conformitas tum difformitas: sic inuenitur tum veritas tum falsitas. Sed quia veritas simplicis apprehensionis, dicitur per ordinem ad obiectum repræsẽtatum, nec potest in illa dari nisi conformitas: ideò datur veritas, & non falsitas. In ima-

imaginibus verò repræsentatiuis potius datur non repræsentatio, vel in toto vel in parte, quando imago non est consimilis alicui rei. Et ita imago non consimilis Cæsari, impropriè diceretur falsa imago Cæsaris: sicut si conceptus hominis diceretur falsus conceptus leonis. Vnde Aristoteles 9. Metaph. tex. 22. rectè monuit, debere appellari potius non attingentiam seu ignorationē illius obiecti quod non repræsentatur, quàm falsitatem.

SECTIO QVINTA.

Quænam sit Simplicis apprehensionis rectitudo, & qui defectus: Deque eius directione.

Veritas assignata nō est sufficiens rectitudo. Veritas quam iam explicauimus & simplici apprehensioni concedimus, non potest sufficienter assignari tanquam rectitudo intenta in primo actu cognitionis intellectiuæ; quasi posset esse aliqua apprehensio non vera sed falsa: & ideò per logicam directionem enitendum sit, vt omnis sit vera & nulla falsa. Siquidem diximus, ex se omnem apprehensionem esse veram. Nulla ergo arte indiget, vt si apprehensio est, vera sit. Sed, exclusa etiam falsitate ab hac prima operatione, alij defectus explorandi sunt, & rectitudo illis opposita inuenienda: vt ab ijs defectibus ad rectitudinem oppositam simplex apprehensio dirigatur.

Aliqui defectus recensentur & rectitudo illis opposita. Primò. Potest deficere intellectus merè negatiuè, penitus ignorando & non concipiendo res. Rectitudo opposita erit, simpliciter concipere & apprehendere res.

Secundò. Alius defectus est difficultas in percipiendis & apprehendendis rebus: quam difficultatem experiuntur homines rudes & tardi, ij etiam qui nouiter aliquam scientiam aggrediuntur. Rectitudo opposita erit, facilitas et promptitudo in percipiendis ijs quæ audiuntur: aut quomodocunque se offerunt cogitanda & cognoscenda.

Præsertim defectus obscuritatis & rectitudo claritatis. Tertiò. Alius defectus est obscuritas & confusio, quando videlicet intellectus rem implicitè apprehendit, non discernendo clarè & distinctè rei quidditatem, non distinguendo ea quæ distingui deberent, vel confundendo plures res simul, substantiam & accidentia quæ illi insunt, quantitatem, qualitates &c. Rectitudo opposita erit, claritas & distinctio, quando intellectus explicitè & exactè res apprehendit, cum debita distinctione & adæquatione. Cùm v. g. in concipiendo hominem, distinctè sumimus ex vna parte substantiam hominis, ex alia accidentia. Deinde in substantia hominis, & sic etiam in alijs rebus, distinctè concipiendo essentialia prædicata, ea in quibus res conueniunt, & ea in quibus differunt: vt concipiendo animal rationale, animal per quod homo conuenit cum brutis, & rationale per quod ab ijs differt. Itaque eandem prorsus rem concipimus, quando concipimus, homo, & quando concipimus, animal rationale. Sed vno modo concipimus implicitè & confusè, alio modo explicitè & distinctè. Sicut quando ædificium aliquod intuemur à longè, non discernentes singulas partes eius, obscurè & confusè videmus: quando autem de propinquo conspicimus & contemplamur, videmus idem ædificium clarè & distinctè.

Et sicut dictū est, in homine clarè concipiendo debere explicitè apprehendi animal rationale: ita rursus in concipiēdo ipso animali, distinctè concipienda sunt prædicata essentialia eius, videlicet corpus, viuens, sensitiuum. Item, vt explicitè concipiatur corpus, debet concipi substātia cum ratione corporeitatis: & in substantia ens per se existens: vt ita deueniatur ad prædicata suprema quæ nō possunt in alia resolui. Et vt dixit Aristot. 2. Poster. cap. vlt. quousque ad ea perueniatur quæ partibus vacant. Veruntamen non potest intellectus noster in statu præsenti ob suam imbecillitatem, hos omnes simul gradus essentiales, incipiendo à rebus infimis vsque ad suprema prædicata, vno simplici conceptu & apprehēsionis actu complecti: sed indiget pluribus actibus, vt satis experientia patet. Et propterea cōparādo primum illum conceptum confusum hominis, & alium conceptum animalis rationalis:

hic

hic dicitur conceptus explicitus & distinctus: licèt inquam non sit adhuc omninò explicitus: tamen ad differentiam primi illius conceptus prorsus impliciti.

Assignatur quidã error non attingentiæ, & rectitudo opposita.

Quartò demum, alius defectus in simplici apprehensione contingit, qui dici potest error quidam non attingentiæ. Interdum enim accidit, vt quis inquirens & intendens explicitè concipere essentiam alicuius rei, non illam attingat, sed aliam diuersam ac repugnantem. Vt si quis inquirens essentiam & definitionem Angeli, accipiat animal immortale: vel inquirens definitionem circuli, acciperet hanc, figura habens tres angulos, quæ est definitio trianguli. Itaque dupliciter contingit hic defectus: vt sumitur ex Diuo Thoma prima parte quæstione 17. artic. 3. vel coniungendo plura prædicata inter se incompossibilia & repugnantia, ex quibus non conficitur aliqua realis essentia, sed ficta & chimerica: vel loco definitionis vnius rei quam inquirimus, accipiendo definitionem alterius rei, quæ in se quidem realis sit, tamen repugnet illi rei cuius definitio quærebatur.

Sic intellectus deficit & errat in apprehensione rerum. Non vtique quasi per primam operationem determinatè attribuat talem essentiam tali rei, affirmando Angelum esse animal immortale: quia dum ad hanc determinatam affirmationem deuenitur, iam admiscetur compositio & secunda operatio, quæ erit falsa. sed quia in ipsa prima operatione apprehenditur definitio illa animal immortale, quando quærebatur essentia longè diuersa, nempè essentia Angeli: aut ad summum apprehenditur, quoad quid est, siue quoad significatum propositionis, quid sit Angelum esse animal immortale; quando quærebatur coniunctio veræ essentiæ cum ipso Angelo.

Hic autem defectus dici potest error non attingentiæ. Error, non quidem sumendo errorem pro deceptione & falsitate: sed in eo sensu quo dicere solemus, quempiam qui non assequitur quod intendebat, aberrasse à suo intento. Error etiam causaliter: quia talis defectus est causa falsæ & erroneæ affirmationis in iudicio sequente ad talem apprehensionem, vt nempè intellectus iudicet & affirmet Angelum esse corporeum. Sic dixit Aristoteles quinto Metaphys. tex. 34. Res ipsas posse dici falsas, quatenus aptæ sunt interdum causare falsam existimationem, quando apparent aliter quàm sunt; sicut vmbræ & picturæ. Et sic aurichalcum dicitur falsum aurum, non dicitur falsum argentum; quia cùm habeat colorem auri, aptum est causare falsam existimationem qua putetur aurum.

Dicetur etiam error non attingentiæ ex modo loquendi Aristotelis nono Metaphysicæ textu 22. quia videlicet dum quis quærens essentiam vnius rei, & ita concipere explicitè talem rem, accipit essentiam alienam: reuera in concipienda tali essentia aliena, non attingit illam rem quam quærebat; sed aliam disparatam: vel aliam rem, si accepit essentiam realem alterius rei; vel ens rationis & fictum, si accepit essentiam absolutè repugnantem.

Rectitudo autem huic defectui opposita est manifesta, nimirum propria attingentia rei quam quærimus explicitè & distinctè concipere: cùm nempè accipimus veram & legitimam essentiam propriam talis rei.

Ad directionẽ simplicis apprehensionis sufficit directio cõmunis cognitionis.

Cæterùm directio huius primæ operationis, non exigit vlteriùs alium peculiarem tractatum, præter ea quæ tradita sunt communiter ad directionem nostræ cognitionis. Præsertim autem iuuatur directio simplicis apprehensionis per definitionem & diuisionem, de quibus iam antea egimus, & per distinctam enarrationem rerum in tractatibus præmissis, tum vniuersalium, tum prædicamentorum.



QVAESTIO

QVÆSTIO VIGESIMAQVARTA.

De Secundo actu Cognitionis intellectiuæ, nempè Iudicio & Enunciatione.

SEcundus actus nostræ intellectiuæ cognitionis solet per coniunctionem duplicis nominis appellari, Compositio & Diuisio. Sed vnico & adæquato nomine, magisquè expressiuo huius cognitionis, Iudicium commodè appellatur: & hoc libentiùs vtimur. Coniungimus Enunciationem: quia vel sumitur mentaliter pro ipso iudicio: vel sumitur vocaliter: aut per modum ideæ, tanquam instrumentum directiuum iudicij: vt prædiximus quando egimus in communi de instrumentis directiuis nostræ cognitionis. Et multa commodiùs de Enunciatione tradentur, quæ ad directionem iudicij faciunt. Et Aristoteles in libris Periherm. maximè de Enunciatione pertractat. Cæterùm nomen iudicij commune est etiam discursui siue iudicio illatiuo. Et certè pleraque quæ de iudicio dicentur, communia erunt omni notitiæ iudicatiuæ. Sed appropriato sibi nomine, specialiter Secunda operatio nomine iudicij intelligitur: & de hac specialiter modò agimus.

SECTIO PRIMA.

Quid sit Iudicium, & quod obiectum habeat.

Iudicium explicatur.

IN primis, Iudicium est actus quo intellectus determinatè cognoscit rem esse vel non esse, affirmando vel negando. Qui actus in nostro intellectu satis experientia ipsa notus est. Affirmamus hominem esse animal rationale: negamus hominem esse Angelum, esse leonem: & sic de alijs rebus. Hoc est iudicare. Hi actus sunt iudicium. Et omne iudicium, vel est affirmatiuũ vel negatiuum: vel est assensus vel dissensus. Et per hoc quòd determinatè cognoscimus rem esse aut nõ esse, iudicium differt à simplici apprehensione: vt manifestum est ex dictis quæstione præcedenti. Vtquè vlteriùs iudicium secundæ operationis distinguatur à iudicio illatiuo tertiæ operationis, addendum est, quo intellectus absolutè & per se, non verò inferendo vnum ex alio, affirmat aut negat.

Est actus distinctus à simplici apprehensione.

Secundò. Iudicium in nostro intellectu est actus realiter & essentialiter distinctus à simplici apprehensione, ad differentiam intellectus Diuini & Angelici. Nam Deus iudicat quidem, & perfectissimè cognoscit res sicuti sunt: Angelus quoque iudicat & determinatè cognoscit: sed non per distinctum actum apprehendẽdo & per alium iudicando: sed vno simplici actu & intuitu totũ cognoscendo. Ita habetur ex Diuo Thoma prima parte quæst. 14. art. 14. & quæstione 58. art. 4., primo contra Gent. capite 59. & alibi. At intellectus noster ob sui imbecillitatem & imperfectionem non potest vnico actu & simplici intuitu totum cognoscere, & veluti adæquare totam cognoscibilitatem obiecti: sed indiget distinctis actibus, vno quo simpliciter concipiat & apprehendat rem, alio quo determinatè cognoscat affirmando aut negando. Ita habetur ex Diuo Thoma ijsdem locis, & præcipuè prima parte quæst. 85. art. 5. vbi propterea comparat intellectum nostrum cum rebus naturalibus, quæ non statim ab initio, sed successiuè per plures operationes, opus habent suam perfectionem acquirere.

Distinctus realiter et essentialiter.

Hinc patet, iudicium esse actum tum realiter tum essentialiter à simplici apprehensione distinctum. Alius enim actus est quo rem simpliciter concipimus, alius quo determinatè iudicamus. Et potest ac solet ille actus inueniri sine alio: quando percipimus quidem rem, sed non adhuc affirmamus aut negamus quicquã. Et alia est essentia specifica huius actus quo determinatè cognoscimus, ab essentia illius actus quo tantùm simpliciter apprehendimus. Neque cogitari potest, hos actus esse tantùm numericè distinctos: quia planè aliter distinguuntur vnus

vnus actus apprehensionis & alius iudicij: quàm vel duo actus apprehensionis, vel duo actus iudicij. Inter illos enim manifestè apparet distinctio essentialis in specie eorum actuum.

Si quis autem diceret, hunc esse quidem frequentem & ordinarium cognoscendi modum nostri intellectus, per distinctionem horum actuum: interdum tamen fieri posse, præsertim in rebus valde notis & obuijs, vt vno actu intellectus noster apprehendat & iudicet. Hic sanè non potest efficaciter impugnari. Sed cùm ex vna parte constet, quis sit consuetus & connaturalis modus cognoscendi nostri intellectus: non debet hic alius modus cognoscēdi ei attribui. Loquimur autem pro statu præsentis vitæ: quia an anima separata habeat eundem cognoscendi modum, atque dum est coniuncta corpori, vel modum simpliciorem ad instar intellectus angelici, non est hoc loco tractandum.

Necessariò præsupponit apprehensionem.

Tertiò. Iudicium in nostro intellectu necessariò præsupponit apprehensionem, non solùm terminorum secundùm se, sed etiam quoad connexionem vnius cum alio, siue apprehensionem totius propositionis de qua ferendum est iudicium; & neque elici neque conseruari potest actus iudicij sine tali præuia apprehensione. Patet manifestè ab ipsa experientia: quia si quis non percipit terminos propositionis, nullum planè potest de illa ferre iudicium: & debet omnino apprehendere tàm prædicatum quàm subiectum. Pariter si quis percipiat quidem terminos, non autem percipiat connexionem eorum, non apprehendat significatum totius propositionis; nec etiā potest de illa ferre iudicium, affirmare aut negare. Vnde si quis loquens alicui homini alterius idiomatis, pronunciet propositionem aliquam, v. g. homo est animal, eique declaret quid significent homo & animal; nisi vlterius ille doceatur, & tandem percipiat quid importet particula est: adhuc non poterit iudicare de illa propositione. Sed post integram & completam apprehēsionem totius propositionis, tunc poterit ferre iudicium. Ita ergo prærequiritur tota hæc apprehensio in omni mentali iudicio. Et in vniuersum intellectus non potest iudicare de ignotis, idest de ijs quæ non percipit & apprehendit. Sed prius esse debet, percipere propositionem quoad quid est modo explicato quæst. præcedenti, & deinde sequi potest iudicium quoad an est. & idcirco iudicium in nostro intellectu, est secunda operatio, sequens primam.

Imo non solùm dum primò elicitur actus iudicij, sed quandiu in intellectu permanet, semper requirit apprehensionem actu præsentem. Non enim sufficit aliquando apprehendisse, vt postea intellectus iudicet: sed dum iudicat, non iudicat nisi de ijs quæ tunc actu percipit. Atque adeò non potest in intellectu conseruari iudicium sine continua apprehensione: ab eaque dependet, non solùm in fieri, sed etiam in conseruari. Potest quidem fieri, vt apprehensio priùs tempore incipiat, quàm iudicium: sed debet omnino permanere donec iudicium eliciatur, & quandiu deinceps continuatur. Neque verò est necessarium, vt apprehensio priùs tempore incipiat: sed satis est naturæ & causalitatis ordine præsupponi. Quonammodo verò se habeat ad iudicium, an per modum partis vel causæ vel conditionis, sect. seq. explicabimus.

Quartò. Communiter supponi videtur, ad iudicium requiri duas distinctas apprehensiones extremorum; duos simplices conceptus, vnum subiecti & alterum prædicati. Et ita significat S. Thom. 3. de Anima lect. 11. & 6. Metaph. lect. 4. Et fundamentum est: quia non potest intellectus noster vno actu comprehendere plura. Imo subiectum & prædicatum videntur apprehendi formaliter tanquam plura: videlicet subiectum velut materia, prædicatum velut forma; prædicatum tanquam id quod alteri inest, subiectum tanquam id cui alterum inest. Et rursus eo magis in propositione negatiua extrema apprehenduntur vt plura, quia apprehenduntur vt separata, & quorum vnum remouetur ab alio. Deinde idcirco iudicium nostri intellectus dici videtur compositio, quia consurgit ex distinctis conceptibus extremorum, simul tamen adunatis in intellectu.

An requirat distinctas apprehensiones.

Et hinc vlterius inferendum videtur, dari alium tertium actum apprehensionis de habitudine extremorum quæ correspondet copulæ propositionis. Neque enim

enim apparet maior ratio, cur cum apprehensione vnius potius quàm alterius extremi confundatur. cum vtraque autem confundi non potest: quia hæc habitudo non nisi vno simplici actu concipi potest: at non potest vnus simplex actus confundi cum alijs duobus distinctis, quia quę sunt eadem vni tertio sunt idem inter se.

Videtur sufficere posse vnus solus apprehensionis actus.

Verùm non apparet tanta necessitas, vt omnino debeant esse distincti omnes hi actus ante iudicium: sed possunt quidem esse distincti. Fortasse etiam sufficere potest vnus solus actus quo apprehendatur totum significatum propositionis, ita vt intellectus possit vno simplici actu ambo extrema cum sua habitudine apprehendere. Et quidem posse illos actus esse distinctos, est facile: quia potest vno actu apprehendi subiectum secundùm se, alio actu prædicatum secundùm se, & tertio actu connexio siue habitudo inter illa. Sicut enim in composito reali inueniuntur subiectum forma & vnio, ita tres distincti actus esse possunt in intellectu.

Non esse autem necessariam distinctionem horum actuum, patet in primis ex parte ipsius iudicij: quia vtique iudicium secundùm rationem suam tantùm exigit, vt apprehendantur extrema cum habitudine: & perinde elici poterit, siue sint distincti actus, siue vnus solus quo omnia simul apprehendantur. Deinde suadetur ex parte ipsius apprehensionis, seu ex parte intellectus: quia potest intellectus noster concipere simul plura, si ea concipiat tanquam vnum: plura enim vt plura non potest simplici intuitu complecti. Sic vtique vno actu concipit terminum totum complexum, in quo plura inuoluuntur, quorum vnum sit substantia, aliud accidens; imo vnum sit ens positiuum, aliud sit negatio; vt oculus cæcus, aer tenebrosus. Vbi etiam valet dicere; vnum concipi vt materiam, aliud vt formam; vnum concipi vt per se stans & tanquam subiectum, aliud tanquam adiacens & insidens subiecto. Sed hoc modo extrema propositionis cum sua habitudine & connexione se habent per modum vnius: fieri ergo potest, vt intellectus absque alijs actibus distinctis, vno solo concipiat significatum totius propositionis cum extremis & copula, homo est albus, homo est rationalis, Petrus currit: & ad hanc vnam simplicem apprehensionem sequi potest iudicium quo id determinatè affirmetur.

Quo apprehendātur extrema & copula.

Vnde non obstat fundamentum quod pro parte opposita adducebatur. Imo habitudo illa subiecti & formæ, facit potius vt extrema se habeant per modum vnius, vnius scilicet compositi & coniuncti: quia potius duo subiecta, vel duæ formæ, se haberent per modum plurium; ita vt non possent vnico actu comprehendi: sed subiectum & forma se habent per modum vnius, sicut substantiuum & adiectiuum in termino complexo, vt dicebamus. Nec etiam obstat propositio negatiua: quia si in illa ob peculiarem rationem oporteat interuenire plures actus apprehensionis, iam non erit par necessitas de propositione affirmatiua. Præterea etiam in propositione negatiua defendi potest vnus solus apprehēsionis actus. nam potest vnico actu apprehēdi terminus complexus, etiam in quo interponatur negatio; vt homo non albus, homo non currens, Petrus non loquens. Et ratio est: quia licèt negatio separet in esse reali, tamen in ratione obiecti cognoscibilis coniungit extrema, vt sint vnum obiectum simul cognoscibile: et ita etiam extrema se habebunt vt vnum in ratione obiecti cognoscibilis; & erit vnum obiectum, totum significatum propositionis negatiuæ, homo non est albus, Petrus non currit.

Superest solùm explicandum, qualis sit compositio nostri iudicij, etiam si non sint plures conceptus simplices apprehensiui terminorum. De qua re agemus sect. sequenti.

Obiectum iudicij sūt res quoad conuenientiam, vel disconuenientiam.

Quintò præterea ad designandum obiectum iudicij, potest afferri quod Simplici. & Porphyr. initio Prædicam. & Ocham. 1. par. Logic. cap. 20. significant, voces esse quæ in propositionibus subijciuntur & prædicantur, quasi vna vox de alia affirmetur aut negetur. Aliqui verò significāt, conceptus formales, idest actus repræsentatiuos extremorum, esse qui subijciuntur & prædicantur, quasi vnus conceptus formalis de alio affirmetur aut negetur.

Certò tamen constare potest, obiectum iudicij esse res significatas & apprehensas,

hensas, & propriè esse res quoad an est, seu esse conuenientiam & disconuenientiam vnius extremi cum alio, quatenus affirmamus aut negamus hoc esse illud. Patet: quia cùm affirmamus, homo est animal; falsum planè esset, si intelligeremus, nomen homo est nomen animal: sunt enim diuersa nomina. Falsum etiam esset, si intelligeremus, conceptus formalis hominis est conceptus formalis animalis, supposito item quòd essent distincti actus & conceptus formales. Neque etiam quando negando iudicamus & dicimus, homo non est equus, Petrus non currit; intendimus dicere, nomen homo non esse nomen equus, & actum repræsentatiuum hominis non esse actum repræsentatiuum equi. Sed sensus verus & intentus est, rem quæ significatur nomine homo, & apprehenditur ab intellectu, esse rem quæ significatur nomine animalis; non esse rem quæ significatur nomine equi: & sic de alijs. Interdum quidem formamus iudicia & enunciationes de ipsis vocibus & conceptibus formalibus: vt cùm dicimus vox est sonus, hoc nomen differt ab illo, conceptus formalis est cognitio, & similia. Sed tunc hæc ipsa se habent sicut aliæ res apprehensæ. Sicut enim de alijs rebus, ita & de his datur cognitio in nostro intellectu.

Dico autem obiectum iudicij propriè esse res quoad an est, seu quoad conuenientiam & disconuenientiam. Quod satis patet ex dictis quæst. præced. circa apprehensionem. Vbi explicauimus, qualiter apprehensio versetur circa quid est, iudicium circa an est: & qualiter iudiciũ in nostra secunda operatione verè etiam versetur circa rerum essentias & quidditates: tamen semper per modum an est, affirmando aut negando hoc esse illud. Et res est clara: quia non aliter intelligi potest exerceri iudicium, nisi inter duo extrema, circa habitudinem eorum inter se, determinatè cognoscendo, an vnum conueniat, vel non conueniat alteri.

*

SECTIO SECVNDA.

Quo pacto in Iudicio nostri intellectus detur compositio & diuisio.

Aristot. hìc lib. 1. Periherm. cap. 1. nostrum iudicium appellat compositionem & diuisionem. Et in hoc præcipuè solet constitui discrimen inter intellectum humanum, & Angelicum ac Diuinum, quòd nos intelligimus dum iudicamus componendo & diuidendo: non autem Deus & Angeli. Explicare ergo oportet, quæ & qualis sit hæc compositio in iudicio nostri intellectus.

Primò Aliqui rem explicant ex parte solius obiecti cogniti: dicentes, non esse aliud, intellectum componere, quàm suo actu mentali coniungere & connectere vnum cum alio, dum affirmat vnum esse aliud: Diuidere è contra esse disiungere & separare ac remouere vnum ab alio, dum negat vnum esse aliud. Ita sentit Masius 1. Periherm. cap. 4. quæst. 3.

Verùm hæc explicatio videtur quidem sufficiens ad mentem Aristotelis, dum nominat compositionem & diuisionem. Non est autem sufficiens ad explicandam talem compositionem in nostro iudicio, per quam distinguatur à iudicio Angelico & Diuino. Nam Aristot. quidem nihil plus intellexisse videtur per componere & diuidere, quàm affirmare & negare. Neque per hoc intendebat distinguere nostrum iudicium ab Angelico & Diuino: sed tantùm volebat distinguere iudicium à simplici apprehensione, vt patet in textu.

At certè compositio & diuisio illa, quæ est tantùm obiectiua, est de essentia omnis iudicij, & reperitur etiam in intellectu Angelico & Diuino. Nam Deus & Angelus perfectè cognoscit, hoc esse aut non esse illud, hunc hominem esse album, illum non esse album, & sic de omnibus veritatibus: & ita verè affirmat & negat, atque adeò in hoc sensu componit & diuidit. Iuxta hoc D. Thom. quæst. 16. de Malo art. 6. ad 1. 2. ordinis, & 1. parte quæst. 58. art. 4. ait, Angelum cognoscere quidem compositionem & diuisionem, non

Compositio nostri iudicij nõ se tenet tã tũ ex par te obiecti.

non tamen componendo & diuidendo: datur ergo in intellectu angelico compositio & diuisio, quæ se tenet tantùm ex parte obiecti. Et per talem cognitionem docet S. Tho. eo loco 1. par. in solut. ad 3. Angelos loquentes proferre posse & solere propositiones affirmatiuas & negatiuas, affirmando & negando, sicut nos facimus in loquendo. Et propterea etiam art. sequenti docet, Angelum posse falli & falsò iudicare. Pariter illam eandem compositionẽ obiectiuam tribuit Deo 1. contr. Gent. cap. 58. & 59. Et in eodem sensu D. Dionys. c. 2. de Diu. Nom. ait, Diuinam sapientiam cognoscere indiuisibiliter diuisibilia, & multa vnitiuè.

Neq. benè Ferr. eo cap. 59. §. Ad 2. ait, Deum cognoscere compositionem, solum quia cognoscit compositionem quæ est in nostro humano iudicio. Nam verè etiam secluso nostro iudicio, Deus cognoscit res ipsas, earum conuenientiam & disconuenientiam in se ipsis: & D. Th. ibi probat, intellectum Diuinum cognoscere verum, dum compositionem cognoscit: non vtique quòd cognoscat tantùm compositionem nostri intellectus esse veram, vt male exponit Ferr. sed quòd cognoscat verè res ipsas sicut sunt, eo modo quo ait & nos cognoscere verum, cùm cognoscimus hoc esse illud.

Non est vnio duorum simplicium conceptuum.

Secundò Aliqui conati sunt, explicare ex parte actuũ intellectus compositionẽ in toto rigore: dicentes, intellectum vno simplici actu apprehendere subiectũ, alio actu prædicatum: deinde per quendam modum vnionis coniũgere & vnire eos duos actus: & iudicium esse quid verè & propriè compositum ex ijs duobus actibus vnitis, & hanc esse compositionem nostri iudicij.

Sed hic dicẽdi modus, nec necessarius, nec verus est. Necesse .n. non est, cum tanta proprietate & rigore saluare compositionem nostri iudicij. Et possibile non est, vniri illos duos actus intellectus ad componendum tali modo quid tertium. Nam illi actus sunt singuli in se ipsis completi & perfecti. Neque possunt vniri per modum partium essentialium tanquam materia & forma. nam vnus actus non recipitur in alio, vt in subiecto, licèt ipsa extrema per quandam similitudinem comparentur, subiectum cum materia, & prædicatum cum forma. Nec etiam possunt vniri per modum partium integralium. Non .n. se habent vt duæ partes extensiuæ, vt patet: neque vt duo gradus intensiui; quia vtique ex apprehensione subiecti & prædicati non constituitur quædam apprehensio seu cognitio intensior. Nec apparet quo alio modo possit ea vnio & compositio exerceri. Præterea explicãdum esset, in quonã actu apprehensionis esset immediatè talis vnio: an in vtroque simul, an in altero tantùm: & alia quæ difficultatem, non vtilitatem afferunt. Et præsertim, dum intellectus post præuias apprehensiones determinatè iudicat, verè elicit nouum ac peculiarem actum cognitionis. Et licèt intentionaliter vniat & coniũgat prædicatum cum subiecto, tamen non per hoc dici debet, vnire realiter & physicè actus ipsos suos. Demum ex dicto modo non poterit explicari, qualiter se habeat iudicium negatiuum: an etiam constituatur per vnionem actuum, vel per aliquid oppositum vnioni, siue per separationem, & quomodo fit in se quid vnum.

Debet esse actus distinctus à simplicibus conceptibus.

Tertiò Vasq. 1. par. disp. 223. cap. 3. cui consentit Ruuius hic 1. Perier. cap. 4. q. 4. explicat compositionem iudicij ex parte actuum intellectus: dicens, naturam huius compositionis esse, vt dentur duo conceptus, alter prædicati, alter subiecti, quibus ipsa extrema concipiantur relatè, vt vnum alteri conueniens, quæ conuenientia denotatur in propositione vocali per particulam est. Ita tamen, vt in intellectu non correspondeat ipsi copulæ peculiaris cõceptus. Similiter diuisionem esse duos conceptus repræsentantes prædicatum & subiectum, prædicatum tamen vt disconueniens subiecto.

Hic etiam dicendi modus reijciendus est. Tum quia facit iudicium nihil esse aliud, quàm combinationem duorum simplicium conceptuum: ita vt secunda operatio intellectus non sit aliud quàm duplex prima operatio: certè autem iudicium & secunda operatio debet addere nouum actum vltra omnem actum primæ operationis & simplicis apprehẽsionis. Tum quia constituit rationem iudicij in sola apprehensione conueniẽ-

tiæ

tiæ extremorum: sed iam satis ostensum est, hanc apprehensionem inueniri posse in intellectu absque omni actu iudicij, & semper debere præcedere ad actum iudicij. Tum demum, facit iudicium non esse vnum quid: Imo plus illi detrahit de vnitate, quàm præcedens dicendi modus qui addebat vnionem inter simplices conceptus.

Non includit intrinsecè, sed supponit apprehensionē.

Quartò. Aliqui supponētes, preter simplices conceptus debere elici alium distinctum actum ad constituendam rationem iudicij, dicunt, iudicium adæquatè constitui ex ijs omnibus actibus simul, atque adeo intrinsecè includere simplices apprehensiones extremorum tanquam partes, non solas tamen, sed addere alium nouum actum: & sic habere rationem compositionis, quia formaliter componitur ex ijs omnibus actibus. Et hanc sententiam probabilem censet Vallius 1. Perieh. par. 3.q.3.cap. 3

Dicendum tamen est, iudicium esse nouum quendam actum elicitum ab intellectu post omnem apprehensionem & esse in se formaliter simplicem. Hæc conclusio est expresè Durandi in 1. d.38. q. 2. n.5. Greg. in Prologo sent. q. 1 ar. 3. post 3. concl. Gab.q.1.ar.1.Ferr.1.cont. Gent. cap. 59. §. Aduertendum secundò, Tolet.3. de Anima q. 19. & aliorum, & ex parte Fons.6.Met.cap.1.q.3.sect.4. dicentis, interdum iudicium esse qualitatem compositā, interdum simplicem. Probatur. Tum quia iudicium & secunda operatio nostri intellectus, debet esse quid per se vnum, vnus actus, qui per se ponatur in prædicamento: sed non potest ex pluribus actibus intellectus simul adunatis constitui quid per se vnum, vt supra ostensum est: ergo secunda nostra operatio debet esse actus quidam simplex consequens ad primam operationem Tū præsertim, post omnem apprehensionem datur omnino nouus actus, quo intellectus determinatè affirmat aut negat: & hic nouus actus quatenus distinctus ab alijs, vtique nō includit formaliter ipsos alios: siue ille actus qui elicitur ab intellectu post omnem apprehensionem, vtique vt precisè sumptus, non includit intrinsecè, sed supponit apprehensionem. At hic simplex actus est ille qui essentialiter habet veram iudicij rationem: nam hic actus est, quo intellectus determinatè cognoscit connexionem extremorum, & affirmat hoc esse illud, aut negat; & ita veluti definitiuam sententiam profert: quæ est integra ratio iudicij. Tum etiā hic actus, quatenus ab apprehensione distinctus, est vtiq. essentialiter cognitio: ergo est de aliqua cognitionis specie. sed non est apprehensio: ergo est essentialiter iudicium. non est prima: ergo est secūda operatio intellectus. Tum demum, actus discurrendi quatenus est tertia operatio, non includit essentialiter secundam, sed consistit præcisè in iudicio illatiuo, dependente quidem ex præuio assensu antecedentis: vt q. sequenti dicemus: Ita ergo pariter iudicium, quod est secunda operatio, non includit essentialiter apprehensionē, & primam operationem. Cæterùm circa modum quo iudicium ab apprehensione dependeat; non oportet dicere, apprehensionem esse per se & directè causam effectiuam iudicij: sed potius apprehensio se habet per modum conditionis requisitæ, ad hoc vt potentia ipsa intellectiua eliciat actum iudicij: sicut etiam dicemus postea circa discursum. S.Tho. verò 1.cont. Gent.cap. 58.rat.3. dixit quidem apprehensionem esse principium iudicij, sed non ita loquutus est ad explicandum modum quo apprehensio concurrat ad iudicium, sed solùm docere voluit absolutè concurrere & prerequiri. Quomodo verò iudicium, non obstante hac dependentia, conueniat vniuocè cum simplici apprehensione, dicemus circa comparationē discursus cum iudicio.

Non dicit necessariò plures apprehensiones.

Quintò Durand. Greg. & alij explicāt, dici compositionem de iudicio, quia supponit duos simplices conceptus extremorum: & Durand. ait virtute illos continere. Imo vult non permanere simul in intellectu hos plures actus distinctos: sed priùs existere actus apprehensiuos, & illis succedere actum iudicii.

Hic dicendi modus supponit, debere esse actus distinctos, quibus apprehendantur extrema propositionis. Quod tamen diximus non esse necessarium. Non benè autem Durand. ait, actus apprehensiuos non solùm non debere, sed nec posse naturaliter coexistere simul cum iudicio. & sine causa supponit, nulla ratione

ne posse naturaliter plures actus distictos existere simul in intellectu Quinimo possunt & debent, quando sunt actus connexi, quorum vnus dependet ab alio: sicut sunt omnes tres operationes intellectus sibi subordinatæ.

Sed propriè dicit distinctionem iudicij ab apprehensione.

Sextò ergo concludendum est, de ratione cōpositionis nostri iudicij, satis esse, quòd ipse actus iudicandi sit actus distinctus ab apprehensione, etiam si vnus solus apprehensionis actus interueniat. Et compositio debet intelligi & explicari per hoc, quòd actus iudicij, non quidem intra se formaliter componitur, sed ponitur in intellectu simul cum alio apprehensionis actu distincto, quem prærequirit. Ita sumi potest ex S. Thom. 1. par. q. 58. art. 4. & alijs in locis, in quibus cōstituit discrimen inter intellectum Angelicum & humanum. Et hinc suadetur: quia sufficit taliter assignare compositionem in intellectu humano vt eum distinguat à modo cognoscēdi intellectus Angelici: sed per hoc satis distinguitur. Nā, vt ait S. Thomas, intellectus Angeli non componit, quia per eundem actum quo cognoscit quid est, siue per vnum simplicem intuitum, cognoscit prædicata, quæ rei conueniunt. Intellectus autem humanus indiget distincto actu à cognitione quod quid est. Item sufficit saluare, iudicium in intellectu humano esse secundam operationem distinctam à prima: sicut sufficit saluare discursum esse aliam tertiam operationem distinctam à secunda: per hoc enim distinguitur ab intellectu Angelico, qui non indiget his distinctis operationibus, & his tribus gradibus in cognoscendo. Non ergo oportet, aliam compositionem tribuere nostro iudicio, quàm per distinctionem & dependentiam ab actu præuio simplicis apprehensionis.

Quomodo distinguatur compositio & diuisio in nostro iudicio.

Septimò tandem, compositio hoc modo sumpta ex parte actuum, reperitur in omni nostro iudicio, non solùm affirmatiuo, sed etiam negatiuo. At quia in nostro iudicio distinctè recensentur compositio & diuisio, compositio pro iudicio affirmatiuo, & diuisio pro negatiuo. Ideò addere oportet, compositionem à diuisione distinctam, importare non solùm compositionem ex parte actuum, sed etiam ex parte obiecti. Itaque affirmatio est compositio, quia per actum ab apprehensione distinctum coniungit prædicatum cum subiecto. Negatio est diuisio, quia per actum similiter distinctum separat & aufert prædicatum à subiecto. Compositio autem ex parte actuum, distinguit iudicium humanum ab Angelico: ex parte verò obiecti, distinguit iudicium affirmatiuum à negatiuo.

Dupliciter ergo sumi potest compositionis nomen. Vno modo magis amplè pro omni nostro iudicio: & sic non distinguitur à diuisione, sed inuenitur etiā in iudicio negatiuo. Alio modo magis pressè pro iudicio nostro affirmatiuo: & sic à diuisione distinguitur, addens supra distinctionem actuum, coniunctionem positiuam obiecti. Ita notauit egregiè D. Thom. hic 1. Periherm. lect. 3. quòd si consideremus ea quæ sunt circa intellectum secundùm se, semper est compositio: sed in ordine ad rem; compositio erit cū intellectus comparat vnum alteri per cōiunctionem aut identitatem; diuisio cùm per diuersitatem. Et sumi potest ex Aristotele, quia hic quidem compositionem diuisionemque distinguit: at libro 3. de Anima textu 39. totum nostrum iudicium appellat complexionem intellectionum. & textu 21. in vniuersum dixerat, in illa nostra cognitione, in qua est verum & falsum, esse compositionem conceptuum: & text 22. sequenti subdit: *Si album non album dixerit, ip sum non album composuit: contingit autem & diuisionem dicere omnia.* Vbi vel sensus est, si quis dicat hoc non est album: hæc vocari potest compositio: vocari etiam potest diuisio. Et ita sumitur compositio primo modo assignato, vt non distincta à diuisione. Vel sensus est, si quis dicat, hoc est non album, ita vt propositio sit affirmatiua de prædicato infinito (& quidem hoc modo legit Argirop.) tunc componit: possunt autem & hæc omnia prędicata negatiua dici per diuisionem, idest propositionem negatiuam, hoc non est album. Et ita sumitur compositio secundo modo assignato, licèt textu superiori sumpta esset primo modo.

Quomodo vnus iudicij actus plura cōplectatur.

Obijcies primo. Non potest intellectus noster simul vno actu cognoscere plura ac valde diuersa: sed iudicium formatur inter plura & sæpè valde diuer-

ſa: ergo nō poteſt eſſe vnus ſimplex actus.

Reſpondetur cum D. Thom. prima parte quæſt. 85. art. 5. ad 1. per iudicium directè cognoſci conuenientiam aut diſcõuenientiam inter ipſa plura: quæ, cùm vna ſit, poteſt vno actu cognoſci. Sic etiã notauit idem Sanctus Thomas 6. Metaph: lect. 4. Intellectus concipiens hominem & animal, vnumquodque ſecundùm ſe, intelligit duobus actibus: cùm autem ex ijs format compoſitionem aut diuiſionem, intelligit ambo vt vnum, & ſufficit vnus in ſe iudicij actus.

Quomodo iudicium attingat etiam propoſitionis extrema. Obijcies ſecundò. Iudicium non tantùm attingit habitudinem extremorum, ſed etiam ipſa extrema: nam per iudicium affirmamus hoc totum, homo eſt animal rationale: ergo impoſſibile eſt intelligi iudicium quod non includat apprehenſionem extremorum.

Reſpondetur. Hoc argumentum potius probare, iudicium nullo modo diſtingui ab apprehenſione: quia reuera ille actus qui additur in ſecunda operatione intellectus, in qua perficitur iudicium, debet omninò attingere ipſa extrema, vt argumentum probat. Dicendum eſt ergo, ipſum iudicium vt ab apprehenſione diſtinctum, attingere etiam extrema, tamen determinatè, & quoad an eſt ipſius habitudinis quæ eſt inter extrema. Et ita non includere apprehenſionem extremorum: ſed ante ipſum iudicium præſupponi, ordine naturæ apprehenſionem eorundem extremorum, imo & eiuſdem habitudinis, indeterminatè & quoad quid eſt.

Quomodo propoſitio includat extrema cum copula. Obijcies tertiò. Propoſitio vocalis intrinſecè componitur ex ipſis extremis, ſubiecto & prædicato: ſed termini in voce exprimunt ſimplices conceptus & apprehenſiones in mente, pro quibus ſubſtituũtur: ergo propoſitio mentalis quæ eſt iudicium, componitur etiam intrinſecè ex ſimplicibus conceptibus extremorum.

Reſpondetur. Ex hoc argumento vlterius inferendum eſſet, ſicut propoſitio vocalis non eſt quid per ſe vnum, ſed eſt aggregatum quoddam ex pluribus vocibus: ita mentale iudicium eſſe aggregatum per accidens ex pluribus actibus: quod nullatenus eſt dicendum. Dicendum ergo, terminos prout in propoſitione vocali coniunguntur, non per ſe proferri loco ſimplicium conceptuum qui ſunt in mente diſtincti à iudicio; nec per ſe illos exprimere: ſed ſimul cum copula proferri loco ipſius iudicij, quod attingit verè ipſa extrema quatenus determinatè dicunt habitudinem. Quando autem ſimplices termini ſoluti à propoſitione per ſe proferuntur in voce, tunc exprimunt conceptus ſimplices à iudicio diſtinctos. Vel, etiam ſi quando in propoſitione proferuntur, dicantur exprimere ipſos ſimplices conceptus terminorum: id ſit, quia præſupponitur ſimplex apprehẽſio ad iudicium. Vnde non ſequitur in ipſomet iudicio debere intrinſecè includi, ſed ſat eſt præſupponi ſimplicem apprehenſionem. Imo S. Thom. in 4. diſt. 8. quæſt. 2. art. 3. ad 7. docet; & ſequitur Ferr. 4. contra Gen. cap 63. circa ſextum dictum; ſignificationẽ propoſitionis vocalis eſſe in ſe ſimplicem, ſupponere tamẽ ſignificationẽ partiũ. Vnde nõ benè Gabr. lect. 43. in Canon. ait, probabiliter dici poſſe, propoſitionem mẽtalem formari in mente audientis ſucceſſiuè, ſicut ſucceſſiuè profertur ab alio propoſitio vocalis. Nam potius actus iudicij, in quo formaliter conſiſtit propoſitio mentalis, non formatur niſi in fine totius prolationis, dum comprehenditur ſenſus totius propoſitionis, & intellectus præbet aſſenſum.

SECTIO TERTIA. *De Veritate & falſitate Iudicij.*

Iudicio maximè conuenit veritas et falſitas. NOtum ſatis eſt, cognitionem noſtram iudicatiuam, eſſe non ſolùm veritatis, ſed etiam falſitatis capacem. Et de hac re præcipuè procedunt quæ de veritate & falſitate cognitionis tractauimus q. 3. in communi. Aliquid tamen modò addendum eſt, per comparationem iudicij ad ſimplicem apprehenſionem, quantùm ad veritatem quæ etiam aliquo modo ipſi apprehenſioni attributa eſt. Et quidem certum eſt, veritatem ſpeciali modo conuenire iudicio, pluſquam ſimplici apprehenſioni. Quod ſatis patet ex doctrina Ariſt. qui interdum veritatem & falſitatem adæquatè attribuit iudicio, vt q. ſuperiori vidimus: & ex communi modo ſentiendi & loquendi: & ex natura ipſa iudicij. Imo ex dictis jam circa veritatem

rem simplicis apprehensionis, facilè hæc tota res constare poterat: sed hìc in proprio loco magis explicanda est.

D. Thom. 1. p. q. 16. art. 2. & alijs sæpè locis explicare solet, veritatem in intellectu simpliciter apprehendente, esse tantùm vt in eo in quo est veritas, non autem vt in cognoscente veritatem: sed in intellectu iudicante, componente & diuidente, esse tanquam in cognoscente veritatem. Hæc doctrina rem difficiliorē reddidit, dū alij aliter sententiam D. Tho. & rem ipsam defendere conati sunt.

In iudicio non est veritas cognita formaliter et expressè, nisi in iudicio reflexo.

Ferr. 1. contra Gent. cap. 59. supponens, omnem veritatem, de qua in hoc proposito loquitur S. Thom. esse conformitatem cognitionis ad rem, intelligit in iudicio esse specialiter veritatē vt cognitam, quòd iudiciū attingat tanquam obiectum ipsam cōformitatem cognitionis ad rē: apprehensio autem sit quidē ipsa conformis obiecto, non tamen cognoscat conformitatem. Idem in re sentire videtur Masius 1. Periherm. cap. 1. q. 6. & lib. 4. de Transc. cap. 9. & 10. qui ait, veritatem in actu exercito reperiri in apprehēsione; sed in actu signatò, & tanquam in cognoscente, esse solùm in iudicio. Refert etiam hunc dicendi modum Caiet. 1. par. quæst. 16. art. 2. §. Ad euidentiam, & ait per superficiem litteræ prima fronte hunc sensum ostendi.

Hæc tamen sententia insufficiens & falsa est, eamque Caietanus ipse refellit. Primò quia benè quidem dari potest iudicium per modum cognitionis reflexæ, quo cognoscatur & affirmetur veritas quæ erat in alia cognitione; vt cùm dicimus hæc cognitio vera est: tamen in iudicio directo de re ipsa, cùm v. g. affirmamus homo est animal; vtique obiectum huius iudicij, non est ipsa veritas & conformitas cognitionis ad rem, sed tantùm est coniunctio seu identitas animalis cum homine. At veritas speciali modo est in iudicio, non tantùm reflexo, sed in omni iudicio vero: & maximè sensus est de iudicio directo, ad differentiam apprehensionis præcedentis circa idem obiectum.

Secundò. Sensus esse non potest, iudicium habere pro obiecto cognito veritatem præcedentem in simplici apprehensione. Nam iudicium sequens ad apprehensionem, non habet pro obiecto suo ipsam apprehensionem, sed eandem rem apprehensam; non quidem obiectiuè quatenus apprehensam, quasi iudicet rem esse apprehensam: sed solùm supposita apprehensione tanquam conditione: ergo multò minus habet pro obiecto suo conformitatem apprehensionis ad rem. Nec etiā sensus esse potest, habere pro obiecto & cognoscere cōformitatem sui ipsius ad rē: nam hoc non spectat ad eūdem ipsum iudicij actum, sed ad alium reflexum, quē intellectus elicere potest, vt manifestum est. Neque apparet, cuiusnam cognitionis conformitas, sit cognita per hoc iudicium, quo intellectus affirmat, homo est animal, vel negat hō non est equus, vt dicatur veritas esse in iudicio tanquam cognita.

Etiam in apprehēsione reflexa potest esse veritas cognita.

Tertiò præterea. Ex parte apprehensionis pōt non minùs dari simplex apprehēsio de veritate & conformitate cognitionis ad rē. Hoc enim est quoddā obiectum cōceptibile: & sicut cōcipimus alias res, hanc etiam concipere possumus & solemus. Et habemus terminos, quos voce pronunciamus, & sub quibus in mente latent conceptus simplices de hac re: ergo etiā in apprehensione pōt esse hoc modo veritas vt cognita. Et, si iudicium dicatur cognoscere veritatē siue conformitatē sui ipsius ad rē: pariter dicet quis, apprehēsionē cognoscere veritatē suā & cōformitatē sui ipsius ad rē. Si aūt iudiciū dicatur cognoscere veritatē ipsius apprehēsionis, etiā dicetur apprehensio cognoscere veritatē iudicij. Ergo nō pōt hoc mō distingui veritas iudicij à veritate apprehēsionis. Interdū quidē videtur S. Tho. assignare hoc discrimē inter veritatē intellectus & sēsus, quòd intellectus hēt vim cognoscendi sui ipsius veritatem, qui nimirum potest per reflexionem cognoscere suam cognitionem; non sic autem sensus. Sed hoc non sufficit ad propositum, vt patet.

In iudicio non est veritas cognita in actu exercito et implicitè.

Caietanus ibi, post quasdam notationes explicat, veritatem esse in Iudicio tāquam cognitam, non quòd cognoscatur in actu signato: sed tantùm in actu exercito. Tunc ait cognosci in actu signato, cùm cognitio terminatur ad conformitatē quę est veritas. Tunc aūt in actu exercito, cū cognoscitur aliquid in se cōforme cognito. Intellectus aūt, sēper dū iudicat, cognoscit aliquid in se vt conforme aut difforme rei: cognoscit enim aliquid cōplexum,

idest enunciationem in qua est conformitas vel difformitas. Caietanū sequuntur Valent. prima parte disput. 1. quæst. 16. puncto 2. & Suarez disput. 7. Metaphys. sectione tertia, dicentes etiam veritatem cognosci in iudicio implicitè & virtualiter.

Prima ratio. Hæc sententia obscurior est & insufficiens. Primò enim dum Caiet. ait, cognoscere in actu exercito, esse cognoscere aliquid in se conforme cognito, & hoc conuenire iudicio: vel sensus est, intellectum cognoscere tātùm materialiter aliquid quod est conforme: vel etiam cognoscere formaliter esse conforme. Si dicatur primum: id nullo modo est cognoscere veritatem: sicut qui cognoscit hominem qui reuera est iustus, non tamen cognoscit eum esse iustum; nullatenus cognoscit iustitiam eius. Si secundùm: id est cognoscere nō tantùm in actu exercito, sed etiam in actu signato; siue est cognoscere per se & expressè conformitatem in re conformi: & redit prior sententia impugnata. Non ergo apparet, quonam modo per iudicium cognoscatur veritas in actu exercito, & non in actu signato.

Secunda ratio. Secundò. Dum dicitur cognosci in actu exercito aliquid quod est conforme: quodnam est hoc aliquid? Vel est res ipsa, siue prædicatum quod est conforme subiecto. Et hæc non est conformitas cognitionis ad rem: sed est connexio realis ipsius rei, quæ sanè formaliter & expressè est obiectum iudicij: nec oportet distinguere, cognosci in actu exercito, non in actu signato: Ac hæc non est veritas quæ est conformitas cognitionis ad rem. Nō ergo propterea dici debet veritas cognitionis, quam modò quærimus in iudicio, esse in iudicio tanquam cognitam. Vel est apprehensio præcedens ad iudicium. Et hæc apprehensio, eiusque conformitas, nullo modo est obiectū iudicij sequentis ad ipsam apprehensionem, vt antea dicebamus: ergo nec in actu signato, nec in actu exercito, dici debet cognosci in iudicio. Neque certè, cùm intellectus iudicat & affirmat, homo est animal, Petrus est albus; affirmat, conceptus simplices quos apprehendēdo formauit conformari rei: sed tantùm affirmat rem ipsam ita se habere, naturam animalis conuenire homini, albedinem inesse Petro. Et in iudicio Angelico non est minor veritas, quā in iudicio humano: at non præsupponitur apprehensio ad illud iudicium, cuius conformitas per actum ipsum iudicij cognoscatur. Vel illud aliquid conforme, est ipsummet iudicium. Et sic planè non apparet, qualiter iudicium dici possit cognoscere se ipsum conforme in actu exercito, nisi quòd in ipso reuera est & exercetur veritas & conformitas ad obiectū. Quod non est plusquam dicere, veritatem esse in iudicio tanquam in cognitione in qua est veritas: & frustra dicitur esse tanquam cognita. Sed sic etiam est in apprehensione, in qua inest & exercetur sua proportionata veritas. Vel demum, illud aliquid conforme, intelligitur esse species impressa, aut species expressa, de quibus meminit Caiet. aut aliud tale. Et hæc magis obscurè & absurdè dicerentur; vt à fortiori ex dictis patere potest.

Tertiò. Veritas specialis iudicij debet esse veritas opposita falsitati; cuius falsitatis, & pariter veritatis illi oppositæ, nō est capax simplex apprehensio: sed falsitas iudicij dici non debet esse in illo tanquam cognita. Neq. potest explicari hoc modo. Nam in simplici apprehensione nunquam est falsitas, vt supponimus; vt per respectum ad illam dicatur in iudicio esse falsitas cognita. Neque apparet, quo alio modo falsitas formalis, quæ est difformitas cognitionis ad rem, dicatur cognita in iudicio falso. Ergo nec etiam veritas propria iudicij debet eo modo assignari, vt veritas obiectiuè cognita. Sed sicut explicabitur falsitas, ita etiam explicanda erit veritas ei opposita. *Tertia ratio.*

Quartò. Illo dicendi modo solùm explicatur veritas in iudicio affirmatiuo, vbi componitur prædicatum cum subiecto, & ita dicitur cognosci veritas, idest conformitas ad rem. Sed tamen in iudicio negatiuo, intellectus diuidens prædicatum à subiecto, potius dici deberet cognoscere difformitatem & disconuenientiam: ergo non saluatur, in iudicio negatiuo esse veritatem vt cognitam. Concedit hoc totum Valent. puncto citato in fine, atque ita intelligit Sanctū Thomam tantùm de iudicio affirmatiuo, nō de negatiuo. At certè Arist. ac etiam *Quarta ratio.*

etiam Sãctus Thomas pari modo prorsus attribuit veritatem diuisioni & compositioni. Et non minùs iudicium negatiuum, quàm affirmatiuum, proprijssimè dicitur verum aut falsum: & in illo oportet assignare veritatem specialem, ad differentiã apprehensionis. Eoq. modo quo assignabitur in iudicio negatiuo, debebit etiã assignari in affirmatiuo. Defendit Suar. d. 7. sect. 6. etiam in iudicio negatiuo veritatẽ vt cognitam: tum quia licèt non cognoscatur conformitas vnius conceptus ad alterum conceptum extremorum; tamen implicitè cognoscitur conformitas singulorum conceptuũ ad sua extrema: tũ etiam ait, nõ solùm cognoscere conformitatẽ sicut est, sed etiam cognoscere difformitatẽ sicut est, esse verũ: & hoc esse verũ cognitum in iudicio negatiuo. Sed non satisfacit. Tum quia veritas huius negationis, Petrus non currit, nullo modo consistit in conformitate vnius conceptus ad Petrum, & alterius ad cursum: sed in remotione vnius ab altero inter ipsa extrema, vt per se patet. Tum quia cognoscere difformitatem sicut est, est quidem verum ex parte cognitionis, quia cognitio est vera: non tamen apparet, quomodo sit verum obiectiuè, quòd scilicet veritas ipsa cognitionis sit cognita.

Quinta ratio. Quintò vlterius, propria ratio iudicij qua differt ab apprehensione consistit in eo quòd intellectus determinatè cognoscat rẽ esse aut nõ esse: & sic propria veritas eius dici debet consistere in eo quòd cognoscat, esse quod est, & non esse quod non est: ita vt si dum res est, affirmat esse, sit verus; si negat esse, sit falsus. Sed simplex apprehensio semper est eodem modo conformis obiecto, siue res sit, siue non sit: quia non sumitur per ordinem ad an est, sed consistit in simplici repræsentatione: ergo veritas propria & specialis iudicij, dici non debet esse veritas apprehensionis cognita: neque consistit in hoc quòd cognoscatur conformitas conceptus simplicis ad rẽ. Confirmatur: quia cùm omnis apprehensio sit vera, vt supponimus: sequeretur in omni iudicio cognosci pariter veritatem & conformitatem apprehensionis; atque adeò in omni iudicio, etiam falso, semper esse eodem modo veritatem vt cognitam. Alia ergo est propria & specialis veritas iudicij, quando iudicium est verum; & non quia in illo cognoscatur veritas apprehensionis siue simplicium conceptuum.

Sexta ratio. Sextò. Etiam si quis explicitè & in actu signato cognoscat, simplices conceptus, quibus apprehensi sunt homo & albus, sunt veri & conformes rebus; non per hoc habet illud verum iudicium, quod consistit in affirmando, homo est albus, quando realiter homo est albus: sed illa cognitio eodem modo se habet, & eodem modo cognoscit eam veritatem apprehensionis, etiam si homo non sit albus: ergo dum homine existente albo, habetur hoc verum iudicium, homo est albus; multò minùs dici potest, per cognitionem in actu exercito seu implicitam illius veritatis & conformitatis quæ erat in simplicibus conceptibus, saluari veritatem propriam & specialem huius iudicij; & hanc veritatem esse veritatem apprehensionis in actu exercito cognitam.

Explicatur specialis veritas iudicij ad differentiam apprehensionis. Aliter ergo sine his difficultatibus assignanda est veritas propria iudicij. Et quidem facillimè explicari potest, dicendo, esse in iudicio specialem veritatem tanquam in eo in quo est veritas, talis tamen veritas quæ non est in simplici apprehensione. Veritas inquam perfecta & determinata; quæ consistit in hoc, vt determinatè cognoscatur esse quod est, & non esse quod non est.

Et probatur primò. Sicut de essentia iudicij est specialis & propria ratio cognitionis, non quia ei tribuatur cognitio cognita, sed quia est specialis & talis cognitio obiecti: ita pariter iudicio conuenit specialis veritas, non quia sit veritas cognitionis cognita, sed quia formaliter est cognitio vera.

Secundò. In vniuersum quando assignatur veritas cognitionis, quæ dicitur veritas formalis & in repræsentando, attribuitur cognitioni tanquam illi in qua est talis veritas; non quasi debeat esse cognita per ipsam cognitionem cui tribuitur, & quam denominat veram: ergo veritas specialis talis cognitionis debet etiã ita assignari; vt sit in ipsa cognitione, non vt sit cognita per ipsam cognitionem.

Tertiò. Si in simplici apprehensione est

veritas tanquam in eo in quo est veritas: vtique etiam in iudicio debet assignari aliqua veritas, tanquam in eo in quo est veritas, quæ scilicet subiectiuè attribuatur ipsi iudicio: sed hæc veritas planè est alia, quàm illa veritas quæ erat in simplici apprehensione: ergo sic optimè assignabitur veritas propria & specialis iudicij. Imo in simplici apprehensione vix inueniebatur & saluabatur aliqua veritas, quæ dicebatur simplex & imperfecta. Vt ergo assignetur veritas propria iudicij, non oportet recurrere ad hoc quòd veritas sit in iudicio tanquam cognita: sed debet sisti in hoc quòd ipsi iudicio conuenit veritas & conformitas perfecta, tanquã in eo in quo est veritas.

Quartò. Quando dicimus aliquod iudicium esse verum, propositionem esse veram: hic est conceptus quem omnes de veritate habent, quòd cognoscitur & enunciatur res esse sicut est, quæ determinata cognitio non conuenit simplici apprehẽsioni. Et è contra dicitur iudicium falsum & enunciatio falsa, quando putatur res aliter ac est. Et hæc est illa conformitas ac difformitas cognitionis ad rem, quæ veritatis ac falsitatis nomine intelligitur: ergo sic optimè explicanda est veritas propria iudicij, opposita falsitati, & conueniens iudicio, tanquam in eo in quo est veritas & conformitas.

Quintò. Cognoscere determinatè rem sicuti est, siue affirmando, siue negando, est vtique conformari obiecto prout est in se. Hæc conformitas conuenit iudicio, & est in eo tanquam in quo est conformitas, & non tanquam hæc conformitas sit cognita per ipsum iudicium. Item hæc conformitas est perfectissimè veritas, sicut difformitas opposita est falsitas. Rursus hæc conformitas determinata, non est in simplici apprehensione, in qua non affirmamus aut negamus sicut res est aut non est: ergo omnis hæc conformitas debet assignari tanquam veritas propria specialis & perfecta iudicij. Et hic modus eam assignandi facilis & clarus est. Et hæc ipsa veritas est rectitudo & perfectio secũdæ operationis intellectus, quæ per directionem logicam intenditur & procuratur, vt nempè veram rerum notitiam sine deceptione assequamur.

Quomodo explicari possit in iudicio veritas cognita.

Sextò demum hinc poterit aliquo modo explicari, in iudicio reperiri veritatẽ vt cognitam, videlicet non tam sumendo veritatem pro conformitate cognitionis ad rem, quàm potius pro habitudine inter extrema, quæ verè ita sit sicut cognoscitur. Cùm itaque iudicium habeat determinatè cognoscere talem habitudinem inter extrema, hominem esse album: si reuera sit talis habitudo & connexio, homo reuera sit albus, dicetur intellectus cognoscere verum, & in iudicio dicetur cognosci veritas, idest illud quod reuera est sicut cognoscitur. Et hæc dici potest veritas obiectiua, idest obiectum iudicij. Quod totum pariter inuenitur in iudicio negatiuo, dum intellectus separat in cognoscendo illa quæ reuera separata sunt. Tunc, dum cognoscitur hæc separatio sicut reuera est, dicetur cognosci veritas. E contra quãdo iudicium est falsum, quia res non est sicut putatur, similiter dicetur cognosci falsum, idest illud quod reuera non est & putatur esse. In solo autem iudicio & non in apprehensione dicetur esse hoc modo veritas cognita: quia intantùm dicitur cognosci verum, inquãtùm determinatè cognoscitur esse quod verè est, & affirmatur habitudo quæ verè est, aut negatur quæ verè non est: qui modus cognoscendi est proprius iudicij, & non conuenit apprehensioni.

Consonat hoc totum communi & consueto modo loquendi. Notum est enim dici passim solere, illum qui profert propositionem veram, dixisse verum; esse verum illud quod dictum est, idest reuera ita esse sicut dictum est. E contra qui falsam profert propositionem, dicitur dixisse falsum. Similiter de iudicio mentali dicimus, quempiam putasse verum; verum esse quod ille putat: alium putasse falsum. Et Arist. ipse sic loquitur 9. Metaph. text. 21. *Verum dicit qui diuisum diuidi & compositum componi putat: falsum autem dicit qui contra quam res se habent, &c.* Et hic 1. Perihermen. cap. 6. propè finem ait, orationes esse veras sicut res, idest sicut res veræ sunt, res nempè quæ enunciantur. Atque hic modus loquendi, ita proprius est circa iudicium, vt non perinde dicamus circa simplicem apprehensionem, illum qui simplices terminos profert, & simplices conceptus habet, dixisse verum, cognouisse verum: sed ad summum

cum

cum addito, hic pronunciauit verum nomen hominis, formauit verum conceptum hominis.

Demum ipse S. Thom. hoc planè explicasse videtur. Nam 3. de Anima lect. 11. ait: *Intellectus incomplexorum, neque verus, neque falsus est, quantùm ad id quod intelligitur. Veritas enim consistit in quadam comparatione & adæquatione vnius ad alterum, quæ quidem est in compositione & diuisione, non autem in intelligibili incomplexo. Sed licèt ipsum incomplexum non sit verum; tamen intellectus intelligēdo ipsum, verus est, inquantùm adæquatur rei intellectæ*. Et 1. Periherm. lect. 3. declarat, non esse aliud, intellectum cognoscere habitudinem conformitatis suæ ad rem, quàm iudicare ita esse in re aut non esse. Idem significauit 1. contra Gent. cap. 59. & alibi. Quod autem ait, intellectum componentem & diuidentem cognoscere conformitatem sui ad rem, potest intelligi tantùm materialiter, quia cognoscit habitudinem & cōparationem vnius extremi ad aliud, quæ omnia erant quidem apprehensa quoad quid est in prima operatione intellectus, & in ea apprehensione erat simplex sua conformitas.

SECTIO QVARTA.

Quid sit Enunciatio: & quæ sint regulæ veræ enunciationis.

Enunciatio pluribus modis sumitur.

ENunciatio sumi potest obiectiuè pro re ipsa quæ enunciatur. Et sic non est aliud quàm habitudo quæ est inter extrema propositionis prædicatum & subiectum, siue est illud quod affirmatur aut negatur. Et enunciatio sic sumpta, est obiectum iudicij, vt patet: & est res significata per propositionem vocalem. Secundò sumi potest formaliter in mente, pro actu ipso quo enunciamus, affirmamus aut negamus. Et sic sumpta, est adæquatè ipsum iudicium, secundaquè operatio intellectus. Tertiò sumi potest vocaliter & significatiuè, pro oratione vocali quæ voce exprimitur, aut etiam scripto consignatur. Et sic sumpta, est signum expressiuum mentalis iudicij. Quartò sumi potest instrumentaliter seu idæaliter, pro idæa & instrumento directiuo iudicij, iuxta ea quæ diximus quæst. 4. de Instrumentis directiuis cognitionis: sicut argumentatio erat instrumentum directiuum discursus.

Sub enunciationis nomine iudicium dirigitur.

Sub hoc ergo enunciationis nomine consuetum est tradi illa quæ pertinent ad directionem iudicij: & propinquiùs quidem edoceri solent de enunciatione vocali, vt per illam de mentali intelligantur. Iam autem in Institutionibus satis multa de enunciatione præmisimus, quæ sanè admodum iuuant directionem iudicij: & hoc loco inserenda essent, nisi iam ibi tradita fuissent. Et præsertim plurimæ regulæ ad rectam & veram enunciationem ex eo loco habentur. Supersunt tamen modò quædam aliæ regulæ, quæ tunc non erant necessariæ, nec pro eo loco opportunæ. Et specialiter tradi solent circa prædicabilia, ad explicandum quomodo & qualiter debeant prædicari. Sed nos ad hunc locum magis propriè pertinere censuimus.

Ad enunciationem affirmatiuam requiritur identitas extremorum.

Primò ergo, Regula vniuersalis est, ad propositionem affirmatiuam requiri identitatem aliquam extremorum, & è contra ad propositionem negatiuam diuersitatem. Ita supponit D. Thom. 1. par. qu. 13. art. 12. & 1. contra Gent. cap. 36. qui hoc declarat, non solùm in propositionibus essentialibus, vt homo est animal, vbi planè idem quod est homo est animal: sed etiam in propositionibus accidentalibus, vt homo est albus: hæc enim sunt idem subiecto; quia idem quod est homo, est subiectum albedinis. Ita etiam apertè docuit Arist. 9. Met. tex. 21. vbi ait, illa quæ affirmantur, componi, & esse vnum: quæ negantur, non componi, & esse plura. & 5. Met. text. 7. & 16. vbi assignat quendam modum identitatis quem vocat secundùm accidens, scilicet inter accidēs & subiectum, & inter plura accidentia quæ insunt vni subiecto. Et rursus textu 35. Socratem & Socratem musicum idem esse quodammodo. Hic est etiam communis modus loquendi aliorum. Vnde pro fundamento quodam syllogismorum poni solet pronunciatum illud, quæ sunt eadem vni tertio sunt idem inter se, in hoc sensu, quòd illa quæ in prædicatione cum quodam tertio communicant, etiam sunt idem inter se, idest vnum eorum de altero prædicatur.

Et ratio huius rei est clara: quia propositio affirmatiua determinat hoc esse illud: quæ planè est quædam identitas. Diuersi sunt autem identitatis gradus, ad diuersas propositiones sufficientes. Nam ad propositionem essentialem requiritur identitas essentialis: ad propositionem accidentalem accidentalis, quę consistit in coniunctione formæ cum subiecto. imo ad propositionem de pręcicato extrinsecè denominante, sufficit habitudo aliqua: vt enim verè dicamus, paries est visus, sufficit quòd visio terminatur ad parietē: quia nempè idē quod est paries, est obiectum visionis, est quod terminat visionem. Hinc ad propositionem negatiuam requiritur talis diuersitas extremorum, quæ excludat omnem identitatem sufficientem ad affirmationem: quia si aliqua identitas sufficiens adsit, vera erit propositio affirmatiua, non autem negatiua, cùm negatiua sit infinita. Vnde licèt album non sit idem essentialiter cum pariete: tamen quia est idem accidentaliter, valet affirmare, paries est albus; & non valet negare, nisi cum explicatione, paries non est essentialiter albus: quæ tamen propositio in re est modalis, perinde ac si dicatur, parietem esse album non esse illi essentiale, vbi negatio cadit non super copulā propositionis simplicis seu categoricæ, sed super copulam modi cum dicto, sicut in alijs propositionibus modalibus negatiuis.

An etiam requiratur, extrema sumi in concreto.

Secundo vlterius, quia illa extrema, ex quibus propositio affirmatiua vera confici potest, possunt sumi vel in concreto vel in abstracto, exploratum est inter terminos concretos, nominando scilicet tàm prædicatum quam subiectum in concreto, veram prædicationem exerceri: vt homo est animal, homo est albus. Et ratio est clara: quia sic maximè sumūtur extrema secundùm dictam idētitatem requisitam. Videndum est autem, an etiam inter terminos abstractos possit talis prædicatio exerceri. Sed quia varijs modis hæc comparatio contingit, vel prædicati in abstracto cum subiecto in concreto, vel subiecti in abstracto cum prædicato in concreto, vel vtriusque simul in abstracto: ideò totidem regulæ distinguendæ sunt.

Nō potest prædicatū in abstracto affirmari de subiecto in concreto.

Tertiò ergo regulariter loquendo non potest prædicatum in abstracto affirmari de subiecto in cōcreto. Est res clarissima in prædicatis accidentalibus. Nec enim dici potest, paries est albedo, oculus est visio: & similiter in secundis intentionibus dici nō potest, animal est genereitas, est vniuersalitas, est prædicabilitas. Et ratio est manifesta: quia formæ accidentales sunt essentialiter à subiecto distinctæ, & tantùm sunt idem quodammodo per coniunctionem: sed dum nominantur in abstracto, accipiuntur prorsus vt distinctæ; dum verò nominantur in concreto, accipiuntur secundùm identitatem coniunctionis: ergo non in abstracto, sed tantùm in concreto, prædicari possunt. Si enim dicerentur in abstracto: sensus esset, naturam parietis esse naturam albedinis, quod est falsum. Dum autem dicuntur in concreto: sensus est, parietem esse subiectum albedinis, habere in se albedinem, quod verum est. Iuxta hoc Aristot. 7. Metaph. text. 42. dixit: *Homo & album, multa sunt, cùm non insit alterum alteri; vnum verò, cùm insit.* idest si album non sumatur prout inest homini, sed sumatur in abstracto, dum dicitur albedo; prorsus distinguitur ab homine, vt de eo prædicari non possit. Et S. Thomas 1. par. quęst. 85. art. 5. ad 3. cùm dixisset, compositionem intellectus esse signum identitatis eorum quæ componūtur, subdit: *Non enim intellectus sic componit, vt dicat quòd homo est albedo, sed quod homo est albus, idest habens albedinem.*

Etiam si prædicatū sit substātiale.

Idem procedit, si prædicata sint quidem in se ipsis substantialia, tamen non sint de essentia subiecti. Sic non valet dicere, materia est forma, est anima; sed tātùm est informata, est animata. Nec valet dicere, Verbum Diuinum est humanitas, vel hic homo est Deitas; sed tantùm Verbum Diuinum est homo, hic homo est Deus. Imo etiam inter genus & differentiam, quę alioqui à parte rei non distinguuntur, non valet dicere, animal est rationalitas, aut rationale est animalitas; sed tantùm animal est rationale, rationale est animal. Insuper hęc regula valet etiam in illis pręcicatis quę sunt de essentia subiecti: vt non valet dicere, homo est animalitas, est rationalitas, imo nec homo est humanitas. Ita docet S. Thomas de Ente & essen. c. 3. Caiet. ibi & alij

Etiam si sit essentiale subiecto.

com-

communiter. Ratio reddi solet: quia prędicatum essentiale debet se habere quasi totum respectu subiecti: & alioqui non potest prædicari pars de toto, licèt sit illi essentialis: non enim dicitur, homo est caput, est anima: abstractum autem se habet vt pars: ergo non potest prædicari de subiecto cui est essentiale. Verùm, si subiectum consideretur solùm quoad suam essentiam, fortasse hæc ratio non sufficit. Nam sic prædicatum essentiale non est pars physica & realis, sed tantùm metaphysica & secundùm nostrum concipiendi modum. Vnde de illo non procedit eadem ratio, quæ de partibus physicis à parte rei distinctis. Sed etiam dum certum quoddam prædicatum essentiale sumitur in concreto, dici potest pars metaphysica & essentialis. Vnde multi definiebant genus, quod erat pars materialis & differentiam, quæ erat pars formalis essentiæ.

Addendum ergo est: dum subiectum sumitur in concreto, si sit substantiale, dicere non solũ essentiam & naturã, sed etiam subsistentiam a natura distinctã, idest adequatè dicere totum suppositum: vt explicauimus quæst. præced. sect. 3. prædicatũ autem abstractum dicit tantùm naturam: vel si sumatur abstractum à subsistentia, dicit tantùm subsistentiam. Vnde intercedit vera distinctio, & prædicatum se haberet per modum partis physicæ. Et ideò non potest talis prædicatio fieri. Si etiam subiectum sit concretum aliquod accidẽtale, dicit non solùm formam, sed etiam subiectum, & modum inhæsionis: Vnde de illo non poterunt affirmari prædicata essentialia de generibus accidentium. Non potest dici, album est color, est qualitas; sed tantùm est coloratum, est quale. Non potest dici, sciens est habitus, sed tm̃ scientia est habitus: & sic de alijs.

Nisi quãdo abstractum non distinguitur à concreto.

Cęterùm vbi nõ intercedit talis distinctio inter concretum & abstractum, benè potest fieri talis prædicatio: & ideò in conclusione dicebamus, regulariter loquendo non posse fieri. Tales prædicationes valent in Deo, in quo nec attributa sunt accidentia distincta à Diuina substantia, nec subsistentiæ personales ab essentia distinguuntur. Vnde valet optimè dicere, Deus est sua potentia, sua sapiẽtia, &c. Deus est Deitas, Deus est Paternitas, Pater est Deitas: vt suo loco in Theologia tractabimus.

Prædicatũ in concreto non potest per modum termini substantiui affirmari de subiecto in abstracto.

Quartò. Si è conuerso sumatur prædicatum in concreto & subiectũ in abstracto, distinguendum est: si prædicatũ dicatur in quid & per modũ termini substãtiui, nõ põt regulariter affirmari de subiecto. Si autẽ dicatur in quale & per modũ termini adiectiui, potest sæpè affirmari de subiecto. Prima pars patet. Non enim benè dicitur, humanitas est animal, equinitas est brutũ. Et procedit de hoc eadẽ rõ, quam antea dicebamus. Vnde dico ẽt regulariter: quia pariter hic locum hẽt illa exceptio, qñ à parte rei non adest distinctio. Sic in Deo optimè dicitur, Deitas est Pater, Paternitas est Deus. Addenda est ẽt alia exceptio, si prædicatũ sit secundæ intẽtionis, & dicatur de natura cui verè cõuenit. Nã si intellectus attribuit secundã intentionẽ naturæ abstractæ, poterit vtiq. de illa prædicari. Sic rectè dicemus, humanitas est species ad hanc & illã humanitatẽ: animalitas est genus ad humanitatem equinitatem &c. Itẽ vñlitas est genus ad quinq. species vñlitatis: & passim dr̃, albedo est species, color est genus, quãtitas est genus generalissimũ. Et sic de alijs.

Potest per modũ termini adiectiui.

Secunda pars ostẽditur: quia rectè vtiq. dicimus: hæc albedo est similis illi, hæc quãtitas est æqualis illi, humanitas est risibilis, est rõnalis, aliqua aĩalitas est rationalis, & similia. Vnde hoc valet, non tm̃ si prædicata sint essentialia, sed etiã si sint accidẽtalia subiecto. Et ratio est: quia terminus adiectiuus dicitur per modũ adiacẽtis & inhærẽtis, & ita dicit idẽtitatẽ cõiunctionis: & põt cõsiderari vt suo modo idẽ ẽt cũ subiecto sũpto in abstracto, vt patet in exemplis allatis. Dixi aũt sæpè: quia ex alia parte, multa prædicata sunt, quæ non possunt cõmodè dici in quale & per modũ termini adiectiui de subiectis in abstracto: vt non benè diceretur, albedo est colorata, est alba. Sic notauit Arist. 2. Top. cap. 2. loc. 1. malè dici, albedinem colorari, ambulationem moueri, & sic de alijs generibus respectu suarũ specierum. Et ratio est: quia huiusmodi prædicata, quæ se habent per modum generis: non possunt dici in quale, sed tantùm in quid: licèt prædicata non minùs essentialia, quæ se habent per modum differẽtiæ, dicãtur adiectiuè: vt dicebamus huma-

humanitas est rationalis, sic etiam est sensitiua, animalitas est sensitiua. Quomodo autem dici soleat, quantitas quanta, linea quanta, linea longa, & similia circa species quantitatis; explicauimus in proprio prædicamento sect. 1. Item illa prædicata, quę dicunt actiones & operationes, non semper de subiectis in abstracto prædicantur: vt non rectè diceretur, humanitas currit, loquitur: sed dici debet, homo currit, loquitur. Sic etiam docet S. Tho. 1. par. q. 39. ar. 5. & alij Theologi magis communiter, non rectè dici Essentia diuina generat, licèt rectè dicatur Essentia diuina est generatio, ob realem identitatem. Aliquando tamen, etiam hæc prædicata dicuntur de subiectis in abstracto sumptis: vnde non solùm in Deo actus essentiales dicuntur de essentia, essentia intelligit, Deitas vult: sed etiam apud nos rectè dicimus, potentia operatur, potentia intellectiua discurrit, appetitiua amat, & similia. Huius autem diuersitatis ratio, ex diuersitate ipsarum operationum & subiectorum, iuxta communem loquendi & significandi modum, attendenda est.

Abstractū de abstracto nō pōt prædicari accidentaliter. Quintò demũ, sumendo vtrumque extremum in abstracto, facilè quidem constat, non posse prædicatum in abstracto dici de subiecto, si tātùm accidētaliter ei conuenit: quia nimirum prædicatum accidentale dici non potest de subiecto, nisi quatenus illi inhærens, & prædicatio accidentalis est denominatiua & in quale. Vnde dici non potest, humanitas est albedo, est scientia, & sic de alijs.

Vasq. tamen 1. part. disp. 130. cap. 3. affirmat, posse abstractum prædicari de abstracto accidentaliter & denominatiuè. Affert exempla, rationalitas est differentia, risibilitas est proprietas, hæcceitas Petri est indiuiduatio. & ita defendit Relationem diuinam benè dici personalitatem, etiam si tantum accidentaliter & denominatiuè dicatur talis. Et ponit regulam: tunc præsertim abstractum de abstracto prædicari, quando denotamus actum & quasi officiũ illius. Verùm hoc totum est prorsus falsum. & innumeris exemplis constat, tales prædicationes non esse vsurpandas, etiam quando denotamus actum & officiũ rei, vt est manifestum. In illis autem exemplis, certè differentia & proprietas, sumuntur tanquã concreta, vt patet ex dictis in tractatu vniuersalium, si sumantur quoad secundas intentiones: alioqui quare non valet dicere, animalitas est generitas, humanitas est specietas, item rationalitas est secunda intentio, est relatio rationis, & similia? Dum verò dicitur hæcceitas Petri est indiuiduatio, prædicatio est quidditatiua, ac si dicatur, hæcceitas Petri est hæcceitas. Et similiter, Relatio diuina est personalitas, est subsistentia. Hoc enim illi quidditatiuè conuenit, vt in materia de Trinitate videbimus.

Difficultas ergo est de ijs prædicatis, quæ essentialiter conueniunt subiecto, An dici possit, humanitas est animalitas, est rōnalitas, & similia. Negat adhuc Scot. in 1. dist. 2. q 7. & in Log. q. 16. vniuersaliũ. Sequitur Suess. 3. Met. disp. 2. Et fundamētum est: quia semper abstractum sumitur per modum partis, pars autem non potest prædicari de toto. Affirmant tamen Sotus q. 3. Vniuers. art. 2. Fons. 5. Met. cap. 28. q. 13. Suar. disp. 6. Met. sec. 10. n. 6. & vt plurimum recentiores in tract. Vniuersalium, saltem de illis prædicatis essentialibus quæ sunt genera & species.

Pōt prædicari essentialiter. Dicēdum absolutè videtur, posse prædicata essentialia dici in abstracto de subiectis etiam in abstracto. Patet in primis inter accidentia: nam hæ omnes propositiones verissimæ sunt, albedo est color, linea est quantitas, alteratio est actio, & sic in omnibus aliis accidentibus. Vidit hoc Scot. qui propterea dixit, diuersā esse rationem de substantiis & accidentibus: quia inquit, illa accidentia non sunt abstracta vltima abstractione, sed possunt ab illis alia abstracta desumi; vt ab albedine albedineitas, à colore coloreitas: at abstracta substantiarum sunt abstracta vltima abstractione. Vnde ait, dici non posse, albedineitas est coloreitas, & similiter humanitas est animalitas. Sed tamen etiam inter hæc abstracta concedenda est prædicatio. Nam pariter ab humanitate potest abstrahi rationalitas, & ab animalitate sensibilitas. Nec etiam apparet, quare vltima abstractio impediat prædicationem, quando adhuc prædicatum abstractum, est de essentia subiecti etiam abstracti.

Nec

Nec etiam satisfacit, quod aliqui dicunt, naturam substantialem abstrahi tantũ à supposito, formam verò accidentalem abstrahi à subiecto. Nec quod affert Suar. num. 3. abstractionem accidentis esse physicam, abstractionem subiecti esse metaphysicam. Nam sicut accidentia quæ abstrahuntur abstractione ipsis competente, quæ alioqui impedit prædicationem abstractorum de concretis; tamen prædicantur de subiectis pari modo abstractis: ita substantiæ quæ abstrahuntur abstractione sibi conueniente, debent prædicari de subiectis pari modo abstractis.

Deinde etiã inter substantias idem demonstratur exemplis. sine dubio valet dicere, hæc humanitas Petri est humanitas, sicut valet dicere hæc anima est anima rationalis. Item humanitas est natura corporea, est natura sensitiua: quæ omnia prædicata sunt abstracta. & idem prorsus sonat dicere, est natura sensitiua, & est animalitas. Ergo concedendę sunt prædicationes abstractorum de abstractis inter substantias.

Redditur rõ huius prædicationis. Et ratio demum huius rei est: quia verè rationalitas est de essentia humanitatis: humanitas enim dicit totam naturam humanam, quæ vtique essentialiter includit gradum rationaliratis. Nec adest illud impedimentum quod erat in prædicatione abstracti de concreto, dum etiam subiectum sumitur in abstracto. Ergo verè & in sensu formali ac essentiali, potest talis prædicatio exerceri. Vnde etiam ille gradus, qui est differentia essentialis, poterit de natura abstracta prædicari, humanitas est rationalitas; sicut si diceretur, humanitas est natura discursiua. Verè tamen tunc non prædicabitur per modum differentiæ, sed potius per modum generis. Nam modus differentiæ est, prædicari in quale & adiectiuè. Vnde si differentia coniungatur cum alio termino substãtiuo, non poterit poni in abstracto, sed debebit poni in cõcreto. sic nõ rectè diceretur, humanitas est animalitas rationalitas: sed benè est animalitas rationalis. At quia idẽ gradus essentialis, qui quando affigitur alteri termino & prædicato substantiuo, dicitur differentia; potest alio modo per se primò sumi substantiuè, & tunc se habet tanquam genus, vt diximus in tractatu de vniuersalibus: sic talis gradus poterit etiam in abstracto prædicari. Vnde pariter dici poterit hnmanitas est rationalitas sensitiua, & sic in alijs similibus.

Soluitur fundamẽtũ sententiæ negatiuæ. Ad fundamentum verò sententiæ oppositæ, patet ex supra dictis, partem physicam, seu quæ se habet per modum partis physicæ, non posse prædicari: abstractum autem respectu abstracti, non se habet vt pars physica, sicut respectu concreti. Deinde eo modo quo animal dicitur se habere, vt totum respectu hominis, quia est totum potentiale; licèt sit pars essentialis: ita etiam se habet animalitas ad humanitatem, & dicetur pariter totum potentiale, tanquam genus, tum ad humanitatem, tum ad alias naturas sibi subditas; licet se habeat vt pars essentialis. Si tamen comparentnr inter se plures gradus essentiales alicuius rei, quorum vnus non includit essentialiter alium, vt se habent in homine animalitas & rationalitas, quæ quidem in concreto possunt de se inuicem prædicari: non poterunt in abstracto prædicari, animalitas est rationalitas, vel è conuerso, in sensu inquam formali & essentiali; quamuis in sensu solùm identico & reali possent tales prædicationes admitti, ad denotandum tales gradus essentiales esse idem in re: qua saltem ratione attributa diuina inter se & de essentia etiam in abstracto prædicantur.

SECTIO QVINTA.

Quotuplex sit Enunciatio, & de speciebus eius.

ARistoteles in maxima parte huius operis de Interpret. agit de varijs diuisionibus & speciebus enunciationis. Sed nos breuiter quædam quæ sunt præcipua attingemus.

Enũciatio affirmatiua, & negatiua. Prima & notissima enunciationis diuisio est, in affirmatiuam & negatiuam. Quam diuisionem in explicanda essentia iudicij & enunciationis in communi inserere oportuit. & inde iam satis patet, quid & quæ sit enunciatio affirmatiua ac negatiua. Et rectè Arist. hic lib. 1. cap. 4.

4. ait: *Affirmatio est enunciatio alicuius de aliquo: negatio verò enunciatio alicuius ab aliquo*. Modò examinandum magis est, quo differant, & quomodo conueniat.

Aliqui significant, differre solùm accidentaliter, ita vt diuisio sit tanquam subiecti in accidentia. Tum quia quòd enunciatio sit affirmatiua vel negatiua, dici solet qualitas enunciationis. Tum quia eadem propositio quæ est affirmatiua, potest fieri negatiua, sine alia varietate quàm per additionē particulæ negatiuę. homo est albus, homo nō est albus. Tū quia negatio pōt æquiualenter apponi, vel ex parte copulæ homo non est albus, vel ex parte prędicati homo est non albus: & hæc secunda propositio in se est affirmatiua, & non videtur differre à propositione negatiua, nisi per transpositionem particulæ negatiuæ.

E contra Alexand. Afrodis. apud Philop. 1. Prior. cap. 1. com. 4 dixit, has enunciationes adeo differre, vt nec etiā in communi ratione enunciationis vniuocè conueniant, sed tantùm analogicè; & hanc diuisionem esse anologi in analogata, non generis in species. Quia nimirum affirmatio & negatio non æqualiter se habent, sed enunciatio per prius dicitur de affirmatiua quàm de negatiua. & ita indicauit Arist. ipse hic lib. 1. cap. 4. *Est autem vna prima oratio, enunciatiua affirmatio, deinde negatio*.

Differunt essentialiter, & conueniunt vniuocè.

Dicendum tamen est, enunciationem affirmatiuam & negatiuam verè differre essentialiter: conuenire autem vniuocè in cōi enunciationis rōne, atq. adeò hanc esse verā diuisionē generis in species. Hęc est cōis sententia Interpetrum in 1. lib. de Interp. & D. Tho. Opusc. 48. tract. de Interpr. c. 6. Et patet facilè. Nam differentia enunciationis cōsistit in differētia iudicij mentalis, sed affirmare & negare, assentiri & dissentiri, componere & diuidere, planè differunt essentialiter: imo circa idem obiectum sunt actus contrarij. Ergo. At verò datur conceptus enunciationis & iudicij in communi, quem affirmatio & negatio essentialiter participant: & iudicium per se ponitur in prędicamento tanquam genus quoddam: ergo affirmatio & negatio verè conueniunt vniuocè, & illa diuisio enunciationis est generis in species.

Nec obstant quæ in oppositum pręmissa sunt. Illa enim dicitur qualitas enunciationis, non tanquam qualitas accidentalis, sed tanquam qualitas essentialis, ad differentiam quantitatis qua enunciatio dicitur vniuersalis vel particularis. & præsertim differentiæ essentiales diuidētes genus in species dici solēt qualitates. Propositio autem vocalis potest de affirmatiua fieri negatiua per additionem particulæ negatiuæ: at iudicium mentale non potest fieri de affirmatiuo negatiuum, nisi per totalem mutationem vnius actus in alium actum, vt est manifestum. Et hinc propositiones etiam ipsæ vocales dicentur differre specie & essentialiter, quia denominari debent ad instar iudicij mentalis cui correspondent. Atque etiam propositiones illæ, in quibus negatio ponitur, vel ex parte copulæ, vel prædicati; differunt specie & essentialiter: quia alius actus est, quo intellectus negat homo non est albus, & alius quo affirmat homo est non albus.

Deinde affirmatio & negatio nō ęqualiter se habēt quantum ad perfectionem; quia affirmatio est quodammodo perfectior: est etiam quodammodo prior; quia prius esse solet iudicare quid res sit, quàm quid non sit. Et hæc ad summum voluit ibi Ar. quæ certè non impediunt vniuocationem consuetam inter species eiusdem generis. Neque verò apparet alia ratio analogiæ, destruens vniuocationem, inter enunciationem affirmatiuam & negatiuam. Et, vt notauit ibi S. Tho. negatio non participat rationem enunciationis per dependentiam essentialem ab affirmatione, sicut accidens participat rationem entis per dependentiam essentialem à substantia; vt propterea dici debeat tantùm analogicè cum illa conuenire, eo modo quo dicitur conuenire accidens cum substantia.

Secunda præcipua etiam enunciationis diuisio est, quæ sumitur ex parte quantitatis, in vniuersalem & particularem, sub quibus intelligi possunt singularis & indefinita, nisi placeat has omnes distinctè recensere. De quibus etiam dubitari potest, an differant essentialiter, vel tantùm accidentaliter. Et aliqui vno, alij alio modo, differre volunt. Sed dicendum est, hanc differentiam

Enūciatio vniuersalis, & particularis.

non

nō se tenere ex parte modi iudicandi, sed potius ex parte obiecti materialis. iudicare enim aliquem hominem esse album, aut omnem hominem esse album, solùm differunt, quia enunciatio vniuersalis plura cōplectitur ex parte subiecti in obiecto suo. Itaque eodem modo differunt hæ propositiones, sicut dicentur differre aliæ circa diuersa obiecta: vt si quis iudicet, Petrum esse album, aut Paulum esse album, aut Petrum esse doctum, aut ignem esse calidum: & sic de alijs.

Et in vniuersum, hæc differentia videtur dicenda essentialis: quia omnes actus per differentiam suam intrinsecam determinati sunt ad sua obiecta, ita vt possint plures actus prorsus similes circa idem obiectum multiplicari, & hi dicentur differre solo numero. Actus autem attingentes diuersa obiecta, dici debebunt differre specie. Sed hæc res est generalis de specificatione actuum ab obiectis: de qua in Philosoph. agendum erit.

Enūciatio simplex et cōposita. Tertia diuisio fit, quæ habetur ex Arist. cap. 4. cit. in simplicem, & compositam seu coniunctam. Simplex est, quæ constat ex suo subiecto & prædicato. Composita est, quę consurgit ex pluribus simplicibus simul iunctis: vt propositio conditionalis, si sol lucet dies est: copulatiua, sol lucet & dies est: & aliæ huius generis. De Enunciatione coniuncta multi supponunt, importare plures actus iudicij in intellectu, correspondentes pluribus partibus, idest enunciationibus simplicibus ex quibus illa constat. Et addunt, hos actus vniri in mente per quendam modum vnionis correspondentem particulæ coniunctiuæ, quæ in voce constituit propositionem compositam, videlicet particulæ, et, in propositione copulatiua: particulæ, vel, in propositione disiunctiua: & sic de alijs. Iuxta hoc vlterius communis ferè sententia docet, hanc diuisionem esse analogi in analogata. Ita S. Thō. loc. cit. Opusc. 48. & plurimi Expositores 1. de Interp. cap. 4. quia nimirum propositio coniuncta constat ex simplicibus tanquam partibus: totum autem non conuenit vniuocè cum partibus in ratione communi. & quia propositio simplex est propriè vna, coniuncta autem tantùm est vna per modum quendam coniunctionis: & ita Ar. illā appellat simpliciter vnam, hanc autem cum addito, coniunctione vnam. Al qui verò defendunt, diuisionem esse vniuocam generis in species: quia sufficere potest, quòd propositio coniuncta addit aliquid vltra simplices, & quòd sit vna per compositionem. Aliqui demum contendunt, differentiam & diuisionem esse solùm accidentalem: quia eędem propositiones sunt simplices per se sumptæ, & sunt vna cōposita dum simul sumuntur.

Dicendum tamen est, enunciationem coniunctam esse in mente vnum simplicē actum iudicij, habentem pro obiecto suo coniunctionem quę inter plures propositiones simplices inuenitur. Probatur. tum quia dici non possunt in mente solùm esse plures actus iudicij simul existentes in intellectu: quia sic non esset vna propositio coniuncta, sed solùm plures simplices absque connexione inter se. Nec possunt dici, ij plures actus iudicij coniungi modo superaddito vnionis. Hic enim modus vnionis inter actus non apparet quomodo esse possit, vt dicebamus sec. 2. potius ergo dicendum est, propositionem coniunctam esse in mente, certum quendam iudicij actum circa totum obiectum. Tum deinde, ita se habet copula coniūctionis in propositione cōposita, sicut copula, est, in propositione simplici: sicut ergo copulę est correspōdet simplex iudicij actus, vt antea statuimus; ita etiā copulæ cōiunctionis in propositione coniuncta. Quod inde magis patet; quia propositio cōiuncta nō est affirmatiua aut negatiua, eo quòd partes ex quibus constat sint per se affirmatiuæ aut negatiuæ, sed eo solùm quòd copula coniunctionis sit affirmatiua aut negatiua; & vna sola negatio debet apponi ipsi copulæ, vt tota propositio dicatur negatiua. Vnde hæc propositio, Petrus non currit, & Paulus non sedet, est affirmatiua: hæc autem, non Petrus currit & Paulus sedet, est negatiua. Signum ergo euidens est, quòd in mente vnus adæquatè sit iudicij actus circa totam propositionem coniunctam, formaliter attingens ipsam coniunctionem: & hoc iudicium vel est affirmatiuum vel negatiuum de tali coniunctione. Alioqui si pluribus iudicijs constaret, planè aliud esse posset affirmatiuum, aliud negatiuum. *Enunciatio cōposita in mēte dicitur vnū iudicij actum.*

Tum

Tum etiam ideò propositio coniuncta, vel est absolutè vera, vel absolutè falsa, nec potest dici partim vera partim falsa: quia vnicum habet assensum in mente, qui vel falsus vel verus est: si autem haberet plures, posset vnus esse verus, alius falsus.

Conditionalis. Tum præterea id ostenditur discurrendo per omnes species propositionis coniunctæ. In propositione conditionali, si Sol lucet dies est, clarissimè patet, vnicum esse assensum intellectus circa connexionem effectus cum conditione. Nec alium esse assensum circa partes eius propositionis. Et ideò dicitur conditionalis nihil possit in esse. Et alioqui assensus esset absolutus non conditionatus.

Disiunctiua. In propositione disiunctiua, vel Sol lucet vel non lucet, idem clarè patet. Non enim datur duplex assensus intellectus circa hanc duplicem partem, sed tantùm vnus circa disiunctionem ipsam: & alioqui ad veritatem propositionis disiunctiuę requireretur veritas vtriusque partis, cùm tamen sufficiat vnius partis.

Copulatiua. In propositione copulatiua, Petrus currit & Paulus sedet, non est duplex assensus distinctus circa singulas partes, sed vnus solus circa totam propositionem & vtranque partem, affirmans nimirum talem copulationem quæ requirit veritatem vtriusque partis. Et patet: quia si negatiuè dicatur, non Petrus currit & Paulus mouetur, vtique vnus est actus iudicij negatiui, negans talem copulationem. Ideò si vna tantùm pars huiusmodi propositionis sit falsa, etiam si altera per se esset vera; tamen tota propositio dicitur falsa: quia nimirum vnus est in mente assensus falsus: & alioqui si essent plures assensus, aliquis subesset verus assensus. Huic etiam propositioni æquiualet propositio exclusiua, solus Petrus currit, idest Petrus currit & nullus alius currit: & propositio exceptiua, omnes currunt præter Petrum, idest omnes alij currunt & Petrus non currit. Ijs autem propositionibus planè vnus assensus correspondet in mente.

Causalis. Pariter in propositione causali, quia Sol lucet dies est, procedunt eædem rationes: vt consideranti patebit.

Rationalis. In propositione demum rationali, dies est ergo Sol lucet, distinguendum est: si re ipsa in mente exerceatur hæc illatio, tunc quidem in mente erunt duo assensus, vnus circa antecedens, alius circa consequens: sed primus erit actus secundæ operationis, secundus tertiæ operationis. Vnde reuera hæc non erit propositio spectans ad secundam operationem, sed in toto rigore est argumentatio, nempè entymema, & se habet sicut syllogismus. Sed aliter potest sumi hæc propositio, ita scilicet vt non actu exerceatur illatio, sed tantùm iudicetur bonitas illationis, quæ fieri potest in tertia operatione: vt si expresè diceremus, benè infertur, ex eo quod dies est Solem lucere: sicut etiam cùm dicimus, modus discurrendi in Barbara benè concludit. Sic autem vnus est assensus in mente, qui pariter haberi potest in materia euidenter falsa: vt si dicamus, benè infertur, Plato loquitur ergo viuit. Concludendum est ergo, omnem enunciationem spectantem ad secundam operationem, licèt dicatur composita & coniuncta, id intelligi quidem ex parte obiecti, sed tamen ex parte actus consistere in vno simplici actu iudicij in mente.

Hinc vlterius sequitur, diuisionem enunciationis in simplicem & compositā, non esse analogicā. Quia nec verum est, compositam constitui ex pluribus simplicibus, loquendo de actibus mentis, vnde hæc res desumenda est. Neque enunciationi compositæ deest sua vera ac perfecta vnitas. Dum autem Aristoteles eam vocauit coniunctione vnam, respexit præcipuè ad obiectum enunciationis, vel ad enunciationem vocalem. Sequitur etiam, diuisionem non esse accidentalem, quasi ijdem actus in mente qui sunt propositiones simplices, possint transire in vnam compositam. Sed dicendum superest, diuisionem esse essentialem, generis in species, per differentiam desumptam ex parte obiecti.

Quarta diuisio fit, quæ habetur ex Aristotele libro secundo capite tertio, in enunciationem absolutam, quæ etiam dicitur de inesse, vt homo est albus; & modalem, vt contingens est hominem esse album. *Enunciatio absoluta & modalis.* Vbi etiam dicendum est, propositionem modalem in mente non constitui ex illo actu iudicij qui haberi potest absolutè circa propositionem de

inesse,

inesse, quasi super illum addat alium actum iudicij de modo contingentiæ, siue alio modo: sed potius esse vnum simplicè actum & assensum formaliter circa connexionem modi cum dicto. Et ita saluantur omnia, quæ de affirmatione & negatione, veritate & falsitate, propositionum modalium, dicuntur. Vnde etiam consequitur, propositiones modales cum absolutis conuenire vniuocè, & differre specificè, iuxta alia prædicta.

Certa & probabilis. Quinta diuisio fit in enunciationem certam & probabilem, item euidentem & non euidentem, quæ diuisio maximè se tenet ex parte actus. Alius est enim assensus firmus & certus intellectus, alius probabilis & cum formidine de parte opposita. Item alius clarus & euidens, alius obscurus & ineuidens. Itaque hæc diuisio est essentialis & specifica. Sed quia hæc distinctio præcipuè considerattur circa discursum, ideò in tractatu discursus eam pleniùs prosequemur.

Enunciatio necessaria & cõtingẽs. Postremò, specialiter commemoranda hic est diuisio enunciationis in necessariam & contingentem. Necessaria est, quæ non potest non esse vera, vt homo est animal. Contingens est, quæ potest non esse vera, vt Petrus currit. Quæ distinctio, vt patet, sumitur penitus ex parte obiecti. Vnde alia dicitur enunciatio in materia necessaria, alia in materia contingenti. De his iam enunciationibus distinctè quædam tractanda supersunt. Pleraque alia quæ ad superiores diuisiones pertinẽt, & ad alias diuisiones quæ tradi possunt, præmissa sunt in Institutionibus, neque sunt hoc loco denuò repetenda.

SECTIO SEXTA.

De Enunciatione necessaria.

Enunciatio necessaria est omnino vera. ENunciatio simpliciter necessaria est illa, quæ affirmat de subiecto prædicata essentialia eius, aut passiones naturaliter ab essentia promanantes; illa etiam quæ negat ea quæ repugnant essentiæ rei. Et huiusmodi enunciationis necessitas, seu necessaria veritas, prouenit ex ipsa necessitate & immutabilitate obiecti, quod non potest aliter se habere: quoniam essentiæ rerum sunt inuariabiles: & ideò propositiones enunciantes ea quæ spectant ad essentiam rei, tales sunt, vt accidere non possit, quòd non conformentur obiecto: non possunt ergo esse falsæ, sed sunt necessariò veræ.

Atque hinc, tales enunciationes dicuntur esse æternæ veritatis, idest ab æterno & in æternũ veræ, etiam quando ipsæ res non existunt actualiter extra causas. Ita semper verũ fuit dicere, & deinceps erit verum dicere, homo est animal, est substantia, est rationalis, est risibilis; etiam antequam homo crearetur, etiam si omnis homo redigeretur in nihilum. Hinc etiam tales enunciationes dicuntur absolui à tempore, quia non sibi determinant certum aliquod tempus pro quo peculiariter veræ sint, sed adæquatè pro omni tẽpore verificantur. Nec enunciant rem pro certo aliquo ac definito tempore, sed amplè & adæquatè pro omni tẽpore. *Est æternæ veritatis.*

Sed circa hanc rem duplex præcipuè difficultas occurrit. Prima est, quomodo hæ propositiones dicantur esse æternæ veritatis, idest ab æterno veræ, cùm ab æterno non fuerint. Nec enim satis est dicere, ab æterno fuisse saltem in mente Dei, quia Deus sciebat has oẽs veritates. Nam Deus ab æterno sciebat etiam omnes res contingenter futuras in tempore, & tamen non propterea propositiones contingentes dicuntur æternæ veritatis. Et certè, quando propositiones necessariæ dicuntur æternæ veritatis, non solùm id refertur ad intellectum Diuinum, sed ad omnem intellectum potentem iudicare & enunciare. Dicendum ergo est, has propositiones formaliter sumptas, siue pro mentali iudicio, siue pro enunciatione vocali, dici æternæ veritatis veluti sub conditione: idest tales sunt hæ propositiones, vt quandocunque vel interiùs vel exteriùs proferantur à quocunque intellectu, etiam si ab æterno prolatæ fuissent, semper sint veræ ac necessariæ. *Quomodo sit vera, quando non est.*

De facto ergo non sunt tales propositiones in intellectu creato, nisi quando intellectus iudicat, aut etiam exprimit: sed semper sunt talis naturæ & conditionis, vt si intellectus iudicet, aut etiam exprimat, veræ sint. Itaque sicut ipsæ propositiones essentiales de rebus, veræ sunt, etiam quando res non existunt: ita

hæc

hæc ipsa propositio quæ enunciat veritatem talium propositionum, propositiones essentiales sunt veræ, vera est etiam præcisa actuali existentia earum propositionum.

Quomodo sit vera quãdo nõ existit obiectum de quo est.

Secunda & maior difficultas est, quõ possint hæ propositiones esse semper veræ etiam non existente obiecto. Quoniã quando res non actu existunt, nec etiam earum essentiæ actu dantur. Vel dicendum erit, essentias rerum esse æternas, & ab æterno dari: atque adeo, licèt res creatæ non nisi in tempore incipiant secundum actualitatem existentię, tamen ab æterno fuerint secundum actualitatẽ essentiæ. Verùm, hæc est quęstio metaphysica de essentia & existentia rerum, earumque distinctione, quæ non potest hoc loco examinari. Interim explicari potest, has propositiones esse veras, etiã si res actu non sint, nullaquè detur actualitas essendi in se ipsis, nec quoad esse existentiæ, nec quoad esse essentiæ: dicendo, eas propositiones non enunciare actualitatem aliquam essendi, sed tantùm connexionem prædicatorum pręscindendo ab actualitate. Et, si debeant explicari in ordine ad actualitatem, deberent explicari eo modo quo nunc dicebamus, veluti sub conditione, quòd quandocumque res actu sit, omnino esse debet talis sicut enunciatur. Et ita potest quidem fieri, vt ignis non sit, atque adeo nec eius essentia & essentialia prædicata actu sint: sed fieri non potest, vt sit & non sit substantia corporea exigitiua caloris & siccitatis. Si ergo actu sit, necessariò est actu talis. Sic itaq; propositiones essentiales sunt veræ, etiam quando res actu non extant: & sunt necessariæ ac immutabilis veritatis.

Inter enũciationes necessarias sunt propositiones per se nota.

Deinde diuidi possunt enunciationes necessariæ, in illas quæ dicuntur per se notæ, & statim ipso naturæ lumine euidentes, & alias quæ non sunt ita per se notæ, sed indigent medio aliquo, vt intellectus præbeat assensum. Propositiones per se notę sunt illę, quę statim pręsupposita apprehensione terminorum, eo modo quo ad omnem assensum nostri intellectus hęc apprehensio prærequiritur, inclinant intellectum ad assensum, qui ex ipso innato lumine, non alio adhibito medio cognoscendi, statim præbet assensum: cuiusmodi sunt hę propositiones, non potest simul idem esse & non esse: omne totum est maius sua parte: quę sunt eadem vel ęqualia vni tertio, sunt eadem vel ęqualia inter se: & alię similes, quæ idcirco dicuntur principia naturaliter nota. Vnde habitus qui in nostra potentia intellectiua, circa talia principia constituitur, appellatur habitus intellectus, communicato sibi nomine ab eadẽ potẽtia intellectiua, quæ primariò dicitur intellectus. Circa alias autẽ propositiones, quæ non sunt per se notæ, intellectus indiget medio aliquo quo inducatur ad assensum. & ad hoc propriè deseruit discursus in tertia operatione intellectus.

Cæterùm circa propositiones per se notas, in quibus consistit iudicium, & assensus secundæ operationis, possent aliqua hoc loco tractari. Sed quia vel communia sunt ad eas propositiones, quę per discursum euidentem inferuntur, & ita etiam cogunt intellectum ad assensum vel referuntur ad demonstrationem quæ ex talibus præmissis conficitur: ideo commodiùs in hæc alia loca differimus.

SECTIO SEPTIMA.

De Enunciatione contingenti circa præterita & præsentia.

Enũciatio contingẽs potest esse vera, aut falsa

Enunciatio contingens est, quæ affirmat de subiecto illa prædicata quæ ei contingenter conueniunt, idest possunt non conuenire, & similiter quę negat ea quę contingenter non conueniunt, idest possunt conuenire. Et ita omnis propositio cõtingens est de rebus contingentibus: & specialiter concernit existentiam actualem rerum, quæ existentia in omnibus rebus creatis contingens est, quoniam res creatę possunt esse & non esse. Itaque propositio contingens est, quæ potest esse vera aut falsa.

Effectus cõtingens duplex.

Sed adhuc duplex contingens distingui solet: aliud dicitur naturale: aliud liberum. Liberum est, quod dependet à causa libera & indifferenti potente operari & non operari, vt Petrum currere aut non currere, peccare aut nõ peccare.

re. Naturale est, quod dependet à causis naturalibus, de se quidē determinatis ad operandum, tamen quæ ab aliqua alia causa naturaliter impediri possunt: vt Sol est determinatus de se ad illuminandum, tamen potest nubibus impediri. Vnde hic effectus dicitur quidem contingens respectu vnius causæ per se consideratæ: tamen si consideretur simul tota collectio causarum naturalium, est determinatus & necessarius, respiciendo scilicet ad solas causas naturales. At si respiciamus ad libertatem causæ primæ; scilicet ad voluntatem Diuinam, sic omnis effectus est liberè contingens; quia omnis effectus dependet à Deo, & Deus in omnibus operationibus ad extra est perfectissimè liber. Atque adeò etiam effectus naturales, & qui sunt necessarij respectu causarum secundarum, sunt prorsus liberi relati ad Deum. Præcipuè autem loquemur de effectibus contingentibus & liberis, qui etiam per respectum ad causam secundam & voluntatem creatam contingenter se habent.

Potest considerari de præterito, de præsenti, & de futuro.

Rursus effectus contingentes possunt considerari, vel qui præteriti fuit, vel qui sunt præsentes, vel qui sunt futuri. Non addimus, qui sunt possibiles; quoniam possibilitas est prorsus necessaria, & non contingens. Hinc enunciationes contingentes; aliæ sunt de præteritis, vt Petrus peccauit; aliæ de præsentibus, vt Petrus peccat; aliæ de futuris, vt Petrus peccabit. Priùs ergo breuiter expediemus, quid dicendum sit de enunciationibus circa effectus præteritos & præsentes, deinde latiùs differemus circa contingentia futura, de quibus omnibus occasione propositionum contradictoriarum agit Aristotel. hic libro primo capite 6.

De præterito & de præsenti enunciatio est determinatè vera aut determinatè falsa.

De præteritis & præsentibus notum satis est, enunciationes esse determinatè veras, aut determinatè falsas. Ita supponit Aristoteles in principio capitis. Et est res clara. Verissimum est enim dicere, Adamus peccauit, & similia: & falsum esset dicere oppositum. Item, dum videmus Petrum loquentem, verum est dicere Petrus loquitur, falsum esset dicere Petrus non loquitur. Et ratio huius rei est manifesta: quia effectus præteritus & præsens, est verè determinatus: ergo potest verè ferri determinatum iudicium, & proferri determinata enunciatio de tali effectu.

De præterito est quodammodo necessaria.

Deinde in speciali de præteritis exploratum etiam est, postquam semel incipiat verum esse dicere rem fuisse, semper deinceps in omni tempore sequenti id verum esse; neque id amplius dependere ex potentia causæ. Imo absolutè & simpliciter non potest fieri, vt præteritum non fuerit, vel vt non præteritum fuerit. Et hoc est quod dici solet, ad præteritum non dari potentiam: de qua re agendum erit cum Sancto Thoma prima parte quæstione 25. Itaque non exercetur libertas & contingentia formaliter circa præteritum, Sed tamen quia tunc quando res fuit, contingenter fuit, quia poterat ab initio non esse, & non produci à causa libera: Ideò etiam propositiones de præterito dicuntur contingentes: quoniam licèt postea fieri non possit vt veræ non sint, tamen ab initio fieri poterat vt veræ non essent: & hoc ad differentiam earum propositionum, quas antea dicebamus esse necessarias, quæ non ex suppositione aliqua contingenti; sed absolutè ex natura rei tales erant, & nullatenus vnquam fieri potuisset quòd essent falsæ.

De præsenti quã do propriè verificetur.

De præsentibus duplex speciale dubium occurrit. Primum est, pro quanam mensura temporis specialiter debet verificari propositio de præsenti, præsertim propositio vocalis. Cùm enim propositio vocalis non proferatur in vnico instanti, sed requirat spatium temporis, dubitari potest, an pro eo toto spatio debeat verificari id quod asseritur, vel satis sit verificari tantùm in parte aut instanti aliquo eius temporis, & in quonam. Hoc dubium moueri solet a Theologis circa veritatem verborum consecrationis. Nam quædam propositio est, Hoc est corpus meum: & tamen non nisi in vltimo prolationis instanti est Corpus Christi in Sacramento. Et quidem aliqui dixerunt, in rigore sermonis propositionem de præsenti, debere verificari pro toto tempore suæ prolationis. Aliqui, pro primo instanti. Aliqui, dum profertur copula propositionis. Aliqui, in vltimo instanti.

Et hi omnes varijs modis conati sunt saluare veritatem illius propositionis. Sed remissa longiori discussione huius rei in proprium locum de Eucharistia propter veritatem consecrationis: breuiter nunc dicendum est, ad veritatem propositionis de præsenti sufficere rem esse in qualibet parte seu instanti prolationis. Nam propositio totum illud tempus consignificat, non quidem coniunctiuè, ita, vt pro omnibus partibus debeat verificari; sed diuisiuè, ita vt sufficiat pro qualibet parte vel vno instanti verificari. Et ita etiam iudicium mentale dici debet conformari significationi ipsius propositionis in voce, & referri ad illam mensuram pro qua verificatur propositio vocalis: & id sufficere ad eius veritatem. Imo aliquæ propositiones sunt, quæ proferuntur per formam loquendi de præsenti, & consignificant tempus aliquod propinquum; quamuis non prorsus idem cum prolatione propositionis: vt cùm quis dicit, ego bibo, ego curro, & post completam prolationem exercet actionem de qua loquitur: quod iuxta conditionem rerum & vsum loquendi discernendum est. Potest etiam expressè in ipsa propositione, & in iudicio mentali determinari certa aliqua latitudo temporis: vt si quis dicat, Petrus tota hac hora sedet, tota hac die ambulat. Et tunc ad id verificandum, verè requiritur vt toto eo tempore sit id quod asseritur. Similiter propositio scripta enuncians aliquid de præsenti, potest ac debet verificari pro illo tempore seu aliqua parte temporis quo scribitur, nisi alia peculiaris expressio fiat.

An possit mutari de verà in falsã. Secundum dubium est, an propositio de præsenti possit mutari de vera in falsam, & è conuerso. Communis sententia affirmat. Sumitur ex Aristotele in Prædicamento Substantiæ ad finem, & 9. Metaphysic. textu 21. Sequuntur nõ solùm Expositores circa eadem loca: sed etiam Diuus Thomas prima parte quæst. 14. articulo 15. ad 3. Durandus in 2. distinct. 40. quæstione 3. numero 4. Caietan. 1. 2. quæstione 19. artic. 1. Suarez disputatione 8. Metaphysic. sectione 2. numero 10. & alij. Et fundamentum est: quia potest mutari obiectum, & Petrus qui sedebat potest surgere: si ergo mutetur obiectum, propositio quæ affirmabat Petrum sedere, siue opinio quæ intellectus existimabat Petrum sedere, mutatur de falsa in veram: & quæ affirmabat Petrum stare, mutatur de falsa in veram. Explicat autem Aristoteles in Prædicamento, id totum fieri per solam variationem obiecti, & non per mutationem intrinsecam orationis & opinionis: idest non per susceptionem aliquorum accidentium in eadem numero oratione & opinione; vt ita defendat solam substantiam esse susceptiuam contrariorum, vt ibi docebat.

Et quidem in hac re dubium non est, posse enunciationem & opinionem contingentem de præsenti, mutari de vera in falsam, & è contra, per mutationem diuersorum actuum. Nam enunciatio potest sæpiùs proferri, & iudicium iterari. Vnde si quis hac hora, dum Petrus sedet, affirmet sedere, verum affirmat: si rursus hora sequenti, dum Petrus stat; adhuc affirmet Petrum sedere, falsum affirmat. Insuper dubium esse non debet, antecedenter loquendo fieri posse, vt eadem numero enunciatio & opinio, sine distinctione actuum, vel vera vel falsa esset. Nam idem numero actus esse potest, quo quis affirmet Petrum hac hora sedere; siue Petrus ea hora sedeat, siue ambulet: & si Petrus sedeat, affirmatio est vera: si ambulat, est falsa.

Ex alia parte certum est etiam, non posse eandem affirmationẽ mutari de vera in falsam, ita vt priùs sit vera, postea falsa, si referatur ad eandem prorsus temporis mensuram. Nam non possunt pro eodem tempore verificari duo contradictoria: ergo non potest respectu eiusdem temporis, modò esse verum, modò falsum, Petrum sedere. Difficultas solùm remanet, an eadem numero affirmatio per comparationem ad diuersas partes temporis, priùs sit vera, postea falsa, per mutationem obiecti intra illud tempus, Petro v.g. in vna parte temporis sedente, & in alia parte surgente.

Non videtur posse eadem numero successiuè mutari. Et dicendum videtur, id fieri non posse. Quoniam non est idem numero actus affirmationis, qui referatur priùs ad vnam partem temporis, postea ad aliam. Vbi enim variatur obiectum,

varia-

variatur etiam actus cognitionis attingens tale obiectum. Et licèt tempus sit quædam circunstantia obiecti, tamen sufficit ad variationem actus. sicut si quis affirmat Petrum in vno aut in alio loco sedere; licèt locus sit tantùm circunstantia, tamen non potest esse idem numero actus, modò respiciens vnam, modò aliam loci differentiam. Dum ergo quis affirmat Petrum pro certa parte temporis sedere, habet vnum actum. Si insuper perseueret idem affirmare pro alia parte temporis, non erit idem inuariatus actus.

Itaque si quis tempore aliquo continuo perseueraret semper in affirmando Petrus sedet, determinatè semper referendo iudicium ad illam præcisè partem temporis quæ est præsens simul cum ipso iudicio: oportebit dicere, quòd sicut tempus fluit, & successiuè per diuersas partes est præsens; ita similis successio in illo actu inueniatur, ad instar motus, & talis actus maneat in continua & successiua variatione correspondente successioni temporis. Et hac ratione potest priùs esse verus, postea falsus, & iterum verus, & sic deinceps quandiu taliter perseuerat. Si autem quis ab initio affirmet Petrum sedere pro determinata aliqua latitudine temporis, v. g. Petrus per totam hanc horam sedet, potest sine dubio hic actus idem & inuariatus perseuerare: tunc si Petrus vna semihora sedeat, altera stet; non dicetur affimatio priùs vera, postea falsa: sed ad summum ab initio dici potuisset partim vera partim falsa: vera quatenus attingebat primam semihoram, falsa respectu secundæ. At quia huiusmodi affirmatio se habet tanquam copulatiua, ad cuius falsitatem absolutè loquendo sufficit falsitas alicuius partis: ideò absolutè illa affirmatio ab initio dicenda fuisset falsa.

Si autem interim dum vocalis enunciatio profertur, quæ vt dicebamus requirit aliquod spatium temporis, obiectum mutetur: Tunc si stemus solùm in rigore sermonis, ad veritatem eius sufficit, si in aliquo prolationis instanti res verificetur. Et si in reliquo spatio non verificatur; non per hoc propositio est falsa, quia nimirum non affirmabat copulatiuè pro toto illo spatio, sed vagè & indefinitè pro aliquo momento. Vnde nullatenus dici posset, propositionem illam quæ est forma consecrationis, priùs esse falsam, & in vltimo instanti esse veram. Si autem ex intentione loquentis, vel etiam ex maiori expressione verborum, significatio propositionis vocalis referatur ad certam aliquam mensuram seu latitudinem temporis: tunc vel est vera, si res pro ea mensura & tota latitudine verificetur: vel est semper falsa, si res non ita verificatur, nec vnquam eadem secundùm eandem prolationem & significationem mutabitur de vera in falsam.

Iuxta hæc debet intelligi Aristoteles. *Explicatur Arist.* Vel nempè affirmationem de præsenti posse esse modò veram, modò falsam, ita tamen vt varietur actus: sed dicitur eadem affimatio, quia semper eodem modo se habet, nempè de præsenti. Vel etiam eandem prorsus numero ab initio quidem potuisse esse vel veram vel falsam; licèt postquam vera est, mutari non possit in falsam. Vel demum, si sensus sit eandem numero successiuè posse mutari, vt præsertim in prædicamento hic sensus esse videtur: obseruandum est, Aristotelem ibi non id ex se docuisse, sed tantùm adduxisse dubitationem quandam: ad quam ipse optimè respondet; quòd etiam si ita esset, non sequeretur orationem & opinionem suscipere contraria, eodem modo quo substantia. Imo apertè sub conditione loquitur, quòd si quis eo modo de oratione & opinione putaret, diuerso adhuc modo se haberet ab ipsa substantia: quia oratio & opinio solùm per mutationé obiecti denominaretur: substantia autèm in se suscipit accidentia contraria.

*

SECTIO OCTAVA.

De Enunciatione contingenti circa futura.

Arist. videtur negasse determinatam veritatem circa futura contingentia.

Circa contingentia futura, Aristoteles hic libro primo capite sexto, perspicuè docere videtur, nullam propositionem esse determinatè veram, nullam etiam esse determinatè falsam; sed omnem propositionem, siue affirmantem, siue negantem, esse indifferentem & suspensam inter veritatem & falsitatem, quandiù res ipsa in futurum contingenter pendet. Atque adeò ex duabus contradictorijs, v. g. bellum nauale cras erit, bellum nauale cras non erit, non esse vnam determinatè veram, alteram determinatè falsam. Saluat autem rationem contradictionis, asserendo indeterminatè quidem & vagè alterum ex his euenturum: vt ita valeat dicere; alteram quidem partem esse veram, alteram falsam. Non tamen determinatè dici possit, hoc est euenturum, neque hæc pars est vera, illa falsa.

Quod sic etiam explicatur: veram quidem esse hanc propositionem disiunctam, bellum nauale erit vel non erit. Est enim propositio necessaria, & cuilibet per se nota & euidens. Neutra tamen propositio categorica, bellum erit, bellum non erit, sit determinatè vera. Sed si sumatur quælibet categorica per se, v. g. bellum erit; vera sit etiam hæc disiuncta, bellum erit vel est vera vel falsa; non tamen determinatè dici possit, est vera, est falsa, non est vera, non est falsa. Itaque cùm semper de duabus contradictorijs, valeat dicere, alteram esse veram alteram falsam; signari tamen & determinari non possit, quænam sit illa quæ est vera, & quæ illa quæ est falsa.

Alij qui negant.

Hanc sententiam sequuntur Aureolus in primo dist. 38. quæstione 1. artic. 3. Cather. in Opusc. de Veritate enunciat. Molina prima parte quæstione 14. artic. 13. disputatione 17. & 18. Conimbr. hic 1. Periher. cap. vltimo quæstione 2. Louanien. Masius, ex parte Vallius, & quidam alij circa text. Aristot. Imo Cicero in libro de Diuinatione, contra quem disputat Diuus Augustinus libro quinto de Ciuitate Dei cap. 6. negauit etiam apud Deum propositiones de futuris contingentibus esse determinatè veras, & negauit in Deo præscientiam futurorum. Et aliqui suspicantur, Aristot. quoque in eodem errore fuisse. Et Gregor. in primo d. 38. quæstione secunda articulo primo, idem ferè tribuit Aureolo. Et sanè Aureolus loco citato, licèt concedat Deo notitiam circa actualitatem futurorum contingentium: tamen in solutione argumentorum obscurè loquitur, & præsertim de veritate & determinatione prædictionum propheticarum, non benè sentit, vt inferius referemus: expresè autem contendit, neque ipsam scientiam Diuinam dare enunciationibus de futuro determinatam veritatem.

Fūdamētum sumitur ex ipsa contingentia & libertate.

Fundamentum huius sententiæ apud Aristotelem & Ciceronem & alios, sumptum est ex contingentia ipsa effectuum, & libertate causæ operantis, cum qua non videtur stare posse determinatio veritatis in vna parte contradictionis. Nam contingentia & libertas dicit indifferentiam in vtranque partem: at indifferentia ad vtranque partem & determinatio ad vnam partem contradictionis, planè repugnant: ergo vel neganda est libertas & contingentia effectum, vel hac supposita neganda est determinata veritas futurorum.

Explicatur magis vis difficultatis: data propositione aliqua vera de futuro, v. g. Petrus peccabit: aut Petrus poterit non peccare, aut non poterit. Si non poterit: ergo necessariò peccabit. Si poterit: ergo propositio illa poterit reddi falsa. Tunc sic, aut potest esse falsa eodem tēpore quo est vera: & hoc non, vt patet. Aut ante, vel post: & sic eadem propositio de futuro, modò erit vera, modò falsa, quod apertè repugnat: quia si aliquando verum est dicere, Petrus peccabit; ante etiam semper & semper id fuit verum, vt ait Aristoteles eo capite, & similiter erit semper vera vsque dum Petrus re ipsa peccet. Nullo ergo modo propositio vera de futuro, potest fieri falsa ante euentum ipsius futuri: igitur ipsum futurum necessariò eueniet. Si ergo futurum verè est contingens, quia potest eueni-

euenire & non euenire: nulla pars est determinatè vera, antequam futurum eueniat: sed vtraque est suspensa & indifferens.

Concedenda est determinata veritas. Asserendum tamen est, non solùm propositionem disiunctam de quolibet futuro contingenti esse veram, sed diuisiuè & determinatè vnam partem esse veram & alteram falsam. Hæc est ferè communis Theologorum ac Philosophorum sententia, est Scoti Bonaventuræ Ricchardi Ocham. Gregorij Gabr. Maior. Capreol. & aliorum Scholasticorum in primo distinct. 38. & 39. Soti in caput nonum Epist. ad Romanos, Cordubensis libro primo quæstione 55. dubio secundo, Vasqu. prima parte disputatione 66. & aliorum circa artic. 13. quæstionis 14. Diui Thomæ, Suar. in Opusc. lib. 1. de Scientia Dei cap. 2. & disputatione 19. Metaph. sect. 10. num. 11. Fons. 6. Metaph. cap. 2. quæstione 2. sectione 7. & 8. Villalpandi & plurimi recentiorum, hoc loco. Et aliqui Theologi expressè notant, hoc perspicuè sequi ex principijs nostræ Fidei, præsertim de scientia Dei, & oraculis Prophetarum; & ita esse iuxta rectam fidem necessariò asserendum. Et ipse Cicero in princip. de Diuinatione testatur, antiquissimam & communissimam apud omnes populos fuisse hanc persuasionem de præscientia & prædictione futurorum: *Gentem nullam video, neque tàm humanam atque doctam, neque tàm immanem tàmquè barbaram, quæ non significari futura, & à quibusdam intelligi prædiciquè posse, censeat.* Et Tolet. hic quæstione prima testatur, Peripateticos cognouisse in Deo præscientiam futurorum.

Probatur primò. Probatur primò à priori: quia verè in rebus ipsis determinatè eueniet, aut hic effectus contingens, aut oppositus, aut peccare aut non peccare. Et non tantùm verum erit hoc disiunctum, Petrus peccat aut non peccat; sed erit determinatè vera vna ex his partibus: ergo non sola propositio disiuncta de hac vel illa parte, vera erat: sed vna ex contradictorijs de futuro erat determinatè vera, & altera determinatè falsa, iuxta euentum qui verè postea succedit. Vt, si Petrus postea re ipsa peccat, propositio affirmatiua Petrus peccabit, erat signatè & determinatè re ipsa vera, negatiua opposita erat falsa: quamuis tunc notum non erat, nec humana industria discerni poterat, quæ esset vera quæ falsa.

Confirmatur. Quia postea vna pars determinatè reperitur in Petro, altera non: ergo illa enunciatio determinata, quæ dicebat eam partem euenturam, verè conformabatur obiecto; alia erat difformis obiecto euenturo: ergo distinctè & signatè illa est vera, altera falsa.

Secundò. Secundò. Consideremus hominem qui in hoc instanti peccat, aut alium actum liberè exercet: consideremus etiã alium antea dixisse Petrus peccabit, aliũ dixisse non peccabit. Certè nunc viso euentu sequuto, apparet; illum qui affirmauit, dixisse verum, idest dixisse id quod nunc verè euenit; alium qui negauit, dixisse falsum, idest dixisse id quod verè non euenit: igitur vna propositio erat determinatè vera, altera determinatè falsa. Et vt omne effugium præcludatur, propositionem determinatè veram hic vocamus illam, quæ ita enunciat sicut postea res erit; falsam illam, quę ita vt nõ erit: prima enim est conformis, secunda disconformis obiecto. Sed determinatè vna ex illis propositionibus enunciauit sicut postea euenit, alia oppositum: ergo vna erat determinatè vera, altera falsa. Et sanè euidenter apparet, quòd si comparemus dictum vnius affirmatiuum cum dicto alterius negatiuo; diuerso & opposito modo se habet obiectum ad vtrumque: inter vnum enim dictum & obiectum est conformitas, inter alterum dictum & idem obiectum est difformitas: igitur vnum erat determinatè verum, aliud erat falsum.

Tertiò. Tertiò. Proferat quis nunc propositionem de aliquo euentu futuro. Vel hæc propositio habet in se rationem veritatis: ergo est determinatè vera. Vel habet rationem falsitatis: ergo est determinatè falsa, & sic contradictoria erat determinatè vera. Vel nec veritatis vel falsitatis rationem habet: ergo valebit dicere, nec est vera, nec falsa, ergo nec etiam sub disiunctione dicere valet, est vera aut falsa: & tamen saltem

hanc disiunctiuam etiam aduersarij admittebant. Itaque si hæc disiunctiua est vera: oportet fateri, propositionem reipsa, aut habere determinatè rationem veritatis, aut determinatè rationem falsitatis. Nam in vniuersum saluari non potest, subiectum aliquod verè dici sub disiunctione habere aut vnam aut alteram formam oppositam, & tamen re ipsa neutram habere determinatè: verificari non potest parietem esse album aut nigrum, quin reuera habeat determinatè albedinem aut determinatè nigredinem. Et sic in omnibus alijs.

Verum est quidem, nos qui non sumus conscij futurorum, tantùm in confuso & sub disiunctione scire quamlibet propositionem esse veram aut falsam, ex illo principio quodlibet est vel non est: ignorare autem distinctè & signatè, an sit vera, an sit falsa. Sed pariter in confuso & vagè nobis persuasum esse debet, aut determinatè veritatem, aut falsitatem illi inesse. Et hoc ipsum est, quod sequitur ex illo principio, quodlibet est vel non est. Quod clarissimè patet, si sumatur propositio aliqua contingens de præsenti aut de præterito nobis ignoto. V. g. certissimè scimus, hanc propositionem Petrus heri ambulauit, esse aut veram aut falsam: ignoramus autem determinatè, an sit vera, an sit falsa: sed certè à parte rei iam determinata est. Non ergo ex incertitudine nostræ cognitionis debet inferri indeterminatio rei. Et per hoc præsertim aduersarij decepti videntur, dum ita philosophari voluerunt de ipsa re, sicut conspiciebant in cognitione nostra, quando non sumus conscij futurorum.

Quartò præcipuè ex præscientia Dei. Quartò. Euidens huius rei probatio sumitur ex æterna scientia Dei. Deus enim ab æterno prænouit distinctè & determinatè, quænam essent futura, & quæ non essent futura, in quacunque differentia temporis; præsciuit inquam quæcunque contingentia, quoscunque euentus liberos à quacunque causa futuros. Est res certa de fide. Psalm. 138. *Intellexisti cogitationes meas de longè & omnes vias meas præuidisti.* & ex alijs plurimis script. locis. Est etiam res rationis lumine explorata, ex perfectione Diuinæ essentiæ & cognitionis. Et alioqui, si Deus tantùm in confuso & sub disiunctione cognosceret, res erit vel non erit: rectè arguit Boetius libro quinto de Consolatione prosa. 3. *Quæ est hæc præscientia, quæ nihil certum, nihil stabile comprehendit? aut quid differt à vaticinio illo ridiculo Tiresiæ, quicquid dicam aut erit aut non erit?* Ex hac ergo scientia Dei euidenter constat, dari determinatam veritatem circa futura contingentia, dari enunciationem, idest cognitionem determinatè veram de quocunque futuro. Constat etiam, ipsa contingentia futura, seu enunciationes obiectiuè sumptas, esse determinatè veras, idest determinatè cognoscibiles per veram cognitionem. Constat demum, iudicia & enunciationes, quæ de futuris ab intellectu creato proferri possunt, esse determinatè veras, aut determinatè falsas. Nam omnis huiusmodi enunciatio, aut est in re conformis præscientiæ Diuinæ, enuncians sicut Deus re ipsa nouit; & sic est determinatè vera: aut difformis, & sic est determinatè falsa.

Sed conati adhuc sunt aliqui Catholici, supposita præscientia Dei, defendere priorem sententiam, dicentes, non sequi futura contingentia esse determinata in se ipsis: sed vel Deum illa cognoscere ex supereminentia sui intellectus, vel ex præsentia eorundem futurorum in æternitate Diuina, vel ex decreto suæ voluntatis, vel alijs similibus modis. Verùm, non est hoc loco disputandum, quonam modo & ratione Deus futura cognoscat. Neque vnde proueniat determinatio futurorum, vt videlicet hic potius effectus liber quàm alius in rerum natura ponatur: & quomodo ipsamet determinatio voluntatis createæ dependeat ex concursu & determinatione voluntatis Diuinæ. Sed hæc omnia in Theologiam differimus. Et non sunt ad præsentem causam necessaria. Non enim nunc quærimus modum, sed tantùm rem. Itaque ex præscientia Dei iam euidenter habetur, futura contingentia esse determinatè vera, idest determinatè cognoscibilia: nisi enim essent cognoscibilia, Deus illa non posset cognoscere, sicut non potest facere quod non est possibile fieri. Habetur, dari in Deo determinatam cognitionem veram de futuris.

Habe-

Habetur etiam, omnem cognitionem creatam, & omnem nostram enunciationem, quando est conformis cognitioni Diuinę, esse determinatè veram: quęcunque tandem sit ratio eius cognitionis, veritatis, ac determinationis.

Quintò ex Prophetijs. Quintò. Similis demum probatio sumitur ex Prophetijs & prædictionibus, Diuino instinctu factis, & apud homines manifestatis, ex ijs maximè quæ in Scripturis habentur, & quæ obligant fideles, vt certa fide teneant quæcunque à Prophetis prædicta fuere. Certè enim tales enunciationes factæ à Prophetis, erant determinatè veræ: fides qua homines illas credunt, est determinatè vera: & propositiones quibus nos eadem futura enunciamus, sunt determinatè veræ. oppositæ sunt determinatè falsæ. Insuper Scriptura ipsa declarat, illos qui prædicebant ea quæ euentura non erant, fuisse Prophetas mendaces & falsos; vtique quia ea quæ dicebant, erant determinatè falsa. Hinc 3. Regum 22. dicitur, fuisse spiritus mendacij & deceptionis in ore Pseudoprophetarum, qui promittebant Regi Achab prosperum euentum belli, cùm postea oppositum euenerit. Et Deuteronom. decimo-octauo, hoc signum præbuit Dominus, cognoscendi falsum Prophetam, si non eueniebat quod prædixisset.

Mira sunt, quæ ad hæc respondet Aureolus loco citato. Ait, propheticas propositiones de futuro, non magis esse veras, quàm suas oppositas. Et confirmat, quia quandoque Prophetæ dicebant de præterito quod erat futurum: Isaiæ nono: *Paruulus datus est nobis*. Ait, Prophetam verum & mendacem non differre penes veritatem propositionum. Confirmat, quia quandoque Prophetæ prædicebant quæ euentura non erant: vt Ionæ tertio: *Adhuc quadraginta dies, & Niniue subuertetur*. Ait, quòd siue res eueniat, siue non; Propheta non dixit falsum: vnde Christus non dixisset falsum, etiam si Petrus ipsum postea non negasset. Ait, illud signum datum in Deuteronom. intelligi solùm vt in pluribus; quia quod à Deo prædicitur, vt in pluribus euenit.

Sed hæc adeò absurda sunt, & homine catholico indigna, vt impugnatione non egeant. Quid enim certius esse debet apud fideles, quàm omnes prædictiones propheticas fuisse verissimas, & propositiones oppositas prorsus falsas? Quòd etiam quando Prophetæ loquebantur de præterito, verum dicebant de futuro: quia ille est modus loquendi propheticus per transmutationem temporum, vt Sancti notant? Quòd Propheta verax differat à mendaci penes veritatem propositionum? Quòd semper omni prædictioni absolutæ correspondebat talis euentus: sed quandoque prophetia intelligebatur sub conditione; qua non adimpleta, non sequebatur euentus, vt Sancti notant? Quòd ad veritatem prophetiæ requiratur, vt sequatur euentus? Quòd semper & sine exceptione, quicquid à Deo prædicitur, infallibiliter eueniet? Asserendum ergo omninò est, de futuris contingentibus dari determinatam veritatem; idquè sine vllo præiudicio contingentiæ & libertatis.

Arist. explicatur. Ad Aristotelem qui caput oppositæ sententiæ habebatur, multi fatentur, illum errasse, & contra principia nostræ Fidei esse loquutum, & tacitè negasse Deo præscientiam futurorum. Et sanè quantumuis constaret, Aristotelem in illa fuisse sententia; eius in hac re contemnenda esset auctoritas. Alij tamen difficile reputantes, Aristotelem in hac re errasse, quæ naturali ipsa ratione satis perspicua videbatur: conati sunt, aliquo modo illum exponere. Et quidem præstat in hac re magis fauorem, quàm rigorem erga Aristot. exercere. Nam vt dixit Gregorius in primo distin. 28. quæstione secunda articulo 1. ad 13. Beneuolentia lectoris est, in bonum sensum interpretari Auctorem.

Primo modo. Primò potest explicari, Aristotelem per veritatem determinatam intellexisse necessitatem: & negasse, propositionē de futuro contingenti esse determinatè veram, idest esse necessariò veram, quasi non posset oppositum euenire. Et quidem Aristoteles in toto suo discursu maximè intendit tueri contingentiam contra necessitatem: & propè finem capitis rem apertè explicasse videtur: *Esse quidem vel non esse omne, necesse est; & futurum esse vel non: non tamen diuidem-*

tem dicere alterum necessarium. Dico autem, vt necesse est futurum esse bellum cras vel non futurum esse: non tamen fieri cras bellum nauale necesse est, neque non fieri: fieri tamen vel non fieri necesse est. & similia repetit. Vbi planè voluisse videtur, totam quidem propositionem disiunctiuam esse necessariam; siue necessarium esse, vt alterutra pars contradictionis eueniat, nullam tamen partem per se esse necessariam; siue necessarium non esse determinatè, vt pars affirmatiua eueniat, vel vt pars negatiua. Sicut valet dicere, oculus est necessarius ad videndum; non tamen valet dicere, dexter est necessarius, sinister est necessarius. Sed simpliciter, dum valet dicere, homo per oculum videt: omnino valet dicere, determinatè videt per talem oculum: sic etiam videbit per aliquem determinatè. Et quia etiam Arist. dixerat, propositionem de præsenti, sicut & de præterito, esse determinatè veram; assignat aliquam necessitatem in ipso præsenti: *Esse quod est quando est, & non esse quod non est quando non est, necesse est.* Quod magis infra explicabimus. Et licèt similis necessitas, scilicet ex suppositione, possit considerari etiam circa futurum: tamen quia effectus præsens iam est actu extra suam causam, ideo potius illam considerauit in præsenti, quàm in futuro.

Secundo modo. Secundò explicari potest, Arist. voluisse, propositionem de futuro contingenti non esse determinatè veram quoad nostram notitiam, idest à nobis dignosci & signari non posse, quænam propositio sit vera, & quæ falsa. Hunc sensum videtur indicare ipse Arist. dum post medium capitis ait, quædam esse manifesta nobis: & intelligi debet saltem probabiliter. *Multa (inquit) nobis manifesta sunt sic se habentia; vt quod hanc vestem possibile est incidi, & non incidetur, sed prius exteretur.* Et concludit, non omnia ex necessitate euenire: sed quædam ita esse indifferentia ad vtrumlibet, vt non magis affirmatio vel negatio vera sit: quædam vero ita se habere, vt magis, & vt in pluribus, altera pars verificetur: idest quædam sunt, de quibus nō magis possumus affirmare vel negare: quædam autem, de quibus magis possumus in alteram partem inclinare. Licèt autem, etiam de quibusdam rebus præsentibus & præteritis nos scire nequeamus, an sint, vel fuerint: tamen id non est ex defectu obiecti, sed ex defectu nostro: sed ex genere suo tale obiectum est cognoscibile à nobis. At futura contingentia ex genere suo non possunt naturaliter prænosci ab intellectu creato: possunt tamen ex illustratione Diuina. Et ideo Arist. quod de præteritis & præsentibus concedit, negat de futuris.

Tertio modo. Tertiò explicari potest, propositionem de futuro contingenti non esse determinatam in sua causa, idest in causa libera potente operari & non operari. Potest enim considerari effectus contingens, vel in se ipso, prout suo tempore existens extra causam; vel prout in actu primo continetur in causa. In ipsa causa ergo non est determinata veritas contingentis ad alterutram partem: quia nempe ipsa causa secundùm se libera est & indifferens. Sed tantùm effectus necessarij, sunt determinati in sua causa. In se ipsis tamen effectus contingentes dicendi erunt determinati, quatenus erunt existentes extra causam, eo quòd potentia & indifferentia causæ reducetur ad actum. Item in ipsa causa potest considerari maior inclinatio ad vnam partem quàm ad alteram, licèt non illi insit necessitas, & simpliciter determinatio ad vnam partem. Iuxta hoc D. Tho. 1. par. quæst. 14. artic. 13. notauit, futura contingentia non posse certò cognosci in suis causis, & non ita cognosci à Deo, sed cognosci in se ipsis; posse autem in causis cognosci coniecturaliter, & probabiliter, iuxta maiorem inclinationem causę. Et idem alij communiter docent. In hoc sensu procedit optimè discursus Aristot. quod si contingentia essent determinata in causa, iam non essent contingentia, sed omnia euenirent ex necessitate. Fatetur etiam, dum ad finem capitis ait, contingere magis quidem veram esse alteram partem contradictionis, non tamen iam veram vel falsam: idest magis dignosci posse vnam partem contradictionis ex maiori inclinatione causæ, non tamen certò & prorsus determinatè, quia causa non est simpliciter determinata ad vnam

Fa-

Fauet etiam libro secundo de Generatione textu 64. vt ibi exponit Sanctus Thomas, & alij.

Conciliatur contingentia effectuum cum determinatione veritatis.

Ad fundamentum eiusdem sententiæ oppositæ, in primis satis manifeste patet, quod si quid probaret, maximè destrueret Diuinam præscientiam futurorũ. Ideò hanc negauit Cicero, & si propter illud fundamentum Aristot. negauit determinatam veritatem futurorum in nostris propositionibus, non minus negauit in cognitione Diuina. At verò Catholici omnes, non solùm cum præscientia Diuini intellectus defendunt illæsam permanere contingentiam effectuum & voluntatis libertatem: sed longè maiores difficultates ex Diuina prædestinatione & prouidentia insurgentes superant. Nũc autem facillimum est, defendere contingentiam & libertatem effectuum simul cum determinata veritate propositionum de futuris.

Dicendum ergo est ad priorem partẽ difficultatis, contingentiam & libertatẽ dicere indifferentiam ex parte potentiæ, non verò ex parte actus secundi: idest dicere, vt causa possit operari, & posse non operari: non autem dicere, vt nec operetur, nec non operetur; nec operatura sit, nec non operatura. Determinatio autẽ quam ponimus in propositionibus, consistit in actuali operatione in actu secundo, idest causa determinatè operatur, aut operabitur. Planè ergo hæc determinatio non repugnat cum illa indifferentia. Imo in hoc consistit exercitium contingentiæ & libertatis, vt causa potens operari & non operari, actu operetur, siue operatura sit; vt voluntas actu velit, aut actu nolit, siue de præsenti, siue de futuro.

Similiter ad posteriorem partem difficultatis dicendum est, Petrum peccaturũ posse vtique non peccare, tamen re ipsa & in actu secundo peccaturum. Potest itaque indifferenter vtrumlibet oppositum euenire: sed re ipsa alterutrum eueniet, vel distinctè hoc, vel illud: & de illo quod eueniet propositio est vera, opposita est falsa. Non ergo veritas propositionis imponit necessitatem effectui: sed potius exequutio ipsius effectus futuri est quæ determinat veritatem propositionis. sicut notauit Beda tom. 8. lib. qq. q. 13. loquens de scientia Dei: *Quid? ergo cogit nos Deus vt mali sibi videremur ab æterno? Absit. Nam potius nos cogimus eum, vt mali sibi videremur.* Et explicat exemplo: sicut dum quis intuetur alterum iacentem non vtique infert illi necessitatem vt iaceat: quia potius is qui iacet, infert alteri necessitatem vt eum iacere conspiciat. Causa ergo libera est in se indifferens, & in eius potestate est operari aut non operari: & liberè se determinabit vel ad operandum; & sic est verum dicere operabitur: vel ad non operandum, & sic est verum dicere non operabitur.

Vt autem ad formã argumenti respondeatur: Distinguẽdum est ex ipso Arist. in hoc cap. & 1. Elench. c. 3. & cum D. Ansel. lib. de Concord. præscientiæ &c. cum lib. arb. c. 1. Aliud esse dicere, res põt esse aut non esse; & aliud, res quæ est põt non esse. Primum enim est verum in rebus contingentibus. Secundum est falsum in hoc sensu, quasi possit res simul esse & non esse. Vnde ait Arist. omne quod est quando est necesse est esse. Ita aliud est dicere, hæc propositio potest esse vera aut falsa, & hæc propositio vera potest esse falsa. Hoc enim secundum non potest concedi, quasi propositio possit esse vera simul & falsa. Illa ergo propositio, Petrus peccabit, potest esse vera, & potest esse falsa; quia Petrus potest peccare, & potest non peccare: tamen dato quòd sit vera, non põt simul esse falsa: sicut dato quod Petrus peccet, non potest simul non peccare cõiungendo vtrumq;. Neque hoc est contra libertatem. Nec enim de ratione libertatis est, vt possint coniungi duo contradictoria simul.

Distinguitur necessitas in sensu composito et diuiso, consequens & antecedens.

Hæc ipsa res solet magis explicari. Hæc propositio Petrus peccaturus potest non peccare, potest sumi vel in sensu diuiso, vel in sensu composito. In sensu composito, idest supposito quod est peccaturus, potest componere simul nõ peccare cum peccare. Sic planè propositio est falsa. In sensu diuiso, idest põt ponere ipsũ non peccare per se sumptũ, & diuisũ ab eo quod est peccare; licèt re ipsa ponet hoc quod est peccare. Sic propositio est vera. De ratione autem libertatis est, posse non peccare in sensu diuiso, non autem in sensu cõposito. Rursus duplex est necessitas, altera absoluta, altera ex suppositione: siue altera antecedens, altera con-

ra conſequens vſum libertatis. Abſoluta & antecedens eſt, quę conuenit cauſæ ſecundùm potentiam ſuam conſideratæ, quę ex ſe non poteſt niſi in vnam partem; vt graue ex neceſſitate naturæ deſcendit, nec poteſt aſcendere. Ex ſuppoſitione & conſequens eſt, quæ oritur ex eo quòd ſupponitur ipſe vſus libertatis: ideſt ex eo quòd cauſa liberè ſe determinat in vnam partem, non poterit ſimul ſe determinare in oppoſitum. Prima quidem neceſſitas eſt contra rationem libertatis: ſecunda non ſolùm non eſt contra, ſed fundatur in ipſa libertate, quatenus ſe determinãte. Dato ergo quòd ſit vera propoſitio, Petrus peccabit, ideſt dato quòd Petrus peccabit, neceſſarium eſt neceſſitate conſequenti & ex ſuppoſitione, vt Petrus peccet: & ſic illa propoſitio non poteſt eſſe vera & falſa, aut eodem tempore, aut diuerſis temporibus antecedentibus peccatum, quod perinde eſt. Sed non eſt neceſſarium abſolutè & antecedenter: & ita eſt verè liberum & contingens. Plura de hac re dicenda erunt circa ſcientiam Dei, & alios actus Diuinæ prouidentiæ.

Poſtremò. Poſſet hìc etiam quæri de veritate propoſitionum conditionalium circa contingentia tantùm ſub cõditione futura; an ſit verum & cognoſcibile, quid faceret Petrus ſi in tali occaſione conſtitueretur, an peccaret, vel non peccaret, & ſimilia. Sed hanc quæſtionem, quæ grauiſſimæ diſceptationis materia eſt apud Theologos, integram & intactam in materiam theologicam de Diuina ſcientia reſeruamus.



QVAE-

QVÆSTIO VIGESIMAQVINTA.

De Tertio Actu Cognitionis intellectiuæ, nempè Discursu & Argumentatione.

Discursus, sicut est vltimus actus inter tres gradus nostræ cognitionis, ita præcipuam & prolixiorem Logicæ artis directionem ad se auocat, & quodammodo præcedentes etiam tractationes huc referuntur. Imo discursus est, qui ita propriè nostro intellectui tribuitur, vt per habitudinem ad hunc actum soleat propria differentia humanæ naturæ ab alijs naturis intellectualibus designari. Appellatur discursus, quasi cursus quidam & motus, quo intellectus de vno ad aliud, de noto ad ignotum, transit & deuenit: vt notauit Sanctus Thomas 1. par. quæst. 58. art. 3. ad 1. Appellatur etiam ratiocinatio: vt idem notat 1. contra Gent. cap. 57. Vnde & homines dicti sunt rationales: sumendo videlicet ratiocinari pro eo quod est, medio aliquo & argumento assequi quod prius erat ignotum, procedendo nempè ex ijs quæ supponuntur prius nota. Discursui Argumentationem coniungimus, siue sumatur pro ipso discursu, siue quouis modo pro instrumento directiuo discursus.

Ad discursum in cōmuni spectāt libri priores resolutorij. De Argumentatione, & maximè de Syllogismo, agit Aristoteles in duobus libris Prioribus, græcè analyticis, latinè resolutorijs, & in alijs sequentibus. In duobus quidem prioribus agit in communi. Deinde in duobus alijs, qui inscribuntur posteriores resolutorij, agit specialiter de syllogismo scientifico, qui dicitur demonstratio. Postea in Topicis de syllogismo probabili & opinatiuo. Postremò in Elenchis de syllogismo sophistico & apparenti. Quatuor illi libri, distincti in duos priores, & duos posteriores, vocantur resolutorij; quia in ijs traditur ars resoluendi nostram cognitionem per discursum, specialiter ars resoluendi notitiam conclusionum in prima principia euidentia. Nam & priores duos libros, Aristot. ex sua intentione præcipuè ordinauit ad duos posteriores: vt apertè præmittit in principio: dicens, intentum suæ considerationis esse circa demonstrationem & scientiam demonstratiuam. Propriè autem obiectum priorum librorum dici poterit discursus, seu argumentatio, aut syllogismus in communi. Et de hoc in præsenti agimus quæstione, non quidem solùm propter scientiam & demonstrationem, sed adæquatè propter directionem tertiæ operationis nostri intellectus.

SECTIO PRIMA.

Quid sit Discursus, & quod obiectum habeat.

Discursus definitur. Discursus breuiter definiri potest, est actus cognitionis quo intellectus vnum ex alio infert. Actus cognitionis est genus ad omnes tres operationes intellectus. Ratio illationis est differentia propria distinguens discursum ab alijs duabus operationibus. Distinguit autem Sanctus Thomas prima parte quæst. 14. art. 7. duplicem discursum in nostro intellectu. Vnum vocat secundùm successionem: alterum secundùm causalitatem. Discursus secundùm successionem est, quando intellectus postquam cognouit & considerauit aliquid, conuertitur ad considerandum aliud. Discursus secundū causalitatem est, cùm ex vi vnius rei intellectus cognoscit aliam, cùm per principia deuenit in notitiam conclusionis. Nunc ergo non sumitur discursus primo modo: sic enim inueniri potest in singulis operationibus intellectus, dum videlicet post apprehensionem vnius rei apprehenditur alia, post iudiciū vnius propositionis iudicatur alia. Sed sumitur secundo modo: sic enim est tertia operatio distincta à duabus præcedētibus. Ideò non definitur, quo intellectus cognoscit vnum post aliud, sed quo cognoscit & infert vnum ex alio. Et vnum ex his vocatur antecedens, aliud consequens: il-

lud quod infertur, est consequens; illud ex quo infertur, vocatur antecedens. Verùm oportet adhuc magis exactè atque distinctè rationem huius nostri discursus explicare.

Discursus est cognitio iudicatiua.

Primò certum est, & ab omnibus supponitur, discursum esse cognitionem quandam iudicatiuam, qua intellectus determinatè assensum præbeat alicui propositioni, siue qua determinatè affirmet aut neget. Itaque non potest saluari discursus in sola apprehensione plurium terminorum, aut etiam propositionum, etiam si apprehendatur quoque dependentia & consequutio vnius ab alio, etiā si vna apprehensio consequatur aliquo modo ex alia. Sed omnino de ratione discursus est determinatus assensus seu iudicium. Atque adeò discursus conuenit cum simplici iudicio, tertia operatio cum secunda, in quodam genere proximo, in quo hæc vtraque operatio differt à prima. Est res nota, ex communi modo loquendi & sentiendi. Non enim dicitur intellectus discurrere, nisi dum infert consequens ex antecedenti, determinatè affirmando aut negando. Sic omnis syllogismus, omnis argumentatio constituitur. Et sic discursus constituit tertium gradum cognitionis intellectiuæ, nec perficitur ante, sed post simplex iudicium.

Requirit assensum plurium propositionum.

Secundò vlterius certum est, ad rationem discursus requiri assensum & determinatum iudicium plurium propositionum: & præsertim non sufficere, si intellectus solùm per modum vnius propositionis, iudicet & affirmet connexionem & consequutionem vnius ex alio, consequentis ex antecedenti. Ita notauit optimè Sanctus Thomas 1. contra Gentes cap. 57. dicens, non ex hoc intellectum ratiocinari atque discurrere, quòd inspicit qualiter ex præmissis conclusio sequitur: hoc enim contingit non argumentando, sed argumenta diiudicando. Et 1. par. quæst. 58. art. 3. ad 2. concedit, Angelos cognoscere syllogismos, & videre effectus in causis; & causas in effectibus: non tamen discurrere & syllogizare.

Probatur apertè: quia cognoscere connexionem & consequutionem inter duo, solùm est simplex quoddam iudicium, & in nobis est secunda operatio intellectus, non necessariò præsupponens aliud simplex iudicium ex quo deducatur: & in intellectu non discurrente inuenitur sine distinctione operationum. Et tunc solùm dicetur intellectus noster discurrere, ac exercere tertiam operationem; cùm præbet assensum pluribus propositionibus cum dependentia vnius ex alia. Et omninò interuenire debet assensus antecedentis per modum simplicis iudicij per secundam operationem, & assensus consequentis modo illatiuo per tertiam operationem. Et sic discursus est tertia operatio post secundam.

Requirit dependentiā in assensu consequentis ex assensu antecedentis.

Tertiò. Addendum est, nec etiam sufficere ad rationem discursus, si intellectus præbeat assensum, tum antecedenti, tum consequenti, tum etiam connexioni inter vtrunque: sed requiri, vt præbeat assensum consequenti ex vi assensus quem præbet antecedenti: ita vt hic ordo se teneat ex parte actus, quòd assensus consequentis oriatur ex assensu antecedentis. Ita habetur ex S. Thom. 1. par. quæst. 14. art. 7. & alibi. Et est communis sententia aliorum.

Probatur: quia fieri potest, vt intellectus præbeat assensum pluribus propositionibus, inspiciat etiam connexionem inter eas, solùm per modum simplicis iudicij, licèt per plures actus, in secunda operatione nostri intellectus. Vt, potest quis iudicare, homo est rationalis, homo est risibilis, hæc duo sunt necessariò connexa, risibilitas prouenit ex rationalitate, potest ex illa benè inferri, potest etiam inferri rationalitas ex risibilitate; adhuc iste talis non discurrit, sed tantùm multiplicat plures actus simplicis iudicij. Et certè Angelus iudicium sibi proportionatum habet de his omnibus propositionibus, de causalitate quæ est inter eas, non solùm de causalitate reali, sed inspicit etiam ordinem illationis qui exerceri potest inter easdem propositiones; hoc tamen nunquam cognoscit, etiam si non discurrat.

Tunc autem dicetur intellectus discurrere, quando ex assensu vnius seu plurium propositionum, elicit assensum alterius propositionis: ita vt assensus sit ex assensu, & connexio seu consequutio non se teneat præcisè ex parte obiecti cogniti, dum

ti, dum intellectus cognoscit in obiecto esse connexionem & causalitatem; sed propriè se teneat ex parte cognitionis, hoc est cognitio & assensus consequentis dependeat ex assensu antecedentis, & per notitiam & assensum antecedentis intellectus deducatur & impellatur in assensum consequentis. Et hinc est, quòd discursus fieri potest, non solùm ex causa ad effectum, sed etiam ex effectu ad causam: quia nimirum potest notitia effectus ingerere intellectui notitiam causæ, & notitia ipsius causæ potest causari ex notitia effectus, quando videlicet prius cognoscitur effectus, & ex hac cognitione acquiritur notitia causæ.

Sic intellectus discurrens infert vnum ex alio. Iuxta hæc ergo debet intelligi definitio discursus, quo intellectus infert vnū ex alio, infert præbendo determinatum assensum vni propositioni ex assensu alterius, seu aliarum propositionum, taliter vt assensus vnius ex assensu alterius in mente causetur: & hæc causalitas est quę in voce exprimitur per notam illationis, cùm v. g. dicimus; Sol lucet ergo dies est, & similia. Dum autem dicitur, assensus, non excluditur iudicium negatiuum, quod etiam potest in discursu exerceri; vt quando infertur conclusio negatiua, & propriè dicitur dissensus. Sed nominatur assensus: Tum quia eadem pariter doctrina debet intelligi de dissensu. Tum quia latiori modo nomine assensus interdum intelligitur omne iudicium: quia quodammodo, dum intellectus negat, veluti assentitur ipsi propositioni negatiuæ, acceptando illam tanquam veram. Plura etiam circa hanc rem addemus in sequentibus.

Discursus consistit formaliter et præcisè in assensu cõsequentis. Quartò prętereà. Essētia discursus formaliter & propriè non includit intrinsecè omnem assensum prædictum; sed consistit præcisè in assensu conclusionis, causato tamen ex assensu antecedentis. Itaque ipse assensus antecedentis non includitur formaliter in essentia discursus, sed se habet causaliter. Patet facilè: quia assensus antecedētis secundùm se spectatus est propriè secunda operatio intellectus: sed discursus est tertia operatio: ergo consistit in illo assensu, quem intellectus elicit vltra assensum antecedentis, & vi eius assensus: maximè cùm assensus consequentis in discursu sit actus realiter distinctus ab assensu antecedentis, vt magis ostendemus sectione sequenti. Itaque hic actus, quatenus distinctus, non vtique includit actum priorem, sed habet suam essentiam simplicem in se. Neq. tertia operatio intellectus est aggregatum quid ex pluribus actibus: sed est quidam nouus ac simplex actus, per se ponibilis in prædicamento. Interdum tamen videtur nomen discursus sumi, vt amplè complectatur omnem actum intellectus circa aliquam materiam: sed tunc non sumitur propriè pro tertia operatione, vt nunc à nobis accipitur: sed sumitur pro collectione plurium operationum intellectus.

Assignatur obiectum discursus. Quintò demum. Ex his constat, quodnam sit obiectum discursus. Est enim omnino conclusio quædam complexa, quæ consequitur ex antecedenti item complexo: siue dicere placeat, obiectum discursus est connexio inter extrema, quæ cognoscitur ex connexione eorundem extremorum cum medio. Nam ita fit discursus per syllogismum, quòd intellectus priùs per secundam operationē cognoscit connexionem extremorum cum medio, & inde infert connexionem eorundem extremorum inter se. Et hic actus illationis, siue hoc iudicium illatiuum, habet pro suo proprio obiecto cōclusionem, in qua continetur talis connexio extremorum. Vnde ipse actus discurrendi, nec etiam attingit tanquam obiectum, connexionem conclusionis cū præmissis, siue illationem ipsam. Quinimo per alium actum reflexum cogitatur talis connexio & bonitas illationis. Neque hæc reflexio est necessaria antecedēter ad ipsum actum discurrendi & iudicium illatiuum; sed ipse assensus præmissarum est sufficiens ratio assentiendi conclusioni quæ infertur. Interdum tamen in illis modis syllogismorum, qui non sunt de se adeò validi & efficaces, sed indigent reductione & probatione, contingit intellectum retardari ab assensu conclusionis, donec aduertat connexionem cōclusionis cum præmissis, & bonitatem illationis: sed neque tunc hæc aduertentia & reflexio includitur intrinsecè in ipsomet actu discurrendi, quo illa conclusio inferatur. An verò idem ipse actus præcisus iudicij illatiui, attingat aliquo

aliquo modo præmissas ex quibus fit illatio, sect. sequenti dicemus.

Quo discursus procedat ex notis ad ignota

Ad obiectum item discursus spectat, quod communiter dici solet, discursum procedere ex notis ad ignota. conclusio quæ infertur per discursum, dicitur esse ignota, ignota scilicet antequam per discursum inferatur: quia nempe intellectus habens notitiam antecedentis, ex illo acquirit notitiam consequentis, quod alioqui ignorabat. Et ita sæpè loquitur S. Tho. & alij passim. Hoc tamen est difficile. quia sæpe contingit, intellectum discurrere inferendo conclusionem ex præmissis, etiam si eandem ipsam conclusionē antea nouerit: & potest præsupponi notitia cōclusionis, vel aliunde & ex aliis medijs præhabita, vel etiam ex eodem medio, quando scilicet intellectus post semel factum aliquem discursum & syllogismum, iterum & iterum deinceps eundem repetit.

Propter hoc aliqui explicant & limitant, tunc solùm intellectum discurrentem procedere ex notis ad ignota, cùm primùm vtitur discursu aliquo ad probandam conclusionem, cui antea non præbuerat assensum. Et sanè debet hoc modo. dictum illud limitari, si sensus sit discursum procedere ad conclusionem prorsus ignotam. Sed etiam quando procedit ad conclusionem antea notam, potest dictum illud saluari & explicari, distinguendo notitiam habitualem & actualem: multa enim habitualiter nouimus, quæ non semper actu cogitamus. Discursus ergo non semper procedit ad conclusionem etiam habitualiter ignotam, sed semper procedit ad conclusionem quodammodo actualiter ignotam, idest cuius actualis assensus debet elici in vi antecedentis. Atque adeo in illo priori in quo iudicatur antecedens præcisè, non inuenitur formaliter ille conclusionis assensus, qui ex vi eius eliciendus est. Non dico, non inueniri in eodem instanti temporis; de hoc enim sectione sequenti dicemus: sed in illo priori naturæ. Vnde clariùs sic dici potest: discursum semper procedere ex notis ad illa quæ debet actuali assensu cognosci ex illis notis: siue procedere ex notitia antecedentis ad actualem notitiam consequentis.

Quo cōficiatur syllogismus sine assensu intellectus.

Contra ea quæ dicta sunt, Obijcies primò. Interdum conficimus syllogismos ex propositionibus apertè falsis, quibus vtrique non assentimur; aut ex terminis non significatiuis. Sic Aristot. in his libris docet conficere syllogismos A est B, C est A, ergo C est B. In his autem syllogismis non datur assensus circa tales propositiones, sed vel sola apprehensio, vel ad summum iudicium de cōsecutione cōclusionis ex præmissis. ergo hoc sufficit ad rationem discursus.

Respondetur. In ijs casibus nequaquam exerceri formaliter discursum in mente, sed solùm obiectiuè repræsentari intellectui discursum qui fieri potest, siue formam & bonitatem illationis; repræsentari autem per primam & secundam operationem. Itaque intellectus, vel solùm apprehendit connexionem illam: vel etiam iudicat dari connexionem conclusionis cum præmissis, siue formam illationis esse bonam: re ipsa autem non exercet discursum. Sic etiam quandocunq; intellectus iudicat, hæc forma illationis bona est, hæc non est bona; exercet solùm simplicem iudicii actum. Imò hęc tota cognitio reperitur etiam in intellectu Angelico & Diuino. Vnde Deus cognoscit quidem omnem nostrum discursum: non tamen ipse discurrens.

Quo propositio cōditionalis sit illatiua cum suspensione assensus.

Obiicies secūdò. Datur propositio cōditionalis, quæ dicitur illatiua, & continet vim illationis: vnde in mente videtur importare discursum. Et similiter potest constare ex partibus absolutè falsis: vt, si homo est equus est hinnibilis. Imo etiam quando constat ex partibus absolutè veris: tamen particula conditionalis suspendit assensum intellectus circa ipsas partes absolutè spectatas: sed solùm datur assensus circa connexionem consequentis cum antecedenti. ergo hoc sufficit ad discursum.

Resp. In propositione conditionali nequaquā exerceri discursum in mente: sed solùm dari simplicem iudicii actū per secundam operationem. Dicitur autē propositio conditionalis esse illatiua, & continere vim illationis; quia resolui pōt per illationem: ita scilicet quòd si intellectus absolutè pręberet assensum antecedēti, ex illo etiam absolutè inferretur consequēs, & intellectus induceretur ad assensū cō-

se-

sequentis absolutum. Quod au etiā in omni conditionali verū sit, non est modò examinandum. Sed certum esse debet, non exerceri discursum in mente, quādiu manet suspensus assensus circa partes propositionis conditionalis. Nisi quòd assensus ipse conditionatus circa connexionem partium, potest planè elici ex alio distincto & præuio antecedenti: vt si quis dicat, quandocunque Sol lucet dies est; ergo si nunc Sol lucet dies est.

Cur in apprehēdendo non distinguatur duplex gradus, sicut in iudicando.

Ob. 3. Sicut in iudicādo inuenitur talis ordo & dependentia, vt vnum iudicium causetur ex alio; & hoc sufficit ad constituendam tertiam operationem distinctam à secunda: pariter in apprehendendo pot esse similis ordo & dependentia, vt apprehensio vnius rei sequatur ex apprehensione alterius: imò ante discursum debet sēper totus syllogismus esse apprehensus. Ergo vel etiā deberet distingui alia operatio distincta à prima, conueniens in genere apprehensionis: vel illa ratio non sufficit distinguere duas operationes sub genere iudicii.

Resp. Planè nō inueniri illum ordinē & dependentiam in apprehendendo, sicut in iudicando: vt experientia ipsa apparet. Neq; sicut datur modus inferendi in iudicio & assensu determinato, ita etiā in simplici apprehensione. Sed esto aliquando intellectus ex apprehēsione vnius rei excitetur ad apprehensionē alterius: id tamen non fit per similem modū dependentiæ & illationis. Sed etiā in simplici iudicio potest cōtingere, intellectum excitari per vnum iudicium ad aliud, ob similitudinem, aut propinquitatem rerū, & cōnexionem specierum, sine tamen discursu & illatione. Dumq; intellectus apprehendit totū syllogismum, non vtiq; apprehensio conclusionis causatur ex apprehensione præmissarū, sicut assensus ex assēsu. Sub genere ergo iudicii inuenitur tāta diuersitas, quę meritò distinxerit duas operationes, duos gradus cognoscendi: quę diuersitas non reperitur in apprehensione.

Quō Ar. dixerit, conclusionē cōstare ex præmissis.

Ob. 4. Ar. 2. Phys. tex. 31. & 5. Met. tex. 3 docet, suppositiones, idest præmissas, esse causā materialem cōclusionis, ex qua cōclusio constat, sicut sunt litteræ syllabarū, elemēta mixtorum, & alia similia: sed conclusio est, quæ continet discursum: ergo assensus præmissarū est pars intrinseca & de essentia discursus, tāquā pars mālis.

Resp. primò. Iam dicebamus, posse modo quodam sumi discursum pro toto aggregato, & sic includere assensū præmissarum, includendo tām secundam quām tertiā operationem. Et iuxta hoc Aphrodis. eo loco Met explicat, totū syllogismū constitui ex præmissis & conclusione: & præmissas se habere vt materiam, conclusionem vt formam. 2. Aliqui exponunt, licèt Ar. inter varia exempla causarū materialium posuerit etiā illud: tamen posuisse solū secundū quandā similitudinē. quia re vera præmissæ in cognoscē lo habent potius modū causalitatis effectiuæ quàm materialis respectu conclusionis. 3. Meliùs S Th & Alens eo loco Met. exponunt Arist de præmissis & conclusione obiectiuè sumptis, idest cōclusionem quæ est obiectum discursus, componi ex iisdē terminis ex quibus præmissæ constabant, scilicet, ex maiori & minori extremo, quę quidem in præmissis coniungebantur cum medio, in conclusione coniunguntur inter se.

SECTIO SECVNDA.

Qualiter in Discursu assensus cōsequentis esse debeat actus distinctus ab assensu antecedentis, cum illoq. coniunctus.

AD exactam explicationem discursus examinare magis oportet distinctionē & coiunctionē, ac præterea causalitatē & depēdentiā actuū, quod distinctè hac & sequenti sect. præstandum est.

Durand. in 2. d. 38. q. 13. n. 13. & Sōcin. 6. Met. q. 10. opinati sunt, discursū esse debere vnū & eundem actum cū simplici iudicio: ita scilicet vt quādo intellectus inferēdo, assensum præbet conclusioni ex vi antecedentis, non duplici, sed vno actu assentiatur vtrique: & quatenus attingit ipsum cōsequens, dicatur inferre, & discurrere. Fons autem 6 Met. cap. 1. q. 4. supponens dari debere assensum consequentis distinctum ab assensu antecedentis, contendit includi adhuc in assensu consequentis quendam antecedentis assensum: ita vt idem assensus attingat conclusionē in recto, præmissas in obliquo. Idē defendit

Val-

Vallius 1 Poster. disp. 1. part.2.quæst.5. Fauet D.Thom.1.2.q.8. artic.3. & q. 12. artic.4. Et quidam alij idem asserunt vel significant.

Ex alia parte Capreol.in 2. dist.3. q.2. ad 1.conr.6.concl. & quidam alij, opinati sunt, de ratione nostri discursus non solùm esse entitatiuam distinctionem actuum: sed etiam distantiam & moram temporis: ita vt non simul coniungantur; sed prior tempore sit assensus antecedẽtis, eoq. cessante succedat assensus consequentis. Fauet D.Thom.1.par.quæst.14. artic.6.dicens, discursum secundùm causalitatem, includere discursum secundùm successionem; quia procedentes à principijs ad conclusionem, non simul vtrunq; considerant. Et alijs locis eodem modo loquutus est.

Assensus consequẽtis debet esse distinctus ab assensu antecedẽtis.

5. Dico primò, Intellectum nostrum per distinctos actus præbere assensum consequenti, atque antecedenti: & hanc distinctionem actuum esse de ratione nostri discursus. Hæc est sententia S.Thom multis in locis. 1.par.q.58.art.3.vbi ait,quòd si homines statim in ipsa cognitione principij noti, inspicerent quasi notas omnes conclusiones consequentes, in ijs discursus non haberet locum. & q.14.artic.7. planè supponebat distinctionem actuum in discursu. Idem clarè docuit q. 2. de Verit.artic.3. ad 3.& q.8.artic.15.,1.cõtra Gent. cap.58. & alibi sæpè. Idem docuit Gregor.in Prol.q.3.art.1. concl. 2. & alij Scholastici docere solent. Eandem sententiam sequuntur Caiet. Bagn. Molina,& alij circa loca citata S.Thom. ex 1. parte.

Probant 1. aliqui hanc conclusionem: quia non videtur fieri posse, vt intellectus eodem actu plura complectatur, pluribus propositionibus assentiatur cum ordine & dependentia vnius ex alia. Verùm absolutè loquendo non est hoc impossibile in omni intellectu. Nam non repugnat eodem actu attingi plura cum tali ordine, vt vnũ cognoscatur per aliud, siue in alio: & talis modus cognoscendi reperitur in intellectu separato, vt infra dicemus. Aliter ergo est probanda conclusio.

Ob specialẽ cõditionem intellectus humani.

6. Secundò itaque probatur ex speciali imperfectione intellectus humani: quia cùm intellectus noster sit adeo debilis & limitatus: non videtur fieri posse, vt dum cognoscit vnum dependenter ab alio, siue cognoscit vnum ex cognitione alterius; vno simplici actu id totum exerceat: sed potius hic ordo & dependentia in cognoscendo distinguit plures actus, quorum vnus verè & formaliter dependeat ex alio.

Tertiò. Distinguuntur in intellectu nostro plures habitus, alius iudicatiuus circa principia, & alius discursiuus circa conclusiones: & in rebus euidentibus prior dicitur habitus intellectus, alius scientiæ. hancq. distinctionem habituũ concedunt Durand. & Soncin. Ergo à fortiori distingui debent actus: faciliùs enim multiplicantur actus quàm habitus. Nec dici potest, quod insinuant ijdem Auctores, esse distinctos habitus propter actus quos separatim elicere potest potentia intellectiua circa principia & conclusiones, esse autem vnum habitum quo eliciatur actus communis vtrisque. Nam non est alius tertius habitus distinguendus. Nec habitus scientiæ est quo intellectus assentiatur conclusionibus separatim à principijs, imo est quo intellectus per demonstrationem assentitur conclusioni ex principijs: & sic distinguuntur illi duo habitus penès diuersum modum cognoscendi principia per se, & conclusiones ex principijs.

Quartò addi potest. Sæpè in aliquo discursu & syllogismo, aliqua præmissa est affirmatiua, & alia negatiua, & conclusio est negatiua; aliqua præmissa euidens aut certa, alia obscura aut probabilis, & conclusio similiter: ergo non potest esse vnus & idem actus qui hæc omnia complectatur; & simul sit affirmatiuus ac negatiuus, euidens & obscurus, certus & probabilis, respectu diuersarum partium syllogismi.

Et ob specialem rationem ipsius discursus.

Quintò rursus probatur ex speciali ratione discursus. Quia ad discursum requiritur, vt assensus consequentis formaliter dependeat, atque oriatur ex assensu antecedentis. Dico, formaliter: quia dupliciter potest intelligi ordo inter aliqua: vel tantùm virtualiter sine distinctione à parte rei; sicut dici solet, attributa conuenire Deo ex vi essentiæ, & similia: vel formaliter cum vera causalitate & dependentia, quo pacto esse non potest, nisi cũ di-

distinctionem à parte rei. In nostro ergo discursu, non tantùm virtualiter, sed verè & formaliter, assensus consequentis dici debet dependere & prouenire ex assensu antecedentis: Igitur concedenda est distinctio actuum. Adeo quòd si quandoque intellectus noster vno actu complecteretur conclusionem cum præmissis, hic non esset propriè discursus. De ratione ergo nostri discursus est distinctio actuum in assentiendo.

Sextò. Idem probatur magis: quia de facto Theologi docere solent, Beatos videntes Deum videre etiam in illo creaturas, ita vt essentia Diuina sit illis ratio & medium cognoscendi creaturas: nec propterea dicuntur discurrere, quia non habent distinctos actus, vnum causatum ex alio, ad modum nostræ illationis. Angeli etiam illas res, quarum non habent proprias species, cognoscunt mediantibus alijs, quarum habent proprias species: sic cognoscunt naturaliter Deum ex creaturis, & similiter quosdam effectus occultos ex alijs priùs notis. Et hoc totum procedit etiam in sententia negante Angelis discursum. Ergo hic ordo cognoscendi non sufficit ad discursum sine distinctione actuum. Hinc optimè S. Thom. 1. par. quæst. 14. artic. 7. & quæst. 58. artic. 3. & præclarè quæst. 5. de Verit. artic. 15. distinguit duplicem modum cognoscendi, primum cognoscendi vnum in alio, secundum cognoscendi vnum ex alio. Primum ait esse, cùm vno actu cognoscitur vtrunque: secundum, cùm cognoscuntur distinctis actibus. Primum docet non esse discursum, secundum esse discursum.

Distinctio est realis, & essentialis. Septimò putandum est, hanc distinctionem esse realem, tanquam rei à re. Non enim cogitari debet actus illationis & discursus, quasi modus immediatè afficiens assensum antecedentis: sed est verè nouus actus elicitus ab intellectu, immediatè inhærens ipsi potentiæ. Et cum hac distinctione reali associanda est distinctio essentialis & specifica. Essentialiter enim actus tertiæ operationis importat suam rationem illationis, quæ non inuenitur in simplici iudicio secundę operationis: & ita essentialiter ab illo distinguitur.

Assensus consequentis nõ includit assensum antecedentis. Dico secundò. Assensus consequentis non includit in se formaliter assensum aliquem antecedentis. Probatur conclusio: quia non est putandum, post primum præmissarum assensum intellectum rursus assentiri conclusioni, & iisdem præmissis: sed tantùm assentiri conclusioni prout distincta est à præmissis. Hic tamen conclusionis assensus dependet & elicitur ex præuio præmissarum assensu. Nam illud est obiectum vltimi assensus, quod significatur per voces exprimentes conclusionem, quæ infertur: sed in conclusione non repetitur antecedens, vt patet; sed solùm apponitur particula illatiua, ergo, quæ vtique non denotat aliunt nouum præmissarum assensum, sed tantùm denotat dependentiam & causalitatem assensus illatiui ex simplici præmissarum assensu, qui iam supponitur. Propter hoc autem aliqui dicunt, assensum conclusionis includere saltem virtualiter præmissarum assensum. Sed hoc non plus verificatur in præsenti casu, quàm in omni alio dicere valeat, effectum includere virtualiter suam causam. Propter hoc etiam Ruuius primo Posterior. capite 1. quæstione 6. ait, assensum antecedentis includi in assensu conclusionis, quia in eo includitur ordo dependentiæ ab assensu ipsius antecedentis: & vbi includitur ordo, includitur etiam id ad quod ordo terminatur. Sed certè satis compertum est, non ex eo quòd includitur in aliqua re ordo ad alium terminum, dici debere includi ipse terminus. Et ita patet in omnibus aliis rebus. Absolutè ergo loquendo dici non debet assensus conclusionis includere etiam præmissarum assensum: sed tantùm dici debet ab illo pendere, ex illo elici & inferri.

Vterq; assensus debet esse simul coniunctus. Dico tertiò. Non est de ratione nostri discursus, vt non simul & coniunctim existant assensus consequentis & antecedentis, neque successio temporis requiritur ad nostrum discursum: quinimo intellectus discurrens debet simul cum assensu antecedentis elicere consequentis assensum. Hæc conclusio est Scoti in Prologo sent. q. 4. laterali, & 1. Poster. quæstione octaua, & sequacium. Est etiam Bagn. Mol. Vasq. & aliorum circa loc. cit. S. Thom. ex prima parte. Et

est expressè ipsius S. Thom. prima parte quæst. 58. artic. 7. ad 2., & 1. Post.lect. 6. parte prima, asserentis simul esse in intellectu operationes distinctas, videlicet circa principia & circa conclusiones. In alijs autem locis, solùm requirere voluit distinctionem actuum & dependentiam vnius ex alio in nostro discursu. Ipsamq. distinctionem actuum cum ordine quodam naturæ, vocauit successionem: & dixit, intellectum non simul, idest non vno singulari actu, attingere conclusionem cum præmissis. Vel tantùm docere voluit, solere plerunque priùs tempore elici præmissarum assensum, vt ipse indicauit 1. 2. questione 8. articulo 3. in fine corp. ita tamen vt perseuerante eodem assensu eliciatur fundè conclusionis assensus.

Quia non requiritur successio temporis ad rationem discursus.

Probatur concl. 1. quia per distinctionem actuum cum dependentia vnius ex alio saluatur optimè vis & ratio illationis, qua dicere valeat, intellectum cognoscere vnum ex alio, ex vna notitia deduci aliam, ex notis manifestari ignota; & ita saluantur omnia quæ dici solēt de ratione nostri discursus, etiam si omnes actus sint simul in eodem instanti: ergo nulla ratione requiritur distantia & successio temporis.

Secundò. Hæc successio non requiritur, nec iuuat, ad hoc vt defendatur discursus ita proprius humani intellectus, qui non conueniat intellectui Angelico. Nam satis est distinctio illa actuum cum eo ordine dependentiæ & illationis: quia qui defendunt, Angelos non discurrere; dicere debent, Angelos non indigere tali distinctione actuum, & illatione vnius ex alio. Quòd si Capreolus dicat, id non sufficere: quia talem potest Angelus distinctis actibus vti. Iam neque successio temporis sufficiet: quia pariter poterit Angelus successiuè, vnum post alium eos actus elicere. Sed in propria materia videndum erit, num Angeli, licèt non indigeant discursu, possint tamen discurrere. Si autem velimus taliter accipere discursum, vt nullo modo possit intellectui Angelico conuenire: dicendum erit, discursum importare dependentiam cognitionis intellectiuæ ex cognitione sensitiua, siue modum intelligendi per conuersionem ad phantasmata, vt Philosophi loquuntur.

Sed ad illationem requiritur cõiunctio actuū

Tertiò præterea. Assensus consequentis elici non potest ex vi antecedentis, nisi in eodem instanti inueniatur in intellectu assensus antecedentis. Nam causatur ex illo. Potest quidem fieri vt intellectus assentiatur quibusdam propositionibus, etiam si adhuc nil cogitet de conclusione quæ potest inferri: tamen vt eliciatur conclusionis assensus, debet adhuc in intellectu extare assensus præmissarum. Certè autem non est de ratione discursus, vt assensus præmissarum priùs tempore inceperit, imo id per accidens se habebit. Sed de ratione discursus erit, vt simul in eodem instanti sit vterque assensus, vnus dependens ex alio. Sic etiam actus iudicii elici non potest, nisi simul existente simplici apprehensione, quamuis hæc potuerit priùs incipere.

Quomodo obiectum & ratio cognoscendi distinguant actus.

In contrarium. Obijcies primò ex Soncin. Intellectus debet eodem actu ferri in obiectum & in rationem cognoscendi obiectum: sed antecedens est ratio cognoscendi consequens: ergo eodem actu debet attingi vtrunque. Sic eodem visionis actu conspicitur color & lumen, quia lumen est ratio videndi colorem. Simili modo conatur Fonseca pluribus probare, assensum consequentis includere saltem aliquem antecedentis assensum.

Respondetur. ex D. Thoma quæst. 8. de Verit. artic. 15. Multiplicem esse rationem cognoscendi. Alia est ratio ex qua aliud cognoscitur: alia est ratio in qua, siue cum qua, aut per quam res cognoscitur. Ratio ex qua, non debet eodem actu attingi: & sic se habet antecedens respectu consequentis. Ratio autem in qua, cognoscitur eodem actu: vt cùm intellectus vno actu videt effectum in causa, conclusionem in principiis. Lumen autem est ratio cum qua, seu per quam, videtur color. Argumenta verò Fonsecæ, non plus probant, quàm assensum consequentis debere supponere assensum antecedentis, & ab illo pendere, & intrinsecè includere dependentiam ab ipso assensu antecedentis.

Quomodo voluntas vno actu appetat

Obiicies secundò. Voluntas vno eodem actu appetit finem & media, vt docet Sanctus Thomas 1. 2. quæst. 8. art. 3. Sed ita se habent antecedens & consequens

finem & medium. quens in cognoscendo, sicut finis & media in appetendo; vt docet Aristotel. 2. Physic. text. 79. & libro 7. cap. 8. Ergo eodem actu intellectus assentitur antecedenti & consequenti.

Respondetur. Suo loco examinandum esse, quo pacto sit vnus vel multiplex actus voluntatis circa finem & media. Modò, si admittatur assumptum, facilis est disparitas. Quia media sunt causa necessaria ad consequutionem finis, & se habent in genere causæ efficientis: vnde velle efficaciter finem, idest velle assequi finem, est velle applicare media necessaria. Planè autem non ita se habet conclusio ad præmissas, vt assentiri præmissis sit formaliter assentiri conclusioni. Dici tamen potest assensus præmissarum continere virtualiter assensum conclusionis, ad quem consequenter inducit. Et hoc indicauit Aristot. primo Poster. tex. 4. Item media appetuntur quatenus vtilia ad finem, quæ bonitas vtilitatis consistit formaliter in ordine ad finem; ideóque amor mediorum sub ista formalitate, simul est amor finis. At veritas conclusionis non consistit formaliter in ordine ad præmissas, sed infertur ex præmissis: vnde non sequitur, eundem assensum conclusionis esse formaliter præmissarum assensum, sed solùm ex illo causari. Neque verò oportet, vt in omnibus conueniant habitudo finis ad media, & principiorum ad conclusionem: sed satis est, si in aliquo conueniant, vt suo loco explicandum erit.

Quomodo intellectus possit simul habere plures actus. Obiicies tertiò. Non potest intellectus noster simul habere plures ac distinctos actus: quia hoc esset cognoscere plura vt plura. Ita docet Sanctus Thomas 1. par. quæst. 58. art. 2. & quæstione 85. art. 4. & alibi. Ergo, vel vnus solus actus est, quo intellectus assentitur antecedenti & consequenti, contra primam conclusionem: vel distincti actus non sunt simul, sed successiuè, contra tertiam.

Respondetur cum Ferr. 1. contra Gen. cap. 55. §. Considerandum, & Sot. 1. Post. cap. 1. quæst. 1. ad 4. non posse esse plures actus simul disparatos & inconnexos: posse tamen esse, quando connexi sunt & coniuncti, & vnus refertur ad alium. Quia tunc non cognoscuntur plura prorsus vt plura, sed aliquo modo vt vnum: vt notauit etiam Scotus primo Poster. quæst. 8. Sic possunt vtique esse in intellectu simul apprehensio & iudicium: & si requirantur plures apprehensiones, etiã possunt esse simul. Ita possent esse assensus consequentis & assensus antecedentis, & in assensu antecedentis plures actus circa plures præmissas, quæ vniuntur in vno medio communi. Et ita explicauit ipse Sanctus Doctor locis citatis conclus. 3.

Obiicies quartò. In scientiis subalternatis, conclusio quæ in vna demonstratione probatur, est præmissa ad probandam aliam conclusionem; & hæc conclusio rursus potest esse præmissa ad probandam aliam: sed non videtur fieri posse, vt hi omnes actus simul existant in intellectu: ergo omnino requiritur successio temporis.

Respondetur. Non esse negandum, ob nimiam multiplicitatẽ rerum, & processum in cognoscendo requiri successionẽ temporis. Sed non propterea in omni discursu & in vno syllogismo debet requiri. Quando autem aliqua propositio fuerit in mente per suum syllogismum demonstrata: poterit deinde intellectus illi assentiri simplici iudicio, sine noua iteratione totius demonstrationis: & sic potest deseruire tanquam præmissa ad probandam aliam conclusionem.

SECTIO TERTIA.

Qualiter in Discursu assensus cõsequentis ex antecedentis assensu causetur.

CErtum iam est, assensum consequentis aliquo modo causari et dependere ex antecedentis assensu, præsertim stante distinctione actuum quam probauimus. Sed examinare magis oportet modum & conditiones huius causalitatis. Concedendum est verò, etiam assensum consequentis aliquo modo causare assensum antecedentis, nempè in genere causæ finalis; quia conclusio se habet tanquam finis syllogismi, vt docuit Arist. 2. de Anima tex. 48. & S. Thom. Opusc. 47. in princ.

Causatur in genere causæ effectiuæ. Primò ergo quærendum est, num assensus antecedentis concurrat ad assensum consequentis in genere causæ materialis, vel potius effectiuæ. Arist. 2. Phys. textu 31., & 5. Met. 3. indicauit, in genere causæ materialis. Dicendum tamen potius est, in genere causæ effectiuæ. Hæc est communis sententia Expositorum in ijsdem locis, & 1. Prior. cap. 1., & 1. Poster. cap. 1. Vbi sic intelligunt mentem Arist. dum ait, in syllogismo ex præmissis sequi conclusionem, & notitiam discursiuam fieri ex præexistente cognitione. Probatur facilè: quia assensus antecedentis per se cócurrit ad hoc vt eliciatur assensus conclusionis, mouet & impellit intellectum ad assensum conclusionis: hic autem modus causandi, spectat ad genus causæ effectiuæ. Illa autem loca Arist. explicauimus sect. 1. ad 4.

Ista verò causalitas dici debebit potius æquiuoca quàm vniuoca: quia assensus illatiuus conclusionis, est essentialiter diuersus ab assensu antecedentis. Sed an propterea assensus conclusionis dici debeat minùs perfectus, minùs verus, minùs certus, minùs euidens, quàm assensus antecedentis; commodiùs dicemus postea in speciali de scientia.

Tãquam à ratione efficiendi. Secundò dubitari potest, num assensus antecedentis sit per se & directè causa efficiens, eliciendo assensum conclusionis, ita vt productio huius assensus directè egrediatur ab assensu antecedétis: vel hic tantùm se habeat per modũ conditionis, aut rationis agendi quia scilicet stante assensu antecedentis, intellectus ipse eliciat assensum consequentis, sicut elicit alios suos actus. Et dicendum est, hoc secundo modo concurrere. Nam potentia intellectiua est quæ directè elicit actus, nec dici debet vnus actus per se & directè efficere alium. Sic etiam putandum est, cognitionem præuiam intellectus nó esse directè causam eliciciuam actus voluntatis, sed tantũ concurrere tanquã rationem volendi. Et in ipso intellectu, simplex apprehensio nó est directè causa eliciciua iudicij. Plus tamen habet causalitatis, assensus antecedétis erga assensum consequentis, quàm simplex apprehensio erga iudicium. Tum quia assensus consequentis, illatiuè & impulsiuè deducitur ex assensu antecedentis. Tum quia assensus antecedentis determinat intellectum ad assensum cóclusionis, vt infra dicemus: apprehensio autem secundùm se relinquit intellectum indifferentem ad affirmandum & negandum.

Vnde declaratur quomodo discursus cum iudicio conueniat vniuocè. Cum hoc autem modo causalitatis, explicari potest & defendi perfecta vniuocatio inter discursum & iudiciũ, & adæquatè inter tres operationes intellectus. Nam erat quidam modus analogiæ, quo plura ita conueniebant in aliqua natura superiori, vt inæqualiter per dependentiam essentialem vnius ab alio illam participarent, sicut se habent substantia & accidens in ratione entis. Vniuocatio autem perfecta excludebat hanc analogiã. Dici ergo potest, illam analogiam tunc propriè esse, quando vnum per se & directè dependet, & accipit ab alio illam naturam communem tanquam a vera causa. Hoc modo discursus & iudiciũ & omnes tres operationes inter se, non dicentur conuenire analogicè, sicut substantia & accidens, aliaquè similia: sed perfectè vniuocè conuenire, sumendo vniuocationem vt oppositam illi analogiæ. Quamuis adhuc intra hanc vniuocationem plures gradus poterunt designari, videlicet quando nullus prorsus sit ordo depédentiæ inter plures species, & quando sit aliqua dependentia eo modo quem dicimus in casu præsenti.

Nam assensus antecedétis necessariò inferat assensum cõsequentis. Tertio videndum est, an posito antecedentis assensu, necessariò sequatur assensus consequentis, vel possit non sequi. Sanctus Thomas 1. p. q. 82. art. 2., & 1. 2. q. 17. art. 6. Scot. in 1. d. 1. q. 4. §. Ad argum. Durand. in 2. d. 25. quæst. 4. nu. 7. Argen. q. 1. in fin. & alij circa eadem loca, affirmant, necessariò sequi. Idem indicat Arist. 1. Post. c. 1. scilicet stante assensu minoris in syllogismo, supposito iam assensu maioris, necessariò sequi assensum conclusionis: licèt assensus solius maioris potuerit antea per se inueniri sine alio assensu. Et idem defendunt Expositores ibi. Hiquè omnes Auctores specialiter loquuti sunt in rebus euidentibus, quando scilicet præmissæ sunt euidentes, & connexio coclusionis cum præmissis est etiam euidens. Atque Fonsec. 6. Met. cap. 1. q. 4. sect. 4. ita intelligit hanc sententiam, vt nè voluntas quidem ipsa possit continere intellectum, ne exerceat actum assentiendi con-

conclusioni, supposito præmissarum assensu, & aduertentia conclusionis: sicut nè se ipsam quidem cohibere potest voluntas, vt stante intentione efficaci finis non eligat media necessaria,

Pro resolutione, duplex necessitas distinguenda est. Prima dicitur quoad specificationem actus: secunda quoad exercitium actus. Prima est, quando potentia non est indifferens ad eliciendum duos actus diuersos & oppositos circa idem; intellectus ad assensum & dissensum, voluntas ad amorem & odium. Secunda est, quando potentia non est indifferens ad exercendum & non exercendum aliquem actum, sed est determinata ad exercendum.

Infert necessariò quoad specificationem. Certum ergo est, posito præmissarum assensu, esse necessarium quoad specificationem assensum conclusionis: idest intellectum ita se habere vt dissentiri non possit: & nè à voluntate quidem ad id posse cogi, aut inclinari. Idquè patet experientia. Patet etiam ratione: quia dissensus conclusionis planè destrueret præmissarum assensum. Nec potest fieri, vt intellectui præmissæ appareant veræ, & conclusio quæ in bona forma infertur appareat falsa. Et in hoc consistit tota vis nostri discursus: & per hoc conatur vnus argumentando conuincere alium, vt ex præmissarum assensu cogat illum assentiri conclusioni.

Sed nō omnino quoad exercitium. Item concedendum est, quòd ipse intellectus de se necessariò etiam quoad exercitium eliciet conclusionis assensum nisi impediatur & cohibeatur à voluntate, maximè in rebus valdè claris & euidentibus. Nam assensus ipse perspicuus præmissarum, adiuncta aduertentia conclusionis ritè illatæ, vim habet trahendi intellectum in ipsius conclusionis assensum. Et hæc præcipuè voluerunt Auctores allegati.

Non videtur autem negandum, posse saltem à voluntate cohiberi intellectum nè eliciat conclusionis assensum. Ita quamplures recentiores defendunt, & sequitur Ruuius 1. Post. cap. 1. quæst. 8. Nam voluntas habet imperium & dominium supra intellectum, & habet facultatem illum mouendi quoad exercitium, vt docet S. Thomas 1. 2. quæst. 9. art. 1. ad 3: & quæst. 17. art. 6. Habet etiam voluntas facultatem diuertendi intellectum ad aliud obiectum, illumquè distrahendi à cogitatione & consideratione obiecti prius apprehensi. Adhuc ergo posito præmissarum assensu, & apprehēsione conclusionis, poterit voluntas continere intellectum nè eliciat assensum conclusionis, aut mentem distrahendo ad aliud cogitandum, siue applicando ad aliam considerationem, non penitus extinguendo priorem cogitationem, aut solùm suspendendo intellectū ab eliciendo actu assensus. Quamuis difficilius sit, cohibere intellectum perseuerante attētione circa illud obiectum, quàm applicando intellectum ad aliam considerationem.

Vnde declaratur, quomodo ex apprehensione terminorū necessariò sequatur assensus. Similiter, supposita apprehensione terminorum in primis principijs euidētibus, intellectus habet necessitatē quoad specificationem, quia dissentiri non potest: habet etiam aliquo modo quoad exercitium, quia nisi contineatur præbebit assensum. Hæc tamē determinatio non prouenit ex ipsa apprehensione, sed potius ex ipso lumine naturali. Nam quantùm est ex parte apprehensionis, cū apprehensione potest tam benè componi dissensus quàm assensus. Secus est in discursu, in quo assensus ipse præmissarū determinat intellectum: quia non pōt coniungi cum assensu præmissarū dissensus conclusionis. Sicut nō potest esse simul assensus & dissensus circa eandē propositionem. At etiā potest voluntas cohibere intellectum, nè eliciat assensum supposita apprehensione terminorum. Sic interdum loquimur & cogitamus de his principijs sine proprio assensu: vt cùm dicimus, omne totum est maius sua parte est propositio vniuersalis, est propositio affirmatiua, & similia; quia nimirum cum apprehensione illorū terminorum intellectus magis attendit ad considerandas alias conditiones eius propositionis: sicut ergo per attentionem coniunctam ad aliud quidpiam licèt connexum, suspenditur assensus proprius circa propositionem stante apprehensione: ita pōt suspendi per conatum voluntatis.

Neque obstat exemplum illud voluntatis in intentione finis & electione mediorum. Nā tunc solū ex intētione necessariò sequitur electio quoad exercitium, quando is qui finē intendit, cognoscit hîc

& nunc esse necessarium tale medium. tunc enim nisi medium assumat, iam mutat intentionem finis. Sed non ita se habet conclusio respectu præmissarum, vt manifestum est; cùm non referatur ad operandum aut consequendum illas, nec habent illã rationem necessitatis & causalitatis, vt nisi intellectus simul assensum præbeat conclusioni, debeat deponere præmissarum assensum. Cæterùm quomodo se habeat intellectus in rebus probabilibus & non euidentibus, alio loco in speciali dicemus.

Assensus illatiuus consequẽtis, esse & conseruari nequit sine assensu antecedentis.

Quartò. E conuerso videndum est, an assensus consequentis necessariò præsupponat assensum antecedentis, ita vt sine illo esse non possit. Et quidem poterit esse talis assensus, si non eliciatur per discursum ex tali antecedenti, sed vel per simplex iudicium, vel per discursum ex alio antecedenti. Ille autem assensus qui elicitur illatiuè ex tali antecedenti, esse non potest sine talis antecedentis assensu. Non solùm, inquam, non potest sine illo elici, sed neque conseruari. Quoniam semper valet dicere, consequens cognosci ex vi antecedentis, & vnam notitiam ex alia dependere. Et alioqui esset diuersus actus in intellectu, priùs per discursum, postea per simplex iudicium circa illam conclusionem. Quamdiù ergo intellectus perseuerat in tali assensu illatiuo consequentis; omnino etiã perseuerat in assensu antecedentis. Sicut dicebamus circa iudicium, non posse conseruari iudicium sine apprehensione semper perseuerante cum ipso iudicio. Et ita hæ tres operationes nostri intellectus ita subordinatæ sunt & connexæ, vt secundà existere non possit sine prima, nec tertia sine secunda & prima.

SECTIO QUARTA.

De Veritate & falsitate, bonitate & prauitate, Discursus.

IN Discursu, vt ex dictis patet, duo consideramus, & ipsum consequens quod infertur, & consequentiam seu illationem eius ex antecedenti: siue consideramus iudicium & assensum de consequenti, & dependentiam ac sequelam huius assensus ex antecedentis assensu. Primum dici potest se habere materialiter: secundum se habere formaliter in discursu. Per primum conuenit discursus cum iudicio secũdæ operationis: per secundum ab illo differt.

Veritas & falsitas discursus.

Quãtùm ad primum. In discursu inuenitur veritas & falsitas, non secus ac in simplici iudicio. Nam discursus ipse est determinatus quidam assensus, siue est affirmatio aut negatio quædam, qua intellectus iudicat rem taliter se habere. Vel ergo ita reuera res se habet: & sic talis assensus illatiuus est cõformis obiecto, & verus. Vel res non ita se habet: & sic talis assensus est discõformis obiecto, & falsus. Et omnia alia quæ antea dicta sunt de veritate & falsitate iudicij in secunda operatione, omnia procedunt etiam de hoc assensu in tertia operatione.

Itaque hæc veritas & falsitas in discursu non attenditur penès bonitatem aut prauitatem consequentiæ & illationis: sed potiùs ab illa differt. Vnde potest dari hæc veritas in discursu, etiam si illatio & consequentia non sit bona: vt si quis ita discurrat; omnis homo est aĩal, Petrus est aĩal, ergo Petrus est homo: hęc conclusio est vtique in se vera, & assensus verus est: tamen illatio non est bona, quia est in secunda figura ex ambabus affirmatiuis. E contra potest dari falsitas in discursu, etiam si illatio optima sit: nimirum si discursus procedat ex aliqua præmissa falsa; vt si quis ita discurrat; omnis homo est lapis, Petrus est homo, ergo est lapis: vtique forma discurrendi optima est, & conclusio est falsa. Nam alioqui si omnes præmissæ veræ sint, & illatio bona, conclusio non potest esse falsa: quia ex vero non nisi verum.

Bonitas et prauitas discursus.

Deinde quantum ad secundum: In discursu inuenitur bonitas & prauitas. Discursus bonus est, quando consequens infertur ex illo antecedenti, ex illis pręmissis, cum quibus re vera habet connexionem: quando infertur sub tali forma quæ ex vi sua benè concludat. Discursus prauus est, quando consequens infertur ex aliquo antecedenti, cum quo reuera non habet connexionem: quando infertur sub aliqua forma quę non ex vi sua benè

benè concludat. Signum autem cognoscendi, quando forma ex vi sua benè concludat, est, quando in omni materia semper benè procedit, & ex vero non nisi verum infert. Quando autem aliqua forma discurrendi inuenitur posse inferre falsum ex vero, talis forma inutilis & praua est.

Rursus bona forma discurrendi ita se habet, quòd dum intellectus acceptat præmissas, eisquè præbet assensum, non potest reijcere & negare conclusionem: sed forma ipsa inferendi cogit intellectū assentiri conclusioni post assensum præmissarum. Praua autem discurrendi forma ita se habet, quòd posito præmissarum assensu, potest intellectus dissentiri conclusioni quæ ex illis non rectè infertur. Imò non debet ex vi illarum præmissarum assentiri tali conclusioni: sed deficit, & à recta via aberrat; si per talem formam inferendi præbeat assensum conclusioni ex vi illarum præmissarum. Hæc tota res, satis clara & perspicua est, considerando vtiles & rectos syllogismorum modos in singulis figuris, & è contra alios inutiles & non rectos: in illis enim discursus rectè procedit, in his prauè & indirectè.

Discursus prauus, est essentialiter discursus.

Aliqui verò dixerunt, discursum prauum non esse essentialiter discursum; sicue non posse dari in mente discursum prauum: quia essentia discursus consistit in eo, vt consequens verè inferatur ex antecedenti, vt assensus consequentis eliciatur ex vi assensus præmissarum: sed nisi discursus rectè procedat, iam consequens non infertur ex vi antecedentis, nec vnus assensus elicitur ex vi alterius: ergo. Imo Aristot. 1. Topic. cap. 1., & 1. Elench. cap. 1. expressè docuit, Syllogismum deficientem ex parte formæ, non esse verè syllogismum. Absolutè tamen dicendum est, dari posse in mente discursum prauum, & in rigore habere essentiam discursus. Patet: quia experientia ipsa constat, interdum aliquem ex assensu alicuius rei induci in alium assensum, præter debitam discurrendi formā. Idcirco tot regulæ & instructiones traduntur ad rectè discurrendum, discernendo modos rectos & vtiles à prauis & inutilibus; quod alioqui esset superfluum, si nullum esset periculum prauè discurrendi. Talis autem assensus elicitus ex alio præter debitam formam, non est vtique simplex iudicium secundæ operationis: sed est discursus tertiæ operationis. Sicut ergo tàm iudicium falsum, quàm verum, est essentialiter iudicium: ita tàm discursus prauus, quàm rectus, est essentialiter discursus. Dictum autem Aristotelis explicabimus quæstione 29. sectione 6.

Hinc ad rationem oppositam patet: aliud esse, consequens in mente inferri ex antecedenti, assensum elici ex assensu; aliud esse, debere inferri, debere elici. In prauo discursu valebit dicere, intellectus infert quidem & elicit hunc assensum ex illo: tamen non deberet inferre & elicere. Et quamuis ipsum antecedens non habeat vim sub tali forma inferendi tale consequens: tamen intellectus suo defectu finit se moueri & induci ex vno assensu ad alium.

Bonitas et prauitas à veritate & falsitate distinguitur.

Caterùm bonitas & prauitas discursus, non est formaliter veritas & falsitas, sed est quodammodo virtualiter. Non est formaliter: quia veritas & falsitas est conformitas & disconformitas ad obiectum: sed bonitas & prauitas discursus est dependentia vnius assensus ex alio, ex quo debebat vel non debebat elici. Est virtualiter: Tum quia ille qui discurrit, ita se habet, ac si affirmaret, hoc consequens habet connexionem cum tali antecedenti: quod quidem verum est in discursu recto, falsum in discursu prauo. Tum præcipuè quia per discursum rectum, intellectus assequitur & acquirit veram rerum notitiam, post notitiam verorum principiorum: at per prauum discursum facilè labitur ex veris in falsas conclusiones. Recta ergo discurrendi forma, est veritatis norma.

SECTIO QVINTA.

De Argumentatione: Specialiter de Syllogismo.

CVm formalis perfectio discursus, in illationis bonitate consistat; conatus & industria Logicæ circa hanc tertiā operationem dirigendam, ad hanc perfectionem in omni discursu inducendam

tendit: qua mediante directione etiam veritatem assequitur, vt nimirum ex veris principijs non nisi veræ conclusiones inferantur. Ad hunc effectum Argumentatio destinatur, tanquam adæquatum instrumentum directiuum nostri discursus.

Argumētatio in cōmuni. Vnde argumentatio in communi benè poterit definiri: est instrumentum siue modus rectè inferendi vnum ex alio. Aut, si imitari velimus definitionem syllogismi ab Aristotele traditam, est oratio in qua vnum benè infertur ex alio. Potest autem sumi argumentatio, vel pro oratione vocali expressiua discursus interni; vel pro ipso actu mentali quo intellectus discurrit & vnum ex alio infert: vel quatenus per Logicam formatur tanquam idæa & norma benè discurrendi, ex qua regulæ depromuntur ad ritè formandum quemcunque particularem discursum, & ad discernendum quinam discursus ritè procedat, qui verò prauè vt emendetur: & hoc modo propriè vocatur instrumentum directiuum discursus. Hæc constant ex iam dictis de instrumentis in communi.

At verò de compositione & constructione argumentationis, de regulis & præceptis eius, deque varijs speciebus, latè in Institut. disseruimus: & quæ ibi tradita sunt, ad hunc propriè locum spectabant. Sed oportebat ab initio artem argumentandi pleniùs edocere. Nec oportet nunc eadem hoc loco repetere.

Argumētationis genera. Præcipuè diuidebatur argumentatio in quatuor species, Syllogismum, Entymema, Exemplum, Inductionem, quas omnes ibi explicauimus. De Syllogismo quidem agit Aristot. in maxima parte horum librorum: de alijs tribus speciebus agit breuiter ad finem lib. 2. Aliqui addunt quintam speciem, nempè conuersionem, qua dicimus; Omnis homo est animal, ergo aliquod animal est homo. De qua conuersione agit etiam Aristoteles libro primo capit. 2. 3. & 4. Aliqui rursus addunt sextam speciem, nempè illationem à propositione vniuersali ad particularem vel singularem: Omnis homo est animal, ergo hic homo est animal: quandocunque quis currit, mouetur; ergo hic qui modò currit, mouetur; ergo si hic currit, mouetur. Alij tamen dicunt, hos modos inferendi contineri sub entymemate, quia entymema est quando ex vna sola propositione posita in antecedenti infertur cōsequens. Alij verò ab initio distinguunt duo genera illationis; vnum vocant argumentationem: aliud vocant meram consequētiam. Sub argumentatione constituunt illas quatuor species: sub mera consequentia alias duas. Argumentationem explicant, quando in consequenti ponitur aliquis nouus terminus qui non fit positus in antecedenti; siue in antecedēti ponitur medium distinctum ab omnibus terminis qui ponuntur in consequenti, ex quo medio inferatur conclusio, & ipsum medium dicitur argumentum. Mera autem consequentia erit, quando iidem termini repetuntur in consequenti. Quod fit dupliciter: vel conuertendo prædicatum in subiectum, & subiectum in prædicatum: vel repetendo cum eodem ordine: & nè illatio fit prorsus nugatoria, dicendo omnis homo est animal, ergo omnis homo est animal; mutetur saltem quantitas propositionis, & ex vniuersali fiat particularis vel singularis.

Controuersia in hac re solùm potest esse de nomine, qualiter accipiatur nomen argumentationis, & sub genere argumentationis nomen entymematis. Possunt vno modo hæc nomina amplè sumi, vt omnes dictas illationis formas complectantur. Et possunt pressiùs sumi, vt non illas complectantur. Præstabit autem argumentationem amplè sumere pro omni forma illationis & consequentiæ. Deinde argumentatio diuidatur, in illā quæ procedit ex medio distincto à consequenti, & illam quæ non procedit ex medio distincto.

Argumentatio non procedens ex medio distincto, est per se clara & euidens. Imo per conuersionem multi syllogismi probantur, tanquam per clariorem & notiorem inferendi modum. In hac argumentatione sufficit vna sola propositio ex parte antecedentis ad inferendum consequens, vt manifestum est. Ex vna enim propositione, absque alia additione, euidenter infertur propositio in quam illa conuertatur, iuxta regulas conuersionis traditas in Institut. & ex *Quoddā argumentationis genus, nō procedit ex medio distincto à consequenti.*

propo-

propositione vniuersali similiter infertur quælibet particularis & singularis contenta sub illa.

Argumentatio procedens ex medio distincto, coincidit cū syllogismo.

Argumentatio procedens ex medio distincto, diuiditur quidem in quatuor species: tamen adæquatè videtur in syllogismo consistere: quia aliæ tres species, vt vim habeant, debent ad syllogismum reduci. Imo in mente non nisi per syllogismum exerceri videntur.

Entymema reducitur ad syllogismum.

Entymema vel amplè sumitur, vt complectatur etiam argumentationem quæ non procedit ex medio distincto, & ex hac parte non reducitur ad syllogismum, sed benè ex vna sola propositione concludit. Vel sumitur specialiter, quando procedit ex medio distincto. Et tunc licèt videatur ex vna sola propositione aliam inferre; vt Petrus est homo, ergo est animal. Tamen, vt rectè concludat, debet subintelligi alia propositio in antecedenti, nempè omnis homo est animal. Vnde entymema, vt à syllogismo distinctum, datur potius in voce, quam in mente. Et ideò proferri solet sub tali forma, quia is qui loquitur, supponit ab audiente sciri, & statim subintelligi alteram præmissam quæ deest. Ipse autem in mente sua, dum ex antecedenti approbat consequens, habet simul in mente alteram præmissam. Et, si is cui loquitur, non statim ex vna propositione concessa, acceptat consequens: non aliter probamus intentum, nisi supplendo alteram præmissam quæ deerat, vt ex vtraque in forma syllogistica persuadeamus quod volumus.

Et ratio huius rei est: quia quando assumimus medium distinctum ad probandum consequens: non aliter probamus consequens ex tali medio, nisi per coniunctionem vtriusque extremi quod in consequenti inuenitur cum medio distincto. At vna propositio est, in qua vnum extremum, alia in qua aliud, cum medio coniungitur: & hoc totum fit in antecedenti, vt inferamus coniunctionem extremorum inter se; ergo entymema non concludit ex vna sola propositione: sed vna quidem prolata, & ex alia in mente recondita, ex quibus integer syllogismus conficitur.

Exemplū reducitur ad syllogismum.

Exemplum pariter per syllogismum efficaciam habet. Nam cùm dicimus: Antonius non inuenit felicitatem in diuitijs, ergo nec Franciscus inueniet: subintelligitur alia propositio; nempè idem quod euenit Antonio, eueniet Francisco; vt ita inferatur; sed Antonio euenit non inuenire felicitatem in diuitijs, ergo &c. Quia autem propositio quæ additur, est tantùm probabilis, & non certa: ideò tale argumentum ab exemplo, solùm probabiliter, & non certò concludit.

Inductio reducitur ad syllogismum.

Inductio demum duplex esse potest. Vna est, quæ a pluribus singularibus infert ad aliud singulare: vt Antonius non inuenit felicitatē in diuitijs, nec Petrus, nec alij plures; ergo nec Franciscus inueniet. Et hic modus inductionis redit ad genus exempli, solùmque addit quòd ex multis exemplis idem confirmare conatur. Et sic etiam subintelligitur; sed quod tot alijs hominibus euenit, etiam huic eueniet. Vbi etiam, quia talis propositio non est certa & euidens, sed tantùm valdè probabilis: ideò hic modus inductionis tantùm probabiliter concludit, idest probabilem inducit conclusionis assensum.

Alia inductio est, quæ ex omnibus singularibus euidenter concludit de vniuersali. v. g. oculus dexter est idoneus ad videndum, oculus sinister est idoneus ad videndum: ergo omnis oculus est idoneus ad videndum. Similiter omnis substantia est vna, omne accidens est vnum; ergo omne ens est vnum. In hac autem inductione planè subintelligitur alia præmissa, quæ quidem in mentali discursu necessariò interuenit, ad faciendam euidentiam conclusionis: nimirum oculus dexter & sinister sunt omnis oculus: substantia & accidens sunt omne ens. Itaque omnis huiusmodi argumentatio reducitur ad syllogismum: siue hæ sunt species quædam syllogismi. Propter hoc de solo syllogismo deinceps tractare sufficiet. Quo eodem consilio vsus est Sanctus Thomas Opusc. 48. tract. de Syllog. cap. 1.

Syllogismus definitur.

Syllogismi nomen idem valet quod latinè ratiocinatio. Definitur syllogismus ab Arist. lib. 1. cap. 1. *Est oratio in qua quibusdam positis, aliud quid necesse est contingere, virtute eorum quæ posita sunt.* Quam definitionem satis in Institutionibus

bus explicauimus. Breuiùs autem & clariùs dici potest: syllogismus est in quo ex duabus præmissis infertur conclusio. Adnotari autem potest, ad rationem discursus & syllogismi perinde se habere, si vnus aut duplex sit assensus circa vtramque præmissam. Et vtroque modo posse se habere. Nam vno modo potest intellectus assentiri duabus præmissis per modum vnius propositionis copulatiuæ: vt omne animal est sensibile & omnis homo est animal; circa totam autem propositionem copulatiuam vnus est assensus in mente. Et hoc planè sufficit vt inferatur conclusio; ergo omnis homo est sensibilis. Alio modo potest intellectus assentiri solutè & sine nota copulatiua: & tunc ex vtroque assensu elicitur conclusionis assensus.

Syllogismi materia & forma.

Cæterùm, in syllogismo distinctè considerare debemus, & propositiones ex quibus constat, & dispositionem atque ordinem propositionum cum suis terminis ex quibus constituuntur. Hæc duo dicuntur materia & forma syllogismi. Propositiones enim se habent vt materia: dispositio & ordinatio se habet vt forma. De his duobus distinctè tractandum sequitur.

SECTIO SEXTA.

De materia Syllogismi.

In syllogismo interueniũt duæ præmissæ & vna conclusio.

QVia propositiones constant ex terminis, termini dicuntur materia remota, propositiones verò materia proxima syllogismi. Termini per se debent esse tres, duo extrema, & medium. Propositiones etiam per se debent esse tres, duæ præmissæ, & vna conclusio. Dico per se, quia in syllogismo possunt etiam collocari propositiones coniunctæ: vna autem propositio coniuncta habet plures partes, plures propositiones simplices, & plures terminos: sed quia hæc plura se habent vt vnum; & quia præcipuè loquimur de syllogismo categorico constante ex simplicibus propositionibus: Ideò absolutè dicimus, in syllogismo interuenire tres terminos, tres propositiones. Quæstio autem est, num omnes tres propositiones sint materia essentialis & intrinseca syllogismi, vtrum non solùm præmissæ, sed etiam conclusio sit de essentiali constitutione syllogismi.

Prima sententia esse potest, solam conclusionem esse materiam essentialem syllogismi, præmissas verò esse eius causam efficientem. Nam syllogismus essentialiter est discursus: sed ad discursum intrinsecè non spectat nisi conclusio illata ex præmissis, discursus enim est formaliter & præcisè solius conclusionis assensus: ergo sola conclusio est essentialis materia syllogismi, conclusio tamen causata & illata ex præmissis.

Secunda sententia est aliquorum asserentium, syllogismi materiam essentialem esse præmissas: conclusionem verò esse effectum syllogismi. Ita videntur docere Auerr. 1. Periherm. cap. 1., 2. Prior. cap. 4., & clariùs Epitome Prior. in princip. & Albert. 1. Prior. tract. 1. cap. 5. Et fundamentum esse potest: quia syllogismus est instrumentum sciendi, est instrumentum directiuum discursus: ergo est causa effectiua scientiæ & discursus. At causa effectiua scientiæ & discursus, non est vtique conclusio, sed sunt tantùm præmissæ; conclusio autem se tenet ex parte effectus: ergo.

Tertia communis sententia asserit, cõclusionem simul cum præmissis esse essentialiter materiam syllogismi. Hæc tamen controuersia, magis est de nomine quàm de re. Et resoluenda est, distinguendo tres syllogismi acceptiones, ex Aristotele ipso depromptas: & iuxta quas debent varia Aristot. loca intelligi, & conciliari.

Primo modo sola conclusio est essentialis materia syllogismi.

Primò sumi potest syllogismus formaliter & præcisè pro ipso actu discurrendi, vel pro obiecto & materia circa quam hic actus versatur, quæ est conclusio. Et sic syllogismus essentialiter in conclusione consistit: & præmissæ dici debebunt causa syllogismi, idest causa conclusionis, causa discursus. In hoc planè sensu loquutus est Aristot. primo de Anima textu 48. *Demonstrationes habent pro fine syllogismum aut conclusionem.* Vbi pro eodem sumpsit syllogismum & conclusionem.

Secundo modo solæ præmissæ.

Secundò sumi potest syllogismus pro causa conclusionis & discursus. Sic planè constat, solas præmissas esse materiam essen-

essentialem syllogismi: & conclusio dici debebit effectus syllogismi. In hoc sensu loquuti sunt Auctores secundæ sententiæ. In hoc sensu sæpè alij dicere solent, syllogismum causare conclusionem, demonstrationem gignere scientiam, & similia. Sic etiam sumit syllogismum Aristot. 2. Prior. cap. 1. cùm ait, ex eodē syllogismo inferri posse plures conclusiones, hoc est ex ijsdem præmissis: vt patet in Celarent & Celantes, Darij & Dabitis: in quibus modis, cùm præmissæ eodem modo se habeant, conclusio variatur; & vel est directa, vel indirecta. Sicut etiam in Barbara potest inferri cōclusio particularis. Et vniuersaliter omnis syllogismus qui infert conclusionem vniuersalem, potest inferre particularē. Itaq. in hac acceptione syllogismi, dicetur idem syllogismus, etiam si conclusiones diuersæ sint, dummodo præmissæ non varientur. At in sequenti acceptione syllogismi, dici debebunt diuersi syllogismi, etiam illi qui in sola conclusione differant.

Demum in eodem sensu aliqui intelligunt Aristot. 1. Prior. cap. 25. dicentem, syllogismum constare ex duabus tantùm propositionibus. Sed aliter hic locus potest exponi. Nomine propositionis ibi non intelligi omnem enunciationem: sed tantùm illam quæ præponitur conclusioni, quæ nomine magis proprio dicitur præmissa. Syllogismus ergo constat ex duabus tantùm præmissis, non quidem ad excludendam conclusionem, sed ad excludendam aliam præmissam vltra duas.

Tertio modo præmissæ simul & conclusio. Tertiò tandem sumitur syllogismus, vt quid integrè constitutum ex præmissis & conclusione. In hoc sensu clarum est, tàm conclusionem, quàm præmissas, esse de essentia syllogismi, esse materiam intrinsecam syllogismi. In hac planè significatione Aristot. syllogismum definiuit, est oratio in qua quibusdam positis, aliud infertur. Non dixit, ex qua aliud infertur: sic enim accepisset syllogismum secundo modo. Non dixit, quæ ex alijs infertur: sic enim accepisset primo modo. Sed dicens, in qua &c. planè accepit syllogismum hoc tertio modo. Et passim in his libris, & alibi, Aristot. loquitur, tàm de conclusione, quàm de præmissis, tanquam partibus intrinsecis syllogismi. Similiter in communi modo loquendi, non appellatur syllogismus, ex solis præmissis, sicut nec ex sola conclusione, sed ex omnibus simul iunctis & acceptis. Itaque hæc acceptio syllogismi est maximè approbanda & retinenda.

Comparando autem conclusionem cum præmissis, præmissæ se habent quodammodo ad conclusionem, velut materia ad formam: quoniam determinantur & complentur per conclusionem. Et sic Aristot. interdum loquutus est: vt adduximus sect. 1. in 4. obiect. At respectu dispositionis & collocationis, omnes tres enunciationes, & tàm conclusio, quàm præmissæ, se habent vt materia, & ipsa dispositio vocatur forma syllogismi: vt antea prænotauimus.

Considerando etiam syllogismum quatenus instrumentum & idæam discurrendi, siue quatenus dicit regulas & præcepta: manifestum est, tàm de conclusione, quàm de præmissis, dari regulas & præcepta: qualiter ex talibus præmissis inferenda sit conclusio; affirmatiua, vel negatiua; vniuersalis, vel particularis; directa, vel indirecta. Itaque syllogismus adæquatè hæc omnia includit, tanquam materiam circa quam versatur.

Postremò. Ex his satis patet ad rationem primæ sententiæ. Illa enim ratio confirmat primam acceptionem syllogismi, & alias non impugnat. Patet etiā ad rationem secundæ sententiæ: non solùm per secundam acceptionem syllogismi; sed etiam in hac tertia acceptione, Syllogismum, quatenus dicit modum & idæam dirigendi discursum, acquirendi scientiam, includendo maximè modum inferendi conclusionem; esse causam in genere causæ idæalis & directiuę, huius & illius discursus, qui in particulari exercetur, huius & illius scientiæ quæ acquiritur: sicut iam diximus de instrumentis in communi.

SECTIO

SECTIO SEPTIMA.

De Forma Syllogismi: & primò de Figuris.

Forma syllogismi in figura & modo consistit.

DE forma Syllogismi latè in Institut. egimus: & diximus qualiter consistat in Figura, & Modo. Et quid sit figura, nempè collocatio extremorum cum medio in præmissis secundùm debitam subiectionem & prædicationem. Et quid sit modus, nempè dispositio præmissarum, secundùm quantitatem hoc est vniuersalitatem & particularitatem, & secundùm qualitatem hoc est affirmationem & negationem, & secundùm illationē conclusionis. Ibidē quoq. diximus, collocationē extremorum cum medio posse tribus vel quatuor figuris distingui. Aut subijciendo medium vtrique extremo in vtraque præmissa. Et hæc erat tertia figura. Aut prædicando medium de vtroque extremo in vtraque præmissa: & hæc erat secunda figura. Aut subijciendo medium maiori extremo in maiori præmissa, & prædicando de minori extremo in minori præmissa: & hæc erat prima figura. Aut demum prædicando medium de maiori extremo in maiori præmissa, & subijciendo minori extremo in minori: vt dicendo; homo est animal, animal est corpus, ergo corpus est homo: & hæc nominatur quarta figura. De hac, controuersia grauis est, an sit concedenda, quam in Institut. non discussimus, vtpotè tunc non opportunam & necessariam; sed modò examinare debemus.

Galenus excogitauit quartam figuram.

Galenus, vt refert Auerroes 1. Prior. cap. 5., 7., & alibi, hanc quartā figuram, præter alias tres, assignauit atque distinxit. Zabarel. tamen in libro de Quarta figura cap. 1. testatur, eam non inueniri in libris Galeni qui nunc extant. Huius quartæ figuræ patrocinium, Medici in gratiam Galeni acriter susceperunt. Distinguunt in illa quinque modos, duos concludentes affirmatiuè, tres negatiuè. Nam alij modi qui excogitari possent, non benè concludunt.

Primus modus est, qui ex duabus vniuersalibus affirmatiuis infert particularem affirmatiuam. Secundus est, qui ex maiori particulari affirmatiua, & minori vniuersali affirmatiua, infert particularem affirmatiuami. Tertius est, qui ex maiori vniuersali affirmatiua & minori vniuersali negatiua, infert vniuersalem negatiuam. Quartus est, qui ex maiori vniuersali negatiua, & minori vniuersali affirmatiua, deducit particularem negatiuam. Quintus est, qui ex maiori vniuersali negatiua, & minori particulari affirmatiua, concludit particularem negatiuam. Et, vt vno verbo dicamus, si accipiantur quinque modi indirecti primæ figuræ, & transponantur præmissæ, idest quæ erat maior fiat minor, & è conuerso; habentur hi quinque modi quartæ figuræ. Et, si illos quibusdam dictionibus placeat appellare: nè nouas effingamus, vti possumus quibusdam dictionibus consuetis. Vocari ergo possunt, Darapti, Disamis, Camestres, Felapton, Festino. Vel possunt immutari illæ ipsæ dictiones modorum primæ figuræ, Baralipton, Calentes, Dibatis, Fepasmo, Fresisomorum.

Peripatetici cum Auer. negāt quartam figuram.

Ex aduerso contra hanc quartam figuram, Peripatetici cum Auer. conspirarūt. Zabar. in lib. de Quarta figura, Scot. 1. Prior. quæst. 34. Ocham. 3. par. Logicæ cap. 9. Buridan. 1. Prior. cap. 7. & alij communiter. Et perspicuè ipse Aristot. 1. Prior. cap. 23. ex professo docet & probat, tres tantùm esse figuras: & ad eas, omnes syllogismos reducit. Varijs autem vijs hi Doctores quartam figuram oppugnant: & alij eam omninò tollere: alij tanquam non naturaliter concludentem; alij tanquam superfluam labefactare conantur. Quos varios dicendi modos referre & examinare oportet.

Quarta figura bonè & necessariò cōcludit.

Primò. Aliqui volunt, quartam figuram penitus esse tollendam; eo quòd non sit vtilis & bona ad inferendum; sed possit ex vero falsum inferre: quod est signū euidens malæ illationis & consequentiæ. Id autem suadere conantur, asserendo quosdam modos inutiles & ineptos in hac figura: vt si ex duabus vniuersalibus affirmatiuis concludatur vniuersalis affirmatiua: si ex maiori vniuersali & minori particulari affirmatiua: & si ex maiori particulari affirmatiua, & minori negatiua siue vniuersali siue particulari, fiat

fiat illatio: vt consideranti patebit.

Dicendum tamen est, hanc quartam figuram posse quantùm ad hoc benè inferre, ita vt ex vero non inferat nisi verum: quod est euidens signum bonæ illationis & consequentiæ. Patet: quia in omnibus illis quinque modis antea allatis, semper benè concludit, & nunquam falsum ex vero: vt facili inductione constabit. Et possunt ij modi probari per reductionem ad quatuor primos primæ figuræ: vt facilè conspici potest per easdem regulas per quas alij modi reducuntur. Nec quicquam obstant alij modi inutiles, qui in eadem figura inueniri possunt. Nam & in omnibus tribus figuris inueniuntur modi inutiles & inepti. Et ratio est communis: quia vel non distribuitur medius terminus in aliqua præmissarum: vel aliquod extremum distribuitur in conclusione, cùm non sit distributum in præmissis. Non ergo est ex defectu figuræ, sed ex defectu eorum modorum, in quibus debitæ regulæ non seruantur, quòd non benè concludant.

Quarta figura nō est vitiosa, eo quòd inferat prædicationem eiusdem de se ipso.

Secundò. Auerr. reijcit quartam figuram tanquam vitiosam; quia iuxta illam sequitur prædicatio eiusdem de se ipso: quod ait esse absurdissimum. Sequelam probat: quia in hoc syllogismo: omnis homo est animal; omne animal est corpus: ergo aliquod corpus est homo, prædicatur de homine animal, de animali corpus, de corpore homo: vnde à primo ad vltimum infertur prædicatio hominis de homine. Hanc viam impugnandi quartam figuram defendit etiam Zabar. cap. 12. & Vallius 1. Prior. cap. 26. quæstione vnica capite 9. Qui tamen alio modo deducit, prædicari corpus de corpore.

Sed non est hac ratione quarta figura reijcienda vt vitiosa. Tum quia hæc ratio non procedit in modis negatiuis huius figuræ, vt patet: ergo hi saltem essent acceptandi. Tum quia illud non est tàm magnum inconueniens. Esto enim inconueniens esset, si in ipsa structura syllogismi poneretur propositio identica: tamen quòd ex syllogismo iam constructo inferatur propositio identica; non erit inconueniens: nec est contra regulam aliquam syllogisticam: vel saltem non est tàm magnum inconueniens, vt propterea sit omninò reijcienda quarta figura. Tum demum potest etiam in alijs syllogismorum modis qui de facto assignantur, & in conuersionibus propositionum quæ ab Aristotele traduntur, deduci prædicatio eiusdem de se ipso. Imo in modis indirectis primæ figuræ prorsus inuenitur id totum quod Auerr. in quarta figura notauit. Ergo hoc nullum est prorsus inconueniens.

Nec eo quòd inferat conclusionem innaturalē & indirectam.

Tertiò. Idem Auerroes præcipuè reijcit quartam figuram tanquam innaturalem; quia non naturaliter infert conclusionem. Hoc aliqui intendunt & defendunt ex parte materiæ: quia scilicet quarta figura infert conclusionem in qua fit prædicatio innaturalis. Prædicatio innaturalis dicitur, in qua prędicatur inferius de superiori, vel subiectum de accidenti: cum è conuerso fit prædicatio naturalis.

Verùm, nec omnes modi quartę figuræ innaturaliter hoc modo concludunt: nec ob hanc rationem sunt vlli modi reijciendi. Nam in modis negatiuis & conclusionibus negatiuis non est hæc innaturalitas. Deinde in modis affirmatiuis, dùm agitur de forma syllogismi, tantùm attenditur bonitas & necessitas illationis: non verò an prædicationes sint naturales aut innaturales. Et ita patet in alijs figuris & modis. Et præsertim hæc tota innaturalitas reperitur in modis indirectis primæ figuræ, qui non propterea reiiciuntur.

Nec eo quòd habeat formam illationis innaturalē

Quartò. Zabar. cap. 8. & sequentibus, intelligit & defendit rationē Auerrois, quòd quarta figura concludat innaturaliter ex parte formæ: & forma illa inferendi non sit naturalis intellectui. Quoniam intellectus non inclinatur ex suo lumine naturali ad inferendam eo pacto conclusionem quo constituitur quarta figura: sed potius alio modo quo constituitur prima figura. Vnde debet contra suam inclinationem retrahi intellectus, ab illatione quam naturaliter faceret, ad aliam faciendam, quodam machinamento & artificio. V. g. ex his prę missis; omnis homo est animal, omne animal est corpus; intellectus inclinatur ad inferendum, ergo omnis homo est corpus, non autem aliquod corpus est homo. Et illam quidem illationem statim euidenter inspicit intellectus. Hanc autem

tem

tem non nisi arte & industria.

Sed verum quidem est, illationem quartæ figuræ non esse per se ita euidentem, sicut illationem primæ figuræ: tamen potest illa illatio euidenter probari per reductionem ad primam figuram. Sic certè illatio secundæ & tertiæ figuræ, non est ita de se perspicua, sicut illatio primæ: sed debet per illam probari. Et licèt fateamur, minùs adhuc perspicuam esse illationem quartæ figuræ, quàm secundæ & tertiæ, & maiori industria & reflexione intellectus indigere: non propterea debet prorsus reijci: sed saltem tãquam omnibus alijs figuris imperfectior tradi deberet.

Præterea verum est, intellectum positis illis præmissis potius inclinari ad inferendum illo modo directè in prima figura: atque adeò illationem quartæ figuræ esse quodammodo innaturalem, idest præter eam inclinationem naturalem. Tamen dum quæritur, an concedenda sit quarta figura, duo quæri possunt. Primum est, an contineat bonam & necessariam illationem. Et hoc Auerroes negare non potest. Secundum est, an contineat euidentem & naturalem illationẽ, in quam intellectus statim se ipso feratur. Et sic defensores ipsi quartæ figuræ non inficiantur, quartam esse minus euidẽtem & naturalem, maioriquè artificio indigere, quàm prima & aliæ duæ figuræ. Hinc potest quæri tertium, an Logica debeat tradere & edocere hanc quartam figuram. Et sic negari non potest, Logicam, vt exacta sit, debere tradere omnem formam rectè & necessariò inferendi, vt intellectus discernere sciat bonitatem omnis sui discursus: simul etiam tradendo & edocendo viam, qua forma minus euidens & naturalis, possit perfici per reductionem ad formam magis euidentem & naturalem.

Et hoc totum apertè confirmatur: quia de facto Logica rectè & vtiliter tradit quinque modos indirectè concludentes primæ figuræ: at illi ita innaturaliter concludunt, sicut quarta figura. Nam planè post præmissas dispositas in Baralipt. intellectus potius inclinatur ad inferendũ directè in Barbara: & sic in alijs modis indirectis. Imo, vt mox dicemus, modi quartæ figuræ sunt ipsi modi indirecti primæ figuræ: ergo non debent hac ratione reijci quarta figura & tales modi. Auerr. autem, dictum innaturalitatis vitium quartæ figuræ opponens, pariter reijcit modos indirectos primæ figuræ. Eos tamen tradiderunt grauissimi Peripatetici, Theophrast. Eudem. Porphyr. apud Boet. & ipse Boetius libr. 2. de Syllogismo cathegor. cap. 4. Et alij communiter receperunt, vt notum est.

Quintò ergo dicendum & concludendum est, illam quæ dicitur quarta figura, esse quidem bonam & aptam; tamen in rigore non esse à prima distinctam, atque adeò non esse quartam, nec quarto loco annumerandam tribus: sed adæquatè tres esse syllogismorum figuras. Ita de quarta figura censent Scot. Ocham. & alij Peripatetici frequenter. *Quarta figura nõ est à prima distincta.*

Probatur primò: quia totum discrimẽ quartæ à prima figura, cõsistit in trãspositione præmissarum; vt quæ in prima figura ponebatur primo loco, in quarta ponatur secundo loco, & è conuerso: vt patet manifestè in omnibus modis antea allatis. Sed sola transpositio præmissarum non distinguit figuras. Nam figura est apta collocatio extremorum cum medio secundùm prædicationẽ & subiectionem: eadem autem permanet hæc collocatio, etiam si præmissæ transponantur; semper enim vnum extremum prædicatur de medio, aliud subijcitur. Et id ipsum extremum prædicatur, idem subijcitur; quamuis modò vnum, modò aliud, primo loco ponatur. Non ergo distinguitur quarta à prima figura.

Secundò. Omnes modi vtiles in quarta, inueniuntur in prima; & omnes modi vtiles in prima, inueniuntur in quarta: & omnes modi qui sunt inutiles in vna, sunt inutiles in altera: quod euidens signum est has non esse distinctas figuras. Assumptum patet manifestè: quia omnes illi quinque modi assignati in quarta figura, sunt planè quinque modi indirecti primæ figuræ, cum sola transpositione præmissarum. Item quatuor primi modi primæ figuræ possunt disponi cũ transpositione præmissarum; & sic se haberent veluti modi indirecti in quarta figura, videlicet in Barbara dici potest: omnis homo est animal, omne animal est corpus, ergo omnis homo est corpus: sic pos- *Nec modi eius à modis primæ.*

possunt transponi præmissæ in alijs tribus modis. Similiter omnes modi inutiles sunt semper inutiles, siue vna siue altera præmissa primo loco ponatur: igitur nec modi quartæ à modis primæ, nec quarta à prima figura distinguitur.

Vnica figura est, quandocunq. medium vni extremo subijcitur & de altero prædicatur.

Tertiò præcipuè à priori probatur, destruendo fundamentum oppositum distinctionis. In hoc distinguebatur quarta à prima figura, quòd in prima medius terminus subijcitur in maiori, prædicatur in minori; in quarta prædicatur in maiori, subijcitur in minori: siue in prima figura medium subijcitur maiori, prædicatur de minori extremo: in quarta è conuerso. Sed sic est, quòd quando vnum extremum prædicatur, aliud subijcitur medio termino: semper illud quod prędicatur est maius extremum, quod subijcitur est minus extremum: illa propositio est maior, in qua ponitur maius extremũ, idest in qua aliquod extremum prædicatur de medio; illa est minor, in qua aliud extremum subijcitur medio. Ergo implicat in adiecto, dicere, medium terminum in quarta figura prædicari in maiori propositione, prædicari de maiori extremo, subijci in minori. Sed quandocunque ex duobus extremis, vnum prædicatur, aliud subijcitur; est vna & eadem collocatio extremorum, vna & eadem figura, quæ dicitur prima. Quando autem vtrũnque extremum subiicitur, est secunda figura; quando vtrunq. prædicatur, est tertia figura.

Quòd autem maior & minor propositio, maius & minus extremum, debeant illo modo explicari, patet: quia maius extremum est illud, quod maiorem & veluti digniorem positionem obtinet in coniunctione cum medio in præmissis: sed quando vnum extremum prędicatur, aliud subijcitur; semper potiorem locum obtinet id quod prædicatur: ergo. Sic etiam maius & minus extremum explicat Aristot. 1. Prior. cap. 5. *In prima figura medium voco, quod est in alio, & aliud in ipso: extremitatum verò alia est, quæ est in alio, alia in quo aliud*, idest alia est quæ prædicatur de medio, alia de qua prædicatur medium. Et in fine ait: *Dico autem maiorem extremitatem, in qua medium est*, idest sub qua medium est: ita enim patet ex contextu: *Minorem voco quæ est sub medio*. Hinc autem per accidens se habebit, quænam propositio primo, quæ secundo loco ponatur. Sed etiam si illa propositio in qua extremum prædicatur de medio, ponatur secundo loco, semper dicetur maior propositio; & extremum quod prędicatur, dicetur maius extremum. Imo Auerr. dicto cap. 5. in conficiendis syllogismis primæ figuræ, perpetuò ponit primo loco minorem: & Philopon. vtroque ordine vtitur. Et Suess. 1. Prior. comm. 33. testatur, Arabes consueuisse minorem primo loco ponere; Græcos vtranque positionem seruare; Latinos autem ponere primo loco maiorem. Et hic sanè ordo est conuenientior.

Vnica figura est, etiam si conclusio conuertatur.

Quartò demum. Aliud discrimen intercedere videbatur inter primam & quartam figuram: quòd in prima idem extremum quod prędicabatur de medio, prędicabatur in conclusione de altero extremo: & quod subijciebatur medio, subijciebatur etiam in conclusione: in quarta autem figura ex opposito, prædicatum subijcitur, & subiectum prædicatur. Hoc autem planè non distinguit figuras, sed solùm constituit conclusionem directam aut indirectam in eadem figura. Nam figura est apta collocatio extremorum cum medio. Ergo non ex conclusione variatur figura. Neque dicetur maius extremum illud quod prędicatur, minus illud quod subijcitur in conclusione: vt propterea dici possit maius extremum subijci medio, & minus prædicari in quarta figura: idest illud quod prędicatur in cõclusione, subijcitur medio; & quod subijcitur in conclusione, prædicatur de medio. Nam maius & minus extremum denominantur per respectum ad ipsum medium, & per dispositionem quam habent in præmissis antecedenter ad conclusionem. Quia autem directè & naturaliter illud ipsum quod prædicatur de medio, debet prædicari de altero extremo in conclusione, ex vi illius principij, dici de omni, in quo fundatur forma syllogistica: ideò illa conclusio dicitur directa & naturalis. Alia autem conclusio in qua quod prædicabatur subijcitur, & quod subijciebatur prædicatur, est indirecta & innaturalis. Non ergo per hoc distinguen-

guentur plures figuræ; sed tantùm modi concludentes directè & indirectè in eadem prima figura.

Qualiter secunda et tertia, non autẽ quarta, distinguntur à prima figura

In contrarium Obiic. 1. Omnes modi secundæ & tertiæ figuræ per conuersionem præmissarum reducuntur ad modos primæ figuræ: & tamen illæ duæ figuræ distinguuntur à prima: ergo pariter quãuis modi quartæ figuræ, reducantur per transpositionem præmissarum ad modos primę, & sic fiant iidem cum illis, non propterea debet quarta figura cum prima confundi.

Respondetur. Duas figuras reduci ad primam, non per solam transpositionem præmissarum, sed per transpositionem terminorum in ipsis propositionibus, & per mutationem medii termini, & diuersam positionem eius cum extremis. taliter, vt cùm in secunda figura esset semper prædicatum, in reductione debeat aliquãdo subiici: & cum in tertia figura esset sẽper subiectum, in reductione debeat aliquando prędicari. Quando autem sic variatur collocatio medii cũ extremis, vtique variatur figura: at quarta figura non variat positionem medii cum extremis. Sed retinet eandem prorsus collocationẽ medii secundùm prædicationem & subiectionẽ. Nõ ergo debet à prima distingui.

Quod sufficit ad distinguendos modos nõ sufficit ad distinguẽdas figuras.

Obiicies secundò. Aliqui modi differunt in vna eademq. figura per solam trãspositionem præmissarũ: vt Disamis & Datisi in tertia figura: Cesare & Camestres in secunda figura: Ferio & Frisesomorum in prima figura. ergo eadem varietas sufficiet ad distinguendas figuras, vt ita distinguatur quarta à prima figura.

Respondetur Antecedens esse examinandum in obiectione sequenti. Nunc negatur consequentia. quoniam modus consistit in dispositione præmissarum, quę variari potest retento eodem situ medii cũ extremis: vt patet in omnibus modis singularum figurarum. Figura autẽ consistit in situ & positione medii cum extremis, quæ positio eadem remanet, etiam si præmissæ transponantur. Ita etiam diuersa quantitas & qualitas præmissarum, valet distinguere modos in vna eademque figura: non autem valet distinguere figuras, quando eadem est habitudo medii cum extremis.

Nec etiã plures modi quàm consueti, distinguẽdi sunt in prima figura.

Obiicies tertiò. Ergo saltem per trãspositionẽ præmissarum erunt distinguendi plures modi in eadem prima figura. Vnde erunt plures modi quàm de facto assignari soleant in prima figura.

Respondetur. Nec etiam modos in prima figura distingui per solam transpositionem præmissarum. Sed potius distingui per mutationem conclusionis, quæ directa aut indirecta efficitur. Ita, non distinguitur alius modus syllogismi in Barbara, siue maior siue minor primo loco ponatur: & sic in aliis modis eiusdem figuræ. Ferio autem & Frisesomorum differunt, non ob transpositionem præmissarum, sed ob diuersitatem conclusionis. Alioqui, retenta eadem conclusione quæ infertur in Ferio, etiam si primo loco ponatur propositio particularis affirmatiua, adhuc reputabitur idem syllogismi modus. Vnde reductio modorum indirectorum primæ figurę ad modos directos, non tàm fit per transpositionem præmissarum, quàm per conuersionem conclusionis. In secunda etiam & tertia figura, præter transpositionem præmissarum in illis modis, inuenitur quoque mutatio & conuersio conclusionis. Nam non eadem conclusio infertur in Cesare & Camestres, Disamis & Datisi: sed conuertitur; & quod erat subiectum in vna, fit prædicatum in alia; & quod erat prædicatum, fit subiectum. Est tamen aliqua peculiaris ratio in modis harum figurarum: vt eadem conclusio quæ est directa in vno, sit indirecta in alio, ob diuersum ordinem præmissarum, vt mox tractabimus.

SECTIO OCTAVA.

De Syllogismorum Modis in singulis figuris.

Modi oẽs assignati sunt in Institutionibus.

Modos omnes omnium figurarum, & constructionem eorum, latè tradidimus in Inst. Vbi assignauimus primæ figuræ nouẽ modos, quatuor directè, quinque indirectè concludentes: secundæ figuræ quatuor: tertiæ sex: omnes directè concludentes. Assignauimus etiã syllogismos expositorios ex medio termino singulari. Alios insuper modos designauimus ex extremis ipsisq. pręmissis singularibus cum medio communi.

La-

An dentur modi indirectè concludentes in secunda & tertia figura.

Latiùs nunc examinandum superest, an etiam in secunda & tertia figura possit indirectè concludi, sintquè concedendi modi indirectè concludentes, de qua re breuiter etiam diximus in Institution. tract. 4. cap. 9. & 10.

Fonseca lib. 6. Instit. cap. 13. & Conimbr. 1. Prior. capit. 7. quæst. 3. magis adhærent parti neganti. Et primò fundamentum est: quia tunc indirectè concluditur, cùm prædicatur minus extremum de maiori: sed id esse non potest in his figuris: ergo. Minor probatur: quia in his non aliter designari potest maius extremum, nisi quod in conclusione prædicatur: & minus extremum, nisi quod in conclusione subiicitur: quia nimirum in præmissis vtrunque subiicitur in secunda, vtrunque prædicatur in tertia figura. Est ergo implicatio in adiecto, dicere, in his figuris, posse minus extremum prædicari, & maius subjci.

Secundò. Hoc pacto videtur designare maius & minus extremum in his figuris ipse Aristot. qui 1. Prior. cap. 6. ait, maius extremum in secunda figura esse, quod est magis propinquum medio: minus, quod est magis remotum. Idquè sic intelligendum videtur. Quia in secunda figura medium semper prædicatur, propinquius est medio illud extremum quod in conclusione prædicatur. Rursus cap. 7. è contra ait, maius extremum in tertia figura esse illud, quod longiùs à medio distat, minus esse quod est medio propinquius. Quia scilicet cum medium semper subijciatur, est illi magis propinquus terminus qui in conclusione subijcitur, magis distat terminus qui prędicatur, & ille est minus extremum, hic est maius extremum.

Tertiò vlteriùs. Syllogismus qui poneretur indirectus in Cesare, non differret à Camestres directo, nisi per transpositionem præmissarum. Item si in Festino & Barocco transponantur præmissæ, & conclusio non mutetur; erit syllogismus indirectus, tantùm differens à directo per transpositionem præmissarum. Sed ordo præmissarum non sufficit distinguere modos syllogismorum, vt circa primam & quartam figuram dicebamus: ergo.

Quartò. Concludere indirectè est concludere innaturaliter. Quod explicatur optimè in prima figura, vt sectione præced. dicebamus. Sed id non videtur habere locum in secunda & tertia figura: tum quia non adest ratio ibi tradita: tum etiam quia ex his præmissis, nullus homo est equus, omne hinnibile est equus: non magis naturale esse videtur inferre; ergo nullum hinnibile est homo, quàm nullus homo est hinnibilis.

Quintò demum. In secunda & tertia figura, non habemus dictiones peculiares & distinctas, indicantes modos indirectos præter directos; sicut habemus in prima figura: ergo signum est non dari modos concludentes indirectè in aliis duabus figuris, sicut in prima.

Resolutio affirmatiua.

Dicendum tamen est, etiam in secunda & tertia figura posse suo modo indirectè concludi. Ita expressè S. Tho. Opusc. 48. tract. de Syllog. c. 8. Scot. 1. Prior. q. 23. & 24. Marsil. q. 31. Auerr. & Suess. eod. lib. cap. 8. Tolet. lib. 4. Introduct. c. 7. Hieron. Pla 1. Prior. cap. 6. dis. 2. quæst. 4. & alii. Imo Arist. apertè 1. Prior. c. 8. loquens de duobus modis indirectè concludentibus in prima figura, si maior sit affirmatiua & minor negatiua, quos modos vocamus Fapesmo, & Frisesom. subiungit: *Cõsimiliter & in alijs figuris*. Quod Auerr. ibi explicat, similiter indirectè concludi. Verificatur autem hæc assertio per omnes quatuor modos secundæ, & sex tertiæ figuræ: diuersimodè tamen, vt ibi explicauimus: nēpè in Cesare & Camestres secundæ figuræ; Darapti, Disamis, & Datisi tertiæ figuræ; per conuersionem conclusionis: in Festino & Barocco secũdæ figuræ, Felapton, Bocardo, & Ferison tertiæ figuræ, per transpositionem prę missarum. Addendo etiam, quod in Cesare & Camestres potest inferri conclusio indirecta particularis, sicut & directa.

Fũdatur, quia põt maius extremum prædicari, & minus subijci in conclusione.

Fundamentũ huius assertionis est: quia in his figuris designari debent maius & minus extremum penes ordinem præmissarum: maius extremum esse quod ponitur in prima propositione; minus quod ponitur in secunda. Ex quo euidenter sequitur, posse fieri vt prædicetur minus extremum de maiori, idest illud quod ponebatur in secunda præmissa, de illo quod ponebatur in prima: & hæc erit conclusio indirecta.

Assumptum hoc de modo designandi maius & minus extremum, in quo consistit tota difficultas, probatur primò: quia generaliter maius extremum est, quod obtinet digniorem locum in præmissis ante conclusionem: sed quando vel vtrúque extremum subijcitur, vel vtrunque prædicatur; non aliunde quàm ex ordine præmissarum potest hæc positionis & loci dignitas desumi: ergo. Maior patet: quia hæc comparatio facienda est extremorum cum medio, & extremum quod potiorem locum obtinet in coniunctione cum medio, dicitur maius extremum: at coniunctio extremorum cum medio continetur in præmissis: ergo. Consonat communis loquendi modus. Nam non aliter in secunda & tertia figura, designatur maior & minor, nisi quæ primo aut secundo loco ponitur.

Secundò. Distinctio figurarum inter se, distinctio etiam medij ab extremis, consideratur in præmissis syllogismi: ergo in ijsdem etiam debet considerari distinctio maioris & minoris extremi. Neque hæc designatio sumenda est ex conclusione: sed præmittenda est ante conclusionem.

Vnde signari debeāt maius & minus extremum in figuris.

Tertiò ita apparet manifestè in prima figura. Maius enim & minus extremum designantur in præmissis ex coniunctione cum medio non in conclusione ex côiunctione extremorum inter se. Et illud dicitur maius extremum, quod habet digniorem locum coniunctionis cum medio, non cum alio extremo. Sed etiam si illud extremū quod in præmissis digniorem locum habebat, idest prædicabatur de medio, postea in conclusione subijciatur, adhuc dicitur maius extremum: imo hoc est conclusionem esse directam vel indirectam: si illud extremum quod obtinebat digniorem locum in præmissis, obtineat etiam in conclusione, conclusio dicitur directa, quia debitum ordinem seruat: si secus, dicetur indirecta, quia mutat debitum ordinem: ergo similiter loquendum est de secunda & tertia figura. Nisi quòd ex solo ordine præmissarum, non ex prædicatione vnius extremi de medio, & subiectione alterius, potest sumi hæc differentia.

Quartò. Si ex positione extremorum in conclusione designari deberet maius & minus extremum: sequeretur, quinque modos quos dicimus indirectos in prima figura, potius constituere quartam figuram distinctam à prima. Nam in iis non diceretur prædicari minus extremū de maiori in conclusione: sed potius maius extremum fuisse subiectum medij in præmissis, & minus extremum fuisse prædicatum de medio: quo modo Auctores quartæ figuræ distinguebant illam à prima. Fateri ergo oportet, non ex coniunctione extremorum inter se in conclusione; sed tantùm ex coniunctione cum medio in præmissis, debere maius & minus extremum designari.

Nō ex cōclusione, sed ex præmissis.

Quintò. In secunda & tertia figura non potest indifferenter, in omni modo quodlibet extremum de quolibet in conclusione prædicari. V.g. in Festino: cum dicitur: nullus homo est equus; aliquod animal est equus: non potest inferri, ergo aliquis homo non est animal: sed tantùm aliquod animal non est homo. Debet itaque in conclusione esse prædicatum illud extremum quod positum erat in maiori, idest in prima præmissa. Oportebat igitur certam aliquam regulam tradere ad benè inferendam conclusionem, edocendo quod extremum deberet in conclusione prædicari, quodue subijci. Et sanè ita dispositi sunt omnes hi syllogismorum modi, vt semper conclusio benè inferatur, si extremum quod priorem locum habebat in præmissis, potiorem etiam obtineat in conclusione, & prædicetur de alio extremo quod positum erat in secunda præmissa. Regula autem traditur generalis, in omnibus figuris & modis, semper benè inferri conclusionem, subijciendo minus extremum, prædicando maius extremum: ergo distinctio maioris & minoris extremi omninò habetur ex ipsis præmissis. Alioqui si solùm sumeretur ex prædicatione & subiectione extremorum in ipsa conclusione, regula esset inutilis & nugatoria. Atque in secunda & tertia figura distinctio maioris & minoris extremi omnino sumenda est ex ordine præmissarum: igitur si in quibusdam modis possit etiam rectè inferri talis conclusio, in qua maius extremum subijciatur, & minus prædicetur; vt re ipsa verum est: dici debent tales modi posse etiam indirectè, concludere.

dere. Et ita, non solùm in prima, sed etiam in secunda & tertia figura, datur potestas indirectè concludendi.

Sextò præterea. Hurtad. disputatione 10. sectione 18. & 19. alia ratione affirmat, in secunda & tertia figura posse indirectè concludi, videlicet in illis modis qui constant ex vna præmissa vniuersali & altera particulari: dicens, vocandum esse maius extremum illud quod cōtinetur in præmissa vniuersali, minus extremum illud quod continetur in præmissa particulari: & tunc concludi directè, cùm maius extremum sic explicatum prædicatur in conclusione; tunc indirectè, cùm subijcitur. Et specialiter in modis negatiuis notat, conclusionem debere inferri per cōuersionem hoc modo. V. g. in Festino directè concluditur dicendo: nullus homo currit; aliquod animal currit; ergo aliquod animal non est homo. Ait indirectè concludi dicendo; ergo aliquod non homo non est non animal. Nimirum quia alioqui falsò inferretur, aliquis homo non est animal. Et sic inquit in aliis modis negatiuis.

Verùm hæc ratio assignandi maius & minus extremum, planè est aliena à communi modo loquendi. Nam in quibusdam modis primo loco ponitur propositio particularis, secundo loco vniuersalis: & prima appellatur maior, secunda minor. Et omnes modi iuxta communem dispositionem, præter illos quinque primæ figuræ, appellantur directi. Et in prima figura, atque in aliis figuris, non ex eo quòd propositio sit vniuersalis vel particularis, sed ex diuerso ordine cum medio, designatur maius & minus extremum, vt dictum est. Deinde illa ratio concludendi indirectè in modis negatiuis, aliena est à communissima syllogismorum regula: syllogismum debere constare ex tribus terminis. Nam in rigore, diuersi, imo prorsus oppositi sunt, illi termini infiniti qui ponuntur in conclusione, à terminis finitis qui erant positi in præmissis: & ipsemet fatetur sectione 24. Vnde certè si in præmissis medius terminus simili modo variaretur, efficeret duos terminos oppositos. Quamuis ex conclusione negatiua consueta in illis modis, posset vlterius inferri illa alia de terminis infinitis. Sed hoc fit per aliam consequentiam, & non per simplicem syllogismum constantem ex tribus terminis.

Ex dictis patet ad primum fundamentum oppositæ sententiæ: non debere nec posse ex ipsa conclusione, sed posse & debere ex ordine præmissarum, signari maius & minus extremum. Et ita posse in conclusione indirectè prædicari minus de maiori.

Quædam verba Arist. explicantur.

Ad secundum argumentum ex auctoritate Aristot. dicendum est, longè alium esse sensum eius in illis verbis, vt expo nit Suessan. com. 43. Allaturus erat Aristot. exempla syllogismorum in illis figuris, & assumere volebat tres terminos requisitos. In secunda autem figura primo loco nominare volebat terminum, quo vsurus erat pro medio; secundo loco maius extremum; tertio minus extremum. In hoc ergo sensu ait, minus extremum esse, quod erat propinquius medio, idest quod à se nominabatur statim post medium; minus extremum esse, quod magis distabat à medio. Alio ordine in tertia figura primo loco nominat maius extremum, secundo minus extremum, tertio medium. In hoc sensu ait, minus extremum esse propinquius medio, maius esse remotius. Hic sensus constat clarè ex verbis ipsius Aristotelis, ait enim cap. 6. de secunda figura: *Maius extremum est, quod ad medium iacet: minus autem, quod longiùs à medio: ponitur autem medium extra extrema, sed positione primum*. Sic etiam loquitur de tertia figura cap. 7. Ideò autem ait medium poni extra extrema, quia in prima figura medium nominauerat medio loco inter extrema. Imo in ijs figuris obseruari potest, Aristot. vocasse maius extremum, quod priori loco, minus quod posteriori nominabat.

Modi indirecti possunt differre à directis per solā transpositionē præmissarum.

Ad tertium concedendum est, verè modos indirectos à directis, in secunda & tertia figura, non differre plusquam per transpositionem præmissarum. Et est manifesta disparitas inter has figuras, & primam figuram. Quoniam cùm in prima figura vnum extremum prædicetur, & aliud subijciatur: hinc potius sumitur, quod sit maius, & quod minus extremū. Multò maior enim, & magis intrinseca syllogismo, est hæc differentia, quàm solus

solus ordo præmissarum. Vnde etiam si illud extremum quod prædicatur de medio, secundo loco ponatur, scilicet in secunda præmissa; adhuc est, & vocari debet maius extremum, & ea ipsa est maior præmissa. Item quandocunque idem extremum quod prædicatur de medio, prædicatur etiam in conclusione, conclusio est naturalis & directa, ac per se euidens lumine naturali. Nec quicquam refert transpositio præmissarum: nisi quòd etiam dici poterit conuenientiùs ordinari, quando maior primo loco ponitur. At in secunda & tertia figura, cùm non detur illa differentia, ex solo ordine præmissarum designari debent extrema. Et ita dispositio præmissarum sufficit ad hoc vt conclusio vel directa vel indirecta dicatur.

Discrimē secūda & tertia à prima figura.

Ad quartum libenter concedimus, maiorem esse innaturalitatem & indirectionem in conclusione ind recta primæ figuræ; cùm etiam in illa sit multò potior distinctio maioris & minoris extremi. Attamen etiam in secunda & tertia figura, aliqua inuersio ordinis reperitur. quando non eundem ordinem maioris & minoris seruant extrema in conclusione, quem habebant in ordine præmissarum. Ideòquè conclusio, licèt non sit tam indirecta, sicut in prima figura, est tamen suo modo indirecta. Et cùm controuersia tandem sit magis de modo loquendi, quàm de re; præstat sic loqui cum grauiorum Peripateticorum vsu, quos allegauimus.

Ad quintum deniq. dicendū. quia maiorem differentiam habēt modi indirecti primæ figuræ à directis; ideò opportunum fuisse, peculiares dictiones distingui. At in secunda & tertia figura, modica differentia est, quæ facillimè poterat indicari, signando quosdam modos, in quibus conclusio conuertatur, & quosdam in quibus præmissę transponantur, vt iam indicauimus. Non ergo oportebat alias dictiones effingere, quarum nimia multitudo confusionem potius & perplexitatem gignere potuisset.

SECTIO NONA.

Quotuplex sit Discursus & Syllogismus: præcipuè de diuisione eius in scientificum & opinatiuum, demonstratiuum & dialecticum.

VAriæ diuisiones discursus & syllogismi hic colligi possent, quę partim ex superioribus deducuntur, partim de nouo addi possunt. Sed prætermittentes quę faciliora & ferè manifesta iam sunt; solùm paucas diuisiones adducemus, quæ aliqua discussione indigere videntur, & præsertim illam, quæ ad sequentes quęstiones de distinctis discursus & syllogismi generibus necessaria est.

Benè diuiditur discursus in affirmatiuum & negatiuū.

Primò, benè diuiditur discursus & syllogismus in affirmatiuum & negatiuum. Affirmatiuus est, cùm ex vi præmissarum affirmantium, affirmamus etiam in conclusione aliquid de aliquo, vnum extremum de alio. Negatiuus est, quo ex vi alicuius præmissæ negatiuæ, negamus etiam in conclusione aliquid de aliquo, vnum extremum de alio. Dico ex vi alicuius præmissæ negatiuæ: quia ex vtraque præmissa negatiua nihil benè infertur. Itaque discursus negatiuus omnino procedere debet ex vna præmissa negatiua & altera affirmatiua.

Non defuerunt autem qui absolutè negauerint discursum negatiuum, dicentes omnem discursum in rigore esse affirmatiuum, etiam circa conclusionem negatiuam. Nam certè dari potest assensus affirmatiuus circa propositionem negatiuam cum aliquo addito. vt si quis dicat, hominem non esse equum, verum est, necessarium est, & similia: vtrique verè affirmat. Sed qui discurrit, dicit talem conclusionem benè sequi ex iis præmissis: quod in rigore est affirmare, etiam si conclusio in se sit negatiua. Sicut hæc propositio conditionalis illatiua, si est homo, non est equus; & hęc causalis, quia est homo, non est equus; est vtrique affirmatiua, quia affirmat connexionem consequentis cum antecedenti. Negatio autem

autem mentalis erit, quando negabitur connexio & sequela consequentis ex antecedenti. At hoc non erit discurrere: sed erit negare discursum.

Datur enim discursus negatiuus ab affirmatiuo distinctus.

Dicendum tamen est, verè & in rigore dari discursum negatiuum, essentialiter ab affirmatiuo distinctum; non secus ac in secunda operatione datur iudicium negatiuum ab affirmatiuo distinctum. Probatur: quia sicut potest dari iudicium affirmatiuum elicitum ex vi alterius iudicii: ita potest dari sine dubio iudicium negatiuum circa propositionem aliquam negatiuam, negatiuè dicendo, homo non est equus: & iudicium sic negatiuum potest elici ex vi alterius iudicij antecedentis: videlicet ex eo quòd homo est rationalis, & equus non est rationalis: & sic in omnibus alijs rebus. Vbi, licèt dependentia vnius actus ex alio sit positiuum quid, non facit vt iudicium non sit negatiuum. Nam certè iudicium ipsum negatiuum, actus positiuus est: & tamen negat vnum de alio ad differentiam iudicij affirmatiui.

Et hinc patet ad fundamentum oppositum: discursum non esse, quando quis affirmat, hæc conclusio benè sequitur ex his præmissis: vbi consequutio se tenet ex parte obiecti, non ex parte actus. Sed discursus est, quando intellectus fert iudicium conclusionis, & hoc iudicium sequitur & causatur ex iudicio præmissarum. Et benè potest esse negatiuum, non secus, ac quando per se elicitur, & non per dependentiam & illationem ab alijs præmissis. Et ideò propositio illa conditionalis, & alia causalis, sunt affirmatiuæ, quia in illis per simplex iudicium intellectus affirmat connexionem partium. Non ergo negatio mentalis opposita discursui affirmatiuo, est solùm actus ille quo intellectus dicit hoc non benè inferri ex illo: sed est actus ille quo intellectus dicit hoc non esse aliud, siue negat hoc esse illud, & ad hoc inducitur per aliud iudicium antecedens, ex quo talis negatio elicitur.

Præcipuè diuidi debet discursus in certũ & probabilẽ ex parte actus.

Secundò præcipuè diuidendus est discursus & syllogismus in certum & probabilem. Certus est, cùm intellectus firmiter & absque vlla formidine adhæret conclusioni. Probabilis est, quando adhæret quidem præmissis & conclusioni, tamen non ita firmiter, sed potius cum quadam formidine de parte opposita. Hic tamen defectus certitudinis in discursu probabili, non oritur ex parte illationis & formæ syllogisticæ: hæc enim euidens est. Sed ex parte materiæ, idest ex parte antecedẽtis, cui intellectus tantùm probabiliter & non certò assentitur. Si autem vna præmissa sit certa, & altera probabilis, conclusio erit probabilis & non certa; siue maior, siue minor syllogismi sit probabilis: quia semper conclusio sequitur debiliorem partem. Et ratio est clara: quia conclusio intantùm censetur vera, inquantum præmissæ putantur veræ, & assensus conclusionis dependet ex assensu vtriusque præmissæ. Ad infirmandam ergo conclusionẽ, satis est defectus vnius præmissæ. Vnde sicut, si censeatur falsa vna sola præmissa, nullo modo potest inferri conclusio: ita si vna præmissa censeatur tantùm probabilis & non certa: conclusio ex vi talis discursus non probabitur certa, sed tantùm probabilis.

Item in necessarium & cõtingẽtẽ ex parte obiecti.

Tertiò rursus ex parte obiecti diuidendus est discursus, in eum qui est circa obiectum contingens, & alium circa obiectum necessarium. Circa obiectum contingens est, qui versatur circa rerum creatarum existentiam, & omnia prædicata quæ consequuntur ad illam. Circa obiectum necessariũ est, qui versatur circa essentiam & prædicata essentialia, & proprietates naturales rerum. Neque verò hæc diuisio coincidit cum præcedenti: quasi discursus probabilis sit circa obiectum contingens, certus circa obiectum necessarium, sed est duplex prorsus diuersa diuisio: sumendo in hac posteriori contingentiam & necessitatem ex parte obiecti, & in illa priori probabilitatem & certitudinem ex parte actus. Nam benè potest quis circa obiectum contingens habere iudicium vel probabile vel certũ ex parte actus: vt, certum nobis est mundum existere, solem nunc lucere, Petrum currere: & tamen hæc contingentia sunt. E conuerso potest quis habere notitiam tantùm probabilem de obiecto necessario: quando nimirũ non assequitur mediũ certum & euidens sed tantùm probabile, ad persuadendam sibi talem conclusionẽ. Omittimus autem discursum circa obie-

ctum impossibile, quo videlicet quis affirmaret id quod impossibile est: quia loquimur de discursu qui potest esse verus: cuiusmodi non est, nisi vel circa conclusionem necessariam, vel circa contingentem.

Discursus certus & necessarius, est scientificus. Ex his duabus diuisionibus conficitur diuisio discursus in scientificum & opinatiuum, & syllogismi in demonstratiuum & dialecticum. Nam coniungendo simul duas conditiones & perfectiones, videlicet certitudinis & necessitatis, efficitur discursus scientificus. Itaque ille discursus qui est certus circa obiectum necessarium, est discursus scientificus, & proprio nomine appellatur scientia: & an requirat alias præterea conditiones, postea videbimus. Hic est perfectissimus humani intellectus discursus, ad quem dirigendum meritò maximo conatu & diligentia, Logica incumbit. Syllogismus proprius huius discursus, appellatur demonstratiuus, & vno nomine Demonstratio. De Scientia & Demonstratione agit latè Aristot. in duobus proximis sequentibus libris, qui Posteriores resolutorij inscribuntur.

Discursus vel probabilis vel cōtingēs; est opinatiuus. Deficiente autem alterutra ex ijs perfectionibus: & siue discursus sit probabilis ex parte actus, siue contingens ex parte obiecti, habetur aliud genus discursus qui dicitur opinatiuus, & vno nomine opinio: sub qua debet etiam includi fides humana, qua scilicet quis ob alterius hominis testimonium credit quod sibi manifestatur & dicitur. Syllogismus proprius huius discursus appellatur dialecticus. Nomen enim Dialecticæ vno modo amplè sumitur, vt commune toti Logicæ. Alio modo pressè sumitur, vt proprium & peculiare illi parti Logicæ, in qua de hoc discursu & syllogismo differitur. De quo agit postea Aristot. in sequentibus libris Topicis.

Post hæc, ad exactam discursus directionem, considerantur in discursu & syllogismo variæ fallaciæ quæ contingere possunt: & huiusmodi syllogismus fallax, appellatur sophisticus & apparens. Vt ergo per industriam Logicæ, intellectus pleniùs instruatur, nè in has fallacias incidat: ideò illi clariùs deteguntur. Et ad hunc finem de vitioso & sophistico syllogismo differitur. De qua re agit Aristoteles in vltimis Logicæ libris, qui Elenchorum inscribuntur.

De his omnibus iam est à nobis eodem ordine distinctè tractandum. Et primò ac principaliter de scientia & demonstratione.

QVÆSTIO VIGESIMASEXTA.

De Discursu scientifico:

Et priùs de Scientia in communi.

AVerroes in Prologo Poster. & in princip. lib. 2. Balduinus ibidem, Vallius init. Poster. quæst. 1. cap. 7. & quidam alij censent, adæquatum obiectum librorum Poster. esse modum sciendi, demonstrationi & definitioni communem: quando Aristot. non solùm de Demonstratione, sed in magna parte secundi libri etiam de Definitione pertractat. Alij communiter solùm demonstrationem constituunt huius partis Logicæ adæquatum obiectum: dicentes, Aristot. tractasse simul de definitione, non tanquam de quodam distincto instrumento sciendi, sed in ordine ad demonstrationem, quatenus est medium in demonstratione perfecta, aut quatenus per demonstrationem potest inueniri & ostendi. Ita Sanctus Thomas, Philoponus, Suessanus, Eustratius, Caietanus, Aegidius, & ferè alij, initio primi & secundi Poster.

At mul-

Obiectum huius partis Logicæ est scientia, ad quam refertur demonstratio.

At multò meliùs, insistendo obiecto totali Logicæ ab initio designato, dicendum est, obiectum proprium huius partis esse discursum scientificum, & vno nomine scientiam. Nam cùm obiectum totius Logicæ assignatum sit cognitio intellectiua: omnino obiectum huius partis debet talis species cognitionis, nempè scientia, assignari. Et distinguendo demonstrationem à scientia, tanquam instrumentum ab operatione dirigenda: in hac parte Logicæ non solùm agitur de demonstratione, sed per se & specialiter etiam de Scientia. Sic Aristoteles ipse de Scientia tractat. Et alij hoc loco, etiam si alioqui in aliis Logicæ partibus, non de cognitione in communi, non de singulis operationibus in speciali tractauerint: tamen hìc de Scientia ex professo solent agere. Hoc supposito, non vtique scientia ad demonstrationem, sed demonstratio ad scientiam reducitur. Sic Aristoteles planè propter scientiam artem demonstratiuam edocet, vt ipse satis apertè declarat libro primo cap. 2. & in toto progressu huius operis. Directè ergo obiectum huius partis debet scientia assignari, & per ordinem ad scientiam demonstratio.

Et propter demõstrationẽ Arist. agit de definitione.

Multoquè minus definitio debet æquè principaliter cum demonstratione intra obiectum huius partis includi. Nam definitio non est per se distinctum instrumentum directiuum scientiæ propriè sumptæ, præter demonstrationem. Demonstratio enim est medium adæquatum omnis scientiæ. Sed solùm prout in demonstratione inclusa, potest ad scientiam deseruire. Si autem consideretur definitio quatenus iuuans ad dirigendam aliam cognitionem præter scientiam: sic non ad hanc Logicæ partem pertinet: sed nos iam de illa suo opportuno loco tractauimus.

Aristoteles verò non per se & principaliter; sed tantùm per ordinem ad demonstrationem, in hac parte definitionem inserit. Et patet: quia 1. Prior. capite 1. determinat, se tractaturum de demonstratione & scientia demonstratiua, nullam faciens definitionis mentionem. Et postea 2. Poster. textu 26. in quo ipso libro de definitione tractauerat, concludit, manifestam esse doctrinam de demonstratione & scientia demonstratiua traditam. Atque in ipso definitionis tractatu, ita illam cum demonstratione permiscet, vt satis ostendat, non propter se, sed propter demonstrationem considerari definitionem.

Priùs agẽdũ est de scientia, quàm de demõstratione.

Priùs autem agendum putamus de ipsa scientia quàm de demonstratione. Tum quia Aristoteles ipse priùs scientiam definit & declarat, postea demonstrationem prosequitur. Tum quia in intentione & consideratione prior est finis mediis. Tum quia antea proponi debet operatio dirigenda, eiusquè rectitudo cognoscenda est: & consequenter instrumentum directiuum ordinandum est. Tum quia ex ratione ipsa scientiæ, demonstrationis conditiones colligendæ sunt: & sic facit ipse Aristot. Tum demum quia scientia principaliter & primariò, demonstratio propter scientiam consideranda est.

Hæc est pars principalis Logicæ.

Cæterùm hæc pars Logicæ quæ de scientia & demonstratione pertractat, est inter omnes partes præcipua. Et hoc obiectum est inter omnes partes obiecti totalis partiale principale, vt ab initio prædiximus. Et hæc pars est, in qua maximè Logica dirigit cæteras scientias: edocens conditiones earum, & conditiones obiecti scibilis, disponens etiam atque distinguens varias rerum scientias. Quamuis autem assensus intellectus circa prima principia sit præstantior discursu & assensu scientifico circa conclusiones demonstratas; vt habetur ex Aristotele primo Poster. capite secundo, & secundo Poster. capite vltimo, & magis postea ostendemus: tamen adhuc scientia rectè dicitur obiectum principale: quia cum Logica habeat pro obiecto cognitionem quatenus dirigibilem: scientia est, in qua principaliter logicalis directio exercetur: cùm assensus primorum principiorum secundùm se tali directione non egeat.

SECTIO PRIMA.

An detur in intellectu nostro Scientia.

Celebris olim de hac re quæstio fuit. Et quidã antiqui Philosophi, ij præcipuè qui dicti sunt Accademici, scientiã intellectui nostro negabant: dicentes, non posse nos certam & euidentem vllius rei notitiam assequi. Sed ad summum habere opinionem aliquam & incertam existimationem de rebus. Ita referunt Cicero de Accademicis qq. Diuus Augustinus contra Accademicos, Laertius libro 9. & alij. Aliqui verò addiderunt, non debere sapientem quicquam opinari, nè exponeret se errandi periculo. Ita refert de Lucullo Cicero libro 4. Accad. qq. & de Zenone D. August. lib. 2. contra Accad. cap. 5. Atque hoc vtrunque approbat Lactan. libro 3. Diuin. Instit. cap. 3. & 4. Vnde hi omnium ferè cognitionis vsum, saltem omne philosophandi studiũ, intellectui humano, vel abstulisse, vel prohibuisse videntur. Ex opposito alij docuerunt, omnium rerum dari scientiam ac demonstrationem. Ita refert Arist. 1. Poster. cap. 3.

Non omnium rerum datur scientia.

Dico primò. Non datur in intellectu nostro omnium rerum scientia. Est res certa & perspicua, Primò, id Aristoteles docet & probat: quoniam scientia est cognitio discursiua, quæ ex principijs prius notis deducit conclusionem. Oportet ergo deuenire ad priora aliqua principia, quæ sint per se nota, & indemonstrabilia per alia priora: alioqui procedendum esset in infinitum. Vnde potius sequeretur nullius rei dari scientiam; quia non datur perfecta scientia rei, nisi resoluatur vsque ad prima principia. Nec dici potest, eadem principia scientifica mutuò demõstrari per suas conclusiones. Dari enim non potest circulus & regressus in demonstratione. Hæc ratio Arist. probat, concedendam esse cognitionem quandam certam & euidentem priorem scientia, quæ non sit formaliter scientia, sed sciendi principium.

Secundò præcipuè probatur, non habere nos omnium rerum notitiam certam & euidentem. In primis enim innumera sunt, quæ penitus ignoramus; & antequam quispiam rerum notitiam compararet, vtique non habebat rerum scientiam nec notitiam. Deinde, multa sunt de quibus cogitamus quidem, tamen dubitamus an sint, & quomodo sint. Plurima verò de quibus opinionem tantùm & probabilem existimationem habemus absque omnimoda certitudine, sed potius cum formidine de parte opposita; vt cuique notissimum est, vtpotè propria experientia exploratum. Demum de contingentibus & corruptibilibus, de omnibus propositionibus rerum creatarum existentiam concernentibus, possumus habere, & in multis habemus, certã firmamquè notitiam: tamen non est adhuc scientia in rigore dicta, quæ est necessaria & immutabilis, vt postea ostendemus.

Tertiò hinc patet, in quibusdam rebus ex defectu nostri intellectus peculiariter prouenire, vt non assequamur perfectam scientiam: quia scilicet res ipsæ in se scibiles sunt, habent veritatem necessariam, & non deest in rebus medium quibus sciri possint: tamen nos non assequimur talia media, & ipsarum rerum scientiam. In alijs autem rebus, prouenire peculiariter ex defectu rerum: in rebus scilicet contingentibus & mutabilibus. In quibusdam demum, prouenire ex perfectione earum: in primis scilicet principijs, quæ cùm per se nota sint, demonstratione non indigent.

Multarũ rerum datur scientia.

Dico secundò. Datur in intellectu nostro multarum rerum scientia. Hæc est Aristot. Cicer. D. August. locis citatis. Et est ac semper fuit certa & nota apud omnes rectè philosophantes. Et primò, clarissimum est, habere nos multarum rerum certam & indubitatam notitiam, absque vlla formidine de parte opposita. Sic scimus, mundum cælos elementa existere, & alia quæ videmus ac sensibus percipimus. Quisque certissimè scit, se existere, se esse hominem, se facere, se fecisse tales vel tales actiones. Quisque etiam certissimè & perspicuè nouit quædam notissima principia, de quibus etiam si velit, dubitare non potest: vt omne totum est maius sua parte, quodlibet est vel non est, & alia plurima. Interdum

terdum autem nomine scientię intelligitur omnis notitia certa & euidens, & hoc sufficit ad redarguendum illos, qui nullius rei certam notitiam admittebant.

Secundò, Non malè contra eosdem argui solet. Qui dicit nullius rei dari scientiam; aut ipse id scit, aut nescit. Si nescit; quomodo asserit? si scit; ergo dum negat scientiam, eam planè adstruit. Hoc argumentum adeò valuit apud illos antiquos; vt propterea Chius Metrod. initio lib. de Natura, vt refert Cicero libro 4. Accadem. qq. dixerit; *Nego scire nos, sciamus nè aliquid, an nihil sciamus; nè id ipsum quidem scire aut nescire, scire nos, nec omnino sit ne aliquid, an nihil sit*. Socrates verò, eodem Cicerone teste, dicebat nihil se scire posse. Excipiebat vnū tantùm se scire, scilicet nihil scire. Sed non est cur in huiusmodi ineptijs refellendis immoremur.

Tertiò probatur dari in nobis scientiam, cum omnibus alijs conditionibus ad rigorosam scientiam requisitis. Habemus certam noticiam de plurimis veritatibus necessarijs & immutabilibus; habemus per discursum & illacionē ex primis principijs, ita vt sine omni dubitatione & formidine per viam demonstrationis assequamur certam & euidentem multarum conclusionum notitiam. At hęc est scientia in toto rigore dicta. Ad quam etiam naturali instinctu humanum ingenium inclinatur; omnes homines naturaliter scire desiderant. Et ad quam assequendam dignum est in tot varijs facultatibus diligenti conatu & studio eniti atque incumbere.

Non obstant certitudini scientiæ, errores sensuum.

In cōtrarium obijciebant antiqui. Primò, omnis nostra intellectiua cognitio originem trahit à sensu & cognitione sensitiua; causaturque sensuum experimēto; vt docet ipse Aristoteles initio Met., 2. Post. cap. vltimo, & 1. Post. tex. 134. vbi addidit, deficiente sensu, necessario etiam scientiam aliquam deficere; quia etiam si scientia sit de vniuersalibus quæ non percipiuntur sensu; tamen vniuersalia colliguntur per inductionem à singularibus circa quę primò est sensus. At sensus sæpe falluntur. Videmus remum fractum in aqua, colores apparentes vbi non sunt, magna videmus vt parua, dulcia aliquando videntur amara, & omne experimentum est fallax: ergo consequēter dubitare possumus ac debemus, an etiam intellectus decipiatur in ijs quæ alioqui certa videntur: quia fortassis ex ipsis sensibus hausit errorem.

Respondetur primò ex Aristotele 4. Metaphys. tex. 24. Sensum circa propriū obiectum, positis debitis circunstantijs, & remotis impedimentis, non falli. Quod etiam docuit 1. de Ani. 63., 152., & 161. Et habetur apud Ciceronem loc. cit. *Maxima est in sensibus veritas, si sani sunt & valentes, & omnia remouentur quæ obstant & impediunt*. Hinc meritò non dubitamus, quin res ita se habeat, vt à sensu benè disposito cum debitis circunstantiis percipitur, Solem esse lucidum, nunc esse diem, & similia. Secundò deinde verum est, interdum ob defectum alicuius circunstantiæ, vel indispositionem organi sensitiui, sensum falli: vt ob nimiam distantiam res apparet minor, ob crassitudinem medij apparet remus inflexus in aqua, ob reflexionem lucis apparent colores, ob prauam dispositionem organi dulcia sentiuntur amara. Sed non propterea dubitandū est de omnibus quæ sensu percipimus. *Admiratione enim dignum est*, ait Arist. 4. Metaph. 24. *si hoc dubitant, vtrum tanta sint magnitudines, talesquè colores, quales eminus, an quales cominus apparent, & vtrum qualia sanis, an qualia ægris*. Quinimo valet intellectus suo discursu aliorumque sensuum ope, corrigere errorem alterius sensus. Vt tangentes remum in aqua, aut extrahentes & conspicientes, aliouè medio discurrentes, certò scimus remum esse rectum & non fractum vel inflexum. Itaque non semper ex errore sensus, decipitur etiam intellectus. Tertiò demum, circa veritates necessarias & essentiales non spectantes ad rerum existentiam, de quibus veritatibus propriè datur sciētia, & ad quarum assensum intellectus ex innato lumine inclinatur, non decipitur intellectus errore sensuum. Non enim fieri potest, vt intellectus affirmet idem simul esse & non esse, vt neget totum esse maius sua parte, & similia. quia ex sensibus accipit quidem rerum species & simplicem apprehensionem; tamen non ex iudicio sensuum, sed ex innato

lumine

lumine præbet assensum talibus veritatibus, & consequenter conclusionibus quæ ex ijs inferuntur.

Nec obstant variæ & falsæ opiniones hominum.

Obijcies secundò. Nihil penè est tam certum & euidens, quod non ab aliquo fuerit in dubium reuocatum, aut etiam expressè negatum. Quidam enim apud Aristot. 4. Metaph. tex. 9. dicebant, idē simul esse & non esse: & tamen idem Aristot. tex. 8. testatur, omnium certissimum principium esse, non posse idem simul esse & non esse. Anaxagoras etiam apud Ciceronem libr. 4 cit. Accad. qq. dicebat, niuem esse nigram: de quo meritò dixit Lactant. lib. 5. Diuin. Institut. cap. 3. *Cui niues atramentum fuerunt*, & tamen id apertissimè est contra iudicium sensuum. Alia etiam passim dicta inueniūtur contra ea quæ nobis certissima apparent. Signum ergo est, omnia esse dubia & incerta.

Respondetur. Non propter inscitiam potius stultitiam aliquorum, debere nos induci ad dubitandum de iis quæ euidenter nobis constant, & certò comperimus vera esse. Imo Aristot. 4. Met. textu 18. arbitratur, eos Philosophos, qui dicebant idē simul esse & non esse, non quidē id mente putasse, sed tantùm ore pronunciasse. Quod sic demonstrat: quia aliquis eorum ambulans, vtique non pergebat ad puteum aut præcipitium, sed illud videns, declinabat ne caderet: vnde non similiter putabat, bonum & non bonum cadere: sed optimè cognoscebat & determinatè, bonum esse non cadere.

Nec obstat mutatio & successio rerum.

Obiicies tertiò. Res creatæ sunt in continua mutatione: at scientia esse debet de rebus perpetuis & immutabilibus, alioqui non est firma & stabilis, sed erit etiam variabilis & incerta: ergo non datur certa veritas nec scientia. Imo propter hoc argumentum Plato posuit ideas illas separatas æternas & immutabiles, de quibus defendebat dari certam firmamque scientiam. At illas ideas Aristot. prorsus abstulit. Nec certè de illis idæis est nostra scientia, quam nos putamus de rebus habere. Ergo nulla superest scientia.

Respondetur cum Aristot. 4. Met. tex. 22. & 23. Etiam si res essent in continua mutatione, saltem in aliquo momento extare, atque id posset sciri. Item, saltem hoc ipsum posset sciri, res semper mutari. Deinde, non omnes res sunt ita mutabiles, vt patet. Vnde optimè Aristot. tex. 23. *Dignum est, reprehendere eos qui ita arbitrantur: quoniam cùm & ipsorum sensibilium pauciora sic esse viderent, de toto tamen cælo similiter senserunt. Hic enim qui circa nos est solùm sensibilium locus, in corruptione & generatione est, qui nulla, vt ita dicam, vniuersi pars est. Vnde iustius fuisset, propter illa ista etiam absoluisse, quā propter ista illa condemnasse.* Demum, res creatæ sunt mutabiles secundùm existentiam & secundùm prædicata accidentalia: at nulla res est mutabilis secundùm essentiam & prædicata essentialia: idest omnes veritates essentiales sunt necessariæ & immutabiles. Et de his propriè datur scientia.

SECTIO SECVNDA.
Vtrum Scientia in nobis acquiratur de nouo.

Platonis sententia.

Commemorat hoc loco Aristoteles 1. Poster. cap. 1. sententiam Platonis, qui in Menone, Phædro, Phædone, & lib. 12. de Repub. docuit, nullius rei scientiam à nobis acquiri de nouo, quasi nunquam antea præhabitam; sed potius omnem nostram scientiam esse reminiscentiam rerum antea cognitarum. Putauit enim, animas rationales omnes fuisse à Deo antea conditas, priusquam infunderentur corporibus: & in illo statu habuisse perfectam scientiam rerum omnium. Postea è cælo demissas in corpus, non tanquam in naturale domicilium, sed tanquam in carcerem vel sepulchrum: ipsiusque corporis contagione fuisse oblitas omnium quæ antea nouerant. Sed tandem consequenti industria & sensuum ope, omnium reminisci. Ita scientiam non acquiri de nouo, sed esse quandam reminiscentiam. Rursus aliqui opinati sunt, simul atque animæ creatæ sunt & corporibus infusæ, accepisse à Deo habitus scientificos, ex quibus postea actus depromunt.

Scientia acquiritur in nobis de nouo.

Dicendum tamen est cùm Aristot. & aliis tum Philosophis tum Theologis, rerum scientiam acquiri in nobis de nouo. Estque res certa. Et primò quidem non fuisse

fuisse animas hominum ab initio conditas antequam corporibus infundantur, vt in illo statu potuerint habere scientiam; sed tunc singulas creari, cum suis corporibus vniuntur; est de fide, definitum in Concilio Lateran. sub Leone Decimo Sess. 8. Et multis etiam rationibus probatur à Sancto Thoma 2. contra Gent. cap. 83. vbi oppositum errorem tribuit Origeni, & pluribus Hæreticis, præcipuè Manichæis. Potissima autem ratio est: quia anima rationalis est vera forma, constituens simul cum materia hominem: forma autem non debet vtique per se creari separata: sed solùm dum vnitur materiæ. Quia verò anima rationalis est immortalis, ideò permanet adhuc post separationem à corpore: sed nulla ratione debebat etiam antea separata creari & conseruari.

Secundò vlterius certum est, animam rationalem infundi corpori, non vt in carcerem & sepulchrum, quasi in pœnā: sed quia naturaliter ita exigit, quoniam ex sua essentia est forma, & pars ordinata ad hoc, vt per vnionem cum alia comparte constituat totum compositum per se vnum: ergo dici non potest animam per vnionem ad corpus amisisse scientias si quas antea habuisset, oblitamque fuisse rerum quas antea nouerat. Vt enim arguit optimè S. Thom. prima parte quæst. 84. art. 3. non potest naturalis perfectio & operatio rei impediri per id quod est maximè naturale ipsi rei.

Tertiò. Animam non habuisse scientiam antequam illam acquireret, non habuisse habitus scientificos, nec species intelligibiles rerum, probat idem S. Thō. loco proximè citato, & 1. 2. quæst. 51. art. 1. & alibi, Docet etiam Aristot. 3. de Anima tex. 13. ex quo loco sumptum est vulgatum illum axioma, Intellectum ex natura sua esse veluti tabulam, in qua nihil est scriptum aut depictum. Et patet ratione: quia idcirco homo indiget sensuum ministerio, vt hoc modo acquirat species intelligibiles rerum: non ergo habuit illas antea à natura congenitas. Ideò etiam indiget actuum frequentia, vt habitus in se gignat quibus acquirat maiorem promptitudinem & facilitatem ad actus: non ergo antea habebat habitus scientificos, sumendo habitus pro qualitatibus à potentia intellectiua distinctis. Sed à natura habuit facultatem tantùm & virtutem, qua sua industria & diligentia rerum sibi notitiam & scientiam compararet.

Quartò. In vniuersum nostram scientiam non esse reminiscentiam rerū, quasi res antea cognitæ fuerint, probatur ex Aristot. 1. Metaph. tex. 49. Si vnusquisq. antea habuisset notitiam rerum quas postea denuò edisceret, saltem aliquando recordaretur se antea eādem rem cognouisse: sicut compertum est, nos quando per reminiscētiā repetimus ea quæ priùs noueramus, solere etiam recordari de illa priori notitia. At experientia constat, quandocunque quis incipit alicui scientiæ operam dare, non inuenire res sibi antea notas; sed potius inuenire sibi prorsus nouas & hactenus ignotas. Non ergo nostra scientia est reminiscentia: nisi quando post rerum notitiam primò acquisitam, iterum de rebus scitis & cognitis recogitamus. *Nostra scientia non est reminiscentia.*

In contrarium, Primum fundamentum Platon. erat: quoniā vocatus aliquis adolescens, qui alicui scientiæ operam nunquam dederit, si ordinatè interrogetur de rebus eius scientiæ, aptè & rectè ad omnia respondebit: igitur habuerat aliquando eandem scientiam, & postea illis interrogationibus memoriam excitantibus, reminiscitur. *Primum Platonis fundamētum soluitur.*

Respondetur. Certè si homo ignarus interrogetur de difficilibus alicuius sciētiæ quæsitis, vel nihil aptè respondebit, vel casu aliquid rectè. Si autem de rebus facilibus & de se statim perspicuis interrogetur; ex vi luminis naturalis inducetur ad rectè respondendum, etiam de rebus nunquam antea cogitatis. Multùm etiam conferet perspicacitas ingenii in eo qui respondet, & clara explicatio interrogationis; vt ad plura & rectiùs is qui interrogatur valeat respondere. Et alioqui si ex vi notitiæ antea præhabitæ is benè responderet, statim ei veniret in mentem, se antea rem sciuisse: & tunc ita responderet, sicut antea se scisse reminisceretur. Vnde rectè Arnobius lib. 2. aduersus Gent. ***Quid in Menone à Plato quædā rationibus numeri admota ex puerculo sciscit aris, & ex eius niteris responsionibus comprobare, quæ discamus: nō discere, sed in***

sed in eorum memoriam quæ antiquitus noueramus veniret? Qui si tibi verè respondet, non rerum scientia, sed intelligentia ducitur.

Secũdum fundamẽtum solui tur.

Secundum fundamẽtum Platonis erat, Cum quis inquirit aliquam veritatem de aliqua re: aut hanc rem priùs nouerat: aut non. Si primum; habetur intentum. Si secundum; ergo inuestigare non potest. Nemo enim inquirit veritatem rei de qua nunquam cogitauit. Igitur habuimus aliquando rerum noticiam, quam postea noua inquisitione denuò reuocare conamur.

Respondetur. Afferendo prius instantiam. Ad hoc vt nunc actu inquiramus de re aliqua, oportet vt nunc actu eam in mente cogitemus. At Plato tantùm ponebat scientias quæ tantò ante præcesserant. Nihil ergo iuuant illæ scientiæ. Sed sistẽdum est in noua scientia & cogitatione quam de rebus acquirimus. Et ad argumen. dicendum: eum qui veritatem inquirit, habere in mente saltem apprehensionem rei, vel etiam habere aliquam probabilem existimationem, aut dubitationem;& ex hoc inquirere, vt totã notitiam & perfectam scientiam assequatur.

SECTIO TERTIA.

Quid sit Scientia.

IN scientiæ ratione explicanda, & tradendis conditionibus ad eam requisitis, dissensio inter Auctores orta est ex varia vsurpatione nominis scientiæ: dum alij latiùs, alij pressiùs, nomen scientiæ sumunt. Sed curandum præcipuè est, illam acceptionem scientiæ inuenire, illasque conditiones, quæ sunt de mente Aristotelis hoc loco. Et ante omnia supponimus, scientiam hic non sumi acceptione vulgari, quã omnis cognitio intellectualis maximè iudicatiua solet nuncupari scientia, sed pro perfectiori quadam cognitionis specie, vt iam antea distinguebamus scientiam ab opinione.

Scientia definitur.

Scientia ergo definitur ex Aristotele 1. Poster. tex. 5. Est cognitio intellectiua rei per causam per quam res est, ita vt non possit aliter se habere. Dicitur primò, cognitio intellectiua. Et hoc est genus scientiæ, in quo conuenit cum omni alia cognitione intellectus, & per quod differt, non solùm ab omnibus alijs rebus, sed etiam ab omni cognitione sensitiua.

Scientia est cognitio discursiua.

Dicitur secundò, per causam: quæ particula contrahit genus cognitionis intellectiuæ ad genus magis propinquum, nempè ad cognitionem discursiuam. Quia per hanc particulã denotatur, scientiam esse cognitionem rei per aliquod medium, ita vt ex notitia talis medij intellectus desumat notitiam rei, ex notitia antecedentis notitiã cõsequentis. Sot. tamen 1. Post. c. 3. q. 2. ad 4. principale, Bassolis in Prolog. Sent. quæst. 5. art. 3. & quidam alii docent, non esse de essentiali ratione scientiæ vt sit discursiua, sed satis esse si vno simplici intuitu cognoscatur res & causa rei. Et causã quæ ponitur in definitione scientiæ dicunt non esse causam cognoscendi, sed tantùm esse causam essendi. Quoniã Deus habet perfectissimam scientiam, & Angeli habent scientiam multò perfectiorem, quàm homines; & tamen Deus & Angeli non discurrunt.

Dicendum tamen est, posse quidem vno modo accipi scientiam pro cognitione perfecta, etiam si discursiua non sit; hoc tamen modo non sumi tantùm pro cognitione rei cum causa essendi, sed absolutè pro cognitione rei: alio autem modo de mente Aristotelis hic debere sumi scientiam pro cognitione discursiua, & hæc est de qua nos agimus. Explicatur & probatur hoc totum: quia satis exploratum est, Deo & Angelis tribui scientiam, vtique sumendo scientiam pro cognitione perfecta, licèt non discursiua. Sic autem dicitur scientia, non tantùm quatenus cognoscitur causa rei; sed quatenus absolutè cognoscitur ipsa res, etiam si non habeat causam. Sic dicitur scientia Dei de se ipso: dicitur etiam scientia de primis principijs quæ non habent aliam causam suæ veritatis.

At verò Aristoteles hic sumit sciẽtiam pro notitia quæ demonstratione gignitur, vt est notissimum, & statim post explicatam & probatam rationem scientiæ; docet cognitionem scientificam haberi per demonstrationem. Et manifestè suppo-

supponit, causam positam in definitione scientiæ esse causam cognoscẽdi. Hæc etiã scientia est quæ conuenit intellectui humano, & distinguitur ab illa notitia quæ haberi potest sine discursu; sed ipsa scientia est species notitiæ discursiuæ. Et de hac modò sub genere tertiæ operationis agimus.

Scientia in communi debet esse per causam cognoscendi.

Dicitur tertiò in definitione, per causam per quam res est. Vbi notandum est, dupliciter posse medium esse causam conclusionis: vel tantùm in cognoscendo, quia est causa intellectui vt assensum præbeat conclusioni: vel in cognoscendo & essendo simul, quia est causa vt res sit, & vt cognoscatur. Primo modo potest esse medium sciẽdi, etiam illud quod realiter est effectus rei: vt lux dici est effectus præsentiæ Solis, & potest esse causa cognoscendi præsentiam Solis. Secundò modo idem est simul medium cognoscendi & causa essendi: vt hominem esse rationalem, est causa vt homo sit & cognoscatur esse risibilis. Aristoteles ergo, dum ait per quam res est, accipit causam secundo modo, quæ sit causa tùm in cognoscendo tum etiam in essendo.

Propter quod distinguere oportet duplicem scientiam: vnam magis perfectam, quæ procedit per causam essendi; alterã minùs perfectam, quæ procedit per causam tantùm cognoscendi & non essendi: sic etiam distinguitur duplex demonstratio, vt postea videbimus. In præsenti ergo definitione, Aristoteles definire voluit specialiter scientiam magis perfectam: sed passim postea in progressu operis, assignat etiam scientiam quæ est per causam cognoscendi & non essendi. Vt ergò definiatur adæquatè scientia vtrique communis: non est apponenda illa particula, per quam res est: sed sat est dicere, scientia est cognitio rei per causam.

Scientia est vera & immutabilis.

Dicitur quartò, ita vt non possit aliter se habere. Hæc particula referenda est, tam ad rem quæ cognoscitur, quàm ad cognitionem ipsam. Ad rem quidem vt sensus sit, rem non posse aliter se habere, quam sicut cognoscitur. Ad cognitionem quoque, vt intellectus cognoscat atque perspiciat rem non posse aliter se habere. Itaque ex hac particula habetur veritas & necessitas & certitudo scientiæ. Veritas & necessitas, quia vtique non est scientia, nisi vera: cognitio enim falsa non est scientia, sed est error. Et non est scientia, nisi necessaria de re quæ non potest aliter se habere.

Est prorsus certa.

Explicatur pariter certitudo scientiæ. Nam dupliciter potest intellectus alicui rei assentiri: vel ita firmiter adhærendo, vt certò putet ita esse & non aliter: vel cum formidine aliqua de parte opposita, quia putat rem posse aliter se habere. Scientia ergo debet esse assensus certus & firmus; ita vt intellectus ita perspiciat rem taliter se habere, quòd nullam formidinem admittat de parte apposita. Duplex autem certitudo distingui solet. Vna dicitur extrinseca & ex parte subiecti: alia dicitur intrinseca & ex parte obiecti. Extrinseca est, quæ non prouenit ex necessitate & infallibilitate obiecti cogniti, quod ita se habeat sicut cognoscitur, & non possit aliter se habere: sed prouenit potius ex affectu & volũtate sic putare volentis, vel ex aliquo inepto syllogizandi modo, vel ex aliqua falsa præmissa, cui intellectus præbebat assensum. Atque adeò hæc certitudo extrinseca potest etiam in cognitione falsa reperiri, & reperitur in Infidelibus qui suis erroribus pertinaciter adhærent. Certitudo intrinseca est, quæ nascitur ex ipsa firmitate, stabilitate, infallibilitate, & necessitate obiecti cogniti, quod non potest aliter se habere. Cognitio hoc modo certa, semper est vera, & non potest esse falsa. Scientia ergo est hoc modo certa. Et hoc significatur, dum in definitione dicitur, ita vt non possit aliter se habere.

Rursus aliter solet triplex certitudo distingui. Prima est moralis, qua dici solet certum esse moraliter illud quod à viro magnæ auctoritatis, vel quod à plurimis testibus fide dignis asseritur. Sic certum nobis est, extare Constantinopolim in orbe terrarum, Alexandrum in Græcia imperasse: & similia dicimus esse certa, de quibus nullatenus dubitamus. Secunda est certitudo physica, quæ est de re naturaliter quidem necessaria, tamen per causam aliquam, saltem per Dei potentiam absolutam, mutabili. Sic dicimus, certum esse, cras Solem esse exoriturum, lapidem si deiiciatur descensurum, & similia. Tertia est certitudo quæ dicitur metaphysica aut mathematica, quæ est de

ré

re prorsus necessaria & immutabili: & hæc certitudo habetur de veritatibus essentialibus rerum. Dum ergo dicitur in definitione scientiæ, ita vt non possit aliter se habere; intelligitur, ita vt nullo modo, nec etiam per Dei potentiam absolutam possit aliter se habere. Atque certitudo tertio modo dicta, est de ratione & quidditate scientiæ.

An sit euidens. Deinde difficultas remanet, an ex vi definitionis traditæ, etiam euidentia sit de ratione scientiæ. Pro qua re explicare oportet, quænam sit cognitio euidens & clara, quæ verò ineuidens & obscura. Sanctus Thomas 2. 2. quæstione 1. art. 4. & quæst. 14. de Verit. art. 9. aliiquè communiter, sic rectè explicant. Illud dicitur obiectum euidens, quod propositum intellectui, se ipso mouet intellectum ad assensum, & intellectus suo innato lumine inclinatur ad præbendum assensum. Sic euidens est, idem simul non posse esse & non esse. Statim enim apprehensa hac propositione, obiecto ipso trahente, & intellectu obsequente, assentimur. Omniaquè huiusmodi principia dicuntur per se nota. Item dicitur euidens conclusio quæ ex talibus principijs infertur. Nam similiter statim per viam illationis intellectus præbet assensum conclusioni. Tale autem obiectum dicitur euidens & notum per aliud, non per se. Additur à Caietano eodem loco secunda secundæ alijsquè cõmuniter tertius modus euidétiæ, ab experientia & ex cognitione sensitiua: cum nempè oculis cernimus, aliouè sensu percipimus aliquod obiectum, & intellectus iudicat idem quod sensu deprehenditur. His omnibus modis dicitur euidentia, quasi clara videntia obiecti: illa enim videri dicuntur, vt ait Diuus Thomas loco citato 2. 2. quæ per se ipsa mouent intellectum nostrum aut sensum ad cognitionem sui: & alio loco citato de Verit. ait, quibus non propter alienum testimonium, sed propter testimonium proprij intellectus assentimur.

E contra obiectum ineuidens dicitur illud, quod per se propositum intellectui, non statim se ipso, aut per principia intrinseca quæ naturaliter modo explicato sint intellectui nota; siue per conformitatem naturalem inter lumen rationis & obiectum, mouet intellectum ad assensum: & in quo non statim apparet veritas & vera cõnexio extremorum: sed adhuc intellectus manet indifferens & veluti suspensus, donec accedat extrinsecum aliquod motiuum assentiendi; cuiusmodi est testimonium & auctoritas alicuius asserentis rem ita se habere: & cognitio quam hoc medio intellectus habebit, dicetur ineuidens & obscura, qua intellectus non videndo credit quæ per testimonium extrinsecum sibi manifestantur. Hæc autem ineuidentia potest esse cum summa certitudine & infallibilitate. quo pacto se habet Fides diuina, quæ credit mysteria reuelata per auctoritatem Diuini testimonii: est enim ineuidens & obscura; sed certissima, cûm innitatur testimonio Diuino quod est penitus infallibile.

Ex his patet illud discrimen quod assignari solet inter rem & cognitionem euidentem, atque ineuidentem. Quod rebus euidentibus propositis intellectus ita rapitur ad assensum, vt dissentiri non possit; neque sit necessaria motio voluntatis, vt inclinetur ad assensum. In rebus autem ineuidentibus, vt intellectus credat ob auctoritatem attestantis, indiget libera motione voluntatis, qua inclinetur ad assensum. Et voluntas manet libera etiam quoad specificationem, vt possit facere intellectum dissentiri. Sic actus fidei in nobis est omnino liber, & per liberam motionem voluntatis captiuamus intellectum in obsequium Christi. Atque tám multi sunt qui non credunt, quoniam ex libertate suæ voluntatis nolunt credere.

His suppositis, dubitatur, an euidentia sit de ratione scientiæ, & non sufficiat infallibilis certitudo. Quæ dubitatio specialiter mouetur propter sacrã Theologiam, ad videndum an sit scientia. Consistit enim Theologia in inferendis conclusionibus ex præmissis fide notis, siue ex vna præmissa de fide, & altera naturaliter euidenti. Vnde conclusio theologica per talem syllogismum probata, est quidem certissima, sed non est euidens, cûm non ex ambabus præmissis euidentibus inferatur. Et alij affirmant, alij negant, Theologiam esse scientiam. Sed etiam multi qui affirmant, fatentur adhuc de ratione scientiæ esse euidentiã,

atque

atque etiam ipsi Theologiæ conantur aliquo modo tribuere euidentiam. At verò Masius primo Posterior. capite 26. quæstione tertia, docet euidentiam non esse de ratione scientiæ.

Scientia de mente Arist. debet esse euidens.

Dicendum tamen est, de ratione scientiæ in eo rigore sumptæ quo hîc ab Aristotele assignatur, omnino esse euidentiam: posse autem & debere alio modo sumi scientiam pro cognitione discursiua certa & infallibili abstrahendo ab euidentia; & sic esse admittendam scientiam aliquam ineuidentem. Probatur clarè prima pars ex Aristotele, qui in toto hoc opere passim docet, præmissas ex quibus conficitur demonstratio, & gignitur scientia esse debere per se notas, atque conclusionem debere resolui in principia per se nota: & similia quibus planè supponit, scientiam esse notitiam euidentem conclusionis, genitam ex euidenti notitia præmissarum. Et quidem cùm Aristot. non cognosceret illam infallibilem certitudinem, quam nos habemus in ipsa fide Diuina; non poterat nisi per rerum euidentiam assignare infallibilem certitudinem & necessitatem scientiæ. Potest etiam in ipsa definitione scientiæ hæc conditio euidentiæ inueniri, in illa particula, ita vt non possit aliter se habere: si nimirum hæc particula referatur ad ipsam cognitionem scientificam; & intelligatur, ita vt intellectus non possit aliter cognoscere & iudicare, non possit dissentiri. Hoc enim conuenit cognitioni euidenti, & non conuenit nostræ Theologiæ quæ fundatur in fide Diuina, quæ in nobis libera est. Aristot. tamen illam particulam simpliciter referre videtur ad necessitatem quæ cognoscatur in obiecto, idest vt intellectus cognoscat obiectum non posse aliter se habere. Sed postea in sequentibus declarat, euidentiam in ipsa cognitione esse de ratione scientiæ.

Insuper in hac rigorosa acceptione scientiæ, euidentia debet esse ex parte rationis, & non sufficit illa euidentia experimentalis & ex parte sensus, quam ex Caietano commemorauimus. Nam euidentia sensitiua potest admittere falsitatem: vt patet, quia sensus decipi possunt: & potest Deus conseruare in oculo speciem visiuam obiecti, & auferre ipsum obiectum: tunc oculus eodem modo videbit obiectum, ac si esset reuera existens & præsens, atque adeò dabitur iudicium in intellectu, & notitia per sensum, euidens de tali obiecto: & tamen iudicium erit falsum. Euidentia autem rationis est, quæ non admittit nec compatitur falsitatem: hæc ergo est quæ constituit scientiam necessariam & infallibilem.

Scientia potest latius sumi, abstrahendo ab euidentia.

Deinde altera pars assertionis de alia communiori acceptione scientiæ, patet: quia Theologia, licèt non sit euidens, solet frequenter scientia appellari. Et meritò quia est prorsus certa & infallibilis, atque defectum euidentiæ supplet summa certitudo luminis supernaturalis, & reuelationis Diuinæ in qua fundatur. Idquè proprio loco prima parte quæstione prima fusiùs ostendetur. Potest ergo & debet sumi scientia in hac amplitudine, pro cognitione discursiua certa & infallibili: quæ deinde duplex esse potest, vel per euidentiam naturalem, vel per reuelationem supernaturalem. Cæterùm hoc loco cum Aristotele agendum est de scientia rigorosè dicta, quæ est euidens. Vnde etiam desumi poterunt multa communia ad scientiam in alia acceptione sumptam. Quæ verò sacræ Theologiæ propria sint, in ipsa Theologia tradenda sunt.

Scientia non requirit vt sit propter se ipsam.

Postremò. Aliqui vlterius addiderunt, de ratione essentiali scientiæ esse, vt sit propter se ipsam, siue gratia sui, idest, vt non ordinetur ad operandum: atque adeò scientiã propriè dictam esse speculatiuam, cognitionem verò practicam propriè non esse scientiam. Et ita defendunt Sanc. tom. 1. Log. quæstione 12. Vallius 2. Poster. disput. 4. parte 3. quæstione 4.

Absolutè tamen dicendum est, hanc conditionem non esse de ratione scientiæ. Patet. quia hæc controuersia non potest esse nisi de nomine, qualiter accipiendum sit nomen scientiæ: & præsertim de modo quo ab Aristotele accipitur. Sed à Philosophis communiter scientia assignatur communis speculatiuæ & practicæ. Et Aristoteles in his libris, in quibus tam exactè de scientia & demonstratione pertractat, nusquam talem conditionem assignat, vt scientia debeat

esse

esse gratia sui: sumit ergo scientiam communiter ad speculatiuam & practicam. Sic & in alijs libris solet assignare sciētiam practicam quæ sit propter opus, ita 2. Metaph. cap. 2. & lib. 2. tex. 3. & alibi Diuidit etiam scientiam in speculatiuam & practicam, vt quæstione sequenti videbimus. Neque in quopiam alio loco inuenitur accepisse scientiam in tali significatione, vt esse debeat propter se ipsam, & non nisi speculatiuum complectatur. Quod examinando quædam loca quæ in contrarium videntur obstare, perspicuè ostendetur.

Quædam loca Arist. explicātur.

Primò. Aristot. in his libris docet, scientiam esse debere de obiecto necessario & incorruptibili: at quæ non est propter ipsam, sed ordinatur ad opus, necessariò est de obiecto operabili: quod autem est operabile non est necessarium & incorruptibile: ergo.

Respondetur. Etiam inter obiecta speculabilia quamplura esse corruptibilia, & tamen de iis secūdùm Arist. & omnes datur scientia, vt patet in Physica. Ergo de his omnibus dicendum est: etiam in rebus operabilibus & corruptibilibus inueniri veritates necessarias & immutabiles, spectantes ad rei essentiam, & de his dari scientiam: & huiusmodi esse etiam regulas ipsas practicas quę de modo benè operandi traduntur.

Secundò. Aristot. 2. Metaph. textu 3. docet, scientiam practicam considerare causam non per se: ergò considerat per accidens. Sed scientia propriè dicta per se cognoscit rem per causam.

Respondetur Aristot. ipse clarè ait, nō per se, sed ad aliquid. Itaque non sumit ibi per se, vt opponitur per accidens, sed vt opponitur ad aliud. Et in hoc sensu scientia practica non considerat causam per se, idest propter se, & propter cognoscendum: sed considerat ad aliquid, nempè ad operandum. Quod non est contra rationem scientiæ. Sic etiam idem Arist. 1. Moral. Eudemior. cap. 4. cùm doceat scientiam moralem ordinari ad operandum; simul docet, debere reddere rationes rerum quas docet, & non solùm debere intelligere quid, sed etiam propter quid. Et 1. Metaph. cap. 1. in hoc distinguit artem, quo nomine intelligit etiā scientiam practicam, ab experientia, quòd sciat causam, & propter quid res sit.

Tertiò. Primo Metaph. cap. 2. Arist. videtur requirere ad perfectam scientiam vt sit gratia sui: & de antiquis Philosophis ait: *Quod causa cognoscendi, & nullius vsus gratia, ipsum scire prosequebantur.* Respondetur Arist. planè ibi docet, scientiam esse posse vel gratia sui, vel gratia operis; perfectiorem autem & nobiliorem esse, quæ est gratia sui. Et de hoc antiquos Philosophos commendat.

Discrimē scientia ab arte & prudētia.

Quartò. Difficilius est quod Aristot. 6. Ethic. ab initio distinguit duplicem animæ partem, vnam contemplatiuam, alteram operatiuam. Deinde iñ parte cōtemplatiua constituit tres virtutes intellectuales, scientiam, intellectum, & sapientiam: in parte operatiua duas, artem quam dicit esse factiuam, & prudentiam quam dicit esse actiuam. Docet etiam, artem & prudentiam esse circa ea quæ possumus aliter & aliter operari; & per hoc eas distinguit à scientia. Ergo Aristot. scientiam assignat tantùm quę est speculatiua, & quæ non est circa obiectum aliter & aliter operabile. Cognitionem autem practicam, vocat artem & prudētiam. Et alioqui non apparet, quomodo hæc duplex alia virtus à scientia distinguatur. Nam tàm ars, quàm prudentia, debet esse cognitio certa & infallibilis; cùm sint virtutes intellectuales, & distinguantur ab opinione. Ergo non aliter distinguuntur à scientia, nisi quia scientia est gratia sui, ars & prudentia gratia operis.

Respondetur. Aristot. partem contemplatiuam animę appellat illam quæ considerat res in vniuersali, operatiuam verò quæ considerat res in singulari. Et per hoc distinguit artē & prudentiā à scientia; quia scientia est circa vniuersalia, ars & prudentia circa singularia. Et ita communiter alij Philosophi, ac etiam Theologi distinguunt. Ideò autem Arist. partem animæ quæ considerat vniuersalia vocauit contemplatiuam, quia operationes immediatè sunt circa singularia, & cognitio singularium est immediatè & proximè operatiua: consideratio autem vniuersalium magis mediatè & remotè confert & ordinatur ad operandum, vt habe-

habetur ex ipso Aristotele tertio de Anima tex. 53. & Diuo Thoma ibi lectione 16. Non ergo Aristoteles negauit scientiam practicam, quæ suo modo ordinetur ad opus: neque etiam cum prudentia & arte confundere voluit.

Hic totus sensus apertè colligitur ex ipso Aristotele primo Magn. Moral. capit. 32. vbi eandem distinctionem partium animæ tradit per duplex obiectum, scilicet intelligibile & sensibile. Aitquè intelligibile esse obiectum partis indagatricis seu contemplatricis, sensibile partis consultatricis seu operatricis. Intelligibile sumit pro obiecto vniuersali, sensibile pro singulari: vt patet in textu. Et eodem sexto Ethicorum capite octauo: *Particularium*, inquit, *est prudentia, quæ experientia nobis innotescunt*. Ex quo infert, iuuenes non esse prudentes, quoniam non sunt experti. Et infra: *Prudentiam non esse scientiam perspicuum est: est enim vltimi, sicut diximus: quippè cùm eiusmodi sit id quod in actionem cadit*. Vltimum intelligit singulare. Et capite septimo: *Prudenti opus est, vt singula cognoscat: est enim actiua, & actio circa singularia versatur. Hinc fit, vt nonnulli etiam nescientes nonnullis scientibus actuosiores sint*. Nescientes vocat eos, qui etsi cognoscant singularia, non considerant vniuersalia de quibus est scientia.

Nec obstat, quod ibi ait, prudentiam non tantùm esse vniuersalium, sed opus est &c. & quod dixit primo Metaphysic. capite primo, artem esse de vniuersalibus. Nam primo loco tantùm docere voluit, prudentiam esse in eo qui non tantùm considerat vniuersalia, sed etiam singularia: & vt ait Sanctus Thomas secunda secundæ quæstione 47. articulo tertio, prudens debet cognoscere vniuersalia & singularia: prudentia autem propriè est circa singularia, & solet supponere scientiam vniuersalium. Secundo loco, artem latè sumpsit; imo etiam confundit ibi cum scientia. Atque circa finem capitis, appellat artes mathematicas, eas quæ nullo modo ad operãdum, nec ad necessitatem, nec ad voluptatem referebantur.

SECTIO QVARTA.

De Obiecto Scientiæ.

Ad completam tractationem scientiæ, videndum modò superest, de quo obiecto esse debeat scientia, & quas conditiones requirat obiectum scibile. Vbi supponendum est, obiectum scientiæ, aliud esse complexum & est integra conclusio quæ demonstratur: aliud incomplexum, quod est subiectum eiusdem conclusionis. Et solet appellari, tum subiectum, tum obiectum scientiæ, de quo scilicet est scientia. De hoc obiecto incomplexo præcipuè nunc agendum est: de obiecto autem complexo, & de prædicato conclusionis scientificæ, multa simul dicentur hìc; alia, cùm de demonstratione eiusquè conclusione tractabimus.

Primò ergo, ad obiectum scientiæ requiri solet, vt sit ens reale, ad excludendum entia rationis, & negationes. Videtur hæc conditio inuolui in definitione scientiæ, tradita ab Aristotele, est cognitio rei per causam per quam res est. Res enim & id quod est, propriè denotat ens reale. At Fonseca sexto Metaphysic. capite primo quæstione prima sectione sexta affirmat, non de solis entibus realibus, sed etiam de entibus rationis, & de non entibus quæ sunt negationes, dari scientiam. Quoniam de facto à Philosophis & à Theologis vtiliter de iis omnibus plerunque differitur. *Obiectum scientiæ præcipuè debet esse reale.*

Ex his dicendum est, entia rationis & negationes habere quidem aliquem locum in scientijs: tamen scientiam perfectam, & præsertim scientiam totalem, esse debere de obiecto reali. Prima pars patet. Tum quia sæpè entia rationis & negationes considerantur in scientijs, tanquam prædicata quæ in conclusionibus scientificis demonstrãtur: vt in Metaphysica de ente demonstrantur, vnitas quæ est negatio, veritas & bonitas quæ dicuntur esse relationes rationis. De Deo ipso demonstrantur attributa negatiua, & denominationes rationis in ordine ad creaturas: & alia

huiuſmodi paſſim in ſcientijs occurrunt. Tum etiam de ipſis negationibus & entibus rationis pleraque ſolent in ſcientijs conſiderari, & diſcurſibus euidentibus demonſtrari: vt hic in Logica ſpeciali tractatu conſiderauimus ens rationis: & paſſim in alijs ſcientijs per reductionem ad obiecta realia, ſolent varia entia rationis & negationes conſiderari. Et præſertim, ſumendo adæquatè ſcientiam pro omni cognitione diſcurſiua euidenti, dubitari non poteſt, dari talem cognitionem etiam de entibus rationis & negationibus.

Secunda pars deinde facilè oſtenditur. Tum quia idcircò dixit Ariſtoteles quarto Metaphyſic. in principio, & libro 11. ſumm. 3. capite 1. Metaphyſicam conſiderare ens vt ens eſt, reliquas verò ſciẽtias ſibi abſcindere & conſiderare partes entis: & planè loquutus eſt de ente reali. Tum etiam viſu & ratione. quia de facto nulla ſcientia totalis extat, vel inſtituta eſt, habens pro obiecto ſuo totali ens rationis, vel certum aliquod genus entis rationis, aut negationem: & de Logica ſuo loco ſtatuimus, eius obiectum adæquatum aut primarium, non eſſe ens rationis diſtinctum ab ente reali. Et certè entia rationis ac negationes ad ſummum debent in ſcientijs collocari per reductionem ad entia & obiecta totalia. Igitur ſcientia perfecta & totalis non debet habere pro obiecto ſuo adæquato, ens rationis aut negationem.

Definitio autem tradita ſcientiæ poteſt vtroque modo explicari. Vel ſumendo rem propriè & in rigore: ſic definitio non competit niſi ſcientiæ habenti obiectum reale, quod realiter ſit. Vel ſumendo nomen rei amplè & latè pro omni obiecto cognoſcibili: ſicut ſanè paſſim nominare ſolemus rem & cognitionem, non accipiendo rem in rigore reali, ſed intelligendo quodcunque obiectum cognitionis. Et in hoc ſenſu definitio conuenit cuicunque cognitioni diſcurſiuæ euidenti, etiam circa negationes & entia rationis.

Poteſt eſſe, vel ſubſtantia, vel accidens. Secundò. Videri poteſt, obiectum ſcientiæ debere eſſe ſubſtantiam, & non poſſe eſſe accidens. Nam Ariſtoteles ſexto Metaphyſic. capite ſecundo, apertè dixit, accidentis non eſſe ſcientiam. Et ſeptimo Metaphyſic. textu 18. ait, ſolius ſubſtantiæ eſſe definitionem; ex quo ſequitur, pariter ſolius ſubſtantiæ eſſe demonſtrationem: imo medium in demonſtratione potiſſima eſt definitio obiecti. Addi poteſt ratio: quia accidens debet potius reduci ad ſubſtantiam: ergo non debet de illo dari per ſe ſcientia, præſertim ſcientia aliqua totalis.

Certum tamen eſt, non ſolùm de ſubſtantia, ſed etiam de accidenti, ac de ente communi ſubſtantiæ & accidenti, dari propriè & in omni rigore ſcientiam. Patet. Tum quia nec in definitione ſcientiæ quicquam apparet quo ad ſolam ſubſtantiam reſtringi poſſit. Tum quia optimè poſſunt de accidentibus ſuæ paſſiones euidenter demonſtrari. Tum quia de facto aliquæ ſcientiæ totales ſunt quæ habent pro ſuo obiecto adæquato aliqua genera accidentium: ipſa Logica cognitionem intellectiuam; Mathematica quantitatem, & plures Mathematicæ partes, varias ſpecies quantitatis. Tum demum Metaphyſica conſiderat ens, ſubſtantiæ & accidenti commune.

Ariſtoteles autem ibi ſexto Metaphyſic. non accepit accidens quod opponitur ſubſtantiæ: ſed pro eo quod rarò & fortuitò accidit, vt ex contextu apparet. Et de his euentibus accidentalibus & fortuitis meritò docet non dari ſcientiam. Sed textu ſexto ait, omnem ſcientiam eſſe eius quod aut ſemper aut vt plurimum eſt. Et ferè hoc idem docet hic primo Poſteriorum capite ſexto. Alio loco ſeptimo Metaphyſic. non omnem definitionem accidenti negauit. Imo textu decimonono concludit: *Definitio aut ſolius ſubſtantia eſt, aut maximè primò & ſimpliciter.* Et ſupra explicauerat quomodo accidens quoque definiri poſſet, ſed per additionem, hoc eſt ponendo in definitione ipſam quoque ſubſtantiam, quoniam per ordinem eſſentialem ad ſubſtantiam, per dependentiam à ſubſtantia, accidens conſtituitur.

Ad rationem adiunctam facilè dicitur: quaſdam ſcientias eſſe, quæ ſiſtunt in conſideratione accidentium, nec ad eaſmet pertinet conſiderare ſubſtantiam à qua accidentia dependent: vnde

de non debent considerare accidens per reductionem ad substantiam. Sic non pertinet ad Logicam considerare substantiam hominis, quod potius spectat ad Philosophiam: sed Logica sistit in directione cognitionis. Non pertinet ad Mathematicam considerare substantiam quantam, cùm considerare debeat quantitatem abstrahendo à materia.

Potest esse, vel creatum, vel increatū.

Tertiò. Dixerunt aliqui de solo ente creato, non autem de Deo dari posse scientiam hîc definitam: quia Deus non habet causam per quam sit, nec vllum eius attributum habet causam per quam possit demonstrari, prout requiritur ad rationem huius scientiæ.

Dicendum tamen est, etiam de Deo dari scientiam. Tum quia si non per causam essendi, saltem per causam cognoscendi pleraque de Deo ab effectibus demonstramus, vt notum est. Tum etiam aliquo modo à priori potest dari scientia de Deo. Quia, licèt Deus eiusque attributa nullam habeant causam physicam & realem. Tamen nostro modo concipiendi cum fundamento in re distinguimus in Deo essentiam & plurima attributa: essentia se habet virtualiter tanquam prima ratio ex qua concipiuntur attributa manare: & vnum attributum solet concipi tanquam ratio prior, ex qua proueniat aliud attributum: & sic solent talia attributa de Deo demonstrari. Vt, ex immutabilitate ostenditur æternitas, ex intellectu voluntas: ex eo quod est ens à se, quæ est prima ratio quidditatiua Dei, ostenduntur aliæ perfectiones, quæ concipiuntur veluti consequentes.

Et ad hunc sensum potest accomodari definitio scientiæ, non accipiendo causam in toto rigore: sed accipiendo pro quacunque ratione priori, ex qua concipitur alia ratio conuenire subiecto. Sic etiam in rebus ipsis creatis sæpè non oportet, vt id quod demonstratur sit in toto rigore per causalitatem physicam & realem effectus medij per quod demonstratur: sed etiam per solam distinctionem & causalitatem virtualem potest saluari ratio scientiæ & demonstrationis. Vnde etiam si dicantur passiones non distingui à parte rei ab essentia, adhuc possunt de illis demonstrari. Neque hoc quicquam derogat perfectioni scientiæ. Et eo magis hoc non obstat scientiæ de Deo, quominus sit perfecta scientia: quia id totum prouenit ex summa perfectione Dei. Sicut etiam non obstat singularitas Dei, vt infra dicemus.

Quomodo debeat esse incorruptibile & necessarium.

Quartò præcipuè Aristoteles sæpè docet, obiectum scientiæ debere esse incorruptibile & æternum. Sic primo Posteriorum capite septimo ait: *Non est demonstratio corruptibilium, neque scientia*. Et sexto Ethicorum capite tertio: *Omne id quod scimus, non posse aliter se habere existimamus. Scibile igitur necessariò est æternum: quæ enim necessariò sunt absolutè, omnia sunt æterna: quæ autem sunt æterna, generationi & corruptioni minimè subiacent*. Et in definitione ipsa scientiæ dicitur, ita vt non possit aliter se habere. Idem fuit sensus antiquorum Philosophorum, quorum alij propterea putantes omnia esse corruptibilia, negarunt dari scientiam: alij posuerunt idęas separatas incorruptibiles.

At ex alia parte, etiam de rebus corruptibilibus videtur dari scientia. Nam datur scientia de rebus naturalibus quæ est Physica; & aliæ scientiæ de similibus rebus, quæ corruptibiles sunt. Et patet ratione: quia possunt de ijs rebus sua prædicata certò & euidenter demonstrari, vt experientia ipsa docet. Et alioqui de solo Deo dari posset scientia: quoniam omnes res creatæ sunt absolutè mutabiles. Aliæ quidem naturaliter: Aliæ autem saltem per Dei potentiam absolutam. Posset enim Deus annihilare & cælos & Angelos & omnia creata: & de facto hæc omnia non fuerunt æterna, sed cœperunt esse in tempore, quando creata sunt à Deo.

Ita vt scientia eius obiectum deficere nequeat?

Ad saluandam scientiam rerum naturalium varijs modis conantur Auctores initio Physic. defendere, res naturales esse aliquo modo incorruptibiles. Aliqui, dicunt, esse corruptibiles in particulari, incorruptibiles in vniuersali. Aliqui, esse incorruptibiles per se, corruptibiles per accidens. Aliqui, esse corruptibiles in potentia, non in actu. Aliqui esse corruptibiles negatiuè, non

autem poſitiuè. Aliqui, eſſe incorruptibiles in actu ſignato, corruptibiles in actu exercito. Aliiſuè ſimilibus modis. Quæ omnia intelligenda ſunt eo pacto quo explicauimus quæſtione octaua ſectione quinta, naturas vniuerſales non eſſe generabiles & corruptibiles. Sed hæc omnia non ſunt modò neceſſaria; nec ſatisfaciunt, niſi accipiantur iuxta explicationem ſequentem.

Nam adhuc poteſt inſtari: non ſolùm res ſingulares, ſed in ijs etiam naturas quæ dicuntur vniuerſales deſinere & corrumpi. Si autem dicantur non deſtrui quantùm ad veritatem propoſitionum eſſentialium: idem etiam de ipſis ſingularibus erat pariter affirmandum. Inſuper res naturales dici debent per ſe corruptibiles: quia ex ſua intrinſeca conditione ad interitum vergunt. Ac etiam ſi dicantur corruptibiles per accidens: id ſufficere poteſt ad labefactandam debitam ſcientiæ firmitatem; quia veritas ſcientiæ nec per accidens deficere poteſt. Rurſus ſunt corruptibiles in actu, ideſt paſſim actualiter corrumpuntur. Ac etiam dum dicuntur corruptibiles in potentia: ergo ſequitur, ſcientiam eſſe ſaltem defectibilem: at vera ſcientia nec deficit nec deficere poteſt. Item ſunt corruptibiles poſitiuè, habent enim ex ſua entitate talem potentiam vt corrumpi poſſint: corpora naturalia habent materiam quæ dicitur radix corruptionis. Sed etiam per hoc quòd dicuntur corruptibiles negatiuè, ideſt illis non repugnare corruptionem: ſequitur, etiam ipſi ſcientiæ non repugnare falſitatem, quod eſt prorſus falſum. Demum ſunt corruptibiles in actu ſignato, ideſt etiam ſecluſo actuali exercitio corruptionis, valet dicere poſſunt corrumpi. Ac etiam dum in actu exercito corrumpuntur: ſequeretur, tunc etiam infirmari ſcientiam, & in illo exercitio à veritate deficere.

Et quomodo etiam de rebus corruptibilibus poſſit dari ſcientia. Dicendum ergo eſt, obiectum ſcientiæ debere eſſe incorruptibile, ideſt inuariabile & neceſſarium quantùm ad veritatem propoſitionum eſſentialium, circa quas datur ſcientia: non autem quantùm ad exiſtentiam realem actualem. Siue ſcientiam dari de ijs veritatibus quæ ſunt immutabiles & neceſſariæ; non autem de ijs quæ ſunt mutabiles & contingentes. Eſt res facilis. Nam de rebus creatis quantumuis corruptibilibus, aliquæ ſunt veritates neceſſariæ, & dicuntur propoſitiones æternæ veritatis; quæ veræ ſunt, etiam ſi res ipſæ non actualiter exiſtant, vt eſt notiſſimum; & de his dari poteſt ſcientia. Sic ſcientia eſt neceſſaria & immutabilis. Et iuxta hoc debet intelligi Ariſtot. Aliæ propoſitiones ſunt quæ concernunt actualem exiſtentiam rerum, & mutantur ſicut mutantur ipſæ res. De his poteſt quidem dari notitia certa & clara, quæ etiam poteſt dici ſcientia lato modo. Non appellatur tamen ſcientia in eo rigore, quo ſumitur ſcientia pro notitia prorſus infallibili & immutabili. Itaque de nulla re creata quantum ad eius exiſtentiam dari poteſt ſcientia in hoc rigore dicta: etiam ſi ſint res naturaliter incorruptibiles. Sed de omnibus rebus dari poteſt quantum ad earum eſſentiã: etiam ſi ſint res quæ paſſim generantur & corrumpuntur. Imo de hac ipſa propoſitione, quòd res naturales ſunt corruptibiles, quòd omnes res creatæ ſunt annihilabiles à Deo, poteſt optimè dari ſcientia: quia talis propoſitio non eſt ipſa variabilis, ſed eſt neceſſaria & æternæ veritatis. Et ſicut veritates eſſentiales, ſunt ita neceſſariæ, vt nec per Dei potentiam abſolutam variari queant: pariter ſcientia in hoc rigore ſumpta, eſt ita infallibilis, vt per nullam potentiam poſſit reddi falſa.

Nec obſtat quod Ariſt. 1. Poſt. tex. 181. & 6. Met. tex. 6. dixit, ſcientiam eſſe de ijs quæ ſunt ſemper aut vt plurimũ. Nam ſolùm docere voluit, quando ſemper aut vt plurimum aliquis effectus ſequitur ex aliqua cauſa, poſſe dari ſcientiã de eo quod talis cauſa habeat naturalem virtutem & facultatem ad talẽ effectum, vt illũ in rerum natura ponat niſi impediatur. Quod eſt ſcire virtutem & facultatẽ cauſæ per modum propoſitionis eſſentialis & inuariabilis, abſtrahẽdo ab exiſtentia. Ad differentiam illorum euentuum qui raró & fortuitò accidunt, de quibus ibi docuit non dari ſcientiam. Vel ſcientiam non accepit in toto rigore: ſed magis amplè, pro cognitione obiecti, naturali quadam neceſſitate determinati.

Quin-

Quomodo debeat esse vniuersale. Quintò vlterius Aristoteles simul docere solet, obiectum scientiæ esse debere incorruptibile & vniuersale, atque de rebus corruptibilibus & singularibus non dari scientiam. Ita docet locis supra citatis, & septimo Metaphysic. 53. & alibi. Et hic solet esse communis sentiendi & loquendi modus: de singularibus non dari scientiam. At ex aduerso videtur etiam de singularibus dari scientia: quoniam de ijs pariter formari possunt propositiones, & probari conclusiones essentiales, necessariæ, & æternæ veritatis, non minùs quàm de vniuersalibus. Nec obstat corruptio ipsorum singularium: quoniam corrumpuntur quidem quoad existentiam, non autem quoad veritatem propositionum essentialium. Et præsertim de Deo qui singularis est datur scientia. & sacra Theologia tractat etiam de Christo qui singularis est.

Aliqui apud Conimbricenses primo Posteriorum capite septimo quæstione prima dixerunt, propositiones de singularibus, etiam essentiales, non esse veras, nisi dum ipsa singularia actu existunt: & ideò de ijs non dari scientiam in rigore sumptam. Satis tamen notum est, non minùs esse veras & consuetas propositiones essentiales de singularibus etiam non existentibus, esseque simpliciter necessarias, & earum oppositas esse semper falsas & impossibiles, sicut de vniuersalibus: Adamus est homo, est rationalis, est risibilis, & omnes aliæ huius generis.

Alij dicere solent, esse quidem semper veras & necessarias tales propositiones; ipsa tamen singularia quantùm ad suam existentiam per se & primariò posse corrumpi; vniuersalia autem tantùm per accidens & secundariò: ideò benè de vniuersalibus, non autem de singularibus, dari scientiam in rigore dictam. Sed hoc planè non satisfacit: quia non alia necessitas est de ratione scientiæ, nisi vt sit penitus firma & infallibilis: sed, etiam si singularia corrumpantur, & etiam quando actu non extant, verissimæ semper permanent & infallibiles, propositiones essentiales de illis. Et ideò datur scientia de vniuerlibus non quia non per se: sed per accidens corrumpuntur: sed quia veritates essentiales nullo modo deficiunt. Atque adeò, etiam si tota aliqua species penitus tolleretur, adhuc daretur scientia de illa. Non ergo ex hac parte destruitur scientia singularium.

Et quomodo de singularibus possit dari scientia. Dicendum ergo est, de singularibus non posse dari scientiam per se primariò & propriè: dari tamen posse secundariò & communiter. Explicatur & probatur. Quodlibet singulare non habet passionem sibi propriam & peculiarem ex differentia indiuiduali promanantem: sed tantùm habet passiones communes suæ speciei, aliorumquè generum superiorum, sibi applicatas atque contractas. Ita diximus quæstione decimaquarta sectione tertia. Non ergo potest de singularibus dari scientia primariò & propriè, qua vel à posteriori talis eius differentia indiuidualis per talem proprietatem, vel à priori talis eius proprietas per talem differentiã demonstretur. Sed benè potest dari secundariò & communiter per applicationem & contractionem prædicatorum essentialium & passionum communium. Dico secundariò: quia passiones essentiales per se primò demonstrantur de naturis communibus, & consequenter de singularibus. Dico, communiter: quia illud prædicatum quod demonstratur de vno singulari per aliquod medium, potest communi ratione per idem medium demonstrari de omnibus similibus singularibus in eadem specie conuenientibus.

Ita planè notauit Sanctus Thomas Opusculo 70. quæstione quinta articulo secundo ad quartum. Et Philopon. primo Posteriorum capite septimo comm. suo 36. sic explicat Aristot. dicentem non esse demonstrationem neque scientiam corruptibilium siue singularium, nisi sicut secundùm accidens. Docet enim ly secundùm accidens, debere intelligi secundariò. Propter quod notat, Aristotelem dixisse sicut secundùm accidens, id est quasi per accidens, quoniã voluit ly per accidens sumi, non vt opponitur per se, sed vt opponitur primariò. Propter hoc etiam scientiæ non curant descendere ad singula indiuidua, sed sistunt in speciebus. Vbi quæcunque vniuersaliter asserunt & demonstrant de spe-

ſpeciebus, ſimul aſſerunt & demonſtrant de omnibus indiuiduis non percurrendo ſingula. Hinc Ariſtot. 2. Poſter. cap. 8. text. 81. ait: *Alicui oculo dicit ſalubre Medicus, ſed aut omni, aut ſpecie determinans.* Et libro 1. cap. 18. ex profeſſo docet & probat, præſtantiorem eſſe ſciẽtiam & demonſtrationem de rebus in vniuerſali, quàm in particulari. Et quæ Philoſophus ſcit ac demonſtrat de Sole, alijſquè ſingulis planetis: verificantur de natura Solis in ſpecie, & ſic aliorum planetarũ, etiam ſi eſſent alij numero diuerſi: vt colligitur ex eodem 7. Metaph. tex. 55. Et iuxta hoc etiam Plato iubebat, deſcendẽtes in linea prædicamentali ſiſtere in ſpeciebus, & non proſequi ſingularia.

In hac autem regula non includitur Deus: quinimo de illo verè datur primariò & propriè ſcientia. Quoniam Deus habet ſuam eſſentiam & attributa peculiaria, nec habet alia indiuidua ſibi ſpecie ſimilia. Sic etiam meritò ſacra Theologia tractat ſingulariter de Chriſto. Imo quia poſſunt plures & plures naturæ ſingulares aſſumi à Deo: illæ propoſitiones neceſſariæ quæ verificantur de Chriſto, verificantur adæquatè de omni indiuiduo poſſibili ſubſiſtente in perſona diuina & natura aſſumpta. Et ita ea doctrina poteſt abſtrahi, & tradi de ſubiecto quodammodo vniuerſali.

Neque verò ijs quæ dicta ſunt obſtat, quod dixit Ariſt. 2. Met. tex. 11. non poſſe ſciri antequam ad indiuidua deueniatur. Ibi enim per indiuidua, non intellexit ſingularia, ſed intellexit prima & ſimpliciſſima prædicata eſſentialia quæ in alia ſuperiora reſolui non poſſint. Vnde potius intellexit vniuerſaliſſima prædicata: & docere voluit modum omnino exactũ & explicitum cognoſcendi eſſentias rerum. Hic ſenſus patet ex contextu. Sed alias præterea expoſitiones affert ibi Sanctus Thomas lect. 7. parte 4.

Nec etiam obſtat, quod ex eodem Ariſtot. ſect. præced. dicebamus, circa ſingularia verſari propriè artem & prudentiam, ad differentiam ſcientiæ. Nam ars & prudentia tantùm verſantur circa ſingularia operabilia, & non circa alia. Deinde etiam circa ſingularia operabilia, ars & prudentia dici poteſt quædam ſcientia, ſcilicet per applicationem communium prædicatorum ad ipſa ſingularia: & ſic differunt à ſcientia primariò ſumpta quæ in vniuerſalibus ſiſtit.

Sextò conſequenter dubitatur, an obiectum ſcientiæ debeat eſſe vniuocum, vel poſſit eſſe etiam analogum. Nam de puris æquiuocis certò conſtat nõ dari ſcientiam, quaſi communem pluribus æquiuocatis ſub vno nomine: quandoquidem non ſubeſt vna ratio communis illi nomini, de qua detur ſcientia. Negant, de analogo dari poſſe ſcientiam, Scot. in 1. diſt. 3. quæſt. 1. & alij qui tenent ens quod eſt obiectum Metaph. eſſe vniuocum. Affirmant Caiet. cap. 10. de Nominum analogia, & alij qui tenent ens eſſe analogum. Nam omnes ſupponunt ens eſſe obiectum Metaphyſicæ, quæ vtique eſt perfecta ſcientia. Eadem eſt planè ſententia Ariſtot. Num. 4. Metaph. text. 2. docet, quamuis ens multipliciter dicatur, idest analogicè, tamen dari poſſe ſcientiam vnam de ente: quia ait, non ſolùm eorum quæ ſecundùm vnum dicuntur, verũ & eorum quæ ad vnam naturam dicuntur, idest analogorũ attributionis, vnam eſſe ſcientiam. Et hic 2. Poſt. cap. 9. tex. 86. docet vnum proportionale, habere conſequentia ſibi, hoc eſt paſſiones, tanquam ſi ipſum eſſet vna natura, vt de eo dari poſſit ſcientia. Idem ſignificat textu 96. *An obiectũ ſcientiæ debeat eſſe vniuocũ, vel poſſit eſſe analogũ.*

Verùm reſolutio huius rei petenda eſt ex dictis de analogis, diſtinguendo duplicem acceptionem analogiæ. Si enim analoga ſumantur, quæ non habent rationem, & conceptum communem, ſed ſolam nominis communitatem cum aliqua tamen habitudine: Sic de illis non poteſt dari ſimpliciter vna ſcientia, qua videlicet vnum prædicatum de vno ſubiecto propriè demonſtretur. Poteſt tamen vna ſcientia totalis quæ plures partes habet, cum aliqua habitudine & attributione, conſiderare ipſa plura quæ analogiam habent: vt Medicina quæ per ſe conſiderat animal ſanum, conſequenter conſiderat, cibos ſanos, remedia ſana, & alia quæ denominantur per attributionem ad ſanitatem animalis. Si autem ſumantur analoga, quæ habeant quidem conceptum & rationem communem; tamen cum dependentia eſſentialiter vnius ab alio; vel conceptum tranſcendentẽ &

com-

communem ad plura prædicamenta: & ideò dicantur analoga, quia non sunt genera vniuoca prædicamentalia. Sic absolutè asserendum est, de ijs analogis, & non tantùm de vniuocis prædicamentalibus, per se dari posse scientiam. Sic datur scientia de ente, item de accidenti in communi, & alijs similibus gradibus qui excedunt prædicamenta. Sic enti attribuuntur suæ passiones, vnitas, veritas, bonitas: & sic de alijs similibus naturis.

An debeat esse per se vnũ, vel possit esse vnum per accidens.

Septimò tandem quærendum est, num obiectum vnius scientiæ debeat esse per se vnum, vel possit esse vnum per accidens & per aggregationem. Sonc. 6. Met. quæst. 13. concl. 2. vniuersaliter docet, de ente per accidens non dari scientiam. Et hæc videtur sententia Aristot. 6. Met. cap. 2. & lib. 11. cap. 9. Alij asserunt, non oportere, vt obiectum alicuius scientiæ sit vnum per se. Ita Caiet. tom. 3. Opusc. tract. 4. Suessan. 6. Metaph. disput. 5. & ex parte Fonsec. 4. Metaph. cap. 1. q. 1. sect. 3. & libro 6. cap. 2. quæst. 1. & alij.

Dicendum ergo est, de ente quod est vnum per accidens & per aggregationem dari posse vnam scientiam, sed non ita perfectè vnam, sicut de ente quod est per se vnum.

Prima pars probatur apertè: quia multæ scientiæ extant, quæ considerant suũ obiectum, sub aliqua ratione accidentali, non constituente cum subiecto vnum per se, sed tantùm vnum per accidens. Medicina considerat animal quatenus sanabile: Scientia moralis hominem quatenus beatificabilem: Mathematica quantitatem quatenus mensurabilem: & aliæ similes. Insuper aliquæ scientiæ directè considerãt quædam obiecta sua materialia, quæ sunt aggregata per accidens: Arithmetica considerat numerum: Musica numerum sonorum, siue sonum artificiosum: Politica Rempublicam: Architectura cuius meminit Aristot. 1. Metaph. cap. 1. ædificium: & vt notauit idem Aristot. 1. Post. cap. 13. in fine, Medicus scit de vulnere circulari quod difficiliùs sanatur. Et sic huiusmodi scientiæ multa de his subiectis docent atque demonstrant. Et hæc est ratio huius rei: quia dantur sua prædicata & passiones quæ de his subiectis sciri possunt, dantur etiã media quibus probari & demõstrari possunt. Ergo de his subiectis potest dari scientia.

Secunda autem pars ostenditur: quia illa est perfectè vna scientia, quæ habet obiectum perfectè & per se vnum: hæ ergo scientiæ quæ habent pro suo obiecto ens vnum per accidens; licèt habeãt formaliter suam vnitatem, vnus enim actus est quo sciiur vna qualibet conclusio de tali subiecto: tamen non habent perfectam vnitatem obiectiuam. Imo definitio scientiæ, est cognitio rei per causam per quam res est, potest in hoc rigore intelligi, est cognitio rei quæ verè sit vna res, vnum ens: aggregatum autem per accidens in rigore est plura entia, non vnum nisi per accidens. Hoc pacto excluderentur aliæ dictæ scientiæ Sed nõ oportet, definitionem in tali rigore intelligi: & ideò benè possunt hæ quoque scientiæ in ea definitione comprehendi.

Aristoteles verò illis locis loquutus est de illis entibus per accidens, quæ casu & fortuitò eueniunt, & quæ non habent per se connexionem cum causa nobis nota. Sed neque etiam negauit, de ijs dari posse scientiam; cõsiderando has ipsas veritates, euentum per accidens non habere per se connexionem cum certa causa, aliasquè similes: aut etiam absolutè de ipso euentu apud intellectum cui nota esset collectio omnium causarum, ex qua per se prouenit talis effectus. Sed tantùm docere voluit, non posse dari scientiam qua cognoscatur talis euentus prouenire ex tali causa, cum qua non habet per se connexionem.

Nec demũ obstat, quod aggregatũ per accidens, sicut etiã analogum, non potest propriè definiri: cùm non constet ex genere & differẽtia. Satis enim est, posse suo modo describi, posseque eorum rationem quidditatiuam, talis qualis est, explicari: posseque assumi prædicata suo modo ijs essentialia, aut propria; vt per hæc de ijs demonstrationes fieri, & sciẽtiæ haberi possint.

QVÆSTIO VIGESIMASEPTIMA.

De quibuſdam Diuiſionibus & Speciebus Scientiæ.

PLuribus modis poteſt ſcientia diuidi, & poſſunt ſcientiæ ſpecies deſignari. Quædam autem diuiſiones expreſſiùs ſe tenent ex parte demonſtrationis & medij demonſtratiui. Has differimus in quæſtionem ſequentem. Quædam expreſsiùs ſe tenent ex parte ipſius ſcientiæ. Has quæſt. præſenti trademus. Colligemus autem & proſequemur præcipuas tantùm quaſdam & conſuetas ſcientiæ diuiſiones & ſpecies.

SECTIO PRIMA.

De Scientia ſpeculatiua & practica: Quid ſint.

Rectè diuiditur ſciētia in ſpeculatiuam & practicā.

DIuidit ſcientiam in ſpeculatiuam & practicam Ariſt. 2. Metaphyſ. text. 3. aliiſque plurimis locis. Et communiter ab omnibus hæc diuiſio recipitur. Quamuis aliqui ſolam ſpeculatiuam voluerint eſſe ſcientiam in toto rigore dictam, & ſcientiam practicam ſolùm latiori ſignificatione dici ſcientiam. Sed iam quæſtione ſuperiori ſect. 3. ſatis oſtedimus, ad rigorem ſcientiæ non requiri, vt ſit propter ſe ipſam, ſiſtens in contemplatione veritatis. Benè ergo ſcientia rigoroſè dicta hoc modo diuiditur. Verum eſt tamen, hanc diuiſionem non eſſe ſolius ſcientiæ propriam: ſed poſſe magis amplè omni notitiæ diſcurſiuæ, imo & omni iudicatiuæ adaptari. Dicique poteſt, omne mentis iudicium, complectendo tàm ſecundam quàm tertiam operationem, eſſe vel ſpeculatiuum, vel practicum. Imo præterea etiam cognitio in communi, complectens quoque primā operationem, poteſt aliquatenus hoc modo diuidi: quia etiam ſimplex apprehenſio, alia eſt circa obiectum operabile, alia circa non operabile. Vaſq. autem 1. par. diſput. 8. num. 20. docet cum Ocham. Gabr. Maior. & Gregor. intellectionem ſimplicem & incomplexam non eſſe propriè practicam. Reddit ipſe rationem: quia notitia ſimplex non reſpicit vt obiectum, actionem vel operationem. Sed certè notiſſimum eſt, ſicut ſimplici actu apprehendimus alia obiecta, ita etiam noſtras actiones & operationes. Alia tamen ratione, notitia apprehenſiua non eſt ita propriè practica, ſicut notitia iudicatiua. Quia ſola apprehenſio non eſt ſufficienter & proximè directiua operis, ſicut determinatum iudicium. Quamuis ergo poſſit hæc diuiſio cognitionis practicæ & ſpeculatiuæ, tàm amplè ſumi: tamen communi vſu ſpecialiter ſcientiæ attribuitur. quia ſpecialiter quæritur diſtinctio ſcientiarum, ad quam hæc diuiſio maximè confert.

Scientia ſpeculatiua eſt propter ſe, practica propter opus.

Videre iam oportet, quidnam ſint ſciētia ſpeculatiua & practica, & quæ conditiones ad vtranque requirantur. Ariſtot. 2. Metaph. tex. 3. breuiter explicauit, ſcientiam ſpeculatiuam eſſe cuius finis eſt veritas, practicam cuius finis eſt opus. Et hæc eſt communis intelligentia omnium; ſcientiam practicam eſſe illam quæ ordinatur ad operandum, ideſt ad exercendùm aliquam operationem præter ipſam ſcientiam: ſpeculatiuam eſſe quæ non tendit ad aliam operationem, ſed in ſe ipſa ſiſtit, & non habet alium finem quam ipſum ſcire & cognoſcere veritatem. Sed ad plenam & exactam explicationem huius rei, quædam difficultates emergunt, quæ diſtinctè examinandæ ſunt.

Scientia practica eſſe debet circa obiectum operabile.

Primò. Scot. in Prologo Sent. quæſt. 4. ſignificat, ad ſcientiam practicam ſatis eſſe, ſi quocunque modo ad ipſam ſequatur operatio aliqua, vt ſi ſequatur amor vel alius affectus in voluntate. Verùm dupliciter poteſt ſequi operatio aliqua ex notitia intellectus: vno modo ſi talis operatio ſit obiectum notitiæ, quia videlicet intellectus cognoſcat ipſam operationem, quæ exerceri poteſt: alio

modo

modo, si non sit obiectum ipsius notitiæ, sed per connexionem potentiarum consequatur: vt cùm aliquis considerans bonitatem Dei, mouetur ad amorem eius; qui actus amoris non est obiectum eius notitiæ, sed est actus voluntatis circa idem obiectum quod repræsentabatur per actum intellectus.

Dicendum ergo est, ad scientiam practicam requiri, vt habeat pro obiecto operationem, nec satis esse vt alio modo apta sit ad illam sequi operatio: quinimo non esse præter rationem scientiæ speculatiuæ, vt ad illam eo modo sequi possit operatio. Hæc est communis doctrina, pro qua meritò S. Thom. 1. par. quæst. 14. art. 4. cùm retulisset sententiam oppositam, subdit: hi non videntur intelligere quid sit intellectus practicus. Et probatur manifestè: quia ex Aristot. & communi conceptu aliorum, illa scientia est practica, quæ est operatiua obiecti sui, quæ habet obiectum operabile, & versatur circa operationem exercendam quæ dicitur praxis; item scientia practica est, quæ tradit regulas & normam operandi, & ita est regulatiua & directiua operis faciendi. Imo nulla notitia est tàm purè speculatiua, ad quam non sit aptus sequi affectus aliquis voluntatis, vel amoris seu prosequutionis, vel odij seu fugæ. Et vt arguit S. Thom. ex eo quod Philosophus sciat animam esse immortalem, potest moueri ad benè viuendum. Hæc autem scientia planè est speculatiua. Et Aristot. 10. Ethic. cap. 7. & 8. docet, ex speculatione nasci delectationem; nec propterea speculatio est practica.

Et modo operabili. Secundò. Dixerunt aliqui, ad scientiam practicam satis esse quocunq. modo versari circa obiectum operabile, & in hoc distingui à scientia speculatiua. Verùm duplex cognitio haberi potest obiecti operabilis. Vna, considerando naturam, causas, proprietates talis rei: vt dum quis considerat essentiam amoris, quomodo sit actus voluntatis, sit actus vitalis, & similia. Alia habetur considerando præcepta, regulas, & modum rectè operandi: vt dum quis considerat, modò teneor elicere actum amoris, debeo amare hoc obiectum, non illud, & similia. hoc solet appellari, considerare rem operabilem modo operabili.

Dicendum ergo est, de ratione scientiæ practicæ in rigore esse, versari hoc secundo modo circa operationē & praxim, modo scilicet operabili, & quatenus operabilem. Scientia autem primo modo considerans obiectum operabile, si sit etiam vtilis aut necessaria ad operādum & ad assequendam notitiam illam propriè practicam, dici poterit practica per accidens & remotè. Hæc est etiam communis. Et præsertim S. Thom. 1. par. quæst. 14. art. 16. ait, si ædificator consideret domum, definiendo & diuidendo, & considerando vniuersalia prædicata ipsius: hoc est operabilia modo speculatiuo considerare, & non secundùm quod operabilia sunt. Et Opusc. 70. qu. 5. art. 1. ad 4. explicat, quomodo huiusmodi cognitio sit remotè practica, & pertinere possit ad scientias practicas.

Probatur facilè: quia illa scientia est propriè & proximè practica, quæ est propriè ac proximè effectiua seu directiua operis: huiusmodi autem est illa quæ versatur circa rem operabilem modo operabili. Sumimus autem hìc scientiā proximè practicam, comparationem faciendo inter varias scientias habentes sua obiecta vniuersalia. quia alioqui iam antea diximus, comparationem faciendo inter cognitionem vniuersalium & particularium, propinquiùs concurrere ad executionem & directionem operis cognitionem particularium. Alia scientia quæ non considerat rem quatenus operabilem & modo operabili, non per se & propriè, sed tantùm remotè & veluti per accidens, potest deseruire ac iuuare ad exequutionem & directionem operis: sic ergo dici potest remotè & per accidens practica. Hinc factum est, vt illæ scientiæ totales quę verè sunt & communi cōceptu existimantur speculatiuæ, considerent etiam quasdam res operabiles, non tamen modo operabili. Sic Philosophia naturalis multa docet & tradit de nostris actibus, ac de ipsis actibus voluntatis. Quia nimirum huiusmodi cognitio est per se & essentialiter speculatiua. Factum est etiam, vt illæ scientiæ totales quæ simpliciter sunt practicæ, nonnulla considerant de rebus operabilibus, non proximè modo operabili, sed de natu-

natura & conditionibus ipsarum rerum. Sic Medicus quamplura considerat de corpore humano: Philosophia moralis, de actibus humanis: & hæc ipsa Logica, de actibus ipsis nostri intellectus. Quia nimirum hæc ipsa consideratio multum confert, & est plerunque necessaria, ad habendam plenam & perfectam notitiam practicam, & ad exequutionem ac directionem operationum.

Quomodo idem obiectum possit spectare ad vnã sciẽtiam speculatiuam, & aliam practicam.

Et propterea sæpè eædem res secūdùm diuersas rationes & respectus dicuntur ad plures scientias, ad vnam speculatiuā, & aliam practicam, pertinere: & eædem quæstiones in pluribus scientijs inseri solent. Imo frequenter scientiæ speculatiuæ totam ferè considerationem huiusmodi rerũ operabilium remittunt alijs scientijs practicis, aut leuiter attingunt, ne videlicet eædem res pluries repetantur. Et S.Tho.in 3.d.23.q.2.art 3.quęstiunc.2. notauit,quandoq.verum quod in se consideratur,posse etiam vt regulā operis considerari: & interdum,licet talis cōsideratio,posset esse intellectus tum speculatiui tum practici, principaliter esse practici. Sæpè etiam aliqua doctrina quæ in scientia speculatiua traditur, assumitur postea ad suum vsum à scientia practica, per quandam subalternationem.

His modis scientia moralis, & hæc ipsa Logica, vel tractant vel assumunt pleraquè de actibus voluntatis & intellectus, quæ per modum speculationis ad Philosophiam naturalem pertinebant: tamen quia deseruiunt ad directionem ipsorum actuum, ad has scientias trahuntur. Et iuxta hæc Arist. 1. Ethic. cap. 13. docens, scientiam moralem practicè versari circa operationem animæ, præclarè notauit: *Perspicuum est, ciuilem quæ ad animam spectant quodammodo cognoscere oportere: quemadmodum & oculum & totum corpus, eum qui curaturus est. Elegantes quoque Medici multa circa cognitionem corporis pertractant. Contemplandũ igitur etiam ciuili homini de anima est, atque id horum causa, & quantum satis est ad ea quæ hic quæruntur. Dicuntur autem de ipsis in externis etiã disputationibus nõnulla, vtendumquè ipsis est.* Et 2. Phys. 26. *Considerat Medicus neruum, & faber æs, vsque ad aliquid: alicuius enim gratia vnũquodque.* Et ex hoc explicat D. Thomas Opusc. 70. loc. cit. diuidi solere Medicinam in practicam & theoricam hoc est speculatiuam. Hinc etiam eadem scientia dici solet practica simpliciter & speculatiua secundùm quid. Circa quod notauit Fonseca 6. Metaph. cap. 1. quæst. 5. sect. 6. assertione secunda, non esse id desumendum ex eo quod talis scientia habeat plures conclusiones practicas, quàm speculatiuas: sed eo quod absolutè habeat obiectum & finem practicum, & omnia ordinet ad directionem operis, etiam si habeat plures conclusiones secūdùm se speculatiuas.

Tertiò. Præter hæc, Aliqui ad rationem scientiæ practicæ vlterius requirũt, vt non solùm cognitio sit de re operabili quatenus operabili, sed præterea ab ipso sciente ordinetur ad operandum: ita vt si quis exactè consideret modum & regulas operandi, non tamen intendit operari, sed tantùm intendit scire, eius notitia non sit practica sed speculatiua. Ita Soncin. 6. Metaphys. quæst. 4. Iauel. quæst. 5. & Vasq. 1. par. disp. 8. cap. 5. in fine, planè concedens eundem habitum posse fieri successiuè speculatiuũ & practicum, si homo scientiam suam priùs nõ ordinet, postea ordinet ad operandum. Fauet S. Thom. 1. par. quæst. 14. art. 16. & Aristot. 2. Metaph. text. 3., & 3 de Anima tex. 46. & alibi dicens, scientiam esse practicam ex fine: non enim scientia habet finem practicum, nisi quando ordinatur ad operandum.

Ad scientiam practicã satis est, ex natura sua referri ad operandũ.

Dicendum tamen est, absolutè & simpliciter, non requiri ad scientiam practicam, vt ipse sciens intendat vti sua scientia ad operandum, velitquè operari. Sed satis esse, quod ex natura sua ipsa sciẽtia respiciat opus. Hæc est multorum Theologorum in Prolog. Sent. Scot. qu. 5. §. Dixi aptitudinali, Ocham. quæst. 4. art. 2. Gregor. quæst. 5. & aliorum ibi. Est item Ferrar. 3. contra Gent. cap. 25. §. Ad euidentiam primi dubij. Fonsec. 2. Metaph. cap. 3. quæst. 2 sect. 3. & lib. 6. cap. 1. quæst. 5. sect. 5. Suar. disput. 44. sect. 13. Perer. 1. Physic. capite 3. Soci quæstione 4. proœmiali Logicæ & aliorum hoc loco.

Probatur: quia scientia practica communi conceptu intelligitur, quæ est directiua & regulatiua operis, non autem

quæ

quæ actu dirigat & exerceat, aut quæ directura sit opus: sed etiam si quis nunquam velit vti sua scientia, & actualiter operari, semper valet dicere ipsam scientiam de se esse operatiuam, esse aptam ad operandum: ergo ad scientiam practicam nō requiritur intentio illa scientis. Similiter si quis è contra addiscat scientiam aliquam speculatiuam, vt ea vtatur ad aliquid aliud operandum, sicut frequenter sanè contingit: non per hoc talis scientia amittit rationem speculationis & efficitur practica. Et quidem quando Aristoteles & alij diuidunt scientiam in speculatiuam & practicam, vtique non curarunt de intentione arbitraria & fine scientis, an velit vel non velit operari: quæ distinctio esset merè extrinseca & accidentalis, & inutilis ad doctrinam, & ad dispositionem faciendam scientiarum. Sed solùm cogitarunt de intrinseca aptitudine ipsius scientiæ ad exercendam operationem, quam considerat.

Hinc aliqui eam scientiam quæ de se est quidem operatiua, sed qua non intendit quis vti ad operandum, appellant intrinsecè quidem & essentialiter practicam, extrinsecè autem & accidentaliter speculatiuam; siue practicam ex obiecto, speculatiuam ex fine. Et ita Caiet. exponit S. Thom. loco illo allegato. Sed iuxta hunc loquendi modum, pariter illa scientia quæ de se non est operatiua, sed quam quis refert ad aliquid operandum, dici debebit intrinsecè & essentialiter speculatiua extrinsecè & accidentaliter practica. Quamuis Vasquez nolit eodem modo loqui de scientia speculatiua, sicut de practica.

Ad Aristot. verò aliqui disputant, num scientia practica constituatur ex fine vel ex obiecto. quoniam idem Arist. 6. Met. cap. 1. & alibi, potius ex obiecto distinguit. Sed res est facilis, distinguendo duplicem finem. Alius est finis intrinsecus, ad quem ex natura sua scientia refertur: alius extrinsecus ad quem ex arbitrio hominis ordinatur. Primus dicitur finis scientiæ, secundus finis scientis. Finis primo modo sumptus, est ipsummet obiectum scientiæ practicæ. Et ex hoc fine dici debet propriè & absolutè constitui scientia practica. Et sic omnia Aristotelis loca conciliantur.

Quartò. Ex his quæ dicta sunt de scientia practica, patet manifestè quid sentiendum sit de scientia speculatiua, & in vniuersum quæ scientia sit censenda speculatiua. Scotus autem in Prologo q. 4. §. Dixi aptitudinali, significare videtur, scientiam speculatiuam constitui formaliter per negationem, quia scilicet non est regulatiua & directiua operis. *Scientia speculatiua nō constituitur per negationē, sed per rationem positiuam.*

Dicendum tamen est: Licèt scientia speculatiua clariùs & faciliùs explicetur per negationem: tamen essentialiter & intrinsecè constitui per rationem positiuam, nempè per ordinem ad tale obiectum. Patet: tum quia hic est conceptus quem communiter de scientia speculatiua habemus: & quando nominatur speculatio, intelligitur quædam ratio positiua cognitionis, opposita cognitioni practicæ. Tum quia speculatiuum & practicum sunt differentiæ essentialiter diuidētes scientiam in communi, vt sectione sequenti dicemus: ergo ambæ sunt positiuæ. Tum quia alioqui scientia practica quatenus talis, esset nobilior speculatiua, imo tantò nobilior, quantùm ens non ente. Tum demum, quia illa ipsa negatio per quam explicatur scientia speculatiua, vtique fundatur in ratione positiua talis subiecti sui, quæ ratio est positiuè opposita formæ negatiuæ: & ita compertum est in alijs similibus rebus & differentijs, quarum vna explicari solet per negationem alterius: ergo scientia speculatiua intrinsecè & essentialiter cōstituitur per rationem positiuam.

SECTIO SECVNDA.

Quomodo Scientia speculatiua & practica distinguantur.

Primò, Aliqui absolutè docent distingui solùm accidentaliter. Quia potest vna & eadem scientia esse speculatiua & practica. Ita Capreolus quæstione 2. Prolog. ad argum. contra sextam conclusionem, Suessan. 6. Metaphysic. disput. 2. Molin. 1. par. quæst. 1. artic. 4. disput. 2. Valent. 1. par. disput. 1. quæst. 5. puncto 3. §. 4, & 1. 2. disput. 5. quæst. 3. punct. 1. in fine. Probant exemplis,

Eadem

Eadem visio beatifica in Sanctis est speculatiua & practica, similiter eadem fides in viatoribus: & inter scientias humanas plures sunt quæ dici solent esse simul speculatiuæ & practicæ. Imo idem ipse intellectus est vtique speculatiuus & practicus. Ex opposito alij sunt qui docent, differre & opponi essentialiter. Ita Perer. 1. Physic. cap. 3. Suar. disput. 44. Vasqu. 1. par. disp. 9. cap. 3. & ex parte Caiet. 1. par. quæst. 1. art. 4. Bagn. ibidem & alij. Et fundamentum est: quia ex Arist. & communi vsu Philosophorum, scientia ita diuiditur in speculatiuā & practicam, quòd aliæ scientiæ sint speculatiuæ, aliæ practicæ: & ita de facto plures scientiæ assignantur, quæ inter se vtique essentialiter distinguuntur.

Scientia adæquatè practica & adæquatè speculatiua penitus distinguuntur.

Pro vera & clara resolutione distinguendum est: dupliciter posse scientiam siue quancunque facultatem, esse speculatiuam & practicam. Vno modo ita vt adæquatè & totaliter vel habeat obiectum speculabile, vel practicabile. Alio modo ita vt plura obiecta complectatur, aliud speculabile, aliud practicabile. Primo modo, scientia speculatiua & practica essentialiter distinguuntur. Secundo modo non distinguuntur: sed potest vna eademquè facultas esse simul speculatiua & practica. Neque etiam dici debent distingui accidentaliter, sed dici debet eadem facultas respicere diuersa obiecta. Ita sumitur ex Diuo Thoma prima parte quæst. 1. art. 4. & videtur de mente Auctorum vtriusque sententiæ.

Prima pars ostenditur: quia sine dubio potest esse aliquis actus & habitus habēs pro obiecto suo adæquato vnam rem non operabilem, alius habens pro obiecto suo adæquato rē operabilem modo operabili. Hæ duæ scientiæ, cùm habeant obiecta diuersa, & singulæ habeant suum obiectum totale & adæquatum, planè distinguuntur essentialiter. Et in hoc sensu fieri vtique non potest, vt vna eademquè scientia sit adæquatè & totaliter practica. Hoc modo distinguuntur scientiæ speculatiuæ à practicis, juxta secundam sententiam relatam.

Potest tamen eadē facultas esse simul speculatiua & practica.

Secunda pars facilè etiam ostenditur: quia sine dubio fieri potest, vt vna & eadem potentia complectatur tum res operabiles, tum non operabiles. Ita se habet intellectus, qui vnus cùm sit, respicit omne obiectum intelligibile, & ita est simul speculatiuus & practicus. Ita etiam potest sine dubio se habere habitus aliquis infusus à Deo, qui se habet per modum potentiæ, & potest plura diuersa complecti: sic se habet de facto habitus fidei, qui etiam simul est speculatiuus & practicus. Si demum inueniatur aliquis actus qui simul attingat aliquam rem nō operabilem, & aliquam operabilem, erit quoque simul speculatiuus & practicus: sicut prima sententia dicebat de visione beatifica.

Solùm superest difficultas, An in actibus naturalibus, & habitibus acquisitis, possit vnus & idem esse simul speculatiuus & practicus: & præcipuè an in illis scientijs totalibus quæ continent aliquas conclusiones speculatiuas, & aliquas practicas, vt se habet Medicina, Theologia, Logica, & aliæ similes, sit vnus simplex habitus omnes complectens, vel sint plures habitus, alij speculatiui, alij practici, qui solùm per aggregationem constituant vnam scientiam totalem. Hæc tamen difficultas, non est propria huius rei, sed communis de modo nostro cognoscendi, & de nostris habitibus. Non enim debet esse maior dubitatio de vna re operabili, & alia non operabili, quàm de pluribus operabilibus, de pluribus non operabilibus. Et quod attinet quidem ad actus, breuiter diximus ab initio quæstio. 3. Quod attinet ad habitus, attingemus sect. 7. loquentes in vniuersum de scientia totali.

Res explicatur exēplo.

Explicatur magis, quomodo fieri possit, vt vno modo sint diuersæ scientiæ, vna circa rem operabilem, alia circa rē non operabilem; alio modo sit vna facultas circa omnes. Exemplum aptissimum huius rei habemus in nostris sensibus: omnes sensus externi habent sua obiecta adæquata, & omnes sunt inter se essentialiter diuersi. At datur interiùs vnus sensus qui dicitur communis, & est perceptiuus omnium obiectorum sensuū externorum: & in illo non distinguuntur facultas perceptiua coloris, soni, &c. Ita ergo intelligitur optimè, diuersas esse illas scientias, quarum alia habeat adæquatè vnum obiectum, alia aliud, alia sit speculatiua, alia practica: & vnam esse

esse illam facultatem, simul speculatiuã & practicam, quæ plura simul complectatur, alias res operabiles, & alias non operabiles.

Cæterùm Caiet. prima parte quæst. 1. artic. 4. & 2. 2. quæst. 4. artic. 2. quando eadem facultas complectitur alias res operabiles alias non operabiles, illam appellare maluit speculatiuam & practicam eminenter. Verùm hoc non est ita intelligendum, quasi non intrinsecè & formaliter habeat rationem speculatiui & practici. Nam formalissimè eadem facultas est quarundam rerum cognoscitiua, & quarundam etiam operatiua ac directiua. Sed ita loquutus est, ad differentiam illarum scientiarum, quarum alia est adæquatè speculatiua, alia adæquatè practica. Ille tamen modus loquendi non est approbandus.

Vna scientia speculatiua & alia practica, distinguuntur essentialiter. Secundò deinde Scot. quæstione quarta Prolog. §. Dixi aptitudinali, loquens de ijs scientijs, quarum alia est speculatiua, alia practica, significauit distingui quidem intrinsecè, non tamen speculatiuum & practicum esse differentias essentiales, sed esse proprias passiones. Probat, quia ratio practici consistit in relatione ad obiectum: relatio autem non est formaliter de essentia rei absolutæ, cuiusmodi est scientia: rationem autem speculationis ait consistere in negatione, quæ multò minùs potest esse de essentia rei positiuæ.

Dicendum tamen est, has scientias distingui essentialiter per has differentias speculatiui & practici. Probatur ex eodem principio: quia ratio practici consistit in ordine ad obiectum: similiter supponimus rationem speculationis importare ordinem positiuum ad obiectum. Sed ordo ad obiectum est formaliter de essentia omnis cognitionis. Nam alia non est essentia cognitionis, nisi quòd sit cognitio sui obiecti. Et talis cognitio specificatur per ordinem ad tale obiectũ. Et hinc patet ad rationem Scoti: hoc genus relationum quæ dicuntur transcendentales, esse de essentia rerum, quæ dicuntur quidem absolutæ eo quod non ponuntur in prædicamento relationis, tamẽ reuera nõ sunt absolutę ab omni respectu, quinimo sunt essẽtialiter respectiuæ, & in alijs prædicamentis collocãtur.

Cõueniūt tamẽ vniuocè. Tertiò. Perer. libro 1. Physic. cap. 4. contendit, scientiam practicam à speculatiua adeò differre, vt non cõueniat cum illa vniuocè, sed tantùm analogicè. Probat: tum quia nomine Philosophiæ & scientiæ, per se intelligitur scientia speculatiua: & hæc scientia habet pro fine ipsum scire, & per se perficit hominem. Tum quia scientia practica versatur circa res contingentes & mutabiles. Tum demum quia scientiæ practicæ subalternantur speculatiuis.

Dicendum tamen est, scientiam speculatiuam & practicam verè vniuocè cõuenire in ratione & nomine sciẽtiæ. Hic videtur communis aliorum sensus. Et patet manifestè: quia scire conclusionem operabilem, & aliam non operabilem, intrinsecè & essentialiter conueniunt in conceptu sciendi. Et scientia ponitur tanquam vnum genus in suo prædicamento. Nec obstat vlla ratio analogiæ destruens vniuocationem.

Prima ratio Perer. tantùm probat, scientiam speculatiuam esse excellentiorem & præstantiorem, quod non est contra rationem vniuocationis. Secunda ratio, si quid valeret, probaret scientiam practicam non esse verè scientiam. Sed certum sanè est, scientiam practicam habere suas conclusiones necessarias, & immutabilis veritatis. Tertia ratio non est vniuersalis. Nam non omnis scientia practica subalternatur omni speculatiuæ: ergo saltem illa scientia practica cum illa speculatiua cui non subalternatur conuenit vniuocè. Sed etiã scientia subalternata conuenit vniuocè cum scientia subalternante, vt sectione sexta dicemus.

Vnde verè se habent, vt species sub genere. Quartò. Fonseca 6. Metaph. capite 1. q. 5. sect. 6. assert. 4. ait, scientiam speculatiuã & practicam verè non distingui tanquam species sub genere, licèt vt tales tractentur. Probat: Tum quia distinctio specifica habituum sumitur per ordinem ad actus & obiecta: at distinctio practici & speculatiui sumitur per ordinem ad finem. Tum quia non solùm scientia, sed omnis notitia iudicatiua, diuiditur in practicam & speculatiuam. Tum quia; cùm scientia adæquatè diuidatur in scientiam propter quid & quia, non potest etiam hoc alio modo adæquatè diuidi

diuidi tanquam genus in species.

Dicendum tamen est, has scientias verè distingui tanquam species sub genere. Patet: quia sunt differentiæ essentiales, vt ostensum est, & scientia est quid vniuocum, vt etiã ostẽsum est: ergo omnino hęc est diuisio generis in species. Et ad primam rationem iam patet: hanc distinctionem sumi per ordinem essentialem ad obiectum, quod coincidit cum fine extrinseco; & distinctio habituum sumitur per ordinem ad actus. Ad secundam fatendum est; speculatiuum & practicum, si amplè sumantur, specificè diuidere genus commune notitiæ iudicatiuæ. Sed si determinatè sumantur in ipsa scientia, sic specificè diuidunt scientiam: sicut in aliis similibus diuisionibus sæpè contingit. Ad tertiam, non est inconueniens, idem genus posse pluribus modis æquè immediatè & adæquatè diuidi: vt de omnibus vniuersalibus suo loco tractauimus; & in quamplurimis aliis generibus idem inuenitur.

Scientia speculatiua præfertur practicæ.

Quintò demũ. Scientia speculatiua & practica differunt in sua dignitate & perfectione; quoniam scientia speculatiua secundùm hanc rationem est dignior & perfectior scientia practica. Ita habetur ex Aristotele primo Metaphysic. capite secundo, & sexto Metaphysic. textu secundo, & Platone apud Alcinoum capite secundo. Et est res clara. Nam scientia speculatiua per se sistit in cognitione veritatis: practica autem ordinatur ad operandum: speculatiua est gratia sui, practica est propter aliud. Dico verò secundùm hanc rationem, quoniam alia ratione potest scientia practica speculatiuæ præferri. quatenus practica est vtilior, & præsertim si hæc vtilitas ad bonum animæ referatur. Et præterea si sumatur certa quædam scientia speculatiua, & alia scientia practica quæ habeat obiectum dignius & nobilius quam illa scientia speculatiua: sic absolutè ex parte obiecti talis scientia practica erit nobilior tali speculatiua. Sed quia in tota latitudine scientiarum, scientia speculatiua habet præstantius obiectum, quam omnis scientia practica: habemus enim scientiam speculatiuam de substantijs separatis & de ipso Deo: Ideò simpliciter dicendum est scientiam speculatiuam esse præstantiorem.

SECTIO TERTIA.

De Obiecto Scientiæ speculatiuæ & practicæ. Specialiter de Praxi, circa quam versatur Scientia practica.

Ad exactam explicationem vtriusque scientiæ, superest modò per se & distinctè de earum obiecto disserere. Et quia scientia speculatiua faciliùs explicatur per negationem: ideò specialiter de obiecto practicæ disseremus, simulquè in omnibus apparebit quid sit de obiecto speculatiuæ sentiendum. Constat autem ex dictis, obiectum scientiæ practicæ debere esse aliquod operabile, idest operationem aliquam quæ exerceri possit. Hæc appellatur Praxis: vnde scientia practica dicitur adæquatè circa praxim versari. Potest autem fieri, vt ex ipsa operatione relinquatur aliud opus permanens, quod non dicetur quidem praxis, sed dicetur tantùm res operabilis, & verè est obiectum ac effectus notitiæ practicæ. Sed præcipuè videndum est, an aliquæ aliæ conditiones requirantur ad operationem quæ sit propriè praxis, & practicæ notitiæ obiectum.

Obiectum scientiæ practicæ dicitur praxis.

Praxis potest esse operatio vel externa vel interna.

Primò. Sanctus Thomas 1. 2. quæst. 57. art. 1. ad 1. & 2. 2. quæst. 179. art. 2. significat, huiusmodi operationem debere esse exteriorem & transeuntem, & non interiorem & immanentem: atque practicum & operatiuum, quod diuiditur contra speculatiuum, sumi ab opere exteriori.

Dicendum tamen omninò est, etiam operationem interiorem esse praxim dirigibilem per scientiam practicam. Hæc est communis sententia: pro qua Capr. quæst. 2. Prologi conclus. 4. ex plurimis D. Thom. locis ostendit, hanc esse mentem eius. Alijs autem locis solùm voluit, habitum respicere operationem exteriorem, idest distinctam ab ipsa notitia practica quæ elicitur per ipsum habitum, & ex hoc distingui ab habitu speculatiuo.

Patet

Patet autem assertio: tum ex Aristotele qui, vt infra afferemus, sæpè diuidit sciētiam practicam in factiuam & actiuam; & praxim in factionem & actionem: vbi actio intelligitur operatio interna & immanens, sicut factio operatio externa & transiens. Tum etiam ratione: quia praxis intelligitur ea operatio quæ regulari & dirigi potest ab intellectu. Sed etiam operatio interior est huiusmodi: & maximè actus voluntatis debent per rectam rationem dirigi & regulari. Item scientia practica est, quæ non sistit in cognitione veritatis, sed est effectiua & directiua operationis: huiusmodi autem est etiam scientia habens pro obiecto operationem interiorem. Ergo etiam operatio interior est praxis; & scientia directiua eius, est scientia practica. Aliquas verò obiectiones contra actus voluntatis, quæ friuolæ sunt, soluit Gregor. quæst. 5. Prolog. artic. 1.

Potest esse operatio eiusdem intellectus.

Secundò. Scot. in Prolog. quæstione 4. Durand quæst. 6. Soncin. 6. Metaph. quæst. 2. Suessan. 1. Metaph. disput. 10. cap. 2. Ant. Adr. quæst. 2. Sot. in Logica quæst. 4. proœm. Masius quæst. 10. & quidam alij volunt, praxim esse debere operationem aliarum potentiarum ab intellectu, & non posse esse operationem eiusdem intellectus. Propter quod Sotus ibi docet, Logicā esse speculatiuā, & non practicam; quia versatur circa operationes intellectus. Et Scot. ibi definit praxim: est actus alterius potentiæ quàm intellectus, naturaliter posterior ab intellectione, natus elici conformiter rationi rectæ, ad hoc vt sit rectus. Affert Scot. quandam auctoritatem Aristot. ex libro 3. de Anima textu 49. intellectum extensione fieri practicum: quo significatur, intellectum practicum debere extēdi extra se ipsum. Affert Sotus rationem: quia operatio intellectus est speculatio: at speculatio non potest esse praxis; hæc enim opponuntur. Et sicut se habent sciētia practica & speculatiua, ita praxis & speculatio. Et prætereaS. Thom. 1. 2. quæst. 3. art. 5. ad 2. docet, intellectum practicum habere bonum extra se ipsum, speculatiuum verò in se ipso.

Dicendum tamen est, etiam operationem ipsius intellectus habere rationem & denominationem praxis, quæ per sciētiam practicam dirigatur. Ita sumitur ex Diuo Thoma 2. 2. quæst. 47 art. 2 ad 2. & ita docent Capreol. loc. cit. Gregor. Aureol. Ocham. Gabr. & alij in Prolog. Sent. Fonsec. 2. Metaph. cap. 3. quæst. 2. sect. 3. Suar. disp. 44. Metaph. sect. 13. num. 26. Perer. 1. Physic. cap. 2. Sanch. quæst. 15. Proœm. Log. Molina 1. par. quæst. 1. art 4. disput. 1. Vasq. 1. par. disput. 8. cap. 5. & alij frequenter. Idquè supponunt omnes illi qui tenēt Logicam esse practicam. Et probatur facilè: quia nomine praxis debet adæquatè intelligi omnis operatio per rationem dirigibilis: sed non minùs operationes eiusdem intellectus, quàm aliarum potentiarum, sunt hoc modo dirigibiles: ergo. Item illa scientia quæ cognoscit modum quo debeant dirigi & rectè exerceri operationes intellectus, est vtique directiua & operatiua; non est præcisè propter se ipsam, sed propter operationem exercendam; non intendit tantùm cognoscere, sed intendit efficere obiectum suum: ergo est & dici debet practica. Et sanè opposita sententia tantùm de modo loquendi contendit. Sed inutiliter & sine fundamento.

Quod enim Scot. ex Aristotele affert, nec apud Aristotelem inuenitur: nec, etiā si admittatur tanquam commune dictum, vt illud vocat Gregor. quæst. 5. Prolog. art. 1. quicquam efficit. Nam debet intelligi, intellectum extensione fieri practicum, quia vltra notitiam ipsam practicam extenditur ad aliam operationem dirigendam, etiam si hęc sit alia operatio eiusdem intellectus. Adducit hanc explicationem ipse Scot. Et contra eam obijcit; quia sic Logica esset practica. At hoc ipsum est quod volumus, Logicam esse practicam.

Non etiam obstat ratio Soti. Tum quia non omnis operatio intellectus est speculatio. Tum quia speculatio optimè potest esse praxis. Nam speculatio non est scientia practica, idest non est operatiua & directiua operis: sed benè potest esse praxis, idest operatio quędam dirigibilis per notitiam practicam. Non enim speculatio sonat obiectum scientię speculatiuæ, sicut praxis obiectum scientię practicę: sed speculatio formaliter est ipsa scientia speculatiua. S. Thomas autem

autem ibi solùm voluit, intellectum practicum, idest per scientiam practicam, habere bonum extra se ipsum, idest extra ipsam scientiam practicam, quia habet pro fine aliam operationem distinctam, quæ tamen poterit esse alia operatio eiusdem potentiæ intellectiuæ.

Nō solùm quatenus dirigibilis moraliter, sed absolutè, operatio est praxis


Tertiò. Ex eo quod Scot. definiuit praxim, esse actum natum elici conformiter rationi rectæ, aliqui intellexerunt praxim esse debere operationem moralem quatenus dirigibilem in genere moris, vt sit honesta & bona moraliter. Et specialiter Capreol. quæstione citata ad argumenta contra quartam conclusionem asserit, operationes intellectus, tantùm quatenus hoc modo dirigibiles habere rationem praxis. Et fundamentum huius sententiæ est: quia operatio intantùm est praxis, inquantùm subest electioni voluntatis: subest autem huic electioni, quatenus est moraliter dirigibilis.

Verùm operationes nostræ dupliciter sunt dirigibiles, secundùm duplicem rectitudinem. Vno modo moraliter, alio modo artificiosè. Primo modo diriguntur per regulas bonitatis moralis, vt fiant cum debitis circunstantijs & conditionibus moralibus. Secundo modo diriguntur per regulas naturales & artificiales, vt perfectè fiant in esse reali: videlicet vt ædificium cōstruatur cum talibus fundamentis, parietibus, &c. Et hoc duplex genus rectitudinis ac directionis, etiam in ipsis operationibus intellectus distinguitur. & primo modo diriguntur per scientiam moralem & prudentiam: secundo modo per Logicam. Insuper operationes nostræ considerari possunt non solùm quatenus dirigibiles, idest quatenus rectè exerceri possunt, sed etiam absolutè inquantùm factibiles.

Dicendum ergo est, rationem praxis conuenire operationibus, non solùm quatenus sunt dirigibiles moraliter, sed etiam artificiosè, imo absolutè quatenus factibiles sunt. Probatur manifestè: Tum ex Aristotele qui diuidens praxim in actionem & factionem, interdum actionem sumit pro operatione dirigibili in genere moris, & factionem pro operatione alio modo dirigibili vel factibili. Tum ex notissimo modo loquendi. Omnes enim artes sunt maximè practicæ: & tamen non respiciunt operationes vt dirigibiles in genere moris, sed in genere artis. Et in vniuersum, quandocunque fit à nobis aliqua operatio, iudicium intellectiuum ex quo fit, appellatur practicum, non considerando an operatio rectè vel non rectè fiat. & in genere ipso moris, quando homines peccant, appellatur iudicium practicum illud quo homo inducitur ad peccandum, solùm ex hoc quia est iudicium inducens ad operandum, & non quia sit iudicium directiuum in genere moris ad benè moraliter operandum. Tum perspicua ratione: quia omnis operatio quocunque modo factibilis per impulsum intellectus, est obiectum notitiæ operatiuæ: & omnis notitia impulsiua ad operandum, non est gratia sui, non est propter tantùm cognoscendum obiectum, sed verè est propter operandum: ergo omnis talis operatio est praxis; & omnis talis notitia est practica.

Tum demum nulla ratio disparitatis est, cur operatio aliqua, & specialiter cur operatio intellectus, solùm quatenus dirigibilis moraliter, & non quatenus dirigibilis artificiosè, debeat dici praxis. Sed planè eadem est vtriusque directionis ratio, & pari modo se habet notitia vno vel alio modo directiua. Vnde Logica quatenus directiua operationum intellectus, est verè & propriè practica, non minùs quàm scientia moralis: vt iam ab initio statuimus quæstione prima Logicæ.

Fundamentum verò oppositum facilè soluitur. Aut enim intelligit operationem esse praxim, quatenus subest bonæ moraliter electioni voluntatis: & sic falsum assumit. Aut intelligit cuicunque electioni liberæ voluntatis: & hoc infra examinabimus. Interim non solùm quoad rectitudinem moralem, sed etiam quoad artificialem, imo absolutè secundùm suam entitatem, operationes nostræ subsitant electioni voluntatis: etiam operationes ipsæ intellectus; nam liberè eligimus eas exercere, vno vel alio modo exercere, vt notissimum est.



SECTIO

SECTIO QVARTA.

Qualiter Praxis sit operatio quæ exerceri possit ab eo qui habet scientiam practicam.

IN primis communiter supponi videtur, ad rationem praxis requiri, vt possit exerceri ab eo ipso qui dicatur habere notitiam practicam: neque posse dici notitiam practicam de operatione, quæ non exerceatur ab eodem sciente, sed ab alio. Ita supponunt D. Thom. & Caietan. prima parte quęstione 14. articulo 16. Scot. quæstione quarta & quinta Prologi, Capreolus quæstione secunda, Molina prima parte quæst. 1. art. 4. disp. 1. & alij. Oppositum sentire videntur Gregor. qu. 5. Prologi art. 2. & Fonsec. 6. Metaph. cap. 1. quæst. 5. sect. 2. & 4. dicentes, etiam operationem quæ exerceri nequeat ab eodem sciente, posse dici praxim, & sciētiam de tali operatione esse practicā. Quoniam si quis careat instrumentis necessarijs ad operandum, potest adhuc possidere artes: v. g. potest mutus callere artem canendi, claudus saltandi, & manibus truncus ædificandi. Et si quis antea integer tales artes habebat, & postea amittat instrumenta necessaria, retinet vtique easdem artes practicas. Et in multis rebus aliqui per notitiam practicam dirigunt actiones aliorum, Prælatus subditorum, Architectus fabrorum, & Angeli hominum. Insuper si Deus de potentia absoluta daret facultatem alicui, efficiendi quod de se non poterat, v. g. efficiendi flores; is habebit notitiam practicam de tali re: ergo etiam antea, notitia quam is habebat de product ione florum, erat practica: quia vtique non potest eadem notitia mutari de speculatiua in practicam.

Praxis requirit potentiam operatiuā in habente scientiam practicam. Pro resolutione Dicendum, ad rationem praxis & notitiæ practicę requiri, vt operatio exerceri possit ab eodē sciente, & is cognoscat opus quatenus à se ipso factibile: non tamen requiri potentiam proximam & expeditam ad operandum. Prima pars ostēditur clarè: Tum ex Aristot. qui id perspicuè docuit 6. Me. tex. 1. *Factiuarum enim in faciente principium est, actiuarum in agente electio.* Et 6. Ethic. c. 6. *Ars considerat vt fiat aliquod eorum quæ esse & non esse possunt, & quorum principium in eo qui facit.* Tum à posteriori & ab exemplis. quādo consideramus creationē mundi à Deo, operationes quæ fiunt à cælis, ab Angelis, & ab alijs causis: vtique talis nostra consideratio non dicitur practica, nec eius obiectum dicitur praxis: sed tantùm, quando consideramus ea quæ fieri possunt à nobis. Tum à priori: quia notitia practica est illa quæ est directiua & effectiua operis, & praxis est illa operatio quæ est effectibilis per talem directionem rationis: ergo omnino supponitur, vt operatio possit exerceri ab eo qui dici debet habere notitiam practicā, & respectu cuius debet dici praxis. Non enim notitia quæ est in vno, est directiua & effectiua, nisi operis factibilis ab eodem cognoscente. Tum demum hinc patet debere formaliter cognosci opus, quatenus factibile à cognoscente. Nam si cognoscatur secundùm alias rationes, adhuc talis notitia non erit effectiua operis: sed id erit considerare rem operabilem modo speculatiuo, & non practico.

Non tamen requirit potentiam proximā & expeditam. Secunda pars deinde ostenditur exemplis adductis pro altera sententia. Nam ille qui caret instrumentis necessarijs ad operandum, non habet quidem potentiam proximam & expeditam: tamen remotè & radicaliter habet, & rectè considerat qualiter talia opera exerceret, si haberet instrumenta necessaria: & habet notitiam ex parte sua sufficientem & idoneam ad operandum, licèt ex alia parte impediatur. Item qui considerat & dirigit alienas actiones, vtique illas respicit quatenus à se dependentes, & quatenus in potestate eius est operari ad illas procurandas & promouendas. Hæc ergo operatio est per se praxis; & consequenter etiam actiones alienæ, tanquam opera dependentia ex directione ipsius. Demum, si Deus alicui communicaret facultatem efficiendi v. g. flores: tunc is haberet duplicem notitiam de tali obiecto. Vna esset de modo quo à causis naturalibus efficiuntur flores: & hæc semper est speculatiua, quia non est per se effectiua operis; & licet esset de

obiecto operabili, tamen non quatenus operabili ab ipso sciente. Alia esset de modo quo ipse per facultatem acceptam à Deo deberet tale opus efficere: & hæc verè esset notitia practica & operatiua. Quare non benè aliqui admittunt, eandem notitiam posse mutari de speculatiua in practicam, si Deus tribuat alicui potestatem faciendi id quod antea non poterat. Quòd si quis nunc apud se consideret, quonam modo flores efficeret, si à Deo talem facultatem acciperet: etiam nunc talis consideratio esset practica, quia iam esset de obiecto quatenus ab ipso operabili per facultatem accipiendam à Deo. Vnde insuper si quis falsò putet, posse se efficere, vel per vires naturales, vel per eleuationem diuinam, aliquod opus, quod tamen nullo modo ab eo fieri possit: adhuc talis notitia poterit dici quodammodo practica, quia est de obiecto, in eius existimatione, quamuis falsa, operabili. Non esset tamen aliter practica, idest realiter operatiua & factiua operis: si quidem tale opus non est ab illo factibile.

An requirat potentiam liberam voluntatis.

Deinde vlterius multi docere solent, ad rationem praxis requiri, vt sit operatio libera, idest possit fieri & non fieri ab ipso operante. Ita docent Perer. 1. Phys. cap 2. Fonseca 6. Metaph. cap. 1. q. 5. sect. 2. & 3. Suar. 1. par. tract. 1. lib. 3. cap. 4. nu. 2. Et supponere videntur Scholastici in Prologo sent. Vnde Scot. Capreol. & alij dicunt, praxim omnino esse actum, vel elicitum, vel imperatum voluntatis: & videntur exigere libertatem saltem quoad exercitium actus. Soncin. verò 6. Metaph. q. 2. exigere videtur libertatem etiam quoad specificationem. propter quod ait, amorem circa finem & bonum in communi, qui est actus necessarius quoad specificationem, non esse propriè praxim. Atque ex hac etiam conditione libertatis declarare solent, actiones partis vegetatiuæ in homine, non habere rationem praxis, nec notitiam quam habemus de his actionibus esse practicam, item amorem quo Beati diligunt Deum in patria non esse praxim, nec visionem beatificam ex hac parte esse practicam, & sic alias similes actiones necessarias non habere rationem praxis: quia non sunt in potestate nostra vt per scientiam practicam dirigantur. Et Arist. ipse 6. Ethic. cap. 4. & 5. dixit, artem & prudentiam esse de ijs rebus quæ esse & non esse possunt, non autem de ijs quæ ex necessitate sunt vel fiunt. Ex opposito aliqui significant, ad rationem praxis nullo modo requiri, vt à voluntate procedat, sed satis esse si ex cognitione dependeat.

Debet quidem depēdere à voluntate.

Pro resolutione dicendum est, reuera praxim debere exerceri dependenter à voluntate: tamen non requirere vt liberè fiat. Prima pars ostenditur: quia intellectus per suam notitiam directiuam non mouet ad operandum nisi mediante voluntate. Et omnis operatio exercenda ex directione & impulsu rationis, omnino vel elici vel imperari debet à voluntate. Et sic Arist 3. de Anima tex. 50. dixit, intellectum non mouere sine appetitu qui est volunias.

Sed non oportet vt liberè dependeat.

Secunda etiam pars ostenditur: quia potest operatio aliqua à voluntate procedere, non liberè sed necessariò: & tunc etiam fit ex impulsu & iudicio intellectus; quod iudicium vtique erit practicum, idest operatiuum: & talis operatio erit praxis, idest facta ex iudicio rationis. Et in primis, potest esse actus aliquis voluntatis liber quoad exercitium, non quoad specificationem, vt amor boni in communi. Et hic actus potest dirigi ac regulari per rationem vt eliciatur nunc, vel non eliciatur. Vnde sine dubio, iudicium quo intellectus affirmat, esse hic & nunc eliciendum talem actum, est iudicium practicum, & ipse actus verè est praxis. Deinde, si intellectus ita determinet, esse hic & nunc exercendum certum actum, perspiciendo in ipso exercitio actus omnimodam rationem boni, vt determinet necessariò voluntatem ad exercendum actum: vtique tale iudicium est omnino practicum: nam est operatiuum, imo inducit necessitatem ad operandum: non est propter se ipsum, nec gratia tantùm cognoscendi; imo maximè est propter operationem exercendum: ergo operatio sic elicita est verè praxis. Dantur etiam de facto in nobis actus subitanei & indeliberati qui sine libertate fiunt, & fiunt ex iudicio determinante voluntatem: & omnino tale iudicium dici debet practicum

cticum. Et, si Deus esset agens necessarium, vt Arist. fortasse putauit, & ageret per intellectum & voluntatem: vtique adhuc eius scientia esset practica, sicut nunc est. Atque etiam intra latitudinem cognitionis sensitiuæ mouentis appetitum sensitiuum, debet concedi in suo genere cognitio practica, quæ scilicet mouet ad exercendam operationem repræsentatam per talem cognitionem, licèt moueat necessariò: & talis operatio dicetur in suo genere praxis.

Adhuc verò excluduntur operationes partis vegetatiuæ. Nam non solùm fiunt necessariò, sed fiunt ex vi potentiarum naturalium, independenter à cognitione, & à voluntate, & appetitu: qua autem ratione possunt remotè & in causa regulari per cognitionem, sic dependent etiam ex libera applicatione voluntatis, & vt sic earum directio habet rationem praxis. Amor autem Beatorum in patria, si dicatur elici ex iudicio dictante talem actum esse exercendum, verè est praxis. Si autem dicatur elici solùm ex cognitione terminata ad Deum in se eiusque infinitam bonitatem: sic non est praxis, non ex defectu libertatis, sed quia non est obiectum notitiæ practicæ, sed consequitur ad visionem speculatiuam per connexionem potentiarum iuxta ea quæ diximus sect. 1. Arist. demum ibi tantùm docere voluit, artem & prudentiam non esse de ijs quæ ex necessitate extrinseca, idest ab alijs causis & non ab ipso homine efficiuntur: sed esse tantùm de ijs quæ ab ipso homine effici possunt, & absolutè loquêdo possunt non effici, quia si desit ipsa ars non efficiuntur, etiam si supposita arte siue iudicio practico necessariò efficiantur.

SECTIO QVINTA.

Quæ tandem operatio sit propriè & primariò praxis, circa quam versatur scientia practica.

SVpposito quòd praxis esse debeat operatio à voluntate ex cognitionis impulsu dependens: duplex est hæc operatio, alia est actus elicitus voluntatis, alia est actus imperatus. Cùm v. g. quis vult scribere, vult saltare; actus volendi, est actus elicitus voluntatis, actus autem scribendi, saltandi, &c. est actus imperatus à voluntate.

Scot. q. 5. Prol. Capr. q. 1. Sonc. 6. Met. q. 2. & alij, affirmare solêt, actum elicitû, qui est etiam imperans, per se esse propriè & primariò praxim: imperatum verò tantùm secundariò & per accidens. Atque adeò omnem actum alterius potêtiæ à voluntate, non esse nisi secundariò praxim, quia imperari debet mediante alio actu elicito voluntatis. Id autem probat Scot. quia praxis est quę sequitur ad cognitionem per quam regulatur: sed primò sequitur actus elicitus voluntatis, secundariò autem alius actus qui imperatur. Item praxis est quæ dependet ex libertate, aut saltem facultate voluntatis: quod etiam conuenit primariò actui elicito. Demum praxis est quæ conformatur rationi rectæ: primò autem conformatur actus elicitus, & consequenter actus imperatus.

Nihilominus dicêdum est, potiùs actû imperatum esse per se & propriè praxim, circa quam versatur scientia practica. Videtur res manifesta, si benè intelligatur. Et probatur primò. Praxis est operatio quæ regulatur & dirigitur per rationem. Sed actus imperatus est, qui per se & propriè dirigitur ac regulatur. Nam ipsis actibus imperatis per se applicâtur, de ipsis traduntur regulæ & præcepta benè operandi. Videlicet de actu scribêdi, de actu ædificandi, de actu saltandi. Similiter quoad actus internos, de ipso actu definiendi, de actu syllogizandi, & sic de alijs, directè traditur directio practica: non autem de actibus voluntatis, quibus homo velit scribere, velit ædificare, velit saltare. Ergo actus imperati sunt, qui per se & propriè habent rationem praxis.

Actus imperatus à voluntate, est per se & propriè praxis.

Secundò. Illa operatio est regulabilis & praxis, ad quam principaliter ordinatur notitia practica, & propter quam est ipsa notitia practica, quæ ideò non est propter se, sed propter aliud, idest propter praxim: sed notitia practica principaliter ordinatur ad exercendos actus imperatos, V. g. ars ædificandi ad ædificandum, ars scribendi ad scriben-

Quia per se regulatur à notitia practica.

dum: neque dixeris has artes ordinari ad volendum ædificare, ad volendum scribere: quinimo ipsemet actus volendi per se ordinatur ad actum alium exercendum: ergo actus imperatus est per se & propriè praxis.

Et obiectum notitiæ practicæ. Tertiò præcipuè. Illa operatio est verè praxis, quæ est obiectum notitiæ practicæ & regulatiuæ: circa hanc enim versatur notitia practica. Et per hoc assignatur essentialis ratio notitiæ practicæ, quòd versatur circa obiectum operabile, quatenus operabile: sed actus imperatus, non autem actus imperans elicitus voluntatis, est obiectum scientiæ practicæ. Nā cogitamus & consideramus opus ædificandi, actionem scribendi, & sic de alijs. Dicimus, obiectum Logicæ esse operationes intellectus, non autem voluntatem operandi, & sic in omnibus alijs scientijs practicis: et est res manifestissima. Ergo actus ipse imperatus est verè & propriè praxis.

Quartò. Iam sect. 1. probauimus, scientiam non constitui practicā per hoc quod ad eam consequatur actus aliquis voluntatis per modum naturalis sequelæ, qui non erat obiectiuè cognitus & repræsentatus per ipsam scientiam practicam: sed tantùm constitui per operationem cognitam & repræsentatam obiectiuè. Sed quādo quis considerat practicè ædificiū construendum, & ex hoc vult ædificare; actus hic voluntatis non consequitur tanquam obiectū repræsentatum, tāquam operatio practicè cognita, sed potius per modum sequelæ: actus autem ædificandi est, qui aptus est sequi tanquā operatio practicè cognita & repræsentata: ergo hic actus est verè & propriè praxis, per ordinē ad quam constituitur notitia practica, & & circa quā versatur sciētia practica. Itaque praxis, sicut est obiectum notitiæ practicæ, ita etiam est obiectum voluntatis operatiuæ. Et habet fieri ex vi huius notitiæ & voluntatis, tanquā actus imperatus.

Actus elicitus voluntatis, si sit etiā imperatus, est per se praxis. Quintò. Potest etiā actus elicitus voluntatis esse pari modo praxis, si sit simul imperatus, & sit obiectiuè repræsētatus per notitiā practicam. Sicut enim intellectus iudicat esse ædificandum, ita & pōt & solet iudicare esse eliciendū actum aliquem voluntatis, vt esse eliciendum actū amoris Dei. Tunc hic actus amoris est verè & in toto rigore praxis, circa quā versatur iudicium illud practicū, & quæ est obiectū eius notitiæ practicæ; tamen hic actus voluntatis est etiam imperatus per alium actum, quo voluntas determinat volo exercere actum amoris Dei. Vnde quatenus est actus imperatus, optimè est praxis, cùm simul sit actus elicitus. Ad rationem autem formalem praxis hoc modo per accidēs se habet quòd sit actus elicitus, sed per se facit quòd est actus imperatus, & obiectiuè repræsentatus per notitiam practicam.

Actus elicitus imperās voluntatis dicitur participatione quadam praxis. Sextò. Etiam actus elicitus et imperans voluntatis, qui habet pro obiecto suo praxim, poterit suo modo denominatiuè dici praxis per participationē ab actu imperato: quoniam habet pro obiecto suo operationē quæ est per se & directè praxis, & consequitur ad notitiā practicam, tanquam actus imperans praxim ad quā scientia practica principaliter ordinatur: & concomitanter regulatur ac dirigitur per eandem notitiam practicam: dum per illam dirigitur & regulatur illa operatio quæ est obiectum iudicij practici.

Ex his facilè respondetur ad argumen. Scoti. Illam operationē esse per se & propriè praxim, quæ sequitur ad notitiā practicam tanquam obiectū cognitum & regulatum, quæ dependet à voluntate tanquam obiectum volitum, quæ conformatur rationi rectæ tanquam obiectum cuius conformitas per se intenditur. Hæc autem omnia, per se conueniunt actibus imperatis.

SECTIO SEXTA.

De Scientia subalternante & subalternata.

Haec est alia diuisio scientiæ, de qua agit Arist. 1. Post. c. 7. à tex. 58. c. 8. à tex. 69. & c 13. à tex. 100. Non tamē hęc traditur tanquam diuisio adæquata, quasi omnis sciētia esse debeat aut subalternās aut subalternata: hoc enim nō est necessariū. Sed quia reuera inuenitur hic ordo inter quasdā scientias, quòd vna est subalternans, alia subalternata.

Hæc diuisio est vniuoca ge- Pererius autem 1. Phys. cap. 4. asserit, scientiam subalternantem & subalternatam non conuenire vniuocè in ratione scien-

neris in species. scientiæ, sed potius analogicè: quia scientia subalternata essentialiter à subalternante dependet. Sed in primis planè constat conuenire vniuocè, tanquam in vna ratione & conceptu communi, quia scientia verè & essentialiter dicitur de vtraque. Deinde nec etiam habent illam analogiam per dependentiam vnius speciei ab alia, quam habent accidens & substantia. Nam scientia subalternata non dependet à subalternante tanquam à causa per se & directè se habente, sed solùm per modum rationis & conditionis agendi: sicut assensus conclusionis ab assensu præmissarum. Sicut ergo diximus, tertiam cum secunda, & vtranque cum prima operatione intellectus, vniuocè conuenire: ita dici debet de scientia subalternante & subalternata. Et sine dubio scientia ponitur tanquam vnum genus in suo prædicamento. Explicanda ergo nunc est hæc subalternatio scientiarum, & quid & quæ sit scientia subalternans, ac subalternata.

Scientia subalternans ex vi ipsius nominis propriè denotat scientiam subijcientem & subdentem sibi alteram: sciẽtia subalternata è contra illam quæ subijcitur & subditur alteri. Plures autem modi subiectionis et subalternationis excogitari & distingui possunt. Sed quosdam paucos ex doctrina Aristot. recensere sufficiet. Plures etiam cõditiones requiri solent ad perfectã subalternationẽ scientiarũ: nec oẽs cõueniunt de singulis cõditionibus, vt videre est non solũ apud Expositores circa loca cit. Arist. sed etiã de hac re disputant Scholastici in Prolog. Sent. & alij Theologi ad initium primæ partis, Sonc. 4. Metaph. quæst. 9. Fonsec. 4. Metaph. cap. 1. quæst. 2. Suar. disput. 1. Metaph. sect. 5. Perer. 1. Physic. à cap. 13. & alij initio Physic. ac Metaphys. Sed ex ipsis variis modis subalternationis, colligemus etiam quæ conditiones ad perfectam subalternationem requirantur.

Primus modus subalternationis. Primus modus est ex parte obiecti, quando obiectum vnius scientiæ est species obiecti alterius scientiæ. Hoc modo Physica quę agit de ente materiali, siue de corpore naturali, est subalternata Metaphysicæ quæ agit de ente in cõi: & sic omnis alia scientia erit subalternata Metaphysicæ. Item in ipsa Physica, illa pars quæ agit de cęlis, aut de elementis, aut de animalibus, aliisuè corporum speciebus, est subalternata illi parti, quæ agit de corpore in communi. Et sic in omnibus rebus similibus.

Secundus modus. Secundus modus est ex parte rationis formalis, quando videlicet vna scientia considerat obiectum alterius, vel in toto vel in parte, sub aliqua tamen conditione accidẽtali superaddita. Sic Perspectiua dicitur subalternari Geometriæ, quia agit de linea visuali, cùm Geometria agat de linea simpliciter; sic etiam tota Mathematica dicetur subalternari illi parti Physicæ quæ agit de quantitate, quoniã Mathematica considerat quantitatem quatenus mensurabilem.

Tertius modus. Tertius modus est ex parte finis, quando videlicet vna sciẽtia ordinatur ad aliã illiq. veluti ministrat & seruit. Sic 1. Eth. cap. 1. arti equestri subiicitur ars frenorum effectrix, aliæq. artes quæ equestria instrumenta conficiunt. & 1 etiam Polit. cap. 5. Arist. meminit huius modi subiectionis & ministerij. Sic etiam Logica quodammodo subalternatur alijs omnibus scientiis, quoniam ordinatur ad directionem totius nostræ cognitionis: ideòq. dicitur Organum & instrumẽtum scientiarum: habens tamen pro obiecto ipsam nostram cognitionẽ quam dirigit.

Quartus modus. Quartus & maximè proprius subalternationis modus, quem Arist. & Philosophi præcipuè attendunt, est ex parte pręmissarum, ex quibus infertur conclusio scientifica: quando videlicet vna scientia seu demonstratio ad probandam suã conclusionem assumit propositionem aliquã, quæ erat cõclusio demonstrata in alia superiori scientia. Sic Medicina assumit hoc principium, contraria contrariis curãtur, quod probatur ex Physic. quia vnum contrarium expellit aliud. Similiter Geometria assumit hanc propositionem, à quolibet puncto ad quodlibet punctum potest duci linea, quæ probatur ex Physica, quia nunquam duo puncta sunt immediata, sed inter quælibet mediat spatium diuisibile. Atque in eadem scientia totali sæpè vna demonstratio assumit præmissam probatã in alia antecedenti demonstratione: quod pręsertim in Geometria est frequẽtissimũ.

V. g. in quinta demonstrat. primi Euclid. assumitur, Bases duorum triangulorum habentium latera alterum alteri æqualia, & angulos ijs lateribus contentos æquales, esse æquales; quæ erat conclusio probata demonstratione quarta. Sic ergo illa scientia & illa demõstratio quæ procedit ex aliqua præmissa probata in alia demonstratione, dicitur subalternata: illa alia dicitur subalternans.

Præcipuè autem attenditur hæc subalternatio inter diuersas scientias totales. Sic Medicina dicitur subalternari Physicæ, & Perspectiua Geometriæ. Vt autem absolutè loquendo vna scientia totalis dicatur subalternata alteri, non sufficit, si in vna vel in paucis quibusdam demonstrationibus subalternetur. Sed neque est requirendum, vt in omnibus prorsus demonstrationibus subalternetur. Sed tunc absolutè loquendo dicetur subalternari, quando vel in omnibus, vel saltem in magna parte suarum demonstrationum subalternetur.

Perfecta subalternatio plures modos inuoluit. Cæterùm perfecta ex omni parte subalternatio erit, quando vniuntur simul plures modi assignati, specialiter primus, secundus, & quartus. Nam tertius refertur potius ad scientias practicas: subalternatio autem perfecta, etiam inter sciẽtias purè speculatiuas inuenitur. Itaque hæ erunt tres conditiones requisitæ ad perfectam subalternationem: vt scientia subalternata habeat pro obiecto suo, speciem aliquam siue partem subiecti scientiæ superioris: vt addat conditionem aliquam accidentalem sibi propriam: & vt assumat præmissas probatas & demonstratas in scientia subalternante. Et hoc totum habetur ex doctrina Aristotelis hoc loco.

Essentialis ratio subalternationis. Notauit autem rectè Caietan. 1. parte quæst. 1. art. 2. hanc tertiam conditionem esse propriam & essentialem rationem subalternationis: & hanc esse essentialem differentiam scientiæ subalternantis & subalternatæ: quòd subalternans procedit ex suis principijs per se notis: subalternata verò ex principijs acceptis & notificatis lumine superioris scientiæ. Quam etiam differentiam assignat ibi Sãctus Thomas. Alias verò conditiones ait Caiet. aut consequi ad hanc conditionẽ essentialem, aut non esse necessarias. Et quidem ideò illæ duæ conditiones cum alia tertia coniunguntur: quia si vna scientia habeat subiectum prorsus disparatum ab alia, non vtetur propositionibus probatis in alia scientia: sed habebit etiam propositiones disparatas. Si autem haberet idem prorsus obiectum, vel partem obiecti secundùm rationem aliquã tali obiecto quidditatiuam & essentialem, non esset diuersa scientia, sed vel eadem prorsus, vel pars quædam illius scientiæ totalis. Vt ergo sit quidem distincta scientia & tamen sit subalternata, hæ omnes conditiones coniunguntur.

Quomodo scientia subalternata sumat præmissas ex subalternante. Postremò. Circa rationem dictam essentialem subalternationis, explicandum est, quomodo scientia subalternata procedat ex principiis probatis in superiori scientia, & quam notitiam eorum habeat, & quomodo sit verè scientia. Et ratio difficultatis in hac re est: quia cùm illa principia non sint seipsis euidentia, sed per demonstrationes subalternãtis: scientia subalternata, quæ non ea demonstrat, non habebit notitiam euidentem eorum; sed credet alteri scientiæ, nempè subalternanti, à qua illa accipit. Vnde tandem non videtur demonstratiuè & euidenter scire suas conclusiones, quas solùm ex principijs creditis deducit.

Propter hoc Capreol. quæstione prima Prolog. conclus. 1. & ad argum. Aureol. & Gregor. contra eandem conclusionem ait, ad scientiam subalternatam sufficere vt credat principia sua sibi tradita à subalternante; quod non est cognoscere euidenter, sed obscurè per habitum fidei: & vt euidentia eorum principiorum detur in ipsa scientia subalternãte; & hoc ipsum credatur à scientia subalternata. Sic quodãmodo continuari, & cõnecti scientiã subalternatam cũ subalternante; & hoc modo habere rationem scientiæ. Fauet D. Tho. Opusc. 70. q. 2. art. 2. ad 5. & 7., & 1. par. quæst. 1. ar. 2. vbi hac via declarat, Theologiam esse propriè scientiam, quia quamuis sua principia ineuidenter credat fide Diuina; ea tamen sunt euidentia in superiori scientia, nempè Dei & Beatorum. Imo Aristot. 1. Topic. capite primo ait, scientiam esse principiorum quorum habemus fidem.

Debet in Dicendum tamen est, scientiam subalterna-

intellectu dari noti tia euidens harum præmissarũ.

ternatam, vt sit verè scientia, debere procedere ex euidenti notitia præmissarum earum quas accipit à scientia subalternante: non quasi ipsamet scientia subalternata eas euidenter demonstret: sed quia supponere debet in eodem intellectu scientiam subalternantem in qua demonstrantur. Ita Aureol. & Gregor. apud Capreol. Soncin. 4. Metaph. quæst. 9. art. 2. Suar. disput. 1. Metaph. sect. 5. num. 46. & alij hoc loco. Caiet. etiam Bagn. Molina & alij plures 1. par. quæst. 1. art. 2. Vbi propterea Caiet. ait, scientiam subalternatam, & specialiter Theologiam, quatenus est in tali intellectu nõ habente euidentiam principiorum, non esse propriè scientiam, licèt sumptam secundùm se dicat esse scientiam,

Probatur hæc assertio clarè ex Aristotele: qui primo Posteriorum capite 1. ait: *Non sciet is qui non habet demonstrationem ipsorum principiorum demonstrabilium: scire enim propriè, & non secundùm accidens, ex quorum demonstratio est, habere demonstrationem est*. Quomodo verò ibidem dicat, principia debere esse indemonstrabilia, explicabimus quęstione sequẽti. Addit etiam Aristot. ibi & 6. Ethic. cap. 3. principia debere esse notiora conclusione: non ergo potest conclusio cognosci per scientiam, si principia cognoscantur tantùm per fidem.

Debet in eodẽ intellectu coniungi sciẽtia subalternata cum subalternante.

Probatur etiam ratione. Ex notitia ineuidenti præmissarum non potest duci notitia euidens conclusionis; sicut nec ex notitia probabili potest duci notitia certa: ergo si præmissæ tantùm fide creduntur, non potest haberi scientia conclusionis. Neque sufficit, quòd in superiori scientia illæ præmissæ sint euidentes: nisi in vno & eodem intellectu detur etiam ipsa scientia superior, idest notitia euidens earum præmissarum. Nam dum vnus habet euidentiam alicuius rei, eamquè testatur alteri: hic, dum credit testimonio illius, non habet vtique euidentiam., sed tantùm fidem obscuram. Et etiam si credat illum alium habere euidentiam, hoc ipsum assensu fidei credit, non autem scit euidenter. Ergo consequenter non poterit deducere euidentem scientiam aliarum conclusionum ex ijs præmissis tantũ fide creditis. Hinc rectè Sanctus Thomas quæst. 14. de Veritate artic. 10. notauit, discipulum credentem ijs quæ sibi à magistro dicuntur, & non habentem rationem eorum, quæ tamen perfectè à magistro sciuntur, non habere scientiam perfectam., nisi cùm postea eas rationes agnouerit; ab initio autem potiùs credere quàm scire. Et ad hoc adducit illud: *Oportet addiscentem credere*.

Itaque ad hoc vt in aliquo intellectu sit scientia subalternata quæ sit propriè scientia, oportet in eodem intellectu supponi scientiam subalternantem in qua habetur euidentia præmissarum, vt ex hac notitia euidenti gigni possit assensus euidens & scientificus conclusionum: & hæc est continuatio & coniunctio scientiæ subalternatæ cum subalternante.

Sic subalternata est vera scientia.

Hinc patet manifestè ad rationem difficultatis præmissam: qualiter scientia subalternata, vt sit vera scientia, non sola fide credit sua principia, sed supponit in eodem intellectu notitiam euidentem per scientiam subalternantem. Sanctus Thomas autem Opusc. 70. non sumpsit scientiam propriè & perfectè, sed in latiori significatione. In alio loco primę partis explicatur à Caietano ibi, quòd scientia subalternata, & Theologia, prout est in tali subiecto non habente euidentiam principiorum, non sit scientia: tamen secundùm se sit scientia per continuationem ad subalternantem, quia ipsa principia in se sunt euidentia, seu euidẽter cognoscibilia. Quod clariùs explicari debet, ex parte obiecti: conclusiones Theologicæ quantum est de se sunt scibiles, idest possunt sciri per sua principia, quia potest dari notitia euidens principiorum, & ex principijs cõclusionum. Aristot. verò planè nomen fidei latè sumpsit pro cognitione: nam etiam prima principia indemonstrabilia ait se ipsis habere fidem: idest se ipsis mouere intellectum ad assensum: neque loquutus est specialiter de scientia subalternata. Sic etiam latè vtitur verbo credendi 1. Poster. tex. 15. & sequentibus.

Quomodo scientia subalternata sciat quia res est, sub

Ex his etiam explicandum est, quod Aristot. ait, Scientiam subalternatam scire quòd res sit, siue quia res sit, subalternantem verò propter quid res sit: quia videlicet scientia subalternata non conficit per se demõstrationes ad probandas

alternans propter quid eſt. ſuas præmiſſas, ſed eas ſupponit ex alijs prioribus principijs demõſtratas à ſcientia ſubalternante. Vel etiam docere voluit, ſcientiam ſubalternatam non demõſtrare quidem à priori, & propter quid ſuas præmiſſas: tamen interdum illas demonſtrare à poſteriori, vel inductione, vel demonſtratione quia. In hoc tamen modo ſciendi & demonſtrandi, non eſt verè ſubalternata, quia non dependet ex alia ſuperiori ſcientia, ſed per ſe probat ſuas propoſitiones.

SECTIO SEPTIMA.

De Scientia totali & partiali: deque diſtinctione ſcientiarum totalium.

Quomodo distinguãtur ſcientia totalis & partialis. SAtis compertum eſt, ſolere ſingulari nomine nuncupari vnam ſcientiam, non ſolùm vnum aliquem aſſenſum vnius concluſionis: ſed præcipuè integram aliquam facultatem, quæ plurimas concluſiones earumquè notitiam continet. Sic Logica dicitur vna ſcientia, Phyſica vna ſcientia, & aliæ ſimiliter. Hinc orta eſt diſtinctio ſcientiæ totalis & partialis. Partialis dicitur, quę verſatur circa vnã aliquam concluſionẽ per vnã demonſtrationem. Totalis dicitur quæ complectitur collectiuè plurimas cõcluſiones & demonſtrationes habentes inter ſe certam connexionem. Scientia totalis planè cõſtituitur ex ipſis partialibus, eaſquè continet.

Poteſt autem hæc diuiſio adaptari ſcientiæ, tum quantùm ad obiectum, tum quantùm ad actus, tum quantùm ad habitus. Nam poſſunt ſigillatim accipi concluſiones quæ ſciuntur, & collectio plurium & omnium cõcluſionum. Item aſſenſus actualis vnius concluſionis, & aſſenſus omnium. Habitus ſcientificus vnius concluſionis, & habitus omnium.

Ex parte obiecti. Circa obiectum ſcientiæ totalis, & præſertim circa obiectum incomplexum quod eſt obiectum in concluſionibus quæ demonſtrantur, explicandum hic eſſet, qualiter quælibet ſcientia totalis debeat habere ſuum obiectum adæquatum & totale, vel per prædicationem, vel ſaltem per attributionem, & quale eſſe debeat, quaſuè conditiones requirat ſcientia totalis in huiuſmodi obiecto. Sed quicquid ſupereſſet dicendum præter ea quæ ſuperiori quæſtione abſolutè dicta ſunt de obiecto ſcientiæ, iam ſatis præmiſſum eſt in q. 2. vbi aſſignare oportebat obiectum adæquatum totius Logicæ. Quicquid verò pertinebit ad diuiſionem obiecti in varijs ſcientijs, tradetur infra.

Circa ſcientiam actualem facilè conſtat, ſcientiam totalem non dicere vnum ſimplicem actum qui attingat omnes concluſiones intra latitudinem certi obiecti totalis ſcibilis. Nam certè ſingulis concluſionibus, ſinguli ac diſtincti actus correſpondent. Ac proinde ſcientia totalis actualis conſurgit ex collectione tot actuum ſingularium. Vnde non eſt aliquid per ſe vnum, ſed tantùm habet vnitatem collectionis & ordinis. Imo vlterius, quia intellectus non elicit ſimul omnes actus ſcientiæ circa concluſiones ſcibiles, ſed ſucceſſiuè, modò vnum modò alium, vt compertum eſt: ſic ſcientia totalis non eſt tota ſimul quantum ad actus in intellectu: ſed eſt ſucceſſiuè & per partes, vt patet. Nec demum ſcientia totalis actualis ponitur per modum vnius compoſiti ſingularis in prædicamento: ſed potius ſinguli actus ponuntur per ſe: ponitur etiam ſpecies ſiue genus talis ſcientiæ per modum vnius vniuerſalis, complectens ſub ſe ſingulos actus particulares. *Ex parte actus.*

Circa ſcientiam habitualem, eſt præcipua & celebris difficultas: An ſit vnus ſimplex habitus, eliciens omnes actus, & complectens omnes concluſiones ſpectantes ad certam ſcientiam totalem: ſicut eſt vnus intellectus, eliciens omnes prorſus cognitionis actus, & reſpiciens omne obiectum intelligibile: & ſicut eſt vnus ſimplex habitus fidei diuinæ circa omnes veritates reuelatas à Deo & credendas à nobis: Vel potius ſint varij & diſtincti habitus quot ſunt concluſiones ſcibiles, qui diuiſim & ſucceſſiuè acquirantur, ſicut concluſiones addiſcuntur: Et ita ſcientia totalis habitualis, non ſit vna ſimplex qualitas: ſed tamen dicatur vna per aggregationem & colle- *Ex parte habitus.*

collectionem, sicut de actibus dictum est, & sicut constat esse plures distinctas species intelligibiles circa res distinctas. Verùm hæc quæstio propriè spectat ad tractatum de habitibus, & supponit dari habitus, & omnino dependet ex natura & acquisitione habituum. Itaque in suum tractatum philosophicum de habitibus remittenda est.

Quomodo distinguantur plures scientiæ totales.

Nunc ad præsentem locum propriè spectat inquirere, An & quomodo plures ac variæ scientiæ totales distinguendæ ac designandæ sint. Hoc enim est proprium munus Logicæ, vt notauit Auerr. 2. Phys. com. 16.

Antonius Bernardus Mirandulanus lib. 13. de Euersione singularis certaminis sect. 6. & 7. quem quidam alij sequuti sunt, voluit, non esse ex natura rei distinctas plures scientias totales, præsertim speculatiuas: sed solùm hominum placito & industria fuisse aliquot scientias distinctas ad maiorem addiscentium commoditatem. Imo antiquiores Philosophi non videntur agnouisse distinctionem scientiarum, sed potius totam doctrinam de omnibus rebus confusè tradebant. Et Plato ipse sine certo ordine & distinctione, in varijs dialogis disposuit suas tractationes & quæstiones, partim ad Logicam, partim ad scientiam moralem, partim ad disciplinas mathematicas, & alias facultates philosophicas, pertinentes. Fundat Mirandul. suam sententiam in auctor. Arist. qui 4. Metaphysic. textu 6. & 7. asserit vnius scientiæ esse speculari ens & species eius & species specierum, & quæcunque conueniunt enti.

Alij communiter asserunt vel supponunt, distinctas esse scientias totales, non ex mero hominum arbitrio, aut addiscẽtium commoditate, sed ex natura ipsarũ rerum scibilium, earumquè diuersitate.

Ob addiscentium commoditatem.

Dicendum ergo est, magna addiscentium commoditate factum esse, vt plures scientiæ totales certo ordine ac dispositione distinctæ sint: idquè proximè quidem hominum studio & industria factum esse: sumpta tamen distinctione & dispositione ex ipsa natura & diuersitate rerum scibilium. Hoc totum videtur satis manifestum. Nam sine distinctione plurium scientiarum, magna difficultas & confusio esset in addiscendis rebus. Talis erat ante tẽpora Arist. & Plat quando non adhuc scientiarũ distinctio & dispositio, sicut postea fuit, excogitata erat. Præcipuè autem Aristot. post Platonem plures scientias distinxit & ordinauit. Disserit de hac rę Euseb. Cæsarien. libro 11. de Præparatione Euangelica capite primo. Et Aristoteles quidem omnium optimè hoc perfecit. Plato autem ex parte.

Et ex diuersitate ipsa rerũ.

Hæc autem distinctio scientiarum, facta non est ex mero hominum arbitrio, veluti casu & temerè: sed spectata distinctione & conuenientia rerum. Neque distinctæ sunt plures scientiæ, nisi ob distinctas rationes obiecti: neque designata est vna quælibet scientia totalis, nisi ob vnam aliquam rationem obiecti. Sicut distinctio & constructio prædicamentorum, fuit quidem humanum artificium, hominum ingenio fabricatum, ad commoditatem addiscentium, vt faciliùs res omnes noscere & percipere possent: tamen totum factum fuit iuxta ipsarum rerum naturam, spectata varia diuersitate & conuenientia ipsarum rerum. Atque Aristoteles primo Posteriorum cap. 23. ex natura rei deducit quasdam regulas ad cognoscendam distinctionem vel vnitatem scientiarum. Hoc autem totum ostendendum est, discurrendo per distinctionem variarum scientiarum.

Distinguuntur scientiæ totales, speculatiua & practica.

Debebant in primis distinctæ esse scientiæ, practica & speculatiua. Habent enim obiectum adeò diuersum, operabile & non operabile. Habent fines adeò distinctos, scire & operari. Habent modos procedendi dissimiles, vel tantùm considerando res quæ sunt, vel tradendo regulas & præcepta faciendi vt res fint, conficiendo etiam & adhibẽdo instrumenta operatiua & directiua. De facto etiam inductione ostendi potest, quàm magna diuersitas sit inter omnem scientiam practicam ac speculatiuã: vt manifestè constet, ex natura rei, & ex ipsa rerum diuersitate, has scientias debuisse seiungi.

Non in rebus Theologicis, sed in re-

Neque obstare debet, Fides Diuina & sacra Theologia, quæ vna totaliter esse dicitur, nec in plures facultates totales distinguitur: & tamen simul com-

plecti-

bus natu ralibus. plectitur partem speculatiuam & partem practicam. Nam fides Diuina est habitus infusus, se habens per modum potentiæ: & vnus habitus fidei infunditur à Deo circa omnes veritates reuelatas, Catholica fide credendas. Theologia verò ex eodem lumine infuso supernaturali procedit, & in ipsa vna fide fundatur: habentque res theologicæ talem habitudinem, & tota Theologia talem vniformem procedendi modum, vt nec necessarium, nec opportunum visum sit, illam in plures totales scientias distribuere, de qua re suo loco ad initium ipsius Theologiæ agendum est. At in scientijs naturalibus oportuit, penes diuersitatem speculatiui & practici, plures scientias totales distinguere.

Deinde debent etiam distingui plures scientiæ speculatiuæ, & plures practicæ. De qua re sigillatim agendum sequitur. Et priùs quidem de scientijs practicis, quoniam res est facilior, & earum distinctio aliquantum ad distinctionem speculatiuarum deseruiet.

Aristoteles verò ibi quarto Metaphys. tantùm docere voluit, ad vnam scientiam pertinere contemplari ens & species entis secundùm communem ipsam rationē entis. Vel vnam scientiam vnitate generica considerare omne obiectum scibile: sub qua tamen plures scientiarum species circa diuersas species obiectorum distingui possint. Vel demum loquutus est de consideratione philosophica & speculatiua entis, coniungendo Metaphysicam & Physicam; ac docendo, vnam totalem Philosophiam esse, quæ considerat ens & omnes species entis, vt attingemus sectione nona.

SECTIO OCTAVA.

De Distinctione plurium Scientiarum practicarum.

QVamuis absolutè & amplè loquendo, omnis notitia qua iudicatur quicquam operandum, siue benè & rectè, siue malè & indirectè, siue tantùm materialiter accipiendo operationem, sit verè practica ad distinctionem notitiæ speculatiuæ. Tamen specialiter æstimatur illa notitia practica quæ ordinatur ad benè & rectè operandum, quæquè sic dicitur directiua operationis. Hac ratione instituta sunt scientiæ & facultates practicæ, quæ hominibus vtiles sunt, & quæ à peritis edoceri, à cæteris edisci solent. Omnis ergo scientia totalis practica, & in vniuersum omnis ars & omnis facultas practica, instituta est ad dirigendam aliquam nostram operationem.

Itaque ex diuersitate ipsarum rerum operabilium, siue operationum dirigibilium, aut ex diuersitate finis intenti aut ex diuersitate rectitudinis in operationibus inducendæ, atque ex diuerso modo procedendi & operandi, ex diuersis generibus regularum & præceptorum, ex diuersis instrumentis & medijs deseruientibus ad finem intentum, plures sciētiæ aliæquè facultates practicæ distinguendæ fuerunt, & meritò distinctæ sunt. Et ita insinuauit Aristoteles primo Ethicorum cap. 1.

Scientia practica diuiditur in actiuam & factiuā. In primis Aristot. 6. Metaph. text. 1. distinguit scientiam practicam in actiuam & factiuam, & obiectum operabile in agibile & factibile, siue operationem in actionem & factionem. Hanc eandem distinctionem actionis & factionis, facultatis actiuæ & factiuæ, tradit ad distinguendum prudentiam & artem, 6. Ethicorum cap. 4. & 5., lib. 1. Magnor. moral. cap. 33. & alibi. Eo autem loco Magn. moral. ait, nomen praxis, & notitiæ practicæ, specialiter appropriari actioni & notitiæ actiuæ. Sed iam satis constat, absolutè hæc nomina praxis & notitiæ practicæ, esse communia etiam factioni & notitiæ factiuæ. Ipsa autem nomina actionis & factionis, sicut & verba agendi & faciendi, extra hanc rem confundi solent: tamen in hac re in diuerso sensu sumuntur.

Affertur quidam modus explicandi diuisionē. Difficile autem est, quidnam Aristot. his nominibus intellexerit. Et multi sic explicant: nomine actionis intelligi operationem bonam moraliter, siue actionem humanam quatenus capacem bonitatis moralis, quatenus dirigibilem in genere moris. Nam Aristot. determinat, prudentiam versari circa actionem, & per hoc ab arte distinguit: ait actionem cum electione coniungi, idemquè esse agibile ac eligibile, electionem autem

tem

tem fine dubio refert ad exercitium virtutis & honestatis. Nomine factionis explicant intelligi operationem quæ transit in externum subiectum, & non immanet in eodem operante, imo quæ relinquit aliquod opus factum permanēs post ipsam operationem; sicut ædificatio relinquit post se ædificium. Nam hoc modo Aristot. ipse 9. Metaph. text. 16. explicat operationem transeuntem: & primo Magn. moral. cap. 33. apertè hoc modo distinguit factionem ab actione, quia factio habet aliquem alium finem, nempè opus quod efficitur, actio autem non habet aliquem alium finem aut opus, sed idem est huis exercitium & actio. Et 6. Ethicorum cap. 5. ait, finem factionis esse quid ab ea diuersum.

Reijcitur. Verùm hic modus diuidendi sic explicatus, est planè inadequatus et insufficiēs. Nam si nomine actionis intelligatur tantùm operatio bona seu dirigibilis moraliter, & nomine factionis operatio trāsiens, ac etiam quæ relinquit opus post se: in quonam genere collocantur aliæ operationes quæ sunt dirigibiles in alio genere præter genus moris, & non relinquunt opus post se, nec sunt transeuntes, sed immanentes in eodem operante? huiusmodi autem sunt, operationes pulsandi varia instrumēta per artes musicas, quæ transeunt quidem in subiectum externum, tamen nō relinquunt opus post se: itē operationes saltandi & canēdi & rectè loquendi, quæ in corpore hominis exercentur, & diriguntur etiam per suas artes & scientias, operationes demum intellectus quæ omnino sunt immanētes. & sunt vtique in suo genere dirigibiles.

Item hic modus non benè distinguit actionem à factione. Nam operatio moralis & dirigibilis in genere moris, non solùm est immanens & interna, sed etiā transiens & externa. Imò actus externus dicitur participare eandem moralitatem cum actu interno. Et scientia moralis atq. prudētia dirigit simul omnes actus. Et licèt bonitas & malitia moralis dicatur primariò conuenire actibus internis voluntatis, & secundariò denominare actus externos, formaliter loquendo: tamen obiectiuè potius è conuerso actus interni specificātur ab externis quos habent pro suis obiectis. Et hoc est magis attendendum ad rationem praxis & sciētiæ practicæ, quia notitia practica intellectus habet pro obiecto suo dirigibili idem obiectū in quod debet fieri volūtas. Et vlterius aliqui actus sunt qui diriguntur in genere moris, vt relinquant post se opus benè ordinatum moraliter. Sic actus benè constituendi ac gubernandi Rempublicam per Politicam, & familiam per Oeconomicā, habēt relinquere rectam ordinationem reipublicæ & familiæ: quod ipsum satis apertè indicauit Arist. 1. Polit. cap. 1. & 1. Oeconom. cap. 1. Non benè ergo illo modo distinguebatur actio & factio.

Alio modo aliqui adæquatè explicant diuisionem: nomine factionis intelligi omnem & solam illam operationem quæ terminatur ad opus quoddam distinctum & relinquit ex se opus: nomine autem actionis omnem & solam illam quæ non relinquit post se aliud opus, siue interna sit siue externa. Vel aliter nomine factionis intelligi omnem operationem externam & transeuntem, siue relinquat, siue non relinquat post se opus: nomine autem actionis solam operationem immanentem & internam & quæ non relinquit post se opus. Vtrumque hunc modum approbat Fonseca ad scientias practicas distinguendas 2. Metaph. cap. 3. q. 2. sect. 4. *Afferitur alius modus.*

Verùm hæc explicatio, licèt ex vna parte videatur constituere diuisionem adæquatam: tamen non constituit aptam distinctionem scientiarum. Nam prima & præcipua distinctio tradenda est inter scientiam moralem & scientiam non moralem; vt mox infra constabit: & retinendo distinctionem actionis & factionis, debet scientia moralis propriè circa actionem designari. At non potest scientia moralis adæquatè circa operationē non relinquentem opus post se, vel circa operationem immanentem & internam, designari: cùm etiam circa alias per se & directè versetur tanquam circa obiectum dirigibile. Sicut prudentia per se & directè considerat operationes ipsas exteriores, & aliquas etiam quæ relinquunt opus post se, vt constat ex supra dictis. Præterea illa explicatio adhuc non est omni ex parte adæquata. Si enim nomine actionis intelligatur *Reijcitur.*

opera-

operatio quæ fit immanens & non relinquat opus post se; nomine autem factionis operatio transiens: sic omittitur operatio si quæ sit immanens & relinquat effectum post se: sed deberet potius nomine actionis intelligi omnis operatio immanens, etiam si relinquat effectum post se: cuiusmodi potest assignari motus localis quatenus relinquit præsentiam in certo loco, item quodammodo vestire, ornare se ipsum, pascere se ipsum, ex qua operatione consequitur nutriri, & augeri, sanari, vel alijs modis affici. Nam huiusmodi etiam sunt illi effectus qui relinqui solent in externo subiecto per operationem transeuntem.

Verus modus explicandi diuisionem. Optimus ergo modus explicandi & diuidendi erit, assignando ex vna parte operationem moralem, siue dirigibilem in genere moris; & ex altera parte operationem quæ dici potest artificialis, siue dirigibilis in genere artis, sumendo nomen artis, non prout distinguitur à scientia, sed magis amplè prout distinguitur à genere moris, & extenditur ad omnem directionem à morali distinctam. Nam duplex est genus rectitudinis quæ Induci potest in nostras operationes, & per facultates practicas intendi. Alia est rectitudo moralis quæ est bonitas & honestas. Alia est rectitudo quæ dici potest artificialis: vt sect. 3. notauimus. Possuntquè eædem nostræ operationes considerari secundùm vtranque rationem: quare hæc distinctio est potius formalis quàm realis. Nomine ergo actionis intelligetur operatio dirigibilis moraliter, & nomine factionis operatio dirigibilis artificialiter. Sic distinguetur optimè duplex genus scientiæ practicæ. Alia est scientia moralis, quæ dicetur actiua. Alia non moralis, quæ dicetur factiua.

Comprobatur. Patet autem, hunc esse optimum modum distinguendi scientias practicas. Tum quia de facto hæc distinctio vsu ipso obseruata est, ab ipso etiam Arist. Tum quia hac ratione, præter scientiam, distinguuntur etiam prudentia & ars, prudentia quidem circa operationes quatenus moraliter dirigibiles, ars circa operationes quatenus artificiosè dirigibiles. Tum quia hæc distinctio sumitur ex obiecto formali & fine præcipuo scientiæ practicæ. Nam scientia practica maximè intendit rectitudinem operationis, & considerat operationem quatenus dirigibilem. Ex duplici ergo rectitudine & dirigibilitate, optimè distinguitur duplex genus scientiæ practicæ. Neque ita per se facit ad specificandam scientiam practicam, si operatio sit transiens vel immanens, si relinquat vel non relinquat post se opus, sicut quòd consideretur quatenus in vno vel alio rectitudinis genere dirigibilis. Tum demum hæc distinctio est omni ex parte commodissima, vt experientia ipsa docuit: fundatur in valde diuerso modo procedendi, diuersis regulis & præceptis directiuis.

Cæterùm Arist. 6. Metaph. tex. 1. optimè potest in hoc sensu intelligi, vt patet in textu. Et hic locus est præcipuus, quoniam ibi Arist. ex professo tradebat distinctionem scientiarum. Alijs verò locis non semper in eodem sensu, nec tàm adæquatè & distinctè videtur accepisse actionem & factionem. Poterant enim hæc nomina varijs modis accipi. Plato etiam in eodem sensu quem explicauimus de operatione & scientia morali, videtur assignasse actiones & scientias actiuas: vt videre est apud Alcin. cap. 3. de Doctr. Platonis.

Scientia actiua, seu moralis, diuiditur in Ethicam, Politicã, Oeconomicam. Deinde scientia actiua, idest moralis, in tres præcipuè diuiditur: Ethicam quæ dirigit actiones singulorum circa se ipsos: Politicam quæ dirigit actiones Principum, Magistratuum, & aliorum circa Rempublicam: & Oeconomicam quæ dirigit actiones Patrisfamilias & aliorum circa familiam. quas omnes tres scientias Arist. latè conscripsit: & in earum initijs, qualiter distinguantur explicare curauit.

Scientia factiua, seu nõ moralis, non benè diuiditur in septem artes liberales & septẽ seruiles. Denique scientia factiua, idest practica non moralis, videri potest rectè diuidi diuisione quadam vulgata qua numerantur septem artes liberales, & septem seruiles seu mechanicę. Liberales sunt, Grammatica, Rethorica, Dialectica, Geometria, Arithmetica, Musica, & Astronomia. Seruiles sunt, Agricultura, Venatoria, Militaris, Fabrilis, Chirurgia, Textoria, Nautica. Illæ dicuntur liberales, quia magis animum corpori dominantem exornant, & decent homines ingenuos ac liberos. Aliæ dicun-

dicuntur seruiles & mechanicæ, quia magis corpus exercent & fatigant, ac decent homines subditos & seruos.

Verùm hæc diuisio, nec est propria scientiæ practicæ, nec est adæquata. Non est propria: quia inter artes liberales numerat scientias mathematicas speculatiuas. Non est adæquata: quia plures omittit, vt partim ex dicendis, partim facili consideratione constare potest. Sic etiam S. Thom. Opusc 70. q. 5. art. 1. ad 3. ex Vgonis auctoritate notauit, illam diuisionem non esse adæquatam: sed ideò illas facultates enumeratas esse: *Quia his primùm erudiebantur qui Philosophiam discere volebant Et ideò in triuium et quadriuium distinguuntur, eo quod ijs quasi quibusdam vijs viuax animus ad secreta Philosophiæ introeat*. Arist. verò 8. Polit. c. 3. quatuor artes in quibus exerceantur iuuenes numerauit. Seneca epist. 89 quinque. Plato lib. 6. de Repub sex Itaque non est vnus certus ac necessarius modus diuidendi huiusmodi facultates.

Aliter diuiditur in varias scientias & artes. Aliter ergo scientia practica non moralis diuidenda est. Alia scientia est quæ dirigit operationes immanentes & internas in anima, quales sunt operationes intellectus: & hęc est Logica. Addi etiam potest ars memoratiua, quæ tradit regulas & pręcepta memorię, & oratoribus est in vsu. Alię sunt quę dirigunt operationes immanentes & externas in corpore, non indigentes nisi naturalibus corporis organis. Tales sunt illę quę dicuntur sermocinales, & dirigunt sermonem externum: vt Rethorica, Poetica, Grammatica: item ars canendi; pręterea ars saltandi; & si quę sunt aliæ similes. Alię sunt quę dirigunt operationes indigentes alijs artificialibus instrumentis. Et hę rursus, alię sunt quę solùm in ipso actuali exercitio consistunt, nec relinquunt aliud opus post se: alię quę per se habent efficere quædam opera permanentia, quę opera per se & principaliter dicuntur dirigi per facultates practicas, vt pingere, sculpere, ędificare, & alię similes. In quo etiam genere potest computari Medicina quę intendit efficere sanitatem. Atque hę omnes, varię & distinctę sunt iuxta varietatem ipsorum operum, & actionum, & instrumentorum quibus vtuntur: vt vix ipso satis constat. Communi autem voce, hę nuncupantur artes. Itaque Vel quando diuiditur scientia practica, sumitur nomen scientiæ latè: & intelligitur diuidi cognitio practica communis tam ad artes quàm ad scientias propriè dictas. Vel obseruandum est, in ipsis facultatibus quæ appellantur artes, posse considerari res artificiales, tum in quadam vniuersalitate, tum in particulari: & quatenus considerari possunt in vniuersali, sic constituere possunt scientias propriè dictas, & hoc modo intelligetur diuidi scientia propriè & in rigore dicta. Et hę scientiæ intelligentur vocari artes, latiùs sumendo nomen artis prout etiam ad scientias practicas extenditur, sicut sępè sumpsit Arist., 1. Metaph. cap. 1. & alibi.

SECTIO NONA.

De distinctione plurium scientiarum speculatiuarum.

Metaphysica, Physica & Mathematica. Communis Philosophorum sententia, scientiam speculatiuam in tres species adæquatè distinguit; Metaphysicam, Physicam, & Mathematicam. Ita perspicuè diuidit Arist. 6. Metaph. cap. 1. & alibi. Et ante ipsum Plato apud Alcin. cap. 6. de Doctr. Plat. Eandem diuisionem tradunt & approbant Damasc. in Phys. cap. 1. Boet. de Trinit. cap. 2. Ptolemęus in princip. Almagest. Auicen. initio suę Metaph. Algazel. initio suę Philosoph. Themist. & Philop. initio Physicę, Eustrat. initio Ethicę, Albert. D. Thom. Scot. & alij Peripatetici communiter initio Physicę aut Metaph. & 6. aut 11. Metaph. Opinatur verò Perer. 1. Physic. c 6. & 12. hanc diuisionem non esse vniuocam sed analogicam. Affert quasdam futiles rationes: quas otiosum esset referre. Itaque supponendum est, diuisionem esse vniuocam: vt etiam quæstione sequ. sect. 2. dicemus, demonstrationem esse vniuocè communem demonstrationi propter quid & quia.

Ad explicandum verò, vndenam hæc distinctio, eiusquè sufficientia desumatur, valde frequens & communis dicendi modus est, obiecto conuenire rationem quandam formalem in genere obiecti seu in

in ratione scibilis, per quam scilicet constituatur obiectum scibile: & hanc rationem esse abstractionem à materia: quoniã intellectus noster, cùm sit potentia spiritualis & immaterialis, intelligit per abstractionem à materia, ad differentiam sensus qui attingit res sensibiles prout cõcretas in materia. Et quia, cùm materia sit ratio mutationis & contingentiæ; res per abstractionem à materia habent certitudinem & necessitatem. Vnde hanc abstractionem vocant rationem formalẽ sub qua, idest sub qua obiectum est scibile. Et ita ex diuersis gradibus abstractionis desumi distinctionem earũ trium scientiarum.

Triplex abstractio à materia.

Triplicem enim abstractionẽ assignant. Prima est abstractio à materia signata & singulari: quo modo abstrahunt res ipsæ materiales consideratæ in vniuersali, saltem enim abstrahunt à materia singulari. Secunda est abstractio à materia sensibili in vniuersum, idest à materia substantiali etiam in vniuersali: quo modo abstrahit quantitas dum consideratur præcisè secũdùm se absque materia. Tertia est abstractio à materia intelligibili. Materia intelligibilis vocatur ipsa quantitas. Et ita appellatur ab Aristotele 8. Metaph. 15. & 16. Et vocatur materia, quia est subiectũ aliorum accidentium & qualitatum materialium, ac dicit multitudinem & compositionem partium; intelligibilis verò; quia quatenus abstracta, potest quidem intelligi, non autem sentiri. Hoc modo abstrahunt ab omni materia res spirituales, quæ nempè nec habent materiam substantialem, nec extenduntur per quãtitatem. Hoc etiam modo abstrahunt prædicata transcendentia & communia rebus immaterialibus & materialibus. Res quę abstrahũt à materia intelligibili, supponuntur etiam abstrahere à materia sensibili & signata: & quæ abstrahunt à materia sensibili, supponuntur abstrahere à materia signata.

Alio modo loquendi solet hic triplex gradus designari. In primo gradu dicuntur res non abstrahere à materia, nec re nec ratione, idest à materia essentialiter sumpta. In secundo modo dicuntur abstrahere ratione & non re, quia quantitas realiter quidem est in materia, sed per rationem consideratur sine materia. In tertio gradu dicuntur abstrahere re & ratione, quia res spirituales realiter carent materia, & prædicata illa vniuersalia possunt realiter inueniri sine materia, in ijsdem scilicet rebus spiritualibus. Notauit autem D. Thom Opuscul. 70. q. 5. art. 1. non dari quartum gradum abstractionis quo res abstrahant re & nõ ratione: quia quod à parte rei caret materia, non concipitur ab intellectu in materia: intellectus enim potius habet denudare res à materia.

Sententia distinguẽs illas tres scientias ex triplici abstractione.

Ex hac triplici abstractione distinguũt tres illas scientias. Physica enim considerat res abstrahentes tantùm à materia signata, quia agit de rebus materialibus in vniuersali. Mathematica abstrahit vlteriùs à materia sensibili, quia agit de quantitate per se sumpta. Metaphysica demum abstrahit à materia etiam intelligibili, quia agit de rebus spiritualibus, & de illis communibus prædicatis. Ita hanc rem explicant & defendunt D. Tho. Opusc. 70. quæst. 5. art. 1. & in principio Metaphysic. & alibi frequenter. Caiet. prima parte quæst. 1. art. 3. Soncin. 6. Metaph. quæst. 8. Suess. 6. Met. disp 3. Capreol quæst. 3. Prolog. Ferrar. 2. contra Gent. cap. 4. Sotus & Toletus 1. Poster. cap. 23. Themist. in Procem. Phys. Perer. 1. Physic. cap. 5. & seq. Conimbr. 1. Physic. cap. 1. quæst. 1. Fons. 4. Met. cap. 1. quæst. 1. sect. 4. & lib. 6. cap. 1. quæst. 6. Suar. disput. 1. Metaph. sect. 2. num. 12. qui tamen postea disput. 44. sect. 11. num. 68. & 69. id non satis approbat. Imo Aristot. ipse per hanc viam abstractionis eas tres scientias videtur distinguere 6. Metaph. cap. 1. lib. 11. summa 3. cap. 1. & 1. de Anima tex. 17.

Distinguens plures scientias Mathem. ex diuersis gradibus abstractionis.

Rursus Mathematicam in plures scientias totales distinguunt ex diuersis etiam gradibus abstractionis, qui intra illam abstractionem à materia sensibili distingui possunt. Et quidem quinque scientiæ Mathematicæ assignantur, Geometria, Arithmetica, Perspectiua, Musica, & Astronomia. Et aliqui addunt Geographiam quæ describit orbem terrarum: & alij alias. Diuersi autem gradus abstractionis sunt, quia Geometria considerat quantitatem continuam, Arithmetica verò discretam, idest numerum, vnde abstrahit ab illa materiali continuitate par-

te partium quam dicit quantitas cótinua. Aliæ tres applicant quodammodo principia abstracta mathematica ad res sensibiles: vnde minùs abstrahunt à materia. Et dicuntur quodammodo mixtæ, & veluti mediæ inter puras Mathematicas & Physicam. Inter se verò differunt in abstractione, quia Perspectiua subalternatur Geometriæ, Musica Arithmeticæ, & Astronomia Physicæ. De quibus omnibus loquitur Arist. 2. Physic. text. 16. & seq. & ibi Auerr. & latè Conimbric. cap. 2. quæstione vnica, & Soncin. 6. Metaph. quæst. 11. & alij.

Abstractio à materia, non est ratio constituti ua obiecti scibilis.

Verùm hæc ratio distinguendi scientias, non leues patitur difficultates. Primò & à priori: quia abstractio illa à materia, reuera nō est ratio cōstituens obiectum scibile, nec quicquam iuuans ad scientiam: sed merè per accidens se habet. Nam intellectus intelligit quidem per abstractionem à materia, non tamen per abstractionem obiecti terminantis cognitionem, sed per abstractionem specierum intelligibilium quæ debent esse spirituales. Et hæ species in suo esse semper debent habere summam abstractionem ab omni materia, de quocunque obiecto sint. Per has species intellectus æquè cognoscit quodcunque obiectum quantumuis concretum in materia. Atque etiam res concretas in materia singulari, quatenus tales, optimè intellectus attingit. Et quando dicitur, de singularibus non dari scientiam: id solùm verificatur; quia non est propria de vno aut alio singulari, scientia de prædicatis cōmunibus: tamen reuera datur de ipsis singularibus. Et hoc totum pari modo procedit de singularibus spiritualibus. Vnde illud non prouenit ex impedimento materiæ. Imo præterea intellectus noster faciliùs intelligit res materiales, quā spirituales, vt est notissimum: intellectus item Diuinus & Angelicus non minùs facilè intelligit res materiales quàm spirituales. Tantum abest vt abstractio à materia constituat obiectum scibile. Nec quicquam refert, quòd res dum magis abstrahunt à materia, sunt magis similes & proportionatæ intellectui. Nam ad intelligendum nō refert similitudo in essendo. Sicut ex eo quod intellectus est potentia accidentalis, non per hoc faciliùs intelligit accidentia quàm substantia; aut anima ex eo quod est substantia, faciliùs substantias quàm accidentia: nec magis aut minùs facilè quascunque res quæ magis aut minùs assimilantur in essendo. Imo certè per hoc quòd res materiales considerentur in vniuersali, non sunt magis similes huic intellectui singulari. Neque est magis similis intellectui quantitas eo quòd abstrahat à materia substantiali, quàm sit materia substantialis si sumatur vt abstrahens à quantitate.

Secundò. Nec etiam abstractio à materia confert vllo modo certitudinem & necessitatem. quinimò propositiones essentiales, tàm certæ & necessariæ sunt in rebus materialibus, & singularibus, quàm in rebus spiritualibus, & vniuersalissimis. E contra propositiones accidentales, tam sunt contingentes & mutabiles in rebus spiritualibus, sicut in materialibus; vt Angelus nunc mouetur, nunc loquitur, nunc cogitat hoc aut illud, & similes.

Nec est distinctiua scientiarum.

Tertiò in speciali. Non benè Mathematica per illam abstractionem distinguitur à Physica & Metaphysica. Tum quia Mathematica nè curat quidem an quantitas distinguatur à substantia, vel sit ipsa substantia: sed perinde in se benè subsistit, etiam si quantitas esset ipsa substātia: aut si doctrina mathematica intelligatur de substantia quæ subest quantitati. Imo Aristot. 12. Metaphys. tex. 44. ait inter Mathematicas scientias, Astrologiam considerare substantiam, alias verò nequaquam. Tum deinde, Arithmetica quæ agit de numero, tradit suam doctrinam æquè communem ad multitudinem quarumcunque rerum, etiam spiritualium, vt est manifestum: ergo abstrahit ab omni materia: & tamen distinguitur à Metaphysica. E contra Perspectiua, & Musica, per se agunt de quantitate, quatenus sensibili seu in materia sensibili: agunt de affectionibus obiecti visibilis, & soni quod est obiectum auditus; & quodammodo de affectionibus ipsorum sensuum visus & auditus. Astronomia etiam agit de quantitate & varijs affectionibus corporum cęlestium. Vnde Proclus lib. 1. in Euclid. refert, antiquos Mathematicos distinxisse alias disciplinas mathematicas

tas circa res purè intelligibiles, & alias circa sensibiles. Et tamen hæ omnes distinguuntur à Physica. Ergo non est formaliter abstractio à materia, ea quæ distinguit Mathematicam à Physica & Metaphysica.

Et aliaequi in Physica et Metaphysica deberent etiā plures scientiæ distingui.

Quartò vlterius. Si per abstractionem, scientiæ distinguuntur, & ob diuersos gradus abstractionis intra abstractionem Mathematicam distinguūtur plures scientiæ Mathematicæ: pariter distingui deberent plures scientiæ totales sub Physica & Metaphysica. Nam etiam in abstractione Physica diuersi gradus assignari possunt. Corpora enim cælestia abstrahunt à materia subiecta generationi & corruptioni atquè mutationibus sensibilibus horum inferiorum: & in quæstione est, an vllam habeant materiam vel sint substantiæ simplices. Imo Arist. ipse, quādo videtur distinguere scientias per abstractionem à materia, vnà coniungit abstractionem à motu & mutatione. Ex alia parte corpora cælestia, non omnino abstrahunt à materia singulari. Nam dum quæritur magnitudo figura & motus cælorum, dum quæritur quot Cæli sint, quot Planetæ, quot Astra, aliaquè similia: vtique hæc quæruntur de his singularibus cælis qui modò extant. Item intra obiectum Physicæ continetur viuens, & præsertim animal, quod in modo operandi, cognoscendi, & appetēdi, participat quādam eleuationem à materia. Vnde Arist. 2. de Anima tex. 124. reddit rationem cur plantæ non sentiant, quia sunt nimis materiales. Et maximè continetur homo, circa quem agitur de anima rationali, quæ sanè habet peculiarem quendam modum abstractionis: nam est in se spiritualis, sed dicit ordinem ad materiam. Deinde clarissimè in Metaphysica longè alius est modus abstractionis rerum spiritualiū à materia, atq. abstractionis prædicatorum communium: vt est apertissimum. quare ergo per viam abstractionis non distinguuntur in his plures scientiæ totales? Et, si in Physica non distinguantur: saltem deberent duæ in Metaphys. distingui: ita vt vna scientia sit quæ agat de prædicatis communibus rebus materialibus & immaterialibus: alia quæ de rebus immaterialibus: & tertia quæ de rebus materialibus, quæ est Physica. Nam à prædicatis illis communibus tantum distant res immateriales, quantum materiales. Imo difficile prorsus est, assignare vnum obiectum Metaphysicæ tanquam vnius scientiæ, complectendo ens in communi & ens immateriale, excludendo materiale. Perinde enim id esse videtur, ac si quis assignaret obiectum alicuius facultatis, animal abstrahens à rationalitate, complectendo animal in communi, & animal irrationale, excludendo rationale.

Alia sententia distinguens scientias ex diuersitate principiorum.

Alius dicendi modus est, huiusmodi scientias distingui ex distinctione principiorum & mediorum quibus vtuntur. Nam medium in ipsis principijs, est ratio formalis obiecti scibilis, mouens intellectum ad assensum scientificum conclusionis: ex diuersitate ergo principiorum & mediorum ipsæ scientiæ distinguuntur. Ita significant D. Thom. 1. 2. q. 54. art. 2. ad 2. & hic 1. Post. lect. 41. Scot. etiam in Prol. q. 1. ad 2. Durand. q. 4. n. 4. & quidam alij Scholastici in Prolo. item Auerr. Themist. Philop. & alij plures 1. Post. cap. 23. Imo Arist. ipse ibi id apertè docere videtur.

Est insufficiens.

Verùm, valet quidem hæc ratio ad distinguendas scientias partiales inter se: non tamen sufficit ad distinguendas scientias totales. Nam distincti assensus scientifici sunt, non solùm quando sunt circa distinctas conclusiones; sed etiam si sint circa eandem conclusionem ex diuersis principiis & medijs. Quoniam quilibet assensus scientificus essentialiter dicit ordinem, & ad conclusionem tanquam ad obiectum cognitum, & ad præmissas seu medium, tanquam ad rationem cognoscendi ex qua dependet. Imo notauit Dur. interdum posse esse maiorē distinctionem ex medijs, circa eandem conclusionem, quàm sit in actibus circa diuersas conclusiones: quando videlicet ex vno medio gignitur opinio & ex alio scientia: magis enim differt opinio à scientia, quam vna scientia ab alia. At verò manifestum est, in vna scientia totali contineri tàm multas conclusiones, tam multa etiam principia & media, tum ad probandas diuersas conclusiones, tum etiam sæpè ad probandam eandem conclusionem. Aliquid aliud ergo addendum est, ad declarandum quando

nam,

nam, & ex qua diuersitate principiorum & mediorum, distinguantur plures scientias totales.

Vera ratio distinguendi ex diuersitate obiecti, & modi procedendi.

Dicendum ergo tandem est, scientias totales debere distingui ex diuersitate obiectorum quæ considerantur, siue rationum formalium secundùm quas considerantur: quando hæc diuersitas talis ac tanta est, vt ipsa obiecta, seu rationes formales, & conclusiones, quæ de illis probantur; non habeant per se connexionem aut affinitatem propter quam debeant per modum vnius aggregati cõiungi. Siue distingui ex diuerso modo tractandi & procedendi circa diuersa obiecta.

Explicatur & probatur hæc resolutio. Cùm scientia essentialiter constituatur per ordinem ad obiectum, & scientiæ totales per ordinem ad sua obiecta totalia, & præsertim secundùm rationes formales secundùm quas considerant sua obiecta: vtique ex hac diuersitate debent distingui ipsæ scientiæ. At non omnis diuersitas obiecti debet distinguere scientias totales: alioqui tot fuissent instituendæ scientiæ totaliter diuersæ, quot sunt rerum species. Quod potius confusionem & difficultatem, quam vtilitatem & claritatem parere potuisset. Sed multæ res sunt, quæ ita differunt inter se, vt tamen habeant magnam affinitatem & connexionem; exigant etiam vniformem tractandi & differendi modum. Tunc in vna totali scientia per modum vnius obiecti adæquati aduniantur.

In Physica non distinguuntur plures scientiæ.

Sic se habent res quæ considerantur in Physica, nempè res materiales. Nam omnes conueniunt in aliquo conceptu communi, vel reducuntur ad aliquid commune, quod primariò consideratur: & quæcunque tractantur de corpore substantiali, de materia & forma, de accidentibus materialibus, & de varijs corporum speciebus, de cælis, de elementis, de mixtis, de viuentibus, & animalibus, magnam habent coniunctionem & proportionem inter se. In his etiam omnibus, vniformis prorsus est modus procedendi & disputandi. Commodissimum ergo fuit, sic exigente ipsa rerum natura, vt non plures scientiæ totales Physicæ distinguerentur, sed vna institueretur, habens plures partes.

Mathematica merito distinguitur à Physica et Metaphysica

At aliæ sunt res, quæ non habent talem connexionem & colligationem & vniformitatem procedendi, sed potius se habent tanquam disparatæ cum diuerso procedendi modo. Sic planè se habent res mathematicæ cum rebus physicis & metaphysicis. Nam licet Mathematica consideret quantitatem quæ est affectio quædam aliarum rerum: tamen considerat secundùm rationem mensurabilitatis: non inquirendo essentiam & naturam, causas, & alias proprietates: sed tantùm inspicit varias proportiones & habitudines secundùm rationem mensuræ: & veritates quas ipsa considerat, sunt disparatæ ab illis quæ in Physica & Metaphysica considerantur. quod multò magis vsu ipso & experientia apparet, cuilibet has scientias addiscenti: vt statim ex rebus ipsis facilè videat, Mathematicam debuisse tradi distinctam.

Habet etiam Mathematica longè diuersum procedendi modum. Indiget enim & sępè vtitur varijs instrumentis in suis demonstrationibus conficiendis, vt notum est. Quare ex hac parte procedit modò magis rudi & materiali, & assimilatur quodammodo scientiis practicis. Vnde non sine causa, scientiæ Mathematicæ inter artes liberales ab antiquis numeratæ sunt. Et Sanctus Thomas Opusc. 70. quæstione quinta articulo primo ad tertium, ita notauit dicens, artes liberales habent non solùm cognitionem, sed etiam opus aliquod, quod tamen est opus rationis: & quatuor illas facultates Mathematicas habere, *Mensurare, numerare, melodias formare, cursus syderum computare*. Rursus Mathematica, vt plurimum non procedit demonstrando per causas & effectus, sed potius per concomitantia quędam probat suas conclusiones. Vnde à quibusdam nec inter scientias computanda, nec Philosophiæ nomine digna censetur. Demum Mathematica ex alia parte excellit, quia communiter modo magis certo & euidenti procedit: cùm de reliquo, Philosophia disputando, & argumentis hinc inde productis differendo, suas veritates inuenire conetur; & maxima ex parte in controuersijs & opinionibus exerceatur, vt est notissimum. Ex tanta ergo

diuersitate, debeat Mathematica totaliter à Metaphysica Physicaq. distingui.

Et in Mathematica plures scientiæ. Deinde debebant etiam variæ scientiæ mathematicæ totaliter distingui: quoniam ipsæ inter se habent obiecta valde diuersa, nec vnita in aliquo communi. Geometria considerat magnitudinem: Arithmetica numerum: & sic aliæ sua obiecta. Neque erat quicquam tractandum mathematico more de quantitate in communi, quo hæc possent in vnam scientiam colligari. Habent etiam singulæ sua propria instrumenta, suosque peculiares procedendi modos, quibus satis disparatæ apparent: nisi quod aliquæ quandam subalternationem habent; cum tanta tamen diuersitate & aliarum rerum permixtione, vt meritò adhuc debuerint distingui.

Itaque sicut scientiæ practicæ distinguebantur ex varietate rerum operabilium & modi operandi, etiam sine varietate abstractionis: ita in speculatiuis simili modo potuit scientiarum totalium diuersitas reperiri.

An Physica et Metaphysica distinguantur. Cæterùm videndum supererat, quatenus iuxta prædicta, Physica & Metaphysica distinguantur, vel quo modo inter se se habeant. Sed quia vtranque sub ipso Philosophiæ nomine in proprio opere coniungemus: ibi in ipso ingressu Philosophiæ rem examinabimus, quo hanc omnem scientiam speculatiuam recto tramite disponamus.

Arist. explicatur. Modò iuxta prædicta debet intelligi Aristoteles, quando per abstractionem visus est illas scientias distinguere, & quando dixit scientias distingui per diuersitatem principiorum. Ea nimirum abstractionis voce & via, Aristoteles voluit denotare diuersitatem rerum, conclusionum, & mediorum; & diuersitatem in procedendo inter illas scientias. Ea etiam diuersitate principiorum, si ad distinctionem scientiarum totalium referatur, dici debet intellexisse talem ac tantam diuersitatem, quantam iam descripsimus.

QVÆSTIO VIGESIMAOCTAVA.

De Demonstratione,

Per quam acquiritur Scientia.

Syllogismus erat commune instrumentum directiuum discursus. Demonstratio est instrumentum proprium & adæquatum scientiæ. Nulla enim est scientia nisi per demonstrationem: & nulla demonstratio quæ non pariat scientiam. Potius autem dicendum est, esse instrumentum, quo scientia acquiritur, quàm quo scientia dirigitur. Scientia enim non potest esse indirecta: sed non nisi rectissima intellectus operatio, scientiæ rationem & nomen habet. Discursus verò communiter nominatus, sicut & iudicium atque apprehensio, potest rectè aut non rectè exerceri. Ideò ad eas omnes operationes instrumenta dabantur quibus dirigerentur, idest rectè exercerentur. Sed scientiæ damus instrumentum, quo acquiratur, idest simpliciter exerceatur: quia si exercetur, non nisi rectè exercetur. Vocatur autem demonstratio, quasi rem demonstrans, rem intellectui videndam proponens, rem euidenter ostendens.

SECTIO PRIMA.

An & quid sit Demonstratio.

Datur demonstratio, sicut scientia.

PRimò satis iam certum & notum est, Demonstrationem dari. Patet ex ijs quæ diximus ad probandum dari sciẽtiam. Scientia enim est cognitio discursiua qua infertur conclusio ex præmissis. Ea autem integra argumentatio ex præmissis ad conclusionẽ, est demõstratio.

Sed contra hoc, est dubitatio, de qua Arist. 1. Post. cap. 3. quia cùm demonstratio debeat esse ex præmissis euidentibus, ac etiam notioribus conclusione: semper deberet esse alia demonstratio de quacunque præmissa. Alioqui si præmissæ non demonstrantur; non euidenter sciuntur. Et similiter de præmissis alterius demonstrationis, qua probamus præmissas prioris demonstrationis, deberet dari alia demonstratio. Et sic semper in infinitum. Propter hanc difficultatem, nonnulli quidem, ne traherentur in infinitum, negarunt ab initio demonstrationes. Alij verò, vt scientiam & demonstrationem defenderent, concedebant omnium etiam principiorum cuiusquè demonstrationis dari demonstrationem: non tamen per alia vlteriora principia, ne abirent in infinitum: sed circulariter per eandem ipsam conclusionem quæ ex ijs principijs demonstrabatur.

Dicendum tamen facilè est cum ipso Aristotele, principia prima demonstratiua ad quæ alia reducuntur, esse euidentia, & conclusionibus notiora, non per alias demonstrationes, sed immediatè per se ipsa. Cumquè sint indemonstrabilia, sic esse per se notissima, quæ solo naturali lumine per habitum & notitiam quæ dicitur intellectus cognoscuntur. Quomodo autẽ absurdum sit illud quod dicebãt alij de circulo in demonstratione; inferius in hoc Tractatu videbimus.

Prima demonstrationis definitio.

Secundò benè definitur demonstratio ab Aristot. capite secundo textu 8. *syllogismus scientialis*. Syllogismus est genus, quo excluduntur, non solùm illa omnia quæ ad priores duas operationes intellectus; sed etiam ex ijs quæ pertinent ad discursum, aliæ species argumentationis à syllogismo distinctæ. nempè consequentia entymema, inductio & exemplum, de quibus loquuti sumus quæst. 25. sect. 5. Nam demonstratio debet procedere ex medio distincto à conclusione: & scientia propriè esse debet de consequenti distincto ab antecedenti. Itaque demonstratio non potest esse mera consequentia per conuersionem eiusdem propositionis, aut per descensum à propositione vniuersali ad particularẽ. Exẽplum tantùm probabiliter concludit: demonstratio debet certò concludere. Inductio similiter vel tantùm probabiliter concludit: vel reduci debet ad formam syllogismi: Vnde quod Aristot. quandoque affirmat, per inductionem gigni scientiam, sine dubio intelligitur de inductione reducta ad formam syllogismi. Entymema demum vt sit efficax, debet etiam reduci ad syllogismum per additionem alicuius præmissæ. Imo datur potius in voce quàm in mente, vt loco citato tractauimus. Omnis ergo demonstratio debet esse syllogismus.

Scientialis deinde est differentia, quæ essentialiter constituit & determinat demonstrationem, eamquè ab omni alio syllogismo distinguit, siue sophystico, siue dialectico, siue etiam theologico, sumendo scientiam in toto rigore pro discursu penitus euidenti. Demonstratio ergo est syllogismus scientialis, idest præbens scientiam conclusionis: siue vt ait Aristot. secundùm quam, eo quod ipsam habeamus, scimus. Potest hæc particula clariùs explicari per conditiones ad scientiam requisitas: est syllogismus verus, certus, & euidens. Verus, ad differentiã syllogismi sophistici & fallacis. Certus, ad differentiam dialectici & probabilis. Euidens, ad differentiam theologici & obscuri.

Quæ traditur per conclusionem scientificam.

Dicunt verò Albert. D. Thom. Aegid. Lincon. & alij hic, demonstrationem hoc modo definiri per effectum seu finem, qui est scientia: siue definiri per differentiam essentialem explicatam in ordine ad effectum & finem. Hoc multis non placet: quia actus scientiæ est intrinseca pars demonstrationis, non effectus & finis: vt generaliter q. 25. sect. 6. dicebamus, conclusionem esse formaliter

intrinsecè de essentia syllogismi. Sed certè potest sumi demonstratio, vt dicens tantùm præmissas, quo modo posse & solere vsurpari syllogismum, ibidē diximus. Secundò: Etiam si sumatur pro toto aggregato, includendo etiam conclusionem & assensum eius: hic non erit quidem effectus aut finis extrinsecus: sed quodāmō intrinsecus, idest quędā pars intrinseca demonstrationis: effectus & finis alterius partis. Hoc modo dicetur definiri demonstratio per effectum & finem intrinsecum, idest qui ita est pars, quòd sit effectus & finis alterius partis. Tertiò, sumi potest demonstratio pro instrumento & modo sciendi in generali: sic non includit intrinsecè cōclusionem & assensum scientificum particularem qui elicitur: sed se habeat tanquam causa instrumentalis illius, iuxta ea quæ suis locis dicta sunt de instrumentis nostræ cognitionis.

Demum in hac definitione notandum est, Aristot. per scientiam intellexisse eam, quæ est perfecta, a priori per causam, quā paulò supra definierat. Quare per ordinem ad hanc scientiam definitur sola demonstratio à priori, & propter quid. In quo eodem sensu, textu nono subiungit Arist. scientiam demonstratiuam esse ex prioribus & causis conclusionis. At verò sumendo scientiam adæquatè, & in communi, complectendo etiam scientiam à posteriori & ab effectu. Sic pariter per ordinem ad talem scientiam intelligetur definiri adæquatè demonstratio in communi. Et hoc modo nunc demonstrationem sumimus ac definimus.

Secunda d finitio, quæ tradi tur per præmissas. Tertiò. Aliter potest demonstratio definiri explicitè per præmissas ex eodē Aristot. 1. Topic. cap. 1. *Syllogismus constans ex principijs veris, aut primis, aut talibus, quæ ex primis sue cognitionis sumpsere principium.* Breuiùs vero sic: est syllogismus constans ex principijs euidentibus. Dixit autem Aristoteles, aut primis, hoc est ijs quæ se ipsis euidentia sunt per habitum intellectus; aut ijs quæ per alia priora & prima principia fuerint euidenter demonstrata: sicut superius diximus se habere sciētiam subalternatam ad subalternantem. Videtur autem hic ex mente ipsius Aristot. definiri demonstratio in communi, continens etiam demonstrationem quia. Nam ibi Arist distinguere volens syllogismū topicum seu probabilem, à demonstratiuo, vtriusque definitionem attulit. Cùm ergo syllogismus topicus plurimum differat ab omni demōstratione, etiam quia, ibiquè definiatur qui constat ex probabilibus: dicendum sequitur, Arist. ibi definire voluisse demonstrationem in communi, quæ constat ex principijs euidentibus, etiam si hæc principia sint à posteriori vel per inductionem nota.

Tertia definitio per conditiones præmissarū. Quartò demum. Putant aliqui, aliam definitionem similem huic, tradi ab Aristot. 1. Post. tex. 9. *Demonstratiuam scientiam esse ex veris, primis, immediatis, notioribus, prioribus, & causis conclusionis.* Alij dicunt, Aristot. ibi non tām voluisse definire, quàm potius voluisse tradere ac numerare conditiones principiorum demonstrationis, requisitas ad gignendā scientiam. Veruntamen certum videtur, posse quidem ex ijs conditionibus formari definitionē demonstrationis ac sciētiæ. Arist. autem ex intento voluisse potius simpliciter conditiones afferre, quàm nouam condere definitionem. Siquidem cùm iam scientiam & demonstrationem antea definisset, colligit postea ex ijs quę dixerat, eas conditiones, quas probare prosequitur. Et specialiter loquebatur de scientia & demonstratione perfecta, quæ dicitur propter quid. De ijs autem conditionibus nos agemus postea.

SECTIO SECVNDA.

Quotuplex sit Demonstratio: Quàm benè diuidatur in demonstrationem propter quid & quia.

Quoniam vt plurimum ea quæ de demonstratione conficienda tradentur, non eodem modo de omni demonstratione procedunt; sed distinctis demonstrationibus distincta præcepta & regulæ conueniunt: idcircò priùs diuidenda est demonstratio in suas præcipuas species; vt deinceps ea quæ generaliter ad demonstrationem in communi, & specialiter ad singulas species attinent, prosequamur.

Cele-

Diuiditur demõstratio in propter quid & quia.

Celebris ergo & vulgata demonstrationis diuisio est, in demonstrationem propter quid, & demonstrationem quia, sumpta ex Arist. 1. Post. tex. 95. & 96. & ab alijs communiter approbata. Demõstratio propter quid intelligitur, qua demõstratur & scitur propter quid res sit, qua conclusio demonstratur per causam per quam vera est. Hæc demonstratio correspondet perfectæ scientiæ qua cognoscitur res per suam causam essendi. Et dicitur etiam demonstratio à priori. Demonstratio quia intelligitur ea, per quam absolutè demonstramus & scimus, rem esse, conclusionem esse veram, absque propria causa & ratione proxima adæquata propter quam sit. Ideò dicitur demonstratio quia, quoniam solùm facit nos scire, quia res sit, siue quòd res sit. Et correspondet scientiæ minus perfectæ, quæ etiam dicitur scientia quia: & dum procedit ab effectu ad demonstrandam causam, dicitur propriè demonstratio à posteriori. Non tamen omnis demonstratio quia, procedit ab effectu ad causam, vt dicemus postea. Quamuis vniuersaliter demonstratio quia soleat appellari à posteriori, denominatione sumpta ab ea quæ procedit ex effectu ad causam, & quæ directè opponitur demonstrationi propter quid, quæ est ex causa & à priori.

Vtraque est vera demõstratio.

Sed in primis circa hanc diuisionem, Auicenna apud Auerr. 1. Post. comm. 95. Item Alexan. 1. Prior. com. 3. Themist. 1. Post. cap. 15. Philop. cap. 8. & Simplic. 1. Physic. com. 2. negant, hanc quã dicimus demonstrationem quia & à posteriori, esse veram demonstrationem. Et Arist. ipse 1. Poster. textu 9. post enumeratas conditiones proprias demonstrationis propter quid, addit: *Sine his syllogismus quidem erit, demonstratio autem non erit, non enim faciet scientiam.* Et textu 55. similiter docere videtur, solam demonstrationem & scientiam propter quid, esse veram demonstrationem & scientiam.

Omnino tamen concedenda est demonstratio quia, quæ in suo gradu sit vera demonstratio, licèt minus perfecta quàm demonstratio propter quid. Ita communiter Peripatetici loquuntur & docent. Et apertissimè ipse Aristoteles textu 95. & 96. & alibi, sub nomine demonstrationis & scientiæ eam assignauit. & primo Physicorum textu secundo ait: *Innata est nobis naturaliter vis sciendi, vt à notioribus nobis procedam⁊ ad ea quæ sunt nobis ignotiora, notiora verò natura*, idest ab effectibus ad causas. Neque alia ratione hæc res probanda est, nisi quia verè datur talis modus discurrendi, verus certus & euidens, ab effectu ad causam, siue à tali medio quod non est propria causa conclusionis in essendo: imo hic modus discurrendi est frequentissimus in omnibus philosophicis disciplinis. Hoc supposito poterat vtique nomen scientiæ & demonstrationis ita sumi, vt talem modum discurrendi complecteretur. Debebatque ita sumi ad differentiam opinionis & discursus probabilis seu non euidentis. Ita de facto sumptum est ab Aristotele aliisque Philosophis. Et ita a nobis accipiendum est.

Verè autem hic modus sciendi & demonstrandi est valdè imperfectior alio modo sciendi & demonstrandi per causam. Ideò interdum sumitur nomen scientiæ & demonstrationis pro sola perfecta. Sic debent intelligi illi, qui negarunt demonstrationem quia: solùm enim negare voluerunt esse demonstrationem perfectam. Imo Aristoteles ab initio, nomen scientiæ & demonstrationis ita rigorosè sumpsit. Ideò definiuit scire, esse rem per causam essendi cognoscere, & assignauit conditiones demonstrationis huic scientiæ proportionatæ. Et in illa acceptione antea negauit sine ijs conditionibus dari demonstrationem. At postea textu 95. incepit aliam acceptionem demonstrationis & scientiæ tradere, ibique assignauit demonstrationem quia.

Essentialiter distinguuntur.

Secundò. Ex opposito Apoll. 1 Post. q. 75. art. 2 negasse videtur, demonstrationẽ quia specificè & essentialiter differre à demonstratione propter quid. Sed alij communiter affirmant Et meritò, quia hæ demonstrationes procedũt ex medijs essentialiter distinctis, gignuntque scientias essentialiter differentes. Nã longè alius est modus sciendi rẽ per sua propria & adæquatã causã ab omni alio modo sciendi.

Vniuocè conueniunt.

Tertiò. Aliqui volunt, has demõstrationes & scientias tantùm analogicè, & non vni-

vniuocè conuenire. Ita Zabar. lib. de Speciebus demonſtrat. cap. 1. qui ait, id à nullo vnquam eſſe negatum, & Balduin. quæſito de Regreſſu demonſtr. cap. 2. & quidam alij: indicat etiam Auerr. in Epith. Log. tract. de Demonſtr. & alibi. Cuius ſententiæ fundamentum eſt: quia ſcientiæ & demonſtrationi propter quid, ſimpliciter conuenit hoc nomen & ratio: ſcientiæ autem & demonſtrationi quia, tantùm ſecundùm quid, imo vix illi tribuitur.

Dicendum tamen abſolutè eſt, vniuocè conuenire. Patet: quia planè datur cõceptus diſcurſus & ſyllogiſmi euidentis in communi, abſtrahens ab vtroque modo ſciendi & demonſtrandi, & eſſentialiter vtrique conueniens. Imo licèt effectus dependeat à cauſa: tamen in intellectu ille diſcurſus qui fit ab effectu ad cauſã, non dependet ab alio ex cauſa ad effectũ. Sed poteſt realiter inueniri vnus ſine alio, vt eſt manifeſtum. Atque ita ratio illa communis æquè primò, licèt non æquè perfectè, conuenit vtriq. modo ſciẽdi. Hæc autem inæqualitas nõ tollit vniuocationem, vt ſatis exploratum eſt. Vnde ad fundamentum oppoſitum facilè patet: ſcientiæ & demonſtrationi quia, conuenire ſecundùm quid hoc nomen, ideſt minùs perfectè, & quia in quadam acceptione peculiari & magis rigoroſa illi non conuenit: tamen non conuenire ſecundùm quid, quaſi per denominationem extrinſecam, aut per metaphoram, aut per attributionem & dependentiam: ſed verè & intrinſecè in ſuo ſignificato adæquato conuenire, quatenus opus eſt ad vniuocationem.

An detur tertia ſpecies demõſtrationis ſimpliciter.

Quartò præcipuè circa ſufficientiam huius diuiſionis, Auerr. 1. Poſter. comm. 95. & 96. in Epithom. Log. tract. de Demonſtr & alibi ſæpè, præter duas ſpecies aſſignatas addidit tertiam, quam vocauit demonſtrationem potiſſimam & ſimpliciter. Eumquè vt plurimum Auerroiſtæ ſequuntur, Zimar. Theoremate 53. & in Tabula verb. Demonſtrationes ſunt in quibus, & verbo Via doctrinæ, Balduin. quæſito de Regreſſu demonſtrat. capit. 1. & q. de Med. Demonſtr cap. 1. & alij.

Explicat Auerr. ſuam demonſtrationem ſimpliciter, & ab alijs diſtinguit eo præcipuè: quia inquit demonſtratio quia tantùm oſtendit, quòd res ſit, nec manifeſtat cauſam propter quid ſit: demonſtratio propter quid oſtendit cauſam quare res ſit; non tamen oſtendit, ſed ſupponit ipſam rem eſſe: V. g. cùm nobis nunc notiſſimum ſit eſſe diem: ſi quis ita demonſtret; quandocunque ſol lucet dies eſt, nunc ſol lucet, ergo nunc dies eſt: tantùm notificaret propter quid nunc ſit dies. Talem etiam Zimara eſſe ait demonſtrationem quandam Ariſtot. octauo Phyſic. text. 65. Talis quoque eſſet demõſtratio, ſi dum videmus Lunam ecclypſatam, quiſquam ex interpoſitione terræ demonſtret ecclypſim. Et in vniuerſum, quando percipimus effectum, & inueſtigamus cauſam, tunc tantũ quærimus propter quid res ſit. Sicut notauit Ariſtot. 1. Metaphyſic. cap. 2. homines admirantes effectus philoſophari cœpiſſe, hoc eſt cauſas inquirere. Demum demõſtrationem potiſſimam eſſe ait, quę vtrunque quæſitum ſimul oſtendit, & quid res ſit, & cauſam per quam ſit. Cum nimirum etiam ipſe effectus antea erat ignotus. Vt ſi in exemplis demonſtrationum adductis, eas concluſiones priùs quis ignorabat. Addunt etiam differentiam ex parte præmiſſarum, quoniam in demonſtratione quia præmiſſæ ſunt notiores quoad nos, in demonſtratione propter quid ſunt notiores ex ipſa natura, in demonſtratione ſimpliciter vtroque modo.

Indicatur ab Ariſtot.

Videtur hæc tota doctrina deſumi ex ipſo Ariſtot. qui 1. Poſter. cap. 21. textu 178., & 2. Poſter. cap. 5. textu 39. ſignificat, quandoque notificari quod res eſt, aliquando propter quod eſt, aliquando vtrunque ſimul. Et rurſus 1. Poſter. capite 13. tex. 101. ait, aliquos ſcire quod, & non propter quid; aliquos verò habere demonſtrationem cauſarum, & non ſcire ipſum quod: & in vniuerſum ſcientiam ſubalternantem ſcire propter quid, ſubalternatam ſcire quod. At ſine dubio poterit dari alius modus cognoſcendi vtrunque ſimul: ergo ex Ariſtotele eſt tertia demonſtrationis ſpecies concedenda.

Demõſtratio adæquatè diuiditur

Dicendum tamen eſt, demonſtrationem diuidi adæquatè in duas illas ſpecies, demonſtrationem propter quid, & quia, nec dari aliam ſpeciem condiſtin-

ctam

in illas duas species. ctam demonstrationis simpliciter. Hæc est sententia aliorum communis, Themistij Philopon. Alberti, S. Thomæ, Scoti, Lincon. Aegid. Veneti Caiet. Apollin. & aliorum hic circa textum 95. & alia loca Aristotelis allegata. Pro qua etiam latissimè pugnat Zabarella in libro de Speciebus demonstr.

Probatur primò ex Aristotele, qui adæquatè diuisit demonstrationem in illas duas species, nec vnquam meminit alterius demonstrationis. Imo in ijsdem locis pro sententia. Auerr. allegatis, idem supponit, vt postea videbimus.

Secundò ratione. Omnis demonstratio, aut procedit ex causa propria conclusionis, aut ex alio medio, quod non sit propria causa. Illa est demonstratio propter quid, alia quia. Inter quas non potest dari medium, cùm extrema contradictoriè explicentur. Et ad summum demonstratio simpliciter posset esse species demonstrationis propter quid & per causam: vt sentit Suessan. primo Poster. comm. 139.

Non suppetit ratio distinguẽdi tertiã speciem. Tertiò præcipuè contra fundamentum oppositæ sententiæ. Omnis demonstratio propter quid, probat non solùm causam per quam res sit, sed etiam rem ipsam esse: vana est ergo illa distinctio demõstrationis simpliciter à propter quid. Antecedens ostenditur, tum ex Aristot. 3. Poster. tex. 16. Omnis demonstratio aliquid monstrat, aut quòd res est, aut quòd non est. Tum ratione quia in omni demonstratione per causam non inferimus in conclusione aliquid esse causam rei, sed potius rem ipsam esse: quæ tamen illatio est ex virtute causæ, per quam res est. Tum etiam ex dictis antea de discursu in communi. ad rationem discursus non sufficit cognoscere hanc esse causam rei, siue rem dependere à tali causa: sed prorsus exigitur, vt intellectus assentiatur antecedenti, & ex vi talis assensus etiam consequenti, iudicando ita verè esse. At omnis demonstratio in discursu consistit: ergo semper intellectus demõstrans cognoscit conclusionem in se ita esse; & alioqui destruitur demonstratio.

Demõstratio simpliciter, non distinguitur à procter quid. Quartò. Non obstat notitia quæ præhabetur alia via de existentia eiusdem effectus in se ipso: quoniam per demonstrationem aptus est elici alius assensus discursiuus & scientificus de eadem conclusione. qua ratione etiam verificatur, semper aliquo modo intellectum discurrentem procedere à principijs notis ad conclusionem ignotam, vt explicauimus circa discursum in communi. Per accidens autem est, quòd intellectus habuerit vel non habuerit alia via notitiam eiusdem conclusionis: non ergo ex hoc distinguenda est duplex demonstrationis species. Et alioqui eadem demonstratio posset esse, apud vnum intellectum propter quid, & apud alium simpliciter. Imo & apud eundem intellectum, modò propter quid, modò simpliciter.

Quintò. Pari ratione deberet etiã distingui duplex demonstrationis species ab effectu ad causam. Vna, quando intellectus non præhabuerat notitiam causæ, quia sic ei manifestatur quòd causa sit & quod habet talem effectum. Alia, quando intellectus prænouerat causam, quia tunc illi solùm manifestatur quis sit effectus causæ. Fatendum ergo est, non esse ex hac parte distinguendas demonstrationis species.

Sextò. Nec valet differentia illa ex parte præmissarum. Nam quòd præmissæ fiant notiores quoad nos, potest accidentaliter prouenire ab experientia, cognitione sensus, vel doctrina. Ex quo proinde non sunt demonstrationis species distinguendæ. Alioqui eadem demonstratio, vel apud diuersos intellectus, vel etiam successiuè apud eundem, de vna ad aliam speciem transferretur. Quomodo autem præmissæ demonstrationis sint notiores quoad nos, vel ex sua natura, sect. 8. explicandum erit.

Demum aliqui alio modo distinguere conati sunt plures species demonstrationis per diuersas causas ex quibus possunt inferri conclusiones. Sed hoc non est aliud quàm distinguere plures modos ipsius demonstrationis propter quid, de qua in speciali agemus.

Arist. explicatur. Ad loca Aristot. pro Auerr. allata. Respondetur, in primis duobus locis Aristot. distinguere cognitionem, quòd est tantùm, & cognitionem quod est & propter quid simul, nec assignare tertiam cognitionem propter quid tantùm. Vnde hinc potius confirmatur doctrina

tradita. In tertio loco Aristot. distinguens demonstrationem propter quid, & quia seu quod, docuit quosdam habere demonstrationem quia de eadem conclusione, quosdam verò demonstrationem propter quid. Neque negauit, per hanc etiam demonstrationem sciri rem esse. Et ita sæpè de eadem conclusione, scientiam subalternantem habere demõstrationem propter quid, scientiam verò subalternatam habere demonstrationem quia, ab experientia & à posteriori: sicut Medicus non solùm à priori ex Philosopha, sed etiam ab experientia ipsa discit contraria contrarijs curari.

Obijci præterea potest. Aristot. 2. Poster. cap. 1. quatuor quæsita distinguit, an sit, quid sit, quod seu quale sit, & propter quid sit. Hæc autem duo posteriora videntur correspõdere duabus speciebus demonstrationis hactenus assignatis: ergo aliæ duæ demonstrationis species addendæ sunt. Sed res est facilis. Aristot. enim ibi non distinguit modos demonstrandi, sed potius conclusiones demonstrabiles, quę vel demonstrantur per propriam causam, & hic est modus demonstrãdi propter quid; vel per medium, quod nõ est propria causa, & hic est modus demonstrandi quia. Hæ ergo duæ demonstrationis species adæquatè diuidunt demonstrationem.

SECTIO TERTIA.

De Demonstratione propter quid.

VT distinctè vtramque demonstrationis speciem percurramus, debito perfectionis ordine præmittimus demõstrationem propter quid. Et quia propria ratio huius demonstrationis consistit in eo quod probat rem per causam, circa hanc causam eiusque causalitatem quædam examinanda sunt.

Hæc demonstratio procedit ex causa conclusionis.

Primò. Auerr. 1. Poster. comm. 11. disputat, an huiusmodi causa debeat esse causa extremorum secundùm se, & quantùm ad suum esse absolutum, vel quantùm ad existentiam vnius extremi in alio, maioris in minori. Et refert Alpharab. dixisse, medium debere solùm esse causam minoris extremi in se ipso: Auicennã dixisse, debere esse causam solùm inexistentiæ maioris extremi in minori. Ipse significat, debere esse causam maioris extremi secundùm se. Aristot. etiam 2. Poster. tex. 41. 95. & 97. asserit, medium esse debere rationem maioris extremi. Rursus Auerr. in quæsito tertio, agens de Demonstr. refert varios modos distinguendi plures species demonstrationis per respectum causalitatis ad vnum vel aliud extremum, aut inexistentiam vnius in alio. Multi tamen volunt, Auerr. nomine causæ intellexisse formaliter definitionem, & quæsijsse cuius rei definitio debeat esse medium in demonstratione. Sed de hoc nos postea agemus circa ipsum medium. Nũc loquimur formaliter de causa cuius debeat esse causa.

Et breuiter dicendum est, de ratione huius demonstrationis per se tantùm esse vt causa sit causa conclusionis eiusquè veritatis, quod est dicere vt prædicatum verè insit & conueniat subiecto, de quo dicitur in conclusione. Patet: quia illud circa quod assensus scientificus versatur, est ipsa conclusio quæ infertur: & quando scire definitur cognoscere rem per causam per quam res est; id intelligitur de illa re circa quam versatur ipse assensus scientificus: itaque intelligitur de conclusione: ergo per se de ratione huius scientiæ est, scire conclusionem per causam ipsius conclusionis: causa autem conclusionis est illa per quam prædicatum inest & verè conuenit subiecto. Igitur causa, ex qua procedit demonstratio propter quid, quæ hanc perfectam scientiam gignit, per se debet esse causa conclusionis, seu inexistentiæ prædicati in subiecto.

Iuxta hoc Aristot. præclarè 2. Poster. textu 96. & 67. maius extremum vocat, id cuius medium est causa: minus extremum vocat, id cui medium est causa; quia nempè medium est causa, vt maius extremum insit minori, est causa inexistentiæ prædicati in subiecto. Et in exemplis etiam quæ solet afferre demonstrationis propter quid, apparet manifestè non oportere vt medium sit causa subiecti secundùm se. Vt 1. Posteriorum textu 97. & 98. affert hæc exempla demonstrationis propter quid: si ex pro-

pin-

pinquitate planetarum inferatur quòd non scintillant: & si ex figura sphęrica Lunæ inferatur Lunam ita illuminari per incrementum & decrementum.

Cæterùm quia eadem causa quæ facit vt prædicatum insit subiecto, solet esse quæ facit vt prædicatum simpliciter sit, quia tunc prædicatum simpliciter est cum inest subiecto: ideò dici potest eandem causam esse vt prædicatum simpliciter in suo esse sit. Sic debet intelligi Aristot. si per rationem maioris extremi intellexerit causam. Potest etiam talis esse causa, quæ eadem ipsa faciat vt subiectum simpliciter sit. Sed hoc non est per se de ratione & necessitate huius demonstrationis. Sed veluti per accidens se habet. Vnde non oportet ex hac parte distinguere plures species huius demonstrationis.

Ex causa proxima & adæquata. Secundò deinde. Causa in demonstratione propter quid, debet de mente Aristot. esse propria & immediata, id est adęquata & conuertibilis cum effectu. Et alioqui si solùm sit causa remota & communis, potius pertinet ad demonstrationem quia. Ita docet Arist. & omnes Expositores approbant. Et latiùs sect. sequ. circa ipsam demonstrationem quia tractabimus. Ideò iam antea explicauimus demonstrationem propter quid quæ procederet ex causa propria conclusionis, ad differentiam demonstrationis quia.

Ex causa vel physica vel tanquam ratione essendi. Tertiò. Notauit optimè Caiet. 1. Post. cap. 2. non esse necessarium, vt causa sit vera causa physica conclusionis: sed sufficere vt sit aliqua ratio prior. Ita & nos notauimus circa ipsam scientiam in definitione illius. Et suadetur magis, quia de ratione demonstrationis propter quid, solùm est vt reddat rationem & ipsum propter quid res sit. Si ergo res non habet causam physicam, sed tantùm rationem quandam virtualiter priorem, demonstratio pe fecta de tali re erit quæ reddit talem rationem. Et ita datur scientia perfectissima de Deo, quatenus ex essentia demonstramus attributa, & vnum attributum ex alio quod se habeat tanquam ratio prior. [illegible] similiter est perfecta scientia, quan[illegible] demonstr[illegible] sio de [illegible] isse rent[illegible] etiam [illegible] à [illegible] ncta [illegible] intercedat vera causalitas physica. Vnde hoc nihil derogat de perfectione demonstrationis propter quid. Nec enim de perfectione eius est, vt medium sit vera causa physica, sed vt per ipsum verè cognoscatur conclusio tanquam per rationem per quam est. Imo si obiectum in se fuerit entitatiuè perfectius, demonstratio etiam ipsa debebit dici perfectior.

Potest procedere ex quolibet genere causæ. Quartò. Hinc duplex species demonstrationis propter quid distinguenda erit: vna quæ procedit ex vera causa physica: alia quæ procedit ex ratione à priori realiter indistincta, quæ vocari solet causa metaphysica. Et rursus causa physica multiplex est: sunt verò quatuor causarum genera, materialis, formalis, efficiens, & finalis: & quælibet ex his causis potest esse aptum medium demonstrationis, vt ex Aristot. dicemus postea, agentes de ipso medio demonstrationis. Hinc etiam totidem modi huius demonstrationis propter quid ex causa physica distinguendi sunt. Perfectissimus tamen modus erit, qui ex causa formali procedit, vt eodem loco dicemus.

Potest eadem conclusio demonstrari per plures causas adæquatas. Quintò. Hinc dubitari potest an eiusdem conclusionis possint esse plures causæ aptæ ad demonstrandam propter quid talem conclusionē. Negat Auerr. 2. Post. com. 46. 95. & 97. dicens, vnius rei vnam tantùm esse posse demōstrationē propter quid, quia vna tantū potest inueniri causa proxima & propria. Sequitur Zabar. lib. de Spec. demon. c. 2. & lib. 2. de Med. demonstr. cap. 8. explicans, dari quidem plures causas eiusdem rei iuxta quatuor genera causarum: tamen vnam tantùm ex iis esse posse adæquatam & proximā, qualis requiritur ad demonstrationem propter quid; & hanc esse posse vel in vno vel in alio genere causæ, pro diuersis rebus. Alias autem causas fore remotas & inadæquatas, atque adeò idoneas ad demonstrationem quia, non propter quid. Probat ex ipso Aristotele: qui secundo Post. tex. 95. & 97 planè docuis[illegible] vnius rei vnam esse causam per [illegible] demonstrari propter quid. Et [illegible] 5. definiuit scientiam, cogni[illegible] causam. [illegible] singulariter [illegible] causam. [illegible] textu græ[illegible] articul[illegible] camus per ipsam

ipsam causam. Addendo etiam per quam res est, significauit vnicam esse propriam & adæquatam causam per quam scire debemus rem.

Verùm nihil prohibere videtur, quominus eiusdem rei & conclusionis possint esse plures causæ, singulæ proximæ & adæquatæ. V.g. possumus demonstrare hominem & Angelum esse elicitiuum actuum moralium, tum ex causa effectiua quia est intellectiuus, tum ex causa finali quia est ad beatitudinem ordinatus, tum veluti ex causa formali quia est liber, tum velut ex causa materiali quia habet substantiam spiritualem. Et in alijs multis rebus possunt huiusmodi exempla inueniri, vt per plures aliquas causas adæquatas eadem conclusio demonstretur. Neque vlla ex parte apparet repugnantia vel impedimentum huius rei. Atque Arist. ipse clarissimè 1. Post. tex. 180. docet, eiusdem conclusionis plures posse esse demonstrationes ex distinctis medijs. Neque loquitur solùm de medijs à posteriori, vel de causis remotis inadæquatis: sed loquitur absolutè: & præcipuè loquitur de demonstratione perfecta de qua maximè loqui solet. & 2. Poster. tex. 53. itidem docet, eiusdem rei plures esse causas per quas possit demonstrari propter quid.

Ad Arist. verò dicendum est, in 2. Post. tantùm voluisse, quando inuenitur aliquod prædicatum communiter conuenire pluribus rebus: tunc si per se demonstretur de vna illarum rerum per certam causam, pariter per eandem causam demonstrari de alijs rebus similibus. Et hoc quidem est necessarium, si causa sit propria & adæquata. Videlicet si per se demonstretur, equum habere virtutem sentiendi quia est animal: vtique per eandem causam idem demõstrabitur de leone, cane, & cæteris in eadem proprietate & genere conuenientibus. Non autem negauit Arist. idem prædicatum posse de ijsdem rebus per plura media & causas adæquatas demonstrari. Quando autem definiuit scientiam, explicare voluit illud quod erat simpliciter necessarium, vt saltem per vnam causam res cognoscatur, & per ipsam causam adæquatam per quam res est; non autem negauit posse etiam per plures causas rem esse & sciri.

Sextò. Hinc vlterius dubitari potest, An quando extant plures causæ eiusdem rei, oporteat per omnes illas demonstrare conclusionem, ad hoc vt perfecta scientia habeatur: vel sufficiat demonstrare per vnam. Tangere solent hanc rem Expositores in principio Phys. occasione verborum Arist. ibi dicentis: *Tunc putamus cognoscere vnumquodquè, cùm causas primas cognouerimus, & principia prima, & vsque ad elementa.* Et aliqui dicunt, ad perfectam scientiam requiri notitiam omnium causarum. Aliqui dicunt, ad perfectam demonstrationem sufficere vnam causam.

Perfecta scientia totalis requirit notitiã omnium causarum.

Sed dicendum facilè est, ad plenam atque exactam rei notitiam quæ in scientia totali tradi debet, debere cognosci omnes rei causas: sed ad perfectionem vnius simplicis demonstrationis sufficere notitiam vnius causæ, dummodo habeat omnes conditiones ad perfectam demonstrationem requisitas. Prima pars ostenditur: quia sine dubio res est cognoscibilis quoad omnes suas causas à quibus in suo esse dependet. Et sicut per omnes causas est, ita per omnes petit & debet cognosci vt exactè penitus cognoscatur. Alioqui non expletur tota cognoscibilitas eius. Vnde scientia quidem totalis debet omnes rei causas inquirere & cognoscere. Et sic potest intelligi Arist. ibi, & eod. 1. Phys. tex. 35.

Secunda etiam pars ostenditur. quia in vna demonstratione poni non debet nisi vnum medium: & vbi plura sunt media, plures erunt demonstrationes. Igitur ad vnam perfectam demonstrationem sufficit vna causa propria & adæquata cum omnibus conditionibus requisitis. Ita Arist. vbiquè in his libris afferens demonstrationum exempla, vnum medium, vnam causam, in singulis constituit. Et 2. Post. cap. 5. per omnium causarum genera diuersa demonstrationum assignat exempla. & 1. Post. tex. 180. docet, si media & causæ sint plures, plures quoque esse eiusdem rei demonstrationes. Poterit quidem quis plures causas & media simul inuoluere: vt si dicat, omne agens intellectiuum & ad beatitudinem ordinatum, habet vim eliciendi actus morales; sed homo &c. Tunc tamen implicitè quodammodo & virtualiter

Perfecta demõstratio simplex constituitur per vnam causam.

hac

hæc esset multiplex demonstratio, licèt expressè & formaliter disponatur vt vna. Quando etiam causa quæ assumitur in vna demonstratione, indiget probari per aliam causam anteriorem: tunc sanè ad perfectam scientiam vltimæ conclusionis oportet omnes causas subordinatas percurrere: eritquè subalternatio in demōstrationibus. Et hoc etiam docere voluit Arist. ibi initio Phys.

SECTIO QVARTA.

De Demonstratione quia.

Demonstratio quia, procedens ab effectu ad causam.

PRimus modus huius demonstrationis, est procedendo ab effectu ad causam, à posteriori ad prius: quando videlicet antea notum nobis est effectum esse, & inde inferimus dari talem causam ex qua talis effectus prouenit: quando antea cognoscimus alicui subiecto conuenire aliquod prædicatum, & inde inferimus tali subiecto conuenire causam talis prædicati. Hoc probandi genere, ex eo quòd dies est, arguimus præsentiam; ex eo quod nox est, arguimus absentiam Solis. Exempla etiam huius generis protulit Arist.1.Post. tex.96. omnia astra quæ non scintillant sunt prope, planetæ sunt astra quæ non scintillant, ergo sunt prope. Vbi certè, non scintillare, est effectus propinquitatis: ideò enim planetæ non scintillant quia sunt propè. & tex. 98. ex modo quo Luna illuminatur per incrementum & decremētum, probatur Lunam esse sphæricæ figuræ: vbi etiam ipsa figura sphærica, est causa cur Luna tali modo illumineiur. Neque refert, si in his exemplis afferantur accidentia quæ concernunt existentiam rerum. Nam hæc sunt clariora & faciliora, & ex ijs intelliguntur alia. Et possunt etiam reduci suo modo ad propositiones necessarias, si de possibili vel sub conditione enuncientur. Et quia insuper latiori modo sumitur scientia & demonstratio, pro omni discursu euidenti, etiā per euidentiam sensitiuam, etiam circa existentiam rerum quæ sunt naturaliter & physico modo necessariè. Cæterùm effectus ex quo hæc demonstratio procedit, potest esse in quolibet genere causandi: potest etiam esse aptum medium, licèt non sit effectus propriè physicus, sed se habeat tanquā posterius ex ratione priori; sicut è conuerso de demonstratione propter quid dictum est.

Vel à signo ad rē significatam.

Præterea ad hunc modum demonstrationis pertinet demonstratio quæ dicitur à signo: quando videlicet ex signo aliquo noto arguimus rem significatam alioqui ignotam. Signum enim supponit rem significatam: & se habet tanquam posterius ad prius in essendo. Quare ad hunc modum etiā reducetur demonstratio per deductionem ad impossibile, de quo genere syllogismi satis egimus in Institut. In hac enim demonstratione probamus, ex cōcessione vel negatione alicuius propositionis sequi aliquod impossibile. Vñ cū ex vero non possit sequi falsum & impossibile; signum habetur euidens, concessionem aut negationem illius propositionis non fuisse veritati conformem. Hoc autem genus probationis esse demonstrationem quandam, cōstat ex Arist. hîc lib. 1. cap. 20. & alijs communiter, & ex vsu scientiarum quæ frequentissimè hoc genere probationis vtuntur. Hæ autē probationes quæ ducunt ad impossibile, sunt demonstrationes, non vtique ratione primi syllogismi in quo infertur conclusio falsa & impossibilis: sed ratione alterius syllogismi veluti reflexi, quo ex eo quòd ea conclusio impossibilis inferatur, arguimus tandem falsitatem alicuius concessionis vel negationis de alia propositione antea factæ: siue absolutè arguimus, aliquam præmissarum ex quibus conclusio inpossibilis infertur, esse impossibilem. Sic inquam hæc probatio potest dici demonstratio. Quamuis Arist. quarto Metaph. tex. 9. vt eam à perfecta & ostensiuā demonstratione distingueret, dixerit potius esse redargutionem quàm demonstrationem. Nisi hoc dixit de primo illo syllogismo in quo ad redarguendū aduersarium, falsa conclusio inferebatur.

Procedit à notiori ad minus notum.

Neque verò huic demonstrationi ab effectu, obstat, quod dixit Aristot.2.Prior. cap.21. peti principium, cùm prius per posterius demonstratur. Nam Aristot. ibi loquutus est de priori et posteriori, non in essendo, sed in cognoscendo: idest peti principium, cùm ab eo quod est minus notum

notum et posterius in cognoscendo, proceditur ad magis notum & prius in cognoscendo. In demonstratione autem quia ab effectu ad causam, supponimus, tunc solùm hoc genus probationis valere, quādo habitudo effectus licèt posterior in essendo, est notior & prior in cognoscendo, vt ita possit ingenerare cognitionem causæ, quæ in conclusione infertur.

Alia demonstratio quia, procedens à causa non conuertibili. Secundus alius modus demonstrationis quia, ab eodem Aristotele assignatur, si cōclusio probetur quidem per causam, non tamen per causam propriam & immediatam, sed veluti remotam & non propriam. Demonstratio enim propter quid, solùm est illa quæ procedit ex causa propria & immediata. Causam immediatam Expositores communiter intelligunt, quæ est couertibilis cum effectu: idest vbicunque est causa, est effectus; & vbi cunq. est effectus, est causa; de quocūque prædicatur vnū, prædicatur & aliud: Quando ergo causa non est hoc modo conuertibilis: demonstratio quæ ex illa procedit, dicetur demonstratio quia. Sic Aristot. tex. 98. concludit, per media quæ non conuertuntur cum prædicato quod demonstratur de subiecto, & per media quæ non sunt causa conclusionis, demonstrari quod est, non autem propter quod est. Vbi duplex species demonstrationis quia assignatur. Vna quæ procedit à causa non conuertibili: alia quæ procedit à non causa. Et tex. 99. explicare prosequitur demonstrationem à causa non conuertibili.

Triplex modus huius causæ. Triplici autem modo potest inueniri causa non conuertibilis cum effectu. Primò, quę nec semper quādo est, ponit effectum; nec semper quando est effectus, est ex tali causa. Sic interdum quidem ventus est causa frigoris: at non semper quādo est ventus, causat frigus; nec semper quando est frigus, causatur à vento. Secundò, quando semper quidem dum est causa, ponit effectum: sed non semper dum est effectus, est ex tali causa. Sic ignis semper est causa caloris: sed non semper calor est ab igne, quia potest esse à Sole, & à motu, alijsuè causis. Tertiò, quando è contra semper dum est effectus, prouenit à tali causa: sed non semper dum est talis causa, ponit illum effectum. Sic respiratio non est nisi ab animali: sed non semper, idest non omne animal respirat. Vt enim docet Aristoteles 3. de Part. animal. cap. 6. necesse non est pisces respirare: quia dum pulmone carent, non indigent respiratione. Et hoc exemplum causæ non conuertibilis, adducit Aristoteles hic textu 99.

Quisnam sit aptus ad demōstrationē. Ex his tribus modis causarum non conuertibilium: Primus ad nullam demonstrationem est aptus, neque affirmatiuam, neque negatiuam; neque ab effectu ad causam, neque à causa ad effectum. Vt in illo exemplo, non est necessaria consequentia: est ventus, ergo est frigus: Vel non est ventus, ergo non est frigus. Nec è conuerso. Per secundum modum causæ, potest fieri demonstratio affirmatiua à causa ad effectum; negatiua ab effectu ad causam: & non è contra. Sic in exemplo illo benè infertur: est ignis, ergo est calor. Item non est calor, ergo non est ignis. Non autem valet: nō est ignis, ergo nō est calor. Nec valet: est calor, ergo est ignis. Itaque hæc res se habet sicut in propositione cōditionali: Vbi valet consequentia affirmatiua à conditione ad rem, & negatiua à re ad conditionem. Per tertium modum causæ potest fieri demonstratio affirmatiua ab effectu ad causam: negatiua à causa ad effectum: & non è contra. Sic benè infertur; respirat, ergo est animal. Item non est animal, ergo non respirat. Sed non valet: non respirat, ergo non est animal. Nec valet: est animal, ergo respirat. Quomodo autem detur demonstratio negatiua, dicemus postea circa præmissas demonstrationis.

Constituit demōstrationem quia, non propter quid. Demonstrationem ergo huiusmodi ex causa non conuertibili procedentem, dicendam esse quia, non propter quid, constat ex Aristotele non solùm loco allegato; sed etiam tex. 9. 13. 66. & sequentibus, dicente, principia demonstrationis perfectę & propter quid, debere esse propria & adæquata conclusioni. Atq. in definitione scientiæ propter quid allata textu 5. cùm dicitur: *Per causam, per quam res est, ita vt non possit aliter se habere*; sensus est, vt nec effectus possit esse nisi ex tali causa, neque causa possit esse quin ponat effectum. Quamuis etiam

per

per huiusmodi causam non propriam dici possit quodammodo effectus demonstrari per causam per quam est: tamen non demonstratur per causam propriam, proximam, completam, & adæquatam, qualis requiritur ad scientiam perfectam.

Vnde intellectus quærens scire causam alicuius effectus, si illi proponatur causa non conuertibilis, non planè quiescit: & adhuc vlteriorem causam inquiret, donec adæquatam inueniet. Vt si dicatur, ideò lignum non respirat, quia non est animal: statim inquirendum recurrit, cur & aliqua quæ sunt animalia non respirant. Cum autem reddetur causa, quia carent pulmone: tunc intellectus planè quiescit. quia sicut habere pulmonem est causa adæquata respirandi: ita non habere pulmonem, non respirandi. In terminis enim conuertibilibus valet illa regula: affirmatio est causa affirmationis, & negatio negationis.

Alia demonstratio quia, procedens à concomitantibus.

Tertius adhuc modus demonstrationis quia esse potest, procedendo ab aliquo medio, quod non sit, neque effectus, neque causa conclusionis: sed tamen concomitanter se habeat, ita vt verè & rectè vnum inferri possit ex alio. Hunc modum demonstrationis Arist. non assignauit, nec alij assignare solent. Et Zabar. lib de Spec. Demon. c. 5. refert, Themist. quidem hunc modum tradidisse. Sed ab Auerr. impugnari. Quem ipse sequitur. Et fundatur in hoc: quoniam si inter medium & extrema non sit habitudo causæ & effectus; erit connexio accidentalis, à qua alienissima est demonstrationis natura. Et illa propositio in qua prædicabitur maius extremum de medio, non erit per se: cùm neque prædicatum ponatur in definitione subiecti, neque subiectum prædicati: & ita erit propositio per accidens, inepta ad demonstrationem.

Omnino tamen dicendum est, dari hoc genus probationis, quæ sit quidem euidens & necessaria; atque adeò dici possit in suo gradu demonstratio. Probatur clarè: quia fieri optimè potest, vt aliqua duo habeant talem connexionem & concomitantiam, vt separari non possint, & vbi est vnum necessariò sit & aliud: etiam si vnum non sit causa alterius: tunc vtique ex vno poterit euidenter & necessariò inferri aliud. Hoc autem modo possunt se habere duæ passiones, duo effectus, quorum vterque necessariò ab aliqua communi causa procedat. Sic se habent in homine risibile & flebile. Vnde potest benè probari: omne risibile est flebile: homo est risibilis: ergo est flebilis: aut econuerso. Item hoc modo se habent duæ relationes mutuæ, quæ dicuntur esse simul natura, & vna non est causa alterius, & ex vna benè infertur altera. Demum hoc modo perspicuè se habent plurima mathematica attributa, quæ præsertim in Geometria assumuntur & demonstrantur: neque medium est causa conclusionis, vel econuersò: sed tantùm concomitanter se habent. Quod totum est notissimum. Et statim in primis propositionibus Euclidis conspicitur. Nam infertur æqualitas ex vna ad aliam lineam, ex angulis ad latera trianguli, vel e conuerso. Vbi fanè nulla causalitas, sed tantùm mera concomitantia inuenitur. Probationes autem mathematicæ, vocantur vtique demonstrationes: & omnis probatio euidens necessaria, potest vocari demonstratio: ergo omnino est hoc genus demonstrationis concedendum. Poteritque vocari demonstratio quia, non à posteriori, sed à simul; non ab effectu, sed à concomitanti.

Neque obstare debet, quòd Arist. hunc modum non assignauit, quando res ipsa illum ostendit, & vsus obseruat, & vtilitas commendat. Sæpè enim hoc probandi genere vtiliter vtimur. Neque obstat fundamentum oppositum. Quia si connexio accidentalis & propositio per accidens intelligatur, quæ non est necessaria & infallibilis: sic illa connexio & propositio, non est accidentalis. Si autem intelligatur, in qua vnum non est de ratione alterius, nec vnum dependet ab alio, etiam si habeant necessariam connexionem: sic tale genus connexionis & propositionis, est sufficiens ad hoc genus demonstrationis à simul & concomitanti, idest ad hoc genus probationis necessariæ & euidentis.

SECTIO

SECTIO QVINTA.

De Præcognitionibus & Præcognitis ad Demonstrationem requisitis.

Arist. doctrina de præcognitionibus & præcognitis.

ARistoteles incipiens 1. Post. omnem doctrinā & disciplinā fieri ex præexistente cognitione: tex. 2. duplicem præcognitionem, idest præuiam cognitionem ad discursum requisitam distinguit; vnam quoad an est; aliam quoad quid est: idest vnam qua affirmetur rem esse: aliam qua perspiciatur quid res sit, siue quid significetur per id quod dicitur. Hinc docet, alia debere præcognosci quoad an est: alia quoad quid est: alia quoad vtrunque. Affert exempla. quoad an est oportet præcognoscere hoc principium, omne pot est affirmari aut negari, siue omne est aut non est. quoad quid est oportet præcognoscere triangulum quid significet. quoad vtrumque oportet præcognoscere vnitatem, videlicet quid vnitas significet, & quòd verè vnitas sit. Rursus tex. 75. & 76. repetit eundem duplicem modum præcognoscendi: & asserit, ad scientiam tria requiri, præmissas, subiectum conclusionis, & prædicatum conclusionis: præmissas ex quibus demonstratur, subiectum de quo demonstratur, & prædicatum quod demonstratur. Et explicat quonam modo hæc tria debeant præcognosci.

Communis expositio de duabus præcognitionibus, & tribus præcognitis.

Hinc Expositores valde communiter colligunt & asserunt, ad demonstrationem duas præcognitiones & tria præcognita requiri: & specialiter loquuntur de demonstratione propter quid, de qua Arist. maximè agere intendebat. Primum præcognitum assignant præmissas, quas volunt ab Arist. esse indicatas exemplo illius principij. Secundum assignant prædicatum conclusionis, quod etiam appellatur quæsitum & passio. Et hoc esse indicatum exemplo trianguli, quoniam triangulus est prædicatum seu quæsitum in quadam conclusione & problemate geometrico, nempe super datam rectam lineam triangulum constituere. Tertium assignant subiectum eiusdem conclusionis, quod etiam dicitur datum & genus. Et hoc esse indicatum exemplo illo vnitatis: quoniam vnitas est subiectum in plurimis quæstionibus & conclusionibus arithmeticis, cuius obiectum adæquatum est numerus. Sic Arithmetica quærit an vnitas mensuret numerum & similia.

Vnde vlterius, conformiter ad hæc eadem exempla dicunt, præmissas præcognosci debere quoad an est. quod planè docet ipse Arist. tex. 11. 15. & 73. Addunt Themist. Auerr. Philop. S. Thom. & alij communiter ijsdem locis, debere etiam præcognosci quoad quid est. quod ipsum docet Arist. tex. 11. Item dicunt, subiectum debere præcognosci quoad quid est, & quoad an est simul: prædicatum verò tantùm quoad quid est. Quoniam, vt procedatur ad demōstrationem, prius proponitur conclusio sub forma problematis & quæstionis: vt vtrum anima sit immortalis: & sic prænosci debet quid vtrunque significet. Debet etiam prænosci, subiectum in se simpliciter esse, vt possit affirmari esse tale vel tale per prædicatum. Non debet autem prænosci prædicatum simpliciter esse, quia hoc ipsum demonstratur, dum probatur prædicatum inesse subiecto.

Hæc expositio non benè rem explicat.

Verùm in hac tota doctrina plures difficultates inuoluuntur, tam de re ipsa, quam de mente Arist. Quia sicut dicuntur debere præcognosci subiectum & prædicatum conclusionis, quæ sunt extrema: ita etiā debet præcognosci medium. 2. Quia non est necessaria illa ratio vt debeant præcognosci extrema conclusionis, quia conclusio antea proponitur sub forma problematis. Hoc enim non est necessarium. Et etiam si non ita proponatur, alia ratione oportet vt omnia præcognoscantur quoad quid est. 3. Etiam tota ipsa conclusio, etiam quoad copulam, debet præcognosci quoad quid est, scilicet per simplicem apprehensionem. sicut de ipsis præmissis fatentur debere præcognosci quoad quid est. 4. deinde Non oportet subiectum distinctè præcognosci quoad an est. Nam ad propositiones essentiales non oportet supponere subiectum existere. Quòd si dicant debere prænosci saltem esse possibile, vel esse essentialiter ens reale. Neque etiam hoc est necessarium. Et qua ratione po-

test præcognosci de subiecto, potest etiam de prædicato.

Non est de mente Aristot.

Quintò præterea, Arist. tex. 2. non attulit illa exempla ad indicanda illa tria præcognita demonstrationis. Prorsus enim gratis, & nimis violenter dicitur. Arist. obscurissimo illo modo voluisse indicare prædicatum exemplo trianguli &c. imo triangulus in Geometria potius se tenere solet ex parte subiecti Et e conuerso in Arithmetica ponendo numerum ex parte subiecti, vnitas se tenebit ex parte prædicati; numerus mensuratur vnitate. 6. In illa expositione ex vna parte dicitur, præmissas assignari pro illo præcognito quod debet præcognosci tantùm quoad an est, ad differentiam illius quod debet præcognosci, tum quoad an est, tum quoad quid est. Ex alia parte asseritur, præmissas debere præcognosci etiam quoad quid est. 7. Illa expositio non explicat nec saluat rationem quam reddit Arist tex. 2 cur aliquid debeat præcognosci vno vel alio modo, quia inquit non consimiliter omnes res esse nobis manifestas. 8. demum Nec etiā saluat & explicat quod Aristoteles docet textu 76. quando aliqua quæ præcognoscenda forent, sunt satis nota; tunc scientias illa despicere, & non curare tales præcognitiones. Cùm tamen certum sit, ad omnem actum scientificum in omni singulari demonstratione debere interuenire suas debitas præcognitiones.

Est inutilis.

Cæterùm conati sunt multi Expositores, his difficultatibus vel omnibus, vel aliquibus satisfacere Propter quod prolixā nimis & molestam de præcognitionibus & præcognitis tractationem texere conati sunt. Sed inutiliter prorsus, sine vlla vel necessitate, vel emolumento ad cōnstructionem demonstrationis. Et nunquam satis difficultates expedire, suamquè illam assignationem defendere possunt.

Vera doctrina de præcognitionibus & præcognitis.

Aliter facillimè & breuiter, tùm res ipsa, tum doctrina Aristot. explicanda est. Quod ad rem ipsam attinet, clarum est, ad demonstrationem concurrere tres terminos, ex quibus conficiuntur propositiones & ipsas propositiones ideſt præmissas, & conclusionem. Hæc omnia debent præcognosci quoad quid est. Non oportet quidem præcognosci conceptu explicito & definitiuo. & vt dici solet, quoad quid rei: sed sufficit conceptu aliquo implicito, &, vt dici solet, quoad quid nominis. Imo hæc præcognitio non debet esse complexa per modum iudicii, sed simplex per modum apprehensionis. Præter hoc, præmissæ debent præcognosci quoad an est, ideſt per assensum & iudicium determinatum, quo intellectus cognoscat ita esse sicut per præmissas enūciatur. Post has præcognitiones sequitur assensus conclusionis quoad an est, qui assensus est ipse actus sciendi, in quo tota demonstratio perficitur & completur. Hoc autem totum de distinctione huius duplicis cognitionis quoad quid est & quoad non est, & de necessitate huius præcognitionis quoad quid est ad assensum determinatum ferendum, & de necessitate præcognitionis, ideſt assensus quoad an est præmissarum, ad assensum conclusionis, satis iam patet ex dictis suis locis de tribus actibus nostræ cognitionis.

Huc spectat quod Auerr. 1. Post. com. 1. distinguit, aliam præcognitionem esse dirigentem, aliam agentem. quam diuisionem recipiunt & explicant alij Expositores communiter. Communis autem explicatio est: præcognitionem dirigentem dici illam, quæ tantùm aliquo modo disponit intellectum, vt deuenire queat in notitiam & assensum conclusionis: præcognitionem agentem esse illam, qua mediante, & in virtute cuius, intellectus elicit ipsum conclusionis assensum. Clariùs ergo dicemus. præcognitionem dirigentem, esse simplicem apprehensionem & quoad quid est, quæ requiritur quidem non tamen mouet & impellit intellectum per modum principij illatiui, præcognitionem agentem esse assensum præmissarum, & definitum iudicium quoad an est, ex quo intellectus per modum illationis inducitur ad conclusionis assensum.

Vera expositio Arist.

Deinde quod attinet ad mentem Arist. is non tam loquutus est in illis locis de singularibus demonstrationibus, & actibus cognitionis ad singulas requisitis. quàm potius de scientijs totalibus, quas in principio nomine doctrinæ & disciplinæ nuncupauit. Et præcognitionem accepit etiam per modum doctrinæ & disci-

disciplinæ, qua in qualibet scientia explicatur, quid res sit & an sit. Atque docere voluit, quasdam res esse, de quibus scientia totalis per modum doctrinæ debeat explicare tantùm an sint, quasdam quid sint, & quasdam quoad vtrunque, vt possit ad vlteriora procedere. Hanc autem diuersitatem prouenire ex eo quod non similiter & eodem modo tales res supponuntur notæ & manifestæ. Sed quandoquè indigere vna, quandoquè alia, quandoquè vtraque explicatione: quandoquè autem aliquid ex his non antecedenti & præuia explicatione præcognosci, sed potius per ipsam scientiam demonstrandum est.

Ad hoc propositum affert textu secundo, exempla illa. Et quidem principium illud, omne est aut non est, ipse latè sic esse declarat 4. Metaph. Triangulum autem quid significet, Geometra ab initio explicat; sed an sit, postea debet demonstratione probare: vt docet idem Arist. 2. Poster. textu 33. De vnitate demum, præuia explicatione debet præcognosci quid sit & an sit. Nam ait Aristot. textu 76. non ita planum est, numerum esse, sicut calidum aut frigidum esse. Hæc verò Arist. attulit tanquam exempla. Nec alioqui est in exemplis exacta veritas requirenda. Ideò etiam addidit Aristot. textu illo 76. ea ipsa quæ alioqui præcognosci, idest priùs edoceri & explicari solent ac deberent, prætermitti, quando ex se satis nota & perspicua esse supponuntur. Demum hæc tota expositio est expressè de mente Auerrois, qui pro eadem refert Themistium. Et inter alia notauit Auerr. comm. 2. siue præmissas, siue subiectum, siue prædicatum, indifferenter debere, quandoquè vno, quandoquè alio, quandoquè vtroque modo præcognosci: sine distributione illa prægcognitionum & præcognitorum, quam postea alij excogitarunt. Sequitur iam, vt distinctè de singulis ipsis partibus demonstrationis, terminis, & propositionibus, pertractemus.

***

SECTIO SEXTA.

De Terminis Demonstrationis, præcipuè propter quid: & priùs de Extremis.

Termini dicuntur materia remota syllogismi, propositiones materia proxima: ideò à terminis incipimus, vt ad propositiones transeamus. Manifestum est autem, in demonstratione, sicut in quolibet syllogismo, duos esse terminos extremos; & vnum medium: quod in specie de ipsa demonstratione Aristot. adnotauit lib. 1. cap. 16.

De minori extremo. Et in primis, de termino minori extremo, quod est subiectum conclusionis in demonstratione, & ita obiectum scientiæ incomplexum, iam satis ad naturam ipsius scientiæ explicandam, egimus in ipso tractatu de Scientia. Vnde etiam nonnulla de maiori extremo, conclusionis prædicato colliguntur. His ergo suppositis, & alijs leuioris momenti omissis. Breuiter in demonstratione quia, maius extremum potest esse quodcunque prædicatum, quod de subiecto aliquo possit euidenter sciri & comprobari: siue sit causa ipsius subiecti aut medij: siue sit effectus non adæquatus: siue sit aliquid concomitanter se habens: ac etiam si sit prædicatum essentiale, ipsaquè definitio subiecti; possumus enim demonstrare hominem esse rationalem, ex eo quod est risibilis, & similia. *De maiori extremo in demonstratione quia.*

In demonstratione propter quid, maius extremum debet esse effectus medij. In demonstratione propter quid, de qua præcipuè est loquendum, maius extremum quatenus prædicatur de minori, debet esse aliquo modo effectus medij. Ita patet ex ipsa essentia huius demonstrationis. Demonstramus enim per causam, per quam prædicatum conuenit subiecto. Debet item esse effectus consequens per se & necessariò, non per accidens vel contingenter. Quod etiam patet ex dictis antea de necessitate scientiæ in communi.

Tria autem sunt, quæ considerare possumus sic se habere, & quærere an sint apta, vt sint maius extremum in hac demonstratione. Primò aliquid consequens & promanans ab eiusdem subiecti essentia

tia & natura. & hæ sunt propriæ passiones, & naturales proprietates. Secundò aliquid quod sit causa subiecti, quæ tamen ab alia causa superiori dependeat, & per eam subiecto conueniat. Tertiò aliquod prædicatum essentiale subiecti, quod ei conueniat per aliquam causam, per quam possit de illo probari.

Et primò quidem, propriæ passiones, aptissimæ sunt vt de subiecto demonstrentur per essentiam, idest differentiam essentialem vel definitionem eiusdem subiecti, tanquam medium. Et huiusmodi etiam demonstratio est perfectissima inter omnes propter quid. Quod totum constabit magis ex dicendis de medio demonstrationis. Secundò etiam aliqua causa poterit per aliam demonstrari: quia dantur causæ inter se subordinatæ. Imo eædem causæ sunt sibi inuicem causæ; & ita poterit vna per aliam à priori demonstrari. Quomodo verò in hoc possit esse circulus & regressus, dicemus postea. constabit etiam magis hæc res ex modò dicendis.

Potest etiã esse aliqua causa minoris extremi.

An possit etiã esse prædicatũ essentiale.

De Tertio, multi Expositores in 2. Poster. & Auicen. apud Auerr. com. 38. absolutè negant, prædicatum essentiale, & præcipuè definitionem, posse demonstrari de re cuius est definitio, vt animal rationale de homine. Nam dubium non est, definitionem accidentis posse demonstrari de subiecto eiusdem accidentis; vt de homine definitionem risibilitatis: quia sic non demonstratur definitio aut prædicatum essentiale, de ipsa re cui est essentiale. Alij verò distinguunt, dupliciter posse intelligi hanc demonstrationem. Vel materialiter, demonstrando illud quod est definitio essentialis, & inferendo homo est animal rationale. Vel formaliter sub ratione definitionis essentialis, demonstrando & concludendo, homo est essentialiter animal rationale, animal rationale est definitio hominis. Primo modo concedunt, secundo negant, posse demonstrari. Et hæc est communior doctrina.

Fundam. partis negatiuæ ex Aristot.

Pro hac autem parte negatiua, videtur esse Aristot. eod. 2. Poster. Vbi à cap. 2. per plura sequentia, multis rationibus conatur ex professo probare, ipsum quid est & definitionem rei non posse demonstrari. & textu metaphys. textu primo, ex inductione à se facta, infert non esse demonstrationem ipsius quid est, sed alium manifestationis modum. Accedit ratio, quia definitio, & quodcunque prædicatum essentiale, intrinsecè & immediatè per se ipsum conuenit rei, & non per aliam rationem vel causam priorem: alioqui se haberet, vt passio consequens, non vt prædicatum essentiale constituens.

Fundam. partis affirmatiuæ ex Arist.

At verò pro parte affirmatiua, quòd definitio possit de definito demonstrari, est idem Aristot. eodem secundo Poster. capite quinto, aliàs 8. Vbi, cùm in præcedentibus plurimas dubitationes adduxisset, nihil tamen asserendo; ibi incipit, cõsiderandum esse quid in præcedentibus benè aut non benè dictum fuerit. Et textu 37. planè docet, quid est posse demonstrari, sed per aliud quid est, & definitionem per definitionem. Et textu 46. aliam esse ait definitionem, quę non demõstratur, sed est principiũ, siue mediũ demonstrationis. Aliam quę est demonstrationis conclusio. Aliam quoque assignat quę videtur esse eadem demonstratio, positione vel collocatione tantùm differens, vt videre est in textu. Sed rursus redit difficultas: quia ipse Aristot textu 38. post traditam eam doctrinam, ait, illum modum assignatum demonstrandi quid est, non esse demonstrationẽ, sed logicum syllogismum, per quem videtur intelligere argumentum topicum. Et pręterea textu 42. ait, ipsius quid est non esse syllogismum, nec demonstrationem: tamen ipsum quid est, haberi per syllogismum & demonstrationem.

Vera resolutio.

Ad veram resolutionem huius dubij, & intelligentiam Aristot. distinguenda est duplex causa per quam demonstratio fieri possit. Alia est intrinseca & essentialis subiecto, vt rationalitas homini. Alia est causa extrinseca non essentialis, vt finis Beatificus, ad quem homo ordinatur. Distinguendum est etiam, aliud prędicatum essentiale, velut partiale, non continens totam essentiam ac definitionem, & definitio ipsa integra & totalis continens totam rei essentiam.

Potest prædicatum essentiale

Potest ergo à priori demonstrari de re prædicatum aliquod essentiale per causam extrinsecam, demonstrari inquam

 non

demōſtrari per cauſam extrinſecā. non ſolùm materialiter, ſed etiam formaliter. Probatur, quia poteſt dari cauſa qua huiuſmodi prædicatum realiter & eſſentialiter conueniat ſubiecto: ergo poteſt per talem cauſam fieri demonſtratio. Sic, hominis cauſa finalis eſt Beatitudo in contemplatione intellectiua conſiſtens: per hanc ergo cauſam finalem demonſtrari poteſt, hominem habere naturam intellectualem, & habere vtique eſſentialiter. Cauſa finalis vt domus tecto & parietibus conſtruatur, eſt ad propulſandas aeris iniurias: licebit ergo per hanc cauſam finalem à priori demonſtrare, domum debere tecto parietibuſquè conſtare. Per idem genus cauſæ exemplum affert Sanctus Thomas ſecūdo Poſter. lect. 7. omnis habitus perducens ad beatitudinem, eſt ſecundùm rectam rationem operatiuus; ſed virtus eſt habitus perducens, &c. Datur item ſimilis demonſtratio per cauſam efficientem: vt ſi demonſtremus, amorem eſſentialiter eſſe actum vitalem, ex eo quod elicitur à potentia vitaliter operante. Si demonſtremus filium eſſe ſubſtantiam viuentem genitam in ſimilitudinem naturæ: quia omnis filius generatur à patre; & omnis pater generat vt viuens, aliud viuens ſibi ſimile in natura.

Poteſt et per cauſā intrinſecam. Inſuper poteſt etiā per cauſam intrinſecam & eſſentialem demonſtrari formaliter aliquod prædicatum, ſeu aliqua pars eſſentialis. Sic poſſumus demonſtrare formam per cauſam materialem: omne quod habet eſſentialiter materiam, habet eſſentialiter formam; ſed omne corpus phyſicum habet eſſentialiter materiam, ergo, &c. Vnde qui concedit cælum habere materiam: inde à priori tenetur concedere, habere etiam formam. Et ex eo quod aliquod compoſitum habeat corpus organicum, à priori poteſt demonſtrari quod habeat eſſentialiter animam. Sic ergo ſaltem inter materiam & formam, poteſt vnum prædicatum, ſeu pars eſſentialis, per aliam cauſam eſſentialem demonſtrari.

Poteſt itē integra definitio per cauſam intrinſecam. Deinde integra etiam definitio poteſt formaliter per cauſam extrinſecam demonſtrari. Ita concedit Auerroes ſecundo Poſteriorum com. 38. cauſa quæ eſt pars quidditatis, non demonſtrat definitionem, ſed cauſa quæ eſt extra quidditatem. Diuus Thomas etiam, Caietanus, & alij in ſecundo Poſter. concedunt, definitionem ſaltem materialiter demonſtrari. Probatur aſſertio, quia nullum eſt impedimentum, nullum inconueniēs, cur definitio non poſſit per talem cauſam demonſtrari. Nam reuera conuenit rei per eam cauſam: ergo per eandem poteſt ſciri & demonſtrari. Sic demonſtrare poſſumus, domum eſſe compoſitum artificiale ex parietibus & tecto, per finem ipſius domus: & definitionem filij probamus ex ratione patris.

Item demonſtrare poſſumus, genus commune homini & Angelo eſſe ſubſtātiam intellectiuam ex fine Beatitudinis. Nec apparet ratio, cur non poſſit definitio etiam formaliter demonſtrari. Siquidem definitio etiam eſſentialiter conuenit rei per talem cauſam, & verè dicere poſſumus, talis res eſſentialiter ordinatur ad huiuſmodi finem: ergo eſſentialiter eſt talis. Item ſumendo ipſam definitionem, v. g. animal rationale, ſic poſſumus demonſtrare: omnis oratio explicans eſſentiam rei per genus & differentiam, eſt definitio eſſentialis: ſed hæc eſt oratio, &c.

Non poteſt per cauſam intrinſecam. Demum integra definitio, neque formaliter, neque materialiter, poteſt per cauſam intrinſecam demonſtrari. Hoc indicauit Auerroes ſupra. Et in hoc ſenſu verificatur ſententia negatiua. Probatur aſſertio: quia in ipſa definitione adæquatè ſumpta continentur omnia, quæ ſunt de eſſentia rei: alioqui eſſet diminuta. Et ſi illi deſit aliquod prædicatum eſſentiale, per quod demonſtrari dicatur: tantùm demonſtrabitur illud aliud prædicatum, quod in definitione continetur, non autem tota definitio, prout includens omnia prædicata. Si ergo definitio demonſtretur per aliquam cauſam eſſentialem, demonſtrabitur per medium in ipſa incluſum: ergo quantùm ad iſtam partem demonſtraretur idem per idem; & quoad hoc eſſet petitio principij. Et quidem hoc præcipuè fundamento Ariſtoteles per plura capita probat, quid eſt non poſſe demonſtrari, quia peteretur principium. Et vlteriùs illud prædicatum eſſentiale, quod aſſumitur vt medium, non eſt vtique cauſa ſui ipſius: ergo tota definitio includens

cludens etiam hoc prædicatum, non potest per illud ipsum demonstrari propter quid, tanquam per causam.

Pro vtraque parte Arist. explicatur. Ex his omnibus facilè explicabitur mens & doctrina Aristot. relictis alijs expositionibus, vel manifestè falsis, vel quæ ex ipsa vera expositione perspicuè refelli possunt. Aristoteles capite quinto distinguit duplicem causam; quandam quæ est eadem, & quandam quæ est alia: hoc est quandam intrinsecam & essentialem, quandam extrinsecam. Ita exponit ibi Sanctus Thomas, & fauet Simpl. Et omissa causa intrinseca, subdit Aristot. si causa extrinseca sit demonstrabilis, idest idonea ad demonstrationem; per eam posse demonstrari quid est, & hunc esse vnicum modum demonstrandi quid est. Hoc ipsum repetit textu 42. dicens, quasdam definitiones esse, quæ habent alteram causam, idest extrinsecam aptam ad demonstrationem: quasdam verò non habere, aut non habere talem quæ spectet ad eandem scientiam, quæ considerat illam definitionem cum definito, vt indicat exemplo Arithm. & vnitatis; & explicant ibi Auerr. & D. Thom. Itaque Aristot. loquutus est de integra definitione, continente totam essentiam rei; & negat, posse demonstrari per causam intrinsecam: concedit per causam extrinsecam, quando suppetit talis causa apta ad demonstrationem in aliqua scientia.

Dum verò textu 38. talem probationem definitionis ait non esse demonstrationem, sed logicum syllogismum: non vtique intellexit esse syllogismum topicum & probabilem. Nam planum est, esse necessarium & euidentem: quinimo ibidem ipse appellat demonstrationem per causam. Sed tantùm negauit esse demonstrationem illam potissimam, quæ procedit ex causa intrinseca & essentiali, de qua loquemur sectione sequenti, & per syllogismum logicum intellexit demonstrationem procedentem ex causis extrinsecis. Sic etiam vocauit logicam demonstrationem libro secundo de Gener. animal. cap. 6. & Auerroes in Epith. Log. tract. de Demonstrat. notauit, quasdam demonstrationes de prædicatis genericis & nō proprijs rei, appellari dialecticas, tñ esse necessarias. Rursus tex. 42. vbi Arist. simul negare videtur & concedere syllogismum ac demonstrationem definitionis; breuiter voluit repetere quod dixerat, aliquo modo dari, & aliquo modo non dari: alicuius definitionis dari, & alicuius non dari. vt clariùs concludit textu 47. *Manifestum ex dictis est, quomodo est ipsius quid est demonstratio, & quomodo non est; & quorū est, & quorum non est.* Demum quod dixit, quid est demonstrari per aliud quid est, & definitionem per definitionem; sensum habet, illam causam extrinsecam per quam definitio demonstratur, aptam esse etiam explicare suo modo essentiam rei, & posse constituere definitionem causalem, vt explicat S. Thom. lect. 6. Iuxta hæc tandem explicari etiam debet locus ille Metaphys. & soluta manet ratio pro eadem parte negatiua adducta.

SECTIO SEPTIMA.
De Medio Termino Demonstrationis, præsertim propter quid & potissimæ.

Generaliter medius terminus cuiusquè demonstrationis debet esse talis, qui ex necessaria & euidenti connexione sui cum extremis in præmissis, euidenter inferat coniunctionem eorundem extremorum inter se in cōclusione. Quare, cùm conclusio sit necessaria, ipsum quoque medium debet esse necessarium: vt docet & probat Aristot. 2. Poster. 50. & 51. Docet etiam Aristot. 1. de Anima tex. 11. Omnis demonstrationis principium, idest medium, esse quid est, idest definitionem. Sed vel hoc specialiter intellexit de omni demonstratione potissima, aut propter quid, vt infra: vel generaliter per quid est intellexit quicquid aptum est explicare essentiam rei, etiā si sit accidens, vel effectus rei: sicut ipse ibi ait, accidentia multū conferre ad cognoscendū ipsum quid est. Demōstrationis verò quia, quale & quotuplex sit medium, constat ex dictis sect. præced. Demonstrationis aūt propter quid medium, vt ex eadem sect. manifestum est, esse debet causa conuertibilis, vt dicebamus. *Medius terminus demonstrationis quia.*

Cumque quatuor sint genera causarum, Materialis, Formalis, Efficiens & Fi- *Medius terminus*

demonstrationis propter quid. & Finalis: Philoponus secundo Poster. com. 23. significauit, solam causam formalem esse posse medium. Et alij pro eodem sumunt causam formalem, ac definitionem, quatenus definitio se habet vt forma rei. Quidam verò recentiores asserunt, tria tantùm genera causarum, materialem, finalem, & efficientem, posse esse medium: formalem propriè dictam excludunt: & dicunt quamlibet ex illis tribus posse aliquo modo appellari formalem, quatenus quælibet suo modo rem constituit: & sic semper medium esse causam formalem. Afferunt, quod Aristot. secundo Poster capite 6. ponit demonstrationis exempla tantùm in illis tribus generibus causarum, & non in causa formali. Probant etiam ratione, causam formalem propriè dictam non esse medium: quia id quod demonstratur est passio & accidens, cuius propriè non datur causa formalis; sed ipsa est forma quędā accidentalis: habens causam materialem in qua est, effectiuam à qua est, & finalem ad quam est. Rursus Auerr. primo Poster. comm. 34. & 35. & 68. demonstrationem ex causa efficienti & finali, videtur collocare inter demonstrationes quia. Ex opposito libro secundo comm. 6. & 42. videtur materiam & formam excludere, solumquè causam efficientem & finalem approbare.

Potest esse in omni genere causæ. Communis tamen & vera sententia est, omne genus causæ esse medium aptum absolutè ad demonstrationem propter quid. Ita Expositores communiter circa loca Aristot. quæ afferemus. Probatur ergo ex Aristotele septimo Metaphysic. text. 59. & 60. propter quid, quæri & assignari per causam, etiam finalem, efficientem, & materialem. Et primo Physic. 70., & 8. Metaphysic. 12. Physicum per omnia causarum genera demonstrare. Sed præcipuè 2. Poster. cap. 6. vel 11. tex. 43. clarè significans se loqui de scientia, quam definierat libro primo textu 5. *Quoniam scire putamus, quando scimus causam*: subiungit: *Causæ verò quatuor sunt*. Et numerat formalem, quam vocat quod quid erat esse, vbi comprehenditur definitio; materialem, efficientem, & finalem. Et addit: *Omnes istæ per medium monstrantur*, idest tanquā medium in demonstratione possunt assumi, vt exponunt Auerroes Philopon. & alij communiter. Et in reliquo cap. eandem doctrinam prosequitur, adducens exempla in omni genere causæ, & præcipuè in tribus illis generibus, cùm iam antea latiùs tractasset de ipsa causa formali. Causam verò formalem certum est, non intrinsecè conuenire accidenti vel passioni, vt per eam demonstrari possit. Attamen multa demonstrantur per causam formalem subiecti: vt ex hoc quod animal habet animam sensitiuam, demonstratur habere virtutem sentiendi. Et datur quoque definitio subiecti, quæ se habet vt causa formalis. An verò definitio ipsiusmet passionis, possit esse medium eius demonstrandæ, infra videbimus, & affirmabimus.

Potissima est demonstratio, cuius medium est causa formalis. Notandum nunc est, causam efficientem distingui solere in extrinsecam, & intrinsecam. Extrinseca est, quæ producit aliquid extra se, vel quæcunque non producit per naturalem & necessariam emanationem, ad eum modum quo propriç passiones ab essentia oriuntur. Intrinseca est, quę per naturalem emanationem producit in se ipsa propriam passionem. Et hęc quę est, essentia, definitio, vel differentia subiecti, appellatur causa formalis; ad differentiam causę efficientis, quę intelligitur extrinseca. Dicitur autem causa formalis, non tantùm respectu subiecti, sed etiam passionis, inquantùm ratio prima formalis, qua talis passio conueniat subiecto, est essentia eiusdem subiecti. Et sic datur peculiare genus demonstrationis propter quid, per causam formalem distinctam ab alijs. Nec nisi nimis impropriè, demonstrationes per alia causarum genera, dici possunt per causam formalem. In omnibus verò causis obseruandum est, vt sumantur, dum non sunt impeditę, & dum adsunt etiam omnia requisita ad operandum: sic enim necessariò inferunt effectum.

Quia autem plura sunt, vt vidimus, genera causarum, & plura per eas genera demonstrationis propter quid: inter hæc omnia eminet causa, & demonstratio omnium perfectissima, quæ potest appellari potissima, & simpliciter. Et est quæ per propriam essentiam,

vel

vel differentiam eſſentialem, demonſtrat paſſionem de ſubiecto, ab illo neceſſariò emanantem. Cui demonſtrationi peculiari ac perfecto modo inſunt omnes conditiones ad demonſtrationis perfectionem requiſitæ: Eaquè habet maximam veritatem ac neceſſitatem, & proximè ac explicitè verſatur in terminis eſſentialibus, ac circa veritates eſſentiales & immutabiles. Et is eſt perfectiſſimus modus cognoſcẽdi rem per cauſam, cùm cognoſcitur paſſio per rationem eſſentialem, per quam ſubiecto conuenit. Itaque hæc non eſt demonſtratio illa ſimpliciter, diuiſa à propter quid, quam ponebat Auerr. ſed eſt demonſtratio propter quid perfectiſſima. In hoc tamen nimij videntur illi, qui volunt, huic ſoli conuenire conditiones ab Ariſtotele aſſignatas, & de hac ſola Ariſtot. fuiſſe loquutum. Hoc inquam falſum eſt. quia & Ariſtot. loquutus eſt vniuerſaliter de ſcientia & demonſtratione propter quid, quam etiam definierat: & illæ conditiones omni tali demonſtrationi conueniunt, vt deinceps conſtabit. Magis tamen perfectè aſſerimus conuenire demonſtrationi potiſſimæ.

Quæ colligit quodã modo omnes cauſas.

Huiuſmodi ergo demonſtrationis medium, eſt cauſa formalis modò explicata. Quæ etiam alias cauſas in ſe quodammodo continet, earumquè vim & efficaciam in ſe colligit. Habet rationem cauſæ formalis, ſiue reſpectu ſubiecti, ſiue paſſionis, vt explicauimus. Habet rationem cauſæ efficientis, & eò perfectioris, quò perfectior eſt efficiens intrinſeca, quàm extrinſeca. Eſt cauſa materialis: quoniam ipſa eadem eſt, quæ in ſe recipit propriam paſſionem. Demum ſe habet vt finis: ad ejus enim complementum atque perfectionem, ſuæ paſſiones naturaliter ordinantur. Harum trium rationum in cauſando eſſentiæ reſpectu paſſionis, meminit Sanctus Thomas prima parte quæſtione 77. ärticulo ſexto ad ſecundum.

At verò poteſt in prædicto ſenſu cauſa formalis eſſe, non tantùm eſſentia & differentia rei, ſed etiam aliqua alia paſsio ſubiecti: ita vt per vnam paſſionem tanquam cauſam formalem, alia demonſtretur. Quod euenit, cùm in ipſo ſubiecto immediatè ex eius eſſentia aliqua prima paſsio prouenit, & ex hac paſsione deinde alia paſsio: vt ex rationalitate hominis, quæ eſt principium radicale, proximè ſequitur eſſe diſcurſiuum, quæ eſt facultas proxima; & ex hac ſequitur eſſe admiratiuum; & ex hac demum, vt communiter dicunt, eſſe riſibile. Huiuſmodi ergo paſſio, quæ non eſt prima, poteſt & debet per aliam paſſionem priorem à qua prouenit demonſtrari.

Quomodo medium demonſtr. propter quid, ſit definitio.

Rurſus Ariſtot. ſæpè docet, medium huius demonſtrationis eſſe quid eſt, ſcilicet definitionem. Hoc aliqui intelligunt de omni demonſtratione propter quid. Aliqui de perfectiſſima demonſtratione, de illa ſcilicet quæ modò dicebatur procedere ex cauſa formali. Cumquè in demonſtratione detur ſubiectum & ipſa paſſio, dubium eſt, an definitio vel differentia eſſentialis ſubiecti, an paſſionis, ſit medium in hac demonſtratione, an diſcurſiuum de homine demonſtretur per rationalitatem, quæ eſt differentia hominis, vel per aptitudinem diſcurrendi, quæ eſt eſſentia diſcurſiui, vel debeat vniri vtrunque medium ſimul, omne rationale & aptum ad diſcurrendum eſt diſcurſiuum, ſed homo eſt, &c. vel ſic, omne aptum ad diſcurrendum propter rationalitatem, eſt diſcurſiuum, ſed homo eſt &c.

Ariſtoteles ſecundo Poſteriorum textu 41. 95. & 97. docere videtur, medium eſſe definitionem maioris extremi & paſſionis. Idem aſſerit Auerr. iiſdem locis, & latè defendit Zabar. libro primo de Medio demonſtrationis, qui tamen declarat, nunquam definitionem eſſentialem paſſionis quæ demonſtratur, ſed ſemper in omni demonſtratione propter quid definitionem cauſalem paſſionis eſſe medium demonſtrationis. Communis ſententia eſt, medium non eſſe, niſi definitionem vel differentiam eſſentialem ſubiecti.

Nõ debet eſſe definitio vtriuſque extremi ſimul.

Sed primò videtur, poſſe quidem in aliqua demonſtratione poni vtrunque medium, vt in exemplo illo adducto. Sed id eſſe ſuperfluum, & demonſtrationem non videri perfectè vnam. Nam demonſtratio vna eſt, quæ vnico medio conſtat. Ibi autem ponitur duplex medium. Et ſpecialiter propoſitio illa in forma cauſali, omne aptum

ad discurrendum propter rationalitatem, inuoluit integram demonstrationem hanc, aptum ad discurrendum est discursiuum, rationale est aptum ad discurrendum, &c. Et huiusmodi est definitio illa, quam Aristot. 2. Poster. textu 45. ait esse ipsam demonstrationem, sola positione, hoc est collocatione terminorum differentem: vt tonitruum est sonus in nubibus propter extinctionem ignis: eclypsis est priuatio luminis in Luna propter interpositionem terræ. superfluè autem in vna propositione demonstrationis ponitur penè tota demonstratio.

Potest esse definitio maioris extremi. Secundò. Definitio passionis potest esse medium in demonstratione propter quid per causam formalem, quamuis aliqui hanc definitionem nimis seuerè reijciant. Nam illa est causa formalis & essentialis passionis. Et interroganti cur homo sit discursiuus, benè responderi potest, quia est aptus ad discurrendum. Et hæc definitio est per se magis nota, quàm suum definitum. Et qui negaret hominem esse discursiuum, posset hac via conuinci. Potest etiam talis definitio dici causa, vt passio insit subiecto, sicut est causa formalis eiusdem passionis secundùm se, quatenus nempè assumitur in vtraque præmissa, quòd esse aptum sit discursiuum, & quòd esse aptum homini insit: sicut etiam rationale est causa, vt homini insit discursiuum, quia rationale est discursiuum, & rationale inest homini. Imo in aliquo casu accidere potest, vt ferè non possit aliter prædicatum demonstrari de suo subiecto, quàm per definitionem ipsius prædicati: vt non potest meliùs demonstrari, animal rationale esse definitionem hominis, quàm assumendo definitionem ipsius definitionis, omnis oratio explicans essentiam rei per genus & differentiam, est optima definitio rei, &c. Et si quæratur, quare animal rationale est definitio hominis, non aliter responderi debet, nisi quia explicat essentiam hominis. Atque in Physica, alijsquè scientijs, frequenter occurrunt huiusmodi probationes & responsiones. Fatendum verò est, definitionem passionis, seu prædicati, non esse medium perfectissimum, quod assignauimus, vt mox dicemus.

Præcipuè debet esse definitio minoris extremi. Tertiò igitur definitio aut differentia essentialis subiecti, seu minoris extrèmi, est medium aptissimum, & super alia perfectissimum. Patet ex supra dictis. Et quia hæc est causa, ex qua passio prouenit & emanat. Et tunc maximè nos scire putamus causam passionis, cùm scimus subiectum habere talem differentiam, & ex tali differentia talem passionem. Tale verò medium, quod est essentia subiecti, dici etiam potest definitio passionis, definitio nempè causalis. Nam passio optimè causaliter definitur per essentiam, à qua intrinsecè manat. Et de hac definitione loquutus est Aristot. illis locis, apud quem idem esse videtur definitio & causa passionis, & expresse lib. 2. textu 7. ait, idem esse cognoscere quod est, & propter quid est. Cæterùm, quoniam definitio subiecti potest considerari, tum respectu subiecti, quatenus ratio essentialis eius, tum respectu passionis, quatenus eius causa: disputari solet, quanam potius ratione sit propriè demonstrationis medium.

Per se autē est mediū, quatenus causa. Dicēdū breuiter est, esse proximè medium, quatenus causa passionis, & veluti remotè quatenus est essentialis subiecto. Primum probatur: quia scire est cognoscere rem per causam, per quam est: ergo definitio, quatenus est causa passionis in subiecto, est medium sciendi, eamquè demonstrandi. Et quidem definitio, quatenus definitio per se tantùm resoluit quæsitum quid, quid sit subiectum: sed quatenus causa passionis, demonstrat quæsitum propter quid. Idquè est de mente Aristotelis, assignantis absolutè medium demonstrationis causam conclusionis & rei. Et definitionem ipsam assignauit inquantum est causa: eamquè vocauit definitionem ipsius passionis, nempè causalem: quia vt sic est medium. Cum hoc tamen asserendum omnino est, definitionem intantùm esse causam efficientem intrinsecam, vel formalem passionis, ita perfectam, inquantùm est definitio & importat essentiam subiecti. Et ex hoc probatur secundum illud quod diximus, definitionem, quatenus definitionem, veluti remotè esse medium.

SECTIO

SECTIO SEPTIMA.

De Præmissis Demonstrationis.

An & quomodo esse debeant, prima, immediatæ, & per se nota.

Circa præmissas demonstrationis maximè assignantur conditiones ad eius constitutionem requisitæ. De quibus latè Aristot. 1. Post. à cap. 2. Et cum illo Expositores: specialiter quidem pro demonstratione propter quid: sed quia aliquæ conditiones sunt omni demõstrationi communes; in singulis adnotabimus, quæ sint propriæ, & quæ communes.

Conditiones præmissarum demonstrationis. Has omnes conditiones recenset Aristor. partim cap. 2. tex. 9. & partim cap. 4. Primo loco ait, præmissas demonstrationis debere esse, veras, primas, immediatas, notiores, priores, causas,& principia propria conclusionis. Secundo loco docet, debere esse, necessarias, de omni, per se, de prædicato vniuersali, secundùm quod ipsum, & primo. Quæ posteriores conditiones ferè ex prioribus colliguntur. Priores conueniunt præmissis secundùm se: posteriores expressiùs traduntur ex parte terminorum, quibus præmissæ constant. De veritate autem, & necessitate, in qua inuoluitur certitudo, nihil vltra tractandum superest, præter ea quæ de ipsa scientia eiusquè obiecto iam docuimus. De alijs conditionibus distinctè agẽdum sequitur.

Primæ, immediatæ, & per se notæ, est vna conditio. Præmissæ demonstrationis debent esse primæ & immediatæ. Hæ non sunt duæ conditiones: sed explicatur vna conditio duplici nomine. Ità Auerr. Themist. Sanctus Thomas, & alij communiter: quicquid aliqui contradicant. Colligitur manifestè ex ipso Aristot, qui tex. 10. explicans hanc conditionem, simul vtrisque nomen coniungens, ait ex primis indemonstrabilibus, & vnicum ibi tradit sensum. Idem habetur ex textu 13. Idem etiam significatur, dicendo propositiones per se notas. Est igitur propositio prima & immediata, ex expositione Auerr. Themist. Philop. D. Thom. & clarissimè ex ipso Aristot. illa, qua non est alia prior, & cuius non datur aliud medium, & quæ caret causa & medio priori quo possit demonstrari: ideòquè appellatur etiam indemonstrabilis. Itaque intelligitur non posse demonstrari a priori per causam: nec quicquam obest, si demonstretur à posteriori, vel per inductionem. Item intelligitur, non habere causam priorem eiusdem generis. Alioqui dum vna causa demonstratur per aliam alterius generis, v. g. formalis per materialem, adhuc dicitur prima & immediata in suo genere. Atque ita etiam propositio immediata idem est, ac propositio per se nota, hoc est, quæ per se ipsam cognoscitur, & non per aliud medium demonstratur.

Primum genus harum propositionũ. Ad explicandum magis, quænam propositiones sint sic immediatę: Primò, principia illa notissima quæ cognoscuntur actu & habitu, qui dicitur intellectus, vt omne totum est maius sua parte, quæ sunt æqualia vni tertio sunt æqualia inter se, & similia, planè sunt propositiones immediatæ. Hæc enim absque alio medio & demonstratione, vel causa, nota sunt, & ex sola apprehensione terminorum euidenter cognoscuntur: vt habetur ex Aristot. 1. Poster. textu 2. Boet. lib. de Hebdomadibus c.1. D.Tho. 1. par. quæst. 17. art. 3. ad 2. & Scot. in 1. d. 2. q. 2. Appellantur etiam Dignitates ab Aristot. alijsquè Philosophis. Quia vt ait Themist. 1. Poster. cap. 1. dignæ sunt, vt statim credantur ab omnibus; vel quia inter omnes propositiones principem locum obtinẽt. Vocantur & Axiomata, Maximæ, Sententiæ, & alijs similibus titulis.

Secũdum genus. Secundò. Propositiones in quibus prædicatur definitio aut aliquod prædicatum essentiale de re, sunt immediatæ. Ita D. Thom. 1. par. quæst. 2. art. 1., & 1. contra Gent. cap. 11. & ibidem Caietan. ac Ferrar. & Capreol. in 1. d. 2. quæst. 2. Durand. d. 3. quæst. 3. & alij dicentes, tales propositiones esse per se notas. Itẽ Expositores hic 1. & 2. Poster. Patet ex dictis: quia non datur medium prius in eodem genere causæ, aliquo prædicato essentiali. Atque per solam explicationem terminorum debet intellectus tali-

bus propositionibus assentiri. At verò S. Thom. significat, adæquatè propositionem per se notam esse huiusmodi, vt prædicatum sit de essentiali ratione subiecti. Hoc impugnat Scot. in 1. d. 2. q. 2. Et quidem necessarium non est, vt prædicatum sit formaliter de essentiali ratione subiecti. Vnde Caiet. & Ferrar. explicant S. Thom. vel non esse loquutum de omni propositione per se nota. Vel intellexisse prædicatum esse, aut formaliter de ratione subiecti, aut solùm virtualiter, idest quod per essentialem aliquam habitudinem habet necessariam connexionem cum illo.

Tertium genus. Tertiò. Propositiones, in quibus prædicatur causa primaria de subiecto, aut effectu proprio, sunt immediatæ. Nam causa, quæ est in suo genere principalis, non habet aliam priorem, per quam possit demonstrari. Ideò tantùm dixi, de causa primaria. quia datur causa minus principalis & secundaria, quæ potest per causam superiorem eiusdem generis demonstrari. Igitur propositiones ex causis primarijs sunt immediatæ.

Quartum genus. Quartò. Propositiones item in quibus effectus prædicatur de suis causis proximis, sunt immediatæ. Vt cum prima passio prædicatur de differentia, rationale est discursiuum. Ratio est: quia cùm detur causa vt prædicatum cóueniat subiecto: tamen vt idem prædicatum dicatur de eadem causa, vel ab ea emanet, nulla alia datur causa, per quam tanquam medium possit demonstrari de illa. Ideòquè dixi, de causa proxima. quia de causa remota potest effectus demóstrari per causam intermediam, quæ erit effectui proxima, sicut demonstramus secundam passionem de differentia, rationale esse admiratiuum.

Alia dicuntur Dignitates, alia Positiones. Atque has alias omnes propositiones, quæ non sunt dignitates, videtur intellexisse Aristot. nomine Positionis. Diuidit enim propositionem immediatam, in dignitatem & positionem. Et dignitatem ait esse, quæ cómuniter ad scientias præsupponi debet, quam etiam 2. Metaphys. textu 1. appellat scientiarum ianuam. Positionem assignat, quam non oportet antea scire, sed sufficit in ipsa scientia tradi & explicari. Positionem rursus diuidit in suppositionem & definitionem. Suppositio est, quæ accipit rem esse aut non esse: vt vnitatem esse. Definitio est, quæ accipit quid res sit, seu rem esse hoc, aut illud: vt in Arithmetica vnitatem esse indiuisibilem. Hinc patet, eas propositiones non esse immediatas, quæ enunciant passionem aut effectum de re, illi conuenientem virtute alicuius causæ mediantis.

An prædicatio passionis de subiecto, sit immediata. Sed Caiet. 1. Poster. cap. 2. & 3. Ferr. 1. cont. Gent. cap. 11. & alij ex Thomistis, quibus fauet Sanct. Thom 1. Poster. lectione 36. par. 6. volunt propositionem in qua prima passio prædicatur de subiecto, esse immediatam: vt homo est discursiuus: eo quòd non detur causa & medium distinctum ad demonstrandam talem passionem. Scot. verò in 1. d. 2. quæst. 2. Capreol. ead. q. ad 1. cont. 1 conclus. Gregor. quæst. 1. artic. 2, & alij asserunt, eam esse propositionem mediatam ac demonstrabilem.

Sed verum quidem est, inter subiectum & primam passionem non dari medium à parte rei distinctum. Et in hoc sensu ea propositio dici potest immediata, idest sine medio distincto. At verum quoq; est, esse mediatam & demóstrabilem medio ratione distincto. alioqui tolleretur potissima & perfectissima demonstratio, quam supra assignauimus. Ac absolutè concipiendo confusè subiectum & passionem, non est per se notum, passionem inesse rei, sed id per se notum est, si essentia vel differentia rei expresè concipitur.

Demum hìc quæritur, an propositiones etiam negatiuæ, non solum affirmatiuæ, de quibus loquuti sumus, sint immediatæ. sed de hoc commodiùs dicemus sectio. 12. vbi id affirmabimus.

Præmissæ debent esse immediatæ, vel formaliter, vel virtualiter. His suppositis, videndum est, qua ratione demonstrationis præmissæ debeant esse immediatæ. Et aliqui sunt qui dicunt, vtramque, vel saltem vnam demonstrationis præmissam, debere esse per se ipsam immediatam, saltem secundum mentem Arist. Sed distinguendum est cum communi sententia Philosophorum, Philop. Sanct. Thom. Apollin. Veneti & aliorum. Vel enim propositio est immediata, in se ipsa medio vacans, vt homo est rationalis, quæ di-

ci-

citur immediata formaliter. Vel habet quidem medium quo demonstretur: sed in demonstratione assumitur, quatenus iam demonstrata per superiores demonstrationes subalternantes, vsque dum deueniatur ad principia indemonstrabilia formaliter immediata. Et hæc dicitur immediata virtualiter, idest manifestata virtute immediatarum. Est ergo prorsus necessarium, vt aliquo ex his modis demonstratio constet ex immediatis, vel formaliter, vel virtualiter. quia omnino præmissæ debent esse euidentes, vel per se, vel per alias, quoadusque deueniatur ad per se euidentes, ne detur processus in infinitum. Neque plus voluit Aristot. qui primo Topic. capite primo ait: *Demonstratio est ex primis, aut ex talibus quæ per prima cognitionis principium sumpserunt*. Et hic tex. 10. volens probare, præmissas debere esse immediatas, adducit; quoniam si sunt demonstrabiles, non sciet non habens demonstrationem earum, idest nisi demonstratæ fuerint, & resolutæ vsque ad principia immediata. Oportet igitur semper demonstrationem resolui ad immediata. Idem apertè colligitur ex text. 16. secundùm communem expositionem.

Etiã præmissæ demonstrationis quia, debent esse immediatæ.

Cæterùm, hactenus dicta procedunt specialiter de demonstratione propter quid, vel adæquatè de omni quæ est per causam. Vt autem explicemus, an & quomodo demonstrationis etiam quia & per effectum præmissæ debeant esse immediatæ ac per se notæ: certum esse debet, in hac etiam demonstratione deueniendum esse ad aliqua principia se ipsis euidentia, & non per alia principia: alioqui procederetur in infinitum. Vel ergo præmissæ sumptæ ex effectu, sunt per se nobis euidentes, vel per alias quæ demum sint tales. Et Aristot. 2. Metaph. text. 7. sicuti dixerat, non posse abiri in infinitum sursum per causas, addit nec etiam posse deorsum per effectus. Fiunt autem nobis euidentes huiusmodi propositiones, vt ait Aristot. textu 96. per inductionem, vel per sensum. sic experientia compertum est; quod propinquius est, perfectiùs cerni; quod remotius est, debiliùs percipi: & præsertim corpus splendens, vt facem accensam, si nimis distet, veluti effugere ab oculis, & ita scintillare conspicimus: cumquè eadem experientia constet, sydera aliqua non scintillare, nempe Planetas, alia scintillare: hinc à posteriori demonstramus, Planetas esse propinquiores, alia sydera magis distare. Attamen, vt hæc sit vera & rigorosa demonstratio, oportet abstrahere ab existentia, & iudicare de essentiali conditione rerum: essentialiter enim verum est, talem esse nostri sensus, & obiecti sensibilis cōditionem; vt quod prope est, perfectiùs cernatur; quod longiùs distat, veluti videatur effugere.

Aliæ præmissæ sũt per se notæ natura, aliæ quoad nos.

Atque ex hoc distinguitur multiplex propositio immediata, & per se nota. Alia est propositio per se nota natura. Alia quoad nos. Alia vtroque modo. Hæc distinctio traditur à Diuo Th. quæst. 10. de Verit. art. 12. 1. par. quæst. 2. artic. 1. & 1. cont. Gentes cap. 11. Caiet. & Ferr. iisdem locis, & vt plurimum à Scholasticis in 1. distin. 2 vel 3. ab Expositoribus hoc loco. Et sumitur ex ipso Aristotele lib. 1. text. 12. Scotus tamen dist. 2. quæst. 2. §. Ex hoc patet illam non approbat. Explicant aliqui, propositionem per se notam quoad nos, quæ verè nobis nota est: notam quoad se, quæ dicit quidem essentialem seu necessariam connexionem prædicati cum subiecto, non tamen à nobis cognoscitur. Sed hoc non benè dicitur. Quia cùm nota idem sit, ac cognita, vel cognoscibilis: id nullo modo esse potest, vt patet, nisi per respectum ad cognitionem. Etiam ergo propositio per se nota natura, talis dicitur per ordinem ad cognitionem.

Est ergo propositio per se nota natura ad mentem Aristotelis, & iuxta doctrinam modò traditam: quæ ex natura rei est ita prima, vt non habeat aliam priorem tanquam causam per quam sit; & ita etiam cognoscitur, & potest ac exigit cognosci independenter à causa priori, quippe quam non habet. Ac tales sunt propositiones immediatæ, quas antea enumerauimus. Per se nota quoad nos est illa, cuius notitiam nos immedia-

dia-

diatè & proximè sine alio medio intellectuali accipimus per sensum, aut inductionem. Sic cognoscimus niuem esse albam, aquam frigidam. Et dicitur per se nota quoad nos: quia ex nostra cognitione accepta per sensum prouenit, vt per se sine alio medio cognoscatur. Ideòquè distinctio hæc traditur, non formaliter, quasi propositio cognoscatur, vel non cognoscatur à nobis sine medio: sed radicaliter, quòd vel ex ipsius rei natura non habentis causam proueniat, vt sine medio & causa cognoscatur; vel ex nobis & nostro modo cognoscendi. Si quæ autem propositio nec habeat causam priorem, eamquè etiam cognoscamus immediatè per sensum, dicetur vtroque modo per se nota.

Ex his autem constat, præmissas demõstrationis propter quid & per causam, debere esse vel formaliter vel virtualiter per se notas natura, quæ saltem reducantur ad primas causas, per quas cognoscantur. An verò possint vel debeant esse simul per se notæ quoad nos, dicemus sectione sequenti. Demonstrationis autem quia & per effectum, præmissæ debent esse vel formaliter vel virtualiter per se notæ quoad nos, vt explicauimus.

SECTIO OCTAVA.

An & quomodo Præmissæ demonstrationis esse debeant priores & notiores conclusione.

Priores et notiores, est vna alia conditio.

PRæmissæ demonstrationis debent esse priores & notiores conclusione. Ita Aristot. & alij omnes. Hæc etiam est vna conditio duplici nomine explicata, iuxta communem expositionem. Et constat ex verbis ipsius Arist. Hæc enim prioritas intelligitur etiam in cognoscẽdo. Non solùm autem sensus est, præmissas esse debere priùs & antecedenter cognitas saltem ordine naturæ, vt possit elici conclusionis assensus, quod Aristot. docet textu 11. sed etiam magis, hoc est perfectiori modo cognitas; quod Arist. docet textu 15. Et probat: quia cùm sciamus conclusionem, inquantum habemus syllogismum demonstratiuum, siue præmissas ex quibus syllogismus infert conclusionem: oportet non solùm præcognoscere has præmissas; sed cognoscere magis: quia *Propter quod vnũquodque tale, illud est magis tale*. Hinc textu 16. infert, præmissas debere esse cognitas, vel per aliam scientiam & demonstrationem superiorem, vel per cognitionem aliam meliorem, quæ dicitur intellectus. Et textu 167. addit, principia non solùm debere esse notiora, sed etiam notissima: ita vt nõ sit notius aut credibilius ipsis, quicquam oppositum eis. Et rationem reddit, quia oportet scientem esse simpliciter à sua scientia & credulitate immobilem. Hanc doctrinam cum illo principio, propter quod alijs inest aliquod prædicatum, ei magis inest, & est magis tale, repetit Aristot. secundo Metaph. 4.

Ad huius doctrinę explicationem, potest intelligi cognitio maior & minor dupliciter: vel secundùm graduum latitudinem & intensionem: vel secundùm perfectionem essentialem. Et priùs quidem certum est, non posse notitiam pręmissarum causare notitiam conclusionis perfectiorem se: vt diximus antea circa discursum in communi: & experientia constat, nisi fortè ex alio capite notitia conclusionis accrescat, vt infra dicemus. *Præmissæ non possunt esse minùs notæ, quàm conclusio.* Aliqui verò concedunt, posse assensum conclusionis esse perfectiorem assensu vnius præmissæ. Præcipuè quia in demõstratione theologica, quando infertur conclusio ex vna pręmissa de fide & altera naturaliter euidenti, conclusio videtur participare de certitudine fidei diuinæ, & ita excedere cognitionem merè naturalem. Sed tamen absolutè censendum est, assensum conclusionis non posse excedere vllius pręmissę assensum: sicut si altera pręmissa sit tantùm probabilis, conclusio non est plusquam probabilis. Et ratio est clara: quia conclusio omnino ex vtraque pręmissa dependet; & quantum aliqua pręmissa deficit, tantum etiam conclusio deficit; & semper conclusio sequitur debiliorem partem. Vnde etiam in demonstratione theologica, conclusionis assensus neutrius pręmissæ assensum superat. Et non est euidens: quia infertur ex vna pręmissa de fide. Non habet certitudinem fidei: quia infer-

infertur ex altera præmissa naturaliter nota.

Non oportet vt sint intensiùs cognita.

Deinde non videtur necessarium, cognitionem præmissarum esse maiorem in intensione graduum. Tum quia non est vnde talis necessitas oriatur, vel ostendatur. Tum quia principium illud, propter quod vnumquodque tale &c. non est verum vniuersaliter quoad intensionem. Vt enim Philosophi docent, corpus lucidum producit in prima superficie aeris sibi contigui lumen æquè intensum cum sua luce. Tum quia causa naturalis in subiecto debitè disposito & applicato, operatur secundùm totam suam entitatem & virtutem: vnde si nihil aliud obstet, producit effectum æquè intensum. Potest ergo intellectus discurrens, æquè & non minùs intensè cognoscere conclusionem ac præmissas, si debitè sequelam & illationem simul inspiciat.

Debēt esse perfectiori modo cognita.

Demum posita etiā æquali intensione, semper alio modo verum est, præmissas esse magis notas, perfectioremquè esse earum notitiam in secundo sensu. Vel enim præmissæ sunt formaliter immediatæ & indemonstrabiles, cognitæ per actū & habitum, qui dicitur intellectus. Et hæc notitia est essentialiter perfectior notitia scientifica cōclusionis per discursum: vt tradit Aristot. hic textu 16. & amplius lib. 2. cap. vlt. & ideò dixit 1. Metaph. cap. 2. *Maximè scibilia*, hoc est cognoscibilia, *sunt ipsa prima & causa: propter hæc enim & ex his cætera cognoscuntur*. Et est res satis clara. Sed non propterea talis notitia præmissarum, ob suam perfectionem essentialem, potest gignere intensiorem conclusionis assensum. quia debet etiam in intensione proportionari. Sicut lux, quæ est causa æquiuoca caloris, non propterea potest efficere calorem supra suam intensionem. Vel præmissæ sunt etiam cognitæ per demonstrationem, & sic sunt tantùm virtualiter immediatæ. Et tunc etiam concurrunt prima principia, à quibus omnia dependent: & ita semper conclusio infertur ex principijs perfectiùs cognitis. Et ipsæmet præmissæ demonstratæ, saltem magis accedunt ad ipsa prima principia, & paucioribus indigent vt cognoscantur, quàm vltima conclusio: ideòquè etiam magis seu perfectiùs notæ erunt: vt sumitur ex Aristotele primo Metaphysic. capite secundo.

Ex his explicari debet, quod ait Arist. 2. Post. in fine, demonstrationem non posse esse principium demonstrationis, principium scilicet simpliciter primum: quia semper deuenire oportet ad principia indemonstrabilia. Item quod dixit 1. Poster. 15. & 16. *Necesse est magis credere principijs, aut omnibus, aut quibusdam, quàm conclusioni*. Vbi significat, sufficere si aliqua principia sint notiora conclusione. Hoc inquam intelligendum est, quando conclusio aliqua infertur ex præmissis etiam demonstratis. Tunc enim non omnia principia concurrentia ad talem conclusionem, sed tantùm aliqua, idest prima, sunt notiora, illo genere notitiæ perfectioris, quæ dicitur intellectus. Et hoc expressit idem Aristot. lib. 1. textu 156.

Etiam demonstrationis quia, debent esse notiores.

Hactenus præcipuè ostensum est, quomodo præmissæ demonstrationis propter quid & per causam, sint magis notæ. At etiam demonstrationis quia & per effectum, sunt aliqua ratione magis notæ. Vel quia interdum intensiori & clariori notitia cognoscuntur. Vel saltem quia possunt esse per se notæ absque alio medio quoad nos. Vel quia sunt magis propinquæ alijs principijs per se notis. Et demum quia ipsæ sunt ratio cognoscendi conclusionem: & in eo discursu non cognoscuntur dependenter à conclusione, sed conclusio dependenter ab ipsis. Sicut enim propositio per se nota, alia est talis secundùm naturam, alia secundùm nos, vt supra explicauimus: ita in comparatione ad conclusionem, alia est notior natura, alia quoad nos. Ita Aristot. text. 12. Aliquando autem sumitur notius natura pro eo quod est in sua entitate perfectius: quo enim aliquid est magis ens, eò magis & perfectiori notitia dicetur cognosci: vt sumitur ex D. Thoma prima parte quæst. 12. art. 2. Quatenus verò ex debilitate nostri intellectus difficiliùs percipimus quæ sunt nobiliora & perfectiora, faciliùs quædam inferiora, minusq. perfecta; sic notius natura dicitur minus notum nobis, & minus notum natura dicitur notius nobis. Et in hoc sensu dixit Aristot. 2. Metaphysic. textu 1. *Vt se habent oculi vespertilionum ad lu-*

ad lumen diei, ita intellectus animæ nostræ ad ea quæ manifestissima sunt natura. Et 7. Metaph. 10. *Quæ singulis nobis & primò sunt nota, sæpè parùm nota sunt*, hoc est natura, *& parum aut nihil entis participant*. Sed nunc in præsenti proposito ex Arist. hic tex. 12. 6. Topic. loc. 18. & alibi, notiora quoad nos dicuntur, quæ sunt propinquiora sensui: simpliciter autem & secundùm naturam priora & notiora, quæ longiùs distant à sensu; & sunt prima principia euidenter naturali lumine cognita. Atque ex dictis satis patet, qualiter demonstrationis per effectum præmissæ debeant esse notiores quoad nos, demonstrationis per causam notiores natura.

Præmissæ sunt certiores & euidétiores cõclusione, non autẽ veriores. Cæterùm, cùm præmissæ dicuntur notiores conclusione, & notitia præmissarum dicitur perfectior; dici pariter debent præmissæ certiores & euidentiores, assensus etiam præmissarum certior & euidentior. Hinc eodem modo videri potest dici debere, præmissas veriores, & assensum veriorem. Imo Arist. 4. Metaph. tex. 18. explicat, dari magis aut minùs verum, sicut magis & minùs falsum. Attamen id propriè loquendo non est dicendum. Nam veritas cùm sit adæquatio cognitionis & propositionis cum re: hæc adæquatio consistit in indiuisibili, sicut de æqualitate diximus in prædicam. Relat. Et ita notauit S. Thom. q. 2 de Virtutib. art. 9. Si tamen veritatis nomen extendatur ad certitudinem & necessitatem aut perfectionem rei & assensus; sic potest admitti magis & minùs verum. Arist. autem ibi docere quidem voluit, dari magis aut minus falsum: quia plus mentitur, qui dicit quatuor esse mille, quàm qui dicit esse quinque, quoniam plus à veritate recedit: sicut etiam datur magis & minùs inæquale. Tamen de veritate solùm negatiuè appellauit maius & minus: vt dicatur magis verum, quod minus distat a veritate, vt inferret dici aliquid simpliciter verum, quod est positiue verum, vt patet in textu. Atque hæc sunt circa rem propositam, quo pacto præmissæ demonstrationis, per quas conclusio innotescit, sint conclusione notiores.

Explicatur, Propter quod vnũquodquè tale., illud magis. Circa principium verò illud vniuersaliter ab Arist. assumptum, Propter quod vnumquodquè tale, illud est magis tale, dubitatur, quòd manifestè videatur falsum in omni causarum genere: In genere causæ effectiuæ, ad quod pertinet causalitas præmissarum, non valet, aer est calidus propter solem, vel generatur homo propter solem, ergo sol est magis calidus, vel magis homo. In genere causæ finalis, cuius exemplum affert Arist. de eo qui amat vnũ propter aliud, falsum est dicere, homo ambulat propter sanitatem, ergo sanitas magis ambulat. In causa materiali falsum est, corpus est corruptibile vel compositum propter materiam, ergo materia est magis corruptibilis vel composita. Demum in causa formali, homo est animatus propter animam, ergo anima est magis animata.

Procedit in causis vniuocis. Propter hæc, supponunt omnes, debere illud axioma in recto sensu explicari & limitari vt verum sit. Et omissis quibusdam conditionibus, vel falsis, vel inutilibus. Primò requiritur, vt causa sit vniuoca. Ita Expositores communiter. Et sensus est, vt forma in qua fit comparatio, & quæ dicitur de causato, supponatur etiam formaliter esse in causa, eamquè formaliter denominare. ita vt ex eo quòd effectus sit talis, non semper inferatur causam esse talem: sed quando supponitur causa etiam esse talis, benè inferatur esse magis talem. Sic valet in causa effectiua, aer est lucidus propter solem, ergo sol est magis lucidus. Et in causa finali, amat quis medium propter finem, pharmacum propter sanitatem, ergo magis amat finem, magis amat sanitatem. Et in causa formali, compositum est ens actu propter formam, ergo forma est magis ens actu. Et in causa materiali, compositum est in potentia propter materiam, ergo materia est magis potentia. In quibus omnibus, causa supponitur etiam habere illã denominationem, in qua fit comparatio. Et ex defectu huius conditionis, in exemplis illis adductis in contrarium non verificatur illud principium. Et per hanc vniuocationem rem expressit Arist. 2. Met. 4. Dicetur tamen causa æquiuoca continere effectum virtualiter, atque adeo eminentiori & perfectiori modo. sic aduertit S. Thom. 1. Poster. lect. 6. Quamuis autem

autem assensus præmissarũ videatur causa æquiuoca conclusionis, maximè quando habetur proximè per habitũ intellectus: tamen in sensu explicato intelligitur esse causa vniuoca, idest formaliter communicans in eadem denominatione cum effectu. Vterque enim est notitia & assensus, vterque denominatur formaliter certus & euidens.

Per se concurrentibus ad effectum. Secundò requiritur, vt effectus sit talis ex virtute illius formæ vniuocæ existentis in causa: alioqui si hæc per accidens se habeat, nihil refert; & effectus non dicetur esse talis ex eo quod causa sit talis, vt inde dicatur causa esse magis talis. Ideò non valet, ædificium est album propter ædificatorem, ergo ædificator est magis albus. Item propter eandem conditionem, si aliquid in effectu detur ex alia ratione præter causam, & ita non in virtute ipsius causæ; neque valebit inferre, causam esse magis talem. Vt in casu nostro, si conclusio aliqua sit nota non solùm ex certis præmissis, sed simul ex alio argumento & medio, poterit esse magis nota quàm illæ præmissæ. Semper tamen verum est, quòd præcisè sumendo id quod habetur ex tali causa, causa sit magis talis.

Et quando denominatio cõmunis suscipit magis & minus. Tertiò requiritur, vt forma & denominatio suscipiat magis & minus. Ideòquè non valet, filius est homo propter patrem, ergo pater est magis homo. Hoc verò magis & minus, non debet intelligi secundùm intẽsionem & remissionem. Siquidem in rebus etiam incapacibus intensionis verificari potest illud axioma. Neque verum semper est, causam producere effectum minùs intensum, vt supra diximus. Sed intelligitur magis vel minus perfectè, iuxta vsum talis denominationis & comparationis in singulis rebus. Ita in omni genere causæ cum his limitationibus verum est illud vniuersale principium. Quamuis enim aliàs, ly propter aliud, sit propria nota causæ finalis: tamen hic sumitur generaliter pro omni genere causalitatis. Sic quoq. appellatur demonstratio propter quid, ex quacunque causa procedat.

* *
*

SECTIO DECIMA.

An & quomodo Præmissæ Demõstrationis esse debeant causa & principia propria conclusionis.

QVia scientia definita fuerat cognitio rei per causam: scimus autem rem, hoc est conclusionem, in demonstratione, per præmissas: hinc præmissæ debent esse causa conclusionis. Ita id probat Aristot. textu 11. Continent autem præmissæ medium, in quo vis causandi saluatur: idcircò satis sint quæ de tali causatione & causa diximus circa medium demonstrationis. Vnde hæc conditio propriè est demonstrationis propter quid. Intelligitur enim causa in essendo, propria & conuertibilis. Demonstrationis autem quia præmissæ dici possunt causa saltem in cognoscendo. *Præmissæ demõstrationis propter quid, debent esse causa.*

Post has omnes conditiones, Aristot. textu 9. subiungit, præmissas esse principia propria eius rei & conclusionis quam demonstrant. Et, cùm cap. 4. assignasset conditiones illas præmissarum ex parte terminorum; iterum cap. 6. infert & docet, demonstrationem ac scientiam debere constare ex proprijs, & non ex alienis, vel communibus. Et loquitur non solùm de demonstratione qualibet particulari, sed de integra etiam scientia totali. Dupliciter autem possent intelligi principia non propria demonstrationis & scientiæ: vel si sint aliena & extranea, ad eam non spectantia: vel si sint communia, & spectent quidem ad ipsam scientiam, sed simul quoque ad alias. *Debet esse principia propria.*

Vult ergo Aristot. principia esse debere perfectè propria, vt nec sint aliena, nec communia. Non esse aliena, ostendit cap. 6. Non communia cap. 8. & 9. Et ait cap. 6. Non licere demonstranti, transcendere de genere ad genus, hoc est de subiecto in subiectum: nec vnam sciẽtiam debere ad se transferre conclusiones & principia alterius scientiæ & subiecti. Quod euidenter probatur: quia omnis demonstratio & scientia habet suũ subiectum vnum, cuius principia consideret *Idest non aliena.*

deret, & passiones demonstret, eiusquè limites non transgrediatur. Nulla ergo scientia potest transire ad subiectum, principia, vel passiones alterius. Cumquè scientia debeat procedere ex causis propter quas suum subiectum, & suæ cõclusiones de illo sunt; non potest vti causis & principijs alienis.

Neq. communia. Principia item communia & remota non debere assumi in demonstratione perfecta & propter quid, probatur: quia talia principia, cùm sint remota, non continent causam perfectam & conuertibilem conclusionis & rei, qualis causa requiritur ad demonstrationem perfectã propter quid. Ideòquè Aristot. tex. 13. cùm dixisset, demonstrationem debere esse ex primis, nè quis intelligeret principia prima communia & remota, addidit: *Ex primis autem dico principijs proprijs.* In demonstratione tamen quia, quæ est ex causa non conuertibili, possumus his principijs vti: vt dictum est superius: & Aristot. concedit posse aliquo modo sciẽtias vti talibus principijs. Insuper, si talia principia cõtrahantur ab illa vniuersalitate & communitate, poterunt assumi in demonstratione perfecta alicuius scientiæ: quatenus dum restringuntur, fiant illi propria. V. g. hoc principium, si ab æqualibus æqualia demas, quæ remanent sunt æqualia, commune est ad quantitatem continuam & discretam, ad Geometriam & Arithmeticam. Restringetur autem & determinabitur, vel ad vnam partem vel ad aliam, dicendo, si ab æqualibus numeris, si ab æqualibus lineis, &c. Ita habetur ex Aristotele textu 74., & 11. Metaph. sum. 2. cap. 2. Principia autem vniuersalia & communissima, ad Metaphysicam spectare, docet Aristot. hic textu 70. & ibi 11. Metaphysicæ.

SECTIO VNDECIMA.

An & quomodo Præmissæ demonstrationis debeant esse de omni & per se.

Quid sit propositio de omni. PRosequemur nunc conditiones illas ex parte terminorum, eorumque comparationis & prædicationis, ab Aristot. assignatas cap. 4. Et in primis, præmissæ dicuntur debere esse de omni. Vbi duplex modus propositionis de omni distinguitur ab Expositoribus: scilicet prioristicè & posterioristicè: sic etiam duplex dictum de omni. Propositio dicitur de omni prioristicè, quæ est vniuersalis, habens signum vniuersale ex parte subiecti, etiam si sit falsa & impossibilis: tantùm enim attenditur forma vniuersalitatis, non autem veritas rei. Propositio de omni posterioristicè, de qua Aristot. loquitur, sic ex eodem definitur tex. 29. Est in qua prędicatum conuenit subiecto, non alicui sic, alicui non, neque aliquo modo sic, aliquo modo non: vel ita, est cuius prædicatum conuenit subiecto, omni & semper. Ad dici ergo de omni, requiritur primò vt propositio sit vera vniuersaliter, secundò vt sit necessaria, ita vt semper prædicatum de subiecto verificetur, etiam si subiectum non existat. Quando tamen ad connexionem prædicati cum subiecto requiritur aliqua causa: tunc satis est, si semper interueniente tali causa prædicatum conueniat subiecto, & dicatur de subiecto sumpto sub tali causa. Nam absolutè nõ semper valet dicere, Luna eclypsatur, quia nimirum non semper interponitur terra: at semper valet dicere, quãdo interponitur terra, Luna ecclypsatur. Videtur etiam proportionaliter admittenda propositio negatiua de nullo posterioristicè, spectans ad demonstrationem negatiuam.

Præmissæ demõstrationis debent esse de omni. Debere antem demonstrationis præmissas esse de omni posterioristicè, satis colligitur ex conditionibus superiùs assignatis, quòd debent esse veræ & necessariæ, æternę veritatis. Quomodo etiam debeant esse de omni prioristicè, hoc est vniuersales quoad formam, constabit sectione 13.

Deinde, præmissæ demonstrationis debent esse per se. Distinguuntur ab Aristotele a textu 30. quatuor modi dicendi per se, vt ex eis eligantur, qui sint ad demonstrationem vtiles, & explicetur quo sensu præmissæ demonstrationis debeant esse per se.

Primus modus dicendi per se. Primus modus dicendi per se est, cùm prędicatum inest & dicitur essentialiter de subiecto, siue est de definitione subie-

cti:

cti: vt homo est animal, est rationalis; vel triangulus constat ex lineis, linea ex punctis; definitur enim triangulus figura ex tribus lineis, linea longitudo terminata punctis, siue fluxus puncti.

Secundus modus.

Secundus modus tex. 31. est, cùm subiectum est de ratione & definitione prædicati: vt in his propositionibus: linea est recta aut curua, numerus est par aut impar: subiectum enim quod est linea, ponitur in definitione recti & curui, numerus in definitione paris & imparis: rectum est linea, cuius partes non egrediuntur à medio: par est numerus in partes æquales diuisibilis. Atque hi duo modi dicuntur per se prædicandi. Subditque Arist. textu 32. quæcunque neutro ex his modis insunt, seu prædicantur per se, dici per accidens.

Tertius modus per se existendi.

Tertius modus textu 33. qui dicitur per se existendi est, cùm aliquid non dicitur de aliquo subiecto, neque inest alteri subiecto, sed est per se: cuiusmodi sunt substantiæ, & quæcunque significant hoc aliquid: quæ verò non sic sunt per se, dicenda sunt accidentia.

Quartus modus per se causandi.

Quartus modus textu 34. qui dicitur per se causandi est, cùm per se ex virtute causæ sequitur effectus; cùm verò vna res non est causa alterius, propositio dicetur per accidens. Sic si dicatur Socrate ambulante fulgurauit, propositio est per accidens: si dicatur iugulatus interijt, propositio est per se. Et potest causa se tenere, siue ex parte subiecti, siue ex parte prædicati.

Zabarella libro primo de Propositionibus necessar. capite tertio & quarto, contendit, hos etiam duos modos esse per se prædicandi. Et sanè etiam in ijs modis fieri possunt prædicationes: sed non faciunt ad demonstrationem, nisi quatenus includantur in duobus primis modis: ideò illi propriè dicuntur modi per se prædicandi.

Alios modos per se, quorum aliqui sunt ab his distincti, numerat Aristoteles quinto Metaphysic. 23. qui tamen vel reducuntur ad hos præsentes, vel non sunt vtiles, nec conferunt ad nostrum propositum. Varias autem sufficientias horum quatuor modorum, Expositores conantur adducere. Sed res est de se clara. Multi etiam sine fructu contendunt, quænam propositiones, vel res, in quolibet horum modorum contineantur. Sed breuiter de mente Aristotelis id totum expediri potest.

Quæ propositiones sint in primo modo dicendi per se.

In primo modo perspicuè continentur propositiones, in quibus de re aliqua prædicatur tota definitio: item differentia essentialis; siue propria & vltima, vt rationale de homine; siue communis, vt de eodem homine sensitiuum: similiter genus siue proximum, siue remotum, vt de homine animal & substantia. Et non solùm intelligimus genus propriè, quod est vniuocum in aliquo prædicamento: sed latiùs pro quocunque prædicato essentiali, etiam transcendenti, vt ens. Quod tamen à quibusdam excluditur. Sed immeritò: cùm verè sit de essentia rei, & in definitione includatur, possitquè in demonstrationibus deseruire. Deinde in hoc modo etiam continentur quædam prædicata, quæ important partem, vel entitatem intrinsecam rei, quamuis non sint genus, nec differentia. Sic Aristoteles assignauit exempla, lineæ constantis ex punctis, trianguli ex lineis. Sic quoque se habent materia & forma. Nec enim est necessarium, prædicatum in hoc modo esse in recto: sed sufficit esse in obliquo. Et in hoc Doctores conueniunt, Auerroes, Sanctus Thomas, Albertus, Theophr. Philopon. Caietanus, Aegid. Lincon. & alij. Demum continentur insuper illa, quæ rei definitionem ingrediuntur ad illius essentiam explicandam, etiam si ipsa formaliter non sint intrinseca, nec de essentia rei: sicut definitur risibilitas, aptitudo hominis ad ridendum, simitas est nasi curuitas, vel presiitudo. Et vniuersaliter accidens, quod est in subiecto, per suum subiectum. Ita plurimi Expositores. Nam si in secundo modo, vt videbimus, continetur ea propositio, in qua non plusquàm hoc modo subiectum est de ratione & definitione prædicati: In hoc primo poni debet ea, in qua eodem modo prædicatum non plus est de ratione subiecti. Atque ita quæuis causa, per quam potest rei essentia causaliter definiri, & explicari, hoc primo modo

per

per se prædicabitur. Excluditur tamen passio rei, per quam definitio descriptiua tradi solet, quæ non constituit rei essentiam, sed supponit constitutam, & ab ea causatur: & propter hoc, dum passio prædicatur de subiecto, subiectum se habet ad passionem in secundo modo dicēdi, vt mox constabit. Excluduntur quoque propositiones identicæ, & indirectæ, quæ non sunt aptæ ad demonstrationem.

Quæ sint in secundo modo. In secundo modo ex omnium sententia continentur illæ, in quibus propria passio prædicatur de subiecto, aut definitione, aut differentia essentiali subiecti; homo est risibilis, rationale est risibile: passio enim definitur per suum subiectum. Addendæ quoque sunt, in quibus effectus prædicatur de causa, per quam potest definiri. Addunt præterea aliqui quascunque propositiones, in quibus prædicatur accidens de subiecto: quoniam semper subiectum est de definitione accidentis. Aliqui è contra laborant in excogitanda ratione qua has propositiones excludant. Et certè excludendæ sunt: quia propositio, in qua accidēs contingenter & non necessariò prædicatur de subiecto, est ad demonstrationem inepta, & communi modo loquendi non appellatur per se, sed per accidens. Et Aristot. sine dubio hoc intendit. Itaque propositiones per se, supponuntur esse de omni & necessariæ: vt planè colligitur ex ipso Aristotele eo cap. & tex. 44. & alibi passim. Et hæc est ratio, quare propositiones, in quibus prædicantur accidentia communia & non necessaria de subiectis, non contineantur in hoc modo dicendi per se.

Rursus Auerr. & Albert. apud Zabar. & ipse Zabar. lib 2. de Propos. necess. cap. 5. excludunt illas propositiones, in quibus prædicatur passio generis de specie, ex Aristot. 1. Poster. 37. & 2. Top. loc. 8. dicente, hanc propositionem, triangulus habet tres angulos, esse per se; hanc verò, triangulus Isosceles, quæ est quædam species trianguli, habet tres angulos, non esse per se. Sed Philopon. & alij apud eundem Zabar. Caiet. hic & Apollin. q. 22. volunt, eas esse per se, non quidem simpliciter & perfectè, sed aliquo modo: quia quamuis passio generis nō definiatur per totam essentiam speciei: tamen definitur per partem essentialem eius, quæ est idem genus. Et Aristot. ibi iuxta expositionem Auerr. Alexan. & D. Thom. per se & per accidens in ellexit primariò & secundariò. An verò hæ propositiones aptæ sint ad demōstrationem, infra constabit.

Excludūtur demum etiam propositiones indirectæ, in quibus species de genere, vel de differentia prædicatur, licèt subiectum sit de essentia prædicati: quoniam in his modis assignantur tātùm illæ propositiones per se, quæ supponuntur esse directę & naturales. Propter quod benè Zabar. notauit libro primo de Proposit. necess. cap. 6. malè dixisse quosdam propositiones per se primi modi, si conuertātur, fieri per se secundi modi; & è conuerso. Nam per huiusmodi conuersionem fierent propositiones indirectæ & innaturales, quæ non debent in his modis includi. Formaliter etiam excluduntur ab vtroque modo dicendi per se, propositiones negatiuę: reductiuè tamen dici possunt per se, quæ scilicet intrinsecè consequuntur ex propositionibus affirmatiuis per se, & deseruiunt ad demonstrationem negatiuam.

In tertio modo per se, cōtinentur substantię quę per se existunt; vel tantùm primę secundùm aliquos; vel et secūdæ, vt volunt alij, qui dum Arist. ait quæ significant hoc aliquid, per hoc aliquid intelligunt vniuersaliter substantiam. *Quæ res sint in tertio & quarto modo.*

In quarto modo, aliqui sine ratione volunt, contineri non quodlibet, sed quoddam determinatū genus causę, scilicet efficientis. Sed dicendum ex communi sententia Themist. Philop. Apoll. Albert. & aliorum, comprehendi omne genus causę. Quod patet ex Aristot. dicente, per se esse id propter quod aliquod est, vel inest alteri: propter quod autem in pręsenti significat omnem causam & causalitatem.

Postremò videndum est, quinam ex his modis apti sint ad demonstrationem. Ac tertius modus euidenter non est ad rem. Alij solos duos primos recipiunt, excluso etiam quarto: quia ita significat Arist. text. 35. & 44. & 157. At non obscurè Aristot. eodem textu 35. adiungit quartum cum duobus primis modis. *In quo modo per se, esse debeant præmissæ demonstrat.*

Et si-

Et significat, propositiones demonstrationis omninò esse debere in quarto modo, & vel in primis vel in secundo ex primis duobus. Et ita reuera est asserendum. Et est communis sententia. Quia cùm demõstratio propter quid procedat ex causa, propositiones debent esse per se in causando. Quia item propositiones per se priorum modorum etiam exercentur inter causam, & effectum seu rem: clarũ est præmissas demonstrationis esse per se in prædicando. Et dum causa subjicitur, propositio est per se secundo modo: dum prædicatur, est primo modo. Vbi etiã obseruare licèt, quòd cùm causa sit medium, medium autem debeat subijci maiori extremo, prædicari de minori, altera propositio erit in primo, altera in secundo modo.

Ex dictis item constat, doctrinam & conditionem hanc non esse applicandam demonstrationi quia, quæ etiam procedit ex causis non conuertibilibus, & ex ijs quæ non sunt causa, nec effectus, & vnum non ponitur in definitione alterius. Ea ergo est propria demonstrationis propter quid: & præcipuè conuenit demonstrationi potissimæ, in qua in primo modo definitio vel differentia essentialis prædicatur de subiecto, & in secundo passio de eadem definitione.

SECTIO XII.

An & quomodo præmissæ demonstrationis debent esse de prædicato vniuersali, secũdùm quod ipsum, & primò.

Prædicatũ vniuersale includit esse secũdùm quod ipsum & primum.

TEX. 56. Aristot. incipit explicare prædicatum vniuersale. Aitquè: *Vniuersale dico, quod est de omni, & per se, & secundùm quod ipsum.* Vbi prædicatũ vniuersale videtur vno nomine importare, quod omnibus illis particulis explicatur. Duæ autem illæ, prædicationis de omni & per se, præmissæ fuerant. Additur secundùm quod ipsum, de quo subiungit, idem esse prædicatum secundùm quòd ipsum, ac per se. Tex. 37. iterũ prædicatum vniuersale sic definitur: *est quod primò inest rei*, seu demonstratur de re. Vbi vniuersale dicitur esse prædicatum primum. Igitur per prædicatum vniuersale non denotatur conditio distincta à secundùm, quòd ipsum & primum, sed affertur nomen huic vtrique commune.

Secundùm quòd ipsum explicatur.

Prædicatum ergo secundùm quòd ipsum significat illud, quod conuenit subiecto secundùm rationem essentialem, seu secundùm quòd ipsum subiectum tale est, habetq. talem rationem & quidditatem. Quod dupliciter ab Expositoribus intelligitur. Primò, vt prædicatum conueniat subiecto per connexionem essentialem, non solùm secũdùm rationem propriam, sed etiam communem & genericam: quo modo etiam substantia dicetur conuenire homini, secundùm quòd homo est. Secundò, vt prædicatum conueniat subiecto secundùm propriam & specificam rationem, ita vt non conueniat alteri. Sic homini secundùm quòd homo conueniet non quidem animal, & similia prædicata communia; sed rationale, discursiuum, & alia propria.

An sit idẽ quod per se.

Plurimi exponunt secundùm quòd ipsũ secundo modo. Ita Alb. Caiet. Conimb. Tolet. & alij plures Expositores, Zabar. lib. 2. de Propos. necess. c. 2. Theoph. eiusq. sectatores apud Philop. comm. 20. Fauet S. Thom. 2. contra Gent. c. 15. Hi volunt ly secundùm quòd ipsum addere supra modum dicendi per se, ac de omni, aliam conditionem requisitam ad prædicatum vniuersale. Mouentur: quia alioqui si secundùm quòd ipsum sumatur in priori sensu, est prorsus idem ac per se: vnde superfluè & inutiliter additũ esset. Respondent quoque ad Arist. dum dixit secundũ quòd ipsum & per se esse idem: id debere intelligi per modum superioris & inferioris, seu inclusi & includentis: quia oẽ secundũ quòd ipsum est per se, non è conuerso: & secundùm quòd ipsum addit aliquid supra per se.

Alij exponũt sm̃ quòd ipsum in priori sensu: ita vt sit adęquatè idẽ, ac per se, cõplectendo tàm secundũ, quàm primũ modũ dicẽdi per se. Ita est manifestũ ex ipsis exemplis, quæ Arist. affert. Et ita exponunt Themist. c. 12. Suess. com. 52. Ferrar. 2. contra Gent. cap. 15. §. Aduertendum quoq. Et apertè S. Th. hic lect. 11. sic dicẽs: *Nè aliquis crederet, aliud esse per se et secũdum quòd ipsum, ostendit quòd hæc idẽ sunt.*

Et hæc intelligentia est magis approbanda de mente Aristot. Neque verò frustra additum est ly secundùm quòd ipsum. Positum enim est ad restringendum per se ad duos priores modos, quod Aristot. suis exemplis planè indicat, & rursus significat textu 54. Alioqui frustra etiam postea adderet primum, si secundùm quòd ipsum sumeretur in secundo sensu, vt alij volebant.

Prædicatum primum explicatur. Vt igitur aliquid supra assignatas iam conditiones addatur, dicitur prædicatum primum. Quod non intelligitur primitate causæ, hoc est, quod non habeat causam, sicut antea explicauimus propositiones primas: sed primitate subiecti, de mente Aristot. & communi Doctorum expositione, hoc est quod rei insit non alio mediante subiecto: quo pacto rationalitas & risibilitas inest homini; non autem sensibilitas, quæ prius inest animali, & per animal homini. Excluditur verò nō quodcunque subiectum, de quo prædicatum prius dicatur: nam risibilitas prius dicitur de admiratiuo & rationali, quam de homine, & tamen dicitur prædicatum primum de homine. Sed excluditur subiectum, quod vel est diuersum, vel est communius & vniuersalius, vt animal homine. Itaque non solùm propria differentia, sed etiam propria passio est prædicatum primum.

Dubium tamen superest, an genus proximum respectu singularum specierum sit prædicatum primum. Affirmant aliqui: quia reuera non conuenit speciebus mediante alio gradu communi. Negat Auerr. ac latè defendit Zabar. libro 3. de Proposit. necess. capite 7. & sequentibus. Et hoc sanè est magis de mente Aristot. qui planè vult prædicatum vniuersale, & primum, esse debere adæquatum & proprium subiecto. Declarat Zabarel. cap. 9. genus non esse prædicatum primum: quia vt conueniat certæ speciei debet prius disponi & præparari ad formam talis speciei: & ita mediat aliquid inter ipsum genus & speciem. Inter animal & hominē ait, mediare animal quoddam, quod ait esse animal præparatum ad formam hominis, & non commune ad alias species, sed proprium humanæ speciei. Hæc tamen ratio & falsum assumit, & non satisfacit. Nam certè nulla præuia dispositio & præparatio intelligitur in ipso genere, sed immediatè contrahitur per differentiam specificam: vt notissimum est. Nec aliter potest in homine animal quoddam designari, nisi animal rationale. Deinde si daretur huiusmodi gradus intermedius, esset proprius & adæquatus homini: ergo non impediret, quominus genus esset prædicatum primum.

Aliqui reddunt aliam rationem: quia prædicatum primum, non solùm debet conuenire subiecto, non mediante alio gradu communi, sed debet etiam mediante ipso subiecto conuenire alijs omnibus, de quibus dicitur. Sic se habet rationale & risibile in homine, sensitiuum & sensibile in animali: at genus non ita conuenit vni speciei, vt mediante illa conueniat alijs omnibus. Hæc ratio benè quidem rem explicat. Tamen non traditur ab Aristotele. Nec est necessaria.

Sed facilè & sufficienter de mente Aristotelis potest, & debet prædicatum primum explicari, quod adæquatè conuertitur cum subiecto. Ita patet manifestè ex ipso Aristot. text. 37. & sequentibus. Prædicatum ergo vniuersale hìc intelligitur, quod non solùm dicitur de omni, ac per se, & secundùm quòd ipsum: sed quod etiam adæquatè conuertitur cum subiecto. Atque in hoc sensu appellatur vniuersale: quod scilicet ex parte sua potest affici signo vniuersali, idest vniuersaliter omne ipsum conuenit tali subiecto. Sic rationale & risibile dicitur vniuersaliter de homine: quia omne rationale & risibile dicitur de homine.

Nunc, vt concludamus, videndum est, an & qua ratione præmissæ ac simul conclusio demonstrationis, debeant esse de prædicato primo & vniuersali. Zabar. libro citato cap. 11. contendit, id esse omninò necessarium. Sed dicendum videtur, id non esse absolutè necessarium: attamen requiri ad demonstrationem ex omni, & ex hac etiam parte perfectam. *Non omnis demonstratio debet esse de prædicato vniuersali.* Probatur prima pars: quia possumus per syllogismum euidentem demonstrare aliquod prædicatum de subiecto communius: neque talem syllogismum possumus sub alio discursus genere collocare: ergo abso-

absolutè dici debet demonstratio, vel quia, vel etiam propter quid. Potestquè talis demonstratio fieri per causam, quæ sit quidem adæquata & cõuertibilis cum effectu, quamuis, neque causa demonstrans, neque effectus, seu passio demonstrata sit conuertibilis cum subiecto. Sic potest demonstrari hominem esse sensibilem per esse sensitiuum, sumendo sensitiuum pro principio radicali, sensibile pro aptitudine proxima sentiendi. Vnde fit, vt saltem vna præmissa talis demonstrationis, illa nempè, in qua effectus de causa, maius extremum de medio prædicatur, sit de prædicato primo, & conuertibili.

Benè tamen demonstratio perfectissima. Secunda pars probatur. Tum quia multò perfectiùs demonstratur prædicatum de subiecto primario, cui primò conuenit, & illo mediante cæteris. Tum quia multò perfectiùs cognoscitur prædicatum inesse cuicunque verè inest. Tum etiam respectu eius subiecti, de quo non primò scitur, vt sensibilitas respectu hominis; cum ei non insit secundùm quòd tale specificè, secundùm quòd homo, sed secundùm quòd animal, melius & perfectius demonstratur de animali; & sic de ipso simul homine quatenus animali. Tum insuper est quodammodo magis necessaria propositio, in qua prædicatum dicitur de subiecto adæquato: quoniam ita de illo dicitur, vt non possit de alio dici, & verificari: & alioqui non est illi necessarium, vt de tali subiecto dicatur, cùm possit dici de alijs speciebus, & accidit illi de hac, vel illa specie sigillatim dici.

Vtrunque est de mẽte Arist. Tota hæc doctrina probatur ex Aristotele, qui in fine textus 37. ait, prædicatum perfectè demonstrari de subiecto, cui primò cõuenit,& vniuersaliter inest; De alijs verò quodammodo non per se, & non vniuersaliter. Vbi, vt patet, non omninò demonstrationem negat:sed vult esse velut non per se, idest nõ primariò, sed secundariò, & consequenter: vt amplius explicauimus quæst. 26. sect. 4. & tex. 27. ait, rarò demonstrationem constare ex omnibus terminis adæquatis inter se & conuertibilibus. Et clariùs cap. 18. à textu 169. mouet quæstionem, an perfectior sit demonstratio vniuersalis, vel particularis: vbi vniuersalem intelligit,quæ est de prædicato primo & conuertibili; particularem respectu subiecti cum quo non conuertitur. & post multas rationes in contrarium positas, resoluit perfectiorem esse vniuersalem: concedens particularem quoque esse demonstrationem. Et textu 170. concludit, vniuersalem esse perfectiorem, quia sub illa scimus etiam particularem,& non è contra. Atque hæc intelligenda sunt non tantùm de demonstratione propter quid, sed etiam quia: in qua pariter possumus demonstrare prædicatum de subiecto,cui primò & conuertibiliter conuenit, aut particulariter de aliquo, cum quo non ita se habet.

SECTIO XIII.

De Forma, Figura, & modo Demonstrationis.

FOrma Syllogismi consistit in figura, & modo. Figura est apta dispositio & collocatio extremorum cum medio: modus est apta dispositio propositionum. Consideratis ergo terminis & propositionibus, quæ sunt materia; superest assignare dispositionem, quæ est forma demonstrationis. De qua re agit Arist. cap. 14. à textu 103.

In prima figura optimè fit demõstratio. Dicendum primò, cum eodem Aristot. primam figuram esse maximè accomodatam & aptam ad scientiam generandam, ac demonstrationem perficiendam: in alijs etiam figuris posse quodammodo fieri demonstrationem. Probat Aristot. primam partem primo. Scientiæ mathematicæ in hac figura demonstrant. Aliæ quoque scientiæ, ac demonstrationes quę considerant propter quid, aut omninò, aut vt plurimum per hanc figuram procedunt. Hæc itaque est maximè scientialis.

Secundò idem probat de scientia, & demonstratione quia, hoc est ostendere essentiam rei, & definitionem, vt intelligunt Auerroes, Diuus Thomas, & alij: quia secunda figura non concludit, nisi negatiuè: tertia figura non concludit, nisi particulariter: at quidditas affirmatiuè, & adæquatè dicitur de re.

Tertiò, absolutè pro quacunque demonstratione probat intentum: quia prima figura non indiget alijs, aliæ autem indigent prima, ad quam debent reduci. Vnde prima per se ipsam euidenter concludit, aliæ per primam. Hæc ergo est ad demonstrationem aptissima.

Pōt etiā fieri in alijs figuris.

Ex his 4. probatur 2. conclus. pars. Tum quia dum Arist. ait primam figuram esse magis aptam & frequentē, tacitè admittit in alijs quoque figuris posse demōstrationes confici. Et tex. 99. demonstrationem quia ex causa non adæquata conficit in secunda figura. Vbi Caiet. c. 13. & Zabar. lib. de Spec. demonstr. cap. 3. dicunt talem demonstrationem non posse confici, nisi in secunda figura. Sed id nec est verum, nec de mente Arist. Tum etiā syllogismi secundæ & tertiæ figuræ non sunt dicendi dialectici, quando præmissæ & conclusio illata sunt necessariæ & euidentes: ergo sunt demonstratiui; imperfecti tamen quoad formam. Et virtualiter referuntur ad primam figuram. Eademquè ratio est de modis indirectis primæ figuræ.

Deinde dispositio propositionum, quæ est modus, in duplici specialiter proprietate consistit, in qualitate qua propositiones sunt affirmatiuæ vel negatiuæ, & quantitate qua sunt vniuersales, vel particulares,

In modis etiam negatiuis possunt fieri demonstrationes.

Dico 2. Demonstrationem posse esse, non tantùm affirmatiuam, sed etiā negatiuam, perfectiorem tamen esse affirmatiuam. Pro hac tota conclus. sunt Auerr. Themist. Philop. D. Thom. & alij 1. Post. cap. 19. Et probatur 1. apertè ex Aristot. ibidem: qui cùm tex. 160. diuisisset demōstrationem in prædicatiuam & priuatiuam, idest affirmatiuam & negatiuam; à tex. 171. disputat, quænam sit perfectior: & multis rationibus probat, affirmatiuam esse præstantiorem. Idem habetur ex tex. 99. vt diximus sect. 4. agentes de demonstratione quia.

Secundo, demonstrationem, siue quia, siue propter quid, esse posse affirmatiuam, per se patet. Dari etiam demonstrationē negatiuam probatur. Tum quia possumus necessariò & euidenter inferre conclusionem negatiuam ex præmissa aliqua negatiua: daturquè discursus euidens, ac scientificus negatiuus. Tum quia potest etiam per causam propriam demonstrari conclusio negatiua: & sæpè negationes assignantur vt passiones propriæ rerum profluentes ab earum essentia: igitur dari potest etiam demonstratio propter quid negatiua. Sic passio propria substantiæ est non inhærere subiecto, procedens ex ratione essentiali substantiæ quæ est esse per se. Hæc ergo erit demōstratio propter quid; nullum per se existens est in subiecto, omnis substantia est per se existens: ergo. Sic quoque demonstramus Lunam priuari lumine propter interpositionem terræ. Vnitas item, quæ est passio entis, est negatio diuisionis. Et alia multa sunt talia exempla.

Tertio, demonstrationem & scientiam affirmatiuam esse præstantiorem negatiua, probatur rationibus, quas affert Aristot. & videre est apud ipsum: & quia illi propriè, & multò perfectiùs conueniunt conditiones, hactenus assignatæ.

Habētq. omnes cōditiones requisitas.

Denique vt innotescat, quomodo etiā scientiæ, ac demonstrationi negatiuæ conueniant definitiones & conditiones communes scientię & demonstrationis. Scientia est discursus euidens: & talis est scientia negatiua. Scientia est cognitio rei per causam, per quam res est: per rem intelligi debet conclusio, quæ vera est per suam causam: & sic scientia negatiua est cognitio rei per causam per quam res est. Item scientia negatiua est immutabiliter vera, & certa certitudine intrinseca, est essentialiter euidens, & sic habet omnes conditiones scientiæ. Rursus termini demonstrationis negatiuæ habent suas conditiones: ita tamen, quòd medium non est positiuè causa maioris extremi, sed negatiuè, idest est causa ipsius extremi negati, est causa vt negetur de subiecto, est causa conclusionis, quæ negatiua est. Et potest esse causa in quouis genere. Item potest esse definitio aut differentia essentialis subiecti: vt in exemplo substantiæ superiùs allato. Præmissæ denique huius demonstrationis sunt veræ certæ & euidentes. Esse immediatas negat Auicenna apud Auerr. primo Poster. comm. 108. Sed affirmant Auerr. & communiter Interpretes: ac manifestè Aristoteles ipse

tex.

textu 157. & 104. & sequentibus. Tunc autem propositiones negatiuæ sunt immediatæ, cùm non habent causam mediam qua possint demonstrari, sed sunt principia per se nota & euidentia. Sicut enim dantur affirmationes, quibus ex vi luminis naturalis statim apprehensis terminis intellectus assentitur: ita dantur similes negationes; vt non potest idem simul esse & non esse: quod existit per se non inest in alio. Satis etiam esse potest, si propositiones negatiuæ sint immediatæ virtualiter, idest reducantur ad primas immediatas, per quas innotescant. Et ex his etiam constat, quomodo hæ præmissæ sint notiores, & priores, & causæ conclusionis, itemquè propriæ, & quomodo sint de omni, seu potius de nullo; quomodo aliquatenus reducantur ad modos dicendi per se, ac demum possint esse de prædicato primo & vniuersali.

Quo pacto possint etiam fieri in modis particularibus

Dico tertiò. Demonstratio non potest esse particularis & particulariter concludere, quoad ea quæ primò & per se conueniunt singularibus, suntquè prædicata accidentalia & contingentia; potest tamen esse particularis de singularibus, quoad prædicata eorum essentialia & passiones specificas ipsis inexistentes, quæ tamen non erit perfecta demonstratio; ideòquè perfectissima demonstratio erit vniuersalis. Hac tota conclusio intelligi & probari debet ex dictis quæstione 26. sectione quarta cùm tractauimus, an obiectum scientiæ possit esse singulare. Et nunc vlterius, dari demonstrationem particularem docent Themist. Auerroes, Philopon. Diuus Thomas, Aegidius, & alij; ac præcipuè Aristoteles capite decimooctauo, qui concedit dari demonstrationem particularem, tamen imperfectiorem vniuersali, per demonstrationem particularem intelligens eam quæ de subiecto nō adæquato concludit prædicatum magis cōe. Tales enim q. 26. diximus dari demonstrationes de singularibus, quæ possunt esse non tantùm quia, sed etiam propter quid, per causam effectui conuertibilem: v. g. Petrum esse discursiuum ex rationalitate. Veruntamen huiusmodi demonstrationi desunt conditiones illæ assignatæ, vt propositiones sint de omni, per se, ac de prædicato primo & vniuersali. Absolutè ergo perfecta demonstratio erit vniuersalis. Et tandem concludendum est, primum modum primæ figuræ, qui est affirmatiuus & vniuersalis, aptissimum esse ad demonstrationem.

SECTIO XIV.

De Circulo & regressu inter Demonstrationes.

Quid sit circulus & regressus.

Circulus & regressus demonstratiuus est, cùm in vna demonstratione inferimus suam conclusionem, & hãc ipsam deinde assumimus, vt præmissam ad concludendam aliquã ex præmissis prioribus demonstrationis. Vbi duplex demonstratio interuenit, vt patet, v. g. rationale est discursiuum, homo est rationalis, ergo discursiuus: rursus discursiuũ est rationale, homo est discursiuus, ergo rationalis. Hunc circulum & regressum Themist. 1. de Anima cap. 7. & 2 Post. c. 15. vocat obambulationem, & demonstrationem obambulatoriam. Et dupliciter intelligi potest hic regressus & circulus. Vel inter vnam demonstrationem propter quid ex causa & alteram quia ab effectu, vt in exemplo posito; & hic proprio nomine apud recentiores vocatur regressus. Vel inter duas demonstrationes quia, aut duas propter quid, & hic propriè appellatur circulus. Qui rursus vel intelligitur in diuerso genere causalitatis, vt prius v. g. per causam efficientem demonstretur finalis, deinde per eandem finalem eadem efficiens; vel in eodem genere causalitatis, qui est circulus perfectus. Quæ verò dicemus specialiter de ipsis demonstrationibus propter quid, pari proportione intelligenda erunt de demonstrationibus quia.

An possit in demonstrationibus exerceri.

Dubitatur ergo, an & quo sensu detur talis circulus & regressus, an sit vtilis, & in demonstrationibus exercendus. Antiqui relati ab Aristot. textu 20. ponebant circulum, dicentes, principia demonstrationis posse mutuò demonstrari per eandem conclusionem demonstratam ex eis. Ipse Aristoteles hanc opinionem impugnat: aitq. textu 22. impossibile esse simpliciter circulo demonstrare.

Primò, quia idem esset prius & posterius, notius & ignotius. 2. textu 24. quia idem demonstraretur per idem. Si enim per A demonstratur B, & per B rursus A: ergò A demonstratur per A. 3. textu 26. & 27. quia non semper, nec omnia principia possunt per conclusionem demonstrari: ergo alio modo debent esse nota principia, & vanum erit vti circulo. Antecedens patet: quia in secunda figura conclusio est negatiua, in tertia est particularis: saltem verò vna præmissa debet esse affirmatiua & vniuersalis, ad quam concurrere non potest negatiua vel particularis. In prima quoque figura debet fieri conuersio simpliciter propositionis, vt in exemplo superius posito, quæ conuersio non semper potest fieri, nisi quando omnes termini sunt conuertibiles.

Communis sententia. Attamen alij Auctores & Expositores, Themist. Auerroes, Philoponus, Albertus, Diuus Thomas, Simplicius, Caietanus, Apollon. & alij, vel hic cap. 3. aut 13. vel 2. cœli, & Zabarel. in libro de Regressu, Balduinus in quæsito de hac re, damnant quidem circulum in eodem genere causæ, concedunt tàm circulum inter duas demonstrationes propter quid per diuersa causarum genera, quam regressum inter vnam demonstrationem propter quid, & alteram quia, inter causam & effectum. Quia nimirum non est inconueniens idem esse prius & posterius, notius & ignotius in diuerso genere causæ; siue notius natura ignotius quoad nos. Et hoc videtur admittere ipse Arist. textu 23. imò alibi frequenter vti videtur huiusmodi regressu. Antiquos autem illos dicunt posuisse circulum in eodem genere causæ, & ideò meritò ab Aristotele reprehensos. Addunt tamen Caietanus, Balduin. & alij, vtilem esse regressum, si demonstratio quia præcedat, propter quid sequatur, non è conuerso. Dicunt enim post demonstrationem quia adhuc superesse aliquid quod cognoscatur, nempè causam ipsius effectus, nihil verò superesse post demonstrationem propter quid.

Distinguitur duplex modus circuli & regressus. Ad veram resolutionem huius rei ita distinguendum est. dupliciter intelligi potest regressus & circulus. Primò, ita vt à conclusione non aliter cognita, quàm per primam demonstrationem reuertamur ad probandam in secunda demonstratione præmissam ex ijs, quæ eandem conclusionem demonstrauerant: V. g. non aliter cognoscamus hominem esse rationalem, quam ex eo quòd est risibilis, & per rationalitatem sic cognitam demonstretur risibilitas. Secundò, vt non tantùm cognoscatur conclusio primæ demonstrationis ex vi eiusdem demonstrationis, sed & alio modo, vel per se ipsam ratione propriæ euidentiæ, vel inductione, aut alia demonstratione: & ex illa sic cognita demonstretur alia propositio; quæ poterat esse præmissa in illa demonstratione, qua poterat illa eadem conclusio demonstrari. Hic est circulus & regressus tantùm materialiter & impropriè ex parte obiecti, non verò propriè & formaliter ex parte cognitionis, & inter actus nostri intellectus, quia non reuertitur intellectus ab eadem notitia ad eandem notitiam.

Nō potest exerceri in eodem genere causæ. Dico primò. Nullo modo dari potest circulus in eodem genere causæ. Hæc est omnino certa. Et probatur: quia, vt nunc suppono ex Physicis. Impossibile est duas causas in eodem genere causæ se inuicem causare. Sic enim idem esset causa & effectus, prius & posterius in eodem genere causæ: & idem esset causa sui ipsius. Contingere ergo non potest, vt inter aliquos terminos detur circulus demonstrationis per idem genus causalitatis.

Nullo modo potest formaliter exerceri. Dico secundò. In priori sensu ex duobus explicatis impossibilem esse regressum & circulum formaliter non solùm inter plures demonstrationes propter quid, sed etiam inter vnam propter quid & alteram quia. Hæc conclusio est directè contra Antiquos relatos ab Aristotele, atque ad mentem ipsius Aristotelis. Probatur primò, ratione Aristotelis, quia demonstratio & discursus debet procedere ex notioribus: si ergo conclusio demonstretur per præmissas, & præmissæ circulariter per eandem conclusionem, ipsa conclusio erit minus & magis nota, & similiter ipsæ præmissæ. Et si eadem notitia conclusionis est, quæ habetur ex notitia præmissarum, & ex qua mutuò habetur ipsa noti-

notitia præmissarum, quælibet notitia erit prior & posterior, causa & effectus alterius. Impossibile ergo prorsus est, vt intellectus hoc modo in suo discursu procedat: sed omnino oportet, vt prius habeat notitiam & assensum præmissarum independenter ab assensu conclusionis.

Quia demõstraretur ignotum per ignotum.

Si autem quis respondeat, posse eandem propositionem esse magis & minus notam diuerso modo, natura & quoad nos. Contra arguit Aristotel. textu 23. quia scientia, & demonstratio propter quid, de qua loquebatur, procedit à notioribus & prioribus natura, à causa ad effectum: non de omnibus ergo datur scientia, & demonstratio propter quid. Sed si quis aliter dicat, idem esse magis & minus notum natura, in diuerso tamen genere prioritatis & causæ. Contra: quia non semper conclusio & effectus qui demonstratur, habet rationem causæ in alio genere respectu præmissarum. Et vniuersaliter aduersus has responsiones instamus: quia hoc est quod intendimus, non posse propositionem demonstrari per conclusionem quatenus cognitam ex ipsamet; quoniam vt sic habet rationem minus notæ, siue quoad naturam, siue quoad nos: sed benè per eam cognitam alia notitia maiori seu priori. Et causa non possit demonstrari per effectum, quatenus hic est minus notus natura, secundùm quam notitiam infertur ex causa magis nota natura; sed benè quatenus effectus est magis notus quoad nos, notitia nempè habita per sensum aut inductionem: in quo genere notitia causę est minus nota. Eodemquè modo causa quæ demõstratur per causam alterius generis, non potest demonstrare illam, quatenus effectus eius, & per notitiam quam eiusdem tanquam effectus habuimus ex ea causa; sed benè quatenus est causa per aliam notitiam independentem ab illa alia re, in qua notitia, hæc alia res potius dependet ab ipsa; vt patebit conclusione sequenti.

Imo idem per idem.

Probatur secundò, alia Aristotelis ratione: quia idem probaretur & cognosceretur per se ipsum & idem esset prius, ac notius se ipso in eadem cognitione: si nempè quatenus terminat eandem cognitionem demonstrat & demonstratur. Si enim A cognoscitur per B quatenus cognitum per ipsum A: ergo A. cognoscitur per seipsum A. Et si eadem notitia præmissarum causatur ex eadem notitia conclusionis quam causat: ergo eadem notitia causatur ex se ipsa. Neque iuuat confugere ad diuersa genera causarum. Nam inde tantùm fit, vt quælibet causa possit per se euidenter cognosci, ex eaquè sic cognita independenter ab alia, possit hæc alia tanquam effectus demonstrari. Alioqui quatenus causæ & notitiæ concurrunt ad gignendam aliam cognitionem in inferenda conclusione, non exercent nisi munus causæ vel rationis agendi & cognoscendi, omnesquè concurrunt in eodem genere causæ, considerando causalitatem vnius assensus respectu alterius. Si ergo causa vt formaliter cognita tali cognitione, eademquè eius notitia est ratio effectiua cognoscendi id quod simul est ratio effectiua illius notitiæ, ipsa eadem notitia erit ratio effectiua sui in cognoscendo.

Confirmatur vtraque hæc ratio ex demonstratione vel syllogismo vocali ab arguente prolato. Si enim quis præmissam assumptam à se in arguendo, negatam à respondente, pergat probare, assumendo eam ipsam conclusionem, quam prius inferebat, & rursus eandem conclusionem assumptam vt præmissam probare persistat per easdem præmissas; planè esset irridendus, & ineptissimè peteret principium, ac probaret ignotum per æquè ignotum, & idem per idem. Est igitur talis circulus, in voce inutilis, in mente impossibilis.

Et sæpè forma syllogismi non compatitur circulum.

Tertia ratio Aristot. non probat vniuersaliter nunquam dari circulum, sed sæpè non dari, vt antea explicauimus. Docuerat autem 2. Priorum à cap. 5. quomodo, quando, & in quibus modis, posset dari circulus à concluf. ad præmissas. V. g. in celarent, vbi præmissa est negatiua, inferri tantùm posset præmissa negatiua, non autem affirmatiua. In Darij præmissa particularis, non vniuersalis. In Ferio nulla: quia ex particulari negatiua, nec inferri potest vniuersalis negatiua, nec particularis affirmatiua. Voluit autẽ ibi explicare Arist. quo pacto ex parte formæ in quibusdam syllogismis posset

dari circulus: non autem intellexit esse vtilem ex parte materiæ, vt nonnulli malè interpretantur.

Nec etiã à quia ad propter quid potest formaliter fieri regressus.

Quartò. Specialiter contra illos qui dicebant, à demonstratione quia ad propter quid licere regressum, & non è contra, facit, quod etiã in illa demonstratione quia, potest causa formaliter vt causa realis est cognosci & inferri in conclusione: ergo nihil superest quod vlteriùs cognoscendum sit in demonstratione propter quid. Quod si dicatur posse idem cognosci diuerso modo. Sic etiam si demonstratio quia sequatur post demonstrationem propter quid, cognoscetur idem diuerso modo. Et sanè Aristot. eodem modo concedit regressum à demonstratione quia ad propter quid, vt iam constabit.

Potest materialiter regressus & circulus exerceri.

Dico tertiò. In posteriori illo sensu materialiter & ex conclusione cognita ab ea, quæ erat illatiua ex præmissis potest vniuersaliter dari regressus & circulus ad demonstrandas easdem præmissas; tùm inter vnam demonstrationem propter quid, & aliam quia, siue hæc, siue illa præcedat; tum inter vtranque demonstrationem propter quid, aut vtranque quia, in diuerso genere causalitatis.

Explicatur conclusio. Prius, v. g. possumus demonstrare, hominem esse risibilem quia est admiratiuus, esse autẽ admiratiuum. in hac demonstratione cognoscamus non ex eadem risibilitate, sed ex esse discursiuo & rationali. Deinde præter cognitionẽ illam risibilitatis habitam in hac demonstratione, possumus eandem rem cognoscere experientia & sensu independenter ab illo medio admiratiui. Ex risibilitate ergo sic cognita per aliam notitiam possumus regredi ad demonstrandum esse admiratiuum. vbi demonstratio propter quid præcedit, & quia sequitur. Item, exemplo Aristot. 1. Poster. textu 98. prius demonstramus à posteriori, Lunam esse sphæricam, quia sphæricè illuminatur, sphæricè autem illuminari cognoscimus sensu. Deinde regredimur, & à priori demonstramus, Lunam sphæricè illuminari, quia est sphærica: esse autem sphæricam in hac demonstratione cognoscere debemus, non illa notitia habita in priori demonstratione, sed vel alijs instrumentis aut rationibus, vel ex eo quòd sphærica figura est perfecta, & corporibus cælestibus congruẽtissima. Ita pariter in duabus demonstrationibus propter quid, in vna possumus per causam efficientem demonstrare causam finalem: vbi hæc se habet vt effectus in genere causæ efficientis: in alia deinde circulariter demonstramus efficiẽtem per eandem finalem, quatenus eadem efficiens est effectus in genere causæ finalis.

Per plures notitias earundem rerum.

Duplex ergo cognitio vtriusque causæ datur. Vna eius tanquam causæ in vno genere, altera eiusdem tanquam effectus in alio genere. Et illa est immediata ac per se, hæc mediata. Cùm causa vt causa debeat immediatè cognosci, vt effectus mediatè per suam causam. Et in demonstrando, cognitio rei, vt effectus in eo genere causatur ex cognitione alterius, vt causa est in eodem genere, & è conuerso. Et hoc modo potest fieri circulus inter ambas demonstrationes propter quid.

Est de mẽte Arist.

Probatur nunc conclusio, primò ex Aristot. qui tex. 23. admittit regressum à notioribus nobis ad notiora natura: ita tamen, vt notiora nobis verè sint sic notiora: talia autem sunt non cognitione sumpta ex priori demonstratione, in qua sunt ignotiora natura; sed cognitione sumpta ex inductione vel sensu. Idem habetur textu 96. & primo de Anima tex. 11. ex cognitione essentiæ cognosci accidentia, & ex accidentibus essentias. Et primo Physic. tex. 1. rem cognosci ex causis & principijs quatenus notioribus natura. Et tex. 2. innatam esse quoque nobis viam, vt procedamus à notioribus nobis ad notiora natura. Et 2. Poster. textu 90. 91. & 92. Cum causæ sunt sibi inuicem causæ, possunt mutuò per se inuicem demonstrari, vel effectus per causam à priori, causa per effectum à posteriori. Alia etiam loca alleganrur, in quibus Arist. regressu & circulo videtur vti: vt 1. Poster. text. 28. & 24., 8. Physic. tex. 53. 2. Cæli 10. & 34. ac textu 48. & 59. In vno loco ponens vnam demonstrationem, & probationem, in alio aliam circularem. Quamuis in quibusdam ex his locis, non tàm formetur circulus, quàm potiùs res ipsæ explicentur.

Secun-

Ratione probatur. Secũdò ratione ex dictis faciliter probatur conclusio, quia cùm detur verè, & sit vtilis, tàm demonstratio propter quid ex causa ad effectum, quàm ex effectu ad causam, & ex quocunque genere causæ, secundùm diuersas notitias, vt explicauimus; potest sic vtraque demonstratio exerceri. Nec vna impedit aliam. Nec sequitur aliquod inconueniens. Nam semper probatur minus notum per magis notum in certo genere notitiæ,& benè potest idem esse magis & minus notum penes diuersas notitias. Non denique sequitur idem probari per idem,quia B demonstratur per A, non quatenus A est cognitum per ipsum B, sed alio modo: & sic cognitio ipsius B non dependet ex cognitione eiusdem B, siue ex se ipsa.

Tertio. Simili modo diximus quæstione vndecima sectione secunda, posse duas res per se mutuò veluti circulariter definiri: vt altera explicetur per alterã, non quatenus explicatam vel explicandam per illam, sed alio modo. Pariter ergo, non formaliter, sed sic materialiter datur regressus & circulus in demonstrationibus, ac definitionibus Et ex his facilè soluentur omnes obiectiones, quæ in contrarium adduci possunt.

Postremò, restaret explicandum, in qua figura & modo hic regressus & circulus fieri possit: nisi iam ex supradictis, & ex Aristotele secundo Priorum à capite quinto manifestum esset, eum habere locum in omni figura, & in omni modo, in quo talis præmissa contineatur, ad quam probandam apta sit concurrere eiusdem modi conclusio, & insuper, quando termini sunt inter se conuertibiles: vt superiùs explicauimus. *In qua figura, & modo possit circulus exerceri.*

QVÆSTIO VIGESIMANONA.

De Discursu, & Syllogismo, Opinatiuo, & Apparenti.

ARistot. vt finem Logicæ imponeret, post libros resolutorios instituit octo Topic. & duos Elench. Topos græcè, est latinè locus, & Topicus est localis. Propositum Aristot. in ijs octo libris est, vt in principio ipse præfatur, artem inuenire & tradere, per quam possimus de omni proposito problemate syllogizare ex probabilibus. Itaque obiectum sibi proposuit syllogismum dialecticum, idest opinatiuum & probabilem. Ideò hos libros appellauit Topicos, quia in ijs traduntur loca, tanquam fontes quidam, ex quibus abunde probabilia argumenta depromi possunt. Vnde & ipsa talia argumenta appellantur topica. Agit etiam nonnihil de opinione Aristot. 1. Poster. cap. 26. ad melius declarandum scientiæ & opinionis discrimen. Elenchos græcè est latinè argumentum, siue inquisitio. Contracto tamen significato nominis, denotat argumentum fallax & vitiosum, in specie quidem apparens, sed in re decipiens. Agit itaque Aristot. in alijs duobus libris de fallacijs syllogismi, easquè detegit & dissoluere docet. Possuntquè hi libri vocari Elenchici, ex Quintil. lib. 2. cap. 6. 1. tractantes de fallacijs argumentorum. Vocantur autem hæc argumenta sophistica; & qui ijs vtuntur, sophistæ. Quoniam sophisma est oratio, quæ apparet vera & sapienter composita: vnde sophistæ dicuntur quasi apparenter sapientes, & argumenta sophistica, tanquam apparenter apta ad sapientiam. Vocantur quoque litigiosa & contentiosa, eo quod solùm ad inutilem quandam contentionem, non autem ad veritatem eruendam deseruiunt. Quare obiectum eorum librorum est syllogismus apparens & fallax, quatenus detegendus & dissoluendus. siue est detectio & dissolutio fallaciarum, quæ in syllogizando committi possunt.

Igitur

Igitur nunc huic Aristot. ordini, & nostro etiam ad hunc vsque locum perducto, insistendo: agendum superest de discursu opinatiuo, quem sub discursu in communi à scientifico distinximus. Et simplici nomine possumus opinionem appellare, contradistinctam à scientia. Licèt enim opinionis nomen sit omni assensui opinatiuo cõmune; tamen potest specialiter vsurpari pro assensu per discursum elicito. Coniungimus etiam de discursu apparenti & vitioso. Quoniam vtrunque breuiter expediemus. Et Aristot. ipse in principio Topicorum, & in fine Elench. vtrunque coniungit. Et vterque potest sub vno communi opinionis nomine ad differentiam veræ scientiæ comprehendi.

SECTIO PRIMA.

Quid sit opinio, & quomodo differat à scientia.

Opinio an sit notitia discursiua.

IN primis Aristot. 1. Poster. agens de opinione, tex. 195. veluti illam definiens ait: *Est existimatio immediatæ propositionis & non necessariæ.* Per quod indicare videtur, opinionem non esse cognitionem discursiuam. Nam propositio immediata est, quæ sine medio, sine discursu, cognoscitur. At ex opposito videri potest, opinionem non posse esse propositionis immediatæ & sine discursu. Nam propositio immediata, est quæ per suimet euidentiam inclinat & cogit intellectum ad sui assensum. Et propositiones immediatæ sunt principia demonstrationis & scientiæ. Vnde etiam videtur inuolui repugnantia in terminis, dum dicitur propositio immediata & non necessaria.

Dicendum tamen est, opinionem contradistinctam à notitia euidenti necessaria, posse haberi tum per discursum, tum immediatè per lumẽ naturale sine discursu: sumptam verò opinionem conuenientem cum scientia in genere notitiæ discursiuæ; sic omninò esse assensum illatiuum consequentis ex antecedenti. Explicatur & probatur conclusio: quia ex vna parte, experientia ipsa notissimum est, quàm sæpè intellectus noster ad opinandum inducatur ex varijs medijs & motiuis probabilibus, vtique discurrendo & inferendo. Et, si semel concedatur in intellectu assensus aliquis opinatiuus: omnino etiam concedendum est, posse ab eodem intellectu aliquis alius similis assensus de re aliqua consequente elici, qui erit assensus discursiuus per illationem. Et hoc non solùm apertè supponit Arist. 1. Top. cap 1. & in toto eo opere: sed etiam 1. Poster. paulò post illa verba, scilicet tex. 197. supponit dari opinionem de cõclusionibus, quæ ex primis propositionibus deducantur. Imo insinuat similem distinctionem opinionis in opinionem quia, & propter quid, quam de scientia tradiderat. Nam certè possumus induci ad opinandum, vel per medium quod sit causa rei, vel per medium quod non sit causa.

Datur et sine discursu.

Datur opinio per discursum.

Ex altera parte, experientia etiam notum est, quasdam res esse, quibus statim intellectui nostro propositis, ab eoquè apprehensis, sentit intellectus se inclinari ad assensum, licèt non cum omnimoda certitudine & securitate, sed tantùm cum quadam probabilitate. Imo quãdo per discursum inferimus conclusiones probabiles, ex præmissis probabilibus inferimus. Nec procedimus in infinitum: Deuenimus ergo ad primas quasdam propositiones probabiles, ad quarum assensum intellectus ex se ipso inclinatur. Et hæc sunt principia probabilia, de quibus ait Arist. 1. Top. cap. 1. *Probabilia sunt, quæ videntur omnibus, aut plurimis, aut sapientibus; & his vel omnibus, vel plurimis, vel maximè familiaribus & probatis.* Ideò etiam 1. Post. tex. 197. tàm de opinione, quàm de scientia ait, resolui ad principia immediata.

Opinio, quæ cõuenit cum scientia est discursiua.

Itaque sicut in genere cognitionis necessariæ & euidentis, distinguitur scientia & intellectus, scilicet circa cõclusiones & principia. Ita similis distinctio in genere opinionis cõdistincto ab illo genere notitiæ, admittenda est. Diuidendo autem prius in genere notitiam iudicatiuam secundæ operationis, & discursiuam tertiæ operationis; & hanc rursus diuidendo in scientiam & opinionem: sic non sumitur opinio, nisi pro assensu discursiuo, cõueniente quidem in genere discursus cum scientia, diuerso autem per differen-

ferentia quam mox inquiremus.

Arist. explicatur. Ex his ad verba illa Arist. dicendũ est: Vel illum ita dixisse, quia omnis opinio saltem reducitur ad primas propositiones immediatas: Vel in illis verbis voluisse tantum distinguere opinionem quæ conueniebat in genere proximo cũ notitia necessaria quæ habetur per habitũ intellectus, supponens pari modo distingui à scientia opinionem sumptam pro notitia discursiua. Nam tàm ab intellectu principiorum, quàm à scientia, distinguit ibi opinionem in tota sua latitudine sumptã. Patet etiam ad rationem partis oppositæ: duos esse gradus propositionum immediatarum. Alias esse quæ per sui euidentiam cogunt intellectum ad assensum certum ac necessarium: & hæ sunt principia demonstrationis. Alias esse quæ per sui probabilitatem & verisimilitudinem inclinant intellectum ad assensum non adeo certum & firmum: & hæ spectant ad opinionem.

Opinio est vel circa cõtingẽtia, vel est in se incerta, & probabilis. Secũdò. Arist. eod. tex. 195. determinat, opinionem esse circa contingentia, quæ scilicet possunt aliter se habere: & per hoc distinguit à scientia, quæ est circa necessaria, quæ non possunt aliter se habere. Alij autẽ solent explicare opinionẽ, & à scientia distinguere, quòd scientia sit certa & firma, opinio autem sit incerta quædam & imbecilla existimatio. Ita supponit Cic. lib. 4. Accad. qq. & lib. 1. item li. 2. de Finibus, & lib. 4. Tuscul. vbi ait: opinationem esse imbecillam assensionẽ. & Lactantius lib. 7. Diuin. inst. c. 3. scientia certi est, opinatio incerti. Hæc autẽ incertitudo, seu imbecillitas assensus appellatur à Philosophis probabilitas. Vnde distingui solet, alius assensus certus, & alius probabilis.

Hi duo modi explicandi opinionem diuersi sunt. Nã contingẽtia se tenẽt ex parte obiecti, illa autẽ incertitudo, seu imbecillitas assensus se tenet ex parte actus. Atq; circa obiectũ contingens potest dari assensus oĩno certus & firmus, imo intuitiuus. Et circa obiectum necessariũ potestècontra dari assensus incertus & imbecillis: vt quandocunque in disputatione versatur, quænam sit natura aut conditio intrinseca alicuius rei, an aliquid sit possibile, vel non.

Vnde neuter ille modus per se videtur sufficiens & adæquatus ad rõnẽ opinionis explicandã: sed vterq; debet sub disiũctione côiungi. Nam scientia debet esse tum certa ex parte actus, tum etiam debet habere obiectũ necessarium. Vnde siue detur assensus certus circa obiectum côtingens, siue probabilis circa obiectum necessariũ omnis talis assensus est opinio, nõ sciẽtia. Itaq; vtroque ex illis modis datur opinio cõdistincta a scientia. Ita notauimus q. 25 sect. 9 vbi diuidebamus discursum in sciẽtificum & opinatiuum. Imo vlterius sub nomine opinionis potest intelligi assẽsus circa obiectum impossibile, idest quo affirmetur aliquid, quod reuera est impossibile: siue negetur aliquid, quod in re est necessarium: etiam si quis apud se certò & absque formidine sibi persuadeat, ita esse sicut ipse putat. Nam tradi solet tanquam adæquata diuisio scientiæ & opinionis. Vnde omnis assensus, qui non est scientia, sub opinionis nomine includetur.

Arist. clarius loquutus est de primo modo opinionis. Arist. autem ibi non videtur voluisse adæquatè omnem opinionem explicare: sed tantum illam quæ deficit à ratione scientiæ ex parte obiecti. Nam ex parte obiecti distinguit scibile & opinabile. Cum enim in toto tractatu scientiæ ac demonstrationis, docuisset, scientiam esse de obiecto necessario: ibi determinare voluit, illam cognitionem, quæ habetur de obiecto contingenti, esse opinionem. Vel explicari potest per obiectum contingens intellexisse, non tantum quod est côtingens in essendo, & potest in re aliter esse: sed etiam contingens quodammodo in cognoscendo, idest quod non cognoscitur assensu firmo & certo non admittente formidinẽ de parte opposita sed assensu infirmo & variabili, ita vt possit intellectus in partem oppositam declinare. Et hæc est quædam contingentia ex parte actus. Ita exponit Caietan. super. eundem locum, & Sotus q. 8. concl. 2. art. 2. Atque hunc modum opinionis maxime accepit Arist. in Topicis, dum ab initio syllogismum dialecticũ definiuit, qui procedit ex probabilibus: & deinceps loca côstituit, ex quibus probabilia argumenta promãtur: & inter problemata dialectica ponit, de genere, definitione, & proprio, quæ vtique ex parte sua sunt prædicata necessaria.

Alij

Alij de secundo modo. Alij verò Auctores; vel etiam sumpserunt incertum & imbecillum, non tantùm ex parte actus, sed etiam obiecti, quando obiectum ipsum non est necessarium & immutabile. Vel non sumpserunt opinionem adæquatè: sed tantùm pro illa parte quæ se tenet ex parte actus. Imo regulariter in communi modo loquendi sic potius solet opinio vsurpari: & hæc est magis latina significatio vocis. E contra solet scientia sumi pro omni cognitione certa & clara, etiam si sit rerum contingentium: vt patet ex dictis antea de scientia. Imo vlteriùs ea quæ Logica tradit de directione opinionis, specialiter procedunt de opinione sic sumpta pro cognitione probabili. Et de hac etiam nobis præcipuè tractandum superest.

An de ratione opinionis probabilis sit formido de opposito. Tertiò dubium est, an & quomodo de ratione eius opinionis, quæ est assensus probabilis alicuius propositionis, sit formido de parte opposita. Ex vna parte videtur necessariò affirmandum: quia alioqui non habetur, in quo distinguatur probabilitas à certitudine ex parte actus. Et ita planè supponit Sanctus Thomas 1. 2. quæst. 67. art. 3. dicens: *De ratione opinionis est, quod accipiatur vnum cum formidine alterius oppositi: vnde non habet firmam adhæsionem.* Idem supponit Durandus quæstione 1. Prol. num. 27. & alij communiter sic solent explicare opinionem & assensum probabilem. Et ita defendit Vallius 2. Poster. disput. 4. par. 5. quæst. 6.

Ex alia parte constat, quædam esse in communi hominum notitia, adeò tuta & explorata; sicut sunt multæ antiquæ historiæ, & alia probato plurimorum testimonio nota, vt nulla subsit de parte opposita formido: & tamen hæc non nisi sub opinionē cadunt. Constat etiam, quosdam esse, qui tàm firmè & tenaciter suis opinionibus adhærent, vt nullam de parte opposita suspicionem admittant. Et Arist. 7. Ethic. c. 3. notauit, quosdam ita opinari, vt non ambigant, sed certò se scire existiment; & non minorem adhibent fidem ijs quæ opinantur, quā alij ijs quæ sciunt. Et libro 2. Magn. Moral. cap. 7. idem significauit. Ac præsertim Infideles cum tanta adhæsione sua sibi dogmata persuadent, quasi Fidei veritates. Hinc Fonseca sexto Metaphysic. cap. 1. quæst. 1. sect. 4. ad 4 negat, de ratione opinionis esse formidinem de opposito, aitquè verum non esse quod dici solet, omnem opinionem esse cum formidine assensus.

Est vel formido, vel capacitas eius. Dicendum tamen est, de ratione huiusmodi opinionis esse, vt vel habeat actualiter admixtam formidinem de parte opposita, vel saltem possit illam secum compati; vel procedat ex tali fundamento, quod ex conditione sua fallibile est, & aptum relinquere formidinem de parte opposita. Explicatur & probatur assertio. Quia debet omnino distingui probabilitas opinionis à certitudine scientiæ: nec potest aliter distingui, nisi per admixtionem vel capacitatem formidinis. Sufficit autem capacitas: quia scientia talis est, vt quandiu permanet, & ex vi fundamenti, cui innitur, non possit compati formidinem de parte opposita.

Tunc autem opinio habet actu admixtam formidinem de opposito, quando intellectus expresè considerat imbecillitatem motiui, quo ducitur ad opinandum, vel aliquod etiam motiuum partis oppositæ: tunc enim intellectus metuit & suspicatur, nè fortè non ita sit vt putat. Interdum verò non id expresè considerat, sed potest facilè considerare: & tunc non habebit actu formidinē de opposito: tamen potest, si melius aduertat, stante opinione de vna parte formidare de opposita. Interdum denique fundamentum quidem assentiendi ex cōditione sua fallibile & incertum est: tamen adeò confirmatur & corroboratur, vt prudenter homo ita sibi rem persuadeat, quòd de opposito non formidet. Sic auctoritas humana, & testimonium hominum, est ex conditione sua fallibile medium: tamen tanta potest esse auctoritas, & tot hominum, & tàm publica attestatio; vt nihil de opposito formidemus. Sic credimus illas antiquas historias, & res quæ ab omnibus approbātur. Atque hæc appellari solet certitudo moralis, non physica, vt distinguatur à certitudine scientiæ. Aut præterea affectu suæ voluntatis, & obstinatione quadam ac pertinacia, temerè & imprudenter, quis adeò firmiter suis opinionibus adhæret, sine sufficienti & certo medio: sicut

sicut notauit Arist. 7. Ethic. c. 3. & tunc etiam satis est, quòd quantum est ex natura talis medij, persuasio vnius partis posset admittere formidinem de opposita. Imo quando talis firma persuasio cōtingit in rebus falsis, erroris nomen meretur & habet, vt patet de erroribus Infidelium.

Quid sit formido in opinione.

Quartò demum explicandum est, quidnam sit hæc formido opinioni admixta. Sot. 1. Post. q. 8. propè fin. docet, esse priuationem certitudinis. Aliqui verò significant, esse actum quēdam intellectus, distinctum ab ipso opinionis actu. Sed neutro modo benè explicatur, quomodo formido sit intrinseca & essentialis ipsi opinioni, siue assensui formidoloso. Dicendū ergo est, formidinem essentialiter seu radicaliter importare talem naturam assensus opinatiui, in qua fundetur carentia illius certitudinis & firmitatis, quæ inuenitur in actu scientiæ: & cum qua cōsistere possit suspicio quædam de parte opposita: ita vt intellectus quādo actualiter formidat; simul atque putet rē ita se habere, suspicatur nè fortè non ita sit. Et hoc totum fieri potest, vel per eundē simplicem actum: vel etiam interdum per duos actus, vnum opinionis pro vna parte, alium suspicionis pro parte opposita.

SECTIO SECVNDA.

An & quomodo opinio probabilis, per discursum ex suis præmissis deducatur: vel ex opinantis voluntate dependeat.

PRrimò. Ad assignandum, vnde nam probabilitas, prout opposita certitudini, opinioni, quam per discursum acquirimus, obueniat, dicūt aliqui, interdum opinionem contrahere suam imbecillitatem ex parte formæ, interdum ex parte materiæ. Hoc est, interdum ex parte illationis & consequentiæ, nēpè quando discursus fit in forma entymematis, aut imperfectæ inductionis: interdum ex parte antecedentis, quando discursus fit quidem in forma syllogismi, tamen præmissæ non sunt plus quàm probabiles.

Opinio discursiua non sumit probabilitatem ex illatione, sed ex præmissis.

Verùm in rigore inuenietur semper incertitudo ex parte materiæ & antecedētis; vnde assensus conclusionis efficitur debilis & incertus, non ex defectu formæ & illationis, sed ex defectu præmissarum & assensus earum. Nā non solùm in syllogismo res est clara: quia syllogismus habet euidentem formam illationis, & ex præmissis certis omninò infert certā cōclusionem. Sed etiā illæ aliæ argumentationes habent suam vim per syllogismū, licèt non penitùs in voce expressum. Et entymema, si proferat vnā propositionem certā pro antecedenti, inferat aūt cōclus. probabilē id non aliter fit, nisi quia subintelligitur ex parte antecedentis alia præmissa probabilis. Similiter per viam exempli probabiliter infertur: ita cōtigit Petro, ergo sic eueniet Paulo: quia subintelligitur propositio probabilis, quod cōtigit Petro, eueniet etiā Paulo. Sic etiam in illa inductione, quæ procedit per modum exempli, & potest probabiliter concludere. Itaque nisi intellectus aberret in forma discurrendi, semper probabilitas opinionis in conclusione contrahitur ex probabilitate assensus antecedentis, ex quo infertur. Et hoc totum clarius patet ex dictis suo loco de Discursu in communi.

Semper ex vna præmissa certa, & altera probabili infertur cōclusio probabilis.

Secundò. ex dictis etiam ibi q. 15. sect. 9. constat, non solùm quando vtraq. præmissa, sed etiam quando vna est probabilis, etiam si altera sit certa; inferri conclusionem non plus quàm probabilem, quia semper conclusio sequitur debiliorē partē. Dubitari nunc pōt, an quandocūq. præmissæ sunt probabiles, semper inferatur cōclusio saltem probabilis, vel interdum inferri possit conclusio euidenter falsa & improbabilis.

Et dicendum est, qn̄ altera vna præmissa est certa & altera probabilis, omninò cōclusionē esse probabilē. Patet, quia si cōclusio sit euidenter falsa & improbabilis; poterit oppositū eius assumi pro vna præmissa certa, & per deductionē ad impossibile inferretur euidēter oppositū alicuius præmissæ; sed nō pōt verè inferri oppositū eius præmissæ: quæ erat certa; ergo inferetur oppositum eius præmissæ, quæ dicebatur probabilis: igitur illa præmissa ostenderetur certò & euidenter falsa: non erat ergo probabilis. Fieri itaq. non pōt,

vt ex vna præmissa certa & altera probabili inferatur conclusio euidenter falsa & improbabilis.

Non semper ex vtraq. præmissa probabili infertur cōclus. probabilis.

Assumendo autem duas præmissas, ambas probabiles, sic fieri potest, vt ex ijs inferatur conclusio euidenter falsa & improbabilis. Tunc autem non erit probabile, copulationem illarum præmissarum esse simul veram: sed tantùm quælibet ex illis per se habet suam probabilitatem, & neutra conuincitur euidenter falsa determinatè: tamen certum est, & euidenter colligitur, alterutram esse in re falsam: nobis autem non constat, quæ illarum sit vera; & quæ falsa; & ita vtraque per se sumpta, censetur probabilis.

Explicatur & probatur assertio à priori. Sæpissimè in rebus, de quibus non habemus euidentiam & certitudinem, extant oppositæ & contradictoriæ, ambæ in suo gradu probabiles. Si ergo ex illis desumantur duæ præmissæ, inferri potest conclusio euidenter falsa & improbabilis: illæ autem præmissæ erunt inter se, vel formaliter, vel virtualiter oppositæ. Vnde impossibile quidem est & improbabile illas ambas esse simul veras; certumque est, alteram ex illis esse in re falsam: tamen nobis non est euidens, quæ sit vera, & quæ falsa.

Exempla huius rei possunt esse innumera. sufficiet vnum afferre. Quædam præmissa probabilis est, omnis res, quæ existit habet existentiam propriam: altera esse potest, materia non habet existentiam propriam: Conclusio in bona forma infertur, ergo materia non existit, quæ tamen est euidenter falsa & improbabilis. Sed perspicuè apparet, non esse probabilem, nec possibilem, copulationem illius vtriusque præmissæ. Itaque non poterit vnus & idem intellectus, vtramque illam præmissam acceptare; sed qui concedit vnam, cogitur negare alteram. Atque hac regula vti solent Theologi in rebus moralibus, admonentes, non semper ex vtraque præmissa probabili inferri conclusionem practicè probabilem, & licitam: sed interdum inferri posse improbabilem, ac in praxi illicitam.

An electio opinionis ex voluntate dependeat.

Tertiò vlterius supposita probabilitate totius antecedentis, & stante in intellectu assensu vtriusque præmissæ, dubitari potest an ex se & necessariò sequatur conclusionis assensus, vel debeat interuenire libera determinatio voluntatis inclinantis intellectum ad talem assensum. Sanctus Thomas 2. 2. quæst. 1. art. 3. significat requiri electionem liberam voluntatis. Communiter etiam Theologi idem docent de assensu Fidei: eadem autem ratio est de opinione. Et planè intelligunt, hominem ad huiusmodi assensum esse liberum, non solùm quoad exercitium, sed etiam quoad specificationem actus; ita vt possit etiam dissentiri, si velit. Imo experientia ipsa constat, in libertate singulorum situm esse, in rebus incertis & opinabilibus, vel vnam vel alteram opinionem amplecti, & de vna in aliam opinionem transire. Et hoc est discrimen à rebus euidentibus, in quibus intellectus habet necessitatē quoad specificationem, vt dicebamus quæstione 25. sect. 3.

Nō potest quis cum assēsu præmissarum respuere conclusionem.

Dicendum tamen est, supposito assensu totius antecedentis in discursu opinatiuo, non manere intellectum indifferentem quoad specificationem, ita vt possit coniungi dissensus conclusionis cum assensu totius antecedentis: sed ad assensum ipsum antecedentis probabilis intellectum esse indifferentem, & dependere ab electione voluntatis: & sic absolutè loquendo etiam assensum consequentis esse liberum. Prima pars probatur clarè ex dictis ibi quæst. 25. Nam in bona forma illationis non potest negari conclusio concessis præmissis. Non potest negari formaliter consequentia. Alioqui nihil vnquam probari posset in disputando. Sed certissima est illa regula, ex vero non inferri falsum. Impossibile ergo est, intellectum assentientem toti antecedenti probabili, simul dissentiri conclusioni. Patet etiam ex modo dictis: quia dissensus conclusionis est virtualiter oppositus assensui præmissarum: & ex contradictoria conclusionis, simul cum vna præmissa benè infertur per redargutionem oppositum alteriùs præmissæ. Sicut ergo impossibile est absolutè, assentiri simul & dissentiri eidem propositioni: ita impossibile est, assentiri præmissis, & dissentiri conclusioni, in quacunque materia, non solùm euidenti, sed etiam probabili. Imo etiam in materia

apertè

apertè falsa, aut in terminis non significatiuis, non potest negari formaliter conclusio suppositis præmissis.

Potest tamen antecedenter non assentiri præmissis.

Secunda pars probatur ex modo allegatis & adductis. Nam oportet fateri, interuenire libertatem in electione opinionis. Sed non potest intellectus stante assensu præmissarum, dissentiri conclusioni: ergo potest assentiri aut dissentiri ipsis præmissis. Itaque simplex apprehensio praua per se non determinat intellectum ad assensum talium propositionum, sicut assensus antecedentis ad assensum consequentis. Potest quidem fieri, vt cum ipsa apprehensione magis inclinetur intellectus per modū actus primi ad vnam vel alteram partem, iuxta maiorem probabilitatem aut apparentiam: non tamen per hoc determinatur. Sed adhuc absolutè remanet in libertate voluntatis, determinare intellectum ad vnam vel alteram partem.

Quando autem apparet maior probabilitas ex vna parte, & intellectus magis inclinatur ad illam, tunc si voluntas determinet intellectum ad partem oppositam, dicetur prauè eligere. Et quando quis propositis sufficientibus credendi motiuis, non vult credere, dicitur imprudenter agere: sicut etiam quando sine sufficienti motiuo & auctoritate credit, dicitur leuiter & imprudenter credere. Imo interdum tanta potest esse probabilitas & credibilitas alicuius rei, vt non nisi imprudentissimè posset quis dissentiri, aut dubitare, quamuis physicè loquēdo possit: vt si quis nollet credere rem, receptissimo omnium vel plurimorum, aut alicuius fide dignissimi testimonio comprobatam.

[S]ic etiam [f]ides est libera.

Iuxta hæc debet intelligi S. Thom. & communis sententia Theologorum, dum docen, fidem esse voluntariā & liberam. Nam certè si sumatur fides per modum discursus, fieri non potest, vt intellectus repugnet conclusioni supposito præmissarum assensu, videlicet si intellectus affirmat, quicquid Deus reuelauit, verum est, & Deus reuelauit hæc mysteria; non potest negare hanc conclusionem, ergo hæc mysteria vera sunt. Sed absolutè potest negare aliquam præmissam, specialiter illam, Deus reuelauit hæc mysteria: quia non est euidens, sed est tantùm prudenter credibilis. Et hoc modo fides est voluntaria & libera. Imo etiam supposito, quod intellectus cognoscat, hæc res est credibilis, est magis credibilis, quàm illa, adhuc potest à voluntate deflecti ad non credendum, ad credendum oppositum. Et ideò quamuis mysteria nostræ fidei sint euidenter credibilia, vt Theologi docent, adhuc fides est voluntaria & libera. Illi tamen qui percipientes motiua & fundamenta, adhuc nolunt credere, imprudenter agunt.

Et opinio est libera.

Hoc etiam est, quod experientia ostenditur. Nam constat in libertate hominum situm esse, assentiri, aut dissentiri propositionibus probabilibus antecedenter, non autem dissentiri conclusioni cū assensu præmissarum. Et hoc modo magnam vim habet voluntatis affectus in electione opinionum, tàm in rebus speculatiuis, quàm practicis: vt satis compertum est. Ideòquè ad veritatem inueniendam, & ad rectè discernēdum quidnam sit probabilius, admodum expedit, non habere voluntatem certo aliquo affectu, nisi solo veritatis desiderio præoccupatam, nè intellectus à rectiori veritatis itinere deuiet.

Ad differentiam scientiæ.

Hoc demum sufficit ad saluandum discrimen inter res opinabiles, & res euidentes. Qm in rebus euidētibus, non solū ad assensum conclusionis ex assensu præmissarum, sed etiam ad ipsarum præmissarum assensum intellectus est ipso naturali lumine determinatus quoad specificationem: at in rebus opinabilibus est indifferens circa primas præmissas: & ad summum potest magis propendere in vnam, quàm in aliam partem; nec est simpliciter determinatus, & ideò subditur liberæ electioni voluntatis.

Quo assensu præmissarum possit quis nō eliccre cō clusionis assensum.

Quartò, quantum ad exercitium actus, à fortiori patet, hominem esse liberum ad exercēdum, aut non exercēdum actum assentiendi circa præmissas probabiles, & consequenter circa conclusionē. Sed etiā supposito præmissarum assensu est liber, vt voluntas possit cohibere intellectum, nè eliciat conclusionis assensum. Nam si id concessimus in discursu circa res certas & euidentes ibi qu. est. 25. sect. 3. multò magis affirmandum est circa res opinabiles. Si autem voluntas non positiuè cohibeat intellectum: tunc dici potest, quādo

magna

magna & vehemens est probabilitas in assensu antecedentis, & maximè si vna præmissa sit euidens, & altera moraliter certa; tunc inquam, intellectum absque alio voluntatis impulsu ex se statim prorumpere in cōclusionis assensum. Quando autem tenuis & leuis erit probabilitas in antecedenti, maximè si vtraque præmissa, earumquè copulatio sit leuiter probabilis; tunc fortasse opus esse peculiari voluntatis determinatione ad assentiendum conclusioni: quia ille tàm tenuis assensus antecedentis, non habet tantam vim impellendi intellectum, qui quodammodo retardatur per formidinē admixtam de parte opposita: & præsertim si appareat aliqua peculiaris difficultatis ratio circa conclusionem, magis emergens, dum cogitatur conclusio, quàm dum cogitabantur præmissæ.

An possit quis ex sola sua libertate opinari quod voluerit.

Quintò, hinc præterea dubitatur, an possit quis pro sola sua voluntate inclinare intellectum ad assensum opinatiuum alicuius conclusionis absque alio motiuo & fundamento. V. g. Si alicui proponatur hæc dubitatio, an Astra sint paria, absque vlla ratione, vel auctoritate pro alterutra parte, an possit suo arbitrio opinari vnam, vel alteram contradictionis partem. Affirmat Caiet. 1. 2. quæst. 68. artic. 4. Sicut enim voluntas, inquit, determinat potentiam rationalem ad alteram contrariorum, ad quæ neutraliter se habebat: sic potest determinare intellectum ad alteram partem contradictionis. Et sicut Medicus ex solo odio determinat artem ad occidendum infirmum: ita ex solo amore alicuius extranei determinari potest quis ad credendum id cuius nullam rationem habet. Idem indicauit Ocham. in 2. d. 25.

Nō potest sine aliquo probabili motiuo.

Dicendum tamen est, non posse intellectum opinari quicquam, quod vel tum ex ipsis terminis præseferat aliquam probabilitatem, vel non alicui motiuo innitatur. Ita indicauit Aristot. 2. de Anima, tex. 153. Experientia. Vnusquisque enim in se experiri potest, si ei proponatur aliqua dubitatio de re, in qua neque ex ipsa connexione terminorum appareat probabilitas trahens ad assensum, neque offeratur illi aliqua ratio, vel motiuum inclinans in alterutram partem; vt in exemplo illo, an Astra sint paria, item an nunc Rex sedeat, & similia; nulli posse ex se elicere assensum: sed in mera dubitatione manere perplexum, quousque illi se offerat aliquod motiuum pro vna vel altera parte.

Nullumquè exemplum in contrarium afferre potuit Caiet. Determinat enim voluntas potentiam rationalem ad alterum contrariorum, & intellectum ad alteram partem contradictionis: tamen existente aliquo motiuo pro vna vel alia parte. Medicus autem non determinat ex sola voluntate intellectum, vt per artem iudicet, quidnam infirmo prosit, vel obsit: sed ex odio determinat potentiam exequutiuam, vt iubeat illud quod nouit esse nociuum. Ex amore verò alicuius extranei determinari potest quis ad credendum quod ille testatur, absque alia ratione præter ipsum testimonium. Sed hoc iam est credendi motiuum: ita vt sine vllo testimonio non posset quis determinari ad quicquam sua sponte credendum.

Quando possit quis liberè opinari pro vna, vel altera parte.

Ex his patet, illud quod antea dictum est, hominem esse liberum in eligendis opinionibus, sic esse intelligendum, quòd existentibus hinc inde probabilibus motiuis possit quis quam partem maluerit eligere. Alioqui si motiua probabilia tantùm adsint pro vna parte, & non pro alia: tunc erit quidem homo liber quoad exercitium acceptandi vel non acceptandi illam partem; non tamen poterit quoad specificationem positiuè acceptare partem oppositam. Sic patet in exercitio fidei humanæ. Si quis audiat vnum dicentem aliquid, & alium dicentem oppositum poterit se determinare ad credēdum vni vel alteri. Si tamen audiat vnum tantùm quidpiam dicentem, poterit quidem illi credere, aut non credere suspendendo assensum; non tamen poterit determinatè credere oppositum, vsque dum audiat aliquem alium dicentem oppositum.

An quando opinio est probabilis, etiā opposita sit probabilis.

Hinc etiam definiendum est, an quandocunque est probabilis vna pars contradictionis, debeat etiam dici probabilis altera pars. Aliqui affirmant. Aliqui negant, Sed distingui potest, dicendo: non oportere alteram partem esse etiam probabilem positiuè: quia fieri potest, quòd non adsit aliquod peculiare motiuū

pro

pro illa altera parte. Sed saltem esse quodammodo probabilem negatiuè, siue esse suspicabilem. Dum enim pars opposita non est certa, sed tantùm probabilis, & admittere potest formidinem de altera parte: iam non est certum alteram partem esse falsam; sed sub suspicionē cadit an sit vera: & sic dici potest probabile negatiuè quicquid non est certò & euidenter falsum.

Vnde proueniat tāta opinionum varietas apud homines. Ex his denique colligi etiam potest; vnde proueniat, vt diuersi homines in diuersas & contrarias opiniones inclinentur, & alij vnam, alij aliam magis approbent. Prouenire enim id potest ex pluribus capitibus. Primò, ex eo quòd vni afferuntur motiua vnius, alteri alterius partis. Secundò, ex eo quòd etiam si vtrique afferantur motiua vtriusque partis, plura vel efficaciora motiua pro hac vel illa parte afferantur. Tertiò, ex eo quod etiam si ipsa motiua in se paria sint, tamen efficacius, aut attentius considerantur motiua huius vel alterius partis. Quartò, ex anticipato voluntatis affectu, quo vnus vel alius inuenitur præuentus. Sic vnusquisque faciliùs & libentiùs credit amico, quàm extraneo; promptior est opinari ea quæ magis placeant. Et qui in philosophicis disciplinis certæ alicui sectæ se addixerint, ex affectu erga suum Auctorem ad eius opiniones mouentur. Quintò etiam diuersi ad diuersa mouentur ex varijs exercitationibus, aut habitibus antea comparatis: vnde fit, vt magis inclinentur ad eas opiniones, quæ sint magis conformes aut consimiles ijs, quæ animo præconceperint. Sextò, demum multùm quoque conferre potest naturalis ipsa complexio, & dispositio ingenij. Sicut enim ex natiua dispositione alij ad alios mores procliues sunt, alij ad alias exercitationes capessendas, alij ad alias facultates, scientias, aut artes addiscendas, & sic etiam magis apti, idoneique sunt ad vnum vel aliud exercitiū: ita ex natiua dispositione ingenij fieri potest, vt alijs alia magis minusuè probabilia videantur. Sic quibusdam opiniones nouæ magis placent, quibusdam magis difficiles & abstrusæ; & in rebus moralibus, quibusdam rigidiores, aliis laxiores; & sic in alijs rebus, aliis aliæ.

SECTIO TERTIA.
Quotuplex sit Opinio.

Opinio potest diuidi sicut scientia. In primis potest opinio diuidi ijsdem modis, quibus scientia diuisa est; videlicet in speculatiuam & practicam, subalternantem & subalternatam, imo ēt quia & propter quid vt ex Ar. sect. 1. notauimus. Et ex dictis de speciebus scientiæ facilè colligitur quicquid de distinctione similium specierum opinionis dicendum foret. Aliæ autem diuisiones & species propriè modò addendæ sunt.

Diuiditur in solertiam, & opinionem non solertem. Secundò, Aristot. 1. Poster. statim post opinionem addit solertiam: de eaq. agit cap. vlt. eamquè assignat, vel tanquam ab opinione distinctam, vel tanquā speciem opinionis. Explicat solertiam, quando statim & velociter quis ex aliquo signo viso infert aliud quod non videt. V. g. videns quis, semper eam Lunæ partem esse lucidam, quæ est conuersa Soli, conijcit Lunam illuminari à Sole. Videns quis pauperem accedere ad diuitem, statim cogitat velle petere pecuniam. Itaque opinio potest diuidi, in illam quæ statim ac velociter acquiritur, & in aliam quæ diuturniori consideratione & inquisitione comparatur. Illa dicitur solertia. Alia dicitur opinio condistincta à solertia. Hæc autem distinctio non est per se essentialis: nisi ex parte obiecti, aut aliundè oriatur distinctio essentialis.

Diuiditur etiam in suspicionem et opinionē pressè sūptam. Tertiò, Arist. 6. Ethic. cap. 3. distinguens habitus intellectuales, distinctè numerauit opinionem & existimationem, idest suspicionem. In communi etiam loquendi modo solet suspicio nominari quasi ab opinione distincta. Vtranque autem Aristot. ibi vna cōi ratione à scientia, alijsq. habitibus certis distinxit: quia suspicione & opinione fieri pōt vt mentiamur. quasi diceret, hoc genus cognitionis est incertum & fallibile. Aliàs verò vno opinionis nomine hoc genus cognitionis amplectitur. Ac etiam interdum nomē suspicionis amplè sumitur pro omni incerta cognitione. Sic Aug. tract. 90. in Ioan. distinguit suspicionē à iudicio, idest definita, firmaq. sentētia. & D. Tho. 3. par. q. 60. ar. 3. ex Cicerone ait, suspicionem esse opinionem. Attamen opinio communiter dicta in

tota sua amplitudine, diuidenda est in opinionem presse dictam, & suspicionem etiam presse dictam. Conimb. 1. Poster. cap. 27. vtrunque distinguunt, quod suspicio est quæ ex iudicio, vel coniectura aliqua ducitur; opinio presse sumpta est, quæ ex terminis aut ratione aliqua gignitur. Hic tamen modus distinguendi obscurus est. Posset autem sic explicari. Suspicio est, quæ ex signo aliquo à posteriori ducitur, opinio, quæ vel ratione aliqua à priori, vel ex sola apprehensione terminorum.

Opinio & suspicio explicantur. Alio modo iuxta communem loquendi morem possunt distingui penes magis & minus. Suspicio enim dicitur, quando habetur leuior existimatio de aliqua re: opinio, quando habetur vehementior persuasio & adhæsio. Dicimur enim suspicari illa, quæ leui aliquo motiuo, tenui aliqua assensus inclinatione putamus. Dicimur opinari, quæ validiori aliquo motiuo firmius quodammodo & propensiori quodam assensu nobis persuadetur.

Vel demum possunt sic distingui. Vt opinio sit, quandocunque absolutè putamus, potius esse hanc partem, quàm oppositam, potius rem esse, quàm non esse. Suspicio autem fit, quando cogitamus, rem forte ita esse; putamus tamen potius oppositum esse. Itaque opinio dicatur respectu illius partis, in quam intellectus magis propendet: suspicio respectu illius, in quam minus propendet. Vnde, cùm dictum sit, opinionem habere, vel habere posse ad mixtam formidinem de parte opposita, hæc formido vocetur suspicio. Et quò propensior ac vehementior est inclinatio & opinio in vnam partem, eò diminuatur suspicio de opposita. Et è contra, si magis accrescat hæc suspicio, attenuetur opinio de altera parte. Et si tandem res constituatur in tali statu, vt intellectus non magis propendeat in vnam, quàm in aliam partem: tunc non dicetur, nec opinio, nec suspicio; sed potius dubitatio, & suspensio omnis assensus.

Diuiditur etiam in fidem humanã, & opinionem presse sũptã. Quartò deinde sub opinione, vel cum opinione assignatur fides humana. Fides est assensus, quem aliquis præbet ob testimonium alterius asserentis rem ita esse. Duplex est autem fides. Diuina quæ innititur testimonio Dei; & humana quæ innititur testimonio hominis. Vel hæc magis amplè potest appellari fides naturalis & acquisita, vt complectatur omnem assensum, qui potest inniti testimonio cuiuscunque creaturæ intellectualis etiam Angeli: sed sufficit appellare fidem humanam, denominatione à nobis sumpta. Fides Diuina ex sua ratione essentiali, quamuis non sit euidens, est tamen certissima, & penitus infallibilis, incapax prorsus omnis formidinis de parte opposita. Itaque nullo modo sub hoc genere cognitionis, de quo modo agimus comprehenditur. Fides autem humana est ex suo genere incerta, & fallibilis.

Fides, & opinio explicãtur. Quocirca hoc genus cognitionis probabilis, quod modò distinguimus à scientia, & dicimus deficere à certitudine scientiæ, complectitur planè sub se fidem humanam. Distinguenda est ergo duplex species huius cognitionis probabilis. Vna est, quæ innititur testimonio alterius. Alia est, quæ innititur alicui rationi, desumptæ ex ipsa re, vel ipsimet propositioni & apprehensioni eiusdem rei. Quod totum vno nomine dici solet, quæ innititur motiuo intrinseco, sumendo intrinsecum solùm ad distinctionem testimonij alieni, quod ex opposito dicitur motiuum extrinsecum.

Nomen autem opinionis dupliciter vsurpatur. Vno modo amplè pro omni cognitione probabili. Sic opinio directè sub se complectitur fidem humanam. Et ita distinguitur in duplex genus dictum cognitionis probabilis. Hanc amplam acceptionem opinionis indicauit S. Thom. in 3. d. 23. in Exposit. lit. Durand. quæst. 1. Prolog. num. 19. Albert. 7. Ethic. tract. 1. cap. 2. & alij communiter approbant. Atque Aristot. ipse tàm hic, quàm 6. Ethic. in hac amplitudine opinionem accepit. Et expressè libro 4. Topic. loc. 67. ait fidem esse opinionem vehementem. Et inter loca, quæ ponit ad opiniones confirmandas per argumenta probabilia, ponit locum ab auctoritate. Sicut è contra interdum nomen fidei amplè sumitur pro omni opinione, seu existimatione: vt apud Aristot. primo Topicorum capite septimo, 1. Rethoric. cap. 2. Et alibi.

Alio modo sumitur nomen opinionis magis

magis pressè ad distinctionem fidei humanæ, ad designandum præcisè illud genus cognitionis probabilis, quod innititur motiuo intrinseco. Sic sumitur, quādocunque distinctè tanquam duo cognitionis probabilis genera nominātur opinio & fides humana.

Quō explicauerit August. Aliter verò opinionem & fidem, opinari & credere, distinxit August. lib. de Mendac. ad Consent. cap. 2. & lib. de Vtilit. credendi cap. 11. dicens, omnem qui opinatur credere; sed hoc differre inter opinari & credere, quòd qui opinatur putat se scire quod reuera non scit; credit autem etiam, ille qui sentit se non scire, idest non clara & euidenti ratione percipere quæ credit. Sed, vt patet, August. non sumpsit opinionem in ea significatione, qua nos nunc sumimus, sed potius pro fallaci illa & temeraria persuasione. Sic etiam dixit in Enchirid. cap 9. de Philosophis: *Quædam humana coniectura inuestigantes, quædam verò hystorica experientia perscrutantes, in iis quæ inuenisse gloriantur, plura opinantes potius, quā scientes.* Sumpta autem opinio in significatione recepta & vsitata, vel condistinguitur à fide, vel sub se complectitur ipsam fidem humanam, & opinionem condistinctam à fide, eo modo, quo diximus.

Diuiditur opinio in verā, & falsā. Quintò. Opinio, alia est vera, alia falsa. Non enim opinio est sicut scientia, quæ necessariò erat vera. Imo, vt adæquata sit diuisio in scientiam & opinionē, nomine opinionis includitur quicunque assensus falsus, etiam quando quis putat se habere scientiam, reuera errans. Nec est inconueniens, eandem opinionē esse probabilem & falsam. Nam falsitas dicit disconformitatem cum re aliter se habente à parte rei: probabilitas dicit motiuum taliter opinandi. Sæpè autem ea quæ in re sunt falsa, habent sua probabilia motiua inducentia ad falsam opinionem. Et quandocunque de aliqua quæstione extāt opiniones oppositæ, omnesquè probabiles; vtique vna illarum est vera, alia falsa. Notauit autem Arist. lib. 6. Ethic. cap. 9. veritatem esse opinionis rectitudinem. Itaque ad directionem nostri discursus pertinet, vt in omnibus rebus veras opiniones conemur assequi. Vtrum verò eadem opinio possit mutari de vera in falsam, aut è contra, quando est circa obiectum contingens; & an etiam opinio de contingentibus futuris sit determinatè vera aut falsa; satis tractauimus quæst. 24.

Sextò rursus, alia est opinio reuera probabilis, alia apparenter tantùm, idest apparens probabilis, cùm non ita sit, sed sit apertè falsa. Et iuxta hoc distinguitur syllogismus dialecticus & sophisticus. Ideò hanc differentiam magis explicabimus infra sect. 6.

Demum aliæ quoque diuisiones opinionis modi, & varijs modis plures species distingui possent, ex distinctione obiectorum, aut mediorum, alioquè capite. Sed non sunt plura necessaria, & ex dictis de scientia perspicuè colliguntur. *Diuiditur modus opinā di subiectiuè, & obiectiuè.* Ex parte autem subiecti, scilicet intellectus, distinguendum est. Dupliciter posse intellectum habere opinionem: vno modo subiectiuè; alio modo obiectiuè. Primo modo habet, quando intellectus verè in se elicit assensum probabilem deficientem à certitudine scientiæ. Secundo modo habet, quando veluti cum quadam reflexione cognoscit, tale obiectum est opinabile, talis propositio est probabilis. Quod iudicium intellectus potest esse certum sine omni formidine, & formaliter euidens. Vnde non est formāliter opinio, sed se habet ad modum sciētiæ; non est formaliter probabilis & incertus, sed habet pro obiecto probabilitatem rei. Sicut & Theologi distinguunt, alium esse actum credendi, & aliud iudiciū de credibilitate obiecti: actus credendi est obscurus & ineuidens: iudicium credibilitatis potest esse clarum & euidens. Primus modus habendi opinionem non conuenit, nisi intellectui imperfectè cognoscenti. Secundus modus non dicit imperfectionem, quando non excludit simul certam notitiam rei in se. Sic Deus ipse intuetur quidem res sicuti sunt: & simul videt qui gradus probabilitatis & credibilitatis sit in rebus, vt possint mouere intellectum nostrum ad aliquem assensum. Et hoc modo in intellectu nostro possunt esse opiniones contrariæ: quando nempè perspicimus, vtranque ex duabus opinionibus oppositis esse in suo gradu probabilem.

SECTIO QVARTA.

Vtrum opinio possit haberi simul cum scientia de eodem obiecto.

Attingit hanc quæst. ipse Arist. 1. Post. cap 26, solent etiam tractare Theologi ob aliam affinem difficultatem, si fides diuina & scientia possint esse simul. Difficultas autem procedit de eodem obiecto, non solum incomplexo quod est subiectum cõclusionis: sed cõplexo idest de eadem tota conclusione. Alioqui facillimè constat, non solùm de diuersis rebus, sed circa eandem rem dari posse, scientiam de vno prædicato, opinionem aut etiam totalem ignorantiam de alio. Item procedit difficultas tum de actibus opinionis & scientiæ, tum etiam de habitibus, supposito quòd ex actibus habitus generentur.

Prima sententia. Prima sententia est, quæ prorsus negat opinionem posse haberi simul cum scientia, siue per modũ actus, siue per modum habitus. Ita Caietan. 1. Posteriorum cap. 26. §. circa hanc partem, Sot. quæst. 8. artic. 2. Concl. 3. Tolet. Louanienses & quidam alij eodem cap. Item Scot. in 3. dist. 24. quæst. vnica. Caprelo. d. 25. q. 1. cõcl. 2. & ad argum. contra eandem. Durand. q. 1. Prologi & quidã alij Theologi, dũ tractant an fides possit esse simul cum sciẽtia Et hæc videtur aperta sententia Arist. eo cap. Imò etiam in diuersis intellectibus negare videtur dari posse in vno sciẽtiam, in alio opinionẽ de eadem re: nisi sicut dicebamus de vno subiecto posse sciri vnum prædicatum, & aliud opinatiuè cognosci. Quoniã, cum dicat opinionẽ esse de obiecto contingenti, scientiam de obiecto necessario: non aliter poterit dari in vno scientia, in alio opinio, nisi quod vnus putet rem esse necessariam, alius contingentem.

Secunda sententia. Secũda opposita sentẽtia est, quæ affirmat, tàm quoad actus, quàm quoad habitus, posse simul ab eodem intellectu haberi opinionem cum scientia de eadem conclusione. Ita significant Alens. 3. par. q 79. memb. 3. Antisiod. l. 3. tract. 3. q. 4. & 5. Bonau. in 3. d. 24. art. 2. q. 3. Albert. Bass. & alij eadem dist. Palud. d. 31. q. 2. art. 1. Argent. in Prologo q. 3. art. 2. Mars. art. 3. & alij item in Prologo. Villalpand. etiã & quidam alij hic 1. Post. cap. 26. Hortad. disp. 10. de Anima sect. 5. Et hæc videtur aperta sententia S. Thom. 1. 2. q. 67. art. 3. & 3. par. q. 9. ar. 3. ad 2. licèt alioqui neget fidem posse esse simul cum scientia. Idem asserit iisdem locis Caiet. Dicit tamen adueniente scientia remanere quidem cognitionem dialecticam ex medio probabili, sed tamen sub nomine opinionis, quia remanet sine formidine.

Tertia sententia. Tertia media sententia est, quæ negat actus, concedit habitus posse esse simul. Ita Fonsec. 6. Met. cap. 1. q. 1. sect. 5. Conimb. 1. Post. c. 27. q. 2. Runius, Didacus à Iesu, Vallius, & plures alii cap. 26. multi etiã Theologi ita sentiunt de fide & scientia. Intelligit autem hæc sententia, non solum vnum habitum posse esse simul cum alio, sed etiam actum vnius habitus cum alio habitu.

Quarta sententia. Quarta sententia addenda est, quæ licet neget distinctos actus opinionis & scientiæ posse esse simul: concedit tamen posse elici vnum simplicẽ actum ex pluribus medijs, alio demõstratiuo, alio probabili. Ita Durand. q. cit. à num. 29 Fonseca loc. cit Sotus, Conimbr. & Tolet. expressè etiam Caiet. loc. cit. 1. Post. Durand. verò admittit, eundem actum sic dici posse scientiæ & opinionis. Hoc Fons. negat, & vult non esse dicendum nisi actum scientiæ.

Nõ potest actus opinionis haberi simul cum actu scientia. Dico primò. Non potest actus opinionis formaliter haberi simul cũ actu scientiæ de eadem propositione in eodem intellectu. Hanc assertionem probauit 1. Durand. num. 25. quia non possunt plures actus coexistere simul in nostro intellectu. Sed hæc ratio est nimis generalis. Nam pariter, nec etiã circa diuersas propositiones, nec ẽt duo actus scientiæ, aut duo actus opinionis, possent esse simul, & ideò Durãd. non perstitit in illa ratione. Sed admisso, quod absolutè possint plures actus esse simul: probandum est ex speciali ratione scientiæ, & opinionis circa idem obiectum non posse esse simul.

Probatur de opinione, dicente contingentiam obiecti. Secundò ex Arist. probatur concl. si sumatur opinio quæ dicit contingentiã ex parte obiecti. Opinio est circa obiectum quod potest aliter se habere, scientia

circa

circa obiectum, quod non potest aliter se habere. At neq. in re fieri põt, vt idẽ obiectum possit & non possit aliter se habere. Neq. in mente & existimatione fieri põt, vt idem intellectus simul vtrunq. putet: esset enim affirmare simul duo contradictoria. Ergo nõ potest opinio sic sumpta esse simul cum sciẽtia de eodem obiecto. Et in hoc sensu accipiendum etiam est dictum Ar. nec in diuersis hominibus posse esse opinionẽ & scientiã de eadẽ re, nisi penes diuersa prædicata: quia videlicet vnus affirmat rẽ esse contingentem, alius necessariam. Sic etiã ipse dixit, scientiã & opinionem non posse esse de eodẽ obiecto, nisi sicut possunt esse cognitio vera & falsa. Nam opinio illa putans eam rem esse contingentem, falsa esset.

Probatur de opinione dicẽte formidinẽ partis oppositæ.

Tertiò deinde. Sumẽdo opinionẽ prout dicit formidinẽ actualem ex parte actus, patet manifestè non posse esse simul cum scientia in eodẽ intellectu. Nã per scientiã, intellectus est oĩno certus, et cuidẽter inspicit rẽ ita esse: ergo nõ põt simul formidare, ne fortè non ita sit. Nec iuuat dicere id fieri posse per diuersum mediũ. Nã stante illa certitudine & euidentia, nullo medio fieri poterit, vt admittatur formido in oppositũ. Benè tamẽ in diuersis hominibus poterunt sic esse scientia & opinio de eodẽ prorsus obiecto: quia põt fieri, vt vnus non assequatur tantã certitudinem & euidentiam quantã alius per medium scientificum.

Probatur absolutè de opinione dicente assensũ probabilẽ.

Quartò, sumendo absolutè opinionem pro assensu probabili, aliqui adhuc probãt non posse esse simul cum sciẽtia, quia opinio est cognitio ex genere suo incerta & ineuidens est capax formidinis: ergo semper repugnat cũ cognitione certa & euidenti & incapaci formidinis, sicut ferè repugnãt negatio & forma. Verũ hæc res non est accipienda cũ tanto rigore: quasi ẽt oĩno implicaret contradictionẽ, opinionẽ existere cũ scientia. Et saltẽ de potentia Dei possent hi duo actus consistere simul. Nam opinio dicitur sm̃ se incerta & ineuidens, idest nõ habens illã certitudinẽ & euidentiã, quæ est de ratione scientiæ. Vnde non repugnabit dari simul aliã notitiã certã & euidentẽ. Itẽ opinio est ex parte sua capax formidinis: vnde non repugnabit dari simul aliã notitiam, quæ impediat omnem formidinem.

Quintò ergo probanda est concl. Quia dum intellectus per actũ scientiæ, tã certò & euidenter cognoscit rei veritatẽ, nõ videtur simul moueri posse ad alium actũ debilem, & ex conditione sua non firmũ & certum, sed tantùm probabilem: & dum trahitur eo motiuo tã valido & efficaci, quo determinatur prorsus ad actum non videtur simul impelli posse alio motiuo debili & infirmo. Quod põt experiẽtia confirmari: dũ enim oculis cernimus aliquam rem, itemq. dum mente contemplamur veritatẽ alicuius principij per se noti, vt oẽ totũ est maius sua parte: nullã vim apud nos habet, & nihil præterea operatur, aliqua probabilis ratio, vel aliquod alterius testimonium, ad habẽdum actum opinionis de eadem re.

Põt actu cognosci probabilitas medij opinatiui simul cũ actu sciẽtiæ.

Benè tñ fieri põt, vt simul cognoscamus quænã & quãta probabilitas sit in tali ratione, credibilitas in tali testimonio. Hoc ipsũ enim cognoscimus euidenter, & hoc est formaliter aliud obiectũ ab illo quod cõsideratur in cognitione illa directa rei in se. Hoc aũt est habere opinionem, seu probabilitatem in mente obiectiuè eo mõ quo sect. præced. dicebamus. Et hæc cognitio põt optimè stare simul cũ scientia rei. Et hoc fortasse voluit S.Tho. loc. allegatis pro 2. senten. nisi dicatur tñ quoad habitũ opinionis fuisse loquutus. Imo eo loc. 3. par. sic rem declarauit: *Quia is qui cognoscit causam, ex hoc magis potest cognoscere signa probabilia, &c.*

Nõ potest idẽ actus elici ex medio opinatiuo et sciẽtifico.

Dico 2. Nec ẽt potest vnus & idẽ actus elici ab intellectu in virtute medij probabilis simul cum medio scientifico, & euidenti. Hæc conclusio sequitur ex præcedenti, præsertim ex ratione, qua illam probauimus. Ea enim ratio probat, stante euidẽtia rei, vel per se, vel per mediũ demonstratiuum, non posse simul motiuum probabile quicquã mouere intellectũ, vel ad distinctum, vel ad eundem actum. Et experientia hanc etiam partem ostendit. Qui enim aspicit lucem in aere, qui contemplatur omne totum est maius sua parte, nihil prorsus mouetur ex testimonio alicuius idem asserentis, aliouẽ simili motiuo probabili: sed ita elicit assensũ certũ firmum & euidẽtem de re proposita, ac si nullum aliud motiuum cogitaret. Nec sanè media probabilia possũt corroborare magis ipsam scientiam, vt aliqui dicunt

quasi faciant vt firmior & certior euadat per consortium probabilium mediorum. Nam si ex suo medio erat verè scientia, erat tàm firma & certa, vt non possit maiorem soliditatem ex quocunque probabili motiuo desumere. Nec benè ait Fons. habitum opinionis, & si non inclinet ad certitudinem aut euidentiã, inclinare tamen assensum vt assensus ipse sciētię procliuius habeatur. Nam proposito & benè percepto medio demonstratiuo cum euidentia rei, adeò procliuis, imo determinatus est intellectus ad assensum: vt non appareat quomodo possit simul per habitum opinionis & medium probabile tantò debilius, procliuius inclinari.

Nisi quis non benè percipiat vim medij demõstratiui.

Benè tñ fieri põt, & sæpè ita cõtingit, vt aliquis non tã benè percipiat vim medij demonstratiui, nec assequatur oĩmodã euidētiã rei, quã perfecta sciētia requirit, vt ind cauit Ar. 2. Met tex. 15. & sect. 18. Probl. q 3. Et tunc apud talem intellectum nõ parum valebunt alia media probabilia, siue ex auctoritate sapientum, siue ex alijs rationibus, quæ aggregari possunt. Patemur enim ad eundem assensum intellectus posse simul concurrere plura media cõsimilia. Possunt etiam iuuare media probabilia per modũ dispositionis, vt melius tandem percipiatur vis medij demonstratiui. Ac demum etiam quando habetur scientia conclusionis, non inutile est scire etiam quænam media prob bilia, quanta sapientum auctoritas, eidem veritati consonent. Et ideò non immeritò obseruatum videmus, vt frequenter ad eandem conclusionē comprobandã plura media tum ex auctoritatibus, tum ex rationibus congerantur.

Potest tã actus, quàm habitus opinionis dari simul cum habitu sciētia.

Dico tertiò. Potest habitus opinionis inueniri simul cum habitu scientiæ; itemquè actus opinionis cum habitu scientiæ, & habitus opinionis cum actu scientiæ de eadem conclusione. Probatur facilè primò, quia multò faciliùs possunt simul inueniri diuersi habitus, aut actus cum habitibus, quàm ipsi actus inter se. Habitus enim accedit magis ad rationem potentiæ. Potest autem simul extare potentia ad contrarios actus; item vnus actus cum potentia ad oppositum; Vnde etiam habitus directè contrarij possunt existere simul saltem in gradibus remissis, & sic vnus actus cum alio habitu contrario, vt nunc supponimus. Multò autem facilius poterunt extare simul, quando non sunt directè contrarij.

Secundò itaque. Si sumatur opinio in eo sensu ex parte obiecti, qua iudicatur obiectum posse aliter se habere: sic sanè habitus scientiæ & opinionis sunt directè contrarij, nec poterunt esse simul nisi ad instar aliorum habituum contrariorum. Si autem sumatur opinio ex parte subiecti pro cognitione probabili eiusdem veritatis. Sic absolutè poterit consistere perfectus habitus opinionis, cum actu & habitu scientiæ, ac similiter actus opinionis cum habitu scientiæ. Neque circa habitus militat illa ratio quæ circa ipsos actus inter se.

Tertiò, declaratur magis quõ possit facilè contingere huiusmodi coniunctio. Potest quis prius habere habitũ opinionis, postea assequi medium demonstratiuum eiusdem conclusionis, tunc eliciendo actum & acquirendo habitum scientiæ, vtique non statim in se destruit habitum illum opinionis, quo per media probabilia eandem veram conclusionem nouerat. Si verò quis prius & ab initio supponatur habere habitum scientiæ: tunc sanè poterunt adhuc illi occurrere alia media probabilia eiusdem conclusionis. Sed tamen si incidente tali cogitatione, statim ex vi illius habitus scientifici perspiciat euidenter obiectum: tunc non simul eliciet actum probabilem. Tamen fieri poterit, vt non semper & statim illi subeat recordatio medij demonstratiui: & tunc benè poterit elicere actum probabilem opinionis, & consequenter acquirere habitum. Hoc explicauit Fonseca dicendo, posse dari in intellectu simul actum opinionis cum habitu scientiæ existente per modum potentiæ, idest non prodeunte in actum secundum: non tamen cum habitu existente per modum habitus, idest cum prompta & expedita recordatione medij demonstratiui.

Vel si prius supponatur, vel si postea adueniat.

Cæterùm huic conclusioni non repugnat Aristot. dum negabat posse dari simul opinionem cum scientia. Debet enim iuxta alias conclusiones intelligi. Et similiter si quæ alia argumenta pro sententijs initio relatis possent afferri, debent iuxta distinctas conclusiones positas dissolui, aut etiam possunt ad illas confirman-

firmandas acceptari. Plura autem de re consimili addenda erunt secunda secundæ in materia de fide, vbi videbimus quatenus fides & scientia possint esse simul: & cohærenter discurrendo, hæc tota doctrina abundantius confirmata manebit.

SECTIO QVINTA.

De Syllogismo opinatiuo.

Syllogismus opinatiuus, dicitur dialecticus.

SYllogismum opinatiuum dicimus quo per discursum gignitur opinio. Arist. 1. Topic. cap. 1. Dialecticum appellat. Vnde & hæc pars Logicæ, quæ libris Topicis continetur, specialiter Dialectica appellatur. Alia autem ampliori significatione hoc nomen est toti Logicæ cōmune. Sed appropriatur huic parti, quia in rebus maximè incertis, & opinabilibus, copiosè possumus disputare, & in vtranque partem differere: vt ab initio Logicæ prænotauimus. Vnde dialecticus syllogismus dicitur, quasi differtiuus & disputatiuus.

Syllogismus dialecticus definitur.

Dialecticum syllogismum definit Arist. *Est qui ex probabilibus colligitur*. Clariùs dici potest, qui ex antecedenti probabili infert conclusionem probabilem. Intendit autem per hanc definitionem Aristot. distinguere syllogismum dialecticū non solùm à demonstratione, quæ procedit ex præmissis certis & euidentibus: sed etiam à syllogismo sophistico & apparenti, qui vel deficit in forma, vel procedit ex ijs quæ videntur & apparent probabilia, reuera autem non sunt probabilia. Sed de distinctione syllogismi opinatiui à demonstratiuo, satis iam patet ex dictis modò de opinione, suppositis alijs quæ dicta erant de scientia, & demonstratione. De distinctione autem à syllogismo sophistico agemus sectione sequenti.

Construitur ex problemate, propositione & prædicato dialectico.

Deinde ad constructionem syllogismi dialectici Arist. c. 3. assignat problema, propositionem, & prædicatum. Problema dialecticum est quæstio & interrogatio de vtraque parte contradictionis: vt V. cælum sit incorruptibile, an non: V. animal gressibile bipes sit definitio hominis an non. Et similiter si fiat interrogatio de vtraq. parte contrarietatis: vt V. aer sit ex natura sua calidus, an frigidus. Propositio dialectica in hac assignatione nō sumitur sicut aliàs sumi solet pro enunciatione, aut pro præmissa syllogismi. Sed propositio est quæstio, seu interrogatio de vna tantùm parte problematis, vt an cælum sit incorruptibile, & sic in alijs exemplis. Itaque propositio non est aliud quam vna pars problematis; & non aliter ab illo differt, nisi sicut pars à toto. Itē 1. Prior. c. 1. Arist. designauit propositionē dialecticam, & à demonstratiua distinxit: non tamen ibi distinxit problema & propositionē. Prædicatū dialecticū est illud, quod quæritur & interrogatur de subiecto in ipsa quæst.: vt incorruptibile, est prædicatū in illa quæst., an cælū sit incorruptibile, & sic de aliis. Hinc docet Arist. totidem esse genera problematū propositionum & prædicatorum. Patet autē hæc non assignari tanquam partes intrinsecas syllogismi, sed potius antecedēter ad syllogismū: vt ad resoluendum ipsum problema, in quo propositio, & prædicatum per modum quæsiti, includitur, conemur argumenta inuenire, & syllogismos conficere.

Quatuor sunt dialectica problemata, & prædicata.

Pergit deinde explicare quotnam hæc genera sint, quot sint dialectica prædicata. Et docet esse quatuor, Terminū, id est, Definitionē, Genus, Propriū, & Accidens. Definitionē explicat orationē significantē essentiam, & quidditatem rei. Similiter alia tria explicat eo modo, quo iam in Tract. Prædic. cum Porph. explicauimus. Ex hoc enim præcipuè Arist. loco, Porph. definitionē illorum prædicabiliū recepit.

Prior explicatio quorundam.

Aliqui verò explicant, ita debere intelligi hæc quatuor prædicata, & problemata ex ijs constructa; vt expressè quæratur modus prædicati, tunc sit problema generis, quādo expressè quæritur, an hoc prædicatum sit genus illius subiecti, an animal sit genus hominis. Similiter an animal rōnale sit definitio hōis, an risibile sit propriū hōis. Sed quia possumus etiā absolutè quærere prædicatum sine modo: an homo sit animal, &c. dicūt hæc omnia esse problemata accidētis: hoc enim prędicatū esse dicunt, tum quando expressè quæritur, an hoc sit accidens illius subiecti: tum quandocunq. absolutè quæritur sine modo, an hoc prædicatū conueniat

ſubiecto, ita ſenſit Ruuius in Topicis numer.8. & 9. Fonſeca autem lib. 7. inſtit. cap.8.propter hoc diſtinguit duplicem acceptionem accidentis. Colligitur hoc totum ex ipſo Ariſt.7.topic.cap.1.loc.37 & 38. ait enim *in alijs quidem non ſolùm ineſſe, ſed & quantum ſic ineſt, oſtendendum: in accidente verò quantum ineſt duntaxat, ſufficit oſtendere.* ex quo probat facilius eſſe cõſtituere & probare accidẽs, quàm alia prædicata: & infert difficilius eſſe deſtruere accidens quàm alia prædicata. quia de accidente oportet probare, quod nõ ineſt:de alio autem ſatis eſt probare, vel quod non inſunt, vel quòd non tali modo inſunt.

Refellitur

Hic tamen dicendi modus, & hæc ipſa doctrina Ar.difficilis eſt. Petendum eſt enim quando inter quatuor prędicata vnum ponitur ipſum accidens: quomodo intelligatur accidẽs? Ariſt.quidẽ ipſe definiuit & explicauit, *quod non eſt definitio, aut genus, aut propriũ.* Item *quod contingit eidẽ ineſſe & non ineſſe.* Quando ergo poſtea dicuntur omnia prædicata quæ quæruntur ſine modo, ſpectare ad prædicatũ & problema accidentis: non poteſt ſumi accidẽs illo modo definitũ & explicatũ. Nam animal,animal rõnale,& ſic de ſimilibus,nõ contingit eidem ineſſe & nõ ineſſe: non eſt neque genus neq; definitio. Imo ſi ſumatur accidẽs illo modo:vt probetur aliquod eſſe accidens rei,ita debet probari,non eſſe genus &c poſſe ineſſe & non ineſſe eidẽ: ſicut vt probetur animal eſſe genus,debet probari,prędicari eſſentialiter in quid,& ſic de alijs. itaq; tã de accidenti,quàm de alijs prædicatis, põt & debet probari, non ſolum quod inſit, ſed etiam quòd tali modo inſit.& pariter poterit deſtrui prædicatũ accidentis,non ſolùm probando quòd non inſit, ſed etiã probãdo quòd non inſit tali modo,probãdo quod tale prædicatum ſit genus &c. quod non contingat abeſſe in ſubiecto.

Vel ergo quãdo dicũtur illa prędicata abſolutè quæſita, ſpectare ad problema accidentis, ſumitur accidens alio modo ab illo quo fuerat antea explicatũ.Et tũc iam nõ erunt illa ſolùm quatuor prędicata:ſed addetur aliud genus,licèt æquiuocè appelletur eodẽ nomine accidẽtis ſub alia ſignificatione. Deinde oportebat aſſignare hanc aliam acceptionem & ſignificationem accidentis. Et dici debebit, accidens in hac alia ſignificatione eſſe quodcunque prædicatum, quod dicitur de re ſine modo. At hic modus loquendi erit alieniſſimus tùm à cõmuni & conſueto aliorum omnium,tum ipſius Ar. in oĩbus alijs locis loquẽdi more.ſic.n.dicere oportebit has prædicationes,homo eſt animal, eſt animal rationale,& ſubſtãtia, eſſe prædicationes accidentis, & in forma problematis & interrogationis eſſe quæſtiones accidentis. quod eſt prorſus abſurdum.

Altera explicatio aliorum.

Aliqui ècontra explicant, tunc exerceri ſingula illa prædicata & problemata, quando abſolutè prædicatum quæritur de ſubiecto. Si quæritur an homo ſit animal eſſe problema generis: ſi an ſit animal rationale, eſſe definitionis: & ſic de omnibus rebus. quando autem quæritur modus prædicati: potius eſſe problema accidentis, quia quòd animal ſit genus, eſt illi accidens,ſimiliter quod animal rationale ſit definitio; hæ enim ſunt denominationes rationis & ſecundæ intentiones.

Etiam refellitur.

Verùm hoc,licèt de re ipſa dici & ſaluari poſſit: quia reuera dum quæritur nũ animal ſit genus hóminis,animal eſt ſubiectum,genus eſt prædicatum. & quodcunque prædicatum affirmatur de re ſi nõ eſt illi eſſentiale, eſt accidentale: tamen hic dicendi modus planè eſt à mente Ariſt. alienus. Patet tum ex verbis illis 7. topic. tum quia expreſsè lib. 1. cap. 3. volens diſtinguere problemata per prædicata vt diſtincta exẽpla affert, num animal greſſibile bipes,ſit definitio hominis, & num animal ſit genus hominis: vtiq; ſupponẽs, vnũ ex his eſſe problema definitionis aliud generis. Tum deinceps in progreſſu operis, dum loca argumentorum aſſignat ad varia prædicata antea diſtincta docet quomodo diſcernendum ſit, an prædicatum ſit genus ſubiecti, an ſit definitio, &c.

Vera explicatio.

Dicendum ergo eſt illa prædicata & problemata ſic eſſe intelligenda, vt de ijs ſingulis quæri poſſit, tum an abſolutè conueniant ſubiecto, tum etiam quonã modo conueniant:an homo ſit animal, & num animal ſit genus hominis: & tunc quidem completè quæri & exactè diſputari, cùm non ſolum quæritur an prædi-

dicatum insit subiecto, sed & modus quo insit. Atque adeo quando tantum quæritur an prædicatum insit subiecto, tunc disputationem manere ex parte suspensam, donec vlterius quæratur, quomodo insit, an sit genus, vel an sit definitio, vel an sit proprium, & sic etiam an sit accidens. Tum enim de hoc prędicato quàm de alijs quærendus est modus. Et ita certò loca argumentorum, quæ in hoc opere assignantur, deseruiunt tum ad inquirendum, an prædicata conueniant rebus, tum ad inquirēdum modum quo conueniant.

Eo autem loco 7. topic. dici debet, Ar. loquutus, veluti per diminutionem: quia scilicet infimus modus essendi prædicati in subiecto, est modus accidentis: quandocunque probatum fuerit prædicatum inesse subiecto, probatū manet ad minus inesse tanquam accidens, & non oportet probare non esse aliquid minus accidente: de alijs autem prædicatis oportet aliquid plus & maius probare, cum solùm probatum fuerit, inesse subiecto, non per hoc probatum remanet, non esse aliquid minus, definitione genere, aut proprio. Sic facilius est construere accidens, idest prædicatum, saltem esse accidens, siue non esse quid minus accidente. Et difficilius est destruere accidēs, idest probare esse minus accidēte, quia oportet probare prorsus non conuenire subiecto.

Quò ea diuisio sit sufficiens & adæquata. Maior difficultas est de sufficientia illius diuisionis. Præsertim quia saltem tot debent esse prædicata, quot sunt prædicabilia, quæ sunt quinque. Imo cum hic addatur definitio, quæ non erat distinctū prædicabile à cæteris, effici debent sex prædicata, addendo per differentiā & speciem. Et certè sicut dialectica differit de genere & definitione rerū: ita & de differentia ac specie, debetq. suppeditare argumentorum loca ad de his omnibus disserendum.

Quorūdā explicatio Respondent aliqui, non debuisse hæc duo prædicata addi: quia species infima proximè prędicatur de indiuiduis: de indiuiduis autē non datur scientia: neq; de ijs fieri debent dialecticæ disputationes, sed tantum de subiectis cōmunibus. Differentia autē prędicatur in quale: sed qū quærimus essentiam rei, debemus quęrere ea quę prædicantur in quid; quærimus .n. quid sit res. Et ideo Ar. lib. 1. cap. 4 notauit, se assignasse genus prædicatum essentiale, quia per genus respondendum est ad interrogationem quid est.

Refellitur Hęc tamen responsio nō satisfacit, quia esto de indiuiduis non detur sciētia in eo rigore dicta, quę per demonstrationē gignitur, de qua egit Ar. in lib. Posterior. tū sine dubio debet concedi opinio, & pōt de ijs dialecticè disputari. Atq; possunt de indiuiduis prędicata accidētalia quæri & inueniri: ergo non minus prędicata essentialia, atq; adeò species potest de indiuiduis inquiri. Item quando interrogatur de essentia rei, non tantum quęritur illud prędicatum, quod dicitur in quid per modum termini substantiui: sed omne prędicatum essentiale.

Dicendū ergo est etiā differētiā & speciē debere inter prędicata dialectica includi: Et ideo vt diuisio illa quatuor prædicatorū sit sufficiens & adęquata debent definitio & genus ità amplè explicari, vt etiam differentiā & speciē complectatur. Et quidem Ar. ipse cap. 3. notauit, differentiam, cùm sit generis, esse cum genere ordinandā. Et c. 7. rursus simul cum gñe differentiā coniungit. Deinde li. 4. vbi tradit loca ad inquirendum genus rerum, tradit etiam ad inquirendam speciem.

Vera rō sufficiētię assignatur Itaque diuisio sic adęquatè explicanda est. Prędicatum vel est essentiale subiecto, vel est extra essentiam. Essentiale vel est proprium & conuertibile: & huiusmodi est definitio & pariter differētia specifica & vltima rei. Vel est magis amplum & cōmune: & huiusmodi est genus, ac pariter differentia non vltima & generalis, atq; etiā species respectu singularīū. Similiter prędicatū extra essentiā, vel est propriū & peculiare subiecto: & hoc absolutè dicitur propriū. Vel est commune: & hoc absolutè dicitur accidēs. Siue prius diuidatur prędicatū, in propriū & cōmune. Deinde vtrunq; subdiuidatur, in essentiale & extra essentiam. Hoc modo diuidit & explicat ipse Arist. cap. 7. sic planè efficitur diuisio adæquata. Designauit autem Aristot. pro prædicato essentiali commune ipsum genus; quia differentia generalis, quantum ad inuentionem & disputationem dialecticam eodē modo se habet cum genere; & ex ijsdē locis sua arg. sortitur. Et in hoc supponere

videtur Arist. differentias rerum esse generales & magis amplas; de qua re egimus suo loco de vniuersalibus. Si autem adducatur differētia specialis & propria, reducetur optimè ad definitionem, quia se habet vt definitio, indicans totam essentiam rei. Quia demum frequentiùs & vtilius disputatur de speciebus siue subiectis cōmunibus, inquirendo prædicata generalia, quàm de indiuiduis inquirēdo prædicata specifica; ideò non curauit distinctè in prima assignatione præter genus speciē nominare, sed reliquit ad ipsum genus speciem reducendam. Demum sub genere debēt etiam hic intelligi prædicata transcendentia, & quæcunque sunt essentialia rebus, tanquam gradus communis: etiam si alioqui dicantur analoga.

Ex probleme fit conclusio syllogismi

Cęterùm in problemate dialectico includuntur duo extrema, ex quibus debet confici syllogismus, & inibi cōtinetur per modum interrogationis conclusio, quæ inferenda est per modum enunciationis. Itaq. resolutio problematis vel affirmatiua, vel negatiua debet esse conclusio syllogismi. Vt si problema erat, an cælū sit incorruptibile, vel non: conclusio, erit cælum est incorruptibile, aut cælum non est incorruptibile.

Ex medio fiunt præmissæ & infertur cōclusio.

Superest modò assignare mediū, quod præcipuè quærendum est, ex quo simul cū illis extremis conficiantur præmissæ syllogismi, vt ex ijs præmissis conclusio inferatur. Ad inquirendū ergo & inueniendū medium, assignantur ea, quæ dicuntur loca, & sunt quasi sedes quædā & promptuaria, ex quibus argumenta sumantur; soletq. ipsum mediū vocari argumentum. In his etiā locis reponuntur quædam quæ dicuntur maximæ, deseruientes ad confirmandum intentum, & sunt quædā principia generalia vera & nota. Videlicet si vtamur pro media definitione aliqua, aut genere, aliouè prædicato essentiali: deseruiunt hæc principia: quicquid conuenit definitioni, aut generi, aut cuiuis prædicato essentiali, conuenit definito, aut speciebus, aut cuiuis subiecto participanti tale prædicatū: è contra quod nō conuenit definitioni, non conuenit definito: & alia huiusmodi.

Loca, ex quibus media de

Hæc loca dialectica solent magnum in numerum multiplicari. Et varijs modis solent distingui & ordinari, Aliquò plura, alii pauciora designant. Agit de his latissimè Arist. in his libris Topicis, & prolixè etiam aliqui Interpretes, præcipuè Alexan. & Auerr. Cicero etiā in sua Topica, ferè tamen tota ex Arist. deprōpta, vt ipse in principio fatetur, & Boet. in suis comm. in ead. Top. Aliqua etiam recentiores præcipuè Fons. lib. 7. Instit. Dialect. Tolet. lib 5 Introduct. Rodulphus Agricola libris tribus de Inuen. dialect. Ludou. Carb. lib. 5. de Oratoria & Dialect. Inuen. & præsertim Rectores solent hanc tractationem latè prosequi ad præbendam copiam dicendi.

promuntur.

Sed necesse non est in hac re prolixius immorari. Nam ferè quæcunque hìc congeri possent, satis ex antea dictis in tota Logica colliguntur. Hæc enim argumentorum loca, ferè omnia communia sunt ad omnem discursum: & tam possunt deseruire ad demōstrationes, quàm ad probabiles syllogismos, vt indicat ipse Arist. hic lib 8. cap. 1. Et iā de Demonstr. tractādo tradita sunt media, ex quibus demonstrationes confici debent.

Breuis distinctio et assignatio locorum.

Breuiter ergo possunt simili modo loca & media dialectica designari, cum discrimen solùm sit penes certitudinem & probabilitatem. Itaq. alia media sunt essentialia extremis: alia quæ se habent per modum causæ: alia quæ per modum effectus: alia quæ per modum concomitātium. Essentialia sunt, integra definitio, aut singula prædicata, genus & differentia; itemq. species respectu indiuiduorū: item partes physicæ materia & forma, & partes integrantes, & ipsum totum quatenus ex iis compactum.

Per modum causæ ea sunt, quot sunt causarum genera, intelligendo illas causas quæ non sunt essentiales rebus, de quibus agitur: nè coincidant cum mediis essentialibus modo assignatis. Adhuc autem inter has causas cōputari possunt, non solùm efficiens & finalis, materialis, & formalis, non quidem respectu cōpositi quod constituunt, cui vtrique sunt essentiales, sed etiam materialis respectu formæ, quam recipit, & formalis respectu subiecti, quod afficit. Totidem etiam loca & media per modum effectus, quando ex effectibus proceditur ad causam constituenda sunt.

Per modum concomitantium se habēt alia

alia, quæ nec sunt essentialia, nec sunt causæ vel effectus. Et rursus sunt in duplici differentia. Alia se habent per modum conuenientiæ & affinitatis. Et hæc sunt loca similiũ parium, aliorumuè relatiuorum. Itẽ eorum quę in eodẽ subiecto coniunguntur, aut ab alia communi causa procedunt, aliamuè connexionem & cõmunicationem inter se habent. Ad hoc ẽt genus spectat locus humanæ auctoritatis, & testimonij, quo fides humana nititur. Et de quo Arist. 1. Moral. Eudem. cap. 3. *Potentissimum verò est in omni probatione confessum omnibus testimonio proposita firmare posse*. Alia se habent per modum disconuenientiæ & repugnantiæ. Et hæc sunt loca contrariorum, & aliorum oppositorum, aut quæcunque sibi repugnant quando ex vno duci potest argumentum ad aliud, si non affirmatiuè, saltem negatiuè.

In his autem omnibus locis suæ maximæ continentur, quæ indicant quanta vis sit in singulis argumentis, & sanè multum iuuant & dirigunt intellectum ad rectè discurrendum, & veritatem inueniendam. Verum maxima ex parte traditæ iam sunt in alijs Logicæ tractatibus de Instrumentis directiuis, de Vniuersalibus, de Prædicamentis: ideòq. illi tractatus præmissi sunt communem directionem nostræ cognitiones exhibẽtes, singulis postea actibus iuxta vniuscuiusque exigentiam applicandam.

SECTIO SEXTA.

De Discursu & Syllogismo apparenti.

Discursus, & Syllogismus apparens, hic intelligitur, qui ita apparet, vt non sit sicut apparet. Itaque apparentia sumitur negatiuè seu exclusiuè, negando & excludendo id quod apparet. Alioqui etiam syllogismus demonstratiuus & dialecticus apparet quidem: sed est sicut apparet. Sic de syllogismo sophistico, ait optimè Arist. 1. Elench. cap. 1. *Apparens, atque non existens*.

Vel ex parte forma, vel ex parte materiâ contingit vitiũ in discursu & syllogismo.

Duobus autem modis hæc fallax apparentia in syllogismo contingere potest ex Arist. 1. Top. c. 1., & 1. Elench c. 1. Vno modo si syllogismus appareat in bona forma constructus: reuera aũt peccet in forma: vt si sit in secũda figura ex ambabus affirmatiuis: si in prima figura sit ex aliqua præmissa particulari negatiua, si constet quatuor terminis, alioue formæ defectu vitietur. Secundo modo si syllogismus appareat procedere ex præmissis veris, seu probabilibus, reuera aũt procedat ex aliqua præmissa falsa, seu improbabili. Addi pôt tertius modus non quidem condistinctus, sed per connexionẽ vtriusq. si simul ex vtraq parte formæ materiæquè deficiat. Et sæpè fallax syllogismus est ita dispositus: quòd si in quodã sensu eius præmissæ sumantur, defectus sit in forma, & præmissæ sint veræ. Si autem in alio quodam sensu sumantur præmissæ, defectus sit in materia, quia præmissę sunt falsæ, forma autem bona sit.

An sub vitiosa formâ cõsistat essentia syllogismi, & discursus.

De Syllogismo apparenti, ac deficienti ex parte formæ docet Arist. vtroq. loco cit. non esse verè syllogismum, quia verè non habet formam essentialem syllogismi atq. adeò dici apparentẽ syllogismũ, quia apparet quidem, sed non est syllogismus. Sicut stannum est argentum apparens, sed verè non est argentum. & sic alia similia, quæ dicuntur apparentia. Probat quia syllogismus definitus est, ex quo quibusdã positis, necesse est aliquid aliud, id est positis præmissis, necesse est cõclusionem inferri. Sed deficiẽte forma syllogistica, non necesse sequitur conclusio ex prẽmissis, imo potest & debet negari cõclusio: ergo syllogismus deficiens ex parte formæ, non est verè syllogismus.

In contrarium esse videtur, quod diximus & probauimus q. 25. sect. 4. discursum prauum esse verè discursũ, & habere rationem essentialem discursus, dariq. in mente talem discursum: ergo & syllogismus vitiosus in forma, per quem fit talis discursus, est verè & essentialiter syllogismus. Talis aũt discursus dicetur apparens, nõ quia appareat discursus & nõ sit discursus: sed quia apparet rectus, & non est rectus: dũ is, qui prauè discurrit, putat se ritè discurrere, sed nõ ritè discurrit.

Propter hoc putandũ nõ est Arist. voluisse negare, dari posse in mente discursum prauũ, eumq. habere rõnem essentialẽ discursus, idest tertiæ operationis differentẽ à simplici iudicio & secũda operatione; atq. adeò syllogismum, si syllogismus

gismus

gismus sumatur pro quacūq; illóne cōcl. ex duabus premissis. Distinguēdū ergo est dupliciter posse accipi sylogismū: vno mō ꝓpriè iuxta definitionē illā Ar. in quo necesse est inferri conclusio ex præmissis; sic sine bona forma non est syllogismus; sed tamen esse potest, discursus sine syllogismo, idest sine bona forma. Alio modo pōt sumi syllogismus magis amplè pro quacunque illatione quæ reipsa fit ab intellectu ex præmissis, licèt fiat ex præmissis, ex quibus non deberet fieri, & ex quibus non necessariò debet inferri conclusio. Et sic syllogismus vitiosus in forma, est syllogismus, idest est illatio quædam, quæ exercetur ab intellectu, conclusionis ex præmissis. Si autem hæc acceptio syllogismi non placeat; absolutè dicatur, dari posse discursum sine syllogismo: & discursum vitiosum esse verè discursum, & non esse per syllogismum.

An in materia falsa saluetur essentia discursus & syllogismi.

De Syllogismo apparenti, ac deficienti ex parte solius materiæ, docet Arist. esse essentialiter syllogismum; quia scilicet habet veram & legitimam formam syllogismi, & ex præmissis, necessariò cōclusionem adducit. Putandum tamen non est huiusmodi syllogismum, siue discursum in mente ex parte actuum exerceri; nisi dum intellectus re ipsa præbet assensum toti antecedenti, & ex huius vi etiā consequenti, putans omnia esse vera, & nullius præmissæ perspiciens falsitatē. Alioqui syllogismus exerceri quidem poterit in voce, non autem fuerit in mente discursus; sed ad summum per actum simplicis iudicij, & non inferendo inspiciet intellectus bonitatem illationis infitam formę syllogisticæ. Ita patet ex dictis antea de discursu in communi.

Syllogismus vno modo est apparēs, quando videtur verus & non est.

Rursus pluribus modis potest esse syllogismus apparens, & in re fallax ex parte materiæ. Primò si præmissæ appareant veræ, ac reipsa sint falsæ. At non hæc apparentia constituit syllogismū sophisticū, & vitiosum à dialectico condistinctum. Quinimo syllogismus ipse dialecticus, cū procedat ex probabilibus; semper vtique procedit ex ijs quæ apparent vera, nec sunt semper vera; non enim quicquid probabile est, verum est.

Alio modo, quando videtur probabilis & non est.

Secundo modo syllogismus est apparens, & à dialectico condistinguitur, si præmissæ appareant probabiles, & reipsa non sint probabiles. Probabile enim est, nō quicquid cuipiā videtur: sed sicut Ar. definiuit, quod videtur omnibus, aut oībus sapientibus, aut plurimis sapientibus, aut quibusdā egregijs & pròbatis. Aliqua aūt sunt, quæ apud sapientes quidem sunt euidenter falsa, aut cōi eorum existimatione censentur falsa: quibusdā tamen rudibus, & imperitis videntur vera. Et hæc apud sapientes dicuntur improbabilia. Si v.g. à rudibus & idiotis Sol putetur exiguæ magnitudinis, Astra putentur figuræ planæ, aut si alicui dicatur, quicquid nō amisisti possides, & ille statim leuiter assentiatur. Syllogismus ergo dialecticus constat ex ijs, quæ verè sūt ꝓbabilia, vt explicatū est. Ex præmissis aūt, q̄ sūt tm̄ apparēter probabiles cōficitur syllogismus sophist. & vitiosus hoc mō ex parte mariæ.

Alio modo, quando videtur demōstratiuus, & nō est.

Tertio modo syllogismus est apparens & vitiosus, si procedat ex præmissis, quæ appareant necessariæ, ac demonstratiuæ, reipsa autem sint euidenter falsæ & impossibiles; vt si quis ita discurrat, omnes lineæ ductæ ab eodem puncto ad idē punctum sunt æquales, sed hæ lineæ (signando diametrum circuli & semicirculi) sunt ductæ ab eodem puncto ad idem punctum; ergo sunt æquales. Item si quis dicat, omnes semicirculi sūt ęquales, sed hi sunt semicirculi (signando vnum ex circulo maiori, & alterum ex minori) ergo sunt æquales. Huiusmodi syllogismum Arist. 1. Top. cap. 1. proprio nomine appellat Paralogismum; præsertim dum procedit ex principijs proprijs alicuius scientiæ male acceptis, vt in exemplis positis, principia propria Geometriæ & vera, sunt, omnes lineæ rectæ ductæ ab eodē ad idē punctum, omnes semicirculi eiusdē circuli sunt æquales. At in illis paralogismis malè accipiuntur sine debitis conditionibus, vt patet. Hoc genus vitiosi syllogismi per se & directè opponitur demonstrationi, vt patet. Arist. autem hoc assignat tanquam nouum genus syllogismi, cōdistinctum à sophistico & litigioso; quia hunc accepit specialiter pro illo, qui procedit ex apparenter probabilibus, & qui directè opponitur syllogismo dialectico. Amplè tñ & adæquatè syllogismus sophisticus & apparēs sumi pōt pro omni syllogismo vitioso, ita vt vtrunque hoc genus complectatur.

Assignat

Circa quænam versetur sophistica disputatio.

Assignat deinde Arist. 1. Elench. cap. 3. circa quid versentur sophistica argumenta, idest, quos fines intendant, & ad quæ inconuenientia sophistæ trahere soleant respondentes. Et assignat quinque. Primò vt respondens dicat aliquid repugnans ijs quæ antea dixerit, aut concedendo quod negauerat, aut negando quod concesserat. 2. vt dicat aliquid apertè falsum. 3. vt dicat aliquid inopinabile, siue præter communem sensum sapientum, aut eorum qui de disputatione iudicium ferre debent 4. vt erret in modo loquendi, & solęcismum cõmittat. 5. vt nugatoriè, & otiosè idem sæpius repetat.

Loca ex quibus fallacia argumenta sumuntur.

Pergit deinde assignare loca, & detegere insidias, ex quibus fallacia argumenta promuntur. Et eodem cap. 3. distinguit duo locorum genera. Primum consistit in fallacia verborum. Secundum in fallacia rerum. Propterea priora vocat loca fallaciæ dictionis. Posteriora vocat extra dictionem. In primo genere sex loca distinguit, æquiuocationis, Amphibologiæ, Compositionis, Diuisionis, Accentus, & Figuræ dictionis. In secundo genere septem loca distinguit, Accidentis, eius quod dicitur simpliciter aut secundum quid, Ignorationis elenchi, Petitionis principij, Consequentis, Non causæ vt causæ, & Plurium interrogationum tamquam vnius. Hæc omnia fallaciarum loca Arist. ipse explicat, & singularum exempla ponit libro primo, & libro secundo prosequitur modum & artem illas euadendi & dissoluendi.

Alia sunt ex parte formæ, alia ex parte materiæ.

Verum pro hac re abundè sufficiunt, quæ tradidimus in Institut. de syllogismis conficiendis. Considerandæ enim sunt regulæ ibi traditæ, & obseruandæ. Indeque notissimum est, quot & qui defectus in syllogismis committi possint. Et quia dictum est, syllogismum posse deficere, vel ex parte formæ, vel ex parte materiæ: tot sanè defectus possunt committi ex parte formæ, quot modis potest confici, seu potius fingi syllogismus præter regulas figurarum ibi præstitutas, & quot modi inutiles & inepti possunt confici in ipsis figuris. Et omnia hæc possent distingui, tanquam loca ex quibus argumenta fallacia & vitiosa deduci possint. Item ex parte materiæ tot defectus committi possũt, quot modis possunt proferri præmissæ, latenter occultando falsitatem earum, & simulando veritatem. Atque huc etiam possunt sua loca distingui. Sed nõ oportet hæc omnia distinctè prosequi. satis est, respondentem monitum esse, vt diligenter inspiciat, tum formam argumentorum, tum sensum præmissarum, vt probè discernat illationis bonitatem, & propositionum veritatem.

Loca autem illa quæ Arist. designauit, non omnia versantur præcisè circa syllogismos: sed aliqua cõcernunt quasdã alias insidias sophistarum, vt capiant & confundant respondentem. Nec erit inutile illa breuiter enarrare: sicut nec est necessarium prolixius prosequi. Loca primi generis ferè omnia consistunt in vocabulorum abusu propter varietatem significationis. Et ex illis tales syllogismi conficiuntur; vt si propositiones in vno aliquo sensu sumantur, falsæ sint, & ita syllogismi peccent in materia; si in alio quodam sensu sumentur, veræ quidem sint; tamen in rigore contineant quatuor terminos, & ita peccent in forma. Vnde in vno sensu negandæ sint præmissæ, seu earum aliqua; in alio neganda sit consequentia concessis præmissis.

Explicantur fallaciæ dictionis ab Arist. assignatæ.

Fallacia æquiuocationis est, cùm vsurpatur aliquis terminus æquiuocus, habens plures significationes: vt omnis canis latrat: hic piscis est canis; ergo latrat. Fallacia amphibologiæ est, quando modus loquendi, seu integra propositio potest multiplicè reddere sensum: vt quod quis videt intuetur, cælum quis videt; ergo cælum intuetur: fallacia est, si cælum intuetur in conclusione sumatur actiuè.

Fallacia compositionis est, cùm coniungitur aliquis terminus cum conditione illi repugnante; vt possibile est Petrum currere; sed Petrus sedet; ergo possibile est sedentem currere vbi si sensus sit, posse componi cursum cum sessione, in quo sensu conclusio est falsa; non seruatur idem sensus in conclusione qui in præmissis, & ita sunt plures termini contra debitã formam syllogismi. Fallacia diuisionis est, quando aliqua modò sumuntur diuisim, modò coniunctim: vt duo & tria, sunt numeri par & impar; sed quinque sunt duo & tria; ergo quinque est numerus par & impar. Vbi etiam variatur sensus terminorum, & destruitur forma.

Fallacia


Fallacia accentus est, quando eadem vox per diuersos accentus, aut modos pronunciandi, habet plures sensus, & accipitur in syllogismo tanquam vna. Fallacia figuræ dictionis est, quando propter similitudinem vocabulorum infertur, esse idem ea quæ non sunt idem, vel infertur aliquod prædicatum de subiecto de quo non debet, vel aliter quàm debet: vt si quis inferat, valere, aut existere, esse actionem, quia dicitur sicut facere & agere: aut si quis inferat, ly Poeta & Musa esse eiusdem generis, quia vocabula sunt similia: alioquè simili modo.

Explicantur fallaciæ extra dictionē. In alijs locis secundi generis, fallacia accidentis est, quando quis ea omnia quæ tribuit prædicato, vult etiam tribuere subiecto, aut quæ agat prædicato, vult negare subiecto, aut è contra; & sumendo prædicatum aut subiectum in diuersis statibus: vt animal est genus; homo est animal; ergo est genus: vel homo est animal; animal non est species; ergo homo non est species; alioquè simili modo; vbi termini sumuntur in diuersis statibus, & non distribuuntur sicut oportet ad rectam syllogismi formam. Fallacia eius, quod simpliciter & secundùm quid est, quando arguitur ex simpliciter ad secundùm quid, vel è conuerso: vt Aethiops non est albus; ergo non est albus secundùm dentes: vel est albus secundùm dentes; ergo est albus. Vbi etiā non seruatur debita forma.

Fallacia ignorationis Elenchi est, quādo probatur aliquid quasi contrarium conclusioni quæ sustinetur, quod tamen non est contrarium; vt si quis probet Aethiopem esse album secundùm dentes, contra illum, qui sustinebat Aethiopem esse nigrum. Vbi satis est explicare, vnam conclusionem non esse contrariam alteri, sed vtranque esse veram. Fallacia petitionis principij est, quando occultè assumitur in antecedenti ipsa conclusio quam quis probare debebat: Talis syllogismus peccat in materia, assumendo quod apud respondentem falsum est, & ab illo negandum, imo negatum.

Fallacia consequentis est, quando quis ex eo quòd aliquod consequens benè infertur ex aliquo antecedenti, vult inferre oppositum ex opposito: vt si quis dicat, benè valet, est homo, ergo est animal; ita etiam valebit, non est homo, ergo non est animal: aut si quis inferat, si est homo est animal, ita etiā si est animal est homo. Qui modus arguendi peccat in forma. Fallacia non causæ, vt causæ est, quando assumitur tanquam causa conclusionis aliquid quod verè non est causa; vt ex destructione conclusionis destruatur causa. Et hic modus peccat in materia.

Fallacia demum plurium interrogationum vt vnius est, quando quis plura simul interrogat, quorum aliquid sit verum, aliquid falsum, & conatur vnicam responsionem ab altero extorquere; vt vel affirmet tàm falsum quàm verum, vel neget tàm verum quàm falsum. Tunc facile est; partes quæstionis distinguere, & ad singulas appositè respondere.



QVÆSTIO

QVÆSTIO TRIGESIMA.

De Ordine & Methodo.

Res cognoſcendi, ac Scientias diſponendi.

Ratio huius tractationis.

VLtimo tandē loco inter logicas tractationes Ordinem & Methodum arripimus, tanquam ſupremum quoddam totius directionis Logicæ complementum; tanquam commune quoddam decus omnem noſtram cognitionem exornans; tanquam generale inſtrumentum, quo & actus noſtri intellectus, & ſcientiæ omnes aptè ritèquè diſponantur. Et quoniam ars ſequitur naturam: inquiremus antea, quonam ordine naturalis ipſe rationis inſtinctus in rerum cognitione procedat; & poſteà quonam artificiali ordine debeant ſcientiæ omnes facultateſquè diſponi.

Non ſolent vtique Logici Auctores ſpecialem tractationem de ordine inſtituere. Aliqui tamen recentiores aliquid de illo attingunt. Plerique ad initium Phyſicæ, aut Metaphyſicæ, ſolent aliquantum de illo diſſerere. Nec ex Ariſtotele, aut in Logica, aut in alijs operibus extat hac de re tractatus aliquis. Sed facilè conſtat, neque hanc tractationem fuiſſe penitus negligendam, neque ad aliam facultatem, magis quàm ad Logicam, cognitionis directricem, & reliquarum ſcientiarum ianuam, pertinere.

Nominū explicatio.

Ordinis nomen interdum ſumitur pro certo aliquo hominum gradu & ſtatu, ſeu pro hominibus certi gradus: ſæpè etiam pro quacunque relatione & reſpectu vnius rei ad aliam. At propriè ſignificat aptam collocationem & diſpoſitionem plurium rerum inter ſe ſecundùm prius & poſterius. Quæ ordinata diſpoſitio, non in ſola noſtra cognitione, ſcientiarumquè textura, ſed & in alijs operationibus, ac rebus communiter reperitur. Hic autem conſideramus ordinem ſpecialem in cognoſcendo, atque adeò in ſcientijs diſponendis. Et quod dicimus de ſcientijs, accipi amplè poteſt de quibuſcunque facultatibus intellectiuis, etiam ſi ſint artes, aut in opinione, vel quacunque intellectuali exercitatione conſiſtant. Methodi nomen græcum eſt, & in rigore ſignificat viam, artem, rationem ſciendi, ſiue docendi, aut diſcendi, & dicendi; & ab Ariſtot. 1. Top. cap. 1. ita ſumitur. Imo 1. Phyſic. tex. 1. pro omni ſcientia, & 1. de Anima tex. 4. & 5. pro omni inſtrumento ſciendi. Sicut etiam ſumpſit Damaſcen. cap. 1. ſuæ Phyſic. Vnde ex vna parte eſt quid preſſius, quàm ordo adæquatè ſumptus. Nam propriè ſpectat ad intellectuales operationes, vel in cognoſcēdo, vel in dicendo. Ex alia parte in hoc ipſo ſubiecto magis latè patet, quia non ſolùm dicit ordinationem conſiſtentem in collocatione & ſucceſſione partium: ſed adæquatè dicit omnem artem & modum, omne inſtrumentum cognoſcēdi. Sed tamen præcipuè ſumi ſolet pro ipſo ordine noſtris cognitionibus & ſcientijs adaptato.

SECTIO PRIMA.

Quàm vtilis & neceſſarius ſit Ordo ad rectam cognitionem rerum & diſpoſitionem ſcientiarum.

VTiliſſimum & valde neceſſarium eſſe ordinem ad rectam cognitionem rerum, & optimam ſcientiarum diſpoſitionem, compertiſſimum ſanè eſt omnibus prudentibus & peritis. Poteſtquè plurimis auctoritatibus, exemplis & rationibus comprobari. Sed in re tam conſpicua & explorata, pauca quædam afferre ſufficiet.

Ariſt. naturalium ſcientiarum ordinem inſtituit.

Primò. Ariſtot. Philoſophorum princeps, multis quidem ſuæ doctrinæ meritis, in omnibus philoſophicis diſciplinis omnibus antiquioris Philoſophiæ parentibus, antecellit. Sed certè inter omnes ſuæ laudis titulos quibus Philoſophiæ palmam obtinuit, præcipuus eſt ordo, quem

quem excogitauit & obseruauit, dum tam varias disciplinas, tot Philosophiæ partes, dispersas antea & confusas in certam Methodum reduxit, singulasquè suis materijs præclarè ordinauit, ac philosophiæ studiosis reliquit. Hac præcipuè de re Aristot. opera cum tanta veneratione & æstimatione à posterioribus suscipi, in scholas inuehi, totq. insignium virorum commentariis illustrari meruerunt. Hanc quidem laudem Platoni attribuere voluit Atticus Platonicus apud Euseb Cæsarien. lib. 11. de Præparat. Euang. cap. 1. dicens: *Platonem primum omnes Philosophiæ partes vsque ad ætatem suam, sicut membra Pentei, disiectas, atque confusas, in vnum corpus atque animal integrum reduxisse*. Attamen vtriusq. libros legēti & obseruāti, satis apertè cōstabit hanc laudē Aristot prorsus deberi.

Magister Sent. ordinē Theologiæ. In litteris deinde Theologicis Magister Sententiarum hoc etiam nomine maximè enituit, qui res sacras ex scripturæ fontibus haustas, ab Ecclesiæ Patribus auctas, controuersias cum hæreticis exortas, quæstiones desuper adinuentas in quatuor libros distinctè & ordinatè digessit: sanè de Christiana Republica optimè meritus, & iure Magistri nomen adeptus, tot Discipulos, quot Scholasticos, & Theologos viros egregios, quos deinceps, vel sequaces, vel imitatores habuit, longo ordine trahens.

Meliorem instituit S. Thom. Super hunc Sanctus Thomas Theologorum princeps meritò appellandus, aduertens quantum sacræ Theologiæ ordo profici posset, quamuis iam plusquam semel res Theologicas, tum sequens ordinem Magistri, tum in aliis operibus cōscripsisset: tamen hac præcipuè ratione nouum & eximium laborē assumpsit, preclarum ordinem adinuenit, summā Theologicam confecit: qua certè supra omnes alias lucubrationes, quas ediderat, tàm eximiam laudem, tot sequaces, & præclarissimas commentationes consequutus est. Hanc rationem ipse in procemio eiusdem summæ exprimere voluit. In cæteris demùm Auctoribus & Scriptoribus, insigne sanè sapientiæ officium & iudicium est, recto ordine progredi, & res omnes, quas considerant ordinata dispositione contexere. Nam *Sicut dicit Philosophus, Sapientis est ordinare*: vt testatum reliquit Sanctus Thomas initio Ethicorum.

In rebus naturalibus seruatur ordo. Secundò. In rebus naturalibus, artificialibus & moralibus, quàm maximè enitere conspicitur ordo: ad earumquè rectam constitutionem est prorsus necessarius ordo. In rebus naturalibus, bonum ipsius vniuersi consistit in ordine totius in se, & singularum partium inter se, ex Aristotele 12. Metaphysic. 52. Et est notissimum. Quid enim esset vniuersum sine ordine, nisi vniuersa confusio? Vel in quonam ratio vniuersi à Chaos illo, quod Philosophi aliqui ante hanc mundi constitutionem inuexerunt, & poetæ per mixtionem omnium rerum descripserunt, nisi per elementorum & omnium partium ordinem aptè distinguitur? In singulis deinde vniuersi partibus, & naturæ operibus exactissimus ordo seruatur. *Nihil inordinatum est, eorum quæ natura & secundùm naturam fiunt, & natura ipsa omnibus est causa ordinis*: inquit Aristot. octauo Physic. 15. & præsertim in humanis corporibus ordo membrorum est, qui ipsa corpora aptè constituit: atque etiam in origine ipsa & generatione modo seruatur. *Mēbra nō sine ordine oriūtur, sed primum hoc, deinde illud: atque in hunc modum omnia quæ natura consistūt disponuntur*: ait Aristot. 1. de Partibus Animal. c. 1. Similiter & in nostris naturalibus operationibus quātùm valeat ordo expressit idem Aristot. sect. 19. Probl. 35. *Motus enim familiarior naturæ est, ordinatus, quàm inordinatus: itaque secundùm naturam hic magis esse probatur. Argumentum, quod cum ordinatè & laboramus, & bibimus, & comedimus, naturam, viresquè nostras, & seruamus & augemus. Contra inordinatè cùm agimus, deprauamus naturam, atque de suo sensu dimouemus*.

In rebus artificialibus. In rebus deinde artificialibus, nulla re sanè magis quàm ordine ars sua opera perficit, aptè disponendo & collocando partes, vnde varia opificia concinnè & elaboratè resultent. vnum exemplū sufficit ex Xenoph. lib. 1. de Dictis & Factis Socratis: *Quemadmodum lapides, lateres, ligna, & tegulæ inordinatè quidē proiecta, ad nihil vtilia sunt: cùm verò ordinentur deorsum ac sursum, tunc domus benè constructa dicitur*.

In

Et in reb. moralib. In rebus quoque moralibus omnia sub recto ordine concluduntur. Vnusquisque in se ipso tunc suos mores rectè componit, cum debitum ordinem in suis actibus seruat. Regnum & ciuitas tunc benè componitur, cum ordine regitur. Sic Plato dial. de legibus: *Ordinis ac legis cùm ciuitas particeps est, omnia benè facta sunt: ac pleraque quæ ordine carent, aut malè ordinata sunt, ex benè ordinatis alia quadam soluunt.* Domus item & familia tunc benè se habet, cùm ordinem seruat: & bonum exercitus in ordine ipso consistit. Ita Arist. 12. met. tex. 52 Et in omnibus demum rebus, vt rectè se habeant, ordo seruandus est. Ita Chrisostom. homil. 37. in 1. ad Cor. circa illa verba Apost. *omnia honestè, & secundum ordinē fiant in vobis*: dicens: *non solum in spiritualibus, sed etiam in alijs omnibus hoc videtis. Nam siue in choro, siue in nauigio, siue in curru, siue in castris, ordinem confundas, & maioribus suo loco eiectis, in illorum ordinem minora induxeris, omnia corrūpis.*

Seruādus est in sciētijs. Ex his optima ratione concluditur, quanta cura & diligentia in rerum cognitione & scientiarum dispositione debitus ordo seruandus est. Ordinatam enim ac benè dispositam seriem sciendi, & cognoscendi meritò comparaueris, vniuerso tam ritè composito, corpori ex suis membris benè disposito, domui ex suis partibus aptè constructę, reipubl. suis legibus & ciuium statibus optimè gubernatæ. exercitui suis aciebus ritè instructo & ordinato. Et è contra de philosophia non rectè disposita & ordinata dixit Lactant. lib. 3. Diuin. institut. cap. 2. *si tamen potest corpus vocari, cuius partes ac membra discordent, nec vlla compage inter se cohæreant, sed quasi disiuncta & dissipata, palpitare potius videantur, quàm viuere.*

Ordo confert ad claritatem. Tertiò demum multæ simul vtilitates & commoda ex recto ordine cognoscendi & sciendi, recenseri possunt. Multùm sanè confert ordo ad claritatem. Quæ enim ordinata sunt longè facilius & clarius percipiuntur: cumq. suis locis singula disponuntur, sese mutuo iuuant & explicant. Confert ad breuitatē. Nisi enim debitus ordo seruetur in ijs quæ prius & posterius disponēda sunt; sæpè cōtinget eadem in pluribus locis repeti & reuolui: *Ad breuitatem.* vt notauit Arist. 1. de part. animal. cap. 1. Confert ad integritatem & perfectionē. Nam quando modò vna res, modò alia, sine recto ordine arripitur, facilè contingit plura è medio indiscussa elabi & ignota relinqui: aut saltem non constabit omnia integrè sciri & cognosci, sed semper anxius animus relinquetur, an quicquam prætermissum sit. *Ad integritatem*

Ad pulchritudinem. Confert ad pulchritudinem & venustatem. Deficiente enim ordine, dicebat optimè August. lib. 2. de ordine c. 4. *Pulchra illa non prominent, non in suis quasi regionibus, possessionibusque dominantur, sibiq. ipsa sua luce obstant, totumq. confundant.* Et sicut sanè nulla maior deformitas in humano corpore esse posset, quàm peruersus ordo partium: ita deformis planè redditur scientia debitum ordinem peruertens. Confert ad iucunditatem & voluptatem. Ideò enim tantopere musici cōcentus oblectant animum teste Ar. sect. 9. probl. 38. *numeri propterea mulcent, quia ratū ordinatumq. computandi numerum habent, mouentq. nos pro sua æquabili serie ordinatè.* & paulò infra: *Portio igitur ordo est, quem modo natura suauē esse propositmus.* Ita sanè magna cum iucunditate audimus & addiscimus ea quæ ordinata quadam serie proponuntur. Et appositus dicendi modus, laborem auget, tediumq. ingerit. Confert denique ad memoriam & firmam impressionem eorum quæ addiscuntur. Ita testantur Cicero libro 2. de oratore. *Ordo est qui memoriæ maximè lumen affert.* Et hoc tandem sicut & alia commoda quæ dicimus, & plura quæ addi possūt satis experientia ipsa constant. Vtilissimus est ergo & valdè necessarius ordo ad directionem nostræ cognitionis, & dispositionem scientiarum. *Ad iucūditatem.* *Ad memoriam.*

SECTIO SECVNDA.

Quid & quotuplex sit ordo scientificus.

Ordo definitur & explicatur. IN primis hanc ordinis definitionē affert Speusippus in lib. de definit. Plat. *Ordo est concentus operationū ad inuicem, communionis proportio, vicissitudinis in om-*

omnibus causa, contemperatio ad percipiendum idonea. Clariùs & breuius D. Aug. lib. 19. de Ciuit. cap. 13. *Ordo est parum, dispariumq. rerum, sua cuiq. loca tribuens dispositio*. Hæc autem definitio communis est ordini quaruncunque rerum. Sed hinc definiri & explicari potest in specie, ordo in cognoscendo, & sciendo, qui dici potest ordo scientificus: est enim apta dispositio inter plures cognitiones, siue inter cognitiones plurium rerũ: item inter plures partes sciẽtiæ, siue inter plures scientias. Ita videlicet vt alia præcedat, alia sequatur; alia prius, alia posterius collocetur. Hoc autem modo explicatur ordo tanquam exercitus, & suæ materiæ applicatus.

Sumi etiam potest, ac debet ordo prout in mente consideratur per modum regulæ & normæ, abstrahendo ab actuali applicatione, & exercitio, quatenus tamen potest applicari & exerceri. Hęc est idęa ipsa ordinis obiectiuè in mente existens, dum intellectus considerat, quis & qualis sit ordo, & qualiter debeat cognitioni scientia ordinari. Sic est propriè instrumentum directiuum cognitionis & sciẽtiæ, quatenus ordinabilis. In hac acceptione hanc definitionem ordinis affert ex communi sententia. Zabarella libr. 1. de Methodis, c. 4. *Est habitus instrumentalis, seu instrumentum intellectuale, quo docemur cuiusque disciplinæ partes conuenienter disponere*. Ipse autem, vt magis explicet quæ sit ista conueniens dispositio, per quam debeat scientia ordinari, cap. 1. sic ordinem definit: *Est instrumentalis habitus per quem aptè sumus vtriusque disciplinæ partes ita disponere, vt quantum fieri possit optimè & facillimè illa disciplina discatur*. Contendit enim ordinem scientificum, non ex natura rerum, sed tantùm ex addiscentium commoditate esse sumendum, quod nos infra examinabimus.

Ordo rectus & prauus. Secundò, dubitari potest, num ordo diuidendus sit in rectum, & prauum, vel omnis ordo sit rectus, & alioqui nõ sit ordo. Nam ex vna parte solet quidem nominari prauus & peruersus ordo, & dantur res benè aut malè ordinatæ. Ex alia parte ordo dicitur apta & idonea dispositio: si ergo dispositio non sit apta, & idonea, non est ordo. Sed res est facilis, dicendo, nomen ordinis dupliciter sumi posse. Vno modo amplè pro quacunque dispositione vnius rei post aliam, sic vtiq. diuidi potest in rectam & prauam dispositionem, rectum & prauũ ordinem. Alio modo presse pro sola recta & conueniẽti dispositione & collocatione partium. Sic indirecta collocatio non dicetur ordo, sed potius opposita ordini. Et ita dici solet inordinatum; quasi ordine carẽs, id quod recto & debito ordine caret. Sicut in superiori dicebamus, syllogismum dupliciter sumi posse vno modo pro omni etiam vitioso syllogismo: alio modo pro solo recto, & benè formato syllogismo.

Ordo rectus duplex, ordo naturæ, et ordo doctrinæ. Tertiò præcipuè loquendo de vero & recto ordine, duplex solet ordo distingui; ordo naturæ, & ordo doctrinæ. Posset vno modo hæc distinctio explicari, ordinem naturæ, esse ordinem rerum in essendo, naturaliter inditum ipsis rebus, quatenus vna est ex alia, vel post aliã; ordinem doctrinæ esse ordinẽ in cognoscendo, seu docendo, ac discendo. Sed hic iam specialiter loquimur de ordine in cognoscendo. Itaq. hic ordo diuiditur in ordinem naturæ & doctrinæ. Ordo naturæ dicitur ille ordo scientificus, qui est conformis ordini naturali ipsarum rerũ, idest quando illa res prius cognoscitur & consideratur, quæ reuera & secundum naturam suam in essendo est prior. Ordo doctrinæ dicitur ille, qui solùm attendit maiorem facilitatem & commoditatem addiscentium, non spectato naturali ordine rerum, imo præter aut contra ipsum ordinem naturalem, ita vt illud quod est in sua natura posterius, prius tractetur & consideretur.

An semper seruãdus sit ordo naturæ. Zabar. lib. 1. de Method. cap. 5. & lib. 1. Apolog. de Ord. doctr. cap. 3. refert sententiam asserentem in scientijs per se & adæquatè seruandum esse ordinem naturæ. Fundatur hæc sententia tum in ratione, tum in auctoritate & consuetudine Arist. Ratio est in promptu, quia sicut res se habent ad esse, ita ad cognosci, & ordo in cognoscendo debet sequi ordinem in essendo, & ordo scientificus debet esse conformis ordini naturali: sic enim rectus & congruus erit; & alioqui est obliquus & indirectus. Arist. verò ita in suis libris obseruat, & sæpè testatur se ideò

ideò prius agere de quibusdã rebus, quia secundùm naturam priora sunt. Ita 1. Elē. c. 1. & 3. Rector. c. 1. lib. de sensu, & sensib. in princ. lib. 2. de Gener. Anim. cap. 4. 1. Phys. tex. 57., 2. de Anima, tex. 34. & alibi. & lib. 2. de Partib. Anim. cap. 10. ait se prius de homine quàm de alijs animalibus agere velle, quoniam homo secundum naturã suam dignior est, & diuinitatis particeps. Imo in Physicis primo loco agit de principijs rerũ naturalium, vtique quia secundùm naturam priora sunt, quamuis alioqui sint difficiliora & obscuriora.

Vel semper ordo doctrinæ.

In contrarium ipse Zabar. lib. 1. de Method. à c. 6. & lib. 1. Apolog. contendit, per se & adæquatè in scientijs seruandum esse ordinem doctrinæ, qui scilicet cõfert ad faciliorem intelligentiam, non curando ordinem naturalem rerum. Fundat ẽt suam sententiam in ratione & auctoritate. Probat ratione, quia finis ordinis in scientijs est perfecta cognitio rerum; sed ad hunc finem magis confert ordo doctrinæ prætermisso ordine naturæ: ergo. Imo sæpè inter easdem res multiplex est ordo naturæ, quia vna res potest esse prior & posterior alia in diuerso genere causæ: ergo ordo doctrinæ determinare debet, quidnã prius, quiduè posterius cõsiderandũ sit. Ar. verò expressè 1. Phys. tex. 2., & 1. Eth. c. 4. docet procedendum esse ab ijs quæ sunt notiora nobis, ad ea quæ sunt notiora & manifestiora natura. & 1. Met. tex. 1. planè distinguit aliud principiũ essendi, aliud cognoscendi: & inquit: *vt doctrinæ non à primo ac rei principio aliquando inchoandum est, sed vnde quis facilius discat*. Item lib. 1. de Histor. Animalium cap. 6. præfatur, prius se agere velle de differentijs, & accidentibus quæ circa animalia contingũt, postea ad causas comperiendas eniti. Et hanc ait viam rationemquè docendi esse naturæ congruã, scilicet naturali nostro cognoscendi modo, vt à facilioribus, & propinquioribus nobis, ad difficiliora & remotiora procedamus. & eodem illo loco secundo de Part. Animal. capite 10. addit aliam rationem, cur prius de homine agere velit, quia, *exteriorum partium eius forma, notissima est*. Similiter Plato libro secundo de Republica, Galen. libro 9. de Decretis, Hypocratis, & Platonis capite 2. & Auicen. in principio libri de Anima monent, esse in rerum tractatione & scientia à clarioribus & facilioribus inchoandum.

Regulariter seruãdus est ordo naturæ.

Sed res hæc ita resoluenda videtur: regulariter & vt plurimum in scientijs seruandum esse ordinem naturæ, ita vt res omnes eo ordine disponantur, quo ex natura sua connexæ sunt & ordinatæ: & hunc ipsum ordinem solere esse faciliorem & commodiorem ad perfectam rerum notitiam assequendam. Interdum tamen licere, ob vrgentem aliquam rationem facilitatis & commoditatis hũc ordinẽ immutare, & vti ordine doctrinæ prætermisso ordine naturæ. Et quando inter easdem res multiplex ordo naturalis & causalis inuenitur: tunc per ordinem doctrinæ determinari debere quomodo sit procedendum.

Hoc totum potest consuetudine ipsa & velut inductione, simulquè ratione ostendi. Nam satis compertum est solere ab vniuersalioribus, quæ sunt natura priora ad inferiora procedi: & circa subiectum scientiæ solet à causis procedi ad proprietates, & accidentia; item à rebus perfectioribus, & dignioribus ad minus perfectas, & minus dignas. & hoc ipsum commodum, & opportunum est ad maiorem addiscendi commoditatem, dum eo ordine rerum notitia capitur, quo ipsarum rerum natura disponitur. Interdum verò contingit rem aliquam, quamuis in essendo posteriorem, esse adeò propinquiorem, & faciliorem cognitu; aliam verò rem in essendo priorem adeò reconditam, vt aut non aliter quam ex præuia consideratione illius possit hæc alia res cognosci, aut non nisi admodum imperfectè, & magna cum difficultate; tunc sine dubio licitum erit à posterioribus natura ad priora procedere,

Ordo naturæ determinatur per ordinem doctrinæ.

Quando autem inter easdem res multiplex potest considerari ordo naturæ: tunc sanè ex maiori facilitate & commoditate doctrinæ determinandus est ordo sciendi. Vt quando inter finem, & media est mutuus causalitatis ordo: tamen sicut absolutè in intẽtione prior est finis, quàm media, ita ex consideratione finis, melius media innotescunt. Ideò per se procedendum est à fine ad media;

licèt media sint ordine exequutionis & causalitatis effectiuæ priora. Itē quādoq. inter easdem res potest etiam diuersus ordo dignitatis, & ordo originis seu generationis considerari, quando scilicet natura procedit ab imperfecto ad perfectum: etiā tunc interdum commodius est imitari ordinem dignitatis, interdum ordinē originis & generationis. Si quando demum æquè commodum apparebit inter res habentes varias habitudines ordinis naturalis, vno vel alio modo procedere: tunc arbitrarius erit ordo sciendi, vt vel vnus vel alius ordo seruetur.

Atque iuxta hanc resolutionem facile possunt conciliari omnes auctoritates pro duabus illis sententiis antea allegatæ, & rationes adductæ.

Rursus ordo duplex compositiuus & resolutiuus

Quartò rursus alio modo ordo scientificus diuiditur in ordinem compositiuum & resolutiuum. Galenus initio libri de Arte medicinali addidit tertiam speciem ordinis quem vocauit definitiuum. Defendunt Carpentar. in disputatione sua de Methodo. Masius quæst. vltima procœmiali Log. & quidam alii. Sed Zabarell. lib. 2. de Methodis, & libro 2. Apolog. conatur ostendere, nō dari talem tertiam speciem ordinis ab illis duabus condistinctam. Hoc autem satis constabit ex explicatione illius duplicis ordinis.

Hæc ergo distinctio duplicis ordinis sumitur ex Aristot. primo Ethicorum capite quarto, & Platone apud eundem. Ait enim Aristot. *Differre inter se disputationes, quæ vel à principijs fiunt, vel ad principia. Rectè etiam Plato de hoc dubitabat, quærebatq. vtrumne ab initijs an ad initia via esset.* In his enim verbis Aristot. indicauit duplicem ordinem procedendi. quorum ille qui est à principiis intelligitur esse compositiuus: ille qui est ad principia intelligitur esse resolutiuus.

Quædā diuisionis explicatio.

Hinc Zabarell. vtroque lib. citat. explicat & defendit; ordinem compositiuum esse, quando scientia incipit à primis principiis, & ad vlteriora procedit: ordinem resolutiuum esse, quando scientia incipit à fine, & progreditur vsque ad prima principia. Ideo ait, ordinem compositiuum esse proprium scientiis speculatiuis; quoniam hæ, cum non referantur ad finem alicuius operis faciendi, non possunt aliter ordinari quàm à principiis inchoando. & hoc esse de mente Aristotelis primo Physic. texto primo. Ordinem autem resolutiuum esse proprium scientiis practicis & artibus: quoniam cum hæ habeant pro suo fine opus exercendum, ad quod media concurrunt tanquam principia effectiua; debent prius considerare ipsum finem, qui est primus in intentione, & vltimus in exequutione; deinde media propinquiora fini, & tandem illa media, quæ sunt vltima in intentione & prima in exequutione. Et ideo libros priores & posteriores in logica appellatos esse resolutorios, quia incipiunt à syllogismo, & scientia, seu demonstratione, quæ se habent per modum finis. Et sic Aristot. ipse docet septimo Metaphysic. textu vigesimotertio in quauis arte prius considerari finem deinde media. & in scientia morali ita obseruat, prius agens de felicitate quæ est finis, deinde de virtutibus quæ sunt media.

Alia explicatio.

Verùm aliter possunt hi duo ordines explicari taliter vt magis directè opponantur. Ordo compositiuus est, quando proceditur à partibus ad totum: tunc enim ex partibus veluti proceditur ad compositionem totius. Ordo resolutiuus est, quando proceditur à toto ad partes: tunc enim mente resoluitur totum in partes. Quia autem diuersi sunt gradus compositionis, totius & partium: alia est enim compositio ex partibus metaphysicis scilicet ex prædicatis essentialibus: alia physica ex materia & forma: alia integralis ex partibus integralibus: & aliæ huiusmodi: omnibus his modis possunt accipi, & opponi ordo compositiuus & resolutiuus. Si enim prius considerentur per se partes essentiales, aut aliæ; seruatur ordo compositiuus: si è conuerso prius totum quàm partes, seruatur ordo resolutiuus. Possuntquè ad hunc sensum adaptari verba illa Arist. de duplici via procedendi à principijs, & ad principia.

Atque iuxta hanc explicationem necesse non est, scientiā speculatiuam procedere ordine cōpositiuo, practicā resolutiuo: sed

sed vtrique potest vterque modus procedendi competere:vt consideranti patebit. Imo possunt plures partes eiusdem scientiæ totalis ita se habere, vt vna procedat ordine compositiuo alia resolutiuo. V. g. illa pars Philosophiæ naturalis quę prius considerat mundum quantum ad compositionem & structuram suam, vnitatem, originem, & alia, deinde distinctè considerat singulas mundi partes procedit ordine resolutorio. Alia autem pars quæ prius considerat elementa, deinde mixtum, procedit ordine compositiuo. Attamen quælibet scientia totalis dici debet secundùm totalitatem suam certum aliquem ordinem habere. Sic quia tota Philosophia prius considerat prædicata vniuersalia in communi quæ se habent, vt partes essentiales, deinde considerat varias species dicitur procedere ordine compositiuo. Aut si considerantur vniuersalia, quatenus dicuntur tota potentialia, & species partes potentiales, dicetur procedere ordine resolutiuo. Quonā autem ordine, an compositiuo vel resolutiuo, quælibet scientia, & quælibet pars scientiæ procedere debeat, partim colligitur ex supra dictis, partim constabit magis ex dicendis.

SECTIO TERTIA.

Quonam ordine naturaliter res cognoscamus, prius nè vniuersalia, an singularia.

SVpponēdum est intellectum nostrum, quando res cognoscere incipit, ordine aliquo, ipsius naturæ ductu procedere. Nec enim omnia simul amplectitur, sed prius vnum quàm aliud. Est res inquisitione digna, quodnam sit primò cognitum ab intellectu nostro, vniuersale nè, an singulare: & rursus quænam vniuersalia aut singularia prius quam alia cognoscantur. De qua re disputare solent Philosophi initio Phys. & Theologi varijs in locis. Sed potius hæc res in rigore spectaret ad lib. de Anima circa modum intelligendi nostri intellectus. Tamen, quia magnam connexionem habet cum ordinę artificiali, qui directè ad Logicam spectat: ideò hìc etiam illam inserimus: sicut & pleraque alia de actibus nostræ cognitionis, quoniam deseruiunt ad eorum directionem in Logica meritò pertractantur.

Prima sententia. Videtur aperta sententia Arist. 1. Phys. tex. 4. & 5. prius cognosci vniuersalia, quam singularia: cum enim textu 2. docuisset innatam esse nobis viam procedendi ab ijs quæ sunt notiora & manifestiora nobis tex. 4. infert: *Ex vniuersalibus ad singularia procedere oportet.* Idquè ibi & tex. sequenti rationibus probare conatur. Atque ita asserunt & defendunt S. Thom. super eundem locum, & 1. par. q. 85. art. 3. & alibi, & plures alij Expositores Arist. eod. loc. Itē Caiet. eod. loc. 1. p. & de Ente & ess. c. 1. Ferr. 1. Phys. q. 2. Masius c. 1. q. 6. Iau. 7. Metaph. quæst. 16. Soncin. 7. Metaph quæst. 11. & 12. alijquè Thomistæ communiter, & Zimara in sua quęst. de primo cognito. Indicant etiā Auicenna lib. 2. Metaph. cap. 1. Ricchard. in 2. d. 24. q. 4. circa 3. principales & alij. Fatetur autem S Thom. intra latitudinem totius cognitionis includendo tam sensitiuam, quàm intellectiuam cognitionem, priorem esse cognitionem singularium: nam cognitio sensitiua praecedit in nobis intellectiuam, & non nisi circa singularia versatur. Sed intra latitudinem cognitionis intellectiuæ, de qua est quæstio affirmat hæc sententia prius cognosci vniuersale, quam singulare.

Secunda sententia. Opposita sentētia est, quæ asserit prius ab intellectu nostro cognosci singulare. Ita sentiunt quāplures Theologi Ocham. Gregor. Maior. Bachon. & alij in 1. d. 3. Durand. in 2. d. 3 q. 7. Item Suess. 1. Met. disp. 11. Fons. 1. Met. cap. 2 q. 3. Zabar. in sua Philosoph. lib. de Ordine intellig. c. 5. Tromb. 7. Met. q. 7. Anton. Andr. q. 14. & frequenter alij Scotistæ, & multi Expositores initio Phys. vbi Conimbr. c. 1. quæst. 4. Ruuius quæst. 3. Murc quæst. 3. & vt plurimum alij recentiores, ac latè Perer. suo lib. 3. Tolet. etiam 3. de Anima quæstione 12. & alij circa eundem locum.

Absolutè prius cognosci mus singularia ex Arist. Dico primo priùs naturaliter nostro intellectui offerri, priùsquè cognosci singularia quam vniuersalia. Probatur primò, apertè ex Arist. qui 1. Post tex. 12. sic inquit. *Dico autem ad nos quidem priora*

& notiora, quæ sunt propinquiora sensui: simpliciter autem priora & notiora, quæ longiùs. Sunt autem longissimè quidē ipsa maximè vniuersalia: proximè verò ipsa singularia. Vbi perspicuè docet Aristot. singularia esse respectu nostri notiora, & priora in cognoscendo. Et planè loquutus est, non de cognitione solùm sensitiua, sed maximè de cognitione intellectiua. Ideò enim ait, illa esse priora & notiora, quæ sunt propinquiora sensui, idest illa facilius & prius ab intellectu cognosci, quæ propinquius ipsis sensibus cognoscuntur. Similiter 1. Metaph. c. 2. *Ferè autem & difficillima hominibus cognita sunt, ea quæ maximè vniuersalia sunt: siquidem remotissima sunt in sensibus.* Eadem ratione 1. de Part. Animal. capit. 5. loquens de rebus spiritualibus & diuinis ait: *Partem illam æternam, nobilem, ac diuinam, minùs contemplari propterea possumus, quòd admodum pauca illius sensui patent, quorum beneficio, tum de ea ipsa parte diuina, tum de ijs quæ nunc cupimus facultas nobis cogitandi, indagandiquè suppeditatur.*

Experientia, & ratione. Secundò. Hinc experientia & ratione probatur assertio. Intellectus noster acquirit cognitionem per sensus: Vnde primum quod intellectui cognoscēdum offertur, est quod repræsentatur in sensu: statim enim coniungitur cognitio intellectiua cum cognitione sensitiua circa idem obiectum. Sed sensus per se non attingit, nisi singularia: ergo singularia prius à nostro intellectu cognoscuntur. Et consequenter per vlteriorem considerationem & negotiationem intellectus, quia est excellentioris virtutis quàm sensus, idoneus est cogitare & inuenire illa, ad quæ sensus non pertingebat. Omnino autem prius cognoscit illa, quæ per sensus ipsos manifestè afferebantur.

Quædam alia ratio nes examinatur. Tertiò. Durand. Ocham. & alij probant eandem assertionem, quia vniuersale est opus rationis, non est quid reale: fit ab ipso intellectu, non præsupponitur: imò fit per comparationem ad ipsa singularia, siue per abstractionem à singularibus consimilibus intellectui repræsentatis. Vnde Aristot. 1. de Anima tex. 8. dixit, vniuersale aut nihil est, aut posterius est. Et omni ex parte multò difficilius est cognoscere vniuersalia, quàm singularia, quæ se ipsis statim obuia sunt. Ergo omnino prius singularia quàm vniuersalia cognoscuntur. Hæc ratio conuincit quidem non prius cognosci vniuersale formaliter quatenus vniuersale est, idest quoad ipsam vniuersalitatem. Et hoc vltrò fatentur Auctores primæ sententiæ. Sed non satis probat, non prius cognosci vniuersale quoad naturam realem repræsentatam sine conditionibus indiuiduantibus.

Aliqui etiam probant, supponendo ab intellectu nostro acquiri species intentionales, non tamen repræsentatiuas vniuersalium, sed per se etiam repræsentatiuas singularium. Vnde nullum impedimentum est, quominus statim primo loco singularia cognoscantur. Sed de huiusmodi speciebus agendum erit in Philosoph. in tract. de Anima. Rursus aliqui probāt, quia prior esse debet notitia magis, quàm minus perfecta: sed perfectior est notitia singularium: ergo est prior. Verùm nec necesse est notitiam perfectiorem esse priorem. Nec prima notitia singularium est satis perfecta, cùm sit confusa & indistincta, vt mox dicemus. Sic & alias quasdam minus validas rationes, satius est omittere, quàm afferre. Magis hæc conclusio confirmata manebit ex dicendis sect. seq. & ex solut. obiectionum.

Explicitè prius cognoscimus vniuersalia. Dico secundò. Notitia, quam naturaliter prius de singularibus habemus, est confusa & imperfecta: Vt autem explicitè & perfectè res cognoscamus, prius quodammodo est, cognoscere naturas vniuersales, quàm res singulares. Ita asserunt communiter, illi qui volunt, absolutè prius cognosci res singulares. Et iuxta hanc etiam assertionem possunt explicari aliqui Auctores primæ sententiæ. Explicatur & probatur conclusio illa notitia, quæ primo loco capitur de singularibus est planè rudis & confusa, non distinctè & explicitè percipiendo quidditatem & prædicata essentialia rerum. Ad notitiam autem explicitam & distinctam; oportet vtique clarè percipere naturam & prædicata essentialia, quæ dicuntur vniuersalia: non quidem quoad secundam intentionem vniuersalitatis, sed quoad entitatē & quidditatem realē: Hoc ergo modo prius est cognoscere vniuersalia, idest prædicata quidditatiua

quæ

quæ sunt communia, quàm explicitè & distinctè cognoscere singularia. Quod denique auctoritate Aristot. confirmatur, qui iuxta hanc conclusionem quibusdam in locis debet intelligi, vt mox explicandum est.

Arist. explicatur. Contra primam conclusionem obijcitur enim auctoritas Aristot. non solùm ibi in princ. Phys. sed rursus 1. Phys. tex. 49. vbi expressè ait, vniuersalia esse notiora secundùm rationem, idest intellectum, singularia secundùm sensum. Et 5. Metaph. cap. 11. vbi loquens de prioritate in cognoscendo, ait vniuersalia esse priora secundùm rationem, singularia secundùm sensum. Præterea 9. de Anima tex. 10. significat vniuersalia cognosci directè singularia reflexè: certè autem prior est cognitio directa, quàm reflexa.

Respondetur totum illum contextum initio Phys. pluribus valdè modis solere exponi. Sed breuiter satis est dicere, benè posse intelligi de cognitione explicita & distincta; sic enim notiora & priora sunt in cognoscendo vniuersalia. Ita passim multi exponunt. Idem voluit Aristot. in alijs duobus locis. Vbi cùm dixit singularia esse notiora & priora secũdùm sensum: non tãtum id verũ est de ipsa notitia sensitiua, sed etiã de intellectiua quę sensim & proximè per sensus hauritur. Vltimum locum aliqui potius afferũt pro contraria sententia. Aliqui pro neutra facere arbitrantur. Arist. enim ibi solùm asserit, animam potentia sensitiua percipere sensibilia: alia autem potentia vel separabili, seu distincta, vel ita se habente sicut linea circunflexa ad se ipsam extensam percipere alia; quæ res simul cum intentione Aristot. in tract. de Anima explicanda est.

Rationes ex Arist. deprompta soluuntur. Obijciuntur rursus tres rationes, quibus Arist. initio Physic. probare videtur prius cognosci vniuersalia. Tum quia prius cognoscitur totum quàm partes, vt patet in rebus sensibilibus: sed vniuersale est quoddam totum, multa continens, vt partes: ergo prius cognoscitur. Tum etiam prius percipitur definitum tanquã quid totum quàm distinctè partes definitionis. Tum demum, *Pueri primùm omnes viros appellant patres, & feminas matres: posterius autem determinant horum vtrunque.* Prius ergo cognoscunt res in vniuersali, postea determinant in particulari.

Respondetur, hæc valere solùm tanquam exempla quædam ad suadendum prius debere cognosci vniuersalia, quàm distinctè cognoscantur singularia. Sicut enim præcedit notitia totius ad distinctã notitiam partium, & conceptus definiti ad distinctum conceptum definitionis: ita notitia vniuersalium ad distinctam notitiam singularium. Et Arist. sumpsit vniuersale tanquam totum potentiale, quod distinguẽdum est in sua inferiora tanquã in partes. Pueri autem non prius cognoscunt patrem & matrem, seu virum & fęminam in vniuersali, quàm in particulari. Neque id ex illo signo colligitur. Alioqui probari etiam posset per sensum cognosci vniuersalia, quia hoc per sensum vtique pueri tunc discernunt quis determinatè sit pater, & quæ sit mater, Agni etiam recenter nati, omnem ouem ab initio sequuntur tanquam matrem. Sed solùm infertur ab initio valdè confusè, et imperfectè cognosci ipsa singularia, veluti indeterminatè & vagè, non rectè distinguendo vnum ab alio. Nam vtique quãdo puer hunc vel illum virum appellat patrem, nonnisi hunc vel illum particularem tunc cognoscit. Aristot. autem hoc etiam argumentum attulit per modum exempli, quod sicut pueri prius sic vagè & indeterminatè cognoscunt, ita eiusdem naturæ ductu nos prius considerare debemus vniuersalia, quàm distinctè & explicitè singula inferiora.

Aliæ rationes soluuntur. Obijciuntur tertiò, aliæ rationes. In intellectu non dantur, nisi species vniuersalium: ergo prius vniuersalia cognoscuntur. Obiectum primum intellectus debet esse distinctum ab obiecto sensus: ergo debet esse vniuersale. Prima notitia debet esse certissima, quia dat certitudinem omni cognitioni sequenti: ergo debet esse de rebus in vniuersali; quoniam notitia singularium est incertissima, cùm hæc sint maximè variabilia. Materia impedit cognitionem intellectiuam: ergo faciliùs & prius percipiuntur vniuersalia; hæc enim abstrahunt à materia.

Respondetur ad omnes has rationes negando antecedens. Nam intellectui tribuẽdæ sunt species etiam singularium, & primum quod cognoscitur ab intelle-

ctu debet potius esse illud quod cognitum est à sensu. Et prima notitia intellectus est valde exilis & contingens. Neque certè ex certitudine primi actus cognitionis intellectiuæ, quem quis elicit, sumenda est certitudo omnis notitiæ sequentis: sed in progressu maximè perficitur nostra cognitio. Quando autem vnus assensus ita se habet, vt ex illo per illationem ducatur alius, tunc ex certitudine prioris assensus sumitur certitudo posterioris. Materia demum quæ se tenet ex parte obiecti non impedit cognitionem intellectiuam, neque abstractio iuuat, vt satis ostendimus quæst. 27. sect. 9. Alia rursus ad hanc rem conferentia afferemus sectione sequenti.

SECTIO QVARTA.

An magis vel minus vniuersalia, et singularia sub ijs contenta, prius naturaliter cognoscamus.

NOn solùm inter vniuersalia consideramus illa, quæ sunt magis communia & superiora, vsque ad ens, quod est supremum, & illa quæ sunt minus cōmunia, suntque inferiora, vsque ad speciem infimam. Sed etiam in ipsis singularibus considerare debemus singularia quatenus determinatè contenta sub vniuersali inferiori, V. g. hic homo, hoc album aut indefinitè cōtenta sub vniuersali superiori, vt hoc animal, hoc coloratum, hoc ens.

Prima sententia. Illi Auctores qui volebant prius à nobis vniuersalia cognosci, pariter volunt inter vniuersalia prius vniuersaliora cognosci: eandem que sententiam sequitur Zabarel. de Ordine intelligendi cap. 11. quamuis secutus esset oppositam sententiam in comparatione singularium cum vniuersalibus. Ita volunt primum cognitum esse vniuersalissimum prædicatum, nempè ens, ita defendit Masius 1. Phys. cap. 1. quæst 7. Aliqui tamen limitant esse ens corporeum, siue ens sensibile. Ita explicat Caiet. q. 1. de Ente & essentia. Aliqui addunt ordinatè deinceps cognosci alios gradus subordinatos vsque ad speciem infimam: ita defendit Masius q. 8. Aliqui verò negant id esse necessarium. Ita Caiet. loco cit.

Secunda sententia. In contrarium Scot. in 1. d. 3. q. 2. & 1. Metaph. q. 10. Maior Lichet. Barg. & alij ead. d. Fracastor. lib. 1. de Intellect. prope finem, & alij asserunt, primum quod inter vniuersalia intellectui cognoscendum se offert esse speciem infimam. Et similiter aliqui volunt ordinatè deinceps concipi gradus superiores vsque ad supremum entis. Aliqui dicunt id non esse necessarium. Fonseca verò 1. Met. c. 2. q. 2. defendit prius à nobis cognosci minus vniuersalia, & species infimas, quā genera, quando nullum adest impedimētum. Et hoc modo conciliare conatur S. Thomam, & Scotum siue vtriusque sententiam.

Non oportet prius cognosci magis aut minus vniuersalia. Dico primò. Non apparere certam aliquam necessitatis rationem, qua prius debeat cognosci magis vel minus vniuersale, siue singulare prout determinans magis aut minus vniuersale; sed indifferenter posse vnum aut aliud prius intellectui cognoscendum offerri. Probatur primò, si intellectus antea percipiat certum aliquod singulare, non est vnde determinetur, vt prius debeat in illo considerare rationem vniuersalissimam entis, aut rationem specialissimam infimæ speciei: sed ex varia occurrentia rerum facilè cōtingere potest, vt vel vnam, vel aliam rationem in aliquo indiuiduo, aut vnam in vno, aliam in alio prius consideret: vt experientia ipsa videtur manifestum. Aut etiam si intellectus non antea percipiat certum aliquod singulare, sed inciperet à cognitione vniuersalium: adhuc non est vnde emergat necessitas conficiendi prius prædicatum magis, aut minus vniuersale, vniuersalissimum, vel specialissimum.

Nec singularia contenta sub magis aut minus vniuersalib. Secundò. Dum intellectus incipit cognoscere singularia, benè fieri potest, vt primò determinatè percipiat indiuiduum certæ speciei vltimæ, videlicet hominem singularem, singulare album, aut aliud. Item fieri potest, vt ab initio solùm percipiat indiuiduum generis superioris, nō discernēdo speciē: vt cùm à longè cōspicitur aliquis veniens, & adhuc nō percipitur an sit homo, vel aliquod aliud animal; vel conspicitur quoddam corpus, & adhuc non percipitur an sit animal vel

quid

quid inanime. Quia autem cognitio intellectiua ab initio fertur circa illud ipsum obiectum, quod proponitur per notitiam sensitiuam; & sensus non potest incipere cognoscere nisi aliquod sensibile; hinc sequitur non posse fieri vt intellectus ab initio percipiat ens, seu singulare entis abstrahendo ab ente sensibili; sed ad summum percipere posse singulare entis sensibilis. Vnde verum est regulariter loquendo in prima acquisitione notitiæ de rebus per ministerium sensuũ, prius quidem cognosci speciem infimam, quando nullum adest impedimentum; prius verò cognosci genus superius, quando adest aliquod impedimentum, quominus res plenè & perfectè percipiatur. At post semel acquisitam rerum notitiam, tunc in repetitione actuum cognoscendi & cogitandi indifferens simpliciter est ordo cognoscendi.

Nec oportet ordinatè cognosci omnes gradus superiores, & inferiores.

Tertiò, specialiter necesse non est, vt ordinatè cognoscantur omnes gradus intermedij, vel descendendo à prædicato supremo, vel ascendendo à specie infima: vt experientia ipsa videtur notum: & ratione suadetur, quia potest intellectus ministerio sensuum moueri, vel ad vnam vel ad aliam rationem percipiendam: aut ex sua met consideratione potest intellectus applicari, vel ad vnam, vel ad aliam rationem cogitandam. Et hinc rursus infertur, nec esse necessarium ex natura rei, ab initio incipere à prædicato supremo, vel à specie infima, quia si quæ ratio ad id cogeret, ferè etiam cogeret ad ordinatam cognitionem omnium graduum intermediorum: ergo si ad hoc non cogit, nec etiam cogit ad initialem illam cognitionem certi gradus.

Ad cognitionẽ explicitam minus vniuersalium requiritur conceptus magis vniuersaliũ.

Dico secundò, ad cognitionem distinctam & explicitam rerum, requiritur cognitio graduum superiorum ad hoc, vt naturæ inferiores explicitè & distinctè cognosci dicantur. Hæc assertio sequitur ex dictis sect. præced. Et patet manifestè, quia tunc explicitè & distinctè cõcipitur aliqua natura, quando percipiuntur gradus essentiales eius. Tunc explicitè concipitur homo, quando percipitur animal rationale: & tunc animal, quando viuens sensitiuum; & sic vsque ad gradum supremum, Iuxta hoc notauit Aristot. 6. Topic. loc. 82. genus esse notius, quia est communius. Ita ergo ad explicitam cognitionem eorum quæ sunt minus vniuersalia se habet quodammodo prius notitia eorum, quæ sunt magis vniuersalia, quoniam hæ sunt prædicata superiora & essentialia minus vniuersalibus.

Non semper debet natura progredi ab imperfecto ad perfectũ.

Contra primam conclusionem, obijc. 1 fundamentum S. Thom. Natura in suis operationibus solet incipere & progredi ab imperfecto ad perfectum: vt notum est in multis exemplis: ergo similiter in cognoscendo similem ordinem seruat. Igitur prius naturaliter cognoscimus prędicatum supremum, quæ est imperfectissima cognitio: & deinceps progredimur ad gradus consequentes vsque ad vltimum. Imo si gradus ipsi essentiales sumerentur realiter ex distinctis formis; vtiq. in producẽdis rebus, prius natura efficeret formam dantem gradum superiorem, & deinde ordinatè reliquas.

Respondetur, tunc naturam debere progredi ab imperfecto ad perfectum, quando imperfectum est dispositio prærequisita ad magis perfectum: alioqui constat non obseruari talem ordinem. Nam in ipso exercitio cognoscendi intellectus procedit ab assensu præmissarum ad assensum conclusionis; & tamen assensus præmissarum est per se nobilior. In casu autem nostro cognitio graduum superiorum non est dispositio necessaria ad cognitionem implicitam & confusam naturæ inferioris. Esset quidem forma dans gradum superiorem, necessaria dispositio in essendo ad aliam formam dantem gradum inferiorem: tamen non idẽ est in cognoscendo. Sicut causæ sunt quidem necessariæ ad hoc vt res sit: non tamen cognitio causæ est antecedenter necessaria ad qualemcunq. cognitionem effectus; quinimo sæpissimè ex effectibus potius ducimur in notitiam causarum.

Non oportet ens in communi esse primò cognitum ab intellectu.

Obijcies secundò, illud est primò cognitum ab intellectu, cui primò conuenit ratio obiecti adæquati intelligibilis; sicut illud primò oculis cernitur, cui primò conuenit ratio colorati, seu visibilis: sed obiectum adæquatum intellectus est ens in communi; vnde id cui primò conuenit hæc ratio obiecti; & ratio intelligibilitatis, est vtique ipsum ens in communi: ergo hoc est primò cognitum ab intel-

intellectu. Similiter in cognitione iudicatiua prima propositio, quæ cognoscitur, est illa vniuersalissima, quodlibet est vel non est. Ergo in cognitione apprehēsiua primum quod concipitur est ens.

Respondetur, obiectum adęquatum intellectus non esse ens in communi, quasi in statu communitatis sumptum, sed esse omne ens, siue in communi, siue in specie, siue in indiuiduo sumptum: ergo omne ens est ex hac parte æquè primo intelligibile ab intellectu. Et iuuat etiam exemplum allatum. Nam primum quod oculis cernimus non est vtique coloratum in communi, sed aliquod particulare coloratum: ita ergo licèt intellectus possit quidem non solùm singularia, sed etiam vniuersalia cognoscere; tamen potest prius singularia, & non necessariò debet ante omnia percipere vniuersalissimum entis prædicatum. Similiter non oportet primam propositionem, quæ cognoscitur ordine originis, & generationis esse illā vniuersalissimam; quinimo potius solent aliæ propositiones particulares, & sensibus proximæ prius dignosci.

Ad conceptum implicitum speciei nō requiritur conceptus distinctus graduum superiorum.

Obijc. 3. Ens intimè imbibitur in quocunque alio obiecto: imo omnes gradus superiores intimè includuntur in omni natura inferiori: ergo impossibile est cōcipere naturas inferiores sine præuio conceptu entis & aliorum graduum superiorum. Hinc etiam facilior est notitia superiorum, nam pauciora requirit; ergo est naturali ordine prior.

Respondetur vtique in conceptu naturæ inferioris includitur implicitè conceptus entis & omnium graduum superiorum. Ad notitiam etiam explicitam requiritur explicitus conceptus illorum. Sed quod negamus est, debere esse priorem distinctum, & peculiarem conceptū entis, aliorumquè graduum superiorum ante conceptum confusum naturæ inferioris. De hoc enim est controuersia. Similiter fatemur faciliorem esse conceptum gradus superioris, quam conceptū explicitum naturæ inferioris, qui requirit tantū illum conceptū gradus superioris. tum etiam alium alterius gradus essentialis. Sed benè potest esse facilior & propinquior conceptus implicitus & confusus naturæ inferioris.

Sensus nostri ab initio possunt res in speciali percipere.

Obijc. 4. Quando sensus nostri impedimento aliquo detinentur prius percipiunt singularia magis communia, quàm propria: vt ex impedimēto distātiæ prius percipitur animal, quàm homo, & corpus quàm animal. Aut etiam quando singulare proprium vltimæ speciei percipitur: saltem valet dicere efficacius & vehemētius moueri sensum accidentibus sensibilibus communibus, quàm proprijs. Sed ab initio humani sensus valde impediti & crassi sunt ob indispositionem intrinsecam organi sensitiui, & tunc multò magis mouentur accidentibus communibus, quàm proprijs; ergo semper naturali necessitate prius ab intellectu humano percipiuntur communia quàm propria.

Respondetur, non apparere tale impedimentum in humanis sensibus ab initio, quo non possint percipere determinata, & propria singularia. Sed per sensum visus statim percipi potuit color albus, vel alius in specie, per sensum tactus calor & frigus, per sensum gustus certus sapor. Nec etiam necesse est sensus vehementius moueri accidentibus communibus, quàm proprijs, vt patet in ijsdem exemplis. Sed etiam si efficacius mouerentur, non sequitur prius illa percipere, sed possunt adhuc simul omnia.

Non oportet primā notitiam intellectus esse perfectissimam.

Obijc. 5. fundamentum Scot. causa naturalis non impedita, producit ab initio effectum perfectissimum; sed perfectissima est cognitio speciei infimæ, in qua nimirum includuntur omnes gradus superiores, & intellectus non est impeditus à tali cognitione. ergo ab initio primum cognitum est species infima.

Respondetur. Si intellectus ab initio acquirat speciem intētionalem repræsentatiuam speciei realis infimæ, siue indiuidui prout determinata est certæ speciei; tunc quidem elici ab intellectu conceptū determinatum talis speciei. Sed potest fieri vt intellectus acquirat speciem intentionalem repræsentatiuam rei sub cōceptu magis vago & indeterminato, & tunc sub tali communiori conceptu rem percipiet: quoniam intellectus non est expeditus, neq. adest tota causa requisita ad cōceptū determinatū certæ speciei. Et præterea qū homo est cōpos suæ libertatis, nō cogitur sēper proferre perfectissimū conceptū, quē posset, sed est causa libera potēs varias cōsiderōnes exercere.

Obij-

Qualiter notitia explicita requirat cõceptũ omniũ graduũ superiorum.

Ob. demum 6. cont. secundam concl. si ad conceptum explicitum naturæ inferioris requiritur cõceptus distinctus graduum superiorum; sequitur ad concipiendam explicitè speciem aliquam infimam, debere distinctè cognosci omnia genera superiora & differentias, quod videtur impossibile, quia huiusmodi prædicata possunt in infinitum multiplicari. aut saltem est difficillimum: cùm potius ex opposito Aristot. 2. Poster. tex. 82. doceat facilius esse definire singulare, quàm vniuersale. vbi per singulare intelligit speciem inferiorem per vniuersale genus superius, vt est manifestum in textu.

Resp. vere quidem ad notitiam omni ex parte explicitam & perfectam requiri conceptum omnium graduum essentialium. Et ad notitiam, quæ à nobis haberi potest requiritur cõceptus omnium graduum qui recta serie vsque ad summum per essentialem subordinationem deduci possunt, qui sanè non sunt in magno numero, neque id est multum difficile. Ad notitiam tamen proximam explicitam sufficit conceptus eorum graduum essentialium qui sunt proximi, scilicet generis & differentiæ, & hoc sufficit ad discrimen eius notitiæ implicitæ, in qua res sine omni distinctione conceptus apprehenditur. Arist. autem ibi cum supra tradidisset duplicem viam inuestigandi definitionem vnam de specie inferiori per prædicata superiora, alteram de genere superiori per species inferiores, solùm docere voluit faciliorem esse illam viam de specie inferiori. Eas autem duas vias inuestigandi definitionem, commemorauimus ex Arist. cum de definitione egimus inter instrumenta cognoscendi.

SECTIO QVINTA.
An Substantiam vel accidentia prius naturaliter cognoscamus.

Sẽtentia affirmans prius cognosci substantiam.

SOncinas 7. metaphys. quæst. 13. cui consentit Iauell. quæst. 3. contendit prius à nobis naturaliter intelligi substantiam quam accidentia. Putat esse sententiam Arist. & commentatoris. Nam Arist. 7. metaphys. text. 4. clarè docet substantiam esse priorem accidentibus ratione, & cognitione &c. Probat quibusdam alijs rationibus, sed præcipuum fundamentum ad quod aliæ rationes reduci possunt, est quia accidens essentialiter constituitur per ordinem ad substantiam: est enim entis ens: ergo non potest concipi sine tali ordine: igitur non potest cognosci ante substantiam: sed potius tam in cognoscendo, quam in essendo dependet à substantia; & sicut substantia est prior accidentibus in essendo, ita etiam in cognoscendo.

Sententia affirmans prius cognosci accidentia.

Communior sententia docet prius naturaliter a nobis cognosci accidentia quam substantiam. Ita docent Herueus quodlib. 3. quæst. 6. Richar. in 2. distin. 24. artic. 3. quæst. 3. Scot. in 1. dist. 3. & 7. metaph. quæst. 3. Iandun. item 7. metaph. quæst. 3. Anton. Andr. quæst. 4. Suessan. di sput. 4. Suarez disp. 38. metaph. section. 2. Conimbr. 1. phys. cap. 1. quæst. 5. Zim. in sua quæst. de pri. cogn. & alij dũ disputãt quodnam sit primum cognitum. Explicant autem hi authores primum quod à nobis cognoscitur, non esse accidens in abstracto & nudè sumptũ, sed potius in concreto, prout inuoluit subiectum: & ita admittunt quodammodo virtualiter & implicitè cognosci substantiam. Fauet etiam huic senten. Auerr. 1. physic. com. 4. 6. metaph. com. 1. & lib. 7. com. 9. Arist. etiam 7. metaph. text. 10. dum significat substantiam esse cognoscendam ex ijs quæ sunt nota in nobis, licèt minus nota natura & simpliciter .. & addit ea quæ sunt priùs nota nobis solere esse parùm nota in se, & parùm aut nihil entis participare: qui loquendi modus maximè ad accidentia referri videtur. Fundamentum huius sententiæ sumitur ex antea dictis, quia accidentia sunt quæ percipiuntur à sensibus, atque adeò priùs quàm substantia intellectui offeruntur.

Resolutio affirmans prius cognosci materialiter accidẽtia.

Pro resolutione dicendum est, prius quidem naturaliter cognosci à nobis illa quæ in re sunt accidentia: non tamen statim cognosci quatenus sunt accidentia distincta à substantia, eique inhærentia: quinimo sub ratione explicita & determinata accidentis dependent potius in cognoscendo à substantia. Explicatur & probatur assertio. Primũ quod intellectu cognoscimus, est illud ipsũ quod sensibus offertur & repræsentatur quã intellectus no-

noster acquirit rerum notitiam mediante ministerio sensuum, per species quas ex sensibus haurit, & per notitiam sensitiuã. Sed per sensus primò percipiuntur accidentia, vt notum est. Imo vel nullus omnino sensus attingit vllo modo substantiã sub accidẽtibus inuolutam: vel si qui sensus internus attingit ipsam substantiã,(de qua re erit suo loco de Anima disputandũ)adhuc prius,et per se percipit accidẽtia. Insuper vel non datur species impressa propria substantiæ præter species per se & directè repræsentatiuas accidentium: vel si datur species distincta substantiæ (de qua etiam re erit ibidem disputandum) adhuc prior ordine originis & generationis est species accidentium. Omni ergo via & ratione prius ab intellectu nostro percipiuntur illa, quæ realiter & essentialiter sunt accidentia, videlicet qualitates sensibiles, quæ sensibus obijciuntur.

Non formaliter quatenus accidẽtia sunt.

At verò in hac prima notitia non discernimus, an illa quæ percipimus existant per se vel in alio, neque percipimus distinctionem accidentium & substantiæ. Quinimo non nisi industria, & discursu ex mutatione accidentium deprehendimus, distingui subiectum aliquod per se existens, & formas ipsi subiecto accidentaliter inhærentes. Vnde homines rudes, & Philosophiæ expertes sępè,ne cogitarunt quidem de hac distinctione. Itaque non statim in prima notitia cognoscuntur accidẽtia quatenus accidentia: sed solùm cognoscuntur materialiter videlicet album, dulce, calidum, & reliqua non discernendo, nec cogitando has esse qualitates inhærentes substantiæ, sicut reuera sunt.

Sed explicitè et formaliter prius quodammodo cognosci substãtiam.

Tunc autem cognoscentur explicitè & determinatè sub ratione accidentis, cum inuenta distinctione subiecti, & formæ cogitamus albedinem, & sic de alijs,esse formam inhærentem subiecto. Hoc autem planè dependet ex notitia ipsius subiecti, vt patet. Atq. ad plenã rei notitiã oportet deuenire ad subiectum primum per se existens non immixtum alteri subiecto: & hæc est substantia. Determinata ergo & explicita notitia accidentium dependet à substantia. Non dico oportere esse distinctos cognitionis actus vnum de substantia, alium de accidentibus: & priorem omnino esse debere cognitionem substantiæ. Sed etiam si vno eodemquè actu intellectus deprehendat & cogitet distinctionem accidentium à substantia complectendo vtrunque simul, tamen in hac ipsa cognitione consideratur aliquis ordo: quoniam accidens cogitatur per respectum ad substantiam, tanquam dependens à substantia. Et ideò ex parte obiecti saltem accidens dependet à substantia in cognoscendo, & ex parte actus non cognoscitur antecedenter & præcisè à substantia, quando cognoscitur formaliter tanquam accidens.

Conciliantur fundamenta vtriusque sententiæ.

Iuxta hoc intelligetur optimè dictum illud Aristot. substantiam esse priorem ratione & cognitione accidente: quoniam accidens formaliter definitur, concipitur, & consideratur dependenter à substantia, & per ordinem ad substantiam tanquam ad causam suam. Sic & lib. 7. Metaph. docet in definitione accidentis debere poni substantiam: quoniam essentia accidentis consistit in habitudine dependentiæ ad substantiam. Ad hoc etiam tantùm probandum efficax est fundamentum prioris sententiæ allatum: neque probat nõ posse illud quod est accidens antecedenter cognosci implicitè & confusè non cogitando de ipsa ratione accidentis,eiusquè dependentia à substantia. Sicut & fundamentum secundæ sententiæ tantùm probat priorem conclusionis partem, nec impugnat posteriorem.

SECTIO SEXTA.

Quænam alia prius aut posterius naturaliter cognoscamus.

Alias quasdam comparationes rerum cognoscibilium, ne quicquam intactum relinquamus, simul breuiter expediemus.

An prius cognoscatur essentia, vel proprietates.

Primò, dubitari potest, an prius cognoscamus essentiam vel proprietates & attributa rerum. Et hoc siue in substantijs siue in accidentibus. S. Thom. prima parte quæst. 85. art. 5. apertè docet primum & proprium obiectum intellectus esse quidditatem ipsius rei: deinde verò intelligi proprietates & accidẽtia & habitudines circumstantes rei essentiam,

Aliqui

Aliqui etiam in hoc sensu intelligunt dictum illud Arist. substantiam esse priorem accidentibus in cognoscendo; accipientes substantiam pro essentia, accidentia pro proprietatibus rerum. Ex alia parte compertum est, solere nos ex proprietatibus & attributis rerum inuestigare & inuenire rerum essentias: quoniam essentiæ sunt magis reconditæ & occultæ, proprietates verò magis obuiæ & in conspicuo positæ. Atque Arist. ipse 1. de Anima textu 11. apertè docuit accidentia multùm cõferre ad cognoscendam quidditatem rei: quia cum nota nobis fuerint accidentia rei: tunc possumus optimè cognoscere rei substantiam idest essentiam.

Pro resolutione dicendũ est, posse quidem & solere prius haberi à nobis conceptus aliquis rudis confusus & imperfectus de quidditate rei: at per proprietates & attributa solere subinde à nobis acquiri explicitam & distinctam notitiam de quidditate & essentia rei. Patet quia hoc ipso quod simpliciter rem concipimus, id planè est concipere saltem imperfectè & ruditer quidditatem rei. Vnde prima apprehensio intellectus dicitur esse circa quidditatem rerum. Et hoc planè voluit ibi Sanct. Thom. Et de hoc nos egimus proprio loco de simplici apprehensione. At explicitè & distinctè solemus eandem ipsam rei essentiam concipere per ordinem ad proprietates consequentes ab essentia, & ex proprietatibus nobis notis solemus inuenire & distinctè explicare propriam rei essentiam, & hoc docuit Arist. & frequens vsus ostendit.

An prius res vel causa.

Secundò dubitari potest an prius cognoscamus res ipsas vel causas & principia rerum. Aristot. 1 phys. text. 1. significat prius cognosci causas & principia, & ex iis cognosci reliqua. Et 1. Metaphys. cap. 2. *maximè scibilia sunt ipsa prima & causa: propter hæc enim & ex his cætera cognoscuntur, sed non hæc per subiecta*. Et hanc rationem præmittit Aristot. in vtroque opere, vt incipiat agere de rerum principijs. At ex alia parte compertum est, prius solere esse nobis notas res ipsas & effectus, & ex ijs inquirimus & inuestigamus causas; statim enim & facilè perspicimus ipsas res: sed non nisi diligenti perquisitione, & sæpè magna cum difficultate inuenimus rerum causas. Vnde Arist. ipse 1. Metaphys. cap. 2. notauit homines ex admiratione incepisse philosophari: vtique quia ab initio videbant effectus, & ignorabant causas, & inde cœperunt inquirere causas.

Pro resolutione dicendum est, cognitione quidem experimentali & imperfecta prius solere à nobis cognosci res quàm causas: & hoc satis probat ipsa experientia. Vnde passim multò plures sunt ij, qui res cognoscunt, quàm qui perspectas etiam habeant causas. At perfecta & clara nobiliorique cognitione prius debere cognosci causas, & ex causis effectus. Nam hoc propriè est scire rem per causam, & ex causa deuenire in cognitionem effectuum: & hic est præstantior modus demonstrationis & scientiæ. & de hoc genere cognoscendi debet intelligi Aristot. locis citatis. Itaque præcedere quidem solet imperfecta quædam notitia rei, & per hanc manuducitur intellectus in notitiam causæ: sed rursus per notitiam causæ habetur perfectior & nobilior cognitio rei. Interdum etiam contingit vt absolutè prius cognoscatur illud quod est principium & causa, & ex illo intellectus edificat aliud quod ex tali causa prouenit, & prius erat ei prorsus ignotum: quando videlicet ipsa causa vel immediatè per euidentiam suam, vel alio medio innotuerit.

An prius anima cognoscat se ipsã vel alia à se.

Tertiò dubitari potest, num anima nostra prius cognoscat seipsam & ea quæ in se sunt, vel potius alia à se & quæ sunt extra se. D. August. libro octauo de Trinitate capite sexto significat mentem humanam prius & ante alia omnia cognoscere se ipsam, & ex se ipsa cognoscere alia. & rursus libro decimoquarto capit. 4. & 6. idem videtur asserere. *Nihil enim tam nouit mens, quàm id quod sibi præsto est: nec menti quicquam magis præsto est, quàm ipsa sibi. & declarat quomodo etiam in infantibus mens cognoscat se ipsam.*

Dicendum tamen est animam humanam dum est coniuncta corpori prius intelligere alia à se, & ex ijs deuenire in notitiam sui ipsius. Ita præclarè docuit Arist. libro tertio de anima text. octauo. Et patet experientia in prin-

principio enim homines cognoscere incipiunt ea quæ ipsis exterius proponuntur: in progressu autem nonnisi per reflexionem ex ipsis operationibus, quas anima exercet, & per discursum ex rebus alijs cognoscit se ipsam. Imo ea quæ ad ipsam animam pertinent à plurimis ignorantur, & à peritis nonnisi magna industria & labore cognita sunt, etiam ea ipsa, quæ pertinent ad ipsum intellectum cognoscentem, suosquè actus & principia cognoscendi; vt satis compertum & exploratum est. Ratio autem huius rei est, quia anima dum est in corpore, non intuetur immediatè seipsam, sicut Angeli perspicuè se ipsos vident: sed dependet in suis operationibus & cognitionibus ab organis corporeis, indiget speciebus acquisitis, & ministerio sensuum. Ideò non prius, & immediatè cognoscit se ipsam: sed prius cognoscere debet ea, quæ sensibus percipiuntur, eiquè proponuntur, & ex ijs ducitur in notitiam aliarum rerum quæ non cadunt sub sensum, & ita ducitur etiam in notitiã sui ipsius. Animæ tamen a corpore separatæ benè potest alius modus cognoscendi competere. Sed de hoc nunc non agimus. Atqui dum est in corpore, anima multò faciliùs per experientiã ipsam cognoscit se esse, & operari, quàm discernat quid & qualis sit ipsa operatio, quid & qualis sit ipsa anima.

D. Aug. autem ipsemet declarauit, humanam mentem non prius cogitare se, quam alia, imo prius alia. Sed solùm docere voluit, animam esse sibi coniunctissimam, & proximã in actu primo ad hoc, vt possit cognoscere seipsam: quamuis dum est in corpore impediatur ab exercitio huius cognitionis; & ideò non intueatur de facto clarè se ipsam, ac etiam in infantibus habet quidem illã virtutẽ, non tamen promptam in actu & expeditã; & ideò potius in actu cognoscit alia à se, vt ex illis tandem modo proportionato huic statui coniunctionis cognoscat se ipsam.

An prius cognoscamus Deũ, vel creaturas, vel immateriales, vel materiales.

Quartò dubitari potest, Vtrũ priùs cognoscamus Deum ipsum, vel res creatas. V. prius res immateriales, vel materiales. Disputat de hac re S.Tho. 1. p. q. 88. vbi art. 1. refert Plat. sensisse substãtias immateriales esse primũ quod à nostro intellectu cognoscitur, qui ideò posuit formas separatas, quas vocauit ideas, tanquã proprium & primum obiectum nostri intellectus. Et art. 3. arg. 1. refert dictũ Aug. nos oĩa in luce primę veritatis agnoscere & per eã de oĩbus alijs iudicare: ex quo sequi videtur priùs à nobis cognosci Deũ, & per ipsũ Deum cognosci res creatas. Atq. Opusc. 70. q. 1. art. 3. refert quosdam de facto affirmasse primum quod à nobis cognoscitur etiam in hac vita esse Deum ipsum, & aliquos dixisse primum cognitũ esse influentiam diuini luminis.

Certù tamen est prius à nobis cognosci res creatas, quã Deũ, prius res materiales, quã immateriales. Ita S.Tho. & alij oẽs. Vnde S.Tho. art. 3. concl. primũ quod à nobis cognoscitur pro statu præsentis vitæ esse quidditatẽ rei materialis. Atque ex rebus creatis & materialibus, cognosci à nobis Deus & res immateriales. Colligitur apertè ex Script. ad Rom. 1. *Inuisibilia enim ipsius à creatura mundi, per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur*. Et ratione probatur ex dictis quia noster cognoscẽdi modus pro statu præsentis vitæ, est per species ministerio sensũ acquisitas, & ex rebus sensibilibus haustas. Nec quicquã nisi hac via cognoscere possumus. Vnde Arist. 3. de Ani. tex. 30. *Nunquam sine phantasmate intelligit anima*. Cũ ergo Deus & res immateriales nõ cadãt sub sensũ, nõ possĩt primò à nobis cognosci. Sed ad summũ per discursũ & notitiã rerũ materialiũ, quæ cadũt sub sensum, possumus vlterius in illarũ rerũ notitiã deuenire: igitur omnino prius cognoscimus res materiales, quæ sunt nobis propinquæ & sensibus notæ. Plato autem deceptus est in illis suis formis separatis earumq. cognitione. D. Aug. aũt docere voluit ipsummet intellectũ nostrum, per quẽ res cognoscimus esse lucẽ, idest participationẽ quandã diuinæ veritatis. Plura ad confirmationẽ & defensionẽ huius rei videri possunt apud S. Thom.

Postremò, aliæ cõparationes quæ iuxta innumeras alias rerum varietates fieri possent, vel nihil faciunt ad ordinem cognoscendi, vel non aliquam peculiarem difficultatem afferunt. Vel si quid supererat explicandum; satis erunt, quæ de artificiali scientiarum ordine mox dicentur.

SECTIO

SECTIO VII.

Quonam ordine disponi debeat, qualibet scientia circa suum obiectum.

SVpponimus quamlibet scientiam totalem in se debere habere certum obiectum sibi proprium & adæquatum, circa quod versetur. Hinc consequenter qualibet scientia debet ordinatè suũ obiectum, & ea quæ illi conueniunt considerare. Et quidem dupliciter potest quis certum ordinem sibi eligere, iuxta duplicem modum quo potest scientia aliqua pertractari. Vnus dici potest ordo & modus expositionis: alius inuentionis, seu tractationis.

Potest sciẽtia disponi, vel ordine expositionis, vel tractationis.

Primus est, quando aliquis assumens sibi certum Auctorem, à quo inuenit talem scientiam antea traditam, conatur illum probè intelligere & explanare, vt eius mentem percipiat, doctrinamquè sequatur. Hic vtique non debet amplius de ordine esse sollicitus: sed non nisi ordine librorum, tractatuum, & quæstionum illius Auctoris procedere debet.

Secundus ordo & modus est, quando quis suomet ingenio & industria intendit aliquam scientiam tradere, licèt inueniat antea ab alijs traditam & conscriptam. Tamen non tam satagit alterius cuiuspiã Auctoris dicta, sensaque percipere: quàm potius principaliter conatur, rationibus omnibusquè medijs veritatem inuenire & assequi, quærendo & disputando de rebus ipsis. In qua via potest adhuc inter varia media etiam aliorum auctoritatibus vti. Hæc Methodus, vt rarior, ita sanè excellentior est: maximè si rectus & optimus scientiæ ordo, iuxta rerum exigentiam inueniatur & obseruetur.

Præstantior est ordo tractationis: & de hoc deinceps agitur.

Et præsertim omnium maximè à recto ordine deuiare videntur, illi qui vtrunque munus expositionis ac disputationis permiscentes, & textum aliquem exponendum, & quæstiones incidentes disputantes, assumunt. Nam occasione quorumcunque verborum, quæ ab Auctore textus interponuntur, ex professo suas quæstiones instituunt, quæ prorsus extra locum, & ordinem ibi inseruntur. Neque defectus ordinis est in Auctorem textus refundendus, qui incidenter & obiter aliquid commemorat, quod non erat eo loco exactè tractandum: Sed ordinem peruertunt illi, qui præter rem ibi eas quæstiones disputant. Hinc sæpissimè videre est, in scientijs philosophicis theologicas, & in Theologia philosophicas quæstiones permisceri: & inter ipsas philosophicas disciplinas, de vna ad aliam varias quæstiones transferri: & intra eandem scientiam de vno ad alium tractatum. Vnde si conferantur ipsæ quæstiones inter se, prorsus sine ordine, sine connexione, & penitus disparatæ apparent: vidit egregiè hoc inconueniens S. Thom. in Prolog. Summæ: quando, *Ea quæ sunt necessaria talibus ad sciendum, non traduntur secundum ordinem disciplinæ, sed secundum quod requirebat librorum expositio, vel secundum quod se præbebat occasio disputandi.* Et hæc fuit vna ex potissimis rationibus, quæ impulit Doctorem Angelicum, vt relicto ordine expositionis super Magistrum Sententiarum, suomet ordine, quem sanè præclarissimum excogitauit, denuò sacram Theologiam conscripserit. Iure ergo ac meritò hic ordo præferendus & valde commendandus est.

De hoc ordine modò quærimus, quonam modo scientiæ ritè disponendæ sint ex ipsa scilicet rerum natura & exigentia scientiarum.

Primò satis certum & notum est, debere scientiam prius considerare obiectum suum in communi secundùm totam vniuersalitatem quam habet, deinde singulas distinctas species quæ sub tali genere continentur. Ita notauit optimè Aristot. 1. Physic. tex. 57. secundùm naturæ ordinem debere prius ea quæ communia sunt, deinde quæ sunt propria cõsiderari. Et libro tertio textu secundo, *Posterior est de proprijs speculatio ea qua de communibus est*, Similiter libro primo de Partibus Animalium capite primo & 4. docet, prius esse de communibus & vniuersalibus; deinde de speciebus singulis differendum. Ita etiam de facto communis vsus omnium scientiarum & facultatum obseruat.

Priùs debet scientia agere de suo obiecto in generali, postea in speciali.

Rationes autem huius ordinis plures reddi

Plures sūt huius ordinis rationes. reddi possunt. Tum ex Aristot. quia si priùs de distinctis speciebus ageretur, oporteret eadem sæpius repeti, in singulis videlicet speciebus ea quæ omnibus communia sunt. Tum præcipuè quia ad perfectam cognitionem specierum necesse est cognoscere genus, & quæ generi insunt; quoniam sunt de natura speciei: non autem è cōuerso ad exactam notitiā generis requiritur notitia singularum specierum; quia species, & quæ sunt speciei propria, non sunt de natura generis. Omnino ergo prius de communibus & vniuersalibus scientia agere debet. Tum etiam scientiæ intendunt tradere explicitam & distinctam rerum notitiam: sed ex natura rei notitia vniuersalium requiritur ad explicitam cognitionem inferiorum, vt antea dictum est: ergo ab vniuersalioribus incipiendum est. Quoad notitiam verò confusam, licèt prius singularia intellectui offerantur, vt dicebamus: tamen non est de hoc curandum. Imò de ipsis singularibus in indiuiduo sumptis non tractant scientiæ. Sed præterea non oportet, priùs cognosci singularia, quatenus sub infimis determinatis speciebus continentur; sed possunt prius cognosci secundùm determinationem generis superioris: ille ergo ordo confusæ cognitionis non impedit ordinem scientificum ab vniuersalioribus ad inferiora. Tum demum vniuersalia, quantum ad statum essentiæ secundum quem maximè in scientijs considerantur, sunt quodammodò priora suis inferioribus: ac etiā quantum ad illationem essendi; quia ex quocunque inferiori benè infertur dari naturam superiorem, & non è conuerso. Vniuersalia etiam dicuntur quodammodo principia suorum inferiorum: quæ omnia patent ex dictis q. 8. sect. 15. Ergo his omnibus rationibus prius est de vniuersalioribus agendum, vt scientia recto ordine disponatur.

Priùs debet sciētia agere de suo obiecto directè, postea de ijs quæ ad illud reducuntur. Secundò, quoniam scientia ita assumit sibi vnum adæquatum obiectum, vt obiectum sit & dicatur adæquatum per attributionem, idest ad quod reducuntur alia omnia quæ in eadem scientia considerantur. hinc debet primo loco ipsa scientia per se & directè considerare ipsum obiectum: deinde per reductionem ad illud debet considerare alia quæ illi attribuenda sunt. Est res clara, quia hoc modo ipsum obiectum directè & per se consideratur, & ad illud alia consequenter reducuntur & ordinantur, tanquam aliquid eius, vt tanquam causæ eius, aut alio modo. Ita etiam colligitur ex Arist. 12. Metaphys. tex. 52. vbi in vniuersum de ijs quæ ordinata sunt ait: ***Ad vnum namque coordinata sunt omnia.*** Et præsertim septimo Metaphys. text. 23. vbi ait in arte medendi & sanandi primo considerari debere sanitatem, deinde consequenter remedia, & prius illa quæ sunt propinquiora sanitati. Ita ergo in omni alia scientia & facultate, siue practica, siue speculatiua, primo loco debet considerari id quod directè & per se intenditur, & deinde alia quæ ad illud pertinent ac reducuntur.

Sic etiam regulariter in suis libris Aristot. obseruauit. In scientia morali primo loco agit de hominis beatitudine. Hic in Logica, in libris Prior. resolution. ante omnia proponit ipsum syllogismum, & in libris Posterior. resolut. scientiam ac demonstrationem: & deinde prosequitur ea quæ ad hæc obiecta partialia reducuntur. Similiter in aliis libris philosophicis obseruauit. Alii etiā probati authores, qui exactè & ordinatè scientiam aliquam vel tractatum conscribendum assumpserunt, hoc ordine res disponere conati sunt. Quòd si interdum nō inuenimus, Aristotelē præmisisse directè tractatum de obiecto totali, quod in aliqua scientia considerandum aggrediebatur: vt in Logica non habemus aliquem primum tractatum de obiecto Logicę; & in Physica statim incepit agere de principiis. Id vel prouenit ex eo quòd ad nos non peruenerunt omnes tractatus & libri ab illo conscripti. Vel quia non semper omnia exactè conscribere satagebat. Vel quia aliqua, quæ præmitti debuissent, tanquam clariora & faciliora supponebat. Alioqui constat, multa vtiliter à posterioribus scientiarum tractatoribus addita esse, quæ ab Aristotele vel prætermissa, vel breuiter & incidenter extra ordinem indicata erant.

Potest etiam interdum peculiari aliqua ratione expedire, prius præmittere ali-

aliquid, ex quo ipſum principale obiectũ directè conſiderandum & explicandum ſit; quando ſcilicet id neceſſarium, aut valde opportunum ad ipſius obiecti notitiam videbatur. Et quidem Auerroes primo Phyſicorum in fine ſignificauit, & fuſius explicat ac defendit Zabarell. libro de Ordine intelligendi capite nono, proprium & legitimum initium Phyſicæ eſſe à ſecundo libro, in quo Ariſtoteles agere incipit de Natura, quaſi directè tractans de entibus naturalibus, ſiue de corpore naturali. Idquè ſumitur ex ipſo Ariſtotele qui primo Phyſicorum in fine ait, ſe velle ſumere aliud principium.

Inter ſpecies obiecti triplex ordo ſeruari poteſt.

Tertiò, quia ſub obiecto in genere ſumpto directè continentur plures ſpecies, quæ per ſe ac diſtinctè ab eadem ſcientia conſiderandæ ſunt: triplex ordo in ijs collocandis obſeruari poteſt. Primus eſt excellentiæ & dignitatis, quo illa prius collocentur, quæ ex natura ſua nobiliora & digniora ſunt. Sic Ariſtoteles ſecundo de Partibus Animalium capite decimo, rationem reddit, cur ibi prius de homine, quàm de cæteris animalibus diſſerere voluerit, quia homo maximè eſt Diuinitatis particeps. Secundus eſt ordo originis & generationis, ſeu cauſalitatis, quo illa antea collocentur, quæ prius gignuntur & extant, & maximè ſi reſpectum aliquem cauſalitatis ad alia habeant. Sic in Logica prius egimus de prima, poſtea de ſecunda, poſtremò de tertia operatione intellectus. Et in Phyſica prius agitur de corporibus ſimplicibus, nempè elementis, quàm de mixtis: prius de corporibus cæleſtibus, quàm de inferioribus. Tertius generali nomine dici poteſt ordo commoditatis & facilitatis: quando nempè, non attento ordine dignitatis, aut exiſtentiæ & cauſalitatis, illa prius conſiderantur, quæ faciliora ſunt, aut quæ aliqua ratione conferre poſſunt ad notitiam aliorum. Ex his autem ordinibus, interdum vnus, interdum alius, pro varia rerum opportunitate, & ſcientiarum vtilitate ſeruatur.

Quartò. Quia inter ea quæ ad obiectum directè conſideratum reducuntur, diſtinguuntur cauſæ & proprietates, explicandus eſſet ordo, quo diſponi debeant. Sed de hoc commodiùs ſectione nona dicemus.

Quis ordo ſeruandus ſit inter plures quæſtiones de eodem ſubiecto.

Quintò vlterius, quia non ſolùm enitendum eſt, vt inter plures tractatus eiuſdem ſcientiæ de diuerſis obiectis partialibus debitus ordo ſeruetur: ſed etiam vt in quolibet vno tractatu de vno ſubiecto, omnia quæ occurrunt, recto ordine diſponantur: de hoc etiam eadem ſectione loquemur. Mox enim diſtinguemus, & ad certa capita colligemus quæcunque debeat de ſuo obiecto quælibet ſcientia pertractare, & quæſtiones omnes quas diſcutere debet; vt tandem debitum ordinem præfigamus.

Quis ordo ſeruandus ſit in qualibet quæſtione diſponenda.

Sextò, in qualibet vna quæſtione, ſiue quæſito aut dubio quod proponitur, oportet etiam in eius tractatione rectum, & conuenientem ordinem obſeruare. Itaque ſi in primis ſenſus quæſtionis non ſit adeò clarus & perſpicuus, vt ſtatim ab omnibus percipiatur, debet in principio explicari. Deinde ſi reſolutio quæſtionis plana & aperta ſit, ſine dubitatione & contradictione ſententiarum, debet ſtatim manifeſtari & comprobari. Si demum excogitari poſſint argumenta quæ in contrarium opponi poſſint, debent afferri & reſolui.

Si autem reſolutio quæſtionis ſit ambigua, & circa illam extent variæ ac repugnantes Auctorũ ſententiæ, multiplex ordo ſeruari poteſt. Vel prius aperiendo & confirmando propriam ſententiam: tum referendo & repellendo oppoſitas. Quem ferè ordinē ſeruauit Ariſt. 3. Phyſ. agens de ratione motus. Vel è conuerſo prius referendo & reijciendo minus probabiles, magiſquè à veritate alienas ſententias: tum propriam & veram proferēdo, & vlterius confirmando. Quē ordinē ſeruauit Ariſt. 1. Met. & 1. Phyſ. agens de Rerũ principijs: 1. cæli à tex. 101. agēs de Origine Mundi: & primo ac 2. lib. de Anima agens de ratione ipſius Animæ. & primo Ethicorum agens de humana fælicitate. Vel aliter prius quidem referendo varias diuerſaſquè ſententias: tum propriam & veram exponendo; ſimulquè eam confirmando, & contrarias refellendo. Atque hic ſanè ordo magis expeditus eſt, & breuitati commodus, ac de facto magis in ſcientijs conſuetus.

Interdum tamen ob magnum sententiarum diuersitatem, aut argumentorum copiam in varijs sententijs refellendis, & propria confirmanda, siue ad maiorem certitudinem & claritatem doctrinæ, expedit, per se ac distinctè varias sententias examinare atq; discutere. Ex quibus etiā quandoq. quæstiones ipsæ distingui possunt.

Consuetum est etiam, dum ab initio alienæ sententiæ referuntur, afferri etiam earum fundamenta, & argumenta quibus potest propria sententia, ibi tradenda impugnari: & tandem in fine ea fundamenta & argumenta dissolui. Et Arist. ipse .1. cæli tex. ibi & 3. Met. tex. 1. hunc ordinem commendare videtur: quoniam perspectis & ponderatis omnibus dubitandi rationibus, omniumquè partium argumentis, meliùs de veritate poterit ferri iudicium. Nam, vt inquit Arist. *Melius se habere necesse est illum ad iudicandū, qui tanquam aduersarios omnes, vtrinque rationes appositas audiat.*

Præstat, prius probare propriam cōclusionē, deinde afferre & soluere cōtraria argumenta.

Verùm aliud est, loqui de eo, qui propria exercitatione & industria inquirit, & intendit inuenire veritatem; & aliud de eo, qui veritatem quam à se putat iam inuentam, intendit alijs tradere & persuadere. Qui enim intendit ex se inuenire veritatem, debet vtique omnia argumenta & omnium partium rationes expendere & conferre. At qui intendit alios edocere, suamque ipsis persuadere sententiam; is certè non cogitur, ab initio in conspectu aliorum ponere & recensere partium fundamenta, atque argumenta quæ directè contra suam sententiam fieri possunt. Quinimo potius debet prius suam sententiam stabilire & confirmare, deinde afferre & soluere contraria argumenta. Hoc enim videtur planè commodius docendum. Et alioqui compertum est, non parum esse incommodum addiscentibus, coniungere solutiones in fine quæstionis appositas cum argumentis initio præmissis. Vnde Arist. ipse rarò admodū præmittit in principio & soluit in fine, aduersantia argumenta. Atque hunc alium docendi ordinem, prius confirmando propriam sententiam, deinde afferendo simul & soluendo contraria argumenta, sæpè Authores obseruant. hunc esse nos frequentius obseruamus.

Interdum tamen expedit, ab initio proponere rationem dubitandi, vel fundamenta Authorū diuersa opinantiū: quando scilicet id opportunum apparet, vel vt meliùs percipiatur sēsus quæstionis & punctus difficultatis, vel vt excitetur animus audientium & legentium ad maiorem attentionem & inquisitionem veritatis, vel alio occurrenti motiuo.

Quo ipsæ conclusiones probationes & argumenta debeāt ordinari.

Cæterum quia plerumque vnius quæstionis resolutio plures adhuc conclusiones inuoluit, per quas distinctius & clarius tota rei veritas aperitur: tunc inter tales etiam conclusiones suus ordo seruandus est; vt vel præponantur illæ quæ vniuersaliores sunt, aut quæ naturali prioritate præcedunt, vel faciliores sunt, & ad sequentes iuuant; vel, si res vndique appareat æqualis, erit arbitrarius ordo. Rursus quia vna eademque conclusio potest & solet pluribus probationibus confirmari, ac similiter plura aduersantia argumenta plerumque soluenda occurrunt: Tūc regulariter præponi debēt probationes & argumenta ab auctoritate, quoniā faciliora sunt, & mentem ad vlteriora disponunt. Et colligitur ex Arist. sect. 18. Probl. q. 3. Inter rationes verò, ex natura rei præferendæ sunt illæ, quæ ex medijs essentialibus desumuntur: deinde illæ quæ ex causis: & tandem collocari debent quæ ex effectibus & signis procedūt. Præstat tamen in hac re potius respicere ad maiorem facilitatem & commoditatem doctrinæ.

SECTIO OCTAVA.

Quænam, & quomodo, quælibet scientia debeat considerare circa suum obiectum.

Arist. distinguit & ordinat quæsita scientifica circa obiectum.

ARist. præclarè 2. Post. in princ. adequata partitione distinguit atque recenset omnia quæsita, quæ à qualibet scientia circa suum obiectum pertractari possunt, siue omnia quæ de ipso obiecto sciri possunt: & totidem facit scita, quam quæsita. Eorumq. ordinem quo sint disponenda designat. Operepretium ergo valde est, ad perfectam scientiarum dispositionem edocendam, horum quæsitorum numerum & ordinem explanare.

Quatuor

Quatuor quæſita Ariſt. adæquatè conſtituit, circa quę tota ſcientia verſari debet. An res ſit. Quid ſit. Quod ſit, ſeu Qualis ſit. Et propter quid ſit. ait hæc ipſa eſſe, quæ de obiecto ſciri debent. Vbi notant Expoſitores, ſcire hic non ſumi ſub eo rigore, quo lib. 1. definitum erat, cognoſcere rem per cauſam: ſed magis amplè pro cognitione certa & perſpicua. Imo abſolutè dici poteſt, hæc eſſe quæ de quacũque re cognoſci poſſunt, etiam per cognitionem incertam & tantum probabilem. Quoniam in facultatibus ſcientificis, magna ex parte ea quæ ſunt tantum probabilia, diſputantur: & omnia ad hæc quatuor capita reducſitur.

Benè & ſufficiẽter quatuor quæſita diſtinguuntur.

Horum ſufficientia varijs modis à quibuſdam traditur. Sed ſic facilè reddi poteſt. Quicquid poteſt quæri & ſciri de re, eſt, vel exiſtentia, vel eſſentia eius, vel proprietates ſeu accidentia aut operationes conſequentes ipſam rem, vel cauſæ antecedentes rem. Ad exiſtentiam pertinet quæſtio an eſt. Ad eſſentiam quid eſt. Ad proprietates & accidentia qualis eſt. Ad cauſas propter quid eſt. Vnde ad quæſtionem an eſt, ſolùm pertinet abſolutè ſcire, rem eſſe aut non eſſe, per propoſitionem de ſecundo adiacente: non autem an ſit hoc vel illud: vt Ariſt. ipſe perſpicuè explicauit. Ad quęſtionem quid eſt pertinet ſcire omnia prædicata eſſentialia, & omnes partes & rationes quidditatiuas rei. Licèt Caiet. 2. Poſt. cap. 1. ad 5. dub. dicat, huiuſmodi prædicata pertinere ad quæſtionem quod eſt. Sed potius dici abſolutè debent pertinere ad quæſtionem quid eſt. Ad quæſtionem qualis eſt pertinent, non ſolùm illa accidentia, ſiue propria, ſiue communia, quæ verè inſunt rei; ſed etiam quæcunque aliæ denominationes, ſumptæ ſiue ab operando, aliamue cauſalitatem exercendo, ſiue a terminando alienam operationem, aliouè modo. Ad quæſtionem demũ propter quid pertinet omne genus cauſæ, ſiue ſit cauſa ipſius rei in ſe, ſiue ſit cauſa, vt res ſit talis aut talis, hoc eſt vt aliquod prædicatum conueniat ipſi rei.

Præter hæc videbatur addi debere aliud quæſitum, quotuplex res ſit. ad quod pertinet diuidere genus in ſuas ſpecies, vniuerſale in ſua inferiora. Propter hoc dici poteſt, vel Ariſtot. numerare voluiſſe tãtum illa quęſita, quæ pertinent ad rem in ſe ſuaque communitate ſumptam ante diuiſionem in plura. Vel quæſitum quotuplex reduci ad quæſitum qualis eſt: quoniam ſpecies non ſunt de eſſentia generis, ſed ei veluti accidunt.

Quo ſe habeãt hæc quæſita ad problemata dialectica.

Cæterùm dubitant Expoſitores, quomodo hæc quatuor quæſita ſe habeant cũ quatuor illis problematibus & prædicatis dialecticis, quæ idem Ariſt. 1. topic. aſſignat. Auerr. quem ſequitur Zabar. ait quæſita ſcientifica eſſe de rebus quoad primas intentiones, problemata dialectica eſſe de rebus quoad ſecundas intẽtiones. Louanienſ. aſſerunt, omnia problemata dialectica contineri ſub quæſtione qualis eſt, quæ hic aſſignatur. Alij aliter declarant. Sed quia ſine dubio eædem quæſtiones fieri poſſunt, ad hoc vt concluſiones certò probentur, vel ad hoc vt tantum probabiliter & dialecticè: dicendum potius eſt, vnam diuiſionem in alia quodammodo contineri: quia pluribus modis poſſunt hæ quęſtiones diſtingui, & earum numerus deſignari. Itaque ad quæſitum quid eſt pertinent duo problemata, definitionis, & generis, addita etiam differentia. Ad quæſitum qualis eſt pertinent duo alia problemata, proprij, & accidentis. Ex alia parte quæſitum an eſt concludi poteſt ſub problemate accidentis, quia accidit rebus creatis actu exiſtere. Et quæſitum propter quid, ſi quærat cauſam à qua res eſſentialiter dependet, includi poteſt ſub problemate definitionis, aut generis. Si autem quærat cauſam à qua res contingenter dependet, includi poteſt ſub problemate proprij aut accidentis. Et ita commodè vna diuiſio cum alia concordatur, tàm in ordine ad cognitionem opinatiuam & probabilem, quàm ſcientificam & certam.

Nũ ſcientia debeat probare de ſuo obiecto, an ſit & quid ſit.

Verùm ſpecialiter circa illa duo quęſita, an eſt, & quid eſt, docere ſolent Expoſitores, non debere, nec poſſe in ſcientia, per modum demonſtrationis & argumentationis probari, obiectum eſſe, aut eſſe talis eſſentiæ: ſed ſolùm debere tanquam notum abſque probatione ſupponi. Colligunt ex ipſo Ariſtot. qui 1. Poſterior. text. 2. & 73.

air, de subiecto præcognosci an sit: & quid sit: præcognitionem autem à demonstratione & probatione distinguit. nam similiter ait, prima principia & præmissas demonstratiuas præcognosci quoad an est, quæ vtique non demonstrantur. Præterea 6. Metaphys. text. 1. apertè docet, non esse demonstrationem de substantia & quidditate rei, sed alium manifestationis modum. nec etiam scientias tractare, si suum obiectum sit, aut non sit: sed eiusdem mentis esse, manifestare si res est & quid est. Vnde ita sentiunt Auerr. iisdem locis, & 1. Phys. fic. com. vlt. & lib. 2. com. 26. & alibi, Zimara theor. 13. Zabar. lib. de tribus pręcogn. cap. 9. Caietan. 2. Poster. capite 1. dub. 8. & alij Expositores frequenter circa eadem loca Aristot. Scotus verò & Anton. Andr. 1 Met. cap. 1. aliique Scotistę docent, scientiam non posse à priori, benè tamen posse à posteriori demonstrare suum obiectum esse. & Sotus 1. Post. quęst. 1. circa 3. argum ait, esse errorem communem Dialecticorum & Philosophorum, putantium, non spectare ad singulas scientias, constituere definitionem de suo obiecto. Ipse tenet, spectare constituere, sed non probare & demonstrare.

Ad singulas scientias pertinet, hec de suo obiecto tractare & probare.

Dicendum tamen absolutè est, ad rerum scientias pertinere, probare ac demonstrare, suum obiectum esse, & quid sit. Hoc videtur planè de mente Aristot. secundo Poster. vbi designat ea quęsita. Nam ait illa quęri & inquiri; & cùm inuenta fuerint, sciri. Quęstio autem & inquisitio vtique fit ad probandum. Et tunc quod quæritur, inuenitur, quando tenetur ratio probans: & tunc etiam scitur. Docet quoque expressè Aristot. omnes illas quęstiones esse quæstiones medij, idest medij ad inueniendam resolutionem earum quęstionū: quia non satis est, simpliciter respondere, affirmando aut negando: sed oportet afferre medium, quo probetur conclusio quęstionis. Addi etiam potest, quod primo Posteriorum textu 26. ait Aristot. scientias interdum despicere dicere quędam, vt subiectum esse, & quid sit; quando nempe res est manifesta. Alioqui non despicere, quando res non est adeo manifesta. Ex quo colligitur ad scientiam pertinere, manifestare suum obiectum esse, & quid sit. Et hæc manifestatio fieri poterit aut debebit per probationem & demonstrationem, quando res ita possit.

Ostēditur ratione.

Ratione idem ostenditur: quia sine dubio potest sub disputationem & probationem cadere: an res sit: & sępè de multis rebus id quęri & probari solet. & licèt dum probatur actualis existentia rerum creatarum, hęc non sit demonstratio illa de obiecto simpliciter necessario, sicut de veritatibus essentialibus: tamen potest esse probatio suo modo certa & euidens, quę latiori acceptione dicitur demonstratio: potestque tale obiectum esse suo modo necessarium ex suppositione, vt ad hoc propositum explicat Caietan. 2. Posterior. cap. 1. ad 3. dub. Item potest sub probationem, ac demonstrationem cadere, quid res sit; non solùm de singulis prędicatis essentialibus per se, sed etiam de integra definitione: vt latè tractauimus quęst. 28. sect. 6.

Possuntque fieri hę probationes, non solùm à posteriori, & ab effectibus, sed etiam à priori & per causam: vt de prędicatis quidem essentialibus eodem loco ostendimus. De existentia verò rei patet etiam facilè. quia res creatę habent causam essendi, & sæpè habent causas naturales, ex quibus necessariò naturaliter proueniunt. Hę autem omnes probationes maximè pertinent ad illas scientias & facultates, quę de ipsis rebus tractant, easque habent pro suo obiecto. Non enim extra omnes scientias vagantur, quasi ad nullam pertinentes. Neque ad vnam diuersam, & extraneam scientiam pertinere debet, probare de obiecto alterius scientiæ: ita vt vna scientia tractet, qualis res sit, & propter quid sit; alia, an sit, & quid sit. Quinimo eadem scientia totalis hæc omnia de eodem obiecto debet per se considerare. Et hoc ipso, quòd scientia probat, talem rem esse, vel esse talis essentiæ; iam ex ea parte habet pro obiecto suo ipsam rem. Ergo ad scientias pertinet, non solum supponere, sed etiam probare & demonstrare, an suum obiectum sit, & quid sit.

Vsu etiā & praxi scitiarū.

Vsu demum ipso & praxi scientiarum hæc res ostenditur: simulque de-

Vſu etiā & praxi ſcētiarū. declaratur, quando debeat probari exiſtentia & eſſentia obiecti, & quando id poſſit prætermitti. De facto conſtat, ſolere in ſcientijs probari, an ſint, & quid ſint, quædam quæ ſunt partes obiecti totalis, aut reducuntur ad illud; & ita ſunt obiecta partialia, id eſt quarundam partium, quorundam tractatuum ſcientiæ totalis. & ſanè id eſt competentiſſimum & frequentiſſimum. Vnde malè dixit Auerr. primo Phyſic. com. vltimo, Auicennam peccaſſe maximè, dicendo Primum philoſophum demonſtrare Primum principium eſſe. Nam vtique ad Metaphyſicam pertinet id ab effectibus demonſtrare. Malè etiam dixerunt alij, ſcientias particulares probare ſolere de ſuis rebus, an ſit, & quid ſint; non ex proprio munere, ſed vſurpando ſibi munus Metaphyſicæ ad quam id pertineret. Nam Metaphyſica non ſe extendit, nec extendere debet ad peculiaria obiecta aliarum ſcientiarum ſecundùm proprias rationes. Sed conſiderare, an ſint, & quid ſint talia obiecta, omnino debet pertinere ad ſingulas ſcientias, potius quàm ad Metaphyſicam. Et de facto nunquam vllus Metaphyſicus tale ſibi munus aſſumpſit. Aliæ tamen ſcientiæ non poſſent ſine ſuo detrimento id omittere. De rebus etiam metaphyſicis, quænam alia ſciētia conſiderare debebit, an ſint, & quid ſint? Inducenda ergo non eſt huiuſmodi permixtio & confuſio ſcientiarum, ac perverſio ordinis.

Sic vlterius etiam de obiecto ſuo totali, ſcientiæ probare ſolent, an ſit, & quid ſit. Nam ſicut ſe habet quælibet pars ſcientiæ ad ſuum partiale obiectum, ita tota ſcientia ad ſuum totale obiectum. Et ſicut non vnus tractatus ſcientiæ probat obiectum alterius tractatus, ſed vnuſquiſque probat ſuum obiectum: ita non debet vna ſcientia totalis probare obiectum alterius, ſed vnaquæque ſuum. Et quidem ſatis frequens & conſuetum eſt, ſcientias probare ſuum obiectum, probando & demonſtrando prædicata eius eſſentialia. Interdum etiam probant, ſuum obiectum eſſe. Sic ſacra Theologia, cùm aſſumat pro ſuo obiecto Deum; ſtatim in principio probare aggreditur Deum eſſe. Scientia moralis, cùm habeat pro obiecto Beatitudinem aſſequendam, ſiue hominem beatificabilem, probare debet dari Beatitudinem, quam aſſequi poſſimus, ſiue hominem eſſe beatificabilem. Et in Phyſica etiam, iuxta ſententiam aſſignantem pro obiecto ens ſeu corpus mobile, probari ſolet motum dari, quod idem eſt, ac probare verè corpus eſſe mobile, dari corpus mobile. Sæpè autem adeo notum & perſpicuum eſt, obiectum dari, vt ſuperfluum videretur, velle conari ad id probandum: & tunc ſcientiæ id ſine probatione ſupponunt.

Ad quæſt. an eſt, ſpectat & tractare de vtilitate & neceſſitate rei. Imo præterea quando id de quo agitur, refertur & deſeruit ad aliquem finē, ſeu ad aliquem alium effectum conſequendum; ad quæſtionem an eſt, pertinet etiam pertractare, an ſit vtile ſeu neceſſarium, ſpecialiter ad illum finem & effectum ad quem deſeruit. Et pertinet vtique ad eandem ſcientiam quæ de tali re tractat, conſiderare & probare talem vtilitatem & neceſſitatem. In eodemque loco, in quo ponitur quæſtio an eſt, ſimul poni debet quæſtio de vtilitate & neceſſitate. & hoc totum vſu ipſo obſeruatum videmus.

Ariſt. explicatur. Ariſtot autem poteſt pluribus modis explicari. Vel tantum voluiſſe, præcognoſci debere, ſubiectum eſſe, & quid ſit: quia id cognoſci debet ante alias concluſiones & cognitiones; etiam ſi idipſum debeat cognoſci ex alia antecedenti probatione: quoniam præcognitio benè dici poteſt per ordinem ad ſequentem cognitionem, licet ipſa non ſit ſimpliciter prima. Nec inconueniens eſt, dicere, diuerſo modo præcognoſci debere à primis principijs, quæ ſine probatione ſupponuntur. Vel tantum voluiſſe, illa præcognoſci ante eam ſcientiam demonſtratiuam, quæ probat paſſiones & proprietates de ſubiecto: & ad differentiam huius ſcientiæ aſſignaſſe præcognitionem, quaſi ſine demonſtratione, id eſt ſine tali demonſtratione. Vel tantum voluiſſe, ſæpè non oportere illa in ſcientia probari, ſed ſufficere præſupponi de obiecto totali, quia plerunque ſolent eſſe notiſſima. Vel demum tantum voluiſſe, non poſſe per cauſam intrinſecam demonſtrari integram definitionem ſubie-

 cti:

cti: ficut varia Aristotelis loca explicauimus dicta quæstione vigesimaoctaua, sectione sexta. Et similiter non posse per causam intrinsecam demonstrari, subiectum esse: quoniam res creatæ non habent ab intrinseco necessitatem & causam essendi. Non autem Arist. negasse omnem alium probationis modum, tum ab effectibus, tum à causis extrinsecis, tū etiam ab vna causa intrinseca, quæ sit pars totius rei, ad aliam partem eiusdem rei.

SECTIO IX.

Quonam ordine debeat scientia, hæc quæ dicta sunt, considerare circa suum obiectum.

SVpposita iam distinctione & numero eorum quę, scientia debet circa suum obiectum considerare, determinandum est, quonam ordine debeant hęc quæsita disponi.

Arist. doctrina. Et in primis Aristot. præferre videtur quæsita, qualis, & propter quid: & posterius nominat, an est, & quid est. Expositores illa duo vocant quæsita complexa, hæc verò simplicia. Communiter autem supponunt, potius quæsita simplicia in qualibet scientia debere præponi. Colligitur ex ipso Aristotele primo Posteriorum in principio, vbi docet præcognosci debere, an sit & quid sit. Et præterea primo Ethicorum capite septimo in fine, præclare docet, prius debere res definiri propter alia quæ tractanda sequuntur. *Singula*, inquit, *ita tractanda sunt, vt natura eorum postulat: dandaque est opera, vt rectè definiantur. Magnum enim afferre momentum ad ea quæ sequuntur consueuere. Videtur enim principium plusquam dimidium totius esse: compluraque eorum quæ in quæstionem veniunt, per ipsum determinantur.* Et primo de Part. animalium capite primo, *Vbi*, inquit, *Medicus sanitatem, opifex ædes, definierit, rationes & causas rei quam facit reddere solet.* Et primo de Anima textu secundo. *Quærimus autem contemplari & cognoscere naturam eius & substantiam: postea quæcunque accidunt circa ipsam &c.* Et alibi similia docet. Ac passim in suis libris hunc ordinem seruat. Plato etiam in Phædro notauit, debere scientias incipere à definitione subiecti. quod maximè intelligitur comparatione facta ad causas & proprietates rei, de quibus consequenter agi debet. Varijs autem modis explicare conantur Expositores, cur 2. Post. Arist. potius alia duo quæsita præmiserit.

Dicendum ergo est, debere sine dubio in scientia præmitti hæc duo quæsita, an est, & quid est: siue prius debere scientiam de suo obiecto tractare, an sit, & quid sit. Patet: quia hæc pertinent per se & directè ad ipsum in se: alia autem duo quæsita attingunt ea quæ reducuntur & attribuuntur ad ipsum obiectum, nempe proprietates siue operationes, & causas. Et, tum ex natura rei, tum ad facilitatem & commoditatem addiscendi, prius occurrit scire, si res est, & quid est, quàm qualis est, & a qua causa est. Ex dicendis etiam id confirmabitur magis. *Prius cōsiderari debet, an sit & quid sit subiectum.*

Aristot. verò secundo Posteriorum nequaquam docuit, quæsita qualis, & propter quid debere præmitti: sed tantùm priori loco illa numerauit & explicauit. Quod non multum refert. Et ratio reddi potest: quia cùm per se tractaret de scientia & demonstratione, prius nominare voluit illa quæ præcipuè in demonstratione considerabat. Et præsertim eo libro maximè agere intendebat de quid, & propter quid. Neque etiam Aristoteles ipse appellauit eo modo, duo quæsita complexa, & duo simplicia. Sed tantum dixit, quòd cùm quærimus, *Vtrum hoc aut hoc insit, quærimus in numerum ponentes*, hoc est facientes complexionem & compositionem. Quod vel peculiariter dixit de quæsito qualis est: & illud hac ratione paulò post distinguit à quæsito simplici an est. Vel dixit de omnibus tribus quęsitis: in omnibus enim fit complexio prædicati cum subiecto per propositionem de tertio adiacente: quæsitum verò an est resoluitur per propositionem de secundo adiacente. Quamuis si quæsitum simplex etiam dicatur, in quo non distingui-

guitur prædicatum à ſubiecto,ſiue prædicatum eſt de eſſentia ſubiecti: ſic etiam quæſitum, quid eſt, dicetur ſimplex. Et ita ſaluari poteſt, duo eſſe quæſita complexa, & duo ſimplicia.

Et prius an ſit, quā quid ſit.

Secundò, circa ordinem vtriuſque quæſiti, an eſt, & quid eſt, Ariſtot. expreſsè docet, prius debere quæri & ſciri, an res ſit, & poſtea quid ſit. Rurſus eodem libro ſecundo Poſteriorum textu trigeſimoſecundo apertè ait, non poſſe cognoſci, quid res eſt, niſi cognoſcatur eſſe: quia non ens non poteſt cognoſci, niſi quoad nomen, vt Hircoceruus. Similiter textu trigeſimonono docet, non poſſe cognoſci, quid res ſit, quin cognoſcatur quid ſit: *Impoſſibile eſt enim cognoſcere quid eſt, ignorantes an ſit.* Et infra. *Quærere autem quid eſt, non habentes quòd eſt, nihil quærere eſt.* Et deinceps idem repetit. Hæc eſt etiam communis ſententia aliorum. Et vſus ſcientiarum ſic obſeruat. Prius enim inquiri & doceri ſolet, an res ſit,& poſtea quid ſit.

At ex oppoſito probari poteſt, prius debere quæri & cognoſci, quid res ſit, & poſtea an ſit. Tum quia quid eſt pertinet ad primam operationem intellectus; an eſt ad ſecundam: vt quæſt. 23. & 24. docuimus. Et certè ſciri non poteſt, an quicquam ſit, niſi præintelligatur ſignificatum eius; & hoc eſt præcognoſcere quid eſt. Tum præterea eſſentia rei abſtrahit ab exiſtentia, & prior eſt eſſentia quàm exiſtentia. Vnde etiam ſi res non exiſtat, poteſt ſciri, quid ſit, quam eſſentiam habeat. Imo etiam ſi in quæſtione an eſt, inueniamus rem non eſſe, non exiſtere: adhuc poteſt inquiri quid ſit: & poteſt de tali re haberi tota ſcientia, quæ propriè eſt circa veritates neceſſarias independenter ab exiſtentia actuali. Sic de facto in quarto Phyſic. etiam ſi ſtatuatur non dari vacuum in natura; tamen de illo ſcientificè tractatur, & adhuc quæritur quid ſit vacuum, an in vacuo poſsit fieri motus, & ſimilia.

Sed ante an ſit,præcedit apprehenſio ſimplex et explicatio nominis.

Propter hæc ad priorem difficultatem omnino fatendum eſt, cognitionem incomplexam, ideſt apprehenſionem rei debere præcedere iudicium. At quæſtio & ſcientia de quid eſt hoc loco ſumitur pro cognitione complexa & iudicatiua de eſſentia rei. Vnde non ſumitur hic eodem modo, an eſt, & quid eſt; ſicut ſumebatur, quando egimus de illis duabus operationibus intellectus. Sed modò vtrunque ſumitur prout ſpectans ad cognitionem iudicatiuam, an eſt de exiſtentia, & quid eſt de eſſentia rei. Similiter fatendum eſt, prius debere cognoſci ſignificatum nominis, etiam ſi hæc cognitio habeatur per iudicium complexum. Nam ante omnia oportet præcognoſcere, quid ſignificetur per nomina. Vnde communiter Expoſitores diſtinguunt quid nominis & quid rei: & dicunt, quid nominis debere ante omnia præcognoſci. Sed Ariſtotelē hoc loco eſſe loquutum de quid rei: quia loquitur de quæſtione circa quid eſt: at quid rei, non quid nominis, cadere ſolet ſub quæſtionem. Et quidem de facto ita ſcientiarum vſus obſeruat, vt in principio tractationis de aliqua re primo loco ſignificatum nominis explicetur. Quæſtio autem de quid rei,quærit explicitam & exactam cognitionem de eſſentia rei, per definitionem, & eſſentialia prędicata:& hæc non debet præcedere cognitionem an eſt,ſed potius dicitur debere conſequi.

Quō ſit neceſſarium vel cōueniēs, quæſtionē an ē præcedere quæſtionē quid eſt.

Ad poſteriorem difficultatem plerique reſpondent, quæſtionem an eſt non tàm debere intelligi de actuali exiſtentia, quàm potius de poſſibili, ſiue de eſſentia reali & entitatiua rei, ita vt ſciri debeat, rem eſſe realiter poſſibilem, eſſe eſſentialiter ens reale. Alii tamen ſupponunt, quæſtionem an eſt diſtinctam ab aliis quæſtionibus, debere intelligi de exiſtentia actuali. Ita Caietan. ſecundo Poſteriorum capite primo ad 3. dub. & alii plures. Alioqui ſi intelligitur ſolum de exiſtentia poſſibili, ſiue de realitate eſſentiæ, ſpectat potius ad quæſtionem quid eſt.

Sed vtroque modo poteſt hæc res explicari. Et, ſi explicetur primo modo, dici debet, quæſtionem quid eſt intelligi quoad reliqua prædicata eſſentialia, contenta ſub vniuerſaliſſimo entis realis prædicato. Et ſic quidem prius debet quæri & explicari, an res ſit poſſibilis, an ſit ens reale; vt deinde procedatur ad alia prædicata eſ-

sentialia & quidditatiua: quando scilicet in definitione construenda proceditur via compositiua, nempe à superioribus ad inferiora. Secundo autem modo dici debet, conuenienter quidem debere & solere in scientiis priùs quæri & tractari, an res sit actu realiter quoad existentiam realem: id tamen non esse in rigore necessarium. Et ita quidem fieri solere, patet experientia ipsa & consuetudine. Esse etiam conueniens, hinc satis colligi potest. Et ratio huius conuenientiæ est: quia facilius & notius nobis est, an res sint; quam earum intimas essentias discernere: habetque proximam connexionem ad ipsum entis realis essentiale prædicatum: & gradum quodammodo facit, ad perscrutandum quid res sit & quæ sit intima essentia rei.

Non esse verò simpliciter necessarium, talem quæstionem & cognitionem præcedere, satis probatur ratione difficultatis allata. Quæ quidem destruit necessitatem, non autem conuenientiam. Quoniam licèt essentia abstrahat ab existentia, & sit veluti prior: tamen propter hoc satis est præcedere implicitam & rudem essentiæ cognitionem, quæ satis habetur per explicationem nominis. Explicita autem cognitio essentiæ potius indiget iuuari per cognitionem præuiam existentiæ, quàm è conuerso. Atque etiam si inueniamus rem non existere; hoc ipsum est resoluere quæstionem an est, cognoscendo rem non esse; & id ipsum iuuat ad inquirendam vlterius talis obiecti essentiam. Imo, etiam si ab initio constet, aliquid nec esse possibile, nec esse ens reale: adhuc potest inquiri & explicari tota ratio eius, non sicut de ente reali, sed sicut de ente rationis, siue de non ente. Quod quidem potest per resolutionem ad aliquod obiectum totale in aliqua scientia considerari. Sic agitur de ente rationis & alijs quibusdam non entibus, iuxta exigentiam scientiarum per ordinem ad sua obiecta adæquata.

Arist. explicatur. Aristot. autem secundo Posteriorum in princip. quæstionem an est sumpsisse videtur pro existentia rei: & optimè potest intelligi ratione conuenientiæ, vt diximus. Textu verò 32. loquutus est potius dubitando, quàm asserendo. Sed textu 39. loquutus est asserendo. Et potest exponi de cognitione ipsius an est pro existentia possibili & entitate reali: quæ cognitio est necessaria ad cognoscendum quid est. Vel, vt multi notant sumpsit cognitionem de an est, siue de eo, quòd res sit, amplè & adæquatè, pro quacunque cognitione enunciatiua de re, affirmando prædicatum de subiecto, vt hominem esse animal, albedinem esse colorem. Non enim dixit Aristot. cognitionem de an est debere esse priorem cognitione de quid est: sed potius voluit, saltem ex ipsa cognitione de quid est, includi cognitionem de an est. Neque videtur accepisse cognitionem de an est, sicut ab initio acceperat quæstionem an est, distinctam ab alijs quæstionibus: sed potius in alio sensu ita amplo & vniuersali. sicut etiam primo Posteriorum textu secundo, quando distinxit præcognitionem an est & quid est; sumpsit an est pro veritate cuiuscunque propositionis.

Quò distinguantur & ordinentur quæsita qualis & propter quid. Tertiò circa distinctionem & ordinem aliorum duorum quæsitorum, qualis & propter quid, Arist. secundo Posterior. in principio, planè docet, aliud esse quærere qualis sit res, idest an sit talis vel talis, an Sol deficiat, an Terra moueatur; & aliud esse quærere propter quid ita sit, cur Sol deficiat, cur Terra moueatur. Atque debere prius quæri & sciri ipsum quod seu quale, deinde propter quid. *Cùm scimus*, inquit, *ipsum quod, tunc ipsum propter quid quærimus: vt scientes quòd Sol deficit, & quòd mouetur Terra; quærimus propter quid deficit, aut propter quid mouetur.*

In contrarium occurrit quod idem Arist. secundo Posteriorum textu trigesimonono expresè docet, interdum non prius quæri & sciri ipsum quod ante propter quid, sed simul vtrunque. Occurrit etiam ratio: quia potest simul ab initio sciri conclusio per medium à priori, idest per causam: & tunc non distinguitur, neque præcedit quæstio & cognitio de eo quod res ita sit. Imo quandocunque conclusio scitur per demonstrationem propter quid; simul scitur veritas conclusionis secundum se, & scitur per suam causam: vt diceba-

mus

mus quæst. vigesimaoctaua sectione secūda. Insuper si in scientia totali considerare velimus distinctos tractatus, vnum de causis, alium de accidentibus & proprietatibus rei; potius tractatus de causis debet & solet præcedere: at ipse tractatus de causis continet quæstionē propter quid, tractatus de accidentibus & proprietatibus quæstionem qualis.

Propter hæc dicendum est, sæpè quidē ex modo nostro inquirendi & cognoscēdi, quo procedere solemus à notioribus nobis, ab ijs quæ propinquiora sunt nostris sensibus, & prius nobis solent offerri, prius solere inquiri & cognosci an res ita sit; deinde cur ita sit, propter quam causam ita sit. Nonnunquam verò simul offerri & cognosci, rem ita esse, & propter talem causam ita esse. Hoc modo debent planè intelligi & conciliari duo loca Aristotelis allegata. Neque enim priori loco docere voluit, esse prorsus necessarium, & in omnibus rebus vniuersale, prius cognosci rem ita esse, & deinde per quam causam sit: sed tantum docuit illud quod sæpè & plerunque accidit.

Experientia autem & ratione hoc totum ostenditur. Nam sæpè per sensus notum nobis est rem ita esse, vel per signum aliquod à posteriori, aut per effectum. Neque statim perspicua nobis est causa cur ita sit. Ita patet in exemplis illis Aristot. de defectu Solis, & motu terræ, & aliis innumeris. Tunc vlterius inuestigamus causam cur ita sit: & tandem assequimur ipsam causam: interdum etiam non assequimur. Aliquando autem contingit, statim in prima inquisitione de re aliqua offerri nobis medium aliquod à priori, & causam talis rei. Tunc simul cognoscimus, rem ita esse, & per quam causam ita sit. Quando verò nos diximus, semper per demonstrationem propter quid sciri etiā veritatem conclusionis in se; loquuti sumus de demonstratione per quam infertur conclusio absolutè per illationem ex causa. Alio tamen modo potest haberi simplex quædam notitia de ipsa causa: vt si dicamus, hæc est causa talis rei, vt ibidem notauimus. Nec etiam negauimus, posse & solere ante demonstrationem & cognitionem propter quid haberi cognitionem de ipsa re, non adhuc cognita causa.

Scientia totalis prius agit de causis, de inde de accidentibus subiecti.

Deinde dicendum est, in scientia totali prius regulariter collocari debere tractatum de principiis & causis obiecti, postea de accidentibus & proprietatibus. Ita planè ipse Aristot. obseruauit. Nam in Physicis prius egit de principiis & causis rerum naturalium libro primo & secundo, & postea de motu alijsque affectionibus lib. 3. & sequentibus. & ita etiam in alijs suis operibus. Et sanè ita poscit ordo ipse naturæ ex parte obiecti, vt patet. Id etiam confert ad perfectiorem sciendi modum; vt deinceps possint ex causis cognitis demonstrari proprietates & affectiones subiecti. Neque obstat quod dicebamus, prius ex parte nostra solere cognosci rem ita esse, quàm per quam causam ita sit. Nam plerunque alius est ordo inueniendi, alius docendi. Qui ergo per viam inuentionis sua industria rerum occulta scrutatur, prius solet cognoscere, rem ita esse, quàm cur ita sit. At qui alium docet, potius debet prius proponere & enarrare causas in se spectatas, deinde procedere ad proprietates & affectiones ex ijsdem causis promanantes. Accedit, quod causæ quæ in scientiis considerantur, primariò considerari solent tanquam causę ipsius obiecti in se quoad suam entitatem. At verò prius supponitur, & si opus est, probatur obiectum esse; deinde considerantur eius causæ à quibus est. Postea conuenienter sequuntur proprietates quę ex vi suæ essentiæ & virtute earundem causarum eidem subiecto conueniunt.

Quis sit ordo inter ipsas causas & accidentia.

Rursus inter causas ipsas præferendæ sunt intrinsecæ extrinsecis: quoniam causæ intrinsecæ accedunt magis ad ipsum obiectum intrinsecè in se spectatum. Inter intrinsecas autem, vel extrinsecas, illa præferenda est, quæ aut ordine ipso causalitatis, aut ordine dignitatis, maiorem quandam prioritatem habere videatur. Similiter inter proprietates, illæ in primis præferendæ sunt, quæ magis intimæ & propinquæ ad ipsam rei essentiam apparent, & ex quibus aliæ quodammodo con-

se-

sequuntur. Inter eas verò, quæ æqualiter ex hac parte ad rei essentiam se habent, aut dignitatis, aut originis, aut commoditatis ordo seruetur.

Quo loco cōsiderandū sit quæsitū quotuplex: et diuidendum subiectū in suas species.

Cæterùm quæsitum quotuplex, quod dicebamus posse quodammodo ad quæsitum qualis reuocari, facilè constat, debere post omnia prædicta in fine totius tractationis de re in genere sumpta, collocari: nempè vt gradum faciat ad distinctam & peculiarem tractationem singularum specierum, in quas tale genus diuiditur. Hoc autem intelligitur, quando in ipso communi tractatu agitur tantum de re in genere, non descendendo ad varias res in specie. Alioqui tunc præmittenda esset diuisio. Et ita interdum de facto contingit: vt obseruanti patebit. Quandoque enim non potest commodè tractari de re præcisè in sola sua communitate: sed simul agitur de ijs quæ conueniunt communiter ipsi rei in genere, omnibusque speciebus eius, ac de ijs quæ distinctè conueniunt singulis speciebus. Et tunc ab initio oportet hæc omnia proponere. Et ita præsertim in tractatu de Demonstrat. nos supra seruauimus. Imò vlterius, quando id quod videbatur in genere sumi, non est propriè vnum & vniuocum, sed æquiuocum, vel ita analogum, vt non dicat vnum conceptum de re communem per se considerabilem: tunc omnino est ab initio diuidendum, ac deinceps de singulis membris & partibus pertractandum: iuxta illam regulam, æquiuoca sunt prius diuidenda quàm definienda. Hæc enim diuisio tunc spectat ad nominis explicationem, quam dicebamus, prorsus esse ab initio præmittendam. Sic etiam in analogis, quæ in rigore sunt æquiuoca, Medicina non agit de sano in communi, complectendo animal, sanum, & causas, & signa sanitatis: sed distinctè & per se, prius de sanitate animalis, deinde de causis & signis.

SECTIO X.

Quonam ordine debeant disponi variæ scientiæ inter se.

ARistot. primo Metaphysic. capite primo notauit, prius apud homines inuentas & institutas fuisse artes (nomine artium scientias etiam practicas comprehendens) vel ad necessitatem, vel ad voluptatem vitæ opportunas. Deinde *Huiusmodi iam omnibus institutis, illa sapientiarum, quæ neque ad degendum voluptaria, neque ad necessaria conducunt, inuenta sunt.* Verùm non oportet deinceps eundem esse ordinem addiscendi, qui fuit inueniendi. Nec singuli homines, vt ingenua Philosophiæ studia capessant, coguntur prius artes humanæ vitæ necessarias vel commodas addiscere, sicut nec per se ipsos exercere. Sed ille inuentionis ordo, magis respectu totius humanæ Reipublicæ, quàm respectu singulorum assignatus est.

Prætermissis ergo inferioribus huiusmodi artibus & facultatibus: superiorum tantum & digniorum scientiarum, quæ ad cultum & ornatum animi referuntur, ordinem inquiremus. *Scientia quarū ordo quæritur.* Et generali quadam partitione assignantur quinque: tres speculatiuæ, Metaphysica, Physica, & Mathematica: & duæ practicæ, Logica, & Moralis. Quæ etiam omnes solent generali Philosophiæ nomine nuncupari.

Harum scientiarum, Logica debet esse ordine prima. *Logica est omnium prima.* Ita indicauit Aristot. tertio Metaphy. textu decimoquinto dum dixit, absurdum esse, simul scientiam & modum sciendi quærere: per modum sciendi intelligens Logicam: & volens vtique debere antea possideri Logicam, quàm ad alias scientias transeatur. Ita etiam alij veteres Philosophi agnouerunt. Et est res satis explorata. Nisi quòd apud Platonem aliqua Mathematicæ pars ipsi etiam Logicæ prælata videtur. Sequitur planè ex dictis q. prima de vtilitate & necessitate

cessitate Logicæ ad reliquas scientias cōparandas: & ex natura ipsa, proprioque officio Logicæ, quæ est nostræ cognitionis, aliarumque scientiarum directiua.

Scientia moralis an sit secūda post Logicam. De scientia morali Simpl. in procem. prædicab. Themist. initio Phys. Burl. ibidem in diuis. Philos. Eustrat. initio Ethic. volunt, immediatè post Logicam ante alias philosophicas scientias quæ sunt speculatiuę collocari debere. Et ita Pytagoram seruasse colligitur ex epist. lysidis relata à Carpentar. in præfat. physicę. Et fundamentum erat: quia prius expedit mores benè componere: idque est longè magis vtile ac necessarium. Et præsertim maximè iuuat ad veritatem in reliquis scientijs puriori ac vegetiori mētis oculo assequendam. Addi potest propinquitas, & magna conuenientia scientiæ moralis cum Logica: vtraque enim est operationum animæ directiua: prima intellectus, secunda voluntatis: prima intendens verum, secunda bonum.

Vel vltima post omnes. At debere potius scientiam moralem post aliam philosophiam collocari, docuisse videntur antiqui philosophi apud Laertium in vita Zenonis. Indicant Auer. initio Phys. cum Alexand. & D. Th. 6. Ethic. c. 6. lect. 7. & ita seruauit Alcinous in suo lib. de doctrina Platonis. Fuisse etiam scientiam moralem inuentam post alias philosophicas scientias, constat ex Arist. 1. de Part. animal. cap. 1. & Cicer. lib. 1. Accadem. qq. & lib. 5. Tusc. qui referunt Socratem primùm totum philosophandi studium ab aliis rebus ad humanos mores auocasse. Debere autem post Mathematicam & Physicam, sed ante Metaphysicam, collocari, defendunt Conimb. in Phys. q. 5. procem. Fonseca 2. Metaph. cap. 3. q. 5. in fine, & alij. Colligitur etiam hic ordo ex Arist. qui 1. Eth. cap. 3. ait iuuenem non esse idoneum auditorem doctrinæ moralis, quia inexpertus est, & passionibus agitatur. Et lib. 6. cap. 8. *iuuenes, licet geometrici & mathematici, atque in eiusmodi rebus sapientes euadant: prudentes tamen euadere non videntur*. Præterea 1. Ethic. cap. vlt. docet: *ciuilem qua ad animam spectant quodammodo cognoscere oportere: quemadmodum oculum, & totum corpus eum, qui curaturus est*. Et. ex his sumitur huius ordinis fundamentum: quia per exercitationem aliarum scientiarum, homo redditur magis idoneus ad moralem doctrinam: & quia cum scientia moralis sit de operationibus animæ, præsupponere debet notitiam de ipsa anima. Et cùm tandem referatur ad Deum, præsupponere debet notitiam Dei.

Dicendum tamen est nō requiri per se certum ordinem inter scientiam moralē & alias dictas scientias, quasi moralis vel præcedere vel consequi ad illas debeat. Fundatur quia ea quæ in scientia morali addiscuntur nō habent per se connexionem cum ijs quæ in aliis scientiis: & neque sunt necessaria ad illa, vt præcedere debeant; neque dependent ex illis, vt sequi debeant. Quòd si aliqua ratione se mutuò iuuant: inde etiam non efficitur, vt potius vel consequi debeat, vel preferri. *Nō requirit certū ac necessariū ord. cū aliȷs.*

Vel ad summum fatendum est, expedire quidem, imo ad rectam institutionem vitæ oportere, vt homo ante omnia breuiter ex doctrina morali cognoscat ea quę agere, & quę vitare debeat, suosq; mores benè componere assuescat. Et hoc probat fundamentū prioris sentētiæ. Ex ictā verò & exquisitam scientiam moralem melius percipi & possideri posse post pro uectiorem ætatem: diuturniorem experiētiam, & alia philosophica studia si præcesserint. & hoc probat fundamentum posterioris sententiæ. Quamuis possint, ac debeant, & de facto soleāt, in ipsamet scientia morali inseri aliqua spectantia ad naturā, potentias & operationes animæ, quę per se videbantur spectare prius ad naturalem scientiam. Sed huiusmodi scientiæ practicæ meritò tractant ea quæ conferūt ad finem suæ directionis. sic facit & Logica, facit etiam medicina. & hoc potissimum docuit Ar. 1. Eth. cap. vltimo.

De Mathematica, debere ante Physicā & Metaph. pręcedere, docet S. Th 6. Eth. cap. 8. & Opusc. 70. q. 5. art. 1. ad 3 Supponūt etiam plures Expositores initio Phys. Accedit Vgo de S. Victore lib 2. Didascalon cap. 18. & in Prologo Cęlestis Hier. Indicauit Ar. loc. cit. 6. Eth cap 8. vbi subdit: *puer fieri mathematicus potest: Sapiēs aūt naturalis nō potest*, idest Metaphysicus aut Phys. Plato etiā li. 7. de Rep. idē docuit, & alij veteres idē supponebāt. Conimbr. *Mathem. an sit prior Phys. & Metaph.*

ve-

verò q. 5. proœm. Physf. explicat Mathematicam esse ordine doctrinæ priorē, sed Perer. libro 1. cap. 17. contendit, non solùm ordine doctrinæ, sed etiam ordine naturæ esse priorem Physica. Fundamentum huius ordinis est, quia disciplinæ mathematicæ sunt faciliores & certiores, minorique experientia indigent. Addit Perer. quia Mathematica considerat quantitatem, vt quantitas est, & vt abstrahit à materia: Physica verò considerat res, etiam quantitatem ipsam & substantiam, quatenus mobiles & sensibiles: ergo ex natura ipsa obiectum Mathematicę est prius obiecto Physicæ.

Vel sit posterior. In contrarium Albert. primo Physic. tractatu primo cap. primo, Ammon. init. Prædicab. & alij censent, Mathematicam esse potius simpliciter posteriorem Physica. Fundamentum est: quia quantitas est accidens: at prior est consideratio subiecti & substantiæ quàm accidentis. Et quia res physicæ sunt propinquiores sensibus, à quibus omnis nostra cognitio ortum ducit. Et quia Mathematica habet abstractionem mediam inter Physicam, & Metaphysicam. Fons. verò 2. Metaphysf. cap. 3. quæst. 5. docet, Mathematicam ordine quidem exquisitæ doctrinæ esse posteriorem, non solùm Physica, sed etiam Metaphysica: absolutè autem & simpliciter esse vtraq; priorem. Probat ex fundamentis vtriusque sententiæ.

Nō requirit certū ac necessariū cū illis ordinē Sed dicendum etiam est, non requiri per se certum ordinem inter Mathematicam & alias dictas scientias. Patet: quia de facto quamplures sunt, qui Physicæ & Metaphysicæ operam nauant, nulla præmissa Mathematica. Et è conuerso alii Mathematicæ, sine Physica & Metaphysica. Ratione suadetur: quia nec veritates mathematicæ per se requiruntur ad intelligentiam earum quæ traduntur, vel quæstionum quæ disputantur in alijs Philosophiæ partibus. Nec quæstiones philosophicæ ad mathematicas veritates & obseruationes.

Ex eo autem quod Mathematicæ sunt faciliores & certiores, solùm sequitur, cum prima sententia, posse vtiliter ante præmitti ad exercendum ingenium. Et ex eo quod iuuenilis ætas sit ad altiorē Philosophiam minùs apta, idem sequitur. Non verò per se propter rationem ordinis. Falsum est autem quod dicebat Perer. obiectum Mathematicæ esse natura sua prius obiecto Physicæ. Sed potius oppositum verum est. Nam Physica considerat quantitatem ipsam secundum essentiam quantitatis, & considerat substantiam, quæ est subiectum quantitatis. Mathematica verò considerat quantitatem secundùm rationem mensuræ: quæ ratio est vtique posterior in essendo.

Deinde ex eo quod quantitas obiectum Mathematicæ, est accidens, solùm sequitur, quoad essentiam & rationem eius physicam debere considerari dependenter à substantia: Et sic consideratur in Physica. At in Mathematica consideratur abstractè, & solùm secundum rationem mensuræ, ad quam non prærequiritur physica consideratio: vt ex ipsa experientia patet. Vnde nec etiam refert, quòd res physicæ sunt propinquiores sensui, & quòd res mathematicæ sunt abstractiores à materia: quia non per hoc physicæ speculationes & cōiunctio cū materia deseruiunt ad mathematicas demonstrationes.

De ordine inter Physicam & Metaph. Præcipua comparatio remanet inter Physicam & Metaphysicam, & quæ nunc ad nos maximè pertinet. Quoniam, cùm iam Philosophiam, in qua Metaphysicam Physicamq. complectimur; prosequi cogitemus: speciali cura enitendum est, vtraq; recto ordine contexere: & eò magis si aliquid præter cōmunem expectationem & consuetudinē moliri paramus. Nō determinamus autem nunc, quænam & quanta sit distinctio inter Physicam & Metaphysicam. Sed absolutè Physicam sumimus pro ea Philosophiæ parte, quæ agit de rebus materialibus, Metaphysicam pro ea quæ agit de gradibus & prædicatis communibus ad res materiales & immateriales, & quæ agit de rebus immaterialibus.

Cōis sententia praponēs Physicam. Satis exploratum videtur, Physicam esse, & debere esse, Metaphysica ordine doctrinæ priorem: & sicut supremam, ita postremam scientiarum in addiscendo, esse Metaphysicam, quæ & dignitatis prærogatiua primæ philosophiæ nomine gaudet. Ita notarunt Auicenn. libro 1. Metaphysf. cap. 3. Sanct. Tho. Opusc. 70.

quæst.

quæst. 5. art. 1. & 1. con. Gen. c. 4. & alibi, Alb. 1. Met. tract. 2. c. 10. Aegid. in prœem. Met. & alij communiter. Et cōmunis Philosophorū vsus hunc ordinem seruat. Arist. etiam 2. Met. in fin. ait, prius agi debere de natura, quod referre videtur ad Physic. & lib. 1. c. 3. incipiens tractare de causis, commemorat satis de ijs speculatum in Naturalibus, supponens vtique, Physicam præcessisse. Et 1. Phys. in fine ait, de formis abstractis & separatis agendum esse in prima Philosophia: *Quapropter in illud tempus reponatur*; Et alibi plura similia Arist. indicat. Sed quid plura? Ipsum Metaphysicæ nomen satis rem demōstrat. Metaphysica enim dicitur, quasi trans Physicā, post Physicam. Fundamētum verò huius ordinis est: quia res metaphysicæ sunt abstractissimæ, & à sensibus remotissimæ, ac proinde difficillimæ: & præsertim substantiæ separatæ non nisi ex rebus his sensibilibus nobis innotescere possunt.

Sententia præponēs Metaph. Ex alia parte non desunt etiam Auctores & auctoritates, priorem ordinis locum Metaphysicæ tribuentes. Præclarè D. Thom. initio Physicæ ait, in scientia naturali meritò præmitti illam partem, quæ agit de ente mobili in communi: sicut omnibus scientijs præmittitur Philosophia prima, in qua determinatur de ijs quæ sunt communia enti, inquantum ens. Auicenna eodem loco notauit, Metaphysicam, debere esse priorem secundum ordinem sciendi distinctè. Albert. etiam apud Suessan. & ipse Suessan. 6. Met. disp. 3. c. 4. Scot. in 1. d. 3. q. 2. §. loquendo igitur, vers. secundo probo, priorem locum ordine doctrinæ præcipua quadam ratione Metaphysicæ tribuunt. Fons. 2 Met. c. 3. q. 5. sect. 4. asserit, Metaphysicam ordine exquisitæ doctrinæ esse priorem, licèt absolutè & simpliciter dicat esse posteriorem. Suar. d. 1. Met. sect. 4. num. 10. ait, ordine doctrinæ secundùm se Metaphysicam esse priorem, sed ratione nostri modi cognoscēdi sibi vēdicasse postremum locum. Conimbr. in Physic. q. 5. procemiali. art. 3. fatentur, Metaphysicam esse ordine doctrinæ priorem ad perfectissimam adeptionem aliarum sciētiarum. Perer. lib. 1. c. 17. asserit, esse ordine naturæ priorem, sed secundùm nos esse posteriorem. Zabar. lib. de Ordine intelligendi cap. 15. ait, nonnisi ratione eius partis, in qua agitur de substantijs separatis, esse posteriorem ordine doctrinæ. Sed præcipuè Antonius Bernardus Mirand. lib. 15. de Euersione singularis certaminis, & deinceps, absolutè defendit, Metaphysicam debere esse priorem.

In hac re distinguere oportet illā Metaphysicæ partē quæ agit de ente & alijs prædicatis communibus, & aliam quæ agit de rebus immaterialibus, siue de substantijs separatis. Et de vtraque parte distinctè respondendum putamus.

Illa pars Philosophiæ, quæ agit de ente & communibus prædicatis, est præponenda Physicæ. Dico primò. Illam Philosophiæ partē, quæ agit de ente & cæteris similibus cōmunibus prædicatis, non solùm esse ordine naturæ, & exquisitæ doctrinæ priorem: sed absolutè & simpliciter debere præcedere etiam illi parti Philosophiæ, quæ agit de rebus materialibus, quæ dicitur Physica. Et hunc potiùs ordinem de facto esse seruandum. Hæc conclusio satis manifestè, & efficaciter demonstratur.

Quia magis vniuersalia sūt prius consideranda. Primò generalis & perfecta ordinis regula est: ea quæ magis vniuersalia sunt, in sciētijs esse priora: dicūturq. ordine naturæ priora: & absolutè loquēdo ordine doctrinę prius cōsiderari debent. Idq. ex Arist. ex communi vsu, & pluribus rationibus, sect. 7. iam ostendimus. Atque eadem omnia & singula media ibi allata specialiter applicari possunt ad probandum, illa prædicata communia entis cum suis passionibus: rationem quoque substātiæ & accidentis, & alia quæ sunt rebus materialibus, immaterialibusq. communia, debere prius & antea considerari. Certè ea pars Philosophiæ quæ agit de his prædicatis communibus, debet esse prior alia parte quę agit de rebus immaterialibus. Et illa pars Philosophię quę agit de rebus materialibus, prius considerat obiectum suum in genere, quàm alia genera, speciesquè subiectas. Et rursus eadem pars, quę agit de prædicatis communibus, prius vtique considerare debet ens in communi, quàm distinctè substantiam & accidens, aliauè genera entis. Et ita omnes scientiæ constanter obseruant. Omnino ergo ea pars Phylosophiæ quæ agit de dictis prædicatis cōmunibus, debet esse prior illa quæ de rebus

rebus materialibus in ſpecie agit.

Res phyſicæ dependent in cognoſcendo ex illis cõmunibus gradibus.

Secundò, idem oſtenditur magis inductione quadã magis explicita & diſtincta ex rebus metaphyſicis ad res phyſicas. Phyſica debet conſiderare & de facto cõſiderat eſſentiam & exiſtentiã ſuarũ rerũ, præſertim compoſiti naturalis: diſputat, num materia habeat eſſentiã vel exiſtentiam à forma, num exiſtẽtia compoſiti ſit ſimplex vel compoſita. Conſiderat etiam ſubſiſtentiam, quæ complet rationem ſubſtantiæ, an conueniat materiæ vel formæ, quomodo conueniat toti compoſito. Hæc vtique non poteſt ſatis dignoſcere, niſi ſupponat notitiam eſſentiæ & exiſtentiæ & ſubſiſtentiæ in communi ex Metaphyſica, in qua quæſtiones generales de his diſputari debent; vel niſi ipſa Phyſica anticipet & vſurpet ea quæ ad Metaphyſicam pertinebant. Phyſica conſiderare debet principia & cauſas rerum naturalium. Vnde etiam vel ſupponere vel ad ſe transferre debet cõſiderationem principiorum & cauſarum in communi. Phyſica conſiderare debet rationem accidentium materialium: & in ſpecie qualitates, earum intenſionem & alias proprietates; item actiones paſſiones, durationes, & alia. Vel ergo debet de his ſuis rebus diſputare ea quæ alioqui erant communia etiam ad res immateriales: & ita ad ſe trahit Metaphyſicam; atq. adeò non iam eſt Phyſica ante Metaphyſicam. Vel ſupponere debet Metaphyſicam.

Tertiò, de facto obſeruandum eſt, quã plurimas quæſtiones in Phyſica pertractari, quæ in rigore communes ſunt etiã ad res immateriales; vnde ad Metaphyſicam pertinebant. Imo & in Logica ſolent plura, tum de ente, tum de generibus entis, in Prædicamentorum tractatu inſeri, quæ prorſus ad Metaphyſicã ſpectant. Quod totum non aliunde factum eſt, niſi quia Metaphyſica ſub nomine Metaphyſicæ in vltimum locum dilata eſt: cùm potius tales communes tractationes & quæſtiones debuiſſent ſtatim poſt Logicam ante Phyſicam collocari. Ideòque in ipſa Phyſica & Logica præter ordinem inſertæ ſunt. Itaque, ſi non Metaphyſicæ nomen, tamen res Metaphyſicę rebus Phyſicis prælatæ ſunt.

Metaphyſica tradit & probat principia ſcientifica.

Quartò addunt aliqui. Metaphyſica conſtituit prima principia vniuerſaliſſima, in quibus fundatur certitudo aliarum ſcientiarum. Ad illam etiam pertinet probare principia propria aliarum ſcientiarum. Vnde aliæ ſcientiæ dicuntur quodammodo ſubalternari ipſi Metaphyſicæ. Et hoc totum ſumitur ex Ariſtot. 1. Poſt. cap. 7., 1. Phyſ. tex. 8., 1. Metaph. cap. 1. & 2. & alibi. Ergo Metaphyſica debet ordine naturæ & doctrinæ præcedere. Hæc tamen ratio non eſt adeò efficax: quia principia Metaphyſica, v. g. non poteſt idem ſimul eſſe & non eſſe, & ſimilia; principia item propria aliarũ ſcientiarum; ſunt per ſe ſatis euidentia. Vnde non neceſſario indigent alia probatione. Ad maiorem tamen doctrinæ copiam, & contra omnem proteruiam, in Metaphyſica dicuntur conſtitui & cõprobari. Item aliæ ſcientiæ non propriè, & in rigore ſubalternantur Metaphyſicæ ea ſubalternatione, qua ſuo loco diximus ſcientiam ſubalternantem debere omnino in intellectu ſupponi, vt ſubalternata ſit vera ſcientia: ſed ſolùm ſecundùm dictam rationem ſubordinantur Metaphyſicę. Hæc omnia notauit Ferrar. 1. contra Gen. cap. 4. Iuuat tamen hęc etiam ratio ad ſuadendum, vt ſi ex alia parte non præualeat alia ratio, qua Metaphyſica poſtponatur, conuenientiùs præponatur. Quæ ſanè conuenientia maximè inter Metaphyſicam & Phyſicã reperitur.

Ad maiorem cõmoditatẽ, facilitatemq. confert talis ordo.

Quintò demum. Cũ Metaphyſica quantùm ad illam partem vniuerſalem, ordine naturæ & vniuerſalitatis præcedat Phyſicæ, vt manifeſtũ eſt; & hinc aliqui conceſſerint, eſſe etiam ordine doctrinæ, ſaltem quoad ſe, ſiue ordine exquiſitæ doctrinæ priorem: probatur abſolutè & ſimpliciter debere præponi. Nulla occurrit ratio, qua non ſeruetur hic ordo naturæ & doctrinæ, & ob quam expediat talem ordinem commutari: ergo abſolutè & ſimpliciter debet illa Philoſophiæ pars Phyſicæ ipſi præponi. Aſſumptum probatur, conuellendo ſimul omne fundamentum partis aduerſę. Non refert, quòd res metaphyſicæ ſunt abſtractiores & remotiores à ſenſibus. Nam in vniuerſum ſemper vniuerſaliora ſunt abſtractiora & remotiora à ſenſibus: & tamen hoc non facit, quo minùs ſemper in omni alia ſcientia, & omni parte Philoſophiæ, priùs vniuerſaliora conſiderentur: etiam in ipſa Phyſica:

ea: ac in eadem quoq; Metaphysica, in qua priùs de ente quàm de substantia & accidente differitur. Illa ergo ratio mouere non debet ad peruertendum ordinem, alioqui tàm doctrinæ, quàm naturę debitum.

Non refert quod res metaphysicę dicantur difficiliores & simpliciter difficillimæ. Quinimò certè, si ostendamus ea, quæ tractari solent in Logica: sunt magna ex parte, aut non minus aut magis etiam difficilia. Et Sanct. Thom. Opusc. 70. quæst. 6. artic. 1. quęstiunc. 2. ad 3. notauit, esse incipiendum à Logica, quamuis Logica non sit facilori alijs scientijs, sed potius habeat maximam difficultatem. Imo iuxta modum, quo Logica tradi solet, ferè quę difficiliora sunt Metaphysicę in Logicam transferūtur: & tamen Logica primo loco traditur ante alias scientias. Quonam modo ergo ea rerum difficultas poteſt Metaphysicam è suo debito loco diuellere, & à recto suo ordine exturbare? Rursus pleraque etiam quæ in Physica pertractantur, sunt aut non minus aut magis difficilia, quàm quæ in Metaphysica. Et vt alia taceamus, certè tractationes de quantitate & infinito aliqua ratione longè superant omnem Metaphysicę difficultaté. Et intra ipsam Physicam, ea quę tractātur de rebus naturalibus in communi circa octo libros de Physica auscultatione sunt longè difficiliora alijs, quę tractantur in sequentibus libris de varijs rebus naturalibus in speciali; vt satis compertum & notum est. Quędam etiam sunt in Physica; quę nisi Metaphysicam supponant difficiliora sanè redduntur. Itaque non solùm ratio illa difficultatis non obstat: sed ob maiorem etiam facilitatem & cōmoditatem, debet Metaphysica quoad illam partem vniuersalem, Physicæ absolutè præponi.

Non propterea debet Metaphysica ante omnes prorsus scientias collocari.

Cæterùm non est par ratio, vt similiter alijs scientiis, quę vtique certa quędam entis genera considerant, Metaphysica debeat pręponi. Nam alię scientię vel sunt practicæ, vel sunt Mathematicę. At ad eas omnes non pertinet, exactè cognoscere naturam & rationem suorum obiectorum: sed sufficit breuiter attingere, quantùm opus est ad directionem operandi, vel ad exercitium mensurandi. Vnde in ijs non habet locum illa regula, vt priùs prędicata essentialia communia dignoscantur. Hinc, Logica non debet pręsupponere scientiam de accidentibus aut de actibus vitalibus in communi, sicut nec de anima, vt consideret & dirigat actus nostrę cognitionis. Et sic in alijs similibus sciētijs. Multò minùs ergo Metaphysica debet ad has scientias pręcedere.

Alia pars Philosophiæ, quæ agit de rebus immaterialibus, conuenientius post Physicam collocatur.

Dico deinde 2. Illam Philosophię partem, quę agit de rebus immaterialibus, siue de substantiis separatis, licèt ordine dignitatis & ordine naturæ pręstet Physicæ, quę agit de rebus sensibilibus & in materia concretis: tamen vtiliùs & commodius in postremum locum differri. Hęc conclusio probatur facilè. Quia sine dubio dignior & nobilior est consideratio rerum immaterialium, vtpotè nobiliorū; Deus etiam ordine causalitatis est primū ens, & primum principium omnium aliarum rerum: Intelligentię quoque habent aliquam causalitatē erga res corporeas. At ex vna parte notitia harum substātiarum non est per se necessaria ad cognitionem rerum materialium; sicut necessaria erat notitia prædicatorum communium. Quinimo potius ex rebus his sensibilibus, nobisquè notioribus, cognoscimus et probamus ea quę pertinēt ad Deū aliasquè substantias separatas; vt habetur ex ipsa Scriptura Sap. 13., & ad Rom. 1. & ex Arist. 1. de Part. Anim. cap. 5. Et est res notissima. Nec alio modo possumus naturaliter habere de illis scientiam. Hac ergo ratione, & hoc doctrinæ ordine, debet Physica huic alteri Phylosophiæ parti præponi. Imo iam iuxta communē vsum tota scientia de Deo, aliisquè substantiis separatis, in sacram Theologiam coniungendo lumen rationis cum lumine Fidei, translata est: Theologia autem Philosophiam ante se præmissam supponit.

Et præcipuè omnis alia cognitio rerū creatarum ad maiorem Dei notitiam cōducit, & ad hanc meritò referenda est. Vnde specialiter contemplatio Dei debet post naturalem Philosophiam reponi. Sic notauit optimè Sanctus Thomas primo contra Gentes cap. 4. *Cùm ferè totius Philosophiæ consideratio ad Dei cognitionē ordinetur: Metaphysica, quæ circa Diuina versatur, inter omnes Philosophiæ partes vltima*

tima remanet addiscenda. Et Arist. 1. Metaph. cap. 2. per excellentiam quandam, docet, sapientiam quæ considerat prima & nobilissima entia, esse præ aliis liberam, & maximè propter se ipsam: quoniam scilicet aliæ scientiæ suo modo referuntur ad illam.

Arist. explicatur. Ex his tandem potest in parte satisfieri ad auctoritates illorum, qui Metaphysicam collocant post Physicam: hoc verificando quoad illam Metaphysicæ partem, quæ agit de substantijs separatis. Aristot. autem 2. Metaph. in fine, dixit, considerandum primum esse quid sit natura, quia sic manifestum fieret, de quo sit naturalis scientia. Non ergo comparationem faciebat inter Physicam & Metaphysicam: sed tradebat modum quo cognosci deberet ad quenam naturalis scientia se extendat. Imo aliqui librum illum secundum Metaph. collocandum putant inter primum & secundum Physicæ auscultationis: cum quibus maiorem quam cum primo & tertio Metaphysicæ connexionem præseferre videtur. Et tunc sensus esse posset, prius agendū esse de natura, de qua statim agit 2. Phys. ante alios tractatus sequentes de rebus naturalib.

Rursus lib. 1. Metaph. vtitur eo loquēdi modo, solùm ad indicandum alium suum tractatum de causis; consuetus enim est talis loquendi modus, non spectato ordine vnius tractatus cū alio. At 1. Phys. meritò remittit tractationem de formis separatis in primam Philosophiam: quod est conforme secundæ cōclusioni positæ. Vel certè fieri potuit, vt non eodem temporis ordine hæc opera conscripta fuerint, quem inter se seruare debebant. Sicut facile contingit, quempiam priùs cōscribere volumen aliquod Philosophiæ quam Logicæ, Theologiæ quàm Philosophiæ: & ita in Philosophia referat, se aliquid tractasse in Theologia, & in Theologia remittat aliquid tractandum in Philosophia. Vel demum Arist. fortasse Metaphysicam disposuit, non post totam naturalem Philosophiam, sed proximè post illam partem, quam propriè nominauit Physicam & de natura, quæ cōtinet octo libros Physicæ auscultationis: quia ita tunc commodum ipsi videri potuit. Et fauent ipsa nomina inscriptionesquè librorum: nam Metaphysica Physicæ proximè consonat. Neque refert, quòd Aristot. in vno opere à Physica distincto Metaphysicam edidit, in qua simul de prædicatis vniuersalibus & de substātijs separatis tractare instituit. Nam nec distinctio & dispositio librorum ab ipso Aristot. facta est: nec ad nos peruenerūt omnes libri ab eo conscripti. Neque absolutum omni ex parte Philosophiæ ordinem ex ipso Arist. habemus.

Nomē Metaphysica exponitur. Metaphysicæ autem nomen potest propriè denotare, vltra Physicam, supra Physicam: respiciendo non tàm ad ordinem docendi & addiscendi, quàm ad vniuersalitatem obiecti: obiectum enim Metaphysicæ est vniuersalius vltra & supra obiectum Physicę. Vel, etiam si dicatur, post Physicam, intelligi potest ordine primæ cognitionis & inuentionis: quia scilicet naturalis hominum cognitio priùs res sensibiles attingit, deinde per abstractionem prædicata communia excogitata sunt. Et ita fieri etiam potuit, vt prius inuenta fuerit scientia, licèt tunc minùs perfecta, de rebus sensibilibus ac naturalibus; & per eam fuerit concomitanter inuenta scientia de prædicatis superioribus: quæ tamen deinceps debuit esse doctrinæ ordine prior. Deniquè fundamentum eiusdem primæ sententiæ satis solutum manet ex dictis.

Philosophia promittitur. Plura verò pro hac tota re, examinando distinctionem Metaphysicę & Physicę siue vnitatem Philosophiæ in suis partibus, in principio nostræ Phylosophiæ mox sequuturæ dicemus.

Laus Deo, Beatæq. Virgini.

INDEX RERVM.

A

Y y

E

F

G

H

IDÆAS

I

L

M

Item

Q

R

S

penitus

SIN-

TEMPVS

T


V

Vni-

Possunt

Finis Indicis Rerum, & totius Operis.







REGESTVM.

✠ a b c d. A B C D E F G H I K L M N O P Q R S T V X Y Z.

Aa Bb Cc Dd Ee Ff Gg Hh Ii Kk Ll Mm Nn Oo Pp Qq Rr Sſ Tt Vu Xx Yy Zz.

Omnes ſunt Quaterniones præter d, *&* Zz, *quæ ſunt Duerniones.*



R O M AE,

Ex Typographia Iacobi Maſcardi, M. DC. XXIII.

SVPERIORVM PERMISSV.